Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 M
16

20
A
5

13. 20. G. 70

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20
A
A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA
CONCILIORVM
OMNIVM.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO
ET
BEATISSIMO
PATRI ET D.N.
GREGORIO XV.
PONT. MAX.

F. FRANCISCVS LONGVS A CORIOLANO
CAPVCCINVS
S.

BIBL.SEC.COLL.ROM.SOC.IESV. IHS

EA ſemper fuit Romanorum Pontificum ſollicitudo, Pater Beatiſsime, quam ex Paſtorali officio erga Domini gregem illis concreditum ſibi debitam agnouerunt, vt non modò deſæuientibus in Eccleſiam hæreſum procellis, vndique vel Nationalia vel Generalia Concilia cogerent, quibus & errorum monſtra opportunè obtruncari, & Orthodoxa Eccleſiæ fides ſana & incolumis ſeruari poſſet; verùm & in id ſummo ſtudio incumberent, vt quæ ſemel à Conciliis decreta & conſtituta eſſent, nullo vmquam tempore interirent, ſed velut diuina quædam depoſita, perpetuò integra ac ſarta tecta cuſtodirentur, inuiolatáque poſteris conſignarentur.

Digitized by Google

Neque enim vlli ignorare fas eſt, quanta in Eccleſia ſemper fuerit Conciliorum, quæ legitimè in Spiritu ſancto congregata ſunt, ad res fidei definiendas vis atque auctoritas: quæ ſanè tanta fuit, vt quæ in his communi Eccleſiæ lege ſancita ſunt, ita planè ſacroſancta ac diuina cenſeri debeant, perinde ac ſi cæleſti edicto hominibus cauta ac imperata eſſent.

Athan. ep. ad Epiſcopos Afric. *Cyril. lib. 1. de Trin.* *Greg. l. 1 ep. 24.*

Hinc enim S. Athanaſius Nicæni Primi Concilij Decreta ipſum Dei verbum appellat. Et Cyrillus eiuſdem Concilij Canones eo honore proſequitur, vt diuinorum ac ſanctiſsimorum oraculorum appellatione dignos exiſtimet. Veteres quoque Patres ea veneratione legitima Concilia afficiunt, vt eorum Decreta, velut à Spiritu ſancto profecta, Euangeliorum inſtar, ſibi amplectenda ac ſequenda proponant. Diuinus ſiquidem ille Spiritus, qui Apoſtolos ac diuinarum rerum Scriptores Euangelicam veritatem docuit, is planè & Apoſtolicos Patres in legitimo Concilio ſub Romani Pontificis obedientia congregatos, in his quæ tum ad fidem tum ad mores ſpectant, tam abundè inſtituit, vt haud ſecùs quàm de Euangelicis ſcriptis nefas ſit de illorum veritate dubitare, aut ea in diſcrimen adducere. Siquidem nota omnibus eſt Apoſtolica vox, qua ſacrorum Conciliorum auctoritas olim in Ieroſolymitano Concilio celebrata fuit, cùm ita reſcriptum eſt: VISVM EST SPIRITVI SANCTO ET NOBIS, &c. Quapropter ea à nobis religione coli æquum eſt, vt non ſecùs quàm Dei

ipſius

ipſius lex ac verbum quotidie ante oculos noſtros verſari debeant.

Verumenimuerò, cùm tam ingens ſit Conciliorum moles, tantáque rerum copia, quæ in ijs tot voluminibus dilatata exaratur, vt vniuerſa difficilè mente retineri queant; mea in primis, tum publica aliorum vtilitate commotus, quorum iuuandorum ſtudio tenebar, eò aliquando animum appuli, vt Conciliorum omnium, quæ à Chriſto Domino ad hæc vſque tempora celebrata fuere, catalogum texerem: nec non vniuerſa, quæ longa oratione in ſex Conciliorum Tomis fusê pertractantur, breuj quadam Summa ac Compendio perſtringerem; nihílque interim graue, aut lectione dignum omitterem, quod à me iure expeti poſſet.

Hoc quidquid eſt diligentiæ & laboris, tuis ſanctiſsimis pedibus offero atque ſubiicio: non quòd Sanctitati Veſtræ tantum à grauiſsimis publicis curis otij ſupereſſe putem, vt hæc poſsit legere; ſed vt ſua paterna & ſalutari benedictione communitum, ſuóque Beatiſsimo nomine ornatum, opus noſtrum vtilius & commendatius ad eorum manus perueniat, qui otio abundantes, eiuſmodi rerum cognitione, Religioſis & Eccleſiaſticis, maximéque Eccleſiæ Dei Prælatis planè digna, delectantur. Benè vale, Pater Beatiſsime, détque Deus Beatitudini tuæ annos Neſtoreos.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

SACROSANCTA Concilia, quę paſsim variis Eccleſiæ temporibus in Spiritu ſancto legitimè congregari ſolent, eam ab initio, in his quæ tum ad fidei tum ad morum inſtitutionem ſpectant, à Deo vim ac robur proculdubiò ſortita ſunt; vt omnino nefas ſit in his vel minimum quidem erroris næuum ſuſpicari. Cùm enim perpetua Spiritus ſancti præſentia, velut indiuidua ſacrorum Conciliorum comes, eiſdem ſuo lumine affulgeat, quo ad veritates Orthodoxas irrefragabiliter definiendas illuſtrantur, vt ex Apoſtolico teſtimonio, quod Actorum cap. 15. legitur, perſpicuum eſt: vbi Apoſtoli in Ieroſolymitano Concilio collecti, futurorum omnium legitimorum Conciliorum auctoritatem decernentes, ad Eccleſias reſcribunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis:* ex quo Cæleſtinus Papa ad Synodum Epheſinam ſcribens, *Spiritus ſancti*, inquit, *teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt Veritas mentiri, cuius hæc ſententia eſt: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Quod cùm ita ſit, ſi nec huic tam breui numero Spiritus ſanctus deeſt; quantò magis eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tanta turba ſanctorum? Sanctum namque eſt pro debita ſibi veneratione Concilium.* Quis ea, quæ à Spiritu ſancto profecta creduntur, vel erroris inſimulare, vel in erroris ſuſpicionem adducere audeat?

Act. 15.
Caleſt. Papa epiſt. 7. ad Synod. Epheſ.
Mat. 18.

Hinc irrefragabilis Conciliorum auctoritas ſeſe offert, cùm ea dumtaxat Spiritu ſancto dictante definiunt, quæ cùm nulli errori obnoxia eſſe poſsint, ſummam ac diuinam in Eccleſia veritatem ſibi comparant.

Neque id ignorauit magnum illud Eccleſiæ ſidus S. Auguſtinus, cùm eam fidei doctrinam tutò amplectendam eſſe docet, quæ à legitimo Concilio, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roborato, tradita aut firmata fuerit. *Nobis* (inquit) *tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata ſunt: id autem fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatio-*

S. Aug. l. 7. cont. Donat. c. 53.

natione Domini Dei noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Atque inde hæreticos iure optimo eos cenſendos eſſe, qui ſpreta ſacrorum Conciliorum auctoritate, diuerſam ab illis ſibi regulam conſtituunt, diſertè olim tradidit Vigilius Tridentinus de Eutychianis ita ſcribens: *Quæ cùm ita ſint, nulli erit profectò ambiguum, iſtos hæreticos eſſe, qui ſancti ac venerabilis Concilij Chalcedonenſis Decreta reſpuunt atque contemnunt, tantorumq́ Patrum religioſis conſtitutionibus audaci temeritate reſiſtunt.* *Vigil. Trid. l. 5. contra Eutych.*

Cùm igitur tam ſancta ac diuina ſit ſacrorum Conciliorum auctoritas, quòd quæ ab his ſemel in Eccleſia decreta ac conſtituta ſunt, immota atque inconuulſa eſſe oporteat, vt teſtis eſt Gelaſius Papa, ad Epiſcopos Dardaniæ his verbis ſcribens: *Quapropter ſtultitiam reſpuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipſis beatis Apoſtolis, & conſiderare prudenter, quoniam Patres noſtri, Catholici videlicet, doctiq́ Pontifices, in vnaquaque hæreſi, quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apoſtolica, ſecundùm Scripturarum tramitem, prædicationemq́ maiorum facta ſemel Congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmumq́ conſtare.* Quandoquidem ab his, velut à diuite quodam penu, ſanæ fidei documenta nullo numquam tempore Catholica Eccleſia haurire ſolita fuit. Hinc illis profectò gratiæ habendæ ſunt quamplurimæ, qui olim in Conciliis omnibus ſimul colligendis, ac diſtinctis codicibus diſpertiendis, fidelem diligentemque operam nauarunt. *Gelaſ. Papa ep. 11. ad Epiſc. Dard.*

Verùm etſi qui eo labore honeſtiſſimè perfuncti ſunt, magnopere Chriſtianæ Reipublicæ profuerint; attamen cùm magna illa Conciliorum moles, tot Tomis digeſta, quamplurimos ſua magnitudine exterrere ſoleat, ne ſaluberrimis huiuſmodi ſtudiis incumbant; pleroſque etiam, quibus tenuis facultas vix neceſſarios libros ſuppeditat, ſumptus ipſe retrahat, ne tot Conciliorum Codices ſibi ingenti ære comparare queant; ante nos Bartholomæus Carranza, vir ſanè inſignis eruditionis, magna cum ſuiipſius laude Summam quamdam Conciliorum euulgauit, in qua plurimorum Conciliorum ac Pontificum Decreta, vel-

ut

ut Compendio perſtrinxit. Et quidem Opus illud à toto genere maxima laude & commendatione dignum fuit; atque eò maximè, quòd ex eo primùm via ad hæc ſtudia, quæ priùs aſpera erat, facilior ac ſuauior reddita fuit.

Verumtamen quoniam id plerumque humana imbecillitas fert, vt nec primò nec ſtatim ſummam rei perfectionem attingamus; in eo Opere plurima Concilia, quorum fortè notitia ad Auctorem non peruenit, omiſſa fuere; pleraque etiam ſatis inuolutè ab eo tradita videntur, quæ maiorem explicationem expeterent, ne qui minùs in Conciliorum lectione verſati ſunt, pro veritate, erroris anſam apprehenderent: rurſum nonnulla adeò conciſè dicuntur, vt quis verus illarum rerum ſenſus ſit, non niſi difficillimè indagari queat: denique in eo Opere multa à piis ac doctis viris, tamquam neceſſaria, & ad Conciliorum intelligentiam vtilia expectabantur.

Quapropter partim rei ipſius ſtudio allectus, partim multorum precibus excitatus, ac præſertim crebris PAVLI V. fel. rec. Pont. Max. cohortationibus perſuaſus, eò tandem adductus fui, vt hanc noſtram Epitomen Conciliorum, nouo atque integro labore compactam, euulgari paterer. In qua is mihi ordo propoſitus fuit, vt primùm in ipſo veſtibulo decem Præludiorum ſeu Prolegomenorum Apparatum ſtatuerem, quibus ea quæ in genere ad Conciliorum materiam ſpectant, explicarem: vt ex ſubiuncto Indice ſeu Summario eorum quæ in ijs Præludiis continentur, conſtat.

PRÆLVDIVM I. An inſtitutio Conciliorum ſit de Iure diuino.

ASSERTIO I. Ratio, atque inſtitutio celebrandorum Conciliorum de Iure diuino eſt, & à Deo manat. Ex quo ſequitur, quòd

Determinatio Concilij vox Dei ſit. & quòd

Qui Concilia ſpernit, Deum ſpernit.

ASSERTIO II. Conciliorum celebratio de Apoſtolica traditione deſcendit.

DVB. Quando Concilium congregatum eſt, & diffinit, à quonam tunc habeat auctoritatem?

Hære-

Digitized by Google

Hæretici Conciliorum celebrationem petunt, ſed iniquis conditionibus. Vnde in Concilio Tridentino meritò repulſi ſunt.

PRÆLVD. II. An congregare Concilium ſit vtile tantùm, an etiam neceſſarium.

ASSERTIO I. Vtile eſt congregare, & ſæpè, Concilia.

ASSERTIO II. Concilia celebrari in Eccleſia non modò eſt vtiliſſimum, verùm & aliquo modo neceſſarium: & quandoque ſimpliciter neceſſarium.

Papa abſque Conciliorum celebratione, Eccleſiæ neceſſitatibus poteſt prouidere.

DVB. Si diffinitio Papalis ad rem fidei & morum diffiniendam ſufficit, ad quid ergo Concilia congregantur?

Si Scriptura ſacra clara per ſeipſam eſt; quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas?

PRÆLVD. III. Concilium conuocare, ad quem pertineat.

ASSERTIO I. Conuocare Generale Concilium, ad Papam ſolùm ſpectat.

Imperatores Catholici numquam propria auctoritate, ſed poteſtate eis à Summo Pontifice facta, Concilia aliquando coëgerunt.

Principes ſæculares non ſunt Optimates Eccleſiæ, ita vt regimen Eccleſiæ eis pertineat.

ASSERTIO II. Ad Papam pertinet, ſiue per ſe, ſiue per ſuos Legatos in Concilio Generali præſidere.

Imperator aliquando in Concilio præſedit, ſed non tamquam Iudex.

DVB. An in aliquo caſu liceat Concilium indici ab alio quàm à Papa.

Quid faciendum, ſi (quod abſit) Papa ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus.

PRÆLVD. IV. Ad Concilium quæ perſonæ conuocandæ ſunt.

ASSERTIO I. Ad Concilium ſoli Prælati maiores, id eſt Epiſcopi omnes de iure conuocari & venire debent.

ASSERTIO II. Epiſcopi in Conciliis habent vocem deciſiuam, & ſunt Iudices.

DVB.

Digitized by Google

Dvb. An Papa, qui tunc præſidet, teneatur ſequi ſententiam maioris partis Epiſcoporum in Decretis faciendis.

Circa Epiſcoporum conuocationem quatuor conditiones requiruntur. Prima, Vt euocatio ſit generalis. Secunda, Vt ex Epiſcopis nullus excludatur. Tertia, Vt adſint vel per ſe, vel per Procuratorem. Quarta, Vt ſaltem ex maiori parte Chriſtianarum Prouinciarum aliqui adueniant.

PRÆLVD. V. An Concilium ſit ſupra Papam.

Assertio. Auctoritas Concilij Generalis non eſt ſupra Papam, ſed tota ab eo dependet.

Dvb. An ſit maior Concilij, quàm Scripturæ ſacræ auctoritas.

PRÆLVD. VI. An conſenſus Vniuerſalis Concilij abſque confirmatione Summi Pontificis habeat infallibilem veritatem.

Assertio. Concilium Generale abſque confirmatione Summi Pontificis non habet infallibilem veritatem.

Papa abſque Concilio poteſt res fidei diffinire; adhibere tamen debet etiam diligentiam, & mediis ad hoc ordinatis vti: talia autem media ſunt Concilia magna, vel parua, ſeu Tribunal S. Sedis, quod eſt Cardinalium Collegium, prout rei grauitas exigit.

Papa in poteſtate iuriſdictionis excedit Concilium.

Concilia omnia robur & poteſtatem à Papa habent.

PRÆLVD. VII. An accedente Papæ confirmatione, Concilium ſit infallibilis veritatis, & eius determinationes ſint de fide; ita vt ſub pœna hæreſis omnes illi teneantur obedire, etiam Papa.

Assertio I. Si ad Concilium congregatum Papæ confirmatio accedat, Concilium illud eſt infallibilis veritatis in Decretis fidei. Ex quo ſequitur,

Primò, Eccleſiam habere infallibilem veritatem in doctrina fidei.

Secundò, Eccleſiæ conſenſum eſſe indubitatum veritatis teſtimonium à Deo inſtitutum.

Tertiò, Eccleſiam non poſſe errare, cùm ſit columna & firmamentum veritatis.

Dvb.

Digitized by Google

Dvb. Quomodo ſciemus, an vllum Concilium fuerit vmquam legitimum, nécne.

Assertio II. Determinationes talis Concilij à Papa confirmati, ſunt de fide, ita quòd ſub pœna hæreſis omnes ei tenentur obedire.

Hoc autem intelligitur de Concilio Generali: non autem de Prouinciali, vel Diœceſano, quæ facultatem dogmatizandi de fide non habent, ſed ſolùm declarandi.

In Eccleſia eſt facultas condendi leges, etiam coactiuas, non ſolùm quoad pœnam, verùm & quoad culpam.

Dvb. I. An Papa huiuſmodi determinationibus teneatur obedire.

Dvb. II. An vni Concilio liceat de fide determinare, vel oppoſitum mutare eius quod in præcedentibus Conciliis determinatum eſt?

PRÆLVD. VIII. An Concilium Generale legitimè congregatum, & proſecutum, ſi faciat quod in ſe eſt, poſſit errare in rebus fidei & morum definiendis.

Assertio. Concilium Generale congregatum, ſi facit quod in ſe eſt, & à Papa confirmetur, non poteſt errare in decretis fidei & morum.

PRÆLVD. IX. De Eccleſia Romana, quòd ſit vera Eccleſia.

Assertio. Eccleſia Romana eſt vera Dei Eccleſia. Probatur Aſſertio, ſuppoſito

Primò, Quòd Eccleſia debeat eſſe viſibilis.

Secundò, Quòd habeat aliquas Notas, per quas cognoſcatur.

Examinantur, & refelluntur Notæ ab hæreticis aſſignatæ.

Catholici veras Notas aſſignant. Sed quatuor illæ ſunt præcipuæ, quæ in Symbolo Apoſtolorum & Nicæno ponuntur. 1. quòd eſt Vna. 2. quòd eſt Sancta. 3. Catholica. 4. Apoſtolica.

I. Eccleſia eſt Vna, vnitate ſpei; vnitate Domini viſibilis, qui eſt Papa; vnitate Baptiſmi; vnitate fidei; vnitate doctrinæ.

Examinantur hæreticorum dogmata.

II. Ec-

II. Eccleſia eſt Sancta. 1. Quia à Deo conſecrata eſt. 2. Quia eſt corpus cum ſancto Capite Chriſto coniuncta. 3. Quia in ea reperitur ſanctitas doctrinæ & Sacramentorum. 4. Quia eſt firma, & ſtabilis, à *Sancio, ſancis.*

Non ſic Sectæ hæreticorum.

III. Eccleſia eſt Catholica: Vniuerſalis per totum orbem: id eſt, vbicumque diffuſa eſt, eadem ſemper & vbique fidei dogmata docet ac prædicat.

IV. Eccleſia eſt Apoſtolica: quia in ea eſt continuata ſeries omnium Pontificum, à Chriſto & à Petro vſque ad Gregorium XV. qui hodie in Petri cathedra ſedet.

COROLLARIVM I. Eccleſia Romana eſt vera Chriſti Eccleſia.

COROLLARIVM II. Eccleſia Romana eſt mater & caput omnium Eccleſiarum.

Qui extra Eccleſiam Romanam eſt, extra ſalutem eſt.

COROLLARIVM III. Eccleſia Romana non poteſt errare, neque deficere. Quod intelligitur tam de Sede Apoſtolica, quæ Romæ eſt, quàm de ipſa Romana Eccleſia præciſè.

Fides Romanæ Eccleſiæ à Paulo celebratur.

COROLLARIVM IV. Eccleſia Romana eſt Iudex controuerſiarum in rebus fidei, & ipſius determinationes ſunt de fide.

Examinantur Romanæ Eccleſiæ articuli, & cum antiquorum Conciliorum Decretis confirmantur.

PRÆLVD. X. De Summo Pontifice Romano.

ASSERTIO I. Papa eſt ſucceſſor Petri, Chriſti Vicarius, & Eccleſiæ Caput.

Petrus Romæ ſedem fixit ex præcepto Dei.

Pontifex Romanus, non ſolùm quoad Eccleſiam Romanam præciſè, verùm & quoad præfecturam in toto Orbe ſuccedit Petro.

Principibus ſæcularibus nullum ius in Eccleſiam competit.

DVB. I. An hæreſis impediat, quò minùs quis ſit Papa.

DVB. II. An de facto aliquando Pontifices Romani hæretici fuerint.

DVB.

Digitized by Google

DVB. III. An defectus quoad mores impediant, ne quis ſit verus & legitimus Papa.

ASSERTIO II. De fide eſt dicere, hunc numero Papam, verbi gratia, Gregorium XV. eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium.

Præter hæc, quod ad ipſa Concilia attinet, Primò vnicuique Concilio ſuam temporis Chronologiam, in quo celebrata ſunt, adnectimus, atque vbi res poſtulat, ipſa Concilia propriis explicationibus illuſtramus. Deinde Summorum Pontificum, à quibus ſingula Concilia vel coacta vel confirmata ſunt. Imperatorum quoque qui eo tempore regnarunt, tempora ac nomina diſtinguimus. Demum, quænam cuiuſque Concilij conuocandi cauſa extiterit, fideliter aperimus.

Atque hæc quidem cùm prioribus Eccleſiæ temporibus vtilia viſa fuerint, tum maximè hac noſtra tempeſtate neceſſaria ſunt, in qua tot agreſtes feræ circa Domini vineam frementes antiqua Catholicorum dogmatum germina deuaſtare ac depopulari conantur. Quibus nihil magis funeſtum obiici ſolet, quàm ſacer atque vnanimis ſacrorum Conciliorum in Catholica fide aſſerenda conſenſus. Eo namque, ſicut olim Ariani, teſte S. Athanaſio, ita *S. Atha. ep. ad Epictet.* etiam hac noſtra tempeſtate ſectarij, tamquam validiſſimo iaculo confodiuntur. Quo fit, vt peſtilentibus atque inſidiantibus hæreticorum ſcriptis (vt ſancti Auguſtini *S. Aug. l. 1. ad Bonif. c. 1.* verbis vtar) medentia & munientia ſcripta demus, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipſa ſanetur, aut à lædendis aliis repellatur.

Hunc igitur meum qualemcumque laborem, benigne Lector, quem ad ampliorem Diuini nominis gloriam & Eccleſiæ profectum cedere quàm maximè opto, ita excipias velim, vt ſi quid minùs excultum ac elucubratum in eo offenderis, ſapientiori conſilio corrigas; ſi quid verò in eo commodi atque vtilitatis perceperis, Deo Opt. Max. gratias referas, qui dedit nobis benè velle, & perficere. Vniuerſa denique ita S.R.E. iudicio ſubiecta eſſe volo, vt quod illa probauerit, probem; quod improbauerit, ex animo improbem. Vale.

Digitized by Google

APPROBATIO.

*S*VMMAM *hanc Conciliorum vnà cum Annotationibus R.P.F. Franciſci Longi à Coriolano, Concionatoris noſtræ Religionis Capuccinorum, & Prouinciæ noſtræ Romanæ Diffinitoris, omni qua potui diligentia & attentione perlegi: Opus, mea quidem ſententia, tum ob accuratam Auctoris in colligendo dexteritatem, ſummamq́ eiuſdem in annotando eruditionem, cum etiam ob ſacram Eccleſiaſticæ diſciplinæ venerandam antiquitatem, totis præcordiis à cunctis Orthodoxis viris amplectendum. Quapropter operæpretium fore arbitror, vt ad communem Catholicæ Reipublicæ ſplendorem & vtilitatem quàm primùm excudatur. Datum Romæ Kal. Ianuarij,* M. DC. XXI.

Frater Dionyſius de Monte Falco Capuccinus, olim ſacræ Theologiæ Profeſſor.

EGO *Fr Paulus Romanus, in Conuentu S. Bonauenturæ Vrbis Ordinis Capuccinorum ſacræ Theologiæ Lector, ex commiſſione admodum R.P.F. Clementis à Noto eiuſdem Ordinis Generalis, vidi & perlegi Summam Conciliorum omnium à R. P. F. Franciſco Longo à Coriolano eiuſdem Ordinis Theologo compilatam, & variis Annotationibus illuſtratam: in qua nihil ſanæ doctrinæ vel bonis moribus repugnans, imò multa ad Eccleſiæ vtilitatem, & fidei propagationem & propugnationem, inueni; ideò dignam vt typis mandetur exiſtimo. Et in fidem propria manu ſcripſi & ſubſcripſi. Datum Romæ in ſupradicto Conuentu S. Bonauenturæ, prima die Ianuarij,* M. DC. XXI.

Frater Paulus Romanus manu propria.

FACVLTAS A R. P. GENERALI PRO OPERE IMPRIMENDO.

NOS *Fr Clemens à Noto Generalis Miniſter Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum, Summam Conciliorum vnà cum Annotationibus R.P.F. Franciſci à Coriolano eiuſdem Inſtituti, à quibuſdam noſtris Theologis de mandato noſtro reuiſam & approbatam, ſeruatis ſeruandis, typis mandari concedimus. Datum Veronæ die* XII. *Ianuarij,* M. DC. XXI.

Frater Clemens à Noto Miniſter Generalis.

CEN-

Digitized by Google

CENSORIS ORDINARII APPROBATIO.

SVMMA *hæc omnium* CONCILIORVM, *à* S. PETRO *adusque* GREGORIVM XV. *Papam, in Eccleſia legitimè celebratorum, & nonnulla ad eamdem rem Præludia, vnà cum Annotationibus in præcipua & difficillima Conciliorum loca, à* R. P. FRANCISCO A CORIOLANO, *magno ſtudio & maturo iudicio collecta, admodum erudita, & Chriſtianæ rei cùm publicæ tum priuatæ, Epiſcoporum præſertim, & animarum curam habentium, valdè opportuna mihi Infraſcripto ſunt viſa: cùm & in Præludiis Conciliorum ſumma neceſſitas & vtilitas ad oculum ſpectanda proponatur; in Annotationibus verò plurima ad ſacrorum Conciliorum intelligentiam pleniorem adducantur, & quæ in ipſis Concilijs ſapienter, & à Spiritu veritatis Eccleſiæ dato decreta ac definita ſunt, à difficultatum omnium nexibus vindicentur. Vt omittam alias rationes, quas benignus Lector ab Auctore reperiet Prologo inſertas. Quocircà tam hanc quàm illa digna iudicaui, quæ luce à Plantinianis typis acceptâ, publicentur ac diuulgentur. Antuerpiæ in Seminario Epiſcopali Kal. Iulij anni* M. DC. XXI.

Laur. Beyerlinck S.T.L. Canon. & Archipresbyter Eccleſ. Cathed. Antuerp. Librorumque Cenſor.

Digitized by Google

GREGORIVS PAPA XV.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM, ſicut dilectus filius Franciſcus à Coriolano, Ordinis Fratrum Minorum S.Franciſci, Capuccinorum nuncupatorum, Profeſſor, Nobis exponi fecit, ipſe vnum, Summam Conciliorum omnium, quæ à S.Petro vſque ad noſtra tempora celebrata ſunt, cum variis Annotationibus; ac aliud, Summam Theologicam S.Bonauenturæ ad inſtar Summæ S.Thomæ Aquinatis, variis itidem Annotationibus & Commentariis illuſtratam, & in ſeptem Tomos diſtributam; nec non alterum, ab eodem Franciſco aliàs impreſſum, ſed nunc tertiò multis in locis auctum & locupletatum, Tractatus de Caſibus reſeruatis iuxta decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri; nec non Breuiarium Chronologicum, reſpectiuè inſcripta Opera, in lucem edere intendat, ac vereatur, ne poſtquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, Opera huiuſmodi typis cudi facere curent, in ipſius Franciſci, ac ab eo cauſam habentium præiudicium. Nos eorum indemnitati, ne ex impreſſione huiuſmodi aliquod diſpendium patiantur, prouidere, ipſoſque ſpecialibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes: ſupplicationibus ipſius Franciſci nomine Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati, eidem Franciſco, ac ab eo cauſam habentibus prædictis, vt decennio proximo durante à primæua Operum huiuſmodi (dummodò tamen anteà à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici approbata fuerint) impreſſione computanda, nemo tam in Vrbe, quàm in vniuerſo ſtatu Eccleſiaſtico, mediatè vel immediatè nobis ſubiecto, Opera huiuſmodi ſine ſpeciali dicti Franciſci, ſeu ab eo cauſam habentium huiuſmodi licentia imprimere, ſeu ab alio vel aliis impreſſa vendere, ſeu venalia habere vel proponere poſsit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Inhibentes proptereà vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim

tim

tim librorum impreſſoribus, ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſsionis librorum & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia cauſam à dicto Franciſco habentibus prædictis, & pro reliqua tertiis partibus accuſatori & Iudici exequenti irremiſsibiliter applicandorum, eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante Opera prædicta, aut aliquam eorum partem, etiam prætextu additionum, aut explanationum, tam in magno quàm in paruo folio; ac tam in Vrbe, quàm in vniuerſo ſtatu Eccleſiaſtico prædictis ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab alio vel aliis impreſſa vendere, aut venalia habere vel proponere quoquo modo audeant ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, ac Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis iuſtitiæ miniſtris Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, ac locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus cauſam à dicto Franciſco habentibus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes quandocumque ab ipſis fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſuis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 7. Iunij, M. DC. XXI.

Scipio Cobel. Card. S. Suſanna.

PRIVILEGIVM CAESAREVM.

FERDINANDVS Secundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ,&c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundię, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tirolis,&c. Agnoſcimus, & notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Poſtquam nomine Religioſi deuoti nobis dilecti Fratris Franciſci Longi à Coriolano, Ordinem D. Franciſci Capuccinorum profeſſi, demiſsè nobis ſit expoſitum, ſingulari illius cura, aſſiduo ſtudio, & peruigili diligentia Opera nonnulla Theologica congeſta ſub hiſce titulis, Summa Conciliorum omnium, quę à S. Petro vſque ad Gregorium Papam XV. celebrata ſunt, cum variis Annotationibus: item, Summa Theologica S. Bonauenturæ, ad inſtar S. Thomæ Aquinatis, variis Notationibus illuſtrata, & in ſeptem Tomos diſtributa: necnon Tractatus de Caſibus reſeruatis iuxta Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. quæ nunc, vt in plurium vtilitatem fructus inde redundet, præli beneficio propediem ſint vulganda; metui autem, ne primam eorumdem editionem alij Typographi quæſtus cauſa, quod plerumque euenire ſoleat, præproperè aut vitioſè imitentur; adeoque cui ipſe Auctor operam hanc commiſerit, debito ſperatoque laboris & impendij ſui fructu ad alios iniquè tranſlato fraudetur: ac proinde ſuppliciter rogati ſimus, vt huic ſollicitudini ex benignitate noſtra Imperiali Diplomate Typographico ad certos annos indulto clementer conſulere dignaremur. Nos pro inclinatione noſtra ſingulari ad præclaros iſtiuſmodi conatus gratioſo patrocinio noſtro adiuuandos, precibus iſtiuſmodi, vt quæ æquitate nitebantur, haud grauatim annuimus. Ideoque vniuerſis & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuſcumque negotiationem librariam exercentibus firmiter ſerioque inhibemus, præcipimus, & vetamus, ne quis ſupradicta Opera, ſiue integra, ſiue diſpartita, citra conſenſum & voluntatem antememorati Auctoris, vel illius Typographi, quem ipſe ad hoc delegerit, intra decennium proximum à prima vulgationis die computandum recudere, vel alibi etiam quocumque modo, forma, typo, vel charactere impreſſa & recuſa, intra ſacri Romani Imperij fines, ſiue clàm ſiue palàm adducere, venumdare, vel diſtrahere præſumat. Si quis autem Edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non ſolùm eiuſmodi libris perperàm recuſis & apportatis, quos dictus Typographus, eiúſve heredes vbicum-

que

Digitized by Google

que inuenti fuerint, ſiue propria, ſiue Magiſtratus ibidem auctoritate atque auxilio ſibi vendicare poterunt, priuandum, ſed & pœna inſuper decem marcharum auri puri, cuius ſemis prædicto Typographo, eiúſve heredibus, alter verò ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, toties quoties contrafactum fuerit, pendatur, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus. Dummodò tamen huiuſmodi Opera nihil in ſe ſcandaloſum, aut Orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacríque Romani Imperij Conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in Præfatione, ſiue in contextu, ſeu aliàs quomodocumque contineant, & Typographus ipſe terna, vt minimum, dictorum Operum exemplaria ſuis ſumptibus quamprimùm ad Cancellariam noſtram Cæſaream tranſmiſerit. Mandamus ergo vniuerſis noſtris, & Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Ditionum noſtrarum hereditariarum ſubditis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel Superiorum nomine & loco ius ac iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè & impunè tranſgredi aut violare patiantur: quin potiùs contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eamdem mulctam euitare voluerint; harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in ciuitate noſtra Viennæ die decimanona menſis Martij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, Hungarici tertio, & Bohemici quarto.

FERDINANDVS.

De mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

Hermannus Queſtembergh.

SVM-

SVMMA DIPLOMATIS
REGIS CHRISTIANISSIMI.

PRIVILEGIO Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi conceſſo die 21. Iunij 1621. cautum eſt, ne quis Bibliopola aut Typographus in Regno Galliæ Opera Patris Fratris Franciſci Coriolani Capuccini, videlicet, Summam Conciliorum, variis Annotationibus illuſtratam; & Summam Theologicam S. Bonauenturæ, in ſeptem Tomos diſtributam; item Breuiarium Chronologicum; item Tractatum de Caſibus reſeruatis nunc tertiò recognitum, abſque Auctoris, aut ab eo cauſam habentis, licentia ad decennium imprimere, vel alibi impreſſa vendere audeat, ſub pœnis in Diplomate contentis.

VIRTVTE ſupradictorum Priuilegiorum facultatem do ego Frater Franciſcus Coriolanus Capuccinus Domino Balthaſari Moreto Typographo & Bibliopolę Antuerpienſi, vt noſtram Summam Conciliorum imprimere & vendere poſſit. Datũ Romę die IV. Febr. M.DC.XXII.

Ita eſt. Ego Fr Franciſcus Coriolanus manu propria.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit; ne quis *Summam Conciliorum omnium, quæ à* S. PETRO *vſque ad* GREGORIVM XV. *Papam hucuſque celebrata ſunt, iuxta Chronologiam Annalium Illuſtriſsimi Cardinalis Baronij præcipuè, necnon aliorum Illuſtrium virorum Eccleſiaſtica Hiſtoricaq; monumenta, adiunctis in loca præcipua & difficillima quamplurimis Annotationibus, Auctore Fratre Franciſco Longo à Coriolano Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem, vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, VI. Septembris, M.DC.XXI.

Signat.

De VVitte.

Digitized by Google

INDEX
CONCIL. OECVMENICORVM
APPROBATORVM, REPROBATORVM, ET PARTIM APPROBATORVM, PARTIM REPROBATORVM.

Concilia Generalia approbata ſunt XVIII.

PRIMVM *eſt* NICÆNVM, *quod celebratum eſt ab anno* 327. *vſque ad annum* 330. *qui fuit annus* 15. *Silueſtri Papæ, &* 20. *Conſtantini Imp. In hoc Concilio conuenerunt Epiſcopi* 318. *Et duæ potiſſimum controuerſiæ definitæ ſunt: Vna de die Paſchatis, vt die Dominico poſt quartam decimam lunam Martij celebretur: Altera de Diuinitate Chriſti, & cum Patre æqualitate, aduerſus Arianorum hæreſim.*

Secunda Synodus eſt CONSTANTINOPOLITANA, *celebrata anno* 381. *aduerſus Macedonium, negantem Spiritus ſancti Diuinitatem: Theodoſio ſeniore Imp. ac Damaſo Summo Pontifice. Ad quam conuenerunt Epiſcopi* 150.

Tertia Synodus eſt EPHESINA I. *quæ coacta eſt anno* 431. *Theodoſio Iuniore Imp. & Cæleſtino* I. *Summo Pontifice: ad quam conuenerunt Epiſcopi* 200. *In hac Synodo Cyrillus Alexandrinus locum Romani Pontificis obtinebat. Cauſa Concilij fuit Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolitani noua hæreſis, quæ Chriſtum in duas perſonas diuidebat.*

Quarta Synodus eſt CHALCEDONENSIS, *quæ anno* 451. *collecta eſt aduerſus hæreſim Eutychetis Archimandritæ, quæ vnam tantùm in Chriſto naturam aſſerebat poſt Incarnationem. Acta verò eſt hæc Synodus Leone* I. *Summo Pontifice, & Marciano Auguſto. Adfuerunt in ea* 630. *Epiſcopi.*

Quinta Synodus Generalis fuit CONSTANTINOPOLITANA II. *habita anno* 553. *qui fuit annus* 12. *Conſtantini* IV. *Imper. Ad quam conuenerunt Epiſcopi* 289. *& Legati Agathonis Papæ. A quibus damnata eſt eorum hæreſis, qui vnam tantum voluntatem in Chriſto eſſe volebant.*

Sexta Synodus Generalis fuit CONSTANTINOPOLITANA III. *celebrata anno* 680. *aduerſus Monothelitas, Conſtantino Pogonato Imp. & Papæ Agathonis Legati præſederunt.*

Septima Synodus fuit NICÆNA II. *anno* 787. *ſub Adriano Papa, & Conſtantino Imp. celebrata ab Epiſcopis* 350. *præſidentibus Legatis Romani Pontificis: coacta fuit hæc Synodus aduerſus Iconomachos, qui ſacras Chriſti & Sanctorum Imagines omni honore ſpoliabant.*

Octaua Synodus eſt CONSTANTINOPOLITANA IV. *quæ celebrata eſt*

Digitized by Google

eſt anno 869. *Adriano* II. *Summo Pontifice, & Baſilio Auguſto. Conuenerunt Epiſcopi* 383. *aduerſus Photium intruſum, qui depoſitus eſt, & Ignatius anteà iniuſtè depoſitus reſtituitur: Imaginibúſque honor redditur.*

Nonum Concilium eſt LATERANENSE I. *Epiſcoporum* 300. *& amplius, anno* 1122. *contra Saracenos, pro recuperanda Terra ſancta, tempore Calixti* II. *& Henrici* V. *Imp.*

Decimum eſt LATERANENSE II. *Epiſcoporum mille, anno* 1135. *contra Antipapas, & pro iure Cleri tempore Innocentij* II. *& Lotharij Imperatoris.*

Undecimum eſt LATERANENSE III. *Epiſcoporum ferè* 300. *pro reformatione Eccleſiæ, & contra VValdenſes, anno* 1179. *tempore Alexandri* III. *& Friderici Imperatoris.*

Duodecimum eſt LATERANENSE IV. *Patrum* 1283. *anno* 1215. *contra varias hæreſes, & pro Terra ſancta recuperanda, tempore Innocentij* III. *& Friderici Imperatoris.*

Tertiumdecimum eſt LVGDVNENSE I. *anno* 1245. *contra Imperatorem Fridericum, & pro Terra ſancta recuperanda, tempore Innocentij* IV.

Quartumdecimum eſt LVGDVNENSE II. *Patrum ferè mille, contra errorem Græcorum, tempore Gregorij* X. *& Rodulphi Imperatoris anno* 1274.

Quintumdecimum eſt VIENNENSE *anno* 1311. *Epiſcoporum* 300. *contra varias hæreſes, tempore Clementis* V. *& Henrici* VII. *Imperatoris.*

Sextumdecimum eſt FLORENTINVM *anno* 1438. *Patrum* 141. *contra errores Græcorum, tempore Eugenij* IV. *& Alberti Imperatoris.*

Decimumſeptimum eſt LATERANENSE V. *anno* 1517. *Patrum* 114. *contra ſchiſmata, & pro variis negotiis, tempore Iulij* II. *& Leonis* X. *& Maximiliani Imp.*

Decimumoctauum eſt TRIDENTINVM, *anno* 1545. *inchoatum, &* 1563. *abſolutum. Coacta fuit hæc Synodus contra hæreſes Lutheranorum, & pro Eccleſiæ reformatione, tempore Pauli* III. *Iulij* III. *ac Pij* IV. *& Caroli* V. *ac Ferdinandi Imperatorum.*

Concilia Generalia reprobata ſunt VII.

PRIMVM *eſt* ANTIOCHENVM, *anno* 345. *anno quinto Conſtantij Imperatoris, in quo damnatus eſt Athanaſius, & via patefacta ad euerſionem Concilij Niceni.*

Secundum eſt MEDIOLANENSE, *Epiſcoporum pluſquam* 300. *anno* 354. *tempore eiuſdem Conſtantij, in quo etiam obliquè fides Catholica damnata eſt.*

Ter-

Digitized by Google

Tertium eſt ARIMINENSE, *Epiſcoporum* 600. *ſub eodem Conſtantio, anno* 363. *in quo ſublatum eſt de Symbolo nomen* ὁμοούσιος.

Quartum eſt EPHESINVM II. *tempore Theodoſij Iunioris, anno* 459. *in quo factione Dioſcori occiſus eſt S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati; ac demum hæreſis Eutychiana confirmata.*

Quintum eſt Concilium CONSTANTINOPOLITANVM *ſub Leone Iſauro contra ſacras Imagines, anno* 728. *qui fuit* 13. *Imperij eiuſdem. Interfuit huic Concilio S. Germanus Patriarcha, qui quia non conſenſit, à ſua Sede Conſtantinopolitana deiectus eſt.*

Sextum eſt Concilium CONSTANTINOPOLITANVM *ſub Conſtantino Copronymo, anno* 754. *conuenerunt Epiſcopi* 338. *ſed nullus adfuit Patriarcharum, excepto Pſeudoepiſcopo Conſtantinopolitano. Definitum eſt in hoc Concilio abolendas eſſe Chriſti & Sanctorum Imagines. Reprobatum eſt hoc Concilium in* VII. *Synodo, Act.* 6.

Septimum eſt Concilium PISANVM *anno* 1511. *congregatum ab Imperatore & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus, contra Iulium* III. *Papam. Reprobatum eſt paulo poſt in Concilio Lateranenſi ſub Iulio* III. *Seſſione* 2. & 3.

Concilia partim approbata & partim reprobata, ſunt VI.

PRIMVM SARDICENSE, *Epiſcoporum* 376. *anno Domini* 347. *tempore Conſtantij Imperatoris & Iulij* I. *Papæ: ex quibus* 300. *Epiſcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in lib. de Synodis: reliqui* 76. *Epiſcopi Orientales fidem Arianam ſcripſerunt.*

Secundum eſt Concilium SYRMIENSE, *quod celebratum eſt annis quinque poſt Sardicenſe, hoc eſt, anno Domini* 356. *Liberio Summo Pontifice & Conſtantio Imperatore. In hoc enim Concilio duæ Formulæ fidei diſſentientes inter ſe editæ ſunt.*

Tertium eſt Concilium QVINISEXTVM *anno* 692. *celebratum, in quo continentur Canones Trullani, qui partim ſunt reprobati, quia ſine vlla auctoritate Summi Pontificis id fecerunt, & apertè Sergius Papa, qui tunc viuebat, reprobauit hanc erraticam Synodum. Partim ſunt approbati, quia etſi Canones illi ex ſe nullam vim habeant; aliqui tamen poſteà probati ſunt à Pontifice aut aliis legitimis Conciliis, qualis eſt Canon* 82. *De pingendis Imaginibus, receptus ab Adriano Papa, &* VII. *Synodo.*

Quartum eſt Concilium FRANCOFORDIENSE, *quod celebratum eſt anno* 794. *Adriano* I. *Pontifice, & Carolo Magno Francorum Rege. Hoc Concilium ab Adriano confirmatum fuit quantum ad eam partem, in qua definitur, Chriſtum non eſſe filium Dei adoptiuum; & ab eodem reprobatur quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur* VII. *Synodus.*

Digitized by Google

Quintum eſt Concilium CONSTANTIENSE, *Patrum ferè mille: quod quidem, quantum ad primas Seſsiones, vbi definit, Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatur in Concilio Florentino, & Lateranenſi vltimo: quantum verò ad vltimas Seſsiones, & ea omnia quæ probauit Martinus* V. *ab omnibus Catholicis recipitur.*

Sextum eſt Concilium BASILEENSE, *cuius nihil eſt ratum & probatum, niſi quædam diſpoſitiones circa Beneficia, quæ à Concilio factæ fuerant, quas pacis & vnitatis gratia Nicolaus Papa approbauit. Concilium verò ipſum reprobatur in Concilio Lateranenſi vltimo, Seſſ. 2.*

De Concilio Piſano.

CONCILIVM PISANVM *anno* 1409. *celebratum, non eſt manifeſtè nec probatum, nec reprobatum: nam ex vna parte depoſitis Gregorio* XII. *& Benedicto* XIII. *elegit Alexandrum* V. *qui inter veros Pontifices numeratur: ex altera verò S. Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. aſſerit ipſum eſſe Conciliabulum: & euentus idem oſtendiſſe videtur: quia coactum fuit Concilium ad ſchiſma tollendum, & tamen illud non ſuſtulit, ſed auxit. Si verò abſolutè fuiſſet reprobatum; vtique Alexander* VI. *ſe non Sextum, ſed Quintum appellaſſet.*

IN-

INDEX ET SERIES ROMANORVM PONTIFICVM,

qui in Eccleſia à CHRISTO DOMINO *ad hac vſque noſtra tempora regnarunt: iuxta antiquam ac veriſsimam tum* ROMANÆ ECCLESIÆ, *tum concordem* HISTORICORVM *ſententiam.*

SANCTI Patres hanc vnam, ceteris Eccleſiis poſthabitis, in Romana Eccleſia Pontificum incorruptã ſucceſſionem tanti fecerunt, vt eo velut fortiſſimo demonſtrationis genere, ad veram tum doctrinam tum Religionem probandam, vſi fuerint. Nam Irenæus lib. 3. cap. 3. nulla aliarum Eccleſiarum ſucceſſionis habita ratione, Romanæ tantummodò Eccleſiæ Pontifices à Petro vſque ad Eleutherium tunc ſedentem enumerat, vt veram Eccleſiam, & cum ea veram doctrinam oſtendat, quæ veræ Eccleſiæ eſt comes. Et lib. 4. cap. 42. *Quapropter*, ait, *eis qui ſunt in Eccleſia, Presbyteris obaudire oportet, hijs qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione, chariſma veritatis certum acceperunt: reliquos vero, qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocumque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & mala ſententia.* Et Tertullianus, qui ſecunda Eccleſiæ ætate poſt Irenæum vixit, in lib. de Præſcription. cùm Alexandrinæ Eccleſiæ, quæ à Marco fundata fuerat, aut Ieroſolymitanæ, quæ à Iacobo, Epiſcopos recenſere potuiſſet, quilin his adhuc Eccleſiis incorrupta ſucceſſione vigebant; ſola Romanorum Pontificum ſucceſſione, aduerſus hæreticos præſcribit, his verbis: *Si qua audent* (inquit cap. 32.) *ſe interſerere ætati Apoſtolicæ, vt ideò videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; poſſumus dicere: Edant ergo origines ſuarum Eccleſiarum, euoluant ordinem ſuorum Epiſcoporum ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel ex Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt.* Hieronymus contra Lucifer. cap. 9. illam tantùm veram Eccleſiam eſſe affirmat, in qua Apoſtolica hæc ſucceſſio viget: *In illa Eccleſia*, inquit, *permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad hanc diem durat.* Auguſtinus paſſim ac copioſè hanc doctrinam tradit: nam contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. præcipuè hoc argumento inter cetera, ſe in Eccleſia Catholica teneri affirmat: *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli vſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſsio Sacerdotum.* Idem quoque habet ſuper Pſal. 44. explicans locum illum: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* Hoc ipſum etiam diſertè docent Optatus Mileuitanus lib. 3. contra Parmen. Epiphanius Hæreſi 27. Athanaſius Orat. 2. contra Arian. & in Quæſtionibus ad Antioch. q. 44. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 6. & alij Patres vnanimi conſenſu id docent. Series ergo & ſucceſſio Romanorum Pontificum ſic eſt:

Primus, IESVS CHRISTVS Summus Pontifex, ac Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech, totius Eccleſiæ caput à Deo conſtitutus, cùm Pontificatum triginta tribus annis ac tribus ferè menſibus tenuiſſet, Petrum totius Catholicæ Eccleſiæ Pontificem ſibi Vicarium inſtituit, tum Romanæ Eccleſię Epiſcopũ deſtinauit, anno ſalutis 34.

PETRVS ſecundus Pontifex, Chriſti Vicarius, cùm Antiochiæ ſeptem annis ſediſſet, poſteà iubente Chriſto Romam venit ſub Tiberio Cæſare, & Romanam Cathedram viginti quinque annis adminiſtrauit, ac Romanus Pontifex primus appellatus eſt. Tum Petro ſucceſſit Linus.

LINVS ergo, qui primus poſt Petrum gubernauit Eccleſiam, cùm ſediſſet annos vndecim, menſes duos, dies vigintitres, capitali ſupplicio afficitur.

CLETVS, qui præfuit Eccleſiæ annis duodecim, mẽſibus ſeptem, diebus duobus, Domitiano Imp. martyrio coronatus eſt.

CLEMENS Romanus vixit in Pontificatu annos nouem, menſes ſex. Martyr.

ANACLETVS Græcus, poſt Interregnum quatuor menſium & decem dierum, Pontifex eligitur, ſedit annos nouem, menſes duos, & dies decem. Martyr.

EVARISTVS Græcus ſedit annos decem, menſes ſeptem, dies duos. Martyr.

ALEXANDER Romanus ſedit annos decem, menſes ſeptem, & dies duos. Martyr.

SIXTVS Romanus ſedit annos decem, menſes tres, dies viginti vnum. Martyr.

TELESPHORVS Græcus ſedit annos

Digitized by Google

nos vndecim, menſes tres. Martyr.

Hyginvs Græcus ſedit annos quatuor, menſes tres.

Pivs Aquileienſis ſedit annos nouem, menſes ſex. Martyr.

Anicetvs Syrus ſedit annos nouem, (alij vndecim) menſes quatuor. Martyr.

Soter Fundanus ſedit annos quinque, (alij nouem) menſes tres, dies viginti vnum. Martyr.

Elevtherivs Græcus ſedit annos quindecim, dies viginti tres. Martyr.

Victor Afer vixit in Pontificatu annos nouem, menſem vnum, & dies viginti octo. Martyr.

Zephyrinvs Romanus ſedit annos decem & octo, totidemque dies. Martyr.

Calixtvs Romanus ſedit annos quinque, menſes decem. Martyr.

Vrbanvs Romanus ſedit annos ſex (alij quatuor) menſes decem. Martyr.

Pontianvs Romanus vixit in Pontificatu annos quinque, (alij nouem) menſes quinque. Martyr.

Antervs Græcus ſedit annum vnum, menſem vnum: alij dicunt quòd ſedit annos vndecim. Martyr.

Fabianvs Romanus ſedit annos quatuordecim. Martyr.

Cornelivs Romanus ſedit annos duos, menſes duos. Martyr.

Lvcivs Romanus ſedit annum vnum, (alij tres) menſes octo.

Stephanvs Romanus ſedit annos tres (alij ſeptem) menſes quinque. Martyr.

Sixtvs II. Grecus ſedit annum vnum, menſes vndecim. Martyr.

Dionysivs, cuius originem Damaſus inuenire non potuit, ſedit annos vndecim, (alij ſex) menſes duos.

Felix Romanus ſedit annos duos, menſes quinque. Martyr.

Evtychianvs Tuſcus ſedit annos nouem. Martyr.

Caivs Dalmata ſedit annos duodecim, menſes quatuor. Martyr.

Marcellinvs Romanus ſedit annos ſeptem, menſes vndecim, dies viginti tres. Martyr.

Marcellvs Romanus ſedit annos quinque, menſes ſex, dies viginti vnum. Martyr.

Evsebivs Græcus ſedit annos duos, (alij ſex) menſes ſeptem.

Melchiades Afer ſedit annos duos, menſes duos. Martyr.

Silvester Romanus ſedit annos viginti vnum, menſes decem.

Marcvs Romanus vixit in Pontificatu duobus annis, menſibus octo, & diebus viginti.

Ivlivs Romanus ſedit annos quindecim, menſes duos.

Liberivs Romanus } ab anno 352. vſq;
Felix Romanus } ad annum 367.

Damasvs Hiſpanus Luſitanus ſedit vſque ad annum decimum octauum inchoatum.

Siricivs Romanus ſedit annos tredecim; alij quindecim.

Anastasivs Romanus ſedit annos quatuor.

Innocentivs Albanus ſedit annos quindecim, menſes tres.

Zosimvs Græcus ſedit annum vnum, menſes tres, dies duodecim.

Bonifacivs Romanus ſedit annos quatuor, menſes decem.

Cælestinvs Campanus ſedit annos octo, menſes quinque, dies decem & ſeptem.

Sixtvs III. Romanus ſedit annos octo.

Leo Magnus Tuſcus, ſedit annos viginti vnum, dies tredecim.

Hilarivs Sardus ſedit annos ſex, menſes decem.

Simplicivs Tiburtinus ſedit annos quindecim, menſes quinque.

Felix III. Romanus ſedit annos nouē.

Gelasivs Afer ſedit annos quatuor, menſes octo, dies decem & ſeptem.

Anastasivs II. Romanus ſedit annos duos.

Symmachvs Sardus ſedit annos quindecim, menſes octo.

Hormisda Fruſinonius ſedit annos nouem, dies octodecim.

Ioannes Tuſcus ſedit annos duos, menſes nouem, dies quatuordecim.

Felix IV. Samius ſedit annos quatuor, menſes duos, dies tredecim.

Bonifacivs II. Romanus ſedit annos duos.

Ioannes II. Romanus ſedit annos tres.

Agapetvs Romanus ſedit annos duos, dies viginti vnum.

Silverivs Campanus ſedit annos tres, & quartum inchoauit.

Vigilivs Romanus ſedit annos quindecim, menſes ſex, dies viginti ſex.

Pelagivs Romanus ſedit annos quatuor, menſes decem, dies decem & octo.

Ioannes III. Romanus ſedit annos tredecim.

Benedictvs Romanus, ſedit annos quatuor, menſes duos.

Digitized by Google

Pelagivs II. Romanus ſedit annos duodecim, menſes tres.

Gregorivs Magnus Romanus ſedit annos tredecim, menſes tres, dies decem.

Sabinianvs, cuius patria ignoratur, ſedit menſes quinque, dies decem & nouem.

Bonifacivs III. Romanus ſedit menſes nouem.

Bonifacivs IV. ex Valeria Marſorum ciuitate, ſedit annos ſex, menſes octo.

Devsdedit Romanus ſedit annos tres.

Bonifacivs V. Neapolitanus ſedit annos ſeptem, menſes decem.

Honorivs Campanus, ſedit annos duodecim, menſes quinque, dies decem & ſeptem.

Severinvs Romanus Pontificatus ſui anno primo moritur.

Ioannes IV. Dalmata, Pontificatus ſui anno primo, menſe nono, die nono moritur.

Theodorvs Græcus ſedit annos ſeptem, menſes quinque.

Martinvs Tridentinus ſedit annos ſex, menſes tres, dies duodecim. Martyr.

Evgenivs, qui per imaginẽ quamdam ſedebat, mortuo prædeceſſore, legitimus iam Pontifex nouo accedente conſenſu, ſedere cœpit. Qui tamen cùm ſediſſet ab obitu Martini legitimè menſes ſex, dies 23. ſecunda die Iunij moritur.

Vitalianvs Segninus ſedit annos quatuordecim, menſes quinque.

Adeodatvs Romanus ſedit annos ſeptem, menſes duos.

Donvs Romanus ſedit annos duos.

Agatho Siculus ſedit annos quatuor.

Leo II. Siculus ſedit menſes decem.

Benedictvs II. Romanus ſedit menſes decem.

Ioannes V. Syrus ſedit annum vnum & dies vndecim.

Conon Thrax ſedit menſes vndecim, & dies viginti tres.

Sergivs Syrus ſedit annos tredecim, menſes octo, dies viginti tres.

Ioannes VI. Græcus ſedit annos tres, menſes duos, dies duodecim.

Ioannes VII. Grçcus ſedit annos duos, menſes ſeptem, dies decem & ſeptem.

Sisinnivs Syrus, vigeſimo Pontificatus die, ſeptima Februarij repentinè moritur.

Constantinvs Syrus ſedit annos ſex, menſem vnum.

Gregorivs II. Romanus ſedit annos ſexdecim, menſes octo, dies viginti.

Gregorivs III. Syrus ſedit annos decem, menſes nouem.

Zacharias Græcus ſedit annos decem, menſes tres.

Stephanvs II. poſt quartum diem vita fungitur, & ob temporis breuitatem in ſerie Romanorum Pontificum à nonnullis omittitur, cùm tamen verè Pontifex fuerit.

Stephanvs III. Romanus ſedit annos quinque, & dies viginti octo.

Pavlvs Diaconus eius frater, illi in Pontificatu ſubrogatur: ſedit annos decem, & menſem vnum.

Stephanvs IV. Siculus ſedit annos tres, menſes ſex.

Adrianvs Romanus ſedit annos viginti tres, menſes decem, dies tredecim.

Leo III. eodem die obitus Adriani, magno omnium conſenſu ſubrogatus eſt, Romanus, ſedit annos viginti, menſes quinque, dies decem & ſeptem.

Stephanvs V. Romanus ſedit menſes ſeptem.

Paschalis Romanus, inuitus & reluctans è Monaſterio S. Stephani eductus, cui præſidebat, Pontifex creatur: ſedit annos ſeptem, menſes tres, dies ſexdecim.

Evgenivs II. Romanus ſedit annos tres, menſes duos.

Valentinvs Romanus ſedit dies quadraginta.

Gregorivs IV. inuitus & renitens, ac latebras quærens, Pontifex eligitur: ſedit annos ſexdecim.

Sergivs ſedit annos tres, & menſem vnum.

Leo IV. Romanus ſedit annos octo, menſes tres.

Hic fingitur Ioannis Papæ feminæ fabula.

Benedictvs III. defuncto Leoni abſque mora ſubrogatur omnium conſenſu; ſed Pontificatus ſui anno ſecundo, menſe ſexto, die nono moritur.

Nicolavs Romanus fugiens, & tantum onus declinans, à S. Petri Baſilica abſtractus, ſacris acclamationibus in Patriarchium Lateranenſe introductus, Apoſtolico ſolio imponitur: ſedit annos nouem, menſes ſex, dies viginti.

Adrianvs II. Romanus, poſt menſis vacationem, admirabili omnium ordinum conſenſu eligitur: ſedit annos quatuor, menſes decem.

Ioannes VIII. Romanus ſedit annos decem.

Marinvs ſedit annum vnum & dies viginti.

Adrianvs III. ſedit annum vnum,

*** 3 men-

menſes tres, dies decem & nouem.

STEPHANVS VI. dictus V. ſedit annos ſex.

FORMOSVS Portuenſis, cuius mors incerta.

STEPHANVS VII. dictus VI. ſubrogatur, pulſo Bonifacio intruſo, ab intruſo: in ſerie tamen Pontificum numeratur, quia ad periculum ſchiſmatis auertendum, illum vniuerſus Clerus approbauit, totaque Chriſti Eccleſia pro Chriſti Vicario & Petri ſucceſſore agnouit; ſed præualente poſteà in Vrbe Romanorum factione aduerſus Adalbertum Tuſciæ Marchionem, Stephanus Apoſtolicæ Sedis inuaſor & ipſe pulſus, detruditur in carcerem, vbi ſtrangulatur, & creatur

ROMANVS quidam nomine, quem vixiſſe tantùm menſes quatuor & dies viginti tradunt.

THEODORVS II. Romanus die vigeſimo ſui Pontificatus moritur.

IOANNES IX. Tiburtinus ſedit annos tres, & dies quindecim.

BENEDICTVS IV. Romanus ſedit annos duos circiter.

LEO V. Ardeatinus poſt quadraginta dies moritur.

SERGIVS III. poſt annos duos moritur.

ANASTASIVS III. Romanus ſedit annos duos, & totidem menſes.

LANDO ſucceſſit Anaſtaſio defuncto: ſed modico interlapſo tempore, ex hac vita migrauit.

IOANNES X. Romanus ſedit annos ſexdecim.

LEO VI. Romanus ſeptimo menſe, die decimoquinto Pontificatus ſui moritur.

STEPHANVS VIII. dictus VII. Romanus, ſedit annos duos, menſem vnum.

IOANNES XI. ſedit annos quinque.

LEO VII. Romanus ſedit annos tres, menſes ſex.

STEPHANVS IX. Germanus ſedit annos tres, menſes quatuor.

MARINVS II. ſedit annos tres, menſes tres, dies tredecim.

AGAPETVS II. Romanus ſedit annos decem, menſes & dies decem.

IOANNES XII. Romanus ſedit annos nouem.

BENEDICTVS V. cuius obitus neſcitur annus certus.

IOANNES XIII. Romanus ſedit annos ſex, menſes vndecim.

DONVS II. Romanus poſt tertium menſem obiit.

BENEDICTVS VI. Romanus: qui à Bonifacio Francone Cardinale ſceleſtiſſimo viro capitur, in carcerem detruditur, & ſtrangulatur. Sedit annum vnum, menſes tres, & dies aliquot.

BENEDICTVS VII. Romanus ſedit annos nouem.

IOANNES XIV. à præfato Bonifacio etiam in carcerem detruſus, fame periit.

IOANNES XV. Romanus ſedit annos decem, & menſes aliquot.

GREGORIVS V. ſedit annos duos, menſes circiter octo.

SILVESTER II. ſedit annos tres.

IOANNES XVI. alijs XVII. poſt quinque menſes moritur.

IOANNES XVII. alijs XVIII. ſedit annos ſex.

SERGIVS IV. Romanus ſedit annos duos, menſes octo.

BENEDICTVS VIII. ſedit annos duodecim.

IOANNES XVIII. alijs XIX. alijs XX. ſedit annos decem, & menſes aliquot.

BENEDICTVS IX. Tuſculanus, qui cùm non rectè viueret, & Silueſter Sedem inuaſiſſet, ille à Gratiano, iſte à B. Nilo perſuaſus, Sedem depoſuerunt, & omnes vnanimi conſenſu ipſum Gratianum, tamquam Eccleſiæ Dei liberatorem elegerunt, eumq; mutato nomine

GREGORIVM VI. vocauerunt; ſed cùm videret durum ſchiſma conflandum, Gregorium Nazianzenum imitatus, ſponte Pontificia dignitate ſe priuauit, eique ceſſit.

CLEMENS II. qui veneno potatus, poſt nonum menſem vltra montes defunctus eſt.

DAMASVS II. Bauarus per vim ſedem occupans, nullo Cleri populique conſenſu: ſed vigeſimo tertio ſui Pontificatus die moritur. Veneno aiunt eſſe à Benedicto illo Sedis Apoſtolicæ inuaſore ſublatum.

LEO IX. ſedit annos quinque, menſes duos.

VICTOR II. ſedit annos duos, menſes tres.

STEPHANVS X. moritur Pontificatus ſui menſe nono.

NICOLAVS II. Florentinus ſedit annos duos.

ALEXANDER II. Mediolanenſis ſedit annos vndecim.

GREGORIVS VII. ſedit annos duodecim.

VICTOR III. ſedit annos duos & menſes aliquot.

VRBANVS II. ſedit annos duodecim.

PA-

Digitized by Google

PASCHALIS II. Tuſcus ſedit annos decem & octo.

GELASIVS ſedit annum vnum.

CALIXTVS II. ſedit annos quinque.

HONORIVS II. ſedit annos quinque.

INNOCENTIVS II. ſedit annos tredecim.

CÆLESTINVS II. vixit in Pontificatu menſes quinque.

LVCIVS II. Bononienſis ſedit aliquot menſes.

EVGENIVS III. ſedit annos nouem.

ANASTASIVS IV. vixit in Pontificatu menſes quinque.

ADRIANVS IV. ſedit annos quatuor, menſes decem.

ALEXANDER III. Tuſcus ſedit annos viginti tres & aliquot menſes. Hic Pontifex ad dies Petri plus ceteris Pontificibus propinquiùs acceſſit.

LVCIVS III. Tuſcus ſedit annos quatuor, menſes duos, dies decem & octo.

VRBANVS III. Mediolanenſis, ſedit annum vnum, menſes decem, dies vigintiquinque.

GREGORIVS VIII. ſedit tantùm menſem vnum, & dies viginti ſeptem.

CLEMENS III. Romanus ſedit annos duos & aliquot menſes.

CÆLESTINVS III. Romanus ſedit annos ſex & aliquot menſes.

INNOCENTIVS III. Anagninus ſedit annos decem & octo, menſes ſex.

HONORIVS III. Romanus ſedit annos decem, menſes ſeptem.

GREGORIVS IX. Anagninus ſedit annos quindecim.

CÆLESTINVS IV. decimo octauo ſui Pontificatus die moritur.

Vacat Sedes anno vno & ampliùs, quia Fridericus Imperator tres Cardinales in carcere detinebat.

INNOCENTIVS IV. Genuenſis ſedit annos vndecim, menſes quinque.

ALEXANDER IV. Segninus ſedit annos ſex, menſes quinque.

VRBANVS IV. ſedit annos nouem & aliquot menſes.

CLEMENS IV. Gallus ſedit annos tres.

Vacauit Sedes biennio, & tribus menſibus.

GREGORIVS X. Placentinus ſedit annos quinque.

INNOCENTIVS V. poſt quintum menſem & aliquot dies, im prouiſa morte ſublatus eſt.

ADRIANVS V. Genuenſis aliquot dies vixit.

IOANNES XXI. Vlyſipponenſis ſedit octo menſes & aliquot dies.

NICOLAVS III. Romanus ſedit annos tres & aliquot menſes.

MARTINVS II. dictus IV. ſedit annos quatuor, menſem vnum.

HONORIVS IV. Romanus ſedit annos duos.

NICOLAVS IV. ex Ordine Minorum, Aſculanus, ſedit annos quinque & aliquot menſes.

CÆLESTINVS V. Moronus poſt quinque menſes cedit Papatui.

BONIFACIVS VIII. Anagninus ſedit annos nouem.

BENEDICTVS X. dictus XI. ſedit menſes octo, dies decem & ſeptem.

CLEMENS V. Guaſconus ſedit annos octo, menſes decem, dies quindecim.

IOANNES XXI. dictus XXII. ſedit annos decem & ſeptem.

BENEDICTVS XII. ſedit annos ſeptem, menſes quatuor.

CLEMENS VI. Lemouicenſis ſedit annos decem, menſes ſex, dies decem & octo.

INNOCENTIVS VI. Lemouicenſis ſedit annos nouem, menſes ſeptem.

VRBANVS V. Lemouicenſis ſedit annos octo, menſes tres.

GREGORIVS XI. Lemouicenſis ſedit annos ſeptem, menſes quinque.

VRBANVS VI. Neapolitanus ſedit annos duos, dies viginti & vnum.

GREGORIVS XII. Venetus, qui vt ſchiſma ab Eccleſia tolleretur, ſponte cedit Papatui; & à Cardinalibus depoſito Benedicto Antipapa,

ALEXANDRVM V. Minoritam creatunt, viuente adhuc Gregorio XII. quo Pontificatus ſui menſe octauo mortuo, creatur

IOANNES XXIII. dictus XXIV. Neapolitanus, qui tamen à Concilio Conſtantienſi depoſitus fuit: & ipſe ſuæ depoſitioni aſſenſum præbuit.

MARTINVS V. Romanus ſedit annos tredecim, menſes tres.

EVGENIVS IV. ſedit annos ſexdecim.

NICOLAVS V. Sarzanus ſedit annis octo, & diebus decem & nouem.

CALIXTVS III. Hiſpanus ſedit annos tres, menſes quatuor.

PIVS II. Pientinus ſedit annos ſex.

PAVLVS II. Venetus ſedit annos ſex, menſes decem.

SIXTVS

Digitized by Google

SIXTVS IV. Ligur, ex Ordine Minorum, ſedit annos vndecim & aliquot menſes.

INNOCENTIVS VIII. Genuenſis ſedit annos ſeptem, & aliquot menſes.

ALEXANDER VI. Hiſpanus ſedit annos vndecim, menſes octo.

PIVS III. Hetruſcus die vigeſimaſexta ſui Pontificatus moritur.

IVLIVS II. Ligur ſedit annos nouem.

LEO X. Florentinus ſedit annos octo.

ADRIANVS VI. Teutonicus, ſedit annum vnum, menſes octo, dies viginti quatuor.

CLEMENS VII. Florentinus ſedit annos decem.

PAVLVS III. Romanus ſedit annos quindecim & dies vigintiquinque.

IVLIVS III. Italus ſedit annos quatuor & aliquot menſes.

MARCELLVS II. poſt diem vigeſimumſecundum ſui Pontificatus moritur.

PAVLVS IV. Neapolitanus ſedit annos quatuor & aliquot menſes.

PIVS IV. Mediolanenſis ſedit annos quinque & menſes aliquot.

PIVS V. Alexandrinus ſedit annos quinque & aliquot menſes.

GREGORIVS XIII. Bononienſis ſedit annos duodecim, menſes decem, dies viginti ſeptem.

SIXTVS V. Picenus ſedit annos quinque, menſes quatuor.

VRBANVS VII. Romanus die duodecima à ſua aſſumptione moritur.

GREGORIVS XIV. Mediolanenſis ſedit annum vnum & aliquot menſes.

INNOCENTIVS IX. Bononienſis, poſt duos menſes moritur.

CLEMENS VIII. Florentinus ſedit in Pontificatu annos tredecim & menſem vnum.

LEO XI. Florentinus poſt viginti ſex dies à ſua aſſumptione moritur.

PAVLVS V. Romanus ſedit annos quindecim & aliquot menſes.

GREGORIVS XV. Bononienſis, qui modò viuit, & felix regnat.

by Google

IN SVMMAM CONCILIORVM PRÆLVDIVM PRIMVM.

An inſtitutio Conciliorum ſit de Iure diuino, vel poſitiuo.

ANTEQVAM propoſitam difficultatem determinemus, præmittendum exiſtimo, quòd licet vox *Concilium* inueniatur paſſim in Teſtamento veteri & nouo pro Congregatione; vox nihilominùs *Synodus* non inuenitur: nam vbi Latinè legimus *Concilium*, in Scripturis Hebraicè eſt *Sanhedrim*, Græcè *Synagoga*. Nomen autem Synodi repetitur primò in Canonibus Apoſtolorum, Can.38. ac deinceps in omnibus Conciliis, & Auctoribus. Vnde licet ter in anno præceperit Deus vt fieret Concilium, in Paſchate, in Pentecoſte, & in Tabernaculorum ſolemnitate, Exod.23. & 24. Deut.16. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino.* & Ioſephus eam legem lib.4.cap.8. exponens, dicat: *In ſacram vrbem & Templum ter in anno Conuentus fiat Hebræorum ex vniuerſa eorum ditione*; nihilominùs conuentus iſti, *Synodus* vel *Synodi*, propriè vocari non poſſunt, eam ob cauſam, quòd ad diſcendam & exercendam, non diſceptandam Religionem conuentum fuerit. Hoc enim Synodi proprium eſt, quòd ab aliis congreſſibus diſtet, quòd in ea iudicium de vera falſaque Religione, vel diſciplina, & ritibus Eccleſiaſticis inſtituatur. Vnde Synodici congreſſus nihil aliud ſunt, quàm tales Conuentus, in quibus publica omnium Ordinum, vel certè præcipuorum capitum è ſingulis Ordinibus Eccleſiaſticis deliberatio de abuſibus tollendis, de falſa doctrina abolenda, & ſincera reſtauranda ſuſcipitur. Et meritò quidem id fit: nam ſicuti cùm oritur controuerſia in Republica, conueniunt in vnum Principes Regni, vel Magiſtratus, ac ſtatuunt quid facto opus ſit; ita in Eccleſia cùm oritur controuerſia aliqua de Religione, conueniunt Præſules Eccleſiarum, & ſimul collatis ſententiis, determinant, ſtatuunt, præcipiunt quod bonum videtur. Cùm ergo in Eccleſia Catholica, etiam à tempore Apoſtolorum, quamplurima celebrata ſint Concilia cùm Oecumenica & Generalia, tum etiam Prouincialia; meritò quæritur, An inſtitutio Conciliorum ſit de Iure diuino, vel poſitiuo.

Martinus Lutherus in ſuo libro inſcripto, De Conciliis, dicit, inſtitutionem Conciliorum non eſſe de Iure diuino, & propterea nihil eſſe opus Conciliis. Et ad caput 15. Act. Apoſtolorum, in diuinam Conciliorum inſtitutionem ita inuehitur: *Spiritus ſanctus non Conciliis, ſed ſolùm Chriſtianorum, quos nouit, cordibus ſe adeſſe velle promiſit.* Et poſt pauca: *Incerta ſunt Concilia, neque fidendum eſt illis: nullum enim vnquam purum fuit, quin fidei aliquid addiderit, vel detraxerit.* In quibus verbis plura ſunt mendacia. Primùm, quòd *ſolùm Chriſtianorum cordibus*, &c. hoc manifeſtè contradicit verbis Chriſti, qui apud Matthæum cap.18. ſic loquitur: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Deinde dicit: *Incerta ſunt Concilia.* Et hîc etiam mentitur: nam Concilia

Digitized by Google

Generalia à Summo Pontifice congregata & confirmata, certiſſima ſunt. Tertiò dicit: *Neque fidendum eſt illis.* Et hoc quoque blaſphemum eſt: nam ſi determinationes Concilij ſunt determinationes Dei, vt infrà demonſtrabimus; clarum eſt, illis fidendum eſſe. Quartò dicit: *Nullum vmquam Concilium purum fuit, quin fidei aliquid addiderit, vel detraxerit.* Mendacium & hoc: nam vt in progreſſu Conciliorum patebit, determinationes de fide non ſunt additiones, ſed potiùs declarationes: quòd ſi additiones velis eas vocare, non tamen ſunt contra fidem, imò pro fide; numquam enim vnus articulus alteri articulo in materia fidei contrariatur. Sed neque Concilium vnum poteſt aliquid de fide determinare, quod ſit contra determinationem alicuius articuli de fide ab alio Concilio factum, vt fuſè infrà in Præludio octauo diſſeremus.

Sed conuincamus aliter ipſius Lutheri blaſphemiam, qui Spiritum ſanctum alicui Concilio adeſſe negat. Et primò dico, quòd Spiritus ſanctus interfuit Concilio Ieroſolymitano in c.15. Act. Apoſt. Nam mentiuntur Apoſtoli ſi non interfuit, & quæ in Concilio decreta ſunt, à Spiritu ſancto minimè profecta exiſtimantur, cùm id affirment Apoſtoli præclaris illis verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* En maximam Lutheri temeritatem, cui pro minimo eſt, vt proprium errorem ſtatuat, Apoſtolicam doctrinam conuellere. Num & id fortè nobis negabit Lutherus, Spiritu ſancto plenos fuiſſe Apoſtolos, cùm hæc dicerent ac decernerent? num & illud inficiabitur, Apoſtolos non proprio, ſed Chriſti nomine, atque à Spiritu ſancto edoctos locutos fuiſſe? Hæc ſi irridet Lutherus, reliquum eſt, vt & ipſas Scripturas irrideat, quæ Apoſtolis Doctorem ac Magiſtrum Spiritum ſanctum pollicentur: Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* & infrà: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* & in eodem cap. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* & cap. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* &c.

Cur Lutherus & ipſis Apoſtolicis ſcriptis non valedicit, cùm ea non alia conditione inter Canonicas Scripturas annumerentur, quàm quòd à Spiritu ſancto profecta eſſe creduntur? Porrò, ſi tam Apoſtolica ſcripta, quàm Apoſtolici huius Concilij decreta, à Spiritu ſancto emanaſſe conſtat; planè nimis infideliter ſe gerit Lutherus, cùm nullum legitimis Conciliis Spiritum ſanctum Doctorem relinquit: præſertim, cùm non pro Ieroſolymitano tantùm Concilio, verùm & pro quibuſlibet aliis legitimè congregatis, Apoſtoli hoc teſtimonium ferant, quibus Spiritus ſancti præſentiam adeſſe teſtantur. Non igitur incerta ſunt Concilia, aut incertam veritatem continent (vt impius ille garrit) cùm ea à Spiritu ſancto regantur, neque vllam aliam quàm Spiritus ſancti doctrinam fidelibus tradant: aut non fidendum eſt illis, præterquam ei, qui Spiritum ſanctum Doctorem habere renuit, vt dæmoniorum doctrinas propinet.

Nec longè à Luthero Caluinus diſtat: nam Inſtitut. lib. 4. c. 9. §. 2. ex Scripturis nullum pro Conciliis teſtimonium afferri docet, præter illud Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Verùm id, inquit, nihilominùs in particularem quemuis cœtum competit, quàm in Concilium Vniuerſale. Sed fallitur craſſo errore Caluinus, cùm nullum in Scripturis locum ſe offendiſſe ait, in quo diuinum aliquod pro Conciliis celebrandis teſtimonium proferatur, præter illud, *Vbi ſunt duo vel tres,* &c. & prætereà hæc verba de quolibet priuato cœtu dicta eſſe, affirmare contendit. Sed quantum ad primum, ſciat Caluinus, quòd alibi etiam ſit mentio de Congregatione, & de Con-

Digitized by Google

Concilio: nam Matth.16. cùm Chriſtus de ſumma rerum cum ſuis agens, Apoſtolorum Concilium conuocauit, propoſuitque: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* an non legitimum illud Concilium fuit à Chriſto inſtitutum? At Caluini oculi caligant, veluti alterius Heli, neque Scripturas, quæ lucernæ Domini ſunt, videre poteſt. Sed proſequamur. In Actibus cap.1. Petrus pro electione duodecimi Apoſtoli Concilium congregauit, ſic illis proponens: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus*. In cap.6. ibidem Synodus fuit ab Apoſtolis conuocata, in qua Diaconorum electio decreta fuit. Ita enim legitur: *Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex nobis boni teſtimonij ſeptem*, &c. In cap.15. ibidem congregata fuit tertia Synodus ab Apoſtolis ad definiendam fidei doctrinam, quæ de Circumciſionis præcepto circumferebatur, in qua determinatum fuit, ne Gentiles ad circumciſionem cogerentur, de qua ita legitur: *Conueneruntque Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*. Quartum Concilium congregatum fuit à Paulo in Aſia, vt legitur Act.20. vbi Paulus à Meleto Epheſum mittens, per nuntios Aſiæ Epiſcopos & maiores natu vocauit, ac paſcendi gregis Dominici formam illis præſcripſit. Porrò hoc Concilium ſolùm Prouinciale fuit, cùm Aſiæ Eccleſiis tantùm indictum fuerit. Vltimum tandem Concilium ab Apoſtolis celebratum fuit Ieroſolymis, vt habetur Act.21. cui Paulus interfuit, ac compulſus fuit, ob ſcandalum tollendum, ſeipſum more Iudæorum purificare. De hoc Concilio ita legitur: *Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Iacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores*, &c. Ex quibus patet falſitas Caluini, & ſimul ipſius cæcitas, qui in tota Scriptura ſolùm vnum locum à ſe malè interpretatum inuenit pro celebrandis Conciliis. Et quantum ad ſecundum eius errorem, ſeu dictum, probabitur hîc paulò infrà, verba illa, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, à quamplurimis Conciliis & Patribus vſurpari ad probandam in Conciliis diuinam aſſiſtentiam. Ergo mendaciter, ſimul & impiè locuti ſunt Lutherus & Caluinus.

Albertus Pighius lib.6. de Eccleſ. hierarch. contendit, originem Conciliorum eſſe planè humanam, & naturali ratione excogitatam: ſicuti fit in quacumque Republica benè ordinata, quòd ibi inſtituuntur Congregationes, Conſiſtoria, Concilia, & alia huiuſmodi pro bono regimine: & ita exiſtimat hic Auctor circa ſacrorum Conciliorum inſtitutionem. Pro reſolutione autem ſit

Assertio prima. Ratio atque inſtitutio celebrandorum Conciliorum de Iure diuino eſt, & à Deo manat. Hæc Aſſertio probatur ex illo Matth.18. *Vbi ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Ex quo loco quamplurimi Patres argumentum ſumunt ad probandum, Concilia Generalia ex diuina inſtitutione pendere: ſic Concilium Chalcedonẽſe in epiſt. ad Leonem, & VI. Synodus Act.17. & Cæleſtinus Papa in epiſt. ad Concilium Epheſinũ, & Concilium Toletanum III. non procul ab initio, docent, Concilia eſſe demonſtrata à Chriſto in prædictis verbis, *Vbi ſunt duo vel tres*, &c. Sic etiam Alexander epiſt. ad Anaſtaſium Alexandrinum, Ioannes Damaſcenus Orat.1. de Imaginibus, & pleriq; alij. Sic Synagoga, ſimul ac Pontifices habere cœpit, ſeniorum Concilium à Deo inſtitutum accepit, quod, vt teſtatur Philo lib. de Temporibus, de Rege, de Prophetis iudicandi ius habuit. Id verò magnum erat illud Concilium *Sanhedrim* à Iudæis vocitatũ, vt teſtis eſt Burgenſis, ad quod omnes Legis difficultates, ac fidei dubia referebantur. De quo legitur Num.11. Moyſi à Deo mandatum: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint ac Magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis: fa-*

cieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. De hoc quoque Concilio intelligenda ſunt verba illa Deut.17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris,*&c. *ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et infrà: *Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Hoc igitur Concilium à Deo ita inſtitutum, vt illius decreta inuiolabilem ſibi in rebus fidei auctoritatem vendicarent, tamdiu apud Synagogam incolume permanſit, quouſque ad Chriſtum perueniret: quo tempore ob Chriſti necem ab eo patratam, atque ob ſummam illius infidelitatem, in Conciliabulum degenerauit: & non multò pòſt, ab Herode, ingenti Sacerdotum ac Pontificum ſtrage deletum fuit. A Deo ergo Concilia inſtituta ſunt.

Vnde credibile eſt admodum, Apoſtolos, non niſi Spiritu ſancto mouente, primum celebraſſe Concilium, in quo Petrus electionem duodecimi Apoſtoli propoſuit illis verbis: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus,*&c. Et idem fecerunt Apoſtoli, quando ad definiendam fidei doctrinam, quæ de Circumciſionis præcepto circumferebatur, Concilium congregauerunt, Act.15. in quo determinatum fuit, ne Gentiles ad circumciſionem cogerentur. De quo Concilio ſic habet textus: *Conueneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.* Huius Concilij meminit Synodus Conſtantinopolitana II. collat.8. in Concluſione trium Capitulorum, his verbis: *Licet,* inquit, *Spiritus ſancti gratia, & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, & non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant: non tamen voluerunt de eo, quod mouebatur, ſi oporteret Gentes circumcidere, definire, priuſquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum teſtimoniis vnuſquiſque ſua dicta confirmaret: vnde communiter de eo ſententiam protulerunt, ad Gentes ſcribentes: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris, præterquam neceſſaria, vt abſtineatis ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Vbi ponderanda ſunt verba illa textus, quæ etiam refert præfatum Concilium; *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Nam ſi Concilia ab Spiritu ſancto originem non duxerunt, quomodo Apoſtolus Petrus dicit: *Viſum eſt Spiritui ſancto?* Si enim hoc non eſſet, & quòd tantùm inuentio eſſet humana, execranda blaſphemia fuiſſet, imponere Spiritui ſancto quod non fecit. Prætereà, licet ratio naturalis dictet, vt in rebus dubiis Princeps peritos conſulat: tamen vt ſoli conuocentur Epiſcopi, & adſint tamquam Iudices, vt infrà in Præludio 4. demonſtrabimus, non videtur ab humana ratione excogitatum, vt optimè concludit Cardinalis Bellarminus lib.1. de Concil. cap.3.

Ex hac Aſſertione ſequitur, quòd determinatio à Concilio facta ſit vox Dei, & vt talis à cunctis, ſub pœna hæreſis recipi debet. Hoc Corollarium ſic probo: D.Paulus 2.Cor.2. ait: *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* & cap.5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Ex quo ſic conficio Argumentum: Modus docendi Dei eſt per miniſterium hominum: id verò alia ratione fieri non potuit, quàm per Eccleſiam, quam Deus veræ fidei magiſtram, ac veluti depoſitariam eſſe voluit, vt ex ea, tamquam ex diuite quodam penu, quiſque veræ fidei doctrinam haurire valeat: ergo. Maior huius Argumenti patet per ea, quæ ſuprà dicit D.Paulus, & etiam per id quod habet ad Hebr. cap.1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſ-*

ſimè

Digitized by Google

ſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Minor etiam ab ipſis hæreticis aſſeritur, licet in modum Protei, in varias mox ſe formas transferant. Nam Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 8. ita de Eccleſia ſcribit: *Eſt enim,* inquit, *noſtra omnium mater, penes quam gratiæ ſuæ theſauros depoſitos eſſe voluit Dominus, quo & eius fide conſeruentur, & per eius miniſterium diſpenſentur.* Et infrà addit: *Quòd ergo non extinguitur in mundo veritas, ſed ſalua perſtat, id fit, quòd fidam habet cuſtodem Eccleſiam.* Cum Caluino conſentit etiam Melanchthon in Locis communibus, de Eccleſia: *Vult enim Deus,* inquit, *in Eccleſia eſſe miniſterium vocis, quare audienda eſt Eccleſia vt doctrix,* &c. Id verò Paulus apertè docet, cùm in Eccleſia paſtores à Deo in opus miniſterij inſtitutos eſſe affirmat, vt ſcilicet per veræ fidei doctrinam ac prædicationem myſticum Eccleſiæ corpus ædificent. Ex quo illud neceſſariò colligimus, quòd quoties Eccleſia in aliqua fidei doctrina conſentit, eidem proculdubiò Dei conſenſus accedat: atque adeò is Dei conſenſus habendus ſit, vt nemini fas ſit, illi quoquo modo pertinaciter reſiſtere. Confirmatur, quia Chriſtus dicit Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* At quorſum id Chriſtus de Eccleſia pronuntiaſſet, niſi Eccleſiæ docentis verbum, eſſet ipſum verbum Dei per Eccleſiam loquentis? Id enim docet Paulus 1. ad Theſſalon. 2. *Cùm accepiſſetis,* inquit, *à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei.*

Dicet quiſpiam: Quo pacto Paulus, homo cùm ſit, Dei verbum, velut ſibi proprium vſurpat? Reſpondere vtique poſſet, ſe Euangelium non ab homine, ſed à Deo accepiſſe, cuius ipſe prædicator erat. Petet iterùm quis: Qua conditione Euangelium à Deo accepit? Ea ſanè, vt Euangelium ſuum cum ceteris Apoſtolis conferret: atque eo teſtimonio illud à Deo profectum eſſe probaret: id enim à Deo reuelante ſibi iniunctum fuiſſe teſtatur ad Gal. 2. *Deinde,* inquit, *poſt annos quatuordecim iterùm aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundùm reuelationem; & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus.* Id autem non alia ratione factum credimus, quàm vt eo Eccleſiæ teſtimonio ac conſenſu, cui Paulus Euangelium ſuum ſubiecit, probaretur, illud firmum Dei propoſitum eſſe, vt eam dumtaxat veram fidei doctrinam eſſe approbet, quam Eccleſiæ conſenſus obſignauerit: ſi quæ verò nullo Eccleſiæ conſenſu recepta in Chriſtianum orbem obrepſerit, protinus velut ſpuriam ac profanam repudiandam decernat. Denique, Eccleſiæ conſenſum Paulus ita extollit, vt non tam Dei conſenſum, quàm Dei verbum eſſe dicat; & eam ſolam veram eſſe fidem doceat, quæ ab eo proficiſcitur: ita enim ad Rom. 10. his verbis ſcribit: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur,* &c. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti.* In quibus verbis plura Apoſtolus docet circa ordinem fidei concipiendæ. Primò, fidei auditum neceſſarium eſſe ſtatuit, dicens: *Quomodò credent ei, quem non audierunt?* Secundò, Doctoris neceſſitatem proponit: *Quomodo audient ſine prædicante?* Tertiò, poteſtatem aliquam in Eccleſia inſtitutam eſſe declarat, ad quam ſpectat Prædicatores ac Doctores ad docendum mittere, non quæ ipſi excogitauerint, ſed quæ ab Eccleſia didicerint: *Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Quartò, fidem non ex ſingulari Dei reuelatione, vel vnius ſententia, ſed ex eorum auditu, qui illam ab Eccleſiæ conſenſu didicerunt, addiſcendam eſſe concludit: *Ergo fides ex auditu.* Quod maximè expendere debent aduerſarij. Eo namque annuere vult Paulus, non proprium cuiuſque ſpiritum, ſed vnanimem Eccleſiæ conſenſum eſſe Magiſtrum ac Doctorem fidei? Poſtremò, huic auditui, qui

ab Eccleſiæ conſenſu manat, non humanum, ſed diuinum verbum perpetuò coniunctum eſſe docet: *Auditus autem,* inquit, *per verbum Chriſti.* Quo fit, vt quidquid Eccleſiæ conſenſus docet, illud proculdubiò Chriſti verbum cenſendum ſit: neque alia, aut Dei reuelatio, aut miracula à fidelibus ad illud confirmandum expectanda ſint, vt docet Theophylactus poſt Chryſoſtomum in hunc locum Pauli, his verbis: *Quia enim Iudæi nullo non tempore ſignum quærebant, ac reſurrectionis aſpectum ipſum, inquit, Fides eſt ex auditu. Atque vltra hunc auditum non oportet inquirere quidquam aliud: nec enim auditus ſiue ſermo eſt verborum, quæ ſimpliciter dicuntur, ſed verborum Dei. Quocircà ſi admiranda quæris, adeóque miracula, ceu ex Deo ſint, crede verbis quæ ex Deo proferuntur.*

Sequitur etiam ex prima hac Aſſertione, & eius dilucidatione, quòd qui Concilia ſpernit, Deum ſpernit: & qui Concilia non audit, Deum non audit. Probatur hoc Corollarium ex verbis illis: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sed hæretici non audiunt Concilia, imò ea reiiciunt & execrantur, vt patet de Luthero, Caluino, & ſequacibus, cùm alia, tum maximè Tridentinum adeò non audiunt, vt etiam execrentur; ergo & Deum ipſum non audiunt, ipſumque execrantur. Audiamus de hoc Vincentium Lyrinenſem in libello ſuo aureo Aduerſus profanas omnium hæreſum nouationes; vbi ſic ait: *Hos ergo* (Patres ſanctos & Doctores ſacros) *in Eccleſia Dei diuinitus per tempora & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis vnum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum: à quorum veridica vnitate ne*
1. Cor. 1. *quis diſcrepet, impenſiùs obteſtatur Apoſtolus, dicens: Obſecro autem vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Quòd ſi quis ab eorum ſententiæ communione deſciuerit, au-*
1. Cor. 14 *diat illud eiuſdem Apoſtoli: Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.*

ASSERTIO SECVNDA. Conciliorum celebratio, quæ omnibus ſæculis in Eccleſia fuit, de Apoſtolica traditione deſcendit. Probatur hæc Aſſertio, quia Apoſtoli ipſi primùm id facere cœperunt, vt ſuprà viſum eſt: & iuxta eorum præſcripta omnia ſequentia Concilia vſque ad noſtra tempora, celebrata ſunt, & vſque in finem mundi celebrabuntur. Et in hoc poteſt habere locum ſententia Alberti Pighij, ſcilicet, quòd origo Conciliorum eſt humana, & ratione naturali excogitata: hoc inquam eſt verum quantum ad modum, locum, & tempus, ceteraſque circumſtantias: ſed quantùm ad ipſam inſtitutionem, de Iure diuino eſt, vt in prima Aſſertione fusè probatum eſt.

Dubitatur hîc: Quando Concilium congregatum eſt, & diffinit, à quonam tunc habeat auctoritatem? Franciſcus Victoria in 2. Relectione de Eccleſia, q. 1. fol. 113. & 122. Turrecremata de Poteſtate Eccleſiæ lib. 2. cap. 71. & Caiet. in Opuſculo de Poteſtate Papę, indiſtinctè dicunt, quòd ratione totius, vt eſt Concilium, habet quidem ſuam auctoritatem, ſed non ab Eccleſia, nec à Deo immediatè, ſed à Iure humano, id eſt à voluntate Prælatorum ibi conuenientium, qui volunt ex ſeipſis vnum corpus conſtituere, cui ſeipſos ſubiiciunt, ſicut partes ſuo toti. Et conſequenter dicunt, non eſſe maiorem auctoritatem in toto Concilio, quàm ſit auctoritas ſingulorum: id eſt, tantam eſſe Concilij auctoritatem, quanta eſt auctoritas maioris, vel maiorum ibi exiſtentium.

Sed clariùs, & fortè meliùs ſic poſſet dici, quòd Concilium Generale legitimè congregatum, vt eſt communitas, & vnum totum corpus à ſuis ſingulis partibus diſtinctum, habet quidem ſuam auctoritatem, ſicut & quælibet alia communitas; quam non habent ſinguli de illa communitate & Concilio per ſe. Sed hanc auctoritatem, quatenus eſt poteſtas iuriſdictionis, vel ſupra corpus

Digitized by Google

pus Chriſti myſticum, non habet immediatè à tota Eccleſia, nec à Deo: & per conſequens, nec ex hoc, quòd vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, ſed ab ipſis Patribus Concilij, mediatè autem à Deo per ipſos Patres deriuatam habet. Quatenus autem eſt poteſtas determinandi veritatem in rebus fidei & motum, eam habet immediatè à Spiritu ſancto aſſiſtente, illuminante, pulſante, mouente, atque determinante. In hac ſententia, ſeu reſolutione, ſunt tres partes.

Prima eſt, quòd Concilium, vt eſt vnum corpus, habet ſuam auctoritatem. Quod inde probatur; quia nomine omnium ſimul, non quaſi à ſingulis, ſed à multis, quaſi ab vno procedit, vt eſt vnum corpus, ſiue Collegium, vel Regale Parlamentum, quod habet ſuam quamdam poteſtatem, quam ſinguli non habent. Et ita Concilium, vt vnum corpus, præcipit, conſulit, ordinat, atque diſponit, & ſententiam fert, condemnando, vel abſoluendo: quod facere non poſſet, niſi ad id poteſtatem haberet. Facit ad hoc id quod dicitur Act. 15. *Placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere,* &c. id eſt, in vnum Collegium, ſiue Concilium Apoſtolorum. Et in hoc benè loquitur prima opinio.

Secunda pars, quòd ſcilicet hanc auctoritatem, quatenus eſt poteſtas ſupra corpus Chriſti myſticum, & verum, non habet immediatè à tota Eccleſia, nec à Deo, vt benè dicit Victoria cum aliis ſuprà. Probatur primò, quòd non ab Eccleſia; quia Eccleſia vniuerſalis eam poteſtatem non habet immediatè. Nam illa poteſtas Eccleſiaſtica ſupra corpus Chriſti verum, & myſticum, quamuis propter Eccleſiam, & ad eius vtilitatem collata ſit quibuſdam perſonis ipſius; non tamen toti Eccleſiæ immediatè, ſed perſonis quibuſdam, vt per eas eſſet in Eccleſia, data eſt, vt conſtat Epheſ. 4. *Dedit quoſdam Paſtores, & Doctores,* &c. & 1. Cor. 12. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Doctores?* &c: *Diuiſiones gratiarum ſunt,* &c. *vnus autem atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Aliàs non eſſet vnum corpus ex variis membris & gradibus conſtans. Neque enim tota Eccleſia ſimul poteſt audire confeſſionem, & conſecrare, ſed Sacerdotes dumtaxat immediatè habent à Deo hanc poteſtatem in Eccleſia. & ſoli Petro dictum eſt: *Tibi dabo claues regni cælorum,* &c. Matth. 16. & Ioan. 21. *Paſce oues meas.* & Matth. 18. *Dic Eccleſiæ,* id eſt Prælatis eius, vt communiter exponitur à Doctoribus, præcipuè verò à Chryſoſtomo. Conſtat etiam, laicos nullam poteſtatem Eccleſiaſticam habere. Igitur, ſi prædicta poteſtas Eccleſiaſtica non toti Eccleſiæ, nec toti communitati fidelium, ſed quibuſdam tantùm perſonis eius immediatè per Chriſtum collata eſt, vt per illos ſit in Eccleſia; & propter ipſam, id eſt, ad vtilitatem ipſius; vtique ſequitur, quòd ab ipſa Eccleſia immediatè ad Concilium deriuari non poteſt: nemo enim dat, quod non habet.

Quòd etiam nec ab ipſo Domino Ieſu Chriſto poteſtas immediatè, ſed ab ipſis Patribus Concilij, à Chriſto autem mediatè per ipſos in Concilio, ſic probatur. Quia antequam Patres Concilij, caput ſcilicet & membra, veniant ad Concilium, certè totam in ſeipſis, quidam minùs, quidam magis, Papa verò pleniſſimè prædictam poteſtatem à Deo immediatè habent, vt proximè dictum eſt: & ij Patres in Concilio congregati illam non perdunt, quam anteà habebant. Ergo cùm Concilium eam poteſtatem ratione ſuarum partium habeat; neque conſtet, quo aliquo nouo Iure ipſi denuò concedatur; certè fruſtrà aliqua alia ſimilis poteſtas ponitur à Deo immediatè de nouo præſtita Concilio. Nam qua ratione poneretur ſupra corpus Chriſti myſticum eadem, & ſupra corpus Chriſti verum aſſereretur, vt ſcilicet ipſum Concilium, vt totum corpus ſimul, conſtans etiam ex non Sacerdotibus, abſoluere poſſet, & conſecrare, quod abſit. Sed nec illa poteſtas Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis,* &c. data eſt

ta eſt Apoſtolis, vt in Concilio congregatis, ſed vt ſingulis Prælatorum officio fungentibus. Quamuis id quod ibidem ſequitur, *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati*, &c. apertè datum ſit Concilio, vti ſuprà dictum eſt, & infrà etiam pluries dicetur.

Quoad illuſtrationem veritatis igitur, illa poteſtas eſt quidem in Concilio pleniſſimè: ſed mediatè tantùm à Deo per Patres ipſius in ipſum Concilium deriuata, & præcipuè per Dominum Papam, à quo omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica mediatè vel immediatè etiã in Concilio eſt, vt etiam Alaba agit in Tract. de Conciliis, Par. 1. cap. 9. Et ad hunc ſenſum optimè dicitur, quòd Concilium vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, illam auctoritatem habet. In quo conſonat prima opinio ſuprà poſita. Scio, aliquos tenere, quòd præfata poteſtas in Concilio etiam à Deo immediatè ſit: ſed probabilius videtur quod dictum eſt.

Tertia autem pars, quòd ſcilicet, quatenus eſt poteſtas determinandi verum in fide & moribus in ipſo Concilio, immediatè à Deo eſt, probatur: nam Act. 15. habetur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, &c. Item 1. Tim. 3. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis*. Hoc autem eſſe non poteſt, niſi Concilium ipſum Eccleſiam repræſentans, quæ & ibi virtualiter eſt, & ipſius Concilij diffinitionem ſequi tenetur, haberet à Deo immediatè hanc auctoritatem, determinandi ſcilicet veritatem: nam aliàs illi potiùs eſſent columna veritatis, per quos, vel à quibus auctoritas hæc immediatè in Concilio eſſet atque penderet. Item Matth. 18. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* In quibus verbis Chriſtus ſuam aſſiſtentiam & auctoritatem ad id immediatè Concilio promiſit, ſicuti ſuprà oſtenſum eſt. Et denique in hoc omnes Catholici conueniunt, ſcilicet, Concilium Generale legitimè congregatum, in diffiniendo circa fidem & mores, errare non poſſe; ſpecialique Spiritus ſancti aſſiſtentia dirigi & gubernari; quamuis aliàs vel extra Concilium omnes ipſi, vt homines, errare poſſint: ſic expreſsè fatentur, liber qui dicitur Axiomata Chriſtiana, lib. 2. art. 4. cap. 3. & ſeqq. Victoria, Alphonſus de Caſtro, & Soto: quamuis Caietanus, Silueſter, Pighius, & Waldenſis aliter ſentiant, & non benè, vt infrà oſtendemus. Et ad hunc ſenſum, ſcilicet quoad poteſtatem diffiniendi veritatem de fide & moribus, optimè verificatur decretum Concilij Conſtantienſis ſeſſ. 5. & aliorum Doctorum dicentium, quòd Generale Concilium Eccleſiam vniuerſalem repræſentans, à Chriſto immediatè poteſtatem habet.

Sic ergo concludimus in hoc primo Præludio, Inſtitutionem Conciliorum eſſe de Iure diuino; ipſorum autem celebrationem ad nos deſcendere ex traditione Apoſtolica. Supereſt modò reſpondere ad hæreticorum argumenta.

Circa quæ dico, quòd non ſibi conſtant: nam in primis ipſimet ad Concilium Generale appellant: ſic Proteſtantes in initio libri, qui Proteſtatio aduerſus Concilium Tridentinum inſcribitur, habent: *Profitemur*, inquiunt, *ac proteſtamur, nos adhærere, ac ſemper adhæſiſſe proteſtationi & appellationi R. P. D. Lutheri ab iniuſtiſſimo violentiſſimoque iudicio Pontificis, ac omnium eius factionis Iudicum, ad liberum, Chriſtianum, legitimum, ac in Spiritu ſancto congregatum Concilium. Qui proceſſus, proteſtatio, & appellatio fuit poſteà vnanimiter ac multoties à noſtris Eccleſiis renouatus, & in aliquot etiam Imperialibus Conuentibus ab omnibus Statibus comprobatus.* Hæc ſunt verba ipſorum: quibus, vt patet, affirmant, Lutherum primò, deinde Eccleſias ſuas, poſtremò etiam Principes ſibi addictos, à Pontificis ſententia ad Concilij iudicium ſæpiùs appellaſſe. Cur ergo negant Concilia, ſi ad illa recurrunt & appellant?

Præ-

Digitized by Google

Præterea Caluinus ipſe, licet acerrimus Conciliorũ hoſtis, amplectitur quatuor illa priora Concilia Generalia: nam lib. 4. Inſtit. cap. 9. §. 1. id de illis Synodis ſentit, vt dicat, *ſe priſcas has Synodos, vt Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem, ac ſimiles, quæ confutandis erroribus habitæ ſunt, libenter amplecti, reuererique vt ſacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata, cùm nihil, præterquam puram ac natiuam Scripturæ interpretationem contineant, quam ſancti Patres ſpirituali prudentia ad frangendos Religionis hoſtes, qui tunc emerſerant, accommodarunt.* Si ergo ad illa priora Concilia tantam reuerentiam ſe habere fatentur, cur etiam alia poſteriora non amplectuntur? non enim diuerſa eſt ratio de vno, & de alio: vnde ſi prima illa ſunt vera, legitima, & in Spiritu ſancto congregata, etiam reliqua.

Sed perpendite horum ſtabilitatem. Statim enim ac Paulus Pontifex eius nominis Tertius Concilium Generale ad Tridentum indixit, & eiuſdem Concilij fundamenta iaci, & initia quædam apparere cœperunt; continuò illi, mutata ſententia, vel potiùs, quam anteà ſimulauerant, apertè prodita, Concilium improbare, à Conciliis appellare: nec ſolùm recentia, ſed etiam vetera omnia reprehendere, & ipſum Tridentinum vixdum inchoatum, inuectiuis, cenſuris, proteſtationibus, calumniis quoque & mendaciis opprimere ſtuduerunt, vt ſi fieri poſſet, priùs Concilium illud hæreticorum aſtutia ſolueretur, quàm Catholicorum diligentia coaleſceret. Hæc ita ſe habere, teſtes ſunt omnes, qui legerunt librum de Conciliis, à Luthero illo ipſo tempore conſcriptum: libellum Philippi Melanchthonis, de Cauſis, cur Lutherani ad Concilium non acceſſerunt: librum Proteſtantium, 34. ſcilicet Miniſtrorum: librum Illyrici, de Norma ac praxi Concilij: denique Martini Kemnitij Examen Tridentini Concilij: Conſilium Caroli Molinæi ſuper eodem, de non admittendo Concilio: Antidotum Ioannis Caluini contra eiuſdem venena Concilij.

Dicet quis: Fortaſſe optabant ipſi anteà Concilium Generale, & nunc etiam optant, ſed non eiuſmodi, quale Tridentinum fuit: vnde PRIMO requirunt, Vt antequam fiat Synodus, irritentur omnia acta Concilij Tridentini. SECVNDO, Vt Concilium fiat in Germania: eſt enim canon Eccleſiaſticus apud Cyprianum lib. 1. ep. 3. *Vt illic lites iudicentur, vbi exortæ ſunt.* TERTIO, Vt Pontifex Romanus non indicat Concilium, nec ei præſideat, ſed ſit altera pars litigantium, quandoquidem ipſe eſt qui accuſatur, & nemo debet eſſe ſimul Iudex & pars. QVARTO, Vt ex ſola Scriptura diuina ſententiæ ferantur, non ex Traditionibus, vel Canonibus. QVINTO, Vt deciſio non fiat penes ſuffragiorum pluralitatem, ſed vt iuxta normam verbi diuini pronuntietur. SEXTO, Vt Romanus Pontifex abſoluat omnes Prælatos à iuramento fidelitatis, quo ei obſtricti ſunt. SEPTIMO, Vt Theologi Principum ac Statuum Confeſſionis Auguſtanæ, non minùs quàm Epiſcopi in Concilio ſententias ac voces deciſiuas proferre permittantur. OCTAVO, Vt detur Saluus-conductus ab Imperatore, non ſolùm perſonis, ſed etiam ipſi cauſæ principali: id eſt, vt nec perſonæ poſſint puniri, ſi nolint Concilio aſſentiri; nec fides & confeſſio Lutheranorum poſſint damnari, etiamſi Theologi Lutherani eam defendere non potuerint. Cum his conditionibus, dicunt, ſe Concilium toto pectore optare, & hoc verè pium & liberum Concilium ſe vocare.

Sed profectò, PRIMA CONDITIO eſt iniqua, quia nihil debet irritum haberi, niſi legitimo iudicio damnatum: Concilium autem Tridentinum eſt quidem accuſatum ab hæreticis, ſed non damnatum in vllo legitimo iudicio. Sicut ergo Concilium Epheſinum II. damnatum eſt in Concilio Chalcedonenſi:

Digitized by Google

nenſi: & Conſtantinopolitanum contra Imagines damnatum eſt in Septima Synodo; ita Concilium Tridentinum ſi damnandum eſſet, deberet in alia Synodo examinari, & iudicari, non autem ante Synodi iudicium irritari.

Secvnda conditio eſt etiam iniqua: vt enim Lutherani iure ſibi videntur petere, vt Concilium non fiat in Italia, vbi præualent Catholici; ita Catholici iure poſtulare poſſunt, vt non fiat in Germania, vbi præualent Lutherani: & ſanè non poterat locus eligi melior atque aptior, quàm Tridentum, quod eſt in finibus Germaniç & Italiæ, etiamſi ethnici hominis iudicio quæſtio iſta relinqueretur. Ad Canonem autem qui eſt apud Cyprianum, dico, intelligi eum Canonem de criminibus particularium hominum, & de particularibus cauſis, quæ debent iudicari vbi ſunt commiſſa; quia ibi faciliùs teſtes inueniri poſſunt: at de cauſis fidei, quæ ad totam Eccleſiam pertinent, alia ratio eſt. Vnde quæſtio exorta Antiochiæ de legalium ceſſatione, Ieroſolymæ in Concilio Apoſtolorum terminata eſt: Act.15. Et hæreſis Ariana exorta Alexandriæ in Ægypto, iudicata eſt Niceæ in Bithynia: hæreſis Neſtorij exorta Conſtantinopoli, damnata eſt Epheſi: hæreſis Eutychetis nata Conſtantinopoli, damnata eſt Chalcedone: hæreſes Origeniſtarum Didymi & Euagrij, in V. Synodo iudicatæ ſunt apud Conſtantinopolim, vbi minimè natæ fuerant: hæreſis Monothelitarum, quæ nata erat Alexandriæ Cyro auctore, damnata eſt primùm Romæ in Concilio S. Martini Papæ, deinde Conſtantinopoli in VI. Synodo. Denique hæreſis Iconoclaſtarum, quæ Conſtantinopoli vel exorta, vel mirificè aucta & confirmata fuerat, apud Niceam Bithyniæ, & anteà etiam Romæ in Concilio iudicata & damnata eſt. Adde, quòd habuerunt Lutherani in media Germania etiam Concilia Prouincialia non pauca, vt Colonienſe, Moguntinum, & alia, in quibus damnati ſunt. Neque obiicere debent aduerſarij, iſta Concilia Papiſtarum fuiſſe: idem enim omnes hæretici obiicere potuiſſent: ſemper enim in Eccleſia id ſeruatum eſt, vt controuerſias fidei iudicarent Epiſcopi qui tunc erant, & non propter nouas quæſtiones noui crearentur Epiſcopi.

Tertia conditio iniqua eſt; quia Romanus Pontifex non poteſt priuari iure ſuo indicendi Concilia, & eis præſidendi, in cuius poſſeſſione iam fuit per M. DC. & ampliùs annos: niſi priùs in legitimo iudicio conuincatur non eſſe Summus Pontifex. Quòd verò dicunt, non debere eumdem eſſe Iudicem, & partem; dico habere locum in priuatis hominibus, non in Principe ſupremo. Princeps enim ſupremus donec non declaratur vel iudicatur legitimè excidiſſe à Principatu, ſemper eſt ſummus Iudex, etiamſi cum ipſo litigetur. Itaque ſolent priuati, qui cum Principe ſuo litigant, interdum appellare ab ipſo Principe malè informato, ad eumdem meliùs informandum. Et confirmatur hoc ex antiquis Hiſtoriis: nam cùm Marcellinus peccaſſet, & propter ipſum Concilium congregatum fuiſſet, Epiſcopi omnes dixerunt, eum non poſſe ab vllo damnari, ſed ipſum debere eſſe Iudicem, & reum, vt refert Nicolaus I. in epiſt. ad Michaëlem. Item Sixtus III. cùm accuſaretur de adulterio, Concilium congregauit Imperator, Pontifice conſentiente, ſed in eo Concilio nemo auſus eſt Pontificis cauſam diſcutere, niſi priùs ipſe dixiſſet, velle ſe, vt cauſa diſcuteretur, etſi in ſuo arbitrio eſſet iudicari, vel non iudicari. Id patet tum ex Actis Concilij, tum ex epiſtola eiuſdem Sixti ad Epiſcopos Orientis. Denique in Concilio Romano ſub Symmacho legimus, Epiſcopos omnes dixiſſe, Concilium non potuiſſe iure indici, niſi à Pontifice, etiamſi ipſe eſſet qui accuſabatur. Adhæc, nónne Arius cum Alexandro de fide litigabat? & tamen in Concilio

Niceno

Niceno ſedit Alexander, quia Epiſcopus erat, vt Iudex. Item in Tertia Synodo præſedit iudicio Epiſcopali Cyrillus, qui tamen altera pars litigantium à Neſtorianis dicebatur. Ita quoque in IV. Synodo præſederunt Legati Leonis, cùm tamen tota cauſa inter Leonem & Dioſcorum verſaretur. Accedit, quòd Pontifex in Concilio non eſt ſolus Iudex, ſed habet multos collegas, id eſt omnes Epiſcopos: qui ſi eum conuincere poſſent de hæreſi, poſſent etiam eum iudicare, & deponere, licet inuitum. Ex quibus patet, quòd Pontifex Romanus non poteſt reprobari, ne ſit Iudex, & pars. Prætereà, quamuis per cap. Ad Romanam. 2.2.q.6. cuilibet fideli liceat ad Papam appellare à quocumq; alio inferiore, vt ſic auctoritate defendatur, & à ſuis oppreſſionibus releuetur; ab ipſo tamen Summo Pontifice non datur vlteriùs appellatio, cùm ſit ſupremus Iudex: vnde meritò in Bulla Cœnæ Domini anathemate feriuntur, qui à Papa ad futurum Concilium appellant. Nihil ergo habent hæretici cur conquerantur, ſi Romanus Pontifex Concilio præſedit antequam damnatus eſſet.

QVARTA CONDITIO iniqua eſt, quia non debent ſemel definita in dubium iterùm reuocari, iuxta legem Marciani Imperatoris, L. Nemo. C. de Summa Trinit. & fide Cathol. Conſtat autem, in VII. Synodo Generali definitum eſſe, Traditiones non ſcriptas eſſe recipiendas. Quamuis autem iſta conditio ſit iniqua; poſſet tamen admitti, donec iterùm in Synodo legitimè non eſſet definitum, eas eſſe recipiendas pro verbo Dei. Hinc enim eſt quòd Tridentinum Concilium, antequam ad alia progrederetur, definiuit, Scripturas & Traditiones Apoſtolicas pro verbo Dei recipiendas.

QVINTA CONDITIO tollit penitùs formam Conciliorum: & proptereà non poteſt fieri, vt aliquando ad finem controuerſiarum deueniatur, niſi detur locus maiori parti ſuffragiorum: cùm enim vtraque pars proferat Scripturarum teſtimonia, quomodo poteſt cognoſci quæ ſit Concilij ſententia, niſi colligantur ſuffragia, & plurium ſententia valeat?

SEXTA CONDITIO eſt iniqua & impertinens. Iniqua, quia non debent inferiores liberari ab obedientia ſuperiorum, niſi priùs ille legitimè deponatur, vel declaretur non eſſe ſuperior: quemadmodum iniquum eſſet, vt quotieſcumque fiunt Comitia Imperalia, Imperator deberet liberare à iuramento fidelitatis omnes Principes ſibi ſubiectos. Quòd autem non ſit nouum, Epiſcopos iuramentum obedientiæ præſtare Pontifici, patet ex B. Gregorio lib. 1. epiſt. 31. & ex cap. Significaſti. Extr. De elect. Item ex Concilio Toletano XI. cap. 10. Impertinens autem, quia iſtud iuramentum non tollit Epiſcoporum libertatem, quæ in Conciliis neceſſaria eſt: iurant enim ſe fore obedientes Summo Pontifici: quod intelligitur, donec Pontifex eſt, & dum iubet ea quæ ſecundùm Deum & ſacros Canones iubere poteſt: ſed non iurant, ſe non dicturos quod ſentiunt in Concilio; vel ſe non depoſituros eum, ſi hæreticum eſſe conuincant.

SEPTIMA CONDITIO, ſi intelligatur de iure propriè deciſiua in forma iudicij, repugnat quintæ Conditioni, & eſt contra formam omnium Conciliorum. Si intelligatur impropriè, & vocetur vox deciſiua, Scriptura diuina in teſtimonium alicuius ſententiæ in medium allata, conditio eſt æquiſſima, & numquam negata Proteſtantibus: imò eis ter oblata eſt in Concilio Tridentino, nimirum ſeſs. 13. 15. & 18.

VLTIMA CONDITIO pro prima parte, id eſt, quod attinet ad Saluum-conductum perſonarum, oblata eſt Proteſtantibus, vt patet ex iiſdem locis Concilij Tridentini ſeſs. 13. 15. & 18. Pro ſecunda parte, eſt prorſus inepta & ridicula:

Digitized by Google

ridicula: eſt enim ac ſi apertè dixiſſent, Volumus vexari Epiſcopos totius Chriſtiani orbis, & ſumptus facere, ac labores maximos pati, vt ad Concilium veniant; & tamen cùm venerint, nolumus quidquam ſtatui, neque lites vnquam finiri. Nam ſi nec perſonæ, nec ſententiæ damnari poſſunt; nihil omnino in Concilio decernetur. Quorſum igitur attinebat petere, vt laici etiam ſuffragium haberent deciſiuum, ſi nihil eſt in Concilio decidendum? Quorſum ex toto orbe terrarum Epiſcopi & Doctores vexantur, vt ad Concilium veniant? Quorſum tot dies in quæſtionibus fidei proponendis, diſcutiendis, definiendis conſumuntur; ſi poſteaquam ſunt omnia parata, adhuc licet vnicuique Concilij decretum in controuerſiam reuocare?

Sed quàm optimo iure id eis denegatum fuerit in Concilio Tridentino, ſequenti hiſtoria luculentiſſimè patefaciam. Tempore Theodoſij Senioris cùm Eunomius, electum ſatanę organum, ſua tunc zizania Dominico tritico inſpergebat, & Nouatianum ſerpebat virus, ſuaſque copias augebant Macedoniani, & Ariani quidem Catholicos vel maximè diuexabant, quid hîc ageret Theodoſius? magno cum animi dolore triſtiſſimam Eccleſiæ faciem ſpectans, præſertim cùm publicæ pacis & Eccleſiaſticæ vnitatis ſtudio & amore incredibili teneretur; ſed qui ad iſta funeſta Doctorum diſſidia componenda, nullum ſatis idoneum remedium inueniret. Denique poſt multa à quodam audiuit, concordiam Chriſtianæ Religionis fruſtrà ſperari, quamdiu libertas diſputandi partibus nouam doctrinæ formam inducentibus propoſita & relicta eſſet: imò verò præſentia ſchiſmata non ſolùm hac diſputandi libertate non tolli, ſed augeri, grauioreſque inde lites ac pugnas irreconciliabiles expectari oportere, quibus vigentes nunc hæreſes & opiniones nouæ magis magiſque corroborarentur: conſultius erit igitur, vt præſentes controuerſiæ ex veterum Patrum, qui Eccleſiæ calculo approbati forent, traditione iudicarentur. Vnde Imperatorem rectè facturum, ſi præcipuos ſectarum magiſtros interrogandos curaret, velintne veterum Eccleſię Doctorum iudicio ſtare, qui ante natam modò contentionem & diuiſionem cum gloria floruiſſent, nulliq́ue præſenti vel parti, vel ſectæ vnquam fuiſſent addicti; ac propterea, vt minimè ſuſpectos controuerſæ nunc doctrinę cenſores & arbitros iure cognoſcendos ac recipiendos eſſe. Conuocantur igitur ſectarum principes ad diſputandum armati & inſtructi, ac præter omnem expectationem à Cæſare interrogantur, quo in pretio Magiſtros Eccleſiarum habeant, & habere velint, eos nempe, qui ante noua hæc diuiſionis tempora extitiſſent, an eoſdem recipere & approbare deliberatum haberent. Hîc primùm illi modeſtiam præſeferre, & de Patribus honorificè loqui, quaſi præceptores illos agnoſcerent, ſeque illorum diſcipulos faterentur. Theodoſius iterùm ſciſcitatur, ſítne illis conſtitutum, Patrum teſtimonia eo habere loco, vt per illa, cùm de aliis Chriſtianæ doctrinæ partibus, tum de ſubortis nuper controuerſiis iudicetur, omneque iudicium terminetur. Hîc illi hærent ſuſpenſi, aliis aliud obtendentibus, & eiuſdem ſectæ ſociis inter ſe mutuò altercantibus, quid, quantúmve ſcriptis & auctoritati Veterum eſſet largiendum. Quidam Cæſaris inſtitutum probare: ſed plures Veterum ſententias defugere viſi ſunt, facilè ſubodorati periculum de cauſa cadendi, ſi ex antiquorum Patrum iudicio præſentes ipſorum controuerſiæ dirimerentur.

Ex qua hiſtoria duo præcipuè eliciuntur. Vnum eſt, optimè feciſſe Patres illos Concilij Tridentini, & Imperatorem, non concedere Proteſtantibus illum Saluum-conductum eo modo quo petebant; ſed alio modo conuenientiori eis fuit datus, vt patet in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. in fine. Alterum eſt, quòd

omnes

Digitized by Google

omnes quæſtiones circa fidem exortæ, iuxta doctrinam communem ſanctorum Patrum determinandæ ſunt. Quocircà non temerè ad hæreticos omnes & nouatores referri poteſt, quod Regum ille ſapientiſſimus Salomon docet, ne quis terminos antiquos à Patribus poſitos tranſgrediatur: quodque monet Eccleſiaſticus, vt ſapientibus presbyteris, eorumque doctrinæ nos adiungamus, qui diſciplinam à Patribus traditam acceperunt; vel, ſicut Paulus loquitur, qui depoſitum bona fide cuſtodiunt. Vnde vox Baſilio Magno digna, & à verè Catholicis omnibus vſurpanda extat: *Quæ à ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annuntiamus.* Tum Athanaſius Epiſcopus Eccleſiæ fortiſſimus propugnator, breuem & expeditam rationem, qua hæreticorum artes & fraudes omnes elidantur, hiſce verbis oſtendit: *Hoc ſolummodò reſpondere ad talia & dicere ſufficit, quòd iſta non ſunt Catholicæ Eccleſiæ, neque iſta Patres noſtri ſenſerunt.*

Et ſanè cum his Eccleſiæ Magiſtris non ſapere, ait Lerinenſis, *eſt deſipere. Extra hunc ſaltare chorum, vt ita dicam, eſt primas inſaniæ partes arripere. Ab his Eccleſiæ columnis, & Eccleſiæ luminibus in diuino illo Scripturarum prato verſari, eſt perinde ac in tenebris Dominicum agrum colere, vel in mari cum Petro nocte piſcari. Nam hi electa diuini Spiritus organa, Chriſti fidem non ore tantùm profeſſi ſunt, ſed & ſanctiſſima vita, multiſque ſæpè miraculis, nec rarò ſanguine profuſo teſtati ſunt. Quibus tantò maior fides auctoritaſque debetur, quò magis in vnum eumdemque ſenſum conſpirant: quoque conſonantius de Chriſtianæ doctrinæ partibus teſtificantur, vt quaſi cor vnum, & anima vna, imò & ſpiritus vnus in illis ineſſe, nobiſque loqui videatur. Damnatos ab his errores amplecti, eſt cum Eccleſiæ ludibrio hæreticorum deliria confirmare. Horum denique ſenſum & conſenſum negligere, diuino eſt repugnare oraculo, quod credentibus omnibus per Prophetam intonat: Hæc dicit Dominus: State ſuper vias veſtras, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona: & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris.*

Hinc nobis neceſſe eſt dicere de omnibus Generalibus Synodis hucuſque celebratis, quod de quatuor illis primis dicebat S. Gregorius Papa lib. 1. epiſt. 24. ad Patriarchas Conſtantinopolitanum & Alexandrinum, &c. his verbis: *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicenum videlicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam I. in quo Neſtorij impietas iudicatur: Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. Et cuiuſlibet vitæ atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: in quo Theodorus perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe conuincitur; & in quo ſcripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata, refutantur. Cunctas verò quæ præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere quos religant, aut ligare quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.*

Digitized by Google

PRÆLVDIVM SECVNDVM.

An congregare Concilia ſit vtile tantùm, an etiam neceſſarium.

PRO intelligentia propoſitæ difficultatis, ſciendum quòd Concilium aliud eſt Generale, aliud Nationale, aliud Prouinciale, aliud Diœceſanum. *Concilium Generale,* vt ſcribit Gerſon par. 1. de Eccleſ. poteſtate, *eſt congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni ſtatu hierarchico totius Eccleſiæ Catholicæ, nulla fideli perſona, quæ audiri requirat, excluſa, ad ſalubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen eiuſdem Eccleſiæ in fide & in moribus reſpiciunt.* Id quod dicitur de Concilio Generali, dicitur etiam de Nationali, Prouinciali, & Diœceſano reſpectiuè. In Conciliis Generalibus intereſſe poſſunt ac debent totius orbis Epiſcopi, niſi legitimè impediti fuerint, quibus præeſſe debet Papa, vel eius Vicarius, ſeu Legati. In Nationalibus conueniunt Archiepiſcopi & Epiſcopi vnius Regni, quibus præſit aliquis Patriarcha, vel Primas. In Prouincialibus, Epiſcopi vnius Prouinciæ: quibus Archiepiſcopus vel Metropolitanus præeſt. In Diœceſanis, Presbyteri omnes vnius Epiſcopatus, Epiſcopo præſidente. Quibus ſic adnotatis, ad difficultatem propoſitam reſpondetur per aliquas Aſſertiones.

ASSERTIO PRIMA. Vtile eſt congregare Concilia, & ſæpè congregare, propter vtilitates quæ ex Concilio approbato eueniunt. Hæc Aſſertio habet duas partes: vna, quòd ſit vtile congregare Concilia; altera, quòd ſæpè debeant conuocari. & vtraque probatur.

Prima pars ſic: Quia ex Conciliorum celebratione plurimæ Eccleſiæ vtilitates eueniunt. Prima eſt, quòd diligentiùs morum reformationi inſiſtitur, cùm abuſus & vitia, quæ ſæpè in Eccleſiam irrepunt, Conciliorum ſanctionibus tolluntur. Id enim ſtatuit fieri Concilium Arueruenſe I. ſub Vigilio; quod citat Iuo lib. 4. Decretorum. Secunda, quòd celeriùs cauſæ Epiſcoporum iudicantur; & ſi quæ in Eccleſia contentiones vigent, ſuauiùs dirimuntur. Ita decernit Concilium Nicenum I. ſub Silueſtro Papa, can. 5. Tertia, quòd maturiùs Eccleſiaſtica dogmata diſcutiuntur, vt teſtatur Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus epiſt. ad Synodum Epheſinam. Quarta, quòd ipſæ Apoſtolicæ traditiones feliciùs cuſtodiuntur, vt tradit D. Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium, cap. 1. Tandem, quod caput eſt, dubia in fide emergentia in ijs faciliùs enodantur, & ipſa fidei doctrina perfectiùs explicatur; cùm vnanimis ille ac ſacer Conuentus in Chriſti nomine congregatus, Spiritu ſancto vndique afflatus, vel per ſacram ac germanam Scripturarum interpretationem, vel per diuinarum Traditionum auctoritatem, quarum Eccleſia eſt cuſtos, de rebus fidei decernit, errores obtruncat, hæreſes confodit, & veram fidei doctrinam abſterſis hæreſum maculis puram fidelibus cuſtodiendam tradit. Hac enim ratione Concilia potiſſimùm celebrari, teſtantur præclarè Epiſcopi Antiochiæ, Piſidiæ, Seleuciæ, Theodoſiopolis, &c. epiſt. ad Leonem I. Imperatorem, quæ eſt ad calcem Chalcedonenſis Concilij, ex qua hæc pauca verba decerpſimus: *Notum eſt ſapientibus vniuerſis, quia niſi diuerſæ diuerſiſque temporibus hæreſes exortæ fuiſſent, nequaquam opus eſſet conſilio ſpiritualium Medicorum: nam vbi infirmitas, illic opus eſt ſine dubio medicina. Et quemadmodum oculis dudum ægrotantibus, & cautè & competenter à Medicis,*

Medicis, qui tunc inuenti fuerint, curatis; ſi rurſus contingat, aliquem viſceribus fortè dolere, quicumque poſteà reperti fuerint, non deſinunt adhibere medicinam: ita hæretica infirmitate temporibus diuerſis exorta, mirum non eſt, ſi à piiſſimis temporum quorumcumque Principibus, Deo amantiſſimi Epiſcopi pro imminenti cura conuocati, medicinæ vtilia remedia porrexerunt.

Secunda verò Aſſertionis pars ſic probatur. Quia ſicut ſæpè emergunt neceſſitates variæ in cœtu fidelium, & ſæpè creſcunt vitia & zizania in medio tritici; ſæpè etiam congregari debent Concilia, in quibus miro modo omnibus rebus occurritur. Probatur etiam auctoritate tot Conciliorum, quæ ſæpè celebranda Concilia Prouincialia Epiſcopis mandant. In Canonibus Apoſtolorum, Can. 38. ordinatur, vt *bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoueant.* Idem ordinauit Concilium Antiochenum I. in c. 20. dicens: *Sufficere nobis viſum eſt, bis in anno per ſingulas Prouincias Epiſcoporum Concilium fieri.* Et in Concilio Chalcedonenſi Act. 19. reprehenduntur Epiſcopi, qui præfata Concilia celebrare ceſſarunt, in hunc modum: *Peruenit ad aures noſtras, quòd in Prouinciis conſtituta Epiſcoporum Concilia non celebrantur.* Idem ſtatuit Leo Papa in ep. 82. ſcilicet, vt bis in anno conuenirent Epiſcopi per ſingulas Prouincias, vbi ſingula, quæ emerſerant, corrigerentur. Idem fuit decretum in Concilio, quod celebratum fuit tempore Regum Caroli & Pipini: & in Concilio Aquiſgranenſi, cap. 22. tempore Ludouici Pij, hoc ipſum fuit confirmatum. Et quia ad hoc iam cœperant tepeſcere, ideò Athanaſius Conſtantinopolitanus ep. 2. dolens, quòd in his celebrandis bis in anno Conciliis tepiditas cœperat inualeſcere, promittit, ſi pax pro munere Dei fuerit ſecuta, hoc eſſe corrigendum. Quod in Synodo Aureliana cap. 1. eſt correctum in hunc modum: *Vnuſquiſque Metropolitanus in Prouincia ſua cum Prouincialibus ſuis, ſingulis annis Synodale habeat opportuno tempore Concilium.* Deinde Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 10. cap. 16. viſa fragilitate humana, ea Concilia ſingulis trienniis fieri mandauit: quod & Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 2. confirmauit his verbis: *Prouincialia Capitula, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis,* &c. *Quare Metropolitani per ſeipſos, ſeu, illis legitimè impeditis, Coëpiſcopus antiquior,* &c. *quolibet ſaltem triennio,* &c. *non prætermittat Synodum in Prouincia ſua cogere,* &c. & infrà: *Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur.*

Hoc autem meritò mandatur, tum ob dicta in prima Aſſertionis parte, tum etiam ob alia. Primò, quia eſt præceptum toties repetitum in ſacris Canonibus, vt viſum eſt. Secundò, vt videatur, quomodo Epiſcopi in ſuo munere exercendo ſe gerant, & villicationis ſuæ reddant rationem, prout in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. de Reform. cap. 5. ſatis innuitur; & defectus emendentur, prout præcipitur in cap. Quapropter. 18. diſt. & ſic præcipitur, vt defectus in Conciliis Prouincialibus proponantur, & ſtrictè iudicentur in ratiociniis præſtandis. Tertiò, hoc iubetur, quia aliqua Conciliorum & conſtitutionum Pontificalium decreta obliuione aut alia cauſa tranſgredi poſſunt, & tranſgreſſa ſunt: & ſic poteſt contra ea allegari, moribus vtentium non eſſe comprobata, & iam per vſum non obligari: quod certè in maximum detrimentum Eccleſiæ vniuerſalis cedit. Quarta ratio eſt, quia hæreſes pullularent ex eo quòd non celebrarentur. Principalis enim cauſa, quare in Allemania, Anglia, Scotia, Belgio, & Gallia, hæc maxima peſtis ſerpit, fuit, quia Metropolitani ab his Conciliis ineundis ceſſauere, prout deplorat Anaſtaſius Conſtantinopolitanus epiſt. 2. loquens de ipſis, dicens: *Si aſſiduè ea celebrentur, reformationem Eccleſiæ cauſabunt, &*

potuiſſet ſine dubio aliis trecentis, & rurſus aliis ſexcentis, atque aliis mille permanere: nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreſes, multa ſchiſmata, multa vitia atque abuſus, quæ tamen omnia Eccleſiam Catholicam, tametſi Conciliorum Generalium præſidio deſtitutam, opprimere non potuerunt. Deinde ad omnes præfatas neceſſitates poteſt ex ſe Summus Pontifex prouidere abſque Generali Concilio, vt patet: ergo Concilium Generale congregare, non eſt ſimpliciter neceſſarium. De hoc Argumento fusè agit Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Eccleſia, cap. 10.

Altera pars Aſſertionis, quòd aliqua Concilia, ſiue Generalia ſiue Particularia ſint, omnino & ſimpliciter neceſſaria ſunt ad bonam Eccleſiæ gubernationem, probatur: Primò, quia in Eccleſia neceſſarium eſt, vt vera ac neceſſaria fidei doctrina inter fideles ſeruetur, qua ſublata, ipſa tum fides tum Religio pereant, neceſſe eſt. At quando vnquam vera fidei doctrina, aut meliùs aut grauiùs ab hæreticorum telis vindicatur, quàm cùm tot grauiſſimorum ac doctiſſimorum Patrum, qui in Concilio ſedent, conſenſu diſcuſſa, totius orbis Chriſtiani, cuius in Generali Concilio conſenſus elucet, decreto, oppoſitis erroribus damnatis, vera eſſe probatur? Hanc neceſſitatem oſtendit Concilium Turonenſe II. ſub Pelagio I. vbi in Præfatione ita ſcribitur: *Neceſſe eſt vigilantiſſimè prouidere, vt quidquid ab antiquis Patribus ſtatutum, de tramite Canonico quarumdam perſonarum temeritate cernitur imminutum, reuocandum ſit ad ſtatum priſtinum, vt poſſint malè admiſſa corrigi, & non admittenda damnari.* Et Concilium Foroiulienſe ſtatim in initio, poſtquam recenſuit plura damna in Eccleſia exorta, ſic dicit: *Qua de re, talia, & huiuſmodi peſtifero de virgulto fructeta gliſcentia plurimorum nimirum venerabilium fratrum, qui agrum curiæ cæleſtis patroni ſumma ſollicitudinis cura excolere ſunt deputati radicitus; neceſſarium fore proſpectum eſt, vt linguarum falcibus detruncata marceſcant: quatenus ſæpiùs cenſuræ magiſterio nequitiæ reſciſſis ramuſculis, ipſa quandoque radicum materies, veneni infuſione vitiata, funditus euellatur.*

Præterea, hæc Conciliorum neceſſitas ex fine, ob quem illa celebrari ſolent, facilè declaratur. Finis autem Conciliorum is eſſe agnoſcitur, vt publica ac orthodoxa fides ſarta tecta ſeruetur, & Eccleſia bonis moribus inſtruatur. Siquidem in Conciliis, vt teſtantur Ludouicus & Lotharius in epiſt. liminari, quæ eſt ante Pariſienſe III. Concilium, *Tractare, quærere, & cum Dei adiutorio definire debent Epiſcopi de cauſis ad Religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus, quid à Principibus, ac reliquo populo, vel ita vt diuina auctoritas docet, aut aliter teneatur: vel quid inde ex parte vel ex toto dimiſſum ſit, vt non teneatur. Deinde, quid in ipſorum, qui Paſtores populi conſtituti ſunt, moribus, conuerſatione, & actibus inueniri poſſit, quod diuinæ regulæ atque auctoritati non concordet: ſimulque inueniant, quæ occaſiones in vtroque ordine id effecerint, vt à recto tramite deuiatum ſit. Et quidquid de his cauſis inuentum fuerit, faciant ſolerti cura cuſtodiri.* Hæc piiſſimi Imperatores. Concilium quoque Tribarienſe dicit, quòd *congregantur in Synodo Patres ad reſecandum omnem palmitem inutilem, ad extirpandam cuiuſlibet hæreſeos radicem, ad tollendam ſchiſmatis occaſionem, ad corrigenda clericorum vitia, ad præcauenda populorum ſcandala: breuiter, ad reformandos mores & ſtatus, non modò Clericorum, ſed & laicorum.*

Hæc verò quàm Chriſtianæ Reipublicæ neceſſaria ſint, nemo non videt. Oſtendit hoc luculentiſſimè, vt ſolet, Vincentius Lerinenſis, his verbis: *Itaque cùm primùm mali cuiuſq; erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædam ſacræ legis verba furari, eaque fallaciter ac fraudulenter exponere; ſtatim interpretando*

B 3

pretando Canoni maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcumque exurget nouitium, ideoque profanum, & abſque vlla ambage prodatur, & ſine vlla retractatione damnetur. Id obſeruatum eſſe in Epheſina I. Synodo Generali, affirmat idem Lerinenſis, ſic inquiens: *Concilio enim Epheſino diuinitus placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacra ſibi conſentiens ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas.* Quod obſeruantes Patres Concilij Conſtantinopolitani, ſic aiunt in Act. 12. *Omnino neceſſe eſt, non ſolùm ſecundùm ſenſum ſequi ſanctorum Patrum dogmata, ſed eiſdem vocibus vti cum illis, nihilque penitùs innouare.* Praxis autem ſanctorum Patrum ſic habet ab initio, quoties aliqua hæreſis, aut quid huiuſmodi de nouo ſurgebat. Quod in graui illa controuerſia de hæreticis rebaptizandis, quæ olim in Eccleſia exagitata fuit, factum fuiſſe teſtatur D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſ. contra Donatiſtas, cap. 7. quam etiam ſine Generali Concilio numquam extinctam fuiſſe tradit his verbis: *Quæſtionis huius obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalua pace, diſceptare & fluctuare, vt diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diuerſa ſtatuta mutauerint: donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſanciebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* & lib. 2. contra Parmen. cap. 23. dum proponit, An liceat non baptizato baptizare: & reſpondet, ſe non poſſe id determinare ſine Concilij plenarij deciſione.

Nec ſolùm Patres Eccleſiaſtici, verùm & religioſiſſimi quique Imperatores, quibus veræ Religionis ac fidei tuendæ ſtudium ſummopere curæ erat, cùm ſanam fidei doctrinam ab hæreticis peſſumdari, ac nonnullis tenebris obuolui cernerent, vltrò Concilia petebant, vt ea ratione fidei incolumitati prouideretur. Hac enim de cauſa Conſtantinus Magnus Primum Nicenum Concilium 318. Epiſcoporum, annuente ſibi Siluestro Papa, ad Arij impietatem condemnandam collegit. Poſt Conſtantinum, Theodoſius Senior aduerſus Macedonium Concilium in regia vrbe ex 150. Patribus collectum cogi curauit. Poſt hunc, Iunior quoque Theodoſius Epheſinam I. Synodum à Cæleſtino I. obtinuit, vt Neſtorij hæreſim confoderet. Sic etiam Iuſtinianus Imperator in epiſt. ad Patres Conſtantinopolitani Concilij II. quod eo petente ad pleraſque hæreſes exterminandas celebratum fuit: quæ epiſtola lecta fuit Collat. 1. eiuſdem Concilij. De hac Conciliorum vtilitate ſic ſcribit: *Semper ſtudium fuit orthodoxis & pijs Imperatoribus Patribus noſtris pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum amputare, & recta fide ſincerè prædicata, in pace ſanctam Dei Eccleſiam cuſtodire.* Quod ipſum quoque Generale Concilium Conſtantinopolitanum II. confirmat, Collat. 8. ſic inquiens: *Sed & ſancti Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis conuenerunt, antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto, quòd in communibus diſputationibus, quæ ex vtraque parte diſcutiendæ ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij.* Vnde Paulus huius nominis III. in Bulla indictionis Concilij Tridentini, ait: *Deinde animo repetentes, maiores noſtros ſapientia admirabili & ſanctitate præditos, ſæpè in ſummis Chriſtianæ Reipublicæ periculis remedium optimum atque opportuniſſimum, Oecumenica Concilia, & Epiſcoporum generales Conuentus adhibuiſſe, ipſi quoque animum ad Generale habendum Concilium adiecimus.*

Non eo inficias, poſſe Papam aliter prouidere Eccleſiæ neceſſitatibus abſque celebratione Conciliorum Generalium; nam vt ſuprà dicebamus, Eccleſia manſit incolumis 300. annis ſine Conciliis Generalibus: ergo & aliis 300. potuiſſet, & ſic progrediendo vſque ad conſummationem ſæculi. Prætereà, vitiorum

rum

Digitized by Google

rum emendatio commodè fieri poteſt per leges Summi Pontificis,& Conciliorum Prouincialium, licet ſuauiùs fiat per Concilia Generalia. Illa autem dubitatio de Summi Pontificis electione, vix euenire poteſt: nec enim veriſimile eſt futurum, vt Cardinales aut nolint, aut nequeant creare Papam. Et quamuis nollent, aut nequirent; tamen dubium eſſe non poteſt, quin id ſpectet ad Clerum Romanum. Propter Pontificum doctrinam ſuſpectam, aut vitam, numquam niſi Prouincialia aut Nationalia conuenerunt: nam dum eſt verè Pontifex, non poteſt ab vllo iudicari Concilio, niſi ipſemet tribuat Concilio poteſtatem examinandi ſuam cauſam; hanc autem poteſtatem æquè poteſt Particulari quàm Vniuerſali tribuere Concilio. Reſiſtere communi hoſti, non eſt adeò neceſſarium, quin Eccleſia valeat conſeruari ſub immaniſſimis perſecutionibus, vt conſeruata eſt ſub Nerone, Domitiano,&c. Deinde, poteſt indici bellum Turcæ ſine Generali Concilio. Quòd ſi ad extinguendas hæreſes ſeptem, totidem celebrata ſunt Concilia Generalia; pluſquam centum fuere extinctæ à Sede Apoſtolica cooperantibus Conciliis Particularibus: & ſi vnum ſchiſma Conſtantienſe abſtulit, ſupra 25. ſine Generali Concilio ſublata fuere.

Hoc tamen eſt verum, quòd ſimpliciter loquendo, & abſtrahendo à Generali, vel Nationali, vel Prouinciali, Concilium ſimpliciter eſt neceſſarium. Nam Chriſtus dixit Matth.18. *Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala.* & 1.Cor.11. *Oportet & hæreſes eſſe.* Ergo eſt neceſſarium in Eccleſia medium ordinarium, quo ſcandala & hæreſes tollantur; aliàs breui Eccleſia in partes varias ſcinderetur. Illud autem eſt Concilium, ſiue paruum ſiue magnum, quo Papa, qui ſummus eſt Iudex, vtitur, & vſus eſt ſemper. Primò, quia *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Secundò, quia eo medio vſi ſunt Apoſtoli, Act.15. Tertiò, quia hæc eſt ſententia Cypriani, lib.2.epiſt.1. ſic ad Stephanum Papam ſcribentis: *Neceſſe habuimus, conuenientibus in vnum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium.* Item Gelaſij in Tomo de Vinculo anathematis: *Si præceſſit,* inquit, *conſenſus Pontificis, doceatur à quibus & vbi ille ſit geſtus, ſi ſecundùm Eccleſiæ regulam celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi maiorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus; vbi proculdubiò requirendum eſt, ſi Synodali congregatione celebratus: quod in receptione damnati, & depulſione Catholici, quia noua eſt cauſa, fieri certiſſimum eſt.* Et Concilij Toletani II. in ipſa Præfatione docentis: *Si Concilia deſint, neceſſe eſt vt vitiis & erroribus continuò repleantur omnia.*

Dubitabis: Si diffinitio Papalis ſufficit ad rem fidei & morum definiendam; ad quid ergo congregantur Concilia Generalia, & quid ad hoc amplius faciunt? Caietanus in Apolog. in 2.par.cap.13. Albertus Pighius, & ſequaces reſpondent, id fieri, non quidem vt certiùs & infallibiliùs Spiritus ſanctus aſſiſtat legitimo Concilio, quàm ſoli Papę, vel ipſi cum quibuſdam aliis diffinienti ſine Concilio: nam vt ipſi aiunt, certiùs aſſiſtit ipſi Papæ vt errare non poſſit, quàm prædicto Concilio, quantumcumque legitimo, & Papæ auctoritate ſine eius præſentia diffinienti: ſed propter fideles fit congregatio Concilij, vt videlicet populus Chriſtianus faciliùs credat, Spiritum ſanctum adeſſe diffinitis in legitimo Concilio, & ibi nullum errorem eſſe poſſe: quod non tam facilè crederet, quando à ſolo Papa, vel ab ipſo cum aliis extra Concilium diffinita eſſent, quia Papa ſolus non habet tantam ſapientiam, bonitatem, & gratiam, nec tam indubitatam acceptionem apud omnes, vt ipſum Concilium: nec eius, vt Concilij diffinitio tantam habet ſolemnitatem. Quæ omnia & humanos animos communiter afficiunt, & multùm valent vt homines perſuadeantur, quòd Spi-

Digitized by Google

ritus ſanctus ibi adeſt, vt error eſſe non poſſit, vbi hæc omnia, puta in legitimo Concilio Generali, reperiuntur: & ita eius diffinita à populo Chriſtiano ſuauiùs recipiantur, & credantur, vt oportet. Sic præfati Doctores.

Dicamus nos aliter, quòd ideò Concilia hæc congregantur, quia ſimpliciter, quamuis per accidens, certius nobis eſt, Spiritum ſanctum aſſiſtere legitimo Concilio Generali, vt diffiniendo de fide & moribus errare non poſſit, quàm ſoli Papæ, vel ipſi cum quibuſdam aliis extra Concilium: quia ſimpliciter nobis certius & credibilius eſt, ipſum Concilium potiùs, quàm Papam extra Concilium, facere quod in ſe eſt, ſine notabili defectu, vt à Deo illuminetur: nam ſi de vtroque æquè nobis conſtaret, non poſſe notabiliter deficere in faciendo quod in ſe eſt; æquè etiam conſtaret à Spiritu ſancto illuſtrari, & vtrumque errare non poſſe.

Præterea, licet in Pontifice ſit infallibilitas; tamen non debet ipſe contemnere media humana & ordinaria, quibus deueniri poteſt ad veram rei cognitionem, de qua agitur. Medium autem ordinarium eſt Concilium Generale, aut paucorum, pro magnitudine vel paruitate rei, de qua agitur. Id quod patet primò exemplo Apoſtolorum: nam certè Petrus & Paulus poterant etiam ſoli quamlibet controuerſiam infallibiliter definire; & nihilominùs Concilium conuocarunt, Act. 15. Deinde, definitiones de fide pendent præcipuè ex traditione Apoſtolica & conſenſu Eccleſiarum: vt autem cognoſcatur de orta qualibet quæſtione, quæ ſit totius Eccleſiæ ſententia, & quam traditionem ſeruent Eccleſiæ Chriſti; non eſt alia melior ratio, quàm ſi in vnum conueniant Epiſcopi ex omnibus Prouinciis, & quiſque referat Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem. Præterea, vtiliſſima ſunt, & ſæpè neceſſaria Concilia, vt finis reuerà imponatur controuerſiis, & decreta de fide non ſolùm fiant, ſed etiam ſeruentur: quando enim fit Generale Concilium, omnes Epiſcopi ſubſcribunt, & profitentur ſe amplecti illud decretum, & ſic deinceps in ſuis Eccleſiis prædicaturos. Quando autem non fit Generale Concilium, non eſt tam facile reducere ad praxim decretum de fide factum: ſiquidem nonnulli ignorantiam decreti prætexunt: alij conqueruntur, ſe non fuiſſe vocatos: alij etiam apertè dicunt, etiam Pontificem potuiſſe errare. Denique id conſultò fit, etiam propter declarationem alicuius loci Scripturæ ab hæreticis non benè, imò prauè intellectæ.

Dices: Cùm ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? *Quia*, inquit Lerinenſis, *Scripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine, non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur. Aliter namque Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita, ſi ab his ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel certè pænè omnium Sacerdotum*

Digitized by Google

tum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. Sic Lerinenſis in libello ſuo aureo Aduerſus profanas hæreſeon nouationes.

Idem explicans verba illa 1. Tim. 6. *Profanas vocum nouitates deuita,* ait: *Quid eſt, profanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitùs extraneas. Profanas, inquit, vocum nouitates. Vocum, id eſt dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ. Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt vt fides beatorum Patrum aut tota, aut certè magna ex parte violetur: neceſſe eſt vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, omnes Clerici, Leuitæ, & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot inſulæ, prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet, pronuntietur. Profanas, inquit, vocum nouitates deuita, quas recipere atque ſectari, numquam Catholicorum, ſemper verò hæreticorum fuit. Et reuerà, quæ vmquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Quis vmquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreuerit?* Et poſt pauca: *Hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolemne eſt ac legitimum, vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc ferè proprium, depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſeruare, damnare profanas nouitates: & ſicut dixit, atque iterùm prædixit Apoſtolus: Si quis annuntiauerit præterquam quod acceptum eſt, anathema ſit.*

PRÆLVDIVM TERTIVM.

Concilium conuocare ad quem pertineat.

NON eſt hîc quæſtio de Conciliis Diœceſanis, quæ ab Epiſcopo; neque de Prouincialibus, quæ ab Archiepiſcopo; neque de Nationalibus, quæ à Patriarcha vel Primate conuocanda eſſe, non ſolùm Catholici, verùm & hæretici fatentur: ſed de Conciliis Generalibus, à quonam conuocari debeant. Nam Catholici, munus conuocandi Concilia Generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt; ſic tamen, vt poſſit etiam alius, Pontifice conſentiente, Concilium indicere; quin etiam ſatis ſit, ſi indictionem factam ipſe poſteà ratam habeat & confirmet: at ſi nec ipſe indicat Concilium, nec aliquis alius de eius mandato vel conſenſu, nec ipſe ſaltem approbet indictionem, illud non Concilium, ſed conciliabulum fore. Hæretici verò noſtri temporis eam auctoritatem Imperatori tribuunt. Ita diſertè Lutherus lib. de Conciliis, pag. 58. vbi etiam dicit, ideò vocari Concilia Vniuerſalia, quia ab vniuerſali omnium Domino Imperatore cogebantur. Hinc Carolus Molinæus in Conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §. 6. inde probat, non eſſe recipiendum Concilium Tridentinum, quia non ab Imperatore, ſed à Pontifice indictum fuit. ſic etiam libellus Proteſtantium, ſic Caluinus, Magdeburgenſes, Brentius, & alij communiter. Contra quos ſit

ASSERTIO PRIMA. Conuocare Generale Concilium, ad Papam ſolum pertinet. Et probatur Primò, Quia Conciliorum auctoritas pendet ab auctoritate Summi Pontificis, velut à capite: ergo congregari non poſſunt abſque illius

illius conſenſu, cùm ſit Paſtor Eccleſiæ, ad quem illius regimen ſpectat. Secundò, Quia Conciliorum decreta nullum robur habent, niſi ſint à Summo Pontifice approbata: igitur non poteſt Concilium congregari abſque ipſius auctoritate. Tertiò, Quia Pontifex Conciliorũ decreta circa fidei dogmata & corrigere & damnare poteſt, quia Chriſti Vicarius eſt, quia toti Eccleſiæ præſidet; cui cùm tota Eccleſia velut Chriſto ſubiecta ſit, vtique ſine eo congregari Concilia ritè non poſſunt. Quartò, Quia praxis docet, quàm multa Concilia, quæ Generalia putabantur, hac ratione à Summis Pontificibus damnata ſunt & reprobata, quia ſine ipſorum auctoritate congregata fuerint. Sic Epheſina II. Synodus, quam Generalem appellant, à Leone Magno damnata fuit. Item Ariminenſe Concilium ſub Conſtantio: & Synodus Conſtantinopolitana ſub Leone Iſaurico: alia etiam ſub Conſtantino Copronymo eodem modo à Pontificibus reprobata fuerunt. Denique id apertè pronuntiat Nicolaus I. epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, circa medium, vbi ſic dicit: *Romana Eccleſia collecta Concilia ſua auctoritate firmat, ſua moderatione cuſtodit. Vnde quædam eorum, quia conſenſum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.*

Contra hanc Aſſertionem tamen obiiciunt Primò hæretici, quòd Concilia olim ab Imperatoribus conuocari ſolita fuerint: ex quo arguunt, ius conuocandorum Conciliorum ad Reges ac ſæculares Principes ſpectare.

Ad hoc reſpondeo, quòd nuſquam apud Hiſtoriographos reperient, Imperatores (modò Catholici, non hæretici extiterint) abſque Romani Pontificis aſſenſu Concilium legitimum conuocaſſe. Plurimi quidem ex ijs, cùm religioſiſſimi eſſent, & ſummopere, quæ Chriſtianæ Religionis erant, curarent, cùm Eccleſiam aliqua hæreſi infeſtari cernerent, vel ſpontè Concilia à Romanis Pontificibus petebant; vel ab ipſis conuocanda, ſi quando Concilij locus eorum ditioni ſubiiceretur, ita ſua auctoritate communiebant, vt liberam poteſtatem Pontifici facerent, in ea vrbe Concilium celebrandi; imò verò ſeipſos Concilij fautores ac propugnatores exhiberent: quo fit, vt ſeipſos potiùs Pontificiæ auctoritatis miniſtros, quàm riuales ac dominos præberent. At hi Concilia ſuo nomine minimè congregabant, ſed vel poſtulante, vel annuente Pontifice ea cogenda curabant. Id ex multis Synodorum teſtimoniis, ac Imperatorum reſcriptis apertè conſtat. Referam hîc verba Martiani Imperatoris, quæ extant in Act. 6. Concilij Chalcedonenſis: *Nos*, inquit, *ad fidem roborandam, non ad potentiam aliquam oſtendendam ſiue exercendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus: vt veritate inuenta, non vlterà multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet: vel ne vlteriùs prauis perſuaſionibus à recta ſeparentur fide.* Hæc ille. Vnde in cap. Sexta Synodus, diſt. 16. ſic habetur: *Sexta Synodus Vniuerſalis Conſtantinopoli celebrata eſt, & Græco ſermone conſcripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente piiſſimo Principe Conſtantino.* De Nicena Synodo, quam à Conſtantino Magno congregatam eſſe dicunt, item de Conſtantinopolitano I. de Chalcedonenſi, quas tum à Theodoſio tum à Martiano abſque aſſenſu Pontificis collectas eſſe opponunt, mera ſunt mendacia: nam Acta Sextæ Synodi Act. 18. & Damaſus in Pontificali teſtantur, Nicenum Concilium Silueſtri iuſſu celebratum fuiſſe: & quòd etiam fuerit confirmatum, habetur in Concilio Romano Can. 20. in his verbis: *Silueſter Epiſcopus, ſancta & Apoſtolicæ Sedis Præſul vrbis Romæ dixit: Quidquid in Nicea Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ à ſanctis Sacerdotibus 318. noſtro ore confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere diffinitionem ſancti & magni Concilij, quod apud Niceam congregatum eſt ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathe-*

anathematizamus. Præterea Conſtantinopolitanum I. teſte Theodoreto lib.5. Hiſt. cap.9. non à Theodoſio, ſed à Damaſo conuocatum fuit: neque aliud præſtitit Theodoſius, quàm quòd Damaſi epiſtolam, qua Concilium indicebatur, ad Epiſcopos miſit. Denique Chalcedonenſe Concilium non à Martiano, ſed à Leone coactum fuit; vt patet ex epiſtola Martiani ad Leonem, in qua petit à Leone, vt omnia quæ ad Concilium pertinent, ſua auctoritate definiat. Et in Concilio Romano ſub Symmacho habetur, quòd cùm Rex Theodoricus diceret, ſe conuocaſſe Synodum in cauſa Symmachi Papæ; reſponderunt Epiſcopi omnes: Non Regis, ſed Papæ eſt conuocare Concilium. Et quantumuis Rex aſſereret, ſe ex voluntate Pontificis Romani id egiſſe; numquam tamen acquieuerunt, quin proferret Pontificis literas, & Pontifex teſtaretur id eſſe. Et Concilium Lateranenſe vltimum de hoc particulare fecit decretum, vno anno ante natam Lutheri hæreſim. Vide Bellarm.lib.1.de Conc. & Eccleſ. cap.12. & 14. & Turrecrem. lib.3.cap.6.

Sed quæſo: Si in Conciliis ipſis poteſt agi de deponendo Imperatore, & de transferendo Imperio, vt multoties factum eſt: quomodo ab Imperatore debet cogi Concilium? Quòd verò in Conciliis id fieri poſſit, non ſolùm id Conciliorum & Pontificum decreta confirmant & decernunt; verùm & ipſi antiqui piiſſimi Imperatores id fatentur: ſic enim dicunt & fatentur Ludouicus & Lotharius Imperatores, vt habetur in epiſtola liminari, quæ eſt ante Pariſienſe III. Concilium, vbi hæc habentur: *Tractare, quærere, & cum Dei adiutorio definire debent Epiſcopi de cauſis ad Religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus, quid à Principibus ac reliquo populo, vel ita vt diuina auctoritas docet, aut aliter teneatur: vel quid inde ex parte vel ex toto dimiſſum ſit, vt non teneatur.* & multa alia ibi habentur, prout retulimus ſuprà in præcedenti Præludio ſub Aſſert.2.ibi, *Præterea hæc Conciliorum neceſſitas.* hîc ſolùm ponderamus, quòd ex ſententia ipſorummet Imperatorum in Conciliis tractari poteſt de moribus & de fide ipſorũ Imperatorum. Si ergo Imperatores ipſi de iure ſubiacent Conciliorum decretis; nullo pacto dicendum eſt, ad eos pertinere congregare Concilia.

Quòd autem ipſi Imperatores Conciliorum decretis ſint ſubiecti, audiant ipſi Chryſoſtomum ſic loquentem in Hom.33. in Matth. *Si Dux quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi qui diademate coronatur, indignè adeat, cohibe, & coërce: maiorem tu illo poteſtatem habes.* Item Hom.4. de verbis Iſaiæ: *Alij,* inquit, *ſunt termini Regni, alij Sacerdotij. Hoc Regnum illo maius eſt. Neque enim ex his quæ videntur hîc declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis: neque ex auro quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda: ceterùm, Sacerdotij ius à ſupernis deſcendit: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Regi ea quæ hîc ſunt, commiſſa ſunt, mihi cæleſtia: mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo.* Denique concludit Chryſoſtomus: *Maior hic Principatus: propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis.* Si ergo Imperator ſubditus eſt & Regno ſacerdotali ſubiectus, quomodo poterit ipſos cogere? quomodo Concilium propria auctoritate congregabit? Non ergo ad Imperatorem, ſed ad Papam id pertinet, qui & ipſis Imperatoribus præeſt.

Scio, & optimè ſcio, quòd Imperatorum conſenſus nonnumquam ad Concilia celebranda à Pontificibus exquiritur: ſed de hoc optima cauſa eſt, & olim etiam fuit, quòd cùm Imperatores toto ferè orbe imperarent, & Concilia in iis regionibus, quæ Imperatoribus ſubiectæ erant, ſæpè celebrari ſolerent; æquum ſanè erat, vt ea abſque Imperatorum licentia non fierent, præſertim cùm ex toto orbe conuentus fieret: id enim politicæ gubernationis ratio exigebat. Sed numquam

Digitized by Google

quam reperitur, Imperatorem aliquem Catholicum propria auctoritate Concilium conuocaſſe, cùm hoc ad ſolum Papam pertineat, vt ſuprà viſum eſt.

Confirmat hoc Marcellus Papa in Epiſtola Decretali ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, vbi inter cetera, duo determinantur. Primò, De primatu Eccleſiæ Romanæ, ad quam omnes, quaſi ad caput, iuxta Apoſtolorum ſanctiones, Epiſcopi ſuffugere, eamque appellare debent. Deinde, Vt nulla Synodus fieret præter eiuſdem Sedis auctoritatem. Quod etiam determinatur in Synodo II. Nicena, quam Græci Septimam Generalem appellant, Act.6. in primo Tomo, in principio. Et Pelagius II. qui Gregorij Magni in Apoſtolica Sede prædeceſſor fuit, ſic ait in epiſt.1. ad Epiſcopos, qui Conſtantinopolim cum Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo ad Concilium conuenerant, declarat, nullam vmquam Synodum ratam fuiſſe, quæ Apoſtolicæ auctoritatis præſidio munita non fuerit. Hæc ſunt illius verba: *Relatum eſt ad Apoſtolicam Sedem, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum Vniuerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare Generalem, cùm Generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari priuilegio ſit tradita: & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ auctoritate Apoſtolica non fuerit fulta.* Denique nulla Concilia vmquam pro legitimis habita fuiſſe, quæ à Romano Pontifice confirmata non fuerint, teſtatur Adrianus I. epiſt. ad Conſtantinum & Irenem matrem, quæ lecta eſt Act.1. Secundæ Nicenæ Synodi: *Romana Eccleſia,* ait, *quæ ſemper & tenuit & retinet principatum, vnamquamque Synodum & ſua auctoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit.*

Verùm contra ſupradicta, duo affirmat Brentius: Vnum eſt, Optimates Eccleſiæ eſſe Principes ſæculares: Epiſcopos verò adeò Brentius deprimit, vt velit eſſe Principum mancipia. Sed hoc vltimum facilè ei concederem de illis, qui vice Epiſcoporum apud hæreticos ſunt, nempe de eorum Miniſtris, qui cùm nullam veram dignitatem Eccleſiaſticam habeant, non mirum quòd Principum ſint mancipia: non ſic autem eſt de noſtris Epiſcopis; qui cùm veram dignitatem Eccleſiaſticam habeant, nullo pacto tale epithetum eis conuenire poteſt. Alterum quod affirmat Brentius, eſt, ad hos Optimates curam & regimen Eccleſiæ præcipuè pertinere. Quos errores habuit etiam Henricus VIII. Angliæ Rex. Is enim ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, & eodem modo cenſuit, alios Principes capita ſupremæ Eccleſiæ in ſuis Ditionibus eſſe debere.

Primus error facilè conuincitur ex illis verbis Pſalmi 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Quæ verba D. Auguſtinus ſic explicat: *Pro patribus, Apoſtolis, nati ſunt filij, id eſt fideles multi, quos Deus conſtituit Epiſcopos, & eo modo Principes ſuper omnem terram.* & S. Hieronymus in eumdem locum, *Fuerunt,* inquit, *ô Eccleſia, Apoſtoli patres tui, quia ipſi te genuerunt: nunc autem quia illi receſſerunt à mundo, habes pro his Epiſcopos filios.* & infrà: *Principes Eccleſiæ, id eſt, Epiſcopi conſtituti ſunt.* Et Apoſtolus 1. Cor. 12. *Poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, &c.* Ergo ſi primi ſunt Apoſtoli, qui Epiſcopi fuerunt, & quibus Epiſcopi ſuccedunt; certè primi non ſunt Reges & Principes ſæculares. imò, vt rectè annotat Damaſcenus Orat.2. pro Imaginibus, Apoſtolus Reges non ſolùm non poſuit primo loco, ſed nec vllo alio: vt indicaret, non eſſe Reges Eccleſiæ magiſtratus, ſed tantùm ſæculi. Secundò refutatur ex Patribus: Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes, nihil eſſe dicit honorabilius Epiſcopo in Eccleſia: & addit, primum honorem deberi Deo, ſecundum Epiſcopo, tertium Regi. Nazianzenus Orat. ad ciues timore perculſos, Chryſoſtomus lib.3. de Sacerdotio, & Hom.4. in

cap.6. Iſaiæ, Ambroſius lib.de Dignitate Sacerdot. c.2. Epiſcopum Regi apertiſſimè anteponunt. Quin etiam Chryſoſtomus Homil.83.in Matth. Reges non Epiſcopis ſolùm, ſed etiam ſubdiaconis ſubiicit: ſic enim ad Diaconum ſuum loquitur: *Si Dux*, inquit, *quiſpiam, ſi Conſul, ſi is qui diademate coronatur, indignè adeat, cohibe, & coërce: maiorem tu illo poteſtatem habes.* Et Gelaſius in epiſt. ad Anaſtaſium, *Noſti*, inquit, *fili clementiſſime, quòd licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum; tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis.* & infrà, *Subdi*, inquit, *te debere cognoſcis religionis ordine potiùs quàm præeſſe: noſti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem.*

Factis etiam id habemus: nam Fabianus Papa primum Imperatorem Chriſtianum Philippum excluſit à communione Sacramenti Altaris in die Paſchatis propter quædam eius peccata publica; nec anteà eum admiſit, quàm ille confeſſione & pœnitentia peccata purgauit: ſic Euſeb.lib. 6.Hiſt.cap.25. Item Conſtantinus apertè profeſſus eſt, de Epiſcopis ſe iudicare non poſſe, vt qui Dij quidam ſunt; ſed contrà potiùs eorum ſe ſtare ſubiectum iudicio, ſcribit Ruffinus lib.1.c.2.Hiſtor. Theodoſium Seniorem B. Ambroſius ab Eccleſiæ liminibus expulit, & pœnitentiam publicam ſubire coëgit: ac deinde, cùm Imperator ad loca Sacerdotum aſcendere, atque ibidem ſedere vellet, iuſſit eum Ambroſius deſcendere, & cum plebe conſiſtere: id quod ille libenter fecit, ſcribit Theodoretus lib.5.Hiſtoriar. cap.17. Præterea Principatus ſæcularis inſtitutus eſt ab hominibus, eſtque de Iure Gentium: at Principatus Eccleſiaſticus eſt à ſolo Deo, & de Iure diuino: ergo.

Poſterior Brentij error, ex ijs quæ dicta ſunt, facilè refutatur: ſi enim Principes non ſunt Eccleſiæ Optimates, ad eos non pertinet Ariſtocratia Eccleſiæ. Et præterea regimen Eccleſiæ ſupernaturale eſt: nemini igitur conuenit, niſi cui Deus commiſit. Legimus autem in Scripturis commiſſum Apoſtolis & Epiſcopis, eorumque ſucceſſoribus: nam Petro dictum eſt, *Paſce oues meas*: Ioan.vlt. & de Epiſcopis dicitur Act.20. *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* De Regibus nihil eiuſmodi vſquam legimus.

Nec exempla veteris Teſtamenti, quæ Brentius pro ſe affert, cogunt; nam Moyſes non ſolùm Dux, verùm & Sacerdos fuit: alij autem quædam interdum egerunt extraordinaria auctoritate, non tam vt Reges, quàm vt Prophetæ. Sed non propterea delenda eſt lex illa Deut.17. in qua ordinariè in dubiis de religione remittebantur homines non ad Regem, ſed ad Sacerdotem Leuitici generis. Quocircà Ozias punitus eſt lepra, quòd munus Sacerdotis ſibi aſſumpſiſſet.

Inſtat, quòd Regibus cura demandata eſt Legis diuinæ, & idcircò ad eos cura Eccleſiæ pertinet: ait enim Apoſtolus Rom.13. *Non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Reſpondetur, Reges cuſtodes eſſe debere Legum diuinarum, ſed non interpretes: ipſorũ eſt enim, edictis & pœnis impedire blaſphemias, hæreſes, ſacrilegia: quæ ſint autem hæreſes, & contrà, quæ ſit fides orthodoxa, ab Epiſcopis diſcere debent: quod Imperatores pios Conſtantinum, Valentinianum, Gratianum, Theodoſium, Martianum feciſſe, ex ipſo Codice cognoſci poteſt, L. Cunctos populos. de Summa Trinit. & fide Cathol. Sic ergo ex dictis patet, quòd non ad Imperatorem, ſed ad Papam pertinet conuocare Concilium. Idem etiam eſt aſſerendum de præſidentia in eodem Concilio: vnde ſit

ASSERTIO SECVNDA. Ad Papam pertinet, ſiue per ſe, ſiue per ſuos Legatos præſidere in Concilio Generali, non autem ad Imperatorem. Hæc Aſſertio relinquitur probata ex dictis in prima Aſſertione: nam ſi ad Papam perti-

net conuocare Concilium; ad ipſum etiam pertinet ibi præſidere, cùm ſit Caput, & ſupremus omnium Epiſcoporum totiuſque Eccleſiæ Præſes.

Hæretici noſtri temporis docent, ordinarium Præſidem Conciliorum debere eſſe Imperatorem, vel aliquem ab eo miſſum: vel ſi nullum ipſe mittat, debere ab ipſa Synodo conſtitui. Et reipſa dicunt, in Conciliis Generalibus antiquis non præfuiſse ferè vmquam Romanum Pontificem; ſed vel Imperatorem, aut eius Legatos, vel antiquiorem Patriarcham, aut Epiſcopum eius loci vbi fiebat Concilium. Ita docent Magdeburgenſes Cent.4.cap.7.col.536. Caluin.lib.4.Inſtitut. c.7.§.1.& 2. Carolus Molinæus in Conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §.4. vbi apertè mentitur, cùm ait, Legatos Pontificis poſt omnes Epiſcopos in Conciliis ſemper ſediſſe: cùm in nullo Concilio inueniatur, vltimo loco ſediſſe. Hermannus Hamelmannus lib.3. Proleg. cap.8. & Brentius in Prolegom. contra Petrum à Soto.

Catholici omnes econtrà id munus propriè eſſe docent Summi Pontificis, vt per ſe vel per Legatos Synodo præſideat, & tamquam ſupremus Iudex omnia moderetur. Dicimus autem, *per ſe, vel per Legatos*, quia Summus Pontifex numquam interfuit Conciliis Orientalibus per ſe: neque id factum eſt caſu, ſed certa ratione, vt patet ex epiſtola Leonis 17. ad Theodoſium, & 47. ad Concilium Chalcedonenſe, vbi dicit, ſe non venire ad Synodum, quoniam id non patitur conſuetudo, nec vlla Prædeceſſorum habet de hac re exempla. Et confirmatur hoc, quia Vigilius Papa erat Conſtantinopoli, cùm fieret in ea ciuitate Concilium V. Generale, & tamen noluit intereſſe, ſed per libellum confirmauit Acta Concilij, vt ſcribit Photius in libro de Septem Synodis. Ipſi etiam Imperatores cùm indicebant Concilia ex permiſſione Summi Pontifici, alios omnes Epiſcopos per edictum præcipiendo vocabant; Romanum autem inuitabant, vt dignaretur venire, ſi ei placeret, vt patet ex epiſt. Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Chalcedonenſe.

Probatur autem Aſſertio ex praxi octo Conciliorum Generalium: nam quòd in aliis Romanus Pontifex præfuerit, etiam aduerſarij fatentur. In Primo igitur Concilio Generali Nicæno Imperator Conſtantinus poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, vt teſtatur Baſilius Imperator in fine VIII. Synodi: at Præſes primo loco ſubſcripſit. Deinde, Conſtantinus non eſt auſus ſedere, niſi in ſede humiliori quàm eſſent Epiſcoporum, & annuentibus Epiſcopis, vt colligitur ex Theodoreto, lib.1.c.7. Hiſt. & Euſeb. lib.3. de Vita Conſtantini. Præterea, Conſtantinus in ipſo Concilio profeſſus eſt, ſe debere ab Epiſcopis iudicari, eiſque ſubiectum eſſe, non præpoſitum, vt ſcribit Ruffinus lib.10.c.2. Quòd ergo Præſides fuerint Legati Pontificis, Epiſcopus Hoſius, Vitus & Vincentius Presbyteri, probatur ex ſubſcriptione: nam hi tres primi omnium ſubſcripſerunt. & idem affirmant Cedrenus in Compend. Hiſtoriar. & Photius in lib. de Septem Synodis, qui dicunt, Silueſtrum per ſuos Legatos Concilio Nicæno auctoritatem contuliſſe.

In II. Concilio Generali, Conſtantinopolitano I. conſtat non præſediſſe Imperatorem, ſed tantùm miſiſse ad Epiſcopos literas Romani Pontificis, quibus ad Concilium vocabantur, vt patet ex epiſt. Concilij ad Damaſum apud Theodoretum lib.5. cap.9. Conſtat autem ibi præſediſse Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cuius rei cauſſa fuit, quia Romanus Pontifex non interfuit, nec per ſe, nec per Legatos: quia eodem tempore Damaſus Papa conuocauerat quidem Epiſcopos Orientis Conſtantinopolim, ſed ex eo loco poſteà volebat eos Romam venire, vbi ipſe coëgerat Synodum Epiſcoporum Occidenta-

dentalium, vt Romæ fieret pleniſſimum Concilium. Ceterùm, cùm ex legitima cauſa à Damaſo acceptata, Orientales Epiſcopi Romam venire non potuerint, ipſi Orientales coniunxerunt ſe animis & ſententiis cum Occidentalibus, non autem præſentia corporali. Recognouerunt tamen ipſum Damaſum vt Caput ſuum, & ipſe filios eos vocauit, vt patet ex eorum epiſtolis, quæ extant.

In Concilio III. Generali, Epheſino I. non præſedit Imperator, nec aliquis nomine eius, vt patet ex epiſtola ipſius Theodoſij Iunioris ad Synodum Epheſinam, quæ habetur Tom. 1. eius Concilij, c. 32. vbi dicit, ſe miſiſſe Candidianum Comitem ad Concilium, non vt miſceret ſe quæſtionibus Eccleſiaſticis, ſed ad Synodi defenſionem. Præſedit autem Pontifex Cæleſtinus per Legatum ſuum S. Cyrillum: Euagr. lib. 1. c. 4. Photius in lib. de Septem Synodis, Proſper in Chronico, Nicephorus lib. 14. c. 34.

In IV. Concilio Generali Chalcedonenſi, licet Martianus Imperator ſederit in primo loco, non tamen præſedit vt Iudex, vt ipſemet teſtatus eſt in Oratione ad Synodum, quæ extat Act. 1. ſed vt fides à Concilio explicata, firma ac tuta conſiſteret, defenſa videlicet Imperatoris ope & auctoritate. Hoc autem neceſſe fuit, quia Dioſcorus Epiſcopus in Concilio Epheſino II. militibus introductis, cogere volebat ad ſubſcribendum: vnde ne in hoc Concilio id tentaretur, Imperator interfuit. Præfuerunt autem vt Iudices Legati Leonis Papæ: vnde in omnibus Actionibus ipſi primi nominantur, primi ſedent, primi loquuntur, primi ſubſcribunt, ipſi ſententiam diffinitiuam in Dioſcorum proferunt nomine Papæ & totius Concilij, Act. 3.

In V. Concilio Generali, Conſtantinopolitano II. præſedit non Menas, (vt falsò Caluinus docet:) Concilium enim à Mena celebratum, non Generale, ſed Particulare fuit: ſed Eutychius Menæ ſucceſſor, qui tamen agnouit & profeſſus eſt, præſidentiam debitam fuiſſe Romano Pontifici, ſi is intereſſe Concilio voluiſſet. Sic Zonaras in Vita Iuſtiniani.

In VI. Concilio Generali, Conſtantinopolitano III. Præſides fuerunt Legati Agathonis Romani Pontificis, Petrus ſcilicet & Georgius Presbyteri, ac Ioannes Diaconus. Sic Zonaras in Vita Conſtantini IV. Interfuit etiam in hac Synodo, & in primo loco ſedit Imperator Conſtantinus, cum nonnullis viris illuſtribus, ſed non tamquam Iudex, aut formaliter Præſes: nam nullam ſententiam tulit, & vltimus omnium ſubſcripſit.

In VII. Generali Concilio, Nicæno II. ſine controuerſia Præſides fuerunt Legati Papæ Adriani I. Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas S. Sabæ. Iſti enim primi nominantur, & primi ſubſcribunt: Imperator autem nihil in hac Synodo eſſe legitur.

In VIII. Concilio Generali, Conſtantinopolitano IV. ſine controuerſia etiam Legati Adriani II. præſederunt, videlicet Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus, qui primi nominantur, & ſubſcribunt, & in ipſa prima Actione rogati à Concilio, literas Papæ oſtenderunt, quibus daretur eis præſidentia; quod & factum eſt. Imperator autem Baſilius adfuit quidem, ſed in fine Concilij teſtatus eſt longa Oratione, non eſſe ſuum, nec vllius hominis laici, miſcere ſe Eccleſiaſticis iudiciis, & tandem ſubſcripſit poſt omnes Patriarchas, non definiens, ſed ſuſcipiens & conſentiens. His omnibus Conciliis etiam ſequentia Generalia Concilia adiunguntur, quæ ſicut à Papa ſunt congregata, vel ex eius auctoritate; ita in eis ſemper præſedit per ſe, vel per ſuos Legatos, vt patet. Probata eſt ergo Aſſertio ſecunda, de Præſidentia in Concilio.

Dubitatur hîc, An in aliquo caſu liceat Concilium indici ab alio, quàm à

Papa: vtputa, ſi Concilium ſit neceſſarium Eccleſiæ, & tamen Papa nolit illud indicere. Turrecremata lib.3. c.8. reſpondet, vix eſſe poſſibilem eum caſum: non enim credibile eſt, vllum Pontificem fore tam malum, qui non velit Concilium celebrari, ſi apertè conſtet id eſſe Eccleſiæ neceſſarium propter eius conſeruationem: quòd ſi etiam ipſe ex ſe talis eſſet; tamen Deus, qui Eccleſiam conſeruat, ſine dubio vel eius mentem mutaret, vel eum de medio tolleret. Si verò nihil horum fieret, poſse eum haberi tamquam ſuſpectum de hæreſi: nam vt dicitur diſt.83.can. Error. & ſeqq. qui errori manifeſto non reſiſtit, cùm poſſit & debeat, eum approbare cenſetur.

Quid ſi Papa ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus? Reſpondeo, quòd loquendo de Concilio Generali cum poteſtate diffiniendi quæ ſunt de fide, nullus ſine Pontificis auctoritate poteſt conuocare Concilium. Nam præcipua auctoritas eſt in capite, ſiue in Petro, cui imperatum eſt vt confirmet fratres ſuos: & ideò etiam pro eo orauit Dominus, ne deficeret fides eius: Luc.22. Poterit tamen in tali caſu congregari Concilium imperfectum, quod ſufficeret ad prouidendum Eccleſiæ de capite. Eccleſia enim ſine dubio habet poteſtatem prouidendi ſibi de capite, quamuis non poſſit ſine capite ſtatuere de multis, de quibus poteſt cum capite, vt rectè docet Caietanus in Opuſculo de Poteſtate Papæ, c.15.& 16.& multò antè Presbyteri Romanæ Eccleſiæ in epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt 7. lib.2. in Operibus Cypriani. Tale autem Concilium imperfectum fieri poterit, ſiue indicatur à Collegio Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum vnum conueniant; vel ab Imperatore, & à Rege.

PRÆLVDIVM QVARTVM.

Ad Concilium quæ perſonæ conuocandæ ſunt?

SENTENTIA hæreticorum noſtri temporis eſt, ad Concilium ex omni genere hominum debere intereſse eos qui eruditi ſunt: & omnes debere eſse iudices, atque habere ſuffragium deciſiuum, quidquid ſit de aliis muneribus. Sic Lutherus in lib. de Conciliis, par.2.pag.264. vbi vult, ex omnibus locis debere congregari ad 300. homines doctos in ſacra Scriptura. Idem ſcribunt Proteſtantes in eo libro, quem inſcripſerunt, Cauſa cur Electores, & ceteri Confeſſioni Auguſtanæ addicti, ad Concilium Tridentinum non accedunt. Idem Carolus Molinæus in ſuo Conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §.28. Idem Magdeburgenſes Cent.1.lib.2.cap.9.col.548.

Catholicorum verò ſententia eſt, ſolos Prælatos maiores eoſque omnes, id eſt, Epiſcopos in Conciliis Generalibus & Prouincialibus habere ius ſuffragij deciſiui ordinariè; ex Priuilegio autem & conſuetudine, etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet Epiſcopi non ſint: ex Presbyteris autem, & aliis Clericis minoribus, tantùm vocari aliquos viros doctos, qui iuuent in diſputando, vel aliis miniſteriis: Principes autem vocari, tum vt Concilium defendant, tum vt teſtes & conſcij decretorum Concilij, poſteà tranſgreſſores & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique ex priuatis laicis tantùm vocari aliquos, qui videantur vtiles vel neceſſarij ad aliquod miniſterium Concilij. Hæc ſententia quòd ſit Catholicorum, patet ex praxi Concilij Tridentini, cui prædictæ perſonæ interfuerunt: patet etiam ex Ioanne de Turrecremata,

lib.

Digitized by Google

lib.3.cap.12. & 15. & aliis Catholicis Auctoribus. Pro reſolutione ergo ſit

Assertio prima. Ad Concilium ſoli Prælati maiores, id eſt Epiſcopi omnes, de iure conuocari debent, & venire tenentur. Probatur hæc Aſſertio Primò, quia definire quæ ſunt credenda vel agenda, eſt propriè homines paſcere: & proinde paſtoribus animarum proprium. Ierem.3. *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* At in Eccleſia non ſunt paſtores niſi Epiſcopi; alioquin, ſi omnes ſunt paſtores, vbi ſunt oues? Secundò probatur teſtimoniis, Euſebij lib.5.cap.22. Cypriani init.epiſt.ad Iubaianum, Hilarij lib. de Synodis, Ambroſij epiſt.32. Hieronymi lib. 2. Apolog. in Ruffinum, Auguſtini epiſt.119. Leonis epiſt.16.& ſeq. Athanaſij epiſt.ad ſolitariam vitam agentes, &c. aſſerentium, Concilia Epiſcoporum eſſe. Theodoſius Iunior epiſt.ad Epheſinam Synodum, & in Concilio Chalcedonenſi cùm ad Martianum Archimandritam mitteretur vt ſubſcriberet; reſpondit, non ſuum eſſe, ſed Epiſcoporum: atque cùm pro Dioſcoro Monachi & laici ingreſſi eſſent, ſæpiùs clamarunt Patres: *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Tertiò conſtat ex ſubſcriptione omnium Conciliorum, vbi ſoli Epiſcopi tamquam iudices inueniuntur ſubſcripti. Quartò, negotia Eccleſiaſtica & publica à perſonis Eccleſiaſticis & publicis tractanda ſunt: tales autem ſunt Epiſcopi ſoli: ergo ſoli ipſi de iure ad Concilium conuocandi ſunt. Dixi, *de iure*, quia ex priuilegio etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum conuocantur, & habent vocem deciſiuam, vt patet ex Actis Concilij Tridentini.

Assertio secvnda. Epiſcopi in Conciliis habent vocem deciſiuam, & ſunt Iudices. Hæretici huius temporis docent, quòd Concilium non eſt niſi inquiſitio, & quòd ſolus Chriſtus, & eius verbum ſcriptum habet ſuffragium deciſiuum. Et inde deducunt, licere vnicuique examinare decreta Concilij, & recipere, vel non recipere, vt voluerit. Ita Lutherus in Aſſertione art.29. Caluinus lib.4. Inſtit.cap.9.§.8. Brentius in Confeſſione Wittembergica, cap. de Scriptura, & cap. de Conciliis. Kemnitius quoque in Examine 4. ſeſs. Conc. Trid. paſſim Catholicos reprehendit, quòd tribuant Epiſcopis prætoriam auctoritatem iudicandi de controuerſiis. Nos verò aſſerimus, conſeſſum Epiſcoporum in Conciliis legitimis eſſe verum Iudicum conſeſſum, & eorum decreta & leges neceſſariò ſequendas.

Probatur Primò ex Scriptura: Deut.17. iubentur, qui dubia habent, recurrere ad Sacerdotum Concilia, & qui non obedierit eorum ſententiæ, morte condemnetur. Matth.18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* Hic enim locus, etſi varias explicationes admittat; tamen cùm Concilium legitimum, omnium conſenſu, maximè propriè dici poſſit Eccleſia, non poteſt vllo modo reiici hæc explicatio, qua aſſerimus, Dominum iuſſiſſe, vt ſententiæ legitimi Concilij obediamus. Præterea Actorum 15. & 16. Paulus pertranſiens ciuitates varias, præcipiebat eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis in Concilio Ieroſolymitano. Vbi tria notanda ſunt. Primò, quòd in eo Concilio non ex Scriptura, ſed ad ſuffragia Apoſtolorum definita fuit quæſtio. Deinde, Apoſtolorum ſententia non fuit permiſſa diſcipulorum examini, ſed ſimpliciter imperatum fuit vt obedirent, vt clariſſimè conſtat ex textu: quare aduerſarij, qui volunt, Conciliorum ſententiam ab vnoquoque homine priuato poſſe examinari, cum diuina Scriptura manifeſtiſſimè pugnant. Tertiò, Concilij Apoſtolici definitionem, veram legem fuiſſe, obligantem in conſcientia, & patet ex textu, nam S. Lucas modò præcepta, modò decreta, & dogmata appellat. Quod autem Eccleſia, Papa, & Con-

cilium ſub hoc ligamine poſſit præcipere, videbimus infrà in ſeptimo Præludio.

Secundò probatur Aſſertio ex ipſis Conciliis: nam Concilia omnia dicunt anathema non obtemperantibus; & vocant ſua decreta, Canones ſiue Leges Eccleſiaſticas. cùm ſubſcribunt Epiſcopi, dicunt: *Ego N. definiens ſubſcripſi.* Præterea in Concilio Chalcedonenſi Act. 4. cùm decem Epiſcopi Ægyptij nollent acquieſcere iudicio maioris partis, pro hæreticis habebantur: quæ omnia apertiſſima ſunt argumenta, quòd Concilia ſunt vera iudicia.

Contra verò prædicta inſurgunt hæretici. Lutherus lib. de Conciliis, par. 2. pag. 264. & Carolus Molineus in ſuo Conſilio de non recipiendo Concilio Tridentino, §. 28. dicunt, Concilia debere conſtare ex omni genere hominum, & vt iudices, debere intereſſe eruditos. Sed reſpondetur, quòd ſi omnes docti admitti deberent, vel nuſquam eſſent Generalia Concilia (quia vix poſſent omnes docti totius Eccleſiæ conuenire) vel multa ſequerentur incommoda. Primò, quia impoſſibile eſſet regere congruè tale Concilium propter multitudinem. Secundò, quia vinceret maior ſententia ſæpè meliorem, & inferiores regerent ſuos ſuperiores: nam plures eſſent inferiores, id eſt docti, quàm Epiſcopi. Tertiò, poſſet facilè Princeps, in cuius ditione fieret Concilium, omnes doctos ſuæ Prouinciæ mittere, & ſic omne Concilium ad ſuam pertrahere ſententiam. Et præterea, dato quòd multi ſæculares ſint ipſis Epiſcopis doctiores, non tamen illis demandata eſt cura animarum, ſicut factum eſt Epiſcopis: ergo non ſæculares docti, ſed Epiſcopi congregari debent de iure ad Concilium. Nam ſicut omnis Reſpublica, ratione naturali docente, habet ordinem in Comitiis; ita vt non quicumque de plebe, ſed tantùm Principes, & ceterorum capita, locum & ſuffragium habeant; ita pariter in Conciliis non quilibet de populo, ſed Principes animarum, quales ſunt Epiſcopi, qui non vocantur tamquam docti, ſed quia ſunt perſonæ publicæ, habentes iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Epiſcopus autem non tamquam populi Legatus, ſed tamquam Paſtor ac Iudex populi in Concilio ſedet: neque ſuffragia, populi aut plebis nomine fert; ſed proprio iure tamquam Iudex in populum Chriſtianum ſententiam profert: quo fit, vt cùm Generale Concilium totam Eccleſiam repræſentare dicitur, non ita intelligendum ſit, quaſi Epiſcopi, qui in Concilio ſedent, plebis iuriſdictionem repræſentent, aut plebis nomine ſuffragia ferant; cùm neque à plebe ad Concilium miſſi ſint, neque ab ea aliquo modo dependeant, cui diuino ipſo Iure præſunt: ſed idcircò Eccleſiam repræſentat, quia Epiſcopos congregatos continet; qui cùm ſint Paſtores Eccleſiæ, per eoſdem Eccleſia ſubſiſtit, ac proinde Eccleſiam ipſam repræſentant.

Meritò autem Epiſcopi ad Concilium vocantur: quia cùm in Conciliis de rebus fidei tractandum ſit, ipſi tamquam fidei lucernæ, non ſolùm plebi ſibi creditæ, verùm & toti Eccleſiæ lumen ferant. Hac de cauſa D. Auguſtinus Tract. 35. in Ioannem, Epiſcopos in Concilio congregatos fidei lucernas vocat. *Ecce,* inquit, *lucernæ perhibent teſtimonium diei propter infirmitatem noſtram, quia diei claritatem tolerare & videre non poſſumus. Nam & nos ipſi, cùm Chriſtiani ſimus, in comparatione quidem infidelium lux iam ſumus, & filij lucis; tamen in comparatione illius lucis, ad quam venturi ſumus, adhuc non eſt etiam dies, in qua ſumus.* Sic ille. Hinc Chriſtus dixit eis, *Vos eſtis lux mundi.*

At dicunt: Communis cauſa, qualis eſt fidei, communibus votis iuuanda eſt, teſte Nicolao I. epiſt. ad Michaëlem, vbi ſic habet: *Vbinam legiſtis, Imperatores anteceſſores noſtros Synodalibus Conuentibus interfuiſſe, niſi fortè in quibuſdam,*

vbi

Digitized by Google

vbi de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad laicos, & omnes omnino pertinet Christianos.

Reſpondetur, cauſam fidei pertinere ad Prælatos, vt Doctores: ad ceteros, vt diſcipulos: ſicut in bello, cauſa victoriæ ad totum ſpectat exercitum: tamen Ducum eſt præcipere, ceterorum pugnare.

Inſtabis, quòd ſæpè vnius hominis, etiam laici, ſententia præpoſita & præponenda eſt ſententiæ totius Eccleſiæ, ſi munita ſit magis auctoritate Scripturæ. Primò, Quia ſcribit Gratianus 36. q. vlt. can. vlt. hoc modo Hieronymi auctoritatem toti Generali Concilio præiudicaſſe. Secundò, Quia ita ſentit Panormitanus in cap. Significaſti. de Elect. Gerſon verò in Tract. de Examine doctrinarum, docet, hominem doctum poſſe & debere toti Concilio reſiſtere, ſi videat, illud ex malitia vel ignorantia errare. Ergo laici & docti vocari debent.

Reſpondetur ad Antecedens, id fieri poſſe quando diſcutitur cauſa, & in Concilio Tridentino patet quòd multi viri docti interfuerunt, etiam à Principibus ipſis ſæcularibus, nedum à Summo Pontifice miſſi: nam in diſcuſſione non auctoritas, ſed eruditio requiritur: non autem in definiendo, aut poſt definitionem: niſi conſtaret, illegitimum fuiſſe Concilium. Ad primam Probationem dicitur, Gratianum loqui de Particulari Concilio, vt patet ex textu. Secundò, verba à Gratiano citata non haberi in Hieronymo. Tertiò, illa non diſſentire à Concilio: ſolùm enim dicunt, ſecundùm Legem veterem licuiſſe raptori ducere raptam in vxorem, ſi pater raptæ conſentiat. Concilium verò, non obſtante illa iudiciali Lege, ſtatuit non licere. Ad Secundam, Illos vel intelligendos eſſe iuxta reſponſionem Antecedentis; vel loqui conditionaliter, ſicut Apoſtolus ait ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis*, &c. Sicut enim non inde licet colligere, Apoſtolos vel Angelos poſſe euangelizare aliquid contrarium Euangelio Chriſti; ſic ex dictis Panormitani & Gerſonis non licet deducere; ergo Concilia abſolutè errare poſſunt, & ideò priuati homines conuocandi. Solùm ergo Epiſcopi conuocandi ſunt de iure, vt tamquam Iudices quæ ſunt fidei determinent.

Hoc cognouit Imperator Conſtantinus, vt habetur in initio Concilij Niceni: nam cùm ex omnibus pænè locis Epiſcopi conueniſſent, & diuerſis ex cauſis inter ſe diuerſa iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis. Offerebantur libelli; culpæ proferebantur, & magis ad hæc, quàm ad id ad quod fuerat ventum, animos dabant. At ille ſuſcepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quod contineretur aperiens, ait ad Epiſcopos: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: ideò nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, vt & veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dij. Conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Et ideò (his omiſſis) alia, quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſcutite.* Hæc ille.

Idem quoque ſenſerunt Ludouicus & Lotharius Imperatores, vt habetur in epiſtola liminari, quæ eſt ante Concilium Pariſienſe III. quòd *Tractare, quærere, & cum Dei adiutorio definire debent Epiſcopi de cauſis ad Religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus, quid à Principibus ac reliquo populo, vel ita vt diuina auctoritas docet, aut aliter teneatur.* Sic piiſſimi Imperatores. Ex quibus patet, quòd ſolùm Epiſcopi ſunt rerum Eccleſiaſticarum Iudices, & quòd nedum plebeios, verùm & Principes ipſos debent iudicare: & quòd ſimul conuenire de-

bent ad Concilium, & tamquam Dei Iudices in cauſis fidei dare iudicium & ſententiam deciſiuam.

Imperatores autem, etſi multoties ipſis Conciliis interfuerint; numquam tamen tamquam Iudices: quia in rebus fidei hoc munus proprium Epiſcoporum eſt. Vocantur benè ad Concilium Principes ſæculares, tum vt Concilium defendant, ſicuti dictum eſt; tum vt tamquam teſtes decretorum Concilij puniant poſteà tranſgreſſores: tum etiam, quia per illos tamquam primores, populi eis ſubiecti repræſentantur. Nam, vt ait Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. *Eccleſia eſt in Epiſcopo*, id eſt, quilibet Epiſcopus perſonam gerit ſuæ Eccleſiæ: ſic etiam Principes ſæculares perſonam omnium ſuorum ſubditorum gerunt. Sed quantum ad deciſionem rerum quæ ſunt de fide, ſolùm ad Epiſcopos pertinet, & ipſi ſoli de iure vocandi ſunt.

Sed contrà adhuc: Si omnes Epiſcopi eſſent Iudices, teneretur Pontifex, qui Concilio præſidet, in decretis faciendis ſequi maiorem partem Epiſcoporum: at falſum eſt, cùm Damaſus irritauerit Acta Concilij Ariminenſis, quibus maior pars Epiſcoporum conſenſerat, vt patet ex epiſtola Damaſi ad Epiſcopos Illyrici: & Leo irritauerit quoddam decretum Concilij Chalcedonenſis, cui etiam maior pars Concilij aſſenſerat, vt ipſe Leo teſtatur epiſt. 53. 54. & 55. Ad hoc dico plura.

Primò, numquam fortaſſe adhuc accidiſſe, vt Pontifex ſequeretur minorem partem in Concilio, quando remota fraude & dolo ſententias dixerunt. Quod dico propter Concilia Ariminenſe & Chalcedonenſe, quæ fraude non caruerunt: nam in Ariminenſi deceptos fuiſſe Catholicos verbi Græci obſcuritate, teſtatur Ruffinus lib. 10. cap. 21. In Chalcedonenſi autem fuiſſe fraudem, patet ex Act. 16. eius Concilij, vbi Vicarij Romani Pontificis conqueruntur, quòd ſe abſentibus fraudulenter factum eſſet illud decretum. Secundò dico, Præſidem Concilij vt Præſidem, debere ſequi in decreto firmando maiorem partem ſuffragiorum: tamen Pontificem, non vt Præſidem, ſed vt Principem Eccleſiæ ſummum, poſſe retractare illud iudicium: & conſequenter, ſi ipſe ſit Præſes Concilij, poſſe, non vt Præſidem, ſed vt Principem ſummum, non ſequi maiorem partem: quemadmodum in temporalibus iudiciis Præſes à Rege conſtitutus debet ſequi maiorem partem Iudicum: tamen Rex tamquam ſuperior, poteſt totum iudicium irritare. Et hoc maximè locum habet in Pontifice, cuius eſt confirmare & dirigere fratres ſuos: & ad hoc habet aſſiſtentiam Spiritus ſancti ne erret, iuxta illud Lucæ 22. *Rogaui pro te, &c. & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* De qua re vide Ioannem à Turrecrem. lib. 3. cap. 63. & 64. & Canum lib. 5. de Locis, cap. 5. q. 2.

Dices: Si Epiſcopi conuocandi ſunt tamquam Iudices, & ad Generale Concilium omnes debent intereſſe; ergo nullum fuit hactenus Concilium Generale, cùm numquam omnes totius orbis Epiſcopi ad aliquod tale Concilium conuenerint; imò neque venturi ſunt in futurum; ergo neque in poſterum haberi poterit vmquam Concilium aliquod Generale.

Reſpondeo cum Bellarmino lib. 1. de Eccleſia & Concil. cap. 17. non poſſe iſtam quæſtionem ſolui meliùs, quàm ex conſuetudine Eccleſiæ, & ex ijs Conciliis, quæ omnium conſenſu Generalia fuerunt, qualia ſunt prima. Ex conſuetudine autem Eccleſiæ colligimus, quatuor conditiones ſufficere & requiri ad Generale Concilium. Prima, Vt euocatio ſit generalis, ita vt innoteſcat omnibus maioribus Chriſtianis prouinciis. Id enim conſtat ſemper fuiſſe ſeruatum: adeò vt Septima Synodus Act. 6. ideò iudicauerit Concilium Conſtantinopoli-

nopolitanum contra Imagines non fuiſſe Generale, quia non exiit ſonus eius in omnem terram. Secunda, Vt ex Epiſcopis nullus excludatur, vndecumque veniat: modò conſtet eum eſſe Epiſcopum, & non excommunicatum. Tertia, Vt adſint per ſe, vel per alios, quatuor præcipui Patriarchæ, præter Summum Pontificem, videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus, quia iſtis ſuberant omnes alij Epiſcopi. Id patet, tum ex vſu, tum ex VII. Synodo, Act. 6. vbi cenſetur Conſtantinopolitanum contra Imagines non fuiſſe Generale Concilium, quia non habuit Patriarchas. Et in VIII. Synodo, Act. 9. recipitur cum gaudio Vicarius Patriarchæ Alexandrini, tamquam ſine illo aliquid defuiſſet Synodi plenitudini. Benè verum eſt, quòd hæc tertia conditio non eſt omnino neceſſaria, ſed tantùm ad benè eſſe: nam Synodus tertia ſine Patriarcha Antiocheno damnauit Neſtorium Conſtantinopolitanum: & Synodus Chalcedonenſis ſine Patriarcha Alexandrino omnia ferè concluſit: & nunc non ſunt neceſſarij iſti Patriarchæ, quia hæretici, vel certè ſchiſmatici ſunt. Quarta, Vt ſaltem ex maiori parte Chriſtianarum prouinciarum aliqui aduenant: & ſi quidem Concilium fit in Oriente, ſemper viſum eſt ſufficere, ſi ex prouinciis omnibus Orientis Epiſcopi conueniant multi; ex toto autem Occidente mittantur aliqui à Summo Pontifice, qui aliorum locum ſuppleant. Et econtrariò, ſi celebretur in Occidente, conueniant ex omnibus prouinciis Occidentis multi; ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum. Sic in Concilio Niceno I. ex Occidente ſolùm fuerunt duo Presbyteri miſſi ex Italia, vnus Epiſcopus ex Gallia, vnus ex Hiſpania, vnus ex Africa. In Concilio II. & III. nulli fuerunt ex Occidente, ſed tamen Pontifices Damaſus & Cæleſtinus Concilia illa confirmarunt nomine ſuo, & aliorum Epiſcoporum Occidentis, quos ipſi Romæ collegerant. In Concilio IV. ſolùm fuerunt Legati Leonis, & præterea miſit ipſe conſenſum aliorum Epiſcoporum Hiſpaniæ, Galliæ, & Italiæ, qui in ſuis prouinciis celebratis Conciliis ad Leonem ſcripſerant, ſe in omnibus eius ſententiam ſequi, vt patet ex Tomis Conciliorum. Econtrariò verò ad Concilia Occidentis, vt Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe ſub Gregorio X. Viennenſe ſub Clemente V. ac nuper Tridentinum, venerunt Epiſcopi frequentes ex toto Occidente, ex Oriente verò pauci quidam dumtaxat. Ex quo ſequitur, poſſe interdum Concilia Nationalia eſſe multò maiora Generalibus quoad numerum Epiſcoporum, & tamen minora quoad auctoritatem: nam Concilium II. tantùm habuit 150. Epiſcopos ex variis prouinciis & nationibus: & Concilium Carthaginenſe Nationale ex ſola Africa, tempore B. Auguſtini, habuit Epiſcopos 217. vt refert Proſper in Chronico anni 420.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLVDIVM QVINTVM.

An Concilium ſit ſupra Papam.

GRAVIS eſt hæc difficultas, vt patet ex his quæ de ea ſcribunt Ioannes de Turrecrem.lib.2.cap.93.& 104. Summæ,de Eccleſia, Sanderus in 7. de Viſibili monarchia, p.540. cùm agit de Concilio Conſtantienſi,Cardinalis Bellarminus l.2. de Concil. cap.14.Bouerius Demonſtr.4.Symboli,de Vnitate doctrinæ fidei, art.11.Thomas Stapletonus lib. Principiorum fidei, Controuerſia 6.q.3.art.5. Antonius Cordubenſis lib.4.q.4. & alij Controuerſiſtæ. Vt autem diligentiùs tractetur,ſciendum

Primò, quòd quidam Concilij auctoritatem ita cum Pontifice comparant, vt velint, Concilium legitimè à Pontifice congregatum, quoad plenam rerum diffiniendarum auctoritatem, Papâ ſuperius eſſe: ita vt eo etiam contradicente, valeat controuerſias fidei definire, Canones conſtituere, iuriſdictionem circa Eccleſiaſticam diſciplinam exercere, atque ea omnia præſtare, quæ Pontifex abſque Concilio poſſet efficere. Quæ opinio olim à Patribus Concilij Piſani in dubium vocata fuit, cùm Eccleſia ob duorum Pontificum ſedes, ſcilicet Gregorij XII. & Benedicti XIII. ſchiſmate laboraret. Deinde rurſus hæc controuerſia ſuſcitata fuit in Concilio Conſtantienſi, cùm Ioannes XXIII. clàm à Concilio diſceſſiſſet. Tum paulò pòſt tempore Concilij Baſileenſis ab inferis excitata: quam tamen defendit Nicolaus Cuſanus de Concord. Cathol. lib.2. cap.17. Hæc opinio eo fundamento nitebatur, quòd crederet, Generali Concilio tamquam vniuerſam Eccleſiam Catholicam repræſentanti hanc poteſtatem immediatè à Deo fuiſſe collatam ex illis verbis Matth.18. *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Id patet ex verbis Conſtantienſis Concilij ab Eccleſia reprobatis: *Hæc ſancta Synodus declarat, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus aut dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & dicti ſchiſmatis extirpationem, & reformationem dictæ Eccleſiæ in capite & in membris.* Eadem verba repetita habentur in Concilio Baſileenſi Act.2. & 18. quæ pari ratione reiecta ſunt.

Alij verò Pontificiam poteſtatem ita cum Conciliorum auctoritate conferunt, vt Pontificis poteſtatem vnam tantùm eſſe ab inferioribus poteſtatibus diſtinctam ſibi perſuadeant: ſed in Concilio Generali omnes poteſtates contineri, eò quòd vniuerſalem Eccleſiam repræſentet, quæ omnes complectitur: ac proptereà Concilium ſupra Papam eſſe ſentiunt, ſicut totum integrale eſt maius ſua parte. Hanc ſententiam defendit Gerſon in Tract. de Poteſt. Eccleſiaſtica, & de Auferibilitate ſponſi.

Alij ferè eodem modo Concilium ſupra Papam eſſe opinantur, quòd Papam ſingulis perſonis & Eccleſiis præeſse exiſtiment: non tamen omnibus ſimul collectis; ſicut Dux Venetiarum: & quando moritur Dux, certum eſt, totam auctoritatem, etiam Ducalem, eſse in Senatu. Denique, qui Eccleſiaſticam poteſtatem primò ac immediatè Eccleſiæ collatam eſse volunt, ij proculdubiò Concilium ſupra Pontificem collocant.

Pro

Digitized by Google

Pro reſolutione autem, priùs videndum eſt, quo ſenſu hæc quæſtio à Doctoribus tractetur: nam poteſt multiplicem habere ſenſum, vt ait Caietanus in Quodlibeto de Poteſtate Papæ, cap. 6. Primo modo poteſt intelligi faciendo comparationem inter caput, ſcilicet Papam, ex vna parte, & reliquum corpus Eccleſiæ vniuerſalis, vel Concilium Generale ſine Papa capite ſuo, & ſine vlla eius auctoritate, ex alia parte. Secundo modo, inter Papam ex vna parte, & totam Eccleſiam vel Concilium Generale ſimul cum ipſo Papa ex altera parte. Tertio modo, inter Papam ſolùm ex vna parte, & totam Eccleſiam congregatam auctoritate Papæ ex altera parte: ita vt poſt legitimam congregationem & auctoritatem ipſius Concilij, vel Eccleſiæ quæ ibi repræſentatur, non includatur ampliùs ibi Papa, nec alia ipſius auctoritas Papalis ad ea quæ ibi dicenda, vel ſtatuenda, aut facienda ſunt.

In primo igitur ſenſu non eſt magna difficultas: omnes enim ferè Catholici conueniunt, quòd Papa eſt ſupra Concilium, & totum corpus Eccleſiæ Catholicæ: ſicut caput & Princeps ſupra ſuum corpus, & ſuam Rempublicam poteſtatem & iuriſdictionem habet, vt in Prælúdio decimo fusè probabitur. Neque enim corpus omnino acephalum verè & perfectè Eccleſia Catholica aut Concilium Vniuerſale eſſe poteſt. Si dicas, quòd Apoſtolica Sede vacante inuenitur vniuerſalis Eccleſia ſine ſuo capite viſibili Papa; dicendum eſt, Eccleſiam tunc vniuerſalem quidem, ſed imperfectam ſine ſuo Capite eſſe: nec ſic diu permanere poſſe ex inſtitutione diuina: & qui neceſſitatem Capitis viſibilis, id eſt Papæ, in Eccleſia negaret, vtique cum Ioanne Hus in Concilio Conſtantienſi condemnato hæreticaret.

In ſecundo verò ſenſu, videlicet inter Papam ex vna parte, & totam Eccleſiam vel Concilium ſimul cum Papa ex altera parte, maior eſt difficultas & varietas opinionum. Nunc autem dicamus, quòd Papa ſimul cum Eccleſia vel Concilio maiorem habet certitudinem infallibilitatis, quamuis per accidens, in diffiniendo circa fidem & mores, quàm ipſe ſolus: non tamen maiorem poteſtatem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Primum patet, quia tunc omnis excluditur ſuſpicio, & plenior cauſæ diſcuſſio, maiorque iudicij ſolemnitas habetur, & alia eiuſmodi, quæ apud iudicium humanum ſententiam omni exceptione maiorem reddere videntur. Ideò ex his non ſequitur maior poteſtas Concilij ſupra Papam, ſicut nec ipſiuſmet Papæ vel Iudicis alterius ſupra ſeipſum, dum ad ipſum pleniùs informandum, vt per ſe vel per alios cauſam tractet, ab ipſo appellatur & ſupplicatur. Patet etiam Secundum, quia hæc poteſtas iuriſdictionis ſoli Papæ à ſolo Domino noſtro Ieſu Chriſto, & non ab Eccleſia eſt inſtituta, atque pleniſſimè collata ſupra totam Eccleſiam: neque quoad hoc Papa quidquam recipit ab ea: ſed ſtatim vt Papa electus eſt, ipſam poteſtatem Papalem habet à Chriſto, vt expreſſè habetur in cap. In nouo. & cap. Quamuis. diſt. 21. & cap. Sacroſancta. diſt. 22. In hoc igitur ſenſu conſtat, quòd Eccleſia vniuerſalis atque Concilium immediatè habet prædictam auctoritatem à Chriſto, ratione Papæ ibi incluſi: nihil enim mediat inter Chriſtum & illam. Sed id ordine quodam intelligendum eſt: nam priùs in Papam, & inde per ipſum in totum corpus Eccleſiæ hanc poteſtatem Chriſtus ipſe diffundit. Hoc itaque modo neque tota Eccleſia vel Concilium ſupra Papam, neque Papa ſupra illam vel illud, ſicut neque ſupra ſeipſum poteſtatem ordinis ſeu iuriſdictionis habet: nam Papa ſimul cum Eccleſia nec facit nec habet maiorem hanc poteſtatem, quàm in ipſo Papa ſolo ſit: quamuis in ipſo ſimul cum Eccleſia plures ſint poteſtates formaliter & extenſiuè diſtinctæ, quæ in ſolo Papa virtualiter

tualiter exiſtentes, ipſam Papalem poteſtatem nec excedunt in virtute, neque maiorem faciunt.

In tertio autem ſenſu, ſcilicet, inter Papam ex vna parte, & Eccleſiam vel Concilium iam legitimè congregatum, ſed ſine alia auctoritate Papæ procedens, ex altera parte: vel ſi inter ſe diſſideant, vter eorum alterum excedat: in hoc eſt præcipua difficultas. Circa quam eſt vna opinio, quòd Concilium ſit ſupra Papam indiſtinctè: quam tenet Ocham in Dialogis, quem ſequuntur Vniuerſitas Pariſienſis; Almainus de Poteſt. Papæ, hanc opinionem magis explicat; Abulenſis ſuper Matth. in Prologo, q.10. & cap.18. q.108. & latiùs in Defenſorio, par.2. cap.69. Driedon. de Dogmat. Eccleſ. lib.4. c.4. & Gerſon de Poteſtate Eccleſiaſtica, & de Auferibilitate Papæ. Opinio ſecunda omnino oppoſita abſolutè tenet, Papam eſſe ſupra Concilium & totam Eccleſiam. ſic tenet S. Bonauentura in 4. Sentent. diſt.19. dub.6. vbi habet: *Dominus Papa non eſt ſubiectus conſtitutionibus Patrum, ſed ſuper omnes eſt: ideò poteſt in eis diſpenſare.* Sic etiam S. Thomas in 2.2. q.1. art.10. & q.11. art.2. ad 3. & in 4. Quodlib. art.13. & Opuſculo 19. Contra impugnantes Religionem, cap.3. & Opuſculo 1. Contra errores Græcorum, c.66.67. & 69. item Turrecrem. in Summa de Eccleſia, lib.2. c.5.27.36. & in Decreto, in cap. Si Papa, diſt.40. item latiùs Caietanus in Quodlibet. de Papa, & Silueſter verbo Papa, verbo Concilium, & Albertus Pighius in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica, Bellarminus lib.2. de Concil. & Eccl. c.14. Bouerius demonſtr. 4. Symb. de Vnitate doctrinæ fidei, art.11. Sanderus lib.7. de Viſibili Monarchia, p.540. cùm agit de Concilio Conſtantienſi, & alij moderniores Controuerſiſtæ. Pro determinatione verò huius difficultatis, ſit

ASSERTIO. Auctoritas Concilij Generalis non eſt ſupra Papam, ſed tota ab eo pendet. Hæc Aſſertio licet olim ingruente aliquo ſchiſmate à pluribus fuerit impugnata; hodie tamen adeò omnium conſenſu recepta eſt, vt nemini ſecùs ſentire liceat, ſicut præcitati Auctores luculentiſſimè oſtendunt. Probatur autem hæc Aſſertio ex Scriptura, ex Conciliis, ex Pontificibus, & ex ratione.

Primò ex Scriptura. Ioan.20. Petrus conſtituitur à Chriſto totius Eccleſiæ Paſtor: *Paſce oues meas.* Ex quo illud neceſſariò ſequitur, Pontificem, qui Petro ſuccedit, eamdem in totam Eccleſiam à Chriſto poteſtatem habere. At Concilium eſt tota Eccleſia repræſentatiuè: igitur Pontifex ex Chriſti inſtitutione habet poteſtatem in Concilium, non econtrà. Deinde, cùm Dominus dixit Petro, Matth.16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* tunc ex communi omnium Patrum conſenſu, totius Eccleſiæ Principatus Petro ac Pontificibus ſucceſſoribus promiſſus fuit. At Princeps toto ſuo Regno non tam ſeorſim diuiſo, quàm coniunctim collecto maior eſt: igitur Pontifex toto Concilio, in quo Eccleſiæ regnum concluditur, maior agnoſci debet. Prætereà Luc.22. dixit Chriſtus Petro: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ex quo loco vniuerſi Patres optimè deducunt, priuilegium infallibilis veritatis in definiendis fidei rebus, non Concilio, ſed Pontifici à Chriſto collatum eſſe: & cùm perſonale ſit, ad ſolos Pontifices tranſire: ac proinde legitima Concilia à Pontifice, qui integræ ac infallibilis veritatis cuſtos eſt, confirmari oportere. Ex quo tandem euincimus, quòd ſi Pontificum eſt, ex Chriſti inſtitutione confirmare Concilia, & quæ illis viſa fuerint, reprobare; planè eadem auctoritate illorum erit Concilijs præeſſe, ac ea ſibi ſubiicere, non econuersò.

Secundò probatur hæc veritas ex Conciliis & Patribus. Primò ex Concilio Sinueſſano, quod non eſt auſum in Marcellinum Pontificem, qui ex timore

thus

Digitized by Google

thus idolis adoleuerat, ac poſteà martyr glorioſus extitit, ſententiam dicere: ſed illis verbis vſum eſſe: *Tuo te ore, non noſtro iudicio iudica: nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Si ergo Pontifex à nemine iudicatur, igitur nec à Concilio poterit iudicari. Et in Concilio Lateranenſi III. & habetur in cap. Licet. Extr. de Elect. ſic habetur: *In Romana Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem haberi recurſus.* Patres etiam Concilij Romani ſub Siluestro, can. vlt. vbi ſic legitur: *Nemo iudicabit primam Sedem.* Idem colligitur ex Concilio Chalcedonenſi ſub Leone, ſect. 3. in quo Dioſcorus Patriarcha Conſtantinopolitanus cum tota Epheſina Synodo II. damnatur: cùm ob alias cauſas, tum potiſſimùm, quia Summum Pontificem damnare auſus fuerat. Hoc ipſum habetur ex altero Concilio Romano ſub Adriano II. cuius verba refert VIII. Synodus, Act. 7. hoc modo: *Romanorum Pontificum Sedem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus, de ea verò quemquam iudicaſſe non legimus.* Idipſum fatetur Lateranenſe Concilium vltimum ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi propoſita decreta à Conſtantienſi ac Baſileenſi Concilio edita reprobat: *Solum,* inquit, *Romanum Pontificem tamquam ſuper omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum ſaciendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum, plenum ius ac poteſtatem habens, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed & propria eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.* Tandem Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. ſeſſ. 7. hoc ipſum diſertè ab vniuerſis tenendum ſtatuit, priorum Conciliorum decreta renouat, & oppoſitam ſententiam velut temerariam ac erroneam explodit.

Accedunt Patrum teſtimonia, quæ idem confirmant. Leo Magnus ep. 84. ad Anaſtaſium. Gelaſius epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ habet hæc verba: *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quòd ſacroſancta Romana Sedes fas habeat de omnibus iudicandi, nec cuique liceat de eius iudicare iudicio.* Nicolaus I. eamdem ſemper fuiſſe Eccleſiæ ſententiam, tradit epiſtola ad Michaëlem. Idem confirmant D. Gregorius lib. 9. epiſt. 38. Paſchalis, vt habetur in cap. Significaſti. Extra. de Elect. Innocentius III. ſerm. 2. de Conſecrat. Pontificis, ac plerique alij Patres, qui omnes concludunt, in Concilio ſtatutum non inueniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint; cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem & robur acceperint, & in eorum ſtatutis, Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.

Vltimo loco probatur Aſſertio Rationibus. Et Primò conſtat, Papam eſſe Chriſti Vicarium, ex ipſo teſtimonio Ioan. 20. quod ſuprà retulimus, cùm ſit legitimus Petri ſucceſſor, quem in Eccleſiæ gubernatione Chriſto ſuffectum eſſe nemo ignorat. Tum etiam ex omnium Patrum ſententia id maximè omnibus Catholicis exploratum eſt. Porrò, ſi Chriſti auctoritas non penderet à Concilio, ſi adhuc viueret in terris; ſed omni Concilio maior eſſet; eadem ratione & Pontificis auctoritas, quæ ipſius Chriſti vicaria eſt, à Concilio pendere non debet, ſed toti Concilio debet eſſe ſuperior: cùm Pontifex non alia in Eccleſia, præterquam Chriſti poteſtate fungatur. Secundò, Concilium ad membra Eccleſiæ pertinet, non ad caput; quod ex ipſa vi nominis conijcitur: Concilium enim Generale, omnium Eccleſiæ membrorum congregationem indicat: atq; hoc modo totius Eccleſiæ imaginem gerit. Pontifex verò, cùm huius Eccleſiaſtici corporis ſit caput, vt in decimo Præludio fusè probamus, toti corpori præeſſe debet: nec inter cetera membra corporis, quaſi gregale aliquod membrum collocari debet, æqua conditione cum ceteris ſubiectum. Ergo non Pontifex Concilio, ſed Concilium Pontifici debet ſubiici: alioquin vel caput

tualiter exiſtentes, ipſam Papalem poteſtatem nec excedunt in virtute, neque maiorem faciunt.

In tertio autem ſenſu, ſcilicet, inter Papam ex vna parte, & Eccleſiam vel Concilium iam legitimè congregatum, ſed ſine alia auctoritate Papæ procedens, ex altera parte: vel ſi inter ſe diſſideant, vter eorum alterum excedat: in hoc eſt præcipua difficultas. Circa quam eſt vna opinio, quòd Concilium ſit ſupra Papam indiſtinctè: quam tenet Ocham in Dialogis, quem ſequuntur Vniuerſitas Pariſienſis; Almainus de Poteſt. Papæ, hanc opinionem magis explicat; Abulenſis ſuper Matth. in Prologo, q. 10. & cap. 18. q. 108. & latiùs in Defenſorio, par. 2. cap. 69. Driedon. de Dogmat. Eccleſ. lib. 4. c. 4. & Gerſon de Poteſtate Eccleſiaſtica, & de Auferibilitate Papæ. Opinio ſecunda omnino oppoſita abſolutè tenet, Papam eſſe ſupra Concilium & totam Eccleſiam. ſic tenet S. Bonauentura in 4. Sentent. diſt. 19. dub. 6. vbi habet: *Dominus Papa non eſt ſubiectus conſtitutionibus Patrum, ſed ſuper omnes eſt: ideò poteſt in eis diſpenſare.* Sic etiam S. Thomas in 2. 2. q. 1. art. 10. & q. 11. art. 2. ad 3. & in 4. Quodlib. art. 13. & Opuſculo 19. Contra impugnantes Religionem, cap. 3. & Opuſculo 1. Contra errores Græcorum, c. 66. 67. & 69. item Turrecrem. in Summa de Eccleſia, lib. 2. c. 5. 27. 36. & in Decreto, in cap. Si Papa, diſt. 40. item latiùs Caietanus in Quodlibet. de Papa, & Silueſter verbo Papa, verbo Concilium, & Albertus Pighius in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica, Bellarminus lib. 2. de Concil. & Eccl. c. 14. Bouerius demonſtr. 4. Symb. de Vnitate doctrinæ fidei, art. 11. Sanderus lib. 7. de Viſibili Monarchia, p. 540. cùm agit de Concilio Conſtantienſi, & alij moderniores Controuerſiſtæ. Pro determinatione verò huius difficultatis, ſit

ASSERTIO. Auctoritas Concilij Generalis non eſt ſupra Papam, ſed tota ab eo pendet. Hæc Aſſertio licet olim ingruente aliquo ſchiſmate à pluribus fuerit impugnata; hodie tamen adeò omnium conſenſu recepta eſt, vt nemini ſecùs ſentire liceat, ſicut præcitati Auctores luculentiſſimè oſtendunt. Probatur autem hæc Aſſertio ex Scriptura, ex Conciliis, ex Pontificibus, & ex ratione.

Primò ex Scriptura. Ioan. 20. Petrus conſtituitur à Chriſto totius Eccleſiæ Paſtor: *Paſce oues meas*. Ex quo illud neceſſariò ſequitur, Pontificem, qui Petro ſuccedit, eamdem in totam Eccleſiam à Chriſto poteſtatem habere. At Concilium eſt tota Eccleſia repræſentatiuè: igitur Pontifex ex Chriſti inſtitutione habet poteſtatem in Concilium, non econtrà. Deinde, cùm Dominus dixit Petro, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* tunc ex communi omnium Patrum conſenſu, totius Eccleſiæ Principatus Petro ac Pontificibus ſucceſſoribus promiſſus fuit. At Princeps toto ſuo Regno non tam ſeorſim diuiſo, quàm coniunctim collecto maior eſt: igitur Pontifex toto Concilio, in quo Eccleſiæ regnum concluditur, maior agnoſci debet. Præterea Luc. 22. dixit Chriſtus Petro: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ex quo loco vniuerſi Patres optimè deducunt, priuilegium infallibilis veritatis in definiendis fidei rebus, non Concilio, ſed Pontifici à Chriſto collatum eſſe: & cùm perſonale ſit, ad ſolos Pontifices tranſire: ac proinde legitima Concilia à Pontifice, qui integræ ac infallibilis veritatis cuſtos eſt, confirmari oportere. Ex quo tandem euincimus, quòd ſi Pontificum eſt, ex Chriſti inſtitutione confirmare Concilia, & quæ illis viſa fuerint, reprobare; planè eadem auctoritate illorum erit Concilijs præeſſe, ac ea ſibi ſubiicere, non econuerſò.

Secundò probatur hæc veritas ex Conciliis & Patribus. Primò ex Concilio Sinueſſano, quod non eſt auſum in Marcellinum Pontificem, qui ex timore

thus

Digitized by Google

thus idolis adoleuerat, ac poſteà martyr glorioſus extitit, ſententiam dicere: ſed illis verbis vſum eſſe: *Tuo te ore, non noſtro iudicio iudica: nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Si ergo Pontifex à nemine iudicatur, igitur nec à Concilio poterit iudicari. Et in Concilio Lateranenſi III. & habetur in cap. Licet. Extr. de Elect. ſic habetur: *In Romana Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem haberi recurſus.* Patres etiam Concilij Romani ſub Silueſtro, can. vlt. vbi ſic legitur: *Nemo iudicabit primam Sedem.* Idem colligitur ex Concilio Chalcedonenſi ſub Leone, ſect. 3. in quo Dioſcorus Patriarcha Conſtantinopolitanus cum tota Epheſina Synodo II. damnatur: cùm ob alias cauſas, tum potiſſimùm, quia Summum Pontificem damnare auſus fuerat. Hoc ipſum habetur ex altero Concilio Romano ſub Adriano II. cuius verba refert VIII. Synodus, Act. 7. hoc modo: *Romanorum Pontificum Sedem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus, de ea verò quemquam iudicaſſe non legimus.* Idipſum fatetur Lateranenſe Concilium vltimum ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi propoſita decreta à Conſtantienſi ac Baſileenſi Concilio edita reprobat: *Solum,* inquit, *Romanum Pontificem tamquam ſuper omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum faciendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum, plenum ius ac poteſtatem habens, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed & propria eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.* Tandem Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. ſeſſ. 7. hoc ipſum diſertè ab vniuerſis tenendum ſtatuit, priorum Conciliorum decreta renouat, & oppoſitam ſententiam velut temerariam ac erroneam explodit.

Accedunt Patrum teſtimonia, quæ idem confirmant. Leo Magnus ep. 84. ad Anaſtaſium. Gelaſius epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ habet hæc verba: *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quòd ſacroſancta Romana Sedes fas habeat de omnibus iudicandi, nec cuique liceat de eius iudicare iudicio.* Nicolaus I. eamdem ſemper fuiſſe Eccleſiæ ſententiam, tradit epiſtola ad Michaëlem. Idem confirmant D. Gregorius lib. 9. epiſt. 38. Paſchalis, vt habetur in cap. Significaſti. Extra. de Elect. Innocentius III. ſerm. [illegible] de Conſecrat. Pontificis, ac plerique alij Patres, qui omnes concludunt, in Concilio ſtatutum non inueniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint; cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem & robur acceperint, & in eorum ſtatutis, Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.

Vltimo loco probatur Aſſertio Rationibus. Et Primò conſtat, Papam eſſe Chriſti Vicarium, ex ipſo teſtimonio Ioan. 20. quod ſuprà retulimus, cùm ſit legitimus Petri ſucceſſor, quem in Eccleſiæ gubernatione Chriſto ſuffectum eſſe nemo ignorat. Tum etiam ex omnium Patrum ſententia id maximè omnibus Catholicis exploratum eſt. Porrò, ſi Chriſti auctoritas non penderet à Concilio, ſi adhuc viueret in terris; ſed omni Concilio maior eſſet; eadem ratione & Pontificis auctoritas, quæ ipſius Chriſti vicaria eſt, à Concilio pendere non debet, ſed toti Concilio debet eſſe ſuperior: cùm Pontifex non alia in Eccleſia, præterquam Chriſti poteſtate fungatur. Secundò, Concilium ad membra Eccleſiæ pertinet, non ad caput; quod ex ipſa vi nominis conijcitur: Concilium enim Generale, omnium Eccleſiæ membrorum congregationem indicat: atq; hoc modo totius Eccleſiæ imaginem gerit. Pontifex verò, cùm huius Eccleſiaſtici corporis ſit caput, vt in decimo Præludio fusè probamus, toti corpori præeſſe debet: nec inter cetera membra corporis, quaſi gregale aliquod membrum collocari debet, æqua conditione cum ceteris ſubiectum. Ergo non Pontifex Concilio, ſed Concilium Pontifici debet ſubiici: alioquin vel caput

D membris

membris ſubiiceretur, vel membra capiti dominarentur. Prætereà, Epiſcopi omnes & Patres qui in Concilio congregantur, ante congregationem oues erant Pontifici ſubiectæ: igitur & poſtquam collecti ſunt, inter oues annumerari debent. Quòd ſi id negant, dicant, qua ratione ouium naturam mutauerint, & ad paſtorum ius euolauerint, cùm nullibi id Scriptura affirmet, & antiquiſſimus Eccleſiæ vſus ac conſenſus cum illorum oppoſita ſententia pugnet.

Dicent, quòd hoc habetur ex illo loco Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Sed friuolum eſt tale præſidium: nam ibi appellatione Eccleſiæ, non Vniuerſale Concilium intelligēdum eſt, ſed particularis cuiuſq; Eccleſiæ Pręſul vel magiſtratus, cùm ibi de fraterna correptione agatur. Addo, quòd Concilium Generale eſt velut Senatus Epiſcoporum Summo Pontifici adiunctus, cui Pontifex grauiores cauſas definiendas committit. Neque nouus hic Senatus erigitur, cùm Concilium conuocatur; ſed Epiſcopi velut Senatores diuerſis locis conſtituti, iubente Pontifice in vnum confluunt, vt maturiùs definiendas cauſas diſcutiant: quo fit, vt Epiſcopi eumdem omnino dignitatis gradum obtineant ad Concilium vocati, quem anteà obtinebant, antequam ad Concilium vocarentur. At Senatus à Principe inſtitutus, ſiue is diuiſus ſit, ſiue collectus, non eſt maior ipſo Principe, ſed ipſi ſemper eſt ſubiectus: ita ad propoſitum, Concilium Epiſcoporum, cùm ſit Senatus Pontificis à Chriſto inſtitutus, non debet eſſe maior Pontifice, ſed illi ſubiici.

Obiiciunt aduerſarij, quòd Concilia, Piſanum ſcilicet, Conſtantienſe, & Baſileenſe, contrarium determinant. Ad hoc reſpondetur, quòd Piſanum in primis nihil circa huiuſmodi ſententiam determinauit. Conſtantienſe autem definiuit quidem, Generale Concilium eſſe ſupra Papam; ſed eam cōditionem apponit, ſi ſchiſma Eccleſiam perturbet, vt notum eſt ex verbis ipſius Concilij. Et hoc quidem rectè: nam ſchiſmate regnante, cùm ignoratur quis ſit verus Pontifex; ignoratus Pontifex pro non Pontifice habendus eſt: quapropter Generale Concilium poteſt tunc in dubios Pontifices ſententiam ferre, ac vno amoto, alterum verum & legitimum Pontificem declarare. Hoc pacto Papalis dignitas, dubia ſcilicet ac ignorata, Concilij auctoritati ſubiicitur: quemadmodum id quoq; de Scriptura ſentimus, quæ quamdiu dubiæ auctoritatis eſt, & num diuina ſit, ignoratur, Eccleſiæ iudicio ſubmittitur, cuius ſententia certa iudicari debet. Porrò tunc quidem credendum eſt, Concilio in hoc iudicio faciendo & ferendo Dei poteſtatem adeſſe, licet ea extraordinaria ſit: neque facilè ex Scripturis haberi poſſit, niſi ex conſenſu Eccleſiæ: ſicut fit, cùm Sede vacante ſacrum Cardinalium Collegium aliquid circa Eccleſiæ adminiſtrationem decernit: tunc enim Apoſtolica Sedes Pontifice vacare cenſetur, cùm dubium Pontificem habet, ac verum ignorat. Hæc creditur fuiſſe Conſtantienſis Concilij definitio, quæ ex illius verbis colligitur, cùm ait: *Cui quilibet cuiuſcumque ſtatus aut dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & dicti ſchiſmatis extirpationem.* Alij tamen reſpondent, hoc decretum à Martino V. qui cetera illius Concilij decreta conciliariter facta, id eſt, adhibito Concilij examine, confirmauit, minimè confirmatum fuiſſe: cùm illud ſine vllo Concilij examine factum fuiſſe conſtet. De hac re poſſunt videri Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 19. Sanderus de Viſibili monarch. lib. 7. Turrecremata lib. 2. cap. 104.

Ad Concilium Baſileenſe, quod quidem in ſeſſ. 33. id tamquam de fide proponit, dicendum, quòd Concilium illud, licet legitimè fuerit congregatum & inchoatum, tamen in Conciliabulum degenerauit; & hoc fuit ſtatim ac Ponti-

fici

Digitized by Google

ſici vero obedire noluit: vnde meritò reprobatum fuit, primùm ab Eugenio Papa, vt patet ex eodem Concilio, ſeſſ.38. deinde à Leone X. in Concilio Lateranenſi vltimo, ſeſſ.22. tandem à tota Eccleſia decretum illud, præſertim de Concilio ſupra Papam, velut irritum ac nullius ponderis habitum fuit, cùm ea Eugenium IV. à Concilio Baſileenſi depoſitum, pro vero Pontifice agnouerit. Præterea, quia illius Concilij decreta non fuerunt vnanimiter concluſa, neque cum conſenſu Legatorum Papæ, qui illis intereſſe recuſarunt: neque expectatis Oratoribus Caſtellæ & Angliæ, quos in via nouerant conſtitutos: nec auditi ſunt multi ſapientes, qui his decretis reclamauerunt, & ipſum Concilium propter hoc exierunt, vt aiunt Turrecremata lib.3. de Poteſtate Eccleſiæ, cap.99. & Caietanus in Quodlib. de Papa, cap.8. Denique, licet Papa Eugenius IV. approbauerit poſteà prædictum Concilium in ſuis Bullis quoad eius inchoationem, & proſecutionem; numquam tamen eius decreta approbauit: imò illa ſupradicta expreſsè reprobauit, & dānauit in libello, qui incipit, *Moyſes ſeruus Dei*, vt ait Carranza in ſua Summa Conciliorum, in marg. ſuper ſeſſ.33. Concilij Baſileenſis. Imò & Sixtus IV. in Extrauag. Graue nimis. de Reliq. & venerat. Sanct. dicit, ſuper immaculatam Virginis conceptionem nihil eſſe diffinitum per Eccleſiam. Vnde patet diffinitionem dicti Concilij Baſileenſis in ſeſſione 36. ſuper hoc, non haberi pro diffinitione legitimi Concilij: neq; eam vim ipſum Concilium habere quoad alia decreta prædicta. Concluditur ergo, quòd nullo pacto Concilium eſt ſupra Papam: quam opinionem tenet S. Bonauentura in 4. diſt.19. dubit. 4. & ceteri Doctores ſuprà citati. Quibus adde D. Antoninum 3. Part. Summæ, tit.23. cap.5. & tit.24. cap.2. & Paludanum cum Caietano in Quodlib. de Papa, lib.3. cap.98. & ſeq. & in cap. Si Papa. diſtinct.40. Et de Iuriſtis, Vlricus in Summa, lib.6. tract.3. cap.15. & 17. Imola in Clement. Ne Romani. de Electione, col.17. & Panormitanus in cap. Graue. de Præbendis, quamuis alibi aliter teneat. Item Innocentius in c. Ex parte. de Verbor. ſignific. Io. Andreas, & Cardinalis, & Hoſtienſis, & Archidiaconus, & Alexandrinus ibidem, & in cap. Si Papa. diſt.40. & Gloſſa in cap. Si quis pecunia. diſt.79. Item Iacobatius lib.9. art.12. Silueſter verbo Papa. 4. quæſt.15. & verbo Concilium, quæſt.3. & innumeri alij Doctores vtriuſque Iuris.

Interrogabis, An ſit maior auctoritas Concilij, quàm Scripturæ? Hæretici huius temporis paſſim clamant, nos ſubiicere Scripturam Conciliis. Caluinus lib.4. Inſtit. cap.9. §.14. *Subiicere in eum modum*, inquit, *Dei oracula hominum cenſuræ, vt ideò rata ſint, quia placuerunt hominibus; blaſphemia eſt indigna quæ commemoretur*. Similia apud alios paſſim inueniuntur. Sed hæc non noſtra blaſphemia, ſed ipſorum impoſtura eſt: nam Catholici Scripturam ſacram non ſubiiciunt, ſed anteponunt Conciliis: neque in hoc vlla controuerſia eſt. Quòd ſi interdum Catholici aliqui dicunt, Scripturam pendere ab Eccleſia, ſiue à Concilio; non intelligunt quoad auctoritatem, & ſecundùm ſe, ſed quoad explicationem, & quoad nos. Quod vt clariùs innoteſcat, ſciendum, quòd multiplex diſcrimen reperitur inter Scripturam ſacram, & Conciliorum decreta: ex quo intelligitur, Scripturam præponi Conciliis.

Primum eſt, quòd Scriptura eſt verbum Dei immediatè reuelatum & ſcriptum quodammodò Deo dictante, iuxta illud D. Petri in 2. Epiſt. cap.1. *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* & 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata.* Hoc tamen non intelligitur, quaſi ſemper Scriptores ſacri nouas reuelationes habuerint, & ſcripſerint ea quæ anteà ignorabant: conſtat enim Euangeliſtas Matthæum & Ioannem ſcripſiſſe ea quæ viderunt: Mar-

cum & Lucam ea quæ audierunt, vt Lucas ipſe fatetur initio Euangelij: *Sicut tradiderunt*, inquit, *nobis, qui ab initio ipſi viderunt.* Sed Scriptores ſacri dicuntur habuiſſe immediatè reuelationem, & ſcripſiſſe ipſius Dei verba, quia vel noua quædam & anteà incognita eis reuelabantur à Deo, iuxta illud Pſalmi 50. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* vel Deus immediatè inſpirabat, & mouebat Scriptores ad ſcribenda ea quæ viderant vel audierant, & eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. At Concilia non habent, neque ſcribunt immediatas reuelationes, aut verba Dei: ſed tantùm declarant, quodnam ſit verbum Dei ſcriptum vel traditum, & quomodo intelligi debeat: & prætereà ex eo per ratiocinationem deducunt Concluſiones. Itaque Concilia cùm definiunt qui ſint libri Canonici & diuini, non faciunt eos eſſe infallibilis veritatis, ſed declarant ſolùm eſſe tales.

Aliud diſcrimen eſt, quòd Scriptores ſacri non debuerunt multùm laborare in ſuis libris edendis; ſatis enim erat ſi laborarent ſcribendo vel dictando, ſi edebant vaticinia: vel ad ſummum, reuocando ad memoriam quæ viderant vel audierant, & cogitarent verba quibus ea ſcriberent. At Patres in Conciliis debent rem ipſam quærere, id eſt Concluſiones inueſtigare, diſputando, legendo, cogitando.

Tertium eſt, quòd in Scriptura nullus poteſt eſſe error, ſiue agatur de fide, ſiue de moribus; & ſiue affirmetur aliquid generale & toti Eccleſiæ commune, ſiue aliquid particulare, & ad vnum tantùm hominem pertinens. At Concilia in iudiciis particularibus errare poſſunt.

Quartum eſt, quòd in Scriptura non ſolùm ſententiæ, ſed etiam verba omnia & ſingula ad fidem pertinent. At in Conciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet: non enim ſunt de fide diſputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum & illuſtrandum afferuntur; ſed tantùm nuda ipſa decreta: & ea non omnia, ſed tantùm ea quæ proponuntur de fide. Interdum enim Concilia definiunt aliquid, non vt certum, ſed vt probabile, vt Concilium Viennenſe, quod decreuit tenendum vt probabilius, infantibus in Baptiſmo infundi gratiam & virtutes, vt habetur Clement. vnica, de Summa Trinit. & fide Catholica. Prætereà in ipſis etiam decretis de fide, non verba, ſed ſenſus tantùm ad fidem pertinet: non enim eſt hæreticum, dicere, in Canonibus Conciliorum aliquod verbum eſſe ſuperfluum, aut non rectè poſitum: niſi fortè de ipſo verbo ſit decretum formatum, vt cùm in Concilio Nicæno decreuerunt recipiendam vocem ὁμοούσιον, & in Epheſino vocem Θεοτόκον.

Quintum & vltimum eſt, quòd Scriptura non eget approbatione Pontificis, vt ſit authentica, ſed tantùm vt innoteſcat eius auctoritas. At Concilia, etiam legitima & Generalia, non ſunt rata, niſi à Pontifice confirmentur, vt dictum eſt iam, & infrà pluries dicetur. Ex dictis ergo patet, quòd Concilia non ſunt ſupra Scripturam ſacram, vt impiiſſimè hæretici aſſerunt nos facere.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLVDIVM SEXTVM.

An conſenſus Vniuerſalis Concilij abſque confirmatione Summi Pontificis habeat infallibilem veritatem.

ASSERTIO. Concilium Generale abſque confirmatione Summi Pontificis non habet infallibilem veritatem. Hæc Aſſertio patet, quia Concilia tantùm ex confirmatione Summi Pontificis robur acquirunt: vnde nonnulla Concilia, etiam Generalia, hoc ipſo, quòd à Pontificis regula vel inſtructione receſſerunt, in fide erraſſe leguntur. In his eſt Antiochenum Concilium anno Domini 335. celebratum, in quo damnatus eſt Athanaſius, & Ariana hæreſis proclamata fuit, vt refert Socrates lib. 2. cap. 5. Sozomenus lib. 3. cap. 5. Secundum fuit Mediolanenſe pluſquam 300. Epiſcoporum, tempore Conſtantij, quod ad Arianiſmum declinauit, teſte Ruffino lib. 10. c. 20. Tertium fuit Ariminenſe 600. Epiſcoporum, ſub eodem Conſtantio, in quo Filij conſubſtantialitas expugnata fuit, & ſublatum nomen ὁμοούσιος. Quartum fuit Epheſinum II. ſub Theodoſio Iuniore, in quo confirmata fuit hæreſis Eutychetis, teſte Euagrio, l. 1. c. 9. & 10. Quintum fuit Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſauro, & Sextum ſub Conſtantino Copronymo, in quibus decretum fuit, abolendas eſſe Chriſti & Sanctorum imagines, vt teſtatur Paulus Diaconus, lib. 21. & 22. Rerum Romanarum. Septimum fuit Piſanum, quod à ſchiſmaticis quibuſdam Cardinalibus, agente Imperatore & Galliarum Rege, aduerſus Iulium II. congregatum fuit Piſis: in quo dubitatum fuit, an Concilium eſſet ſupra Papam. Octauum fuit Conſtantienſe, Patrum ferè mille, inchoatum ſub Ioanne XXIII. Sed cùm Ioannes clàm à Concilio receſſiſſet, neque illius decreta approbaſſet, lapſum videtur Concilium, in eo præſertim, quòd ſtatuit, Concilium eſſe ſupra Papam: tametſi nonnulli benigniùs decretum illud exponant, vt ſuprà viſum eſt. Sed videatur de hac re Ioannes de Turrecremata lib. 2. c. 104. Bouerius, Sanderus, & Bellarminus vbi ſuprà, & Corduba in ſuo Quæſtion. lib. 4. q. 4. Nonum Concilium fuit Baſileenſe, celebratum anno 1431. in quo depoſitus fuit Eugenius IV. Pontifex à Papatu, & proclamata Concilij auctoritas ſupra Papam: pleraque in eo Concilio edita ſunt, quæ poſteà à Lateranenſi Concilio vltimo, & à Florentino reprobata fuere.

Hæc & alia nonnulla Concilia, quandoquidem abſque Pontifice res fidei definiendi poteſtatem ſibi vltrò arripere auſa ſunt, haud mirum quòd in errorem lapſa fuerint, quando illius præſidio deſtituta fuere, qui cùm rectæ ac ſinceræ fidei doctrinam diuina hereditate poſſideat, infallibilem rectè definiendi poteſtatem Concilijs tribuit, vt teſtatur Paſchalis Extr. de Elect. cap. Significaſti. cùm ait: *Omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt.* Quod dictum confirmat D. Bernardus ep. 190. ad Innocentium Papam: *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referre Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala regni Dei, & ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Et D. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum

ſum ſic ait: *Obteſtor beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas. Simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare, ſignifices: quia Campenſes cum Tharſenſibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt auctoritate communionis veſtræ fulti, tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.*

Cùm igitur Concilia, mediante Pontifice, de rebus fidei decernendi à Deo poteſtatem accipiant; planè manifeſtum eſt, ſecluſo Pontifice, nullum neque robur, neque infallibilitatem in cauſis fidei determinandis, ſibi vendicare poſſe. Præterea, ſi conſenſus Concilij ſine aſſenſu Pontificis ad fidei dogmata determinanda ſufficeret, ſequeretur, Concilium immediatè à Chriſto clauium poteſtatem accepiſſe: ac proinde Pontificem ei neceſſariò ſubiici debere: quod in præcedenti Præludio improbatum eſt: neque enim Concilio, ſed Petro duntaxat, tam ſcientiæ quàm poteſtatis claues à Chriſto traditæ leguntur. Denique id ipſo diuino Iuri apertè videtur aduerſari: nam ex Symbolo Apoſtolorum manifeſtum eſt, vnam tantummodò eſſe Eccleſiam, quæ ad vnitatem capitis, in quo ſuprema Eccleſiæ poteſtas ac velut magiſterium reſidet, neceſſariò reduci debet. Nam, vt ait Cyprianus lib. 1. epiſt. 8. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.* Quòd ſi alia cathedra aut ſuprema poteſtas in Concilio collocaretur, quæ à Pontificis poteſtate non manaret, manifeſtè Eccleſiæ vnitas ſcinderetur, quæ vt duo capita, ita & duplicem poteſtatem ferre non poteſt, cùm vnum tantùm corpus ſit. Quamobrem qui Concilio immediatam poteſtatem ac ſupremam à Chriſto collatam eſſe volunt; planè mirabile ac inſolitum perſuadere optant, vt ſcilicet vel caput à membris pendeat, & membra capiti præſideant; quod nec ipſa natura fert: aut caput ſimul cum membris præſideat; at tunc, quis ſubiicietur, cùm omnes præſideant, aut membra ſine capite dominentur? An non Eccleſiæ corpus, quod à Concilio repræſentatur, eò deuenire opus eſt, vt ſit velut exercitus ſine Imperatore, Regnum abſque Rege, familia abſque patre, Reſpublica abſque Duce, grex ſine paſtore? Atque id tandem efficiunt, vt omnem corporis Eccleſiaſtici cum capite colligationem diſſoluant, Eccleſiæ veritatem dilacerent, & Eccleſiam ſola membrorum aggregatione, nullo capite conſiſtentem eſſe venditent: quibus apertè repugnat Cyprianus, qui Eccleſiam gregem appellat ſuo paſtori vnitam. Non ergo Concilium ſine Papa in rebus fidei determinandis poteſt quidquam determinare & diffinire, quod infallibilem veritatem habeat, & velut de fide decretum ab omnibus fidelibus recipiatur.

Papa benè poteſt hoc facere, ſcilicet, quòd ſine Concilio poteſt fidei dogmata declarare, ac de ijs decernere: nam cùm ei dictum ſit à Chriſto: *Paſce oues meas*; vtique non ad Concilium, ſed ad Pontificem id munus propriè ſpectat, vt neceſsaria fidei pabula Chriſtiano populo adminiſtret, quæ Chriſti ouibus maximè congruunt. Igitur, cùm illius ſit fidei dogmata declarare, cuius eſt ſuprema poſt Chriſtum auctoritate populum docere, cùm ſuprema hæc poteſtas tantummodò penes Romanum Pontificem reſideat, non penes vllum Concilium, etiam Vniuerſale: ergo ſolius erit Pontificis, abſque Concilio fidei dogmata explicare & definire. Et confirmatur hæc ratio:

Primò, Quia Conciliorũ auctoritas pendet ab auctoritate Pontificis, velut à capite: ergo poteſt Pontifex ſine Concilio, quæ ſunt fidei, decernere. Sic S. Leo Papa, vt habetur in cap. Ita Dominus. diſt. 19. *Huius muneris ſacramentum*, ait, *ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua*

ſua velut in corpus omne diffunderet: vt exortem ſe miniſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuerit à ſoliditate petræ diſcedere.

Secundò, Quia Concilia congregari non poſſunt abſque aſſenſu Pontificis, cùm ſit paſtor Eccleſiæ, ad quem illius regimen ſpectat. Ergo Concilium ita ſubditur Pontifici, vt poſſit Pontifex ſine Concilio ſtatuere de rebus fidei, ac emergentia dubia declarare. Sic Nicolaus I. epiſt. ad Michaëlem circa medium ait: *Romana Eccleſia collecta Concilia ſua auctoritate firmat, ſed moderatione cuſtodit. Vnde quædam eorum, quia conſenſum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.* Sic etiam habet prima Nicæna Synodus, cuius meminit Alexandrina Synodus, ſcribens ad Felicem Papam his verbis: *Scimus in Nicæna magna Synodo 318. Epiſcoporum ab omnibus eſſe concorditer roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, neque Epiſcopos condemnari.*

Tertiò, Quia Conciliorum decreta nullum robur habent, niſi ſint à Pontifice approbata. Ergo Pontificis auctoritas in decernendis rebus fidei non ita pendet à Concilio, quin ſine Concilio valeat aliquid de fide tenendum ſtatuere; quandoquidem Iudex eſt Concilij: ac ſine Concilio ſtatuere poteſt, num decreta Concilij ſint legitima, vel infirma. Poteſt ergo Pontifex ſolus abſque Concilio in rebus fidei determinare & decernere; at non ſic Concilium ſine Papa. Imò inualida ſunt, quæ abſque Sedis Apoſtolicæ Legatis in Concilio Generali geruntur, vt patet ex fine Concilij Chalcedonenſis, in noua tranſlatione.

Benè verum eſt, vt optimè dicit Cardinalis Bellarminus, quòd etſi Summus Pontifex tamquam Iudex, vice Chriſti, omnium controuerſiarum poſſit veritatem definire, & de fide determinare, eique obtemperare debet fraternitas vniuerſa, vt Cyprianus loquitur lib. 1. epiſt. 3. tamen non debet Pontifex in controuerſiis fidei diiudicandis, aut ſolo ſuo iudicio fidere, aut expectare diuinam reuelationem; ſed adhibere diligentiam, quantum res poſtulat, & ordinare media; & tum demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem diuinam. Porrò medium ordinarium, ac proinde neceſſarium, eſt Concilium, magnum aut paruum, vnum vel plura, prout ipſe iudicauerit. De qua re videndus eſt Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. 5. 6. 7. & 8. Bouerius in Demonſtr. 4. Symboli, de Vnit. doctrinæ fidei, art. 10. Et hæc quantum ad Concilia non approbata.

Sed quid, ſi à diffinitione legitimi Concilij Generalis Papa non ſolus, ſed ſimul cum Concilio Cardinalium, quod dicitur Concilium Prouinciale ipſius Papæ, & propriè eſt & dicitur Iudicium Sedis Apoſtolicę, quod & eſt Tribunal & Iudicium Eccleſiæ Catholicæ, diſſentiret? Reſpondeo, quòd tunc ſi dubium eſſet magnum & arduum emergens circa fidem vel mores, quamuis ſine Concilio Generali id non deberet diffiniri; poteſt tamen per Papam cum Concilio Cardinalium determinari ſecundùm B. Thomam 2. 2. q. 1. art. 10. & Card. Alex. cap. Anaſtaſius. diſt. 19. & Iacobatium lib. 7. de Concilijs, art. 5. & Couarruuiam in Reſolutionibus lib. 1. cap. 10. num. 12. & Doctores communiter. Quamuis Gloſſa in d. cap. Anaſtaſius, & Barbatius, & alij oppoſitum dicant; & tunc ſententia Papæ ſimul & Cardinalium præferenda eſt diffinitioni Concilij Generalis: quia illa ſententia eſt Iudicium Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ Catholicæ, vt dictum eſt, quæ diffiniendo in fide & moribus errare non poteſt, vt latè probamus infrà in Præludio IX. & habetur 24. q. 1. cap. Hæc eſt fides. & cap. A recta. cap. Quoties. & ſeq. diſt. 21. & cap. Non decet. cap. Omnes. diſt. 22. Et quia ſecundùm cap. Maiores, de Baptiſmo, vltima diffinitio fidei ſpectat ad

Digitized by Google

Sedem Apoſtolicam. Concordat S. Thomas vbi ſuprà. Dominicus de S. Geminiano in cap. In iſtis. diſt. 4. & Felinus cap. 1. de Pactis. & Florentinus 2. Par. Summę, tit. 3. cap. 11. vbi & dicit, hanc eſſe communem Doctorum opinionem, eorum ſcilicet qui tenent, Papam eſſe ſupra Concilium.

In hac tamen materia duo animaduertenda ſunt. Primum, quòd ſicu iuxta Roffenſem contra Lutherum, art. 29. ſuſpecta ſemper ſunt Concilia, vbi inter illa & Papam diſſenſio eſt, niſi manifeſtiſſima culpa Papæ ſit: ita ſuſpecta eſt Papæ diffinitio, quæ à totius Concilij Generalis legitimi, & legitimè procedentis, diffinitione diſſentit, niſi manifeſta ipſius Concilij culpa ſit: & vix hoc vltimum poſſibile eſt, niſi Papa ſit hæreticus manifeſtè. Poſtremum animaduertendum, eſt, quòd in caſu, quo Papa in rebus aliàs non deciſis teneretur ſtare diffinitioni Concilij Generalis, & nollet; tunc licet diffinitio Concilij deberet præualere, non tamen poteſt ipſum Concilium contra voluntatem Papę ſuam diffinitionem in rebus aliàs non deciſis, ſic promulgare, vt ab omnibus teneatur: nam Papa poteſt impedire, ne vlla diffinitio, etiam manifeſtè vera, promulgetur, niſi ad fidem vel mores pertineat: quamuis non poſſit præcipere vel cogere, vt oppoſitum erroneum teneatur. Et ita illa diffinitio Concilij non haberet tunc vim obligandi ſine conſenſu Papæ: quia talis promulgatio ad poteſtatem pertinet iuriſdictionis, in qua Papa excedit ipſum Concilium, vt paulò infrà demonſtrabitur; & tunc, ſicut in ſchiſmate dubio, qui Papæ vel Concilij ſententiam ſequeretur, exiſtimans probabiliter eſſe veram & legitimam diffinitionem, tutus eſſet in conſcientia, quouſque finali decreto Papæ ſimul & Concilij ad eamdem decretum eſſet, vt ait Ioannes de Turrecremata in Sum. de Eccleſ. lib. 3. cap. 64. & Florent. 2. Par. Sum. tit. 3. c. 11. In dubiis enim, vt diximus, ſemper ſtandum eſt Papæ ſententiæ, & illi obediendum eſt: non autem in his quæ manifeſtè erronea, aut peccata ſunt: quia vt dicitur Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*

Dixi paulò antè, quòd in poteſtate iuriſdictionis Papa excedit Concilium, & propterea ſimpliciter Papa eſt ſupra Concilium: quod probatur multipliciter. Primò, Quia omne caput abſolutè ſupremum præſtat toti corpori ſuæ communitatis dignitate, & virtute, vel poteſtate. Sed Papa eſt caput abſolutè ſupremum totius Eccleſię, & non ſolùm particularium membrorum, id eſt perſonarum & Eccleſiarum, ſed totius etiam corporis Eccleſiæ, & Concilij Generalis eam repræſentantis. Ergo præſtat illi dignitate & poteſtate iuriſdictionis. Conſequentia patet, & Maior etiam conſtat, intelligendo per caput abſolutè ſupremum, ſuperiorem illum alicuius communitatis, qui nec alteri ſuperiori creato, ſed ſoli Deo ſubordinatur, ſiue ſubiicitur; nec ab ipſa communitate virtutem ſuam vel poteſtatem habet. Ac per hoc excluditur Rex vel Imperator, qui licet ſit aliquo modo ſupremus, quatenus non habet ſuperiorem temporalem; non tamen eſt omnino ſimpliciter vel abſolutè ſupremus, ac perinde nec toto ſuo Regno, vel Imperio congregato ſuperior; quia deeſt illi ſecunda conditio, quatenus ſuam recipit poteſtatem à ſuo Regno, cuius vices gerit, ex quo in ipſum ſuam tranſtulit poteſtatem, quam ad ſe regendū hoc vel illo modo, ipſa Reſpublica diuino Iure habet & naturali. Et ita intellecta illa Maior eſt vera, & ſeipſam probat manifeſtè: nam ſi ſuperior ille ita omnino abſolutè & ſupremus eſt, quòd nullam poteſtatem habet à ſua communitate; neque eius vices gerit, ſed Dei tantùm & immediatè; & ipſe potiùs ſuæ communitati & membris eius virtutem influit loco ipſius Dei: fit igitur, vt poteſtatem habeat ſuper eam, vt cauſa atque poteſtas ſuperior in inferiora. Minor autem probatur, in qua duo conti-

continentur: primum, quòd Papa eſt caput totius Eccleſiæ; ſecundum, quòd abſolutè eſt ſupremum caput eius. quæ duo latè probantur infrà in Præludio x. Aſſert. I.

Secundò probatur, quòd in poteſtate iuriſdictionis Papa excedit Concilium: quia ſi vltra ſupremam Papæ poteſtatem eſſet etiam alia ſuprema poteſtas in tota ipſa Eccleſia vel Concilio, quæro an illa ſit minor, & ſic habetur intentum: aut eſt maior, & ſic poteſtas Papæ non eſſet ſuprema: quod tamen eſt contra auctoritates tot virorum infrà in Prçludio x. citatorum. Aut eſt æqualis, & tunc vel vna ſubordinatur alteri, & ſic illa ſubordinata eſſet minor, & altera ſola ſimpliciter eſſet ſuprema: vel vna non ſubordinatur alteri; & hoc eſt impoſſibile reſpectu eiuſdem: nam implicat, vtramque eſſe poſitiuè ſupremam & æqualem omnino reſpectu eiuſdem, videlicet reſpectu ſpiritualium in Eccleſia, ſicut implicat eſſe plures Deos veros. Quòd ſi dicatur, vtramque eſſe ſupremam & ęqualem, ſed diſparatam, etiam in ſpiritualibus, quia ſunt reſpectu diuerſorum; ita quòd poteſtas Papæ ſuprema eſt, primò reſpectu particularium ſubditorum; poteſtas autem Eccleſiæ etiam ſuprema eſt, primò reſpectu Papæ, & boni communis totius Eccleſiæ. ſed quia vtraque eſt ad eumdem finem, videlicet ad bonum Eccleſiæ, non eſt duplex, ſed vna vtriuſque ſuprema poteſtas: quia ſecundùm regulam Topicam, *Vbi vnum propter alterum, ibi tantùm vnum eſt.* Verùm hæc euaſio non valet; quia adhuc inde ſequitur, duas ſupremas poteſtates à Chriſto eſſe ſimul inſtitutas in Eccleſia: nam vbi ſunt diuerſa obiecta formalia propria, ibi ſunt diuerſæ poteſtates. Sed ita eſt in propoſito, quòd proprium formale obiectum ſupremæ poteſtatis Papalis eſt bonum particularium, reſpectu quorum tantùm eſt illa poteſtas ſecundùm opinantem: obiectum autem proprium formale poteſtatis totius Eccleſiæ vel Concilij, eſt bonum commune totius & Papæ, reſpectu cuius eſt ea poteſtas, vt dicit opinio; ita quòd reſpectu boni communis totius, Papa ſe intromittere non poteſt, niſi vt vtens poteſtate Eccleſiæ, vices illius inſtrumentaliter gerens, ſicut Rex vices ſui Regni habens. Hæc autem obiecta formalia differunt ſpecie inter ſe; ergo etiam poteſtates ipſæ ſpecie differrent; & ita erunt duæ ſupremæ in Eccleſia. Nec obſtat, quòd vtraque poteſtas eſſet ad eumdem finem, ſcilicet ad bonum Eccleſiæ: quia licet ita eſſet; at cùm ſecundùm ipſos opinantes, non ſit propter Eccleſiam eodem modo formaliter obiectiuè, ſed ſolùm finaliter, quia poteſtas Eccleſiæ propter Eccleſiam collectiuè, Papalis autem propter Eccleſiam eſt diſtributiuè, id eſt, propter particulares tantùm, vt declaratum eſt; & poteſtas non propter poteſtatem, ſed ſub poteſtate ſit; certè non obſtat illa regula Topica, quin duæ ſupremæ poteſtates ſimul, quamuis propter Eccleſiam finaliter, in ea ſint: quod vel fieri non poſſe, vel à Chriſto non eſſe factum, iam probatum eſt.

Tertiò probatur, quia omnia Concilia Generalia habent robur & poteſtatẽ à Papa, non ſolùm vt ſint legitima, & legitimè congregentur; ſed etiam vt ibi poſſit diffiniri, ibiq; diffinita ſiue decreta valeant, & habeant vim coactiuam & obligandi omnes fideles & Eccleſias particulares: ergo Papa eſt ſupra Concilium. Antecedens probatur in cap. Significaſti, de Elect. vbi ad hæc duo dicitur auctoritas Papæ neceſſaria: ideò enim ibidem ait Papa, quòd Concilij decretis non ſubditur, quia ab ipſo robur & poteſtatem habent. Nam vt acutè ait Caietanus: *Si Concilium iam legitimè congregatum auctoritate Papali non penderet adhuc ab ipſius Papæ auctoritate ad ſua decreta faciendum; vtique etiam inuito Papa, & ſupra ipſum leges facere poſſet.* Cuius tamen oppoſitum ibi Papa decernit, dicens; quòd

Digitized by Google

quòd ab ipſo Papa Concilia habent poteſtatem, ſcilicet vt legitimè congregentur: & robur, ſcilicet vt legitimè & validè decernere & ſtatuere poſſint. Quamuis aliqui id aliter, & malè intelligant. Ad idem etiam eſt cap. Regula. & cap. Concilia. diſtinct. 17. Idem etiam patet, quia omnia Concilia Generalia per Papam confirmantur, & ab eo petunt, ſemperque petierunt, ſua decreta ipſius auctoritate confirmari, vt conſtat apertè ex Actis omnium Conciliorum, etiam Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis. Ad idem expreſsè eſt Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi Papa & Concilium id latè proſequitur. Conſequentia autem prædictæ rationis inde liquet: quia aliàs nihil valeret Papæ confirmatio, nec eius auctoritas adhibita decretis Concilij, ſi nullam aliam vim ſupra Concilij auctoritatem decretis illius præſtaret: nihil enim valet minor poteſtas in æqualem vel ſuperiorem, neque benedicendo, neque iuriſdictionem exercendo: diſtinct. 21. cap. Denique. & ibi Gloſ. & diſt. 95. c. Presbyter. & ff. de Offic. Proconſul. L. vlt. & expreſsè id dicit S. Thomas in Opuſculo 19. Contra impugnantes Religionem, cap. 4.

Quartò probatur principaliter per auctoritates: quia vt habetur in c. Patet. 9. quæſt. 3. *Sedis Apoſtolicæ iudicium (cuius auctoritate nullum maius eſt) à nemine eſt retractandum: neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio.* Item in cap. Nemo. eadem quæſt. habetur: *Nemo iudicabit primam Sedem, neque ab Auguſto, neq; ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur.* Item in cap. Aliorum. ibidem habetur: *Sedis Apoſtolicæ Præſulem ſuo ſine quæſtione Deus reſeruauit arbitrio.* & infrà: *Quidquid fidelium vbique eſt, illi ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur.* Item in cap. Ipſi ſunt. & cap. Cuncta. ibid. habetur, quòd Sedes Apoſtolica de tota Eccleſia habet iudicare, & ipſa à nemine iudicatur; quodq; ideò appellationes totius Eccleſiæ ad Papam faciendæ ſunt, à Papa verò nemini permittitur appellare; quia vt ibidem etiam habetur, *ſine vlla Synodo precedente, & ſoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla exiſtente Synodo quos oportebat, habuit facultatem.* Item in Extrauag. Bonifacij VIII. Vnam ſanctam. de Maior. & obed. ſic habetur: *Si deuiat terrena poteſtas, iudicatur à poteſtate ſpirituali: ſi ſpiritualis, iudicatur minor à ſuperiore: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, & non ab homine poteſt iudicari.* Ex quibus omnibus patet, quòd Papa non habet ſuperiorem in terris, & eſt ſupra Concilium: nam ideò ipſe iudicat omnes, & ipſe à nemine iudicatur: & omnes ad ipſum appellant, & ab ipſo appellari non poteſt.

Confirmantur prædicta, quia ipſum Generale Concilium Chalcedonenſe Act. 2. 3. & 16. ſępiùs & expreſsè appellat Papam, Dominum ſuum: & ſanctam eius Sedem Apoſtolicam adorat: & ſucceſſorem B. Petri in primatu totius Eccleſiæ confitetur, illique ſe ſubiectum eſſe recognoſcit: & multa alia Concilia Generalia hoc idem facere & feciſſe conſtat. Item Pius Papa II. in Bulla quæ incipit: In moribus. directa ad Vniuerſitatem Colonienſem, ſe retractat, eò quòd olim, vt Doctor, malè & erroneè tenuiſſet, Concilium eſſe ſupra Papam. Quam Bullam ad literam punit Horantius de Locis Catholicis, in fine. Tandem in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. ſic habetur: *Cùm etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſacrorúmque Canonum decreto, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione conſtat manifeſtè.* Hæc ibi: quæ rem probant manifeſtè. Bulla incipit: Paſtor æternus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLVDIVM SEPTIMVM.

An accedente confirmatione Papæ, Concilium ſit infallibilis veritatis, & eius determinationes ſint de fide, ita vt ſub pœna hæreſis omnes illi teneantur obedire, etiam Papa.

ASSERTIO I. Si ad Concilium legitimè congregatum accedat confirmatio Papæ, Concilium illud eſt infallibilis veritatis in decretis fidei. Probatur hæc Aſſertio, tum ob intimam Spiritus Chriſti præſentiam, ac diuini Spiritus magiſterium infallibile, quod Concilio præſidet; tum quia Eccleſia eſt infallibilis veritatis, & errare non poteſt; & ipſum Concilium ſic congregatum & confirmatum eſt ipſe conſenſus Eccleſiæ: tum etiam, quia Pontifex, qui eſt ſucceſſor Petri, in iudicio fidei errare non poteſt. Probo ſingula.

Primùm, quòd in Eccleſia perpetuò ſit intima Spiritus Chriſti præſentia, & diuini Spiritus magiſterium infallibile: nam cùm Chriſtus inſtituerit Eccleſiam totius orbis magiſtram illis verbis: *Euntes docete omnes gentes;* vt infallibilem illius in tradenda fidei doctrina conſenſum explicaret, protinus addit: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi:* quaſi eo annuere vellet, Eccleſiæ doctrinam ita eſſe cum diuina veritate coniunctam, vt docenti Eccleſiæ Chriſti Spiritus perpetuò adſit. Huc ſpectat, quòd Oſeæ cap. 2. Eccleſia dicitur deſponſata in fide in ſempiternum: atque eadem Matth. 16. aſſeritur ita ſuper petram fundata, vt nulla inferorum vis eam vmquam debellare queat. Quæ duo teſtimonia Eccleſiam non tam in fide perpetuò incolumem, quàm in fidei doctrina tradenda infallibilem magiſtram fore indicant. Cùm enim Eccleſia ſempiterno fidei vinculo ſit Deo colligata, neq; eam vmquam vlla dæmonum vi à fidei veritate declinare poſſit, perſpicuum eſt, id fieri non poſſe, niſi ipſe Eccleſiæ conſenſus, qui ex mutua Paſtorum ac Epiſcoporum, ad quos ſpectat fidei doctrinam tradere, cum Pontifice conſpiratione conficitur, in ipſa fidei doctrina ſtabilis ac prorſus infallibilis exiſtat. Quò etiam vocari poſſunt illa Pauli teſtimonia: 1. Tim. 3. cùm Eccleſiam vocat columnam ac firmamentum veritatis. ad Epheſ. 4. cùm Paſtores & Doctores in Eccleſia poſitos eſſe affirmat, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei:* iis enim apertè docet, Eccleſiam in vera fidei doctrina perpetuò immobilem eſſe. Quod ita intelligendum eſt, quòd tametſi aliqua Eccleſiæ pars hæreſi pereat, imò ex his, qui priùs inter Eccleſiæ Paſtores ac Doctores cenſebãtur, nonnulli à fide excidant: vnanimi tamen ceterorum, qui cum Eccleſiæ capite conueniunt, conſenſui id tributum ſit, vt perpetuam fidei doctrinam & veritatem doceat. Eccleſia igitur, quæ veros Doctores, Paulo teſte, ſemper eſt habitura, perpetuum quoque ac infallibile de vera fidei doctrina iudicium ſibi iure vendicat. Fatetur hoc vel inuitus ipſe etiam Caluinus, qui in lib. 4. Inſtitut. cap. 8. §. 15. ſic ſcribit: *Quid enim tandem obtinebunt, niſi non ſpernendum Eccleſiæ conſenſum, quæ numquam niſi in veritatem verbi Dei conſentit?*

Ex dictis ſequitur Primò, Eccleſiam habere infallibilem veritatem in doctrina fidei, quia in ea ſemper aſſiſtit Magiſter veritatis Chriſtus, & Spiritus ſanctus eam illuminat, iuxta illud Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum, Spiritum veritatis.* Et paulò pòſt idem confirmans ait: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo,*

meo, ille vos docebit omnia. & cap.16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Sequitur ſecundò, Quòd Eccleſiæ conſenſus eſt indubitatum veritatis teſtimonium à Deo inſtitutum. Hoc teſtatur Chriſtus ipſe Actor.1.cùm Eccleſiam in Apoſtolis alloquens dixit: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Nam quidquid oblatret Wittackerus, inde conſtat, hoc non tantùm Apoſtolis, ſed Eccleſiæ Paſtoribus, qui Apoſtolis ſucceſſuri erant, & quotquot docendi ac prædicandi munus in Eccleſia obituri erant, dictum fuiſſe: cùm apud Scripturas prædicari ac teſtificari pro eodem ſumantur, vt apertum eſt Act.10. vbi Petrus ad Gentiles concionem habens, ait: *Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Cùm igitur prædicationis præceptum ad Apoſtolorum ſucceſſores in Eccleſiam tranſierit, cui dubium eſſe poteſt, quin & teſtificandi munus ad Eccleſiam tranſlatum ſit? Quod cùm ita ſit, quoties quiſpiam à Deo diuinæ alicuius veritatis teſtis aſſumitur, quis negare audeat, illum integrum omnino ac infallibilem teſtem eſſe oportere, ac de illius teſtimonio nulli vnquam fas eſſe dubitare? Quapropter cùm Deus vnanimem Eccleſiæ conſenſum, tamquam veræ doctrinæ fidei teſtem elegerit; manifeſtum eſt, illum in vera fidei doctrina tradenda, omnino certum eſſe ac infallibilem.

Sequitur tertiò ex dictis, Quòd Eccleſia non poteſt errare, cùm ſit columna & firmamentum veritatis. Et quartò ſequitur, Quòd Concilium à Papa confirmatum, eſt ipſe conſenſus Eccleſiæ: nam prædicta verba Ioan.14. & 16. & alia, non tantùm Apoſtolis, ſed vniuerſis Eccleſiæ Paſtoribus ac Doctoribus, quoties in declaranda fidei doctrina cum Pontifice conueniunt, dicta eſſe, declarant extrema illa prioris teſtimonij verba, *Vt maneat vobiſcum in æternum.* Neque enim Apoſtoli, qui breui tempore martyrio ad Chriſtum colligendi erant, in Eccleſia perpetuis temporibus permanere poterant, vt cum eis Spiritus veritatis in æternum maneret. Igitur ad Eccleſiam illa verba pertinent, quæ perpetua ac firma vſque ad extremum orbis interitum eſſe debet. Huic, cùm Chriſtus Spiritum ſanctum perpetuum magiſtrum ac Doctorem polliceatur, hinc vera ac firma noſtra Propoſitio manet, Eccleſiæ ſcilicet conſenſum in rebus fidei prorſus infallibilem eſſe. Et cùm Paſtores & Doctores in Concilio congregati ſimul cum ſummo Pontifice, ipſam vniuerſalem Eccleſiam repræſentent; hinc concluditur intentum, quòd tunc Eccleſia in determinandis rebus fidei infallibilem veritatem habeat. Probat hoc miro modo Clemens Alexandrinus lib.7.Strom.his verbis: *Ceterùm, recta ſunt omnia, inquit Scriptura, coram iis, qui intelligunt: hoc eſt, ijs qui ab ipſo declaratam Scripturarum expoſitionem ex Eccleſiaſtica regula accipientes conſeruant. Regula autem Eccleſiaſtica eſt, conſenſus & conſenſio Legis & Prophetarum conuenienter Teſtamento, quod traditur per Domini aduentum.* Quibus verbis Clemens Eccleſiaſticum conſenſum æquiparat conſenſui Legis & Prophetarum: vt indicet, eum ita ſacrum & irrefragabilem eſſe, ac ſi ex ipſa Lege & Prophetis compactus eſſet. Et Athanaſius in epiſtola ad Epiſcopos Africanos inquit, *Verbum Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum manet in æternum.* Sic ergo probatum eſt intentum.

Aliud quoque probandum reſtat, nempe, Quòd Papa, cùm totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt. Hoc probatur ex illo Luc.22. *Ego rogaui pro te,* Petre, *vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Per quæ verba impetrat Chriſtus Petro duo priuilegia; vnum, non poſſe vnquam veram amittere fidem: ita Auguſtinus lib. de

Correp.

Correp.& grat.cap.8. *Quando rogauit*, inquit, *vt non deficeret fides eius, rogauit, vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem.* Sic etiam dicit Chryſoſtomus Hom.83.in Matth. Theophyl.in 22.Luc. Proſper lib.1. de Vocat.Gent.cap.vltimo. Alterum eſt, vt ipſe tamquam Pontifex, & poſteri eius numquam inuenirentur docere contra veram fidem. Ita Lucius I. epiſt.1. *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur: nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem, dicentis: Ego rogaui pro te*, &c. & Felix I.epiſt.ad Benignum, & Leo Serm.3. de Aſſumptione ſua: *Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit.* Ecce primum Priuilegium. *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis ceteris conferatur.* Ecce ſecundum.

Præterea probatur Propoſitio, quia ſuper petram, quæ eſt Petrus & ſucceſſores eius, fundatur Eccleſia: ſed aduerſus Eccleſiam portæ inferi non præualebunt, Matth.16. Ergo multò minùs aduerſus hanc petram. Ita interpretantur hunc locum Matthæi Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus in Pſalm. contra partem Donati, & Gregorius lib.6.ep.37.

Tertiò, Papa eſt totius Eccleſiæ Paſtor & Doctor. Ioan.vlt. *Paſce oues meas.* Ergo tota Eccleſia illum audire tenetur. Sed Eccleſia tota errare nequit; ergo multò minùs Paſtor eius. Nec dicas, debere audiri, ſi non erret; ſi erret, recurrendum ad Concilium Generale, in quo ipſe adſit: nam non eſt ouium iudicare; nec ſemper Generalia Concilia celebrari poſſunt.

Denique probatur hoc ab experientia duplici: Primò, quòd conſtat omnes Patriarchales alias ſedes defeciſſe à fide: ſic in Conſtantinopolitana ſedit Macedonius, Neſtorius, Sergius: in Alexandrina Georgius & Lucius Ariani, Dioſcorus Eutychianus: in Antiochena Paulus Samoſatenus: in Ieroſolymitana Ioannes Origeniſta, & ante eum Irenæus & Hilarius Ariani. Nihil tale vnquam commiſit Romana Eccleſia. Secundò, quoniam plurimas hæreſes Papa damnauit ſine Concilio Generali, vt Pelagij, Priſcilliani, Iouiniani, &c. Cùm ergo Papa errare non poſſit in his quæ ſunt de fide; ergo multò minùs errabit, quando ſimul cum tota Eccleſia vniuerſali coniunctus eſt; nempe quando Concilium à ſe congregatum approbat: tunc enim ea quæ determinantur circa fidei doctrinam, habent infallibilem veritatem.

Sed contra prædicta obiiciunt aduerſarij plura. Primò, quia Concilium Africanum in ep.ad Cœleſtinum Papam aſſeruit, minùs poſſe errare Concilium Prouinciale in iudicio, quàm Romanum Pontificem. Reſpondeo Primò, quòd illa epiſtola non fuit confirmata, licet confirmata fuerint decreta illius Concilij. Secundò, Concilium loqui non de iudicio fidei, ſed de iudicio facti, id eſt de cauſis Epiſcoporum. Dicunt etiam aduerſarij, maximè Lutherus in lib.de Conciliis, art.28.& 29. Caluinus lib.4. Inſtit. c.9.§.11. & paſſim, Ioannes Somerus aduerſus Petrum Carolum, lib.2.cap.3. nullam legitimis Conciliis infallibilem in rebus fidei decernendis veritatem relinquunt: ſed quantumlibet pura & legitima fuerint, plurimis errorum næuis adhuc laboraſſe latrant.

Sed placet illos vna aut altera ratione confodere: & in primis, legitimis Conciliis vel Spiritum ſanctum adeſſe credunt, vel negant. Si credunt, vt fatetur Caluinus vbi ſuprà, §.1. his verbis: *Porrò, hoc eſt Chriſti ius, vt Conciliis omnibus præſideat, nec ſocium habeat hominem in iſta dignitate.* Sic ille. Quomodo ergo præ-

ſente, imò præſidente Conciliis, ac ea moderante atque docente Chriſti Spiritu, in decernenda fidei doctrina Concilia labi poſſunt? Infallibilis ſiquidem eſt Chriſti Spiritus, & cùm ſe Conciliorum ducem ac moderatorem infallibilem præſtat, planè dubitandum non eſt, quin totius Concilij conſenſum in decernendis rebus fidei diſponat, vt omnino infallibilem reddat. Si negant: profectò ab ipſis Scripturis apertè mendacij & impietatis redarguuntur, vt patet ex teſtimoniis Ioánnis in c.14. & 16. ſuprà adductis; & Actor.15. apertè teſtatur Scriptura, Spiritum ſanctum Conciliis adeſſe, cùm in Concilio Ieroſolymitano coacto, Apoſtoli illis verbis vſi ſunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere*, &c.

Nazianzenus epiſt. ad Procopium videtur prædictis contraire. ait enim ſic: *Ego, ſi vera ſcribere oportet, ita animo affectus ſum, vt omnia Epiſcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius Concilij finem lætum fauſtumque vidi, nec quod depulſionem malorum potiùs quàm acceſſionem & incrementum habuerit.* Reſpondetur, ipſum loqui de Concilio illegitimo: nam Gregorij ætas incidit inter Primum & Secundum Concilium: quo tempore multa celebrata ſunt Concilia, quæ propter frequentiam Epiſcoporum Arianis fauentium, infelicem habuerunt exitum: propterea deſperabat Nazianzenus, ſicut Baſilius epiſt.52. ad Athanaſium, tunc poſſe congregari Concilium legitimum.

Sed contrà, Leo Papa epiſt.53.54. & 55. agnoſcit Concilium Chalcedonenſe legitimum, & tamen illud ambitionis & inconſultæ temeritatis arguit. Reſpondetur, legitimum Concilium in eo poſſe errare, quòd non ſit legitimè. At decretum reprehenſum à Leone, vt patet ex vltima Actione eiuſdem Concilij, & epiſt.61. eiuſdem Leonis, editum fuit abſentibus Legatis Papæ, & proinde illegitimè.

Obiectio ex ratione: In omni cœtu multitudinis ſæpè accidit, vt maior pars vincat meliorem: ergo in Conciliis Eccleſiæ, vbi definiuntur omnia ad plura ſuffragia, facilè fieri poterit vt contingat error. Reſpondetur, verum eſſe Antecedens in cœtibus humanis: at numquam abſolutè in Eccleſiaſticis, quibus præſidet Papa cum Spiritu ſancto.

Dices: Et quis nouit, an vllum Concilium fuerit vmquam legitimum? tum quia neſcitur, an qui conuenerint, habuerint veram fidem & ordinationem: tum etiam quia ex Hiſtoricis humanis, qui mentiri poſſunt, habemus certitudinem de Conciliis præteritis. Reſpondetur ad primam Probationem, ſufficere, vt conuentus Epiſcoporum legitimus ſit, conuenire illos qui in Eccleſia ordinariè præſident, & Epiſcopi veri ab omnibus habentur; quidquid tandem habeant in mente: certi enim ſumus, tales errare non poſſe ſimul congregatos cum Papa, totam Eccleſiam docendo. Quamuis nullo modo eſt veriſimile, Deum permiſſurum, Epiſcopos alicuius Concilij legitimi maiori pro parte hæreticos mentales eſſe. Ad ſecundam Probationem dico, conſtare de legitimo Concilio euidenter ijs qui tunc viuunt: nobis verò fide certiſſima humana, & Eccleſiæ traditione quæ id aſſerit, & nullus contrarium ſentit: quod quidem ſufficit.

ASSERTIO SECVNDA. Determinationes talis Concilij à Papa confirmati ſunt de fide, ita quòd ſub pœna hæreſis omnes illi tenentur obedire. Probatur hæc Aſſertio tum ex dictis paulò antè, tum etiam ex conſenſu totius orbis, & ex naturali ipſa ratione, quæ ad noſtræ tempeſtatis Sectarios fugandos ſatis eſſe deberent: numquam enim cuiquam permiſſum fuiſſe legimus, in aliquod Generalis Concilij (non itidem Prouincialis) decretum, velut dubium inquirere:

quirere: aut quæ ſemel in eo diſcuſſa ac definita ſunt, denuò examinare, aut in dubitationem reuocare. Quod vel ex Chalcedonenſi Concilio perſpectum eſſe poteſt; in quo cùm Nicęnæ I. Synodi decreta nonnulli ad examen reuocare vellent, nulla ratione illis permiſſum fuit: quin etiam mox ſancta Synodus exclamauit: *Si quis retractat, anathema ſit. Si quis ſuper iſta requirit, anathema ſit. Maledictus qui addit. Maledictus qui auſert. Maledictus qui innouat.* Et praxis hoc oſtendit: nam in multis ſæculis Concilia determinarunt plurima de fide, & pro talibus recepta ſunt. Vt puta

In primo Sæculo, quod extenditur vſque ad annum C. à Chriſto nato, orta eſt quæſtio de cærimoniis Legis veteris, an eſſent ſeruandæ à Gentibus ad Chriſtum conuerſis; & determinationi Concilij à S. Petro conuocati, omnes acquieuerunt: Act. 15.

In ſecundo Sæculo, vſque ad annum CC. orta eſt quæſtio de celebratione Paſchæ, quibuſdam volentibus Paſcha celebrare cum Iudæis 14. die primi menſis, ſiue eſſet dies Dominicus, ſiue non: alij autem tantùm die Dominico. Et tandem à Victore Romano Pontifice determinatum eſt, vt die Dominica poſt 14. Lunam celebretur: adeò vt omnes Eccleſiæ Africæ ab eodem excommunicatæ fuerint, quòd adhuc in errore perſiſterent. Scribit hiſtoriam totam Euſebius lib. 5. Hiſtor. c. 23. & 24. Poſteà verò non ſolùm excommunicati, ſed etiam hæretici habiti ſunt, qui decreto Pontificis non obedierunt.

In tertio Sæculo, cùm eſſet orta hæreſis Nouatianorum, negantium, Eccleſiam poſſe abſoluere à peccatis eos qui poſt Baptiſmum lapſi erant. Cuius tamen rei veritas per Concilium Romanum, cui Cornelius Papa præerat, vt refert Euſebius ex verſione Ruffini lib. 6. Hiſt. c. 23. & deinceps Nouatiani ſemper inter hæreticos habiti ſunt. Eodem Sęculo orta eſt quæſtio de Anabaptiſmo, & tandem Cornelius Romæ habito Concilio, decreuit, non eſſe rebaptizandos, qui ab hæreticis baptizati eſſent, vt Euſebius refert lib. 7. Hiſt. c. 2.

In quarto Sæculo poſt annum CCC. cùm eſſet orta hæreſis Arianorum, per Concilium Nicænum ſublata eſt. Eodem Sæculo, hæreſis Macedonij contra Spiritum ſanctum iudicata & condemnata eſt per Concilium Conſtantinopolitanum, quod à Damaſo confirmatum eſſe, teſtatur Photius in libro de Septem Synodis.

In quinto Sæculo, hæreſis Neſtorij condemnata eſt in Concilio Epheſino I. Præſide Cyrillo, nomine Cæleſtini Papæ, vt Euagrius teſtatur lib. 1. cap. 4. Et paulò pòſt hæreſis Eutychetis in Concilio Chalcedonenſi, præſidentibus Legatis Papæ Leonis, vt Euagrius teſtatur lib. 2. cap. 4. Eodem Sæculo nata eſt hæreſis Pelagianorum, ſed à Pontificibus Romanis damnata eſt, vt patet ex Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 50. & ſic per multa ſæcula diſcurrendo, praxis docet, Concilia quamplurima determinaſſe de fide.

Notandum tamen, quòd hoc intelligitur de Concilio Generali, non autem de Prouinciali aut Diœceſano: nam vt optimè habet Couarruuias in Reſolutionibus, lib. 4. c. 16. n. 6. & 10. & Caſtro lib. 1. de Pun. hæretic. cap. 5. & 6. nullus citra Papam & Concilium Generale legitimum, etiamſi ſit Diœceſanus cum ſuo Concilio Prouinciali, & cum aliqua Vniuerſitate, poteſt Propoſitionem dubiam diffinire hæreticam, aut de fide eſſe; licet doctrinaliter docere poſſet, & prohibere tamquam ſuſpectam vel ſcandaloſam: niſi foret adeò manifeſta, vt de ea re nulla poſſit apud Catholicos eſſe controuerſia. Sed Gerſon alphab. 13. lit. Y. 3. ait id ſolùm eſſe verum de vltimata diffinitione: nam Diœceſani cum conſilio ſapientum, & maximè quando ſcandalum aut periculum erroris culpabilis

pabilis eſt, poteſt iudicialiter circa fidem & mores diffinire: quamuis hæc diffinitio debeat vltimatè diffinitioni Papæ vel Concilij Generalis eſſe ſubiecta.

Duæ autem cauſæ ſunt, propter quas Generalium Conciliorum auctoritatem Eccleſia ſemper tam magni fecerit, vt irrefragabilem iudicauerit. Vna eſt, quam Leo Magnus explicat in epiſt. 78. quòd in legitimis Conciliis à Pontifice approbatis, Spiritus ſanctus infallibili veritate præſideat; quo fit, vt illorum decreta, Dei potiùs quàm hominum decreta cenſenda ſint. Ita enim ſcribit: *Praenoſcat pietas veſtra, venerabilis Imperator, hos, quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra illos à Sede Apoſtolica profecturos, qui de rebus, & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, ſicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia & infirma ſint, quæ tanta per Spiritum ſanctum fixit auctoritas.* Altera ratio eſt Gelaſij ad Epiſcopos Dardaniæ: ſcilicet, quia ſi Generalibus Conciliis nulla certa veritas ſuffragaretur, nullum Eccleſiæ aduerſus graſſantes hæreſes præſidium relictum eſſet, quo illas perimere ac extinguere poſſet. & ita ſcribit: *Patres noſtri Catholici docti Pontifices in vnaquaque hæreſi quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica & Apoſtolica, ſecundùm Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmumque conſtare: nec in eadem hac cauſa denuò quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recentiori præſumptione permiſerunt: ſapientiſſimè prouidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuique liceret iterare, nullum prorſus contra ſingulos errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iiſdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur.* Sic ille. Prætereà, meritò reuocarentur in dubium omnes damnatæ hæreſes à Conciliis Generalibus. Deinde, nulla eſſet certitudo de multis ſacræ Scripturæ libris: nam de Epiſtola ad Hebręos, Petri 2. Ioannis 3. item Iacobi, Iudæ, & Apocalypſis tamdiu eſt dubitatum, donec à Concilio res declarata eſt. Vltimò ſequeretur, quòd omnia Concilia intolerabilem admiſiſſent errorem: nimirum, quia propoſuerunt credendum aliquid de fide, quod non conſtat an ſit verum, vel falſum.

Hinc Valentinianus ac ipſius collega Martianus Imperatores ſeueriſſimo edicto ſanxerunt, ne quis Synodi Chalcedonenſis decreta impunè in dubium reuocaret, ſed rata ac firma ab omnibus haberentur, his verbis: *Ceſſet igitur iam humana contentio, nam verè impius ac ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere: quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlteriùs diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaque, vel Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis, de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuoluere & publicè diſputare contendit: cùm ea, quæ nunc de fide Chriſtiana ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones & ſtatuta ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, definita eſſe noſcuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non ſolùm contra fidem benè compoſitam veniunt, ſed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine profanant veneranda myſteria.* Hæc pij Imperatores. Atque eodem modo & ferè eiſdem verbis vtitur Martianus ad Palladium ſcribens, vt habetur in Codice Iuſtiniani, & in altero Edicto ad Conſtantinopolitanos.

Obiicit contra hoc Caluinus, & reſtringit Aſsertionem ſic: *Si Concilium ex verbo Dei de fide definiat.* Sed friuola eſt Obiectio & ſuperuacanea, quærere ſcilicet

Digitized by Google

licet à Conciliis, an ex verbo Dei definiant: cùm vniuerſæ fidei definitiones, quæ à Conciliis manant, non niſi ex verbo Dei vim atque efficaciam ſortiantur; quo fit, vt iure optimo illæ verbi Dei appellationem ſibi vendicent: nam & Dei verbum citra controuerſiam eſt, quod Nicænum Concilium contra Arium de conſubſtantialitate Filij definiuit. Dei verbum quoque credendum eſt, quod in Conſtantinopolitano Concilio de Spiritus ſancti diuinitate determinatum eſt contra Macedonium. Demum, quotquot fidei definitiones à Concilio hauſtæ ſunt, omnes ex Dei verbo petitæ ſunt: atque inde diuini verbi nuncupatione cohoneſtatæ ſunt, vt nefas ſit de his haud ſecùs quàm de diuino verbo dubitare: neque enim fas vmquam fuit, aliquid præter Dei verbum de fide definire, cùm fidei obiectum ſit ipſa diuina veritas hominibus reuelata. Fruſtrà ergo Caluinus Concilia ad Dei verbum prouocat, cùm ea Dei verbum ſibi magiſtrum ſupponant.

Sed error Caluini eſt, quia putat, ſemper ex Dei verbo ſcripto omnia Concilij decreta debere fieri. Nam ſi vniuerſa Conciliorum decreta circa fidei controuerſias potiſſimùm verſantur, quæ vt plurimùm ex incerto ac ſubobſcuro Scripturarum ſenſu ortum ducunt: ſi Caluinus inuolutum ac latentem Scripturarum ſenſum ab ipſis Scripturis examinandum cenſet; quiſnam erit veritatis agnoſcendæ modus? Cùm enim lis de Scripturæ incerta interpretatione agatur, atque ea ad iudicium prouocetur, quis eam in propria cauſa iudicem eſſe ſentiat? Quòd ſi ea ſui ſenſus (vt notum eſt) iudex eſſe non poteſt, neque eam, qua laborat, obſcuritatem ac incertitudinem tollere valet; ſanè alio ac viuo Iudice opus eſt, qui diuina auctoritate fretus, de ipſa verbi ſcripti obſcuritate ac incertitudine iudicare ac decernere valeat. Propter hoc ergo conuocantur Concilia, vt quia eis legitimè congregatis auctoritas à Deo collata eſt, in ambiguo Scripturarum ſenſu, quis verus ac legitimus ſit, declarent, & ex eo quid de fide tenendum ſit, decernant. Neque neceſſe eſt, vt opinatur Caluinus, eam ſcripti verbi interpretationem ex ipſo ſcripto verbo manare, cùm id tantùm ſufficiat, quòd ea cum ſcripto verbo non pugnet. Patet hoc ex determinatione facta ab Apoſtolis, qui cùm adhibito ſeniorum Concilio de expreſſo Circumciſionis præcepto, quod legitur Gen. 17. inter ſe conferrent, num illi Gentiles ſubiici deberent; ſtatuerunt tandem, nullatenus ab ipſis obſeruandum fore: atque eam Legis interpretationem non ex vllo Dei verbo ſcripto, ſed ex Concilij auctoritate exprompt am fidelibus ſequendam tradiderunt: quam tamen à Spiritu ſancto dictatam fuiſſe, nemo dubitat, cùm ibi dicatur, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*. Sic ergo probatum eſt, quòd determinationes Concilij à Papa confirmati, ſunt de fide.

Probandum ſupereſt, quòd omnes tenentur illi ſub pœna hæreſis obedire: quod licet ex dictis pateat, nihilominùs particulariter illud probo duplici ex capite: Primo, Quia conſenſus Eccleſiæ eſt Iudex omnium controuerſiarum fidei. Secundo, Quia Eccleſia poteſt ſuos fideles ad hoc obligare.

Prior pars huius dicti fusè probatur infrà in Præludio IX. Corollar. IV. Poſterior verò pars antequam probetur, ſciendum quòd hæretici multi docent, non eſſe in Eccleſia auctoritatem condendi leges, quæ obligent fideles in conſcientia. Ita ſenſerunt olim Waldenſes, teſte D. Antonino 4. Par. tit. 11. c. 7. §. 2. Summæ Theologicæ. Idem poſteà aſſeruit Marſilius de Padua in lib. quem inſcripſit Defenſorem pacis, contra quem ſcribit Pighius lib. 5. Hierarch. Eccleſ. Idem docuit poſteà Wiclef, vt patet ex art. 38. damnato in ſeſſ. 8. Concilij Conſtantienſis: vnde colligebat, Decretales Pontificum eſſe apocryphas; & homi-

Digitized by Google

nes ſtultos, qui illis cognoſcendis dant operam. Lutherus denique & Caluinus cum ſequacibus id docent. Lutherus in lib. de Capt. Babyl. cap. de Baptiſmo. & in lib. de Libertate Chriſtiana, quem refellit Iodocus Clichthoueus lib. 1. ſui Antilutheri: ac vt factis etiam Leges Eccleſiaſticas damnaret, anno 1520. totum Corpus Iuris Canonici publicè combuſſit, vt ſcribit Ioannes Cochlæus in Vita Lutheri. Melanchthon in Confeſſione Auguſtana, art. 28. Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 10. 11. & 12. & reliqui eorum ſequaces communiter. At in Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt, Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Romanum Pontificem in tota Eccleſia, eſſe veros Principes Eccleſiaſticos, qui poſſint ſua auctoritate, etiam ſine plebis conſenſu vel Presbyterorum conſilio, leges ferre quæ in conſcientia obligent, iudicare in cauſis Eccleſiaſticis more aliorum Iudicum, ac demum punire.

Primùm probatur ex Deut. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* & ex Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria,* &c. & ex Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,* &c. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* & infrà: *Ideóque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Qui locus non ſolùm intelligitur de Principibus ſæcularibus erga ſuos ſubditos, verùm & de Eccleſiaſticis erga omnes fideles. Id quod fatetur Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 10. §. 5. Et etiamſi Paulus ad literam ſolùm loqueretur de ſæcularibus; nihilominùs à ſimili, vel à maiori idem debet intelligi de Eccleſiaſticis poteſtatibus. Quòd autem leges eorum, qui ſunt poteſtate præditi, in conſcientia obligent, patet ex illis verbis Apoſtoli: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* & ex illis: *Qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* quod de damnatione tam temporali quàm æterna exponunt omnes, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, & ipſe etiam Petrus Martyr Caluiniſta in hunc locum. Item ex illis verbis: *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:* id eſt, neceſſariò parendum vobis etiam intelligite, non ſolùm propter metum pœnæ, ſed etiam propter metum culpæ, quam incurretis conſcientia teſte. Et licet Chryſoſtomus intelligat hîc conſcientiam beneficiorum acceptorum; communis tamen expoſitio eſt de conſcientia peccati, vt exponunt Theodoretus, Ambroſius, Beda, Anſelmus, & alij in hunc locum, & Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium: & eamdem expoſitionem recipiunt aduerſarij, Caluinus & Petrus Martyr.

Deinde probatur ex traditione Patrum: ac in primis, nullum ferè eſt Concilium, quod non aliquid præcipiat vel interdicat ſub pœna anathematis vel depoſitionis. Pari ratione plenæ ſunt epiſtolæ Pontificum, quę vel in Tomis Conciliorum, vel in Corpore Iuris Canonici legi poſſunt, præceptis & cenſuris. Baſilius Orat. 2. de Ieiunio, Ambroſius ſerm. 25. Chryſoſtomus Hom. 6. ad pop. Hieronymus in ep. ad Marcellam, Auguſtinus ſerm. 2. de Tempore, Leo ſerm. 3. de Ieiunio.

Tertiò probatur ratione: quia aliquę leges ſunt neceſſariæ ad Eccleſiam benè gubernandam, præter leges diuinas & ciuiles: at omnis lex habet vim coactiuam, vt apertè docet S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. & 2. 2. q. 67. art. 1. & lect. 3. in c. 2. ad Romanos. Ergo. Ex quibus patet firmitas Aſſertionis.

Dubitatur verò, An Papa huiuſmodi determinationibus Concilij teneatur obedire. Ad quod reſpondetur affirmatiuè ex Soto in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4. ad 2. & diſt.

diſt.22.q.2.art.2. & innuitur etiam in cap. Sicut ſancti. diſt.15. & cap. Sunt quidam.25.q.1.& epiſtola Iulij Papæ ad Orientales Epiſcopos tempore Athanaſij. Benè verum eſt, quòd tenetur obedire non quidem vt inferior obediens Concilio tamquam ſuperiori, ſed vt obediens veritati per Spiritum ſanctum ibidem certiſſimè reuelatæ. Nam ſiue teneatur quòd Concilium ſit ſupra Papam, ſiue quòd non ſit, vt verius exiſtimo, & ſuprà iam determinatum eſt; tamen, vt diximus, Papa tenetur ſtare definitioni Concilij. Imò & Victoria in Relect.3. de Poteſt.Papæ & Concil.Propoſ.2.& Turrecrem.in Decreto,diſt.4.§. Ideò.art.1. expreſsè dicunt, quòd potiùs eſt ſtandum diffinitioni Concilij, quàm Papæ, in fide & moribus. & Caſtro de Hæreſibus,lib.1.cap.2.6.& 8. & de Punit.hæretic. lib.1.c.4.& 10. eſt ad idem: & ratio eſt, quia nobis certius eſt, Concilium legitimum facere quod in ſe eſt vt à Deo illuminetur,quàm Papam. Si verò Papa facit etiam quod in ſe eſt, tunc etiam à Deo illuminabitur vt errare non poſſit, vt in ſequenti Præludio dicemus: & ſic nec ipſe à Concilio, nec Concilium ab ipſo poterit diſſentire.

Petes: An vni Concilio liceat de fide determinare vel mutare aliter,quàm in præcedentibus Conciliis determinatum eſt. Rationem dubitandi facit D.Auguſtinus,qui in lib.2.de Bapt.cap.3.ait: *Priora Concilia nonnumquam à poſterioribus emendari*. Pro cuius difficultatis reſolutione ſit

Assertio. In materia fidei non licet Concilio poſteriori determinare aliter quàm in prioribus determinatum eſt: quoad mores verò licet aliquando pro diuerſitate temporis. Vtraque huius Aſſertionis pars probanda eſt.

Prima pars de fide eſt: quia fide Catholica tenendum eſt, Concilia Generalia à Summo Pontifice confirmata,errare non poſſe,nec in fide,nec in moribus. Et hinc eſt, quòd Eccleſiæ Catholicæ Concilia non ſolent dogmata quotannis mutare, vt Lutherani & Caluiniſtæ faciunt;neque circumferri omni vento doctrinæ, quia in fide errare non poſſunt: nam ex Scripturis conſtat, & in præcedentibus iam demonſtratum eſt, ſicut etiam infrà in Præludio IX. Eccleſiam errare non poſſe. at tota auctoritas Eccleſiæ formaliter, non eſt niſi in Prælatis; qui licet ſeorſim poſſint errare, tamen quando ſimul legitimè congregati definiunt aliquid de fide, & illud à Pontifice Summo probatur; nullo pacto errare poſſunt. Ratio eſt,quia inter ipſos tunc aſſiſtit Chriſtus,iuxta illud promiſſum: *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorum*. Et tales ſic congregati habent Doctorem Spiritum ſanctum, iuxta illud Ioan.16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Ergo. Deinde iubet Deus Luc.10. audiri & ſequi Epiſcopos,Hebr.13. vt præpoſitos, Paſtores, & Doctores: ergo vel fallere non poterunt; vel cauſa erroris noſtri reiicienda eſt in Deum. Si ergo Concilia Generalia in decretis fidei non errarunt,nec errare poterunt; ergo Concilia poſteriora non poſſunt aliter definire: alioquin Spiritus ſanctus, qui prioribus Conciliis adfuit,& illos Patres docuit,non fuiſſet Spiritus veritatis.

Quam veritatem agnoſcentes ſancti Patres, dicunt,potiùs eſſe moriendum, quàm à decretis Generalium Conciliorum recedendum: ita Ambroſius in epiſt.12. vbi ait: *Sequor tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare*. Sic Hilarius,qui re ipſa exilium propterea paſſus eſt, vt teſtatur in fine libri de Synodis. Victor Africanus cap.6.lib.de Perſecut.Wandal.deſcribit plurima martyria Sanctorum pro fide in Concilio Generali explicata.

Secunda verò pars declaranda eſt:nam quando in Conciliis Generalibus determinantur aliqui mores ſeu ritus, tales determinationes ab omnibus ſeruari debent: quando verò in Conciliis agitur de moribus ſeu ritibus, non decretan-

do, ſed ſolùm dirigendo; tunc licet etiam ſeruari debeant ritus & mores Eccleſiaſtici in præcedentibus Conciliis dati; nihilominùs, ſi ratio temporis in poſterioribus Concilijs aliud poſtulare videtur, poſteriora Concilia poterunt aliud determinare. Quod exemplis fiet manifeſtum.

Nam in Canone 6. Apoſtol. ſic habetur: *Epiſcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtextu Religionis abiiciat. Si verò reiecerit, excommunicetur; ſed ſi perſeuerauerit, deijciatur.* Qui quidem Canon per duodecimum Canonem VI. Synodi immutatur: verùm hæc immutatio, vt patet, non eſt circa res fidei.

In Concilio Elibertino can. 34. prohibetur, ne in cœmeterio per diem accendantur cerei. Quod tamen non ſolùm nunc, verùm & olim non fuiſſe obſeruatum patet, quia ad funus accenduntur lampades & cerei: ita olim apud Nyſſenum epiſt. ad Olympiam, Nazianzenum Orat. 2. in Iul. Chryſoſtomum Homil. 4. in Epiſt. ad Hebr. Theodoretum lib. 5. Hiſtor. cap. 36.

In eodem Concilio can. 36. ſic habetur: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere: ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Contra quem Canonem Primò eſt antiquiſſimum Concilium Antiochenum ab Apoſtolis celebratum, de quo agit Pamphilus martyr, cuius fragmenta collegit Turrianus aduerſus Magdeburgenſes, lib. 1. cap. 25. & Innocentius epiſt. 18. cuius ſeptimus Canon hic eſt, ex Græco in hæc verba redditus: *Ne decipiantur ſaluati ob idola, ſed pingant ex oppoſito diuinam humanamque manufactam, impermixtam effigiem Dei veri ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſiuſque ſeruorum contra idola, & contra Iudæos. Neque errent in idolis, neque ſimiles fiant Iudæis.* Hucuſque verba Canonis. Quod ne ſuppoſititium videatur, habetur citatum in Nicæna II. Synodo à Gregorio Peſſinantis Epiſcopo propriis verbis. Ex quo facilè perſpicitur, in ipſa primitiua Eccleſia, tempore Apoſtolorum, cultum ſanctarum Imaginum in templis adhibitum fuiſſe.

In Synodo Trullenſi contra Iconoclaſtas vſus imaginum, ac præſertim Chriſti ſub figura Agni probatur can. 82. his verbis: *Vt ergo quod perfectum eſt, vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubijciatur, eius, qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri inſtar hominis characterem, etiam in imaginibus pro veteri agno ſtatui iubemus: vt per ipſum, Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conuerſationis, eiuſque paſſionis & ſalutaris mortis deducamur.*

Poſt Trullenſem non multò pòſt celebrata fuit Nicæna II. Synodus Generalis, vbi Act. 7. expreſſis verbis definitum habetur, ſacras Imagines in templis collocandas eſſe; cuius inter alia, hæc ſunt verba: *His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus ſanctus inhabitat, traditionem obſeruantes; definimus cum omni diligentia & cura, venerandas & ſanctas Imagines ad modum & formam venerandæ & viuificandæ Crucis è coloribus ac teſſellis, aut alia quauis materia commodè paratas, dedicandas, & in ſacris Dei templis collocandas habendaſque, tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in vijs publicis: maximè autem imaginem Domini & Dei ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti: deinde intemeratæ noſtræ Dominæ Deiparæ: venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum.* Per quos Canones patet, aliter eſſe determinatum in poſterioribus Conciliis, quàm fuit determinatum in Elibertino, de quo præcipuè Caluinus triumphat, & eo contra Catholicos vtitur.

Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. anno Chriſti 57. multis argumentis ſuſpicatur hunc Canonem ſuppoſititiũ eſſe, nec à Concilio Elibertino latum: neque

Digitized by Google

que enim potuit,aut debuit, decem & nouem Epiſcoporum Conuentus in orbis angulo congregatus,aliud ſtatuiſſe,quàm quod vbique locorum vniuerſalis profiteretur Eccleſia. Prudentium commemorat,qui & ipſe Hiſpanus,eiuſdem ſæculi Scriptor fuit, qui Imaginum vſum in Eccleſiis depingi ſolitum laudat in Caſſiano. Ferdinandi quoque Diaconi, Dionyſij cognomento Exigui,& Creſconij meminit,qui quantumlibet egregiā operam nauarint,vt omnes tam Græcos quàm Latinos Canones colligerent; nemo tamē illorum huius Elibertini Canonis mentionem facit. Demum hæreticos recenſet, qui ante Iconoclaſtas Imperatores bellum ſacris Imaginibus ſaltem in genere indixerunt,cùm omnes Eccleſiaſticos ritus euerterent: qui hunc Canonem omnino reticuerunt, cùm eo maximè Imagines impugnare poſsent. Quæ ſanè Argumenta magnam vim faciunt,vt dicamus Canonem illum in eo Concilio editum non fuiſſe; ſed multò pòſt ab Iconoclaſtis poſterioribus ſuppoſitum. Sed quia hæc ſolutio multis non probatur, eò quòd potiùs fugam prætendat quàm ſolutionem; ideò ſit

Secunda Reſponſio,quæ eſt Cardinalis Bellarmini lib.2.de Imaginibus, c.9. ſcilicet,hoc determinatum eſſe,ne ſanctę Imagines humore parietum facilè corrumperentur,aut alia de cauſa ſplendorem & pulchritudinem amitterent. Sed neque hæc Reſponſio omnibus ſatisfacit, nam etiam imagines in tabulis depictæ ab iniuriis temporum non ſunt immunes. Et propterea duæ aliæ reſponſiones poſſunt de hoc dari:

Vna eſt, quòd illud Concilium non fuit Generale, licet legitimum; & propterea Eccleſiæ conſuetudini, imò & Conciliorum Generalium determinationi debet cedere: eſt enim regula B.Auguſtini,lib.2.de Bapt. cap.3. *Concilia particularia plenariis ſine dubio cedere debere.*

Altera eſt, quòd tunc adhuc Gentilium in Chriſtianorum Eccleſias perſecutio ingrueret: ſiquidem Elibertinum hoc Concilium in Hiſpania ante Nicęnum I.Concilium celebratum eſt ab Epiſcopis illius regionis,vt multis placet: quamobrem,ne Sanctorum imagines,quæ in parietibus depictæ,à perſecutoribus inuentæ eſſent,& contumelia afficerentur, ibi decretum fuit, ne quod adoratur, in parietibus depingeretur, ne Gentilibus ludibrio fieret: ſed tantùm in tabulis,quæ exportari & in tutiorem locum reponi poſſunt, effingerentur.

Præterea in Concilio Toletano IV. ſtatuitur, vt ſemel tantùm immergatur puer in Baptiſmo. At Eccleſia Romana vult vt per ter immergatur.Rationem prioris decreti dat S.Bonauentura in 4.diſt.3.art.2.q.1.ad 1.quia ſecundùm morem illius Eccleſiæ ſemel tantùm immergi ſolebat puer: ſed quia hæretici cœperunt immutare, ideò Patres illi propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis vſum, ſimplam ſtatuerunt immerſionem.Sed Romana Eccleſia aliter ſeruat: & iure potuit hoc determinare, quia ad mores & ritus pertinet. At in rebus fidei nulla facta eſt vmquam mutatio. Vnde ad rationem dubitandi ex D.Auguſtino in principio poſitam,dico,illam debere intelligi quoad præcepta morum,non quoad dogmata fidei: præcepta enim mutantur iuxta temporum,locorum,& perſonarum mutationes: & illæ mutationes dicuntur emendationes, non quòd res mala eſſet eo tempore quo eſt inſtituta; ſed quòd mala eſſe cœperit, mutatis circumſtantiis. Nam in materia fidei ego ſentio de omnibus Conciliis legitimè factis id quod ſanctus Gregorius ſentit de quatuor illis prioribus Conciliis, dum ſic ſcribit libro 1.epiſt.24. ad Patriarchas Conſtantinopolitanum & Alexandrinum: *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet,*

cet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam Primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur. Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. Et licet poſt quatuor prædicta Concilia quamplurima alia celebrata ſint, tam Generalia, quàm Regionalia ac Prouincialia, & propter emergentes hæreſum cauſas prędictis quatuor nonnullas fidei declarationes addiderint; eorum tamen fidei normam ita ſecuti ſunt, vt ab iis nec latum vnguem vmquam receſſerint: quod ex ipſis fidei confeſſionibus ipſis Conciliis affixis exploratum eſt.

PRÆLVDIVM OCTAVVM.

An Concilium Generale legitimè congregatum, ſi faciat quod in ſe eſt, poſſit errare in rebus fidei & morum definiendis.

CAIETANVS in Quodlib. de Poteſt. Papæ, cap. 6. 8. 9. 11. 12. & in Apologia, cap. 21. & ſeq. & Albertus Pighius in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica, & quidam alij tenent, quòd Concilium Generale in prædictis errare poteſt: quodque ſine ipſo Papa ibi præſente, vel tacitè vel expreſsè conſentiendo approbante diffinita ibidem, non habent infallibilem certitudinem: etiamſi Legati ipſius Papæ interſint: quia omnia, quæ leguntur à Chriſto promiſſa vel conceſſa Eccleſiæ vel Concilio, non niſi ratione capitis, id eſt Papæ ſimul: & per conſequens ipſi tantùm Papæ, & præcipuè conceſſa ſunt. Et exemplis probatur talis Poſitio.

Nam multa Concilia Generalia legitima, etiam auctoritate Papæ congregata, in diffiniendo circa fidem erraſſe deprehenduntur, vt conſtat de Concilio Epheſino II. quod cum hæretico Eutychete errauit, vt habetur in Concilio Chalcedonenſi Act. 1. & ſeqq. & tamen auctoritate Papæ Leonis I. legitimè congregatum eſt, vt conſtat ex ipſius epiſtola 9. & ex Hiſtor. Tripartita lib. 5. cap. 29. Item Concilium Ariminenſe auctoritate etiam Papæ ex 880. Patribus congregatum, etiam cum Ario errauit in fide. Ideò in cap. Sancta Romana Eccleſia. diſt. 15. reprobatur. Item Concilium aliud Conſtantinopolitanum tempore Leonis IV. Imperatoris & S. Ioannis Damaſceni celebratũ, etiam errauit imagines reprobando. Item Concilium Baſileenſe auctoritate Papæ Eugenij IV. legitimè cõgregatum, etiam errauit in fide, dum ſeſſ. 2. diffiniuit, quòd neque per Papam poterat diſſolui, aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari, abſque eiuſdem Concilij deliberatione & conſenſu. Item in alio decreto eiuſdem, ſeſſ. 3. 8. & 33. dicitur à multis Catholicis erraſſe, vbi decreuit, quòd Concilium habet à Deo immediatè poteſtatem, etiam ſupra Papam, etiam ad illum puniendum. Ideò nec ab omnibus Catholicis acceptatur tamquam habens vim Concilij: & hoc etiam habetur in Extrauag. Sixti IV. Graue nimis. de Reliq. & vener. Sanct. acceptata in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. in qua Extrauag. habetur, quòd de præſeruatione B. Virginis in ſua Conceptione, nihil habetur deciſum ab Eccleſia. Ex quo apparet, quòd deciſio ipſius Concilij Baſileenſis ſeſſ. 36. ſuper hoc, non habetur pro deciſione Concilij legitimi & authentici.

Pro

Digitized by Google

Pro reſponſione ergo, diſtinguendum eſt primò de Concilio: nam aliud eſt legitimè congregatum, & à Papa approbatum; aliud verò legitimè congregatum, ſed poſteà non approbatum. De primo autem Concilio ſit

ASSERTIO. Concilium legitimè congregatum, ſi facit quod in ſe eſt, & à Papa approbetur, non poteſt errare in decretis ad fidem & ad morem pertinentibus. Hæc Aſſertio relinquitur probata per illa quæ ſuprà dicta ſunt, & in ſequenti Præludio adhuc dicentur, quòd Eccleſia non poteſt errare. Solùm eſt declarandum dictum illud, *Si facit quod in ſe eſt.*

Pro cuius intelligentia ſciendum, quòd tunc Concilium facit quod in ſe eſt, qnãdo auctoritate Papæ, ſi viuit, & certus eſt, aut aliàs auctoritate legitima eorum qui Generale Concilium poſſunt cogere & celebrare, conuocarentur Paſtores Eccleſiarum, ſcilicet Epiſcopi, & viri boni, docti atque prudentes de tota Eccleſia eligerentur, qui eruditione & prudentia ad id munus iuuare & ſufficere creduntur; ſi & ibidem iam congregati cum affectione veritatis, ſine priuatis commodis & affectibus humanis, orationibus communibus præuiis diligenter inſiſtant in indaganda veritate fidei & morum per Scripturas ſacras, atque Doctorum ſanctorum, & Conciliorum præcedentium, & per alia eiuſmodi, quæ ad prædictum finem viſa fuerint expedire. Tunc enim, & non aliter, vti Roffenſis contra Lutherum, art.28. & 29. dixit expreſsè, in nomine Chriſti congregantur, & faciunt quod in ſe eſt: quibus ipſe ſuam aſſiſtentiam promiſit, neque deficiet, iuxta verba illa Matth. 18. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Concilium igitur Generale, ſi facit quod in ſe eſt, & à Papa approbetur, non poteſt in fide errare: alioquin ſi tale Concilium errare poſſet, certè is error in totam Catholicam Eccleſiam redundaret, & ita ſimul errare cenſeretur: quod tamen impoſſibile eſt, vt ex dictis ſuprà conſtat, & ex ſequenti Præludio magis fiet clarum. Concilium verò legitimè congregatum, ſed à Papa non approbatum, & errare poteſt, & de facto errarunt multa. Vnde

Concilium Epheſinum II. licet in principio fuerit auctoritate Papæ congregatum, non tamen legitimè proceſſit, neque fecit quod in ſe erat ad rectè diffiniendum, dum contradicentibus Papæ Legatis, & pluribus Patribus Concilij, illi qui malo animo erant ex parte Eutychetis, qui & fraudolenter & malè affecti illud Concilium procurauerunt, minis & terroribus coëgerunt plurimos Patres, vt illi eorum hæreticæ diffinitioni ſubſcriberent, ſicut expreſsè habetur in Concilio Chalcedonenſi, Act.1. & ſeqq. & ipſe Leo Papa ep.11.12.17.21.25. ſæpè teſtificatur.

Concilium Ariminenſe neque legitimè congregatum eſt, neq; legitimè proceſſit: nam per fraudes Aëtij & Arianorum, & ſine libero conſenſu Liberij Papæ renitentis, per Conſtantium Imperatorem coactum eſt: & reclamantibus Papæ Legatis, pluribus etiam Patribus ipſius Concilij, decretum ibidem contra fidem factum eſt, vt latiùs refert Nicephorus lib.9.cap.20.23.39. & 44.

Conciliabulum illud Conſtantinopolitanum conſtat iam quòd nulla auctoritate Papæ congregatum fuit, vt habetur expreſsè in Concilio Nicæno II. quod dicitur VII. Synodus Generalis, Act.6. & in Concilio alio Generali Conſtantinopolitano IV. quod dicitur VIII. Synodus, Act.7. Per Adrianum II. eadem de cauſa quoddam aliud Conciliabulum Conſtantinopolitanum reprobatur.

Ad Concilium autem Baſileenſe poteſt dupliciter reſponderi. Primò, quòd non legitimè proceſſit, volens etiam ſine cauſa ſufficiente deponere Eugenium

genium IV. vt multi Doctores affirmant: pro quibus facit Extrauag. Sixti IV. Secundo modo reſpondetur, illud Concilium non fuiſſe legitimum; nam à Papa non ſolùm non fuit approbatum, imò & diſſolutum.

PRÆLVDIVM NONVM.

De Eccleſia Romana, quòd ſit vera Eccleſia.

QVIA in multis Conciliis fit mentio de Eccleſia Vniuerſali, Apoſtolica, Sancta, &c. meritò in hoc Præludio de hac re agimus, vt cognita vera Eccleſia, expeditiùs cognoſcantur quæ in Conciliis habentur. Aggredior igitur contra hæreticos oſtendere & demonſtrare, Romanam Eccleſiam eſſe veram Dei Eccleſiam, vt ſic conſequenter agnoſcant miſeri, quòd omnia decreta, quæ ab ipſa emanant, tamquam à vera Chriſti Eccleſia ſuſcipi debent, & conſequenter videant ſe non eſſe in vera Eccleſia, ſed in Synagoga ſatanæ, & eſſe extra ſtatum ſalutis, iuxta D. Cypriani de Simpl. Prælator. & D. Auguſtini lib. 4. de Symb. ad Catechum. cap. 13. regulam: *Non habet Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem.* Atque vtinam hæretici cæci, & obcæcati ad verba diui Hieronymi aſpexiſſent, quibus Eccleſiam Romanam veram Dei Eccleſiam fatetur. ſic enim ait ad Damaſum ſcribens epiſt. 58. *Ego igitur, vt anteà iam ſcripſi, Chriſti veſtem in Romana vrbe ſuſcipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes, alterius hanc de me fuiſſe ſententiam, quid mererer, ipſe conſtitui. Verùm vt ait gentilis Poëta: Cælum, non animum mutat, qui trans mare currit; ita me inceſſabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella nunc patiar. Hinc enim præſidiis fulta mundi, Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia, ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circà manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito: ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas: ita te alius ſenem cum Petro cingat: ita municipatum cæli cum Paulo conſequaris, vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices.* Idem in epiſt. 57. ad eumdem Damaſum: *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit; & Chriſti vineam exterminant vulpes: vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideò mihi cathedram Petri, & fidē Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam; inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hereditas. Ibi ceſpite terra fecundo, Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant. Nunc in Occidente Sol iuſtitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argētea: hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, & æternum opperiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat*

Digitized by Google

tat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis efflagito. Faceſſat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Hæc & alia S. Hieronymus: quibus clarè oſtendit, Romanam Eccleſiam eſſe veram Dei Eccleſiam.

Vt autem contra hæreticos noſtri temporis id etiam nos demonſtremus, ſupponendum eſt Primò, Eccleſiam Dei debere eſſe viſibilem. Probatur ſuppoſitio, Primò, Quia vbicumque inuenitur nomen Eccleſiæ in Scriptura, vt Num. 20. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem.* 3. Reg. 8. *Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael.* Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & cap. 18. *Dic Eccleſiæ.* ſemper ſignificatur congregatio viſibilis: nec vnum ſaltem locum proferre poſſunt hæretici, quo tribueretur inuiſibili cœtui. Secundò, Vbi non nominatur Eccleſia, ſed tantùm deſcribitur, viſibilis etiam deſignatur. ſic Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum:* id eſt, iuxta Auguſtinum Tract. 1. in Epiſt. Ioan. *In manifeſto poſuit Eccleſiam ſuã.* ita vt ſicut nequit ſol omnino latêre, ita nec Eccleſia. Apud Danielem in c. 2. comparatur monti magno: *Factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram:* ſic Eccleſia eſt, quæ vniuerſam terram cùm impleat, qua ratione abſcondi poteſt? Quæ expoſitio eſt Auguſtini ibidem, vbi ait: *Mons eſt Eccleſia: quid ampliùs dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident?* Item Matthæi 5. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Ciuitas eſt Eccleſia. ſic exponit Auguſtinus lib. de Vnit. Eccleſiæ, c. 14. his verbis: *Eccleſia vera neminem poteſt latere: vnde eſt illud, Non poteſt ciuitas abſcondi.* Item in fraterna correctione Chriſtus ait: *Dic Eccleſiæ.* ſed quæſo, qua ratione huic præcepto parendum eſſet, atque illud non eſſet ſuperuacaneum & inane, ſi nobis quidquam dicẽdum eſſet Eccleſiæ, quæ vbinam gentium eſſet, ſcire non poſſemus? nam errantes, & planè cæcos nos Chriſtianos reliquiſſet Chriſtus, ſi quò nobis confugiendum eſſet, neſciremus. Imò ſi res ita ſe haberet, meritò conqueri poſſemus: cùm enim nobis præceperit Chriſtus vt cum vera Eccleſia communicemus, & vero illius Principi pareamus, iis qui ſecùs fecerint, propoſita æterni ſupplicij pœna; ſi vtrumque eſſet inuiſibile, & nobis incognitum: certè & à nemine obſeruari præceptum poſſet, & eſſet captioſum, & legiſlator magnam feneſtram, de qua præcipites ageremur, nobis patefeciſſet.

Sed contrà, *Eccleſia plena eſt fulgore, ab Oriente vſque ad Occidentem*, ait Origenes Hom. 30. in Matth. Eccleſia Domini luce perfuſa, radios ſuos per orbem terræ ſpargit. Cyprianus lib. de Vnit. Eccleſ. *Facilius eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Auguſtinus Tract. 1. in Epiſt. Ioan. *Numquid digito oſtendimus Eccleſiam, fratres mei? nónne aperta eſt? nónne manifeſta? Ecce mons implens vniuerſam faciem terræ: ecce ciuitas de qua dictum eſt: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Chryſoſtomus Homil. 4. de verb. Iſaiæ, *Vidi Dominum*, ait: *Eccleſia radices in cælo fixas habet, potiùs quàm in terra. Verùm Ethnicus fortaſſis meam deſpicit arrogantiam: ſed maneat, donec harum rerum probationem attulero, diſcatque vim veritatis, quomodo facilius eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Quid? quòd Caluinus ipſe aliquando etiam dixit, Eccleſiam eſſe viſibilem? ſic enim in ſua Inſtitut. lib. 4. cap. 1. ſect. 7. ait: *De Eccleſia viſibili, quæ ſub cognitionem noſtram cadit.* & epiſt. ad Galliarum Regem, quæ Inſtitutionis libro præfixa eſt, ait: *Nos aſſerimus, Eccleſiam, nulla apparente forma, conſtare poſſe.*

Sed inſurgit nouus quidam Anglo-Caluiniſta, nempe apoſtata ille M. Antonius de Dominis, qui relicto Archiepiſcopatu Spalatenſi ad Anglos transfugit, ne ob ſua demerita, & quidem grauia, à Sede Apoſtolica puniretur: hic ergo conatur probare Eccleſiæ inuiſibilitatem ex Auguſtino, qui in ſerm.217. de Tempore, ſuper illa verba, *Mulierem fortem quis inueniet?* ait: *Mulier iſta fortis, Eccleſia eſt: quomodo non eſt fortis, quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur?* Ex quibus verbis plura colligit M. Antonius apoſtata.

Primò, Prioribus ſæculis ante Chriſti aduentum, fortem non fuiſſe Eccleſiam, ſed imbecillem ac debilem, vtpote erroribus ac vitiis contaminatam. Sed hoc malè, imò falsò, imò erroneè colligitur: nam Auguſtinus dicit, ab ipſo mundi exordio ante Chriſtum, fortem Eccleſiam, non imbecillem. Nam tametſi in veteri Eccleſia, quæ Chriſtum præceſſit, multi ad idola propenſi, plurimis quoque vitiis ac ſceleribus contaminati eſſent; eo tamen Eccleſiæ fortitudo nequaquam minui aut labefactari potuit; cùm etiam poſt Chriſtum Eccleſia, quæ ex verbis etiam ipſius Apoſtatæ fortis euaſit, malos bonis permixtos habeat. Porrò ſi ob improbam aliquorum vitam Eccleſiæ ſanctitas non labitur, nec propter impios ſancta deſinit appellari; ergo neque propter aliorum imbecillitatem ac propenſionem ad vitia, imbecillis nuncupari debet. Hinc facilè intelligimus, quo ſenſu Auguſtinus dixerit, *Mulierem fortem quis inueniet?* Quis alius, niſi Chriſtus? Non autem eam fortem inuenit, ſed inueniendo, fortem fecit: nam neque Eccleſiæ, ſiue priorum ſiue poſteriorum temporum, fortitudo aliunde præterquam à Chriſto profecta eſt. Ioannes ait in Apoc.13. *Agnus occiſus ab origine mundi.* Et meritò, quia eius ſanguinis virtus omnium temporum Eccleſiam roborauit. An non vtriuſque Teſtamenti Patres vicerunt in ſanguine Agni? An non qui præibant & qui ſequebantur, clamabant, Hoſanna filio Dauid? *Certè, vt* (teſte Auguſtino) *non fuit variata Eccleſiæ fides, ſed tempora; ita nec Eccleſia vllum vnquam ſuæ fortitudinis diſpendium aut diminutionem paſſa fuit, licet Eccleſiæ tempora fuerint mutata.* Fortem igitur Eccleſiam Chriſtus non inuenit, quandoquidem nec Eccleſia vnquam ſine Chriſto fuit. Vix enim in Adamo & Eua Eccleſia orta fuit, mox fuit Chriſto coniugio copulata, teſte Apoſtolo Epheſ.5. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Vnde idem Auguſtinus in Enchir. ad Laurentium c.56. ait: *Rectus confeſſionis ordo poſcebat, vt Trinitati ſubiungeretur Eccleſia, tamquam habitatori domus ſua, & Deo templum ſuum, & conditori ciuitas ſua.* Tota igitur Eccleſiæ fortitudo à Chriſto eſt, qui, vt dicit Auguſtinus, non eam fortem inuenit, ſed inueniendo, cæleſti illo coniugio fortem effecit. Sed Apoſtata de more hæreticorum, & ipſe quoque ſchiſmaticus & hæreticus, idcircò Eccleſiam imbecillem ac debilem ſibi fingit, vt eam aliquando vitiis ac ſceleribus proſtratam penitùs defeciſſe, & ſolida fortitudine deſtitutam ob hominum facinora, omnino interiiſſe, aut ſaltem ita delituiſſe, vt inueniri non poſſet. Sic enim ait in ſua Præfatione ad Epiſcopos: *Cupiebat Salomon, diuino afflatus Spiritu, aliquem videre, qui Eccleſiam hanc Dei per totum orbem diffuſam, & illam quidem tunc exiguam, debilem, ac latentem inueniret.* Sed contra Apoſtatam ipſummet oppono, qui paulò ſuperiùs ex Pſalmographo docet, illis quidem ſæculis notum fuiſſe in Iudæa Deum. Quòd ſi in Iudæorum Eccleſia tunc notus erat Deus, ac publicis ſacrificiis colebatur; quomodo ignota aut latens erat illius temporis Eccleſia? Latebat in Iob (inquit) in Melchiſedech, in Niniuitis, demum in Gentibus: neq; enim Deus ſoli Circumciſioni ſuam alligauerat Eccleſiam.

ſiam. Eſto. Num propterea tota latebat Eccleſia, ſi pars eius tantùm aliquota lateret? Planè ſemper illuſtris, ſemper conſpicua fuit eorum temporum Eccleſia, tametſi anguſtis interdum limitibus concluderetur: neque vmquam tota ita latuit, vt notos ac publicos ſuos Dei cultores non exereret.

Proſequitur Apoſtata, & aſſerit, non ſolùm veterem Eccleſiam ante Chriſtum, ſed etiam nouam poſt Chriſtum delituiſſe, ac etiamnum deliteſcere affirmat: cuius rei cauſſam reddit his verbis: *Amiſſo enim magna ex parte ſuo ornatu, viris doctis, & ſanctis Epiſcopis,* (vt priùs explicauerat) *rurſus illa miſerandum in modum delituit: vt iam rurſus, noſtro tempore vel maximè, non ſine lacrymis dicamus quotidie, Mulierem fortem quis inueniet?* Verùm & hæc fuit vox antiqua hæreticorum, Donatiſtarum, teſte Optato lib.1. quam etiam Auguſtinus Hæreſi 96. refert, ac refellit; Luciferianorum, vt ſcribit Hieronymus contra Luciferianos, c.1. Pauperum de Lugduno, vt tradit D. Antoninus 4.p.Summæ, tit.11.c.7.§.2. quæ etiam nunc eſt Lutheri in Colloq. Lat.t.2.c. de Patriarch. Melanchthonis ad cap.3. prioris ad Corinthios; Anabaptiſtarum, vt refert Henricus Bullingerus de Anabaptiſtis, lib.2.c.10. Io. Caluini lib.4. Inſtit. cap.2.§.1. & Caluiniſtarum: demum omnium ferè hæreticorum hoc placitum fuit, vt docet Lactantius lib.4. Diuinar. Inſtitut. cap.30. qui Chriſti Eccleſiam veram deliteſcere, eamque non niſi in ſuis cœtibus conſpicuam eſſe affirmant. Verùm cùm protrita, ac toties profligata fuerit hæc iniuſta calumnia, non eſt cur modò circa eam moremur; & ſufficiunt abundè ſatis ea, quæ ſuprà ex D. Auguſtino, ex D. Cypriano, & Chryſoſtomo dicta ſunt.

Sed fingit Apoſtata, Eccleſiam deliteſcere, quia amiſit Doctorum ac verorum Epiſcoporum ornatum. At Paulus è contra ſtat, qui veros Doctores, ac Epiſcopos perpetuos ac conſpicuos ex Chriſti dono in Eccleſia futuros pollicetur, ſic inquiens in Epiſtola ad Epheſ. cap.4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei,* &c. Perpendat Apoſtata hæc verba, & videbit, quòd ſicut numquam defuerunt, ita neque deerunt in Eccleſia Catholica Doctores, & veri Epiſcopi, donec occurramus, &c.

Prætereà, ſi quæ vitia & imperfectiones in Eccleſia Romana reperiuntur, ſunt vitia & imperfectiones iſtius vel illius Eccleſiaſtici, non autem Eccleſiæ, quæ iuxta D. Paulum, non habet maculam, neque rugam: nec talia vitia præualere poſſunt vmquam, ita vt Eccleſiam obruant, & deliteſcere eam faciant; ſic enim Chriſtus Petro promiſit: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Mat. 16.
Quas portas D. Hieronymus vitia ac peccata, vel hæreſes interpretatur: *Ego,* inquit, *portas inferi reor vitia atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum.* Quem ſenſum etiam amplectitur Gregorius in Pſal.7. Pœnitent. Epiphanius verò, portas inferi non ſolùm hæreſes, ſed etiam hæreſiarchas ipſos exponit, qui fidem è medio tollentes, Auerni fores hominibus patefaciunt. Porrò ſi vitia ac peccata, ſi hæreſes atque errores, ſi hæreſiarchæ, ſi tandem diaboli machinæ, munitiones, artes, inſidiæ, potentia, quibus dæmones Eccleſiam oppugnant, ex Chriſti preſcripto Eccleſiam expugnare ac corrumpere nequeunt: ergo falſum eſt quod Apoſtata aſſerit, propter vitia & errores aliquorum Eccleſiaſticorum, Eccleſiam obrutam eſſe, & deliteſcere. Neque enim Eccleſia, quæ perpetuo fidei ac iuſtitiæ coniugio, Chriſto eſt deſponſata, vt præclarè tradit Oſeas in cap.2. tota ſceleribus aut hæreſibus conſtuprari vmquam poteſt. Verùm quia Apoſtata ex verbis diui Auguſtini malè

Digitized by Google

deducit, Eccleſiam non inueniri; audiat ipſum ſanctum Eccleſiæ Dei Doctorem, qui in lib.de Vnit.Eccleſ. cap.16.ſic ait: *Non eſt Eccleſia operta, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. & de illa dictum eſt, Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta. Sed Donatiſtis* (dicamus nos, M.Antonio apoſtatæ Caluiniſtæ; ac eius aſſeclis) *operta eſt, qui audiunt tam lucida & tam manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum aſcendere.* Audiat etiam eumdem Auguſtinum in eodem loco, quo obtruncato vtitur. Integrum verum teſtimonium tale eſt: *Mulierem fortem quis inueniet?* (inquit ſerm.218. de Temp.) *Difficile eſt inuenire eam, & difficile eſt neſcire eam. Nónne ipſa eſt ciuitas in monte, quæ abſcondi non poteſt? Quare ergo dictum eſt, Quis inueniet? cùm dici debuerit, quis non inueniet?* Hæc verba reticet Apoſtata, quia his verbis Auguſtinus deliteſcentem illam Eccleſiam, quam ipſe Apoſtata ſibi confingit, velut gladio confodit. Pergit Auguſtinus: *Sed tu ciuitatem in monte poſitam vides: vt autem in monte poneretur, inuenta eſt: ipſa eſt enim ouis illa quæ perierat.* Alludit Auguſtinus ijs quæ priori Sermone dixerat, vbi Eccleſiam oui perditæ comparauerat, quę à Chriſto inuenta fuit. Subdit deinde Auguſtinus: *Et reuerà, fratres, Eccleſia Catholica eſt, quæ iam illuſtrata eſt: quis ergo eam non videt?* Addit deinde S. Doctor: *Quando latebat, quis eam inueniebat?* En lapis offenſionis, & petra ſcandali. Sed hunc lapidem amouet Auguſtinus ipſe: *Sicut enim* (ait) *iam dicta eſt ipſa ciuitas, ita & ouis, quam perditam quæſiuit Paſtor. Ipſe Paſtor mons eſt: ouis ergo in humeris eius, ciuitas eſt in monte: facile eſt eam videre collocatam in monte.* En ergo quomodo non latentem, ſed conſpicuam Eccleſiam Auguſtinus prædicat. Senſus ergo D. Auguſtini eſt, Eccleſiam ante Chriſti aduentum latuiſſe, quia nondum à Chriſto fuerat inuenta: nec eidem deſponſata, quippe quæ, vt ait Aug. adhuc inter vepres & ſpinas originalis peccati volutaretur. *Quomodo,* inquit, *eam inuenires, cùm lateret inter vepres & ſpinas, vtique delictorum ſuorum? Latuit tandem, quia tam profundè in peccatum immerſa fuit, vt nemo præter Chriſtum eam inuenire, atque à lapſu erigere ac reuocare potuerit.* Sic ille. Qui etiam eadem de re in Pſal.47. ediſſerens ait: *Hæc Eccleſia eſt ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hæc eſt lucerna, quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata.* Et paulò infrà: *Sed fortè iſta ciuitas quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Abſit: Deus fundauit eam in æternum. Si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum?* Cum quo conſonant quæ dicit S.Chryſoſtomus in Hom. adu. Gent. Quòd Chriſtus ſit Deus: *A die,* inquit, *qua dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; conſtat Eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florens ac fulgens, & in dies magis ac magis vigens, creſcens, & plus roboris ſumens, & omnibus qui ab illo die vſque ad Domini aduentum futuri ſunt, præſtans, vt ſummos inde fructus & ineffabilem vtilitatem capere queant.* Et idem Chryſoſtomus Hom. Cùm de expulſione eius ageretur, ait: *Intuemini quomodo commota eſt terra, & contremuit, & tamen non corruit ciuitas. Quomodo, impuriſſime diabole, Eccleſiam te putas poſſe deijcere, qui trementes parietes deijcere minimè valuiſti?* Et in eadem Homilia, *Eccleſia Dei nihil fortius,* inquit: *ſi quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt.* Falſum eſt ergo, impium, & hæreticum Aſſertum illud, tum antiquorum tum modernorum hæreticorum, & præcipuè præfati Apoſtatæ, quòd Eccleſia deliteat, & ſit inuiſibilis: & veritas Catholica eſt in oppoſitum, nempe Eccleſiam Chriſti eſſe viſibilem.

Supponendum eſt ſecundò, Eccleſiam veram habere ſuas notas, quibus cognoſcatur: nam quia eſt viſibilis, ne quælibet hoc ſibi arroget, vt pro vera Chri-

ſti

ſti Eccleſia ſe venditet; neceſſe eſt, veram Eccleſiam per proprias & veras notas cognoſcere: ſic fiet, vt quæ tales notas non habet, non Chriſti Eccleſia, ſed ſatanæ Synagoga appellanda ſit. Benè verum eſt, quòd etiam Caluinus conatur notas veræ Eccleſiæ aſſignare, vnde dicit in epiſtola ad Regem Galliæ: *Eccleſiæ forma notis hiſce continetur, nempe pura verbi Dei prædicatione, & legitima Sacramentorum adminiſtratione.* & lib.4. Inſtit. cap.1. ſect.9. *Vbicumque*, ait, *Dei verbum ſincerè prædicari atque audiri, vbi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic eſſe Dei Eccleſiam, nullo modo ambigendum eſt.* & ſect.10. *Symbola Eccleſiæ dignoſcendæ, verbi prædicationem, Sacramentorumque obſeruationem poſuimus.* Itaque notæ & ſigna, quibus vera dignoſcitur Eccleſia, Caluini iudicio, nulla alia ſunt, niſi pura verbi Dei prædicatio, & iuſta Sacramentorum adminiſtratio: neque vllum ſymbolum ſcrutari oportet Eccleſiæ dignoſcendæ cauſa, curandúmve aliud, niſi vt ſciamus, vbi vera doctrina prædicatur, & vbi ritè legitimeque Sacramenta miniſtrantur.

Sed videamus an hoc rectè poſitum ſit, & loquamur ſolùm de doctrina; nam de hac quidquid dicemus, id omne ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinebit. Nemini dubium eſt, vbi vera doctrina eſt, ibi veram eſſe Eccleſiam. At qua ratione diſcernam ego veram à falſa doctrina? cur enim nos tantopere laboramus, vt apertè conſtet quæ ſit vera Eccleſia? profectò vt intelligamus, quæ ſit vera doctrina: quoniam ipſa eſt Magiſtra veritatis. Verùm, ſi nobis inuenienda eſt vera Eccleſia per veram doctrinam, numquam eam inueniemus: eſſet enim perinde, ac ſi quærendi cauſa vbi nam Epiſcopus habitet, ſciſcitaremur, vbi eſſet Epiſcopi domus: & reſponderetur, ibi eſſe Epiſcopi domum, vbi habitat Epiſcopus. Et à ſimili, vt intelligam quæ ſit vera doctrina, quæro, quæ vera ſit Eccleſia: & Caluinus reſpondet, ibi veram eſſe Eccleſiam, vbi vera doctrina eſt. Egregia vtique reſponſio, & tanto hæretico digna: talis namque eſt quæſtio de gallina & ouo, quodnam extiterit priùs. Sed ſi quis veſtrûm ab eodem ſciſcitatus fuiſſet, Vbi eſt vera doctrina? vtique coactus fuiſſet reſpondere, ibi eſſe, vbi eſt vera Eccleſia. Et ecce circulus, quia ſemper fugiunt hæretici, & latibula quærunt, vt Iudicem euitent; ſic enim apud Dauidem, *In circuitu impij ambulant.* Poſſet etiam dici, In tenebris ambulant: nam clarum eſt, aduerſarios noſtros velle, vt ibi ſit vera Eccleſia, vbi ipſi dicunt veram eſſe doctrinam, quæ non ſolùm prædicatur, ſed etiam auditur & creditur. Et quiſnam ille eſt qui ſcire poſſit, quibus in locis vera doctrina credatur? Quòd ſi ad cognoſcendam veram Eccleſiam ſatis illis eſſet, vt hoc vnum ſcirent, vbi vera doctrina prædicatur; adhuc tamen in circuitu ambularemus, in tenebris verſaremur, & quæ nota ſunt, per ignota nobis diſcenda eſſent. Nam quotquot Patres antehac Catholicè ſcripſerunt, non tam ex vera doctrina veram Eccleſiam, quàm ex vera Eccleſia veram doctrinam eſſe cognoſcendam affirmarunt. Sic Irenæus lib.3.c.4. Tertullianus lib. de Præſcript. hæret. & Auguſtinus Contra epiſtolam Fundamenti, cap.5. item de Vtilitate credendi c.14. denique omnes.

Sed examinemus Caluinica ſymbola. Symbola igitur Eccleſiæ dignoſcendæ, ſunt, pura verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio. Ergo ibi Eccleſia eſt, vbi eſt vera doctrina: atque hac maximè ratione vera Eccleſia reperitur. Verùm ſi notæ & ſymbola ea ratione notæ & ſymbola ſunt, quoniam illius rei ſunt propria, quam ſignificant; & nos rem per notas illas eatenus cognoſcimus, quoad certi ſumus, ijs notis ſolam eam rem ſignificari: quam proprietatem habere poteſt veræ doctrinæ prædicatio, cùm nullum ſit Conuenticulum, quod huiuſmodi proprietatem ſibi non arroget? Satis quidem

dem ſcio, notam hanc tantummodò veræ Eccleſiæ conuenire: at ſi quælibet ſecta ſibi illam vſurpat, quo pacto eâdem vtar ego ad euellendas falſas aduerſariorum opiniones? Explicat hoc luculentiſſimè Auguſtinus Contra epiſt. Fundamenti, his verbis: *Catholicam quidem Eccleſiam multis notis facilè cognoſci, ſed hæreticos nihil habere, niſi veritatis pollicitationes.* nam hi omnes ſibi aſſumunt, ſe habere veram doctrinæ prædicationem: quæ ideò non poteſt eſſe ſufficiens Eccleſiæ nota, ea ratione qua ab hæreticis introducitur. Nam ſi illam notam ſuæ Eccleſiæ Caluinus impreſſerit, ſignatamque affirmauerit; continuò replicabo, quòd Lutherus ipſius Caluini infenſus inimicus idem dicit de ſua, idem Melanchthon Germaniæ cothurnus, Munſterus, & Zwinglius, qui ad percipiendas doctrinas Genio præceptore vtebatur. Idem quoque affirmant de ſua Eccleſia Lutherani, Semilutherani, Antilutherani, Sacramentarij, Euangelici. Quòd ſi quilibet in ſua Eccleſia veram eſſe doctrinam affirmat; quo pacto poterimus per veram doctrinam vnam tantùm Eccleſiam reperire?

Dicent Caluiniſtæ, ſe, & omnes alios præfatos eſſe vnam Eccleſiam. Sed contrà: Si Caluinus interrogatus fuiſſet, Arianus es tu? Manichæus? Pelagianus? Donatiſta? Lutheranus? vtique negabit ſe talem eſſe. Et nihilominùs quælibet harum ſectarum ſe veram habere doctrinam conſtanter affirmarunt ſemper. quomodo erga vera doctrina ſignum erit Eccleſiæ dignoſcendæ tam certum, vt illud aliæ hominum congregationes ſibi arrogare aut vendicare non poſſint? Prætereà, Ochinus de eadem Eccleſia erat cum Caluino, & tamen ipſe Caluinus eum anathemate percuſſit. De ſua eadem erat Michaël Seruetus, & tamen eumdem, ob inimicitias priuatas, hæreſis damnauit, igneque comburendum cenſuit ijs ipſis diebus, quibus in Tribunal S. Inquiſitionis Romanæ Satyricis ſuis ſcriptis inuehebatur, negabatque, hæreticos debere poſſe ve pœna ignis damnari. Et nihilominùs iſtorum vterque ſe veram habere doctrinam contendebat.

Sed confugiet Caluinus ad ſacram ſuam anchoram, & dicet, veram Eccleſiam eſſe, vbi eſt vera doctrina: doctrinamque veram cognoſci, quando à Scripturis non diſſentit. Verùm circulus eſt iſte: nam ita ait & ipſe, & hęretici communiter. Tunc ego reſpondeo: Quid ſi in aliqua doctrina contingat, vt dubitetur an ea cum Scripturis conſentiat, diſſentiátve; quiſnam erit quæſtionis huius legitimus iudex, niſi Eccleſia? Sed en circulus iterùm: nam ſi Eccleſia eſt, vbi eſt doctrina; doctrina ipſa eſt, vbi cum Scriptura concordat; & an hæc concordent inter ſe, vel non, Eccleſia declarabit: ſed ſi quæratur, Et vbi eſt Eccleſia? rurſus reuoluimur eòdem: vnde benè Propheta de talibus dicit, *In circuitu impij ambulant*.

Scio, Caluiniſtas negare hanc Propoſitionem, & veritatem, quòd Eccleſiam id debeat iudicare, & Eccleſiæ iudicio ſtandũ erit. Sed reſpondeo, quòd id affirmat non ſolùm Auguſtinus Contra epiſtolam Fundamenti, omneſque vetuſti Patres ſemper auctoritatem Scripturas eligendi interpretandíve tribuerunt Eccleſiæ; verùm & hæretici ijdem, etiam noſtri temporis, ſæpenumerò veritate victi, iſtud idem fateri coacti ſunt. Id faſſus eſt Brentius in Confeſſione Wittenbergenſi, cap. de Scriptura. Melanchthon in Locis, cap. de Eccleſia. imò Caluinus ipſe Eccleſiam appellat fidelem verbi Dei cuſtodem, ſic in Inſtitut. lib. 4 cap. 1. §. 5. Ex quo ſic conficio Argumentum: Vti cuſtos nequaquam per theſaurum reperitur, ſed per cuſtodem theſaurus: ſic, non ita clarè per Scripturas Eccleſiam reperiri, ſicut per Eccleſiam Scripturas: nam abſque dubio Eccleſiæ iudicio ſtandum eſt, & ab eadem Scripturæ, & ſenſuum eius cognitio diſtinctio-

ſtinctioque petenda eſt. Quod ſi non fiat, omnia corruunt, omnia tenebris inuoluuntur. Deinde argumentor ad hominem: Demus Caluino, puram doctrinam certum eſſe ſymbolum dignoſcendæ Eccleſiæ, ergo vel pura fuit doctrina Arij, Pelagij, Manichæi, & hæreticorum omnium quotquot vmquam fuerunt; vel Caluini doctrina impuriſſima ſceleſtiſſimaque omnium erit, quæ poſt hominum memoriam traditæ ſunt. Quod ſic probo. Caluinus docet, nullum ineſſe peccatum origine contractum in infantibus, omneſque naſci puros, & heredes vitæ æternæ: & tamen teſte D. Auguſtino error Pelagij eſt. Caluinus vult, in homine non ineſſe liberam voluntatem, fierique non poſſe, vt præcepta obſeruentur: ſed D. Hieronymus ait, hanc eſſe falſam opinionem Manichęorum. Caluini dictum eſt, per Baptiſmum peccata non dimitti: & Damaſcenus dicit, hanc eſſe impietatem Maſſilianorum. Caluinus apertè negat, Baptiſmum aquę eſſe neceſſarium: at hoc eſt erratum Seleucianorum. Caluinus irridet contemnitque Sacramentum Confirmationis: at hoc ſcelus Donati eſt. Caluinus inficiatur, in Euchariſtia eſſe reuerà corpus Chriſti: ſed hæc eſt praua opinio Berengarij. Caluinus aſſerit, Euchariſtiam non eſſe Euchariſtiam, niſi in vſu: ſed hæc eſt fallacia Neſtorianorum. Caluinus improbat ſuffragia pro ſalute mortuorum: ſed hic error eſt Aëtij. Caluinus tollit Purgatorium: ſed hæc inſania eſt Armenianorum & Catharorum. Caluinus miracula irridet: ſed ſceleſta vanitas Porphyrij eſt. Caluinus debacchatur contra Imagines: ſed hic furor eſt Iconoclaſtarum. Caluinus honorem Sanctis adhibendum negat: ſed hæc impia eſt deliratio Vigilantij. Caluinus aufert virginitatis votum: ſed hoc ſceleſtum commentū Iouiniani. Caluinus mentitur, Deum eſſe auctorem peccati: ſed hæc eſt impietas Simonis Magi. Caluinus in pſeudoſynodo Loſannæ aſſeruit, verſiculum illum Athanaſij, *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti*, non ſibi arridere: ſed hæ præſtigiæ ſunt Pauli Samoſateni. Caluinus, quamuis ſe benè ſentire de Trinitate ſimulet, attamen in Conuenticulo Loſannæ, anno 1527. apertè negat verba illa Symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine*, dicitque in eis battologiam ineſſe: aſſeruit, verbum hoc *Trinitas* ſibi non placere: in Confeſſione Geneuenſi, quamuis faſſus eſſet, Filium eſſe æternæ eſſentiæ; numquam tamen fateri voluit, eſſe conſubſtantialem Patri. At hoc quid eſt, niſi apertiſſimè hæreſim Arianam profiteri? Videat modò Caluinus, & videant Caluiniſtæ, an in tali doctrina ſit puritas: & videant pariter, an per hanc doctrinæ puritatem cognoſci valeat veritas Eccleſiæ ſuæ, quæ, vt verum fatear, quoduis aliud eſt, quàm vera Eccleſia. Non ergo rectè aſſignat Caluinus notas & ſymbola veræ Eccleſiæ, vt demonſtratum eſt.

Caluinus omnium errorũ anteà damnatorum cloaca & ſentina.

Sed videamus breuiter, quas notas ceteri hæretici aſſignent. Centuriatores duas alias notas ponunt, nempe Perſeuerantiam in confeſſione fidei, & Obedientiam erga verbi Miniſtros, quatenus verbum miniſtrant. Philippus de Mornay lib. de Verit. Chriſtianæ Religionis Gallicè conſcripto, c. 20. tres veræ Religionis notas agnoſcit. Prima eſt, Veri Dei cultus. Secunda, Quòd hic cultus à verbo Dei reguletur. Tertia, Quòd per illum cultum homines Deo reconcilientur. Iſaac Cheironus in Pſeudocatholica reſponſione ad Perſani Admonitiones, ad ſecundam Admonitionem de notis, tres notas à prioribus minimè diuerſas Catholicæ Religionis ſibi fingit. Prima eſt, Chriſti mera doctrina. Secunda, Traditio mera Sacramentorum Chriſti. Tertia, Adminiſtratio eorumdem mera. Lutherus ponit ſeptem. Prima eſt, Vera & incorrupta Euangelij prædicatio. Secunda, Legitima Baptiſmi adminiſtratio. Tertia, Legitimus Euchariſtiæ vſus. Quarta, Legitimus vſus clauium. Quinta, Legitima

electio Miniſtrorum. Sexta, Oratio publica, & Pſalmodia, & Catechiſmus, lingua quæ ab omnibus intelligatur. Septima, Puſillanimitas, terrores externi, contemptusq́, paupertas, vt habeantur ab hominibus hæretici, cacodæmones, catharmata. Contra quos omnes ſcripſerunt Thomas Stapletonus in Principiis fidei, controu.1.quæſt.4.art.5. Michaël Medina de Recta fide, lib.7. Bellarm. Tom.1.lib.4.de Notis Eccleſiæ, cap.2. & noſter Bouerius in principio 2.Tomi ſuarum Demonſtrationum.

Catholici verò alias notas & ſymbola veriſſima aſſignant, quibus vera Eccleſia à falſa dignoſcitur. Et in primis,

Nicolaus Sanderus lib.8.de Viſib.Monarch.cap.5.ſex ſymbola veræ Religionis enumerat. Primum eſt, illius altitudo & ſublimitas. Secundum, illius ſplendor & claritas. Tertium, ipſius latitudo & immenſitas. Quartum, eiuſdem ſucceſſio & perpetuitas. Quintum, eius vnitas & conſenſio. Sextum ac poſtremum, inuicta illius fides & conſtantia.

Michaël Medina vndecim aſſignat lib.7. de Recta fide, quæ ſunt, Futurorum euentuum prænuntiatio. Noui ac veteris Teſtamenti concordia. Sacrorum virorum, qui Scripturas Eccleſiæ tradiderunt, auctoritas. Exacta ſanctorum Patrum diligentia pro orthodoxa Religione ac doctrina tuenda. Optima Catholicæ Religionis argumenta. Infracta Chriſtianæ Religionis aduerſus hoſtes conſtantia. Vera miracula. Ethnicorum, ac Sibyllarum de Chriſtiana Religione teſtimonia. Diuinæ prouidentiæ ratio in Catholicam Religionem. Infeliciſſimi exitus hoſtium Chriſtianæ Religionis. Catholicæ tandem Religionis inter hæreſes propagatio.

Cardinalis Bellarminus Tom.1.de Notis Eccleſiæ, lib.4. quindecim ſtatuit. Quorum Primum eſt, Catholici nomen. Secundum, Eccleſiæ antiquitas. Tertium, Duratio diuturna numquam interrupta. Quartum, Amplitudo, ſeu multitudo credentium. Quintum, Succeſſio Epiſcoporum. Sextum, Conſpiratio in doctrina cum antiqua Eccleſia. Septimum, Vnio membrorum inter ſe, & cum capite. Octauum, Sanctitas doctrinæ. Nonum, Efficacia doctrinę. Decimum, Sanctitas vitæ. Vndecimum, Gloria miraculorum. Duodecimum, Lumen Propheticum. Decimumtertium, Confeſſio aduerſariorum. Decimumquartum, Infelix exitus illorum qui Eccleſiam oppugnarunt. Decimumquintum, Felicitas temporalis Eccleſię propugnatoribus collata.

Thomas Boſius centum ſymbola enumerat, quæ apud illum tribus Tomis comprehenſa videri poſſunt.

Bouerius noſter octo ſymbola aſſignat, nẽpe:
- Vnitatem:
  1. Religionis.
  2. Fidei.
  3. Capitis viſibilis à Chriſto inſtituti.
  4. Doctrinæ.
  5. Scripturæ.
  6. Succeſſionis.
- 7. Vitæ ſanctimoniam, & miraculorum maieſtatem.
- 8. Perpetuam Religionis ſtabilitatem.

Nos verò quatuor tantùm aſſignabimus, quæ non ex mente noſtra, ſed ex Symbolo Apoſtolorum, & ex Concilio Nicæno deprompta ſunt, & ad quæ, teſte Bellarmino vbi ſuprà, cetera reducuntur. Apoſtoli igitur in Symbolo duas notas aſſignarunt, nempe quòd Eccleſia eſt Sancta, & Catholica, dicentes, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam:* quæ notæ, quamuis per ſe maximè eſſent idoneæ,

Digitized by Google

idoneæ;tamen antiqui illi Patres vehementer anxij ſollicitíque de hac veræ Eccleſiæ cognitione,in primo Concilio Generali, quod poſt Apoſtolos Nicææ à trecentis decem & octo Epiſcopis iam mille ab hinc & pluſquam ducentis annis celebratum eſt, cùm priùs nonnullas particulas addidiſſent, quibus hæretica Arij opinio refelleretur; duo item alia ſigna addiderunt, quibus clariùs dignoſceretur Eccleſia: hæc nempe, Vnam, & Apoſtolicam;dixeruntque: *Credo in Eccleſiam quidem,ſed vnam,ſanctam,Catholicam,& Apoſtolicam.* Vidit hoc Caluinus: & quamuis impudentia ſua non vſque eò progreſſus ſit, vt Nicænum Symbolum negaret; nihilominùs modò irriſit,modò lacerauit, modò auctoritatem adimere conatus eſt: & denique apertiſſimè oſtendit,ſi occultè, neque nudatis intimis conſiliis ſuis potuiſſet, quàm libenter illud, quàm auidè ſuſtuliſſet. Cur? quia frænum quodammodò eſt hæreticorum omnium, hæc verba continens,*vnam,ſanctam,Catholicam,& Apoſtolicam*: & in eo lux eſt,& lapis eſt Lydius ſiue Heraclius, & in eo perſpicitur quænam vera ſit Eccleſia: & demum,quia negari cùm non poſſit res tam clara,tam probata, tam recepta; neceſſariò fatendum eſt,hęc quatuor verba,vera eſſe dignoſcendæ Eccleſiæ ſymbola. Sed videamus ſingula.

Prima nota Eccleſiæ eſt, quòd ſit VNA.

PRINCIPIO animaduertendum eſt, hîc non agi de vnitate illa quæ numeralis eſt, de qua dicitur & aſſeritur, Eccleſiam Dei eſſe vnam tantùm: ſed de vnitate illa loquitur Symbolum, quæ ſic appellatur, quoniam ſui ſemper ſimillima eſt,& maximè ęqualis,& quam tantopere commendat Apoſtolus,cùm ad Epheſios ſcribens dicit: *Soliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Atque vt oſtendatur, quibus in rebus conſiſtat hæc vnitas, ab ipſius Apoſtoli verbis non recedam, qui in eadem Epiſtola dicit, ad conſtituendam vnitatem huiuſmodi in aliqua hominum congregatione, neceſſe eſſe, vt inter illos ſit *vna ſpes,vnus Dominus,vnum Baptiſma,& vna fides.* Quibus ſic ſe habentibus (nam omnino oportet,vt cum Paulo Apoſtolo affirmentur) neceſſariò ſequitur, vt nos Catholici,has vnitates habentes, veram Eccleſiam habeamus: præter nos verò alij nullam Eccleſiam habeant, cùm in eis vnitatum huiuſmodi aliqua non reperiatur. Audiamus Irenæum egregiè de hac vnitate differentem. Is igitur lib.1. Aduerſus hæreſes, cap.3. ſic ait: *Hanc prædicationem cùm acceperis, & hanc fidem,quemadmodum prædiximus,Eccleſia,& quidem in vniuerſum mundum diſſeminata,diligenter cuſtodit,quaſi vnam domum inhabitans: & ſimiliter credit iis,videlicet quaſi vnam animam habens, & vnum cor: & conſonanter hæc prædicat,& docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt,ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt. Et neq; hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ,aliter credunt,aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto,neque hæ quæ in Libya,neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut ſol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt,ſic & lumen,prædicatio veritatis, vbique lucet,& illuminat omnes homines,qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque,qui valdè præualet in ſermone,ex iis qui præſunt Eccleſiis, alia quàm hæc ſunt,dicet. Nemo enim ſuper magiſtrum eſt: neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cùm enim vna & eadem fides ſit,neque is qui multùm de ea poteſt dicere,ampliat; neque is qui minus,deminorat.* Epheſ.4.

Perſimile eſt quod habet Cyprianus in Tract. de Simplic. Prælator. ſiue de Vnit.

Vnit. Eccleſiæ, vbi ſic ait: *Vnam eſſe Eccleſiam, etiam in Cantico canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit, Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ electa. Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendat, dicens: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis noſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus.*

Sed num hæc vnitas ab Apoſtolo edocta, & à Sanctis explicata, reperiatur apud hæreticos, videamus. Et Primò quantum ſpectat ad vnitatem SPEI, vt cetera Conuenticula omittamus, & de iis tantummodò loquamur, qui hodie Euangelici vocantur, verum quidem eſt, ſperare omnes ſe vitam æternam conſecuturos: ſed tam diuerſis modis plurimi eorum id variè ſperant, vt vnitas ſpei dici non poſſit, neque vna ſpes appellari, eo modo quo Paulus Apoſtolus appellat: nam clariſſimè conſtat, non minùs in Germania quàm in Gallia, & pluribus aliis locis, præter alias diuiſiones, & varietates propè innumerabiles, hanc præterea maximè vigere, vt vnus ſperet vitam æternam ſine merito operum; alius, operum merito, ſic, vt etiam infantes complectatur. An verò in iis eſſe poſſit vna ſpes, veſtrum ſit iudicium. Pergo.

At videamus, an inter ipſos ſit VNVS DOMINVS, de quo Paulus. Alloquamur verò ſiue Lutherum, ſiue Zwinglium, aut Oecolampadium, vel Bucerum, vel alium quemlibet: hoc enim vno inter iſtos omnes conuenit, vt Papam malè oderint, & caput viſibile Eccleſiæ negent. Verùm ex hoc præcipuè hæreſes exortæ ſunt, vt optimè demõſtrat Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium, ſic inquiens: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum Collegium quidquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſcidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens, ac tumens, ſeorſum foris hæreſim nouam conderet.* Et ibidem: *Chriſti aduerſarius & Eccleſiæ eius inimicus ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrociùs atque violentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.* Hæc ille.

Reſpondent ad hoc Caluiniſtæ, fatendum eſſe quidem, vnum eſſe Eccleſiæ Dominum, ſed hunc Dominum, Deum eſſe, vel Chriſtum. Sed contrà: Si de Deo intelligatur, ergo eadem erit Eccleſiæ Chriſtianorum cum Hebræis & Turcis: nam omnes iſti vnum ſolum caput ſe habere Deum profitentur. Si verò ad Chriſtum referatur; erit igitur vna tantùm Eccleſia Arianorum, Macedonianorum, Manichæorum, Pelagianorum, Caluiniſtarum, & Catholicorum, quoniam vnum & eumdem Chriſtum omnes confitemur. Præterea monſtro ſimile eſſet, ſi corpus aliquod viſibile, inuiſibile haberet caput: & iam ſuprà probatum eſt, Eccleſiam eſſe viſibilem: oportet igitur, præter caput ſuum pręcipuum Chriſtum, qui inuiſibilis eſt, caput pręterea habeat Vicarium in terris, qui ſit viſibilis. Atque is eſt de quo Paulus loquitur, cùm dicit, *Vnus Dominus*, vt optimè explicat Lyranus: & D. Hieronymus Aduerſ. Iouin. qui vt oſtendat, Eccleſiæ vnitatem contineri in vnitate etiam huius viſibilis capitis, ait: *Vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Itaque ſine capite viſibili, Eccleſia non eſt vna: quod perinde eſt, ac ſi dicas, Eccleſiam non eſſe Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam. At Euangelici, pręſertim Caluiniſtæ, eâ ratione opinantur, ſe veram Eccleſiam habere, quia viſibile caput non habent. Sed ego hoc modo argumentor: Illa eſt vera Eccleſia, quæ eſt vna: hoc Concilio Nicæno traditur. Ad vnitatem conſtituendam neceſſe eſt eſſe vnum Dominum: doctrina eſt Pauli Apoſtoli. Hic vnus Dominus debet eſſe viſibilis, vt D. Hieronymus affirmat. Ergo Caluiniſtæ, qui capite viſibili carent, veram Eccleſiam non habent. Sed eam profectò habemus nos, qui Romæ viſibile caput habemus, vt latè in ſequenti Præludio demonſtrabimus, vbi ex profeſſo de ipſo Summo Pontifice Romano agemus.

Si quis verò noſcere cupiat, vnitatem Domini veram eſſe notam, atque ſolam illam Eccleſiam habitam fuiſſe veram, quæ cum capite hoc & Domino viſibili, qui Papa eſt, nec non cum Romana Eccleſia coniuncta eſſet; veterum Patrum euoluat libros, & id paſſim teſtatum inueniet. Nam Irenęus lib. 3. c. 3. apertè dicit, *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe, omnem conuenire Eccleſiam.* Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. *Et ad Petri cathedram atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt.* Ambroſius de obitu Satyri: *Rogauit, ſi cum Epiſcopis Catholicis, id eſt, ſi cum Eccleſia Romana conſentiret.* Hieronymus epiſt. ad Damaſum de Hypoſtaſis nomine: *Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt.* & alia epiſt. ad eumdem Damaſum: *Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri conſocior.* Optatus Mileuitanus lib. 3. Contra Parmen. probat, Donatiſtas non fuiſſe membra veræ Eccleſię, quoniam cum Syricio coniuncti non erant, qui tunc erat Summus Pontifex. Auguſtinus epiſt. 172. *Ille eſt in vera Eccleſia, qui ſe ſciat Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, per communicationis literas eſſe coniunctum.* Leo Papa epiſt. 87. appellat illum *exortem miniſterij diuini, qui auſus ſit à Petri ſoliditate recedere.* Quòd ſi Auctores hi, & alij ſexcenti, id teſtimonio ſuo non confirmarent; experientia ipſa doceret. Quemadmodum enim cuiuſuis arboris ramus, ſi à trunco excidatur, à radicéve ſeparetur, breuiſſimo ſpatio temporis areſcit; ſic quæcumque celebriores Eccleſiæ, vel Aſiæ, vel Africæ ab Eccleſia Romana ſchiſmate receſſerunt, atque hanc vnitatem cum viſibili Domino ſciderunt, breui Concilijs, & Doctoribus, & Sanctis, & miraculis orbatæ, altiſſimis ignorantiæ tenebris ſubmerſæ ſunt. Certiſſimum igitur eſt, ad conſtituendam veram Eccleſiam, neceſſariam eſſe vnitatem, & per vnitatem, vnum Dominum.

Sequitur, VNVM BAPTISMA: de quo breuiter agam, quoniam ad alia quæ magis vrgent, animus feſtinat. Circa hanc materiam ergo non dico, Baptiſmum hæreticorum iterãdum eſſe: nam pro certo ſcio, ſi adhibeatur materia & forma, eo propoſito vt fiat quod facit Eccleſia, non referre à quo Baptiſma conferatur, ad hoc vt validum cenſeatur. Scio prætereà, quando hæretici cum materia, & forma, & illo propoſito baptizant, eos vti Baptiſmate, quod ſine dubio vnum eſt etiam nobis. Sed ſcio in Euangelicorum ſectis, quæ propè innumeræ ſunt, à plurimis pro vero Baptiſmate adhiberi ineptas & inanes cærimonias, quæ vera Baptiſmata appellari non poſſunt: & ea ratione in omnibus illis non datur vnum Baptiſma. Pręterea illud ſolis luce clarius eſt, inter illos etiam Anabaptiſtas contineri, vndecumque ij pullularint, ſiue à Luthero, ſiue à Zwinglio, qui, vt nomen ipſum indicat, iterant Baptiſma: ergo inter illos vnitas Baptiſmi non reperitur.

Dicet Caluinus: Quid mea de aliis Eccleſiis? ſatis eſt, Eccleſiam meam Geneuenſem in hoc errore non verſari. Sed contrà: Si baptiſmus Caluini peccatum non delet, ſed id tantùm præſtat vt non adſcribatur, certè non eſt vnus ille Bapti-

Baptiſmus, qui in Eccleſia vnitatem facit, ſi quoad effectum conſideretur.

Venio ad vnitatem fidei, de qua dicit Apoſtolus, VNA FIDES. Quæ nota meritò ponitur pro dignoſcenda vera à falſa Eccleſia; quia vniuerſalis conſenſus in doctrina fidei, eſt ſignum & ſymbolum veræ Religionis & veræ Eccleſiæ. Probatur Primò ex D. Paulo, 1. Cor. 1. vbi ſic ait: *Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.* Ponderanda ſunt hæc vltima verba, *Et in eadem ſcientia*: id eſt, ne aliud in fide ac Religione ſentiant fideles, quàm quod fide Patrum, ac populorum conſenſione firmatum eſt. Et in primis cauendum eſt, ne etiam vel aliud ſciant, quàm quod ab omnibus ſcitum eſt. Hinc enim plurimæ non tam inutiles quàm pernicioſæ quęſtiones exortæ ſunt, quæ Dei Eccleſiam perturbarunt, dum ſciendi ſtudio ac libidine quiſque Patribus incognita cognoſcere, noua inueſtigare, vt noui alicuius auctor haberi poſſit, ac ſingularia addiſcere optat. Hinc & ipſæ hæreſes exortæ ſunt, dum ſuo quiſque ingenio fretus, non alio quàm proprio ſenſu, quæ fidei ſunt, intelligit: intellectus blanditur, ac tamquam è cælo ſibi delata admiratur: ſcita ſua alienis anteponit: quæ ſibi ſingularia ſunt, tamquam fidei dogmata ſtatuit; quibus tandem fidem ac Religionem tamquam Cimmeriis tenebris diu ſepultam, ſolus ab erroribus vindicare, ſolus collapſam erigere, ſolus illuſtrare, ſolus ſe reformare arbitratur. Hoc autem cauere docet Apoſtolus, dum dicit: *Idipſum dicatis omnes, &c. & in eadem ſcientia.*

Vniuerſalis conſenſus in doctrina fidei, eſt ſignum & ſymbolū veræ Religionis, & veræ Eccleſiæ.

Hoc etiam confirmatur ex Patribus. Iuſtinus Martyr q. 4. ad Orthod. non aliunde veram Religionem à ſecta diſcernit, quàm ex dogmatum diuerſitate, qua ſectæ inter ſe pugnant, ac pugnando, veram Religionem & veram Eccleſiam oſtendunt, quæ ſola doctrinæ vnitatem docet. *Nunc, cùm damnent*, inquit, *hæretici alij alios ob opinionum diſſenſiones; perſpicuum eſt, omnes horum hæreſes occaſionem habuiſſe ex ambitione & mutua inuidia hæreſiarcharum: propter quam cauſam lupi graues ab Apoſtolo nominati ſunt: immò fidem noſtram, dum ſibi aduerſantur, affirmant.* Irenæus lib. 1. c. 18. ait: *Cùm autem diſcrepant ad inuicem & doctrina & traditione, & qui recentiores eorum agnoſcuntur, affectant per ſingulos dies noui aliquid inuenire, & fructificare quod numquam quiſquam excogitauit.* Sic ille. Cùm autem alios longè eruditiores videant, hinc fons erumpit, vnde obmurmurationes, detractiones, conuitia hauriunt, quibus multis modis aduerſarios in doctrina proſequuntur: quapropter non mirum, quòd lupi graues ab Apoſtolo nuncupentur, quandoquidem luporum more, mutua inuidia exagitati, ſeipſos dilaniant atque diſcerpunt, mutuis ſe conuitiis excipiunt, orbem infamatoriis libellis complent, quibus ſeipſos petunt, mordent, dilacerant. Quod ſanè non parum Catholicæ Religionis veritatem confirmat, quæ omnem huiuſcemodi doctrinarum diuerſitatem condemnat. Tertullianus lib. de Præſcript. hæretic. hac nota hæreſum ſectas à vera Religione ſecernit cap. 37. dicens: *Vnde autem extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & Scripturarum adulteratio deputanda eſt, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ.* D. Athanaſius Orat. 1. Contra Arianos, *Illud*, inquit, *quoque prorſus admirabile, omnes quot quot ſunt hæreſes, in fingendo diuerſa, pugnantia adferre: nec alibi, niſi in falſitate ſibi inuicem conſentire & copulari: neque id mirum, cùm vnum habeant auctorem, qui ipſis vbilibet mendacia aſſeminat.* Huius rei figuram geſſiſſe non immeritò D. Auguſtinus in Pſal. 80. exiſtimat, quòd Sampſon vulpium caudas, non ſimul capita colligaſſe legitur, Iudic. 15. Hæretici namque cùm doloſi, & fraudulenti, ac deceptores

ceptores ſint, meritò vulpibus comparantur: de quibus etiam in Canticis c.2. dicitur: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Hi tamen non in capite, non in ore, ſed in cauda tantùm colligantur: nam cùm perpetuo doctrinarum diſſidio laborent, in eo tamen vniuerſi ſunt concordes, quòd veram Eccleſiam ſemper demoliri ſtudent.

Porrò vera Religio omnem doctrinarum varietatem ſemper deteſtata fuit; neque aliam, præterquam vnam communi Eccleſiæ ac Patrum conſenſu traditam doctrinam agnouit. Audiant hoc aduerſarij à Nicæna Synodo apud Athanaſium, vbinam vera Religio quærenda ſit. *Eſt enim ibi,* inquit, *vt Patres tradiderunt, veræ diſciplinæ ac magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potiùs quàm veri præceptores appellari debent.* His ſubſcribit Athanaſius Orat. in dictum illud, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Hæc eſt vera doctrina,* inquit, *hoc eſt verum ſignum argumentumque, quòd ita iſta inter ſe conſentiunt, neque diſſident vel inter ſe, vel inter Patres.* & infrà: *Sancti contrà inter ſe conſonant, nec diſſident vmquam: neque enim controuerſias habent in ijs quæ vel proferunt, vel erudiunt: nam etſi temporibus diſtent, in id tamen omnes contendunt.* D. Hilarius lib.7. de Trinit. *Cùm à Domino,* inquit, *Eccleſia inſtituta, & ab Apoſtolis confirmata, vna omnium ſit, ex qua ſe diuerſarum impietatum furor abſciderit: nec negari poteſt, ex vitio malæ intelligentiæ, fidei extitiſſe diſſidium, dum quod legitur, ſenſui potiùs coaptatur, quàm lectioni ſenſus obtemperat.* Sic ille.

Nec Scripturis ſacris vitio tribuendum eſt, quòd ex illis hæreſes oriantur; ſed prauæ hęreticorum intelligentiæ, dum non ſe Scripturis, ſed ſuis erroribus fouendis Scripturas accommodant, vt aliàs monuit Auguſtinus Contra Fauſtum, lib.32.c.19. vbi hæreticos alloquens ait: *Videtis id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet: id eſt, vt non auctoritati Scripturarum ſubijciatur ad fidem, ſed ſibi Scripturas ipſe ſubijciat.* Quare Origenis in hac re conſilium obuiis vlnis amplectendum eſt: is enim Hom.29. in Matth. ait: *Quoties Canonicas proferunt Scripturas, quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, dicere videntur, Ecce in domibus eſt verbum veritatis: ſed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Eccleſiaſtica traditione: nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis.* Vincentius Lerinenſis prædictis ſe conformans ait in lib. Aduerſus hæreſ. cap.3. *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratióque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit: ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Hæc ille.

Econtrà, apud hæreticos tanta eſt diuerſitas in doctrina, vt meritò turri Babel comparetur. Non loquor nunc de totis Prouinciis, de Britannia, de Germania, de Galliis; omitto ciuitates ipſas: ſed dico, quòd multoties in vna & eadem domo hoc credit pater, illud filius: vnum maritus, aliud vxor: hoc modo frater, diuerſo ſoror: aliter ſeruus, aliter dominus. Amplius dico: idem vir, eadem mulier, ſæpè à ſeipſis diſſentiunt, & ſententiã mutant: & quod deterius eſt, ijdem ipſi qui docent, varij ſunt, & à ſeipſis diſcrepant. Lutherus, quoties in Sacramentorum numero variauit? Caluinus ipſe, quoties de Euchariſtia opinionem mutauit? Auguſtana confeſſio ter ſaltem immutata eſt: & de ciuitate Wittembergenſi dicere ſolebat Saxoniæ Dux: *Neſcio quid hoc anno credant, quidve anno proximè futuro credituri ſint vicini mei VVittembergenſes.*

Digitized by Google

Patet hoc de omnibus: nam vniuerſi quotquot ſunt, variè loquuntur, Lutherani, Semilutherani, Antilutherani, Lutheroſiandriani, Stancariani, Pfeffingeri, Lutheropapiſtę, Miricani, Oſiandriani, Lutherozwingliani, Muſculani, Melanchthonici; ita quòd cùm de ſola Euchariſtia tractatur, alij dicunt, Corpus Chriſti adeſſe: alij, ineſſe: nonnulli, ſubeſſe: hi, eſſe cum pane: illi, ſub pane: iſti, circa panem: multi ſacrificium Miſſæ Latina lingua celebrant, plurimi materna; neque deſunt qui etiam Græca: vnus apparatu Eccleſiaſtico vtitur, alius profano veſtitu. At inter Sacramentarios ipſos, qualis præcipuè eſt Caluinus & ſequaces, videamus an ſit fidei vnitas. Circa verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, quàm variè loquuntur! Carolſtadius dicit, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc quod aſſidet menſæ.* Zwinglius, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc ſignificat corpus meũ.* Oecolampadius, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt ſignum corporis mei.* Bucerus, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt memoriale beneficiorum meorum.* Ioannes Laſcus, *Hoc, id eſt, tota hæc actio Cœnæ, eſt corpus meum.* Swencfeldius, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Corpus meum eſt hic.* Eraſmus Albericus ſcribit, vnum Laſcum duodecies variaſſe ſententiam in expoſitione horum verborum. & Lutherus in Serm. quem habuit Hagenoæ anno 1527. de Sacramento, affirmat, opiniones Sacramentariorum eſſe infinitas. Et de Eccleſia Geneuenſi ſola, en quam fidei vnitatem habet: nam Petrus Richerius eam deluſit, quippe qui irriſit ſimilitudinem illam Caluinicam de ſole, per quam vult, vt ſubſtantia corporis Chriſti veluti ſolis radius è cælo deſcendat. In ea etiam Eccleſia aliqui credunt, in cœna comedi panem ſolum: alij, comedi corpus Chriſti imputatiuè: alij, comedi ore fidei. Cùm ergo inter hæreticos ipſos fidei vnitas non ſit, patet, quòd in eis non eſt vera Eccleſia: & vice verſa, cùm inter Catholicos talis fidei vnitas conſtantiſſimè reperiatur; rectè concluditur tum ex Symbolo, tum ex D. Paulo, inter eos eſſe veram Eccleſiam, quæ vtique Eccleſia Romana eſt, quippe quæ vna eſt, in qua omnes eodem modo ſperamus, omnes eodem modo baptizamus, omnes eumdem Dominum viſibilem habemus, omnes in eadem fide manemus. Ita vt ſi adueniat modò quis etiam ab extremis terræ partibus, ſicut tempore Gregorij XIII. venerunt tres illi Reges Iaponij, & tempore Pauli Papæ Quinti venerunt alij ab extremis regionibus; omnes tales, & quotquot venerint vel ex Polo Arctico, ſub quo multos habitare Catholicos compertum eſt, vel ab vltimis Æthiopiæ finibus: omnes, inquam, inuenerunt & inuenient in Romana Eccleſia eamdem fidem. Ergo Romana Eccleſia eſt vera Dei & Chriſti Eccleſia, quippe quæ habet ſignum & ſymbolum veræ Religionis & veræ Eccleſiæ, quod eſt, Vniuerſalis conſenſus in doctrina fidei.

Sed obiicit M. Antonius apoſtata, & docet in quinto capite ſui Concilij, quòd inter Patres & Theologos eſt diſcrepantia in doctrina fidei, his verbis: *Obſeruabam hinc in Theoricis dicta Patrum valdè communi doctrinæ, qua imbutus in ſcholis fueram, in multis aduerſantia, & ea vel prætermiſſa à meis Magiſtris, vel non fideliter adducta, vel non ſufficienter, aut etiam perperàm explicata animaduertebam. Inde Eccleſiaſticæ diſciplinæ regiminiſque ſpiritualis noſtrorum temporum normam & praxim plurimùm à veteri diſſidentem non ſine admiratione intuebar.* Sic ille. Verùm, nec vnum quidem pugnantem doctrinæ locum profert: ergo calumniatoris potiùs quàm accuſatoris perſonam gerit. Nam ſi verum eſt, quòd aliquando Theologicis ſtudiis operam dederit, certè D. Thomæ Summam nouit, cuius doctrina potiſſimùm in Scholis legitur ac pertractatur: nouit etiam eius Expoſitores quamplurimos. Fortè etiam S. Bonauenturæ Theologicos libros non ignorauit, Alexandri Alenſis, Scoti, Richardi: atque hi pręſertim ſunt,

ex

Digitized by Google

ex quorum doctrina communis noſtra Theologia conſtat. Neque enim quid ſinguli Lectores in cathedris legant, explicent, interpretentur, moror, cùm ij horum aliquem Magiſtrum ac Theologiæ ducem ſibi vendicent.

Porrò cùm horum, quos enumerauimus, Theologica doctrina adeò Patrum doctrinæ affinis & agnata ſit, vt vix vmquam ſine Patrum teſtimonio ab iis aſſeratur, vt legẽtibus perſpicuum eſt: vnde Apoſtata hic ipſis calumniam ſtruit, vt illos inter ſe doctrinarum ſchiſmate diſſidere affirmet? Quòd ſi aliquam inter eos dogmatum diſcrepantiam lynceus aduerterat; cur eam ſaltem nobis, locis indicatis, & dogmatis diuerſitate explicata, non profert? Sed quantum ad rem ipſam, illud non ignoramus, quod rectè monet Vincentius Lerinenſis Aduerſus hæreſ. non omnes Patrum ſententias quoquo modo prolatas, velut certas ita habendas eſſe, vt ab iis nulli vmquam recedere liceat: *Iis enim*, ait, *hac lege credendum eſt, vt quidquid vel omnes, vel plures, vno eodemq́; ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint: id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.* Atque vt idem docet, hæc Patrum conſenſio non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm certè, præcipuè in fidei regula, magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt, & ſequenda. Quapropter non negamus, fieri poſſe vt in quibuſdam leuiuſculis quæſtionibus, quæ ad fidem non ſpectant, Theologi ab aliquibus Patribus aliquando diſſentiant: velut (ſi aliquid exempli gratia referre lubet) quòd lux illa prima die facta, fuerit tantùm ſpiritualis, docent Auguſtinus & Rupertus: quòd verò fuerit corporalis & ſenſibilis, contrà ſentit ſanctus Thomas, ac ceteri Theologi. Quòd aquæ illæ quæ ſupra cælos ſunt, ſint veræ aquæ, ſentiunt Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus: quòd verò per eas intelligi debeat cęlum aqueum, ſeu cryſtallinum, docent ſanctus Bonauentura & S. Thomas. Quòd Angeli ſint corporei, docuerunt aliquando Iuſtinus Martyr, Origenes, Auguſtinus: quòd verò ſint incorporei, docent S. Bonauentura, & S. Thomas. pleraque alia exempla prætereo. At quòd in rebus fidei, aut grauioribus quæſtionibus, vbi Patrum adeſt conſenſus, Theologi à Patribus diſſenſerint, numquam factum eſt, numquam fit, numquam fiet. Ergo falſum eſt quod aſſerit Apoſtata, cùm ſemper veram fidei vnitatem ſartam tectam teneant, & doceant.

Non ſic autem hæretici: nam quis ignorat inteſtina fidei ac doctrinarum bella, quæ inter ſectarios ardent? quamque grauiter ac pertinaciter de ſummis fidei dogmatibus Lutherani à Lutheranis, Anabaptiſtæ ab Anabaptiſtis, Caluiniſtæ à Caluiniſtis; præſertim verò Lutherani à Caluiniſtis, & ab his Anabaptiſtæ diſſideant? Sed contra hoc affirmat Apoſtata in ſexto capite ſui Conſilij, quòd ſectariorum doctrina à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina vel nihil vel parum diſtet, ſic inquiens: *Iam verò apertioribus oculis facile fuit obſeruare, doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, & quæ à nobis acriter reprehenduntur, à noſtriſq́; Theologis impugnantur; à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina vel nihil, vel parum admodum aberrare: eamque non quòd reuerà hæretica ſit, aut falſa; ſed quia ſenſui, corruptiſque Curiæ Romanæ moribus, ipſiuſque humanis conſiliis & inuentis, iam plenè factæ temporalis, aduerſatur; Romæ, & apud nos horreri potiùs & repelli, quàm legitimè impugnari.*

Verùm quàm impiè loquatur Apoſtata, paucis explicemus, & ad examen pauca tantummodò ipſorum doctrinæ capita ad antiquam Patrum ac Conciliorum doctrinam reducamus.

Prima doctrina eſt Eccleſiæ Romanæ inuiſa, Deum eſſe culpæ auctorem,

Digitized by Google

quam docet Lutherus in Aſſertionibus, art.36. his verbis: *Mala opera Deus in impiis operatur.* Clariùs Philippus Melanchthon in cap.8.Epiſt. ad Rom. *Non eſt*,ait,*cur frigidum gloſſema recipiamus, Deum mala permittere, non etiã facere.* Clariſſimè Caluinus,Inſtitut.lib.1.cap.18. *Dicitur*, inquit, *idem ſatan excæcare infidelium mentes: ſed vnde hoc? niſi quòd à Deo ipſo manat efficacia erroris, vt mendaciis credant.* Idem aſſerunt Beza lib.Contra Caſtalionem, Auguſtinus Marloratus in cap.1.Epiſt.ad Rom.verſu 24. Repugnat antiqua Patrum doctrina: nam Clemens Alexandrinus,qui ſecundo Sęculo in Eccleſia floruit, ita ſcribit in libro 2. Pædag. *Eius, qui elegerit, culpæ non poteſt in Deum cauſa conferri: Deus enim numquam eſt cauſa malorum.* Eamdem confirmant Cyprianus epiſt.52. *Neque enim*, ait, *mala facta de Spiritu ſancto veniunt, ſed de aduerſarij inſtinctu.* Athanaſius Orat.contra idola, Baſilius Hom.2.in Hexaëm. Hieronymus in c.1.Epiſtol.ad Epheſ. Chryſoſtomus Hom.13. in 1.ad Corinth. Auguſtinus de Natur. & gr. cap.3. de Lib. arbit. cap.1. & paſſim. Gregorius Nyſſenus Orat.Catech.cap.5.& 7. & ceteri Patres,ac pręterea Concilium Arauſicanum II.c.25.

Secunda doctrina eſt ſectariorum Romanæ Eccleſiæ aduerſaria, Liberum arbitrium figmentum eſſe in rebus,ſeu titulum ſine re.Ita Lutherus in Aſſertionibus, art.36. Idem docent Melanchthon ad cap.8. ad Rom. Caluinus lib.2. Inſtit.cap.3. Pugnat contra illam doctrina Patrum. Ex Gręcis, Clemens Rom.lib.5.Recogn.ita docet: *Nunc autem quàm liberum eſt animo in quam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit eligere viam, conſtat euidenter ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* Hoc ipſum docent Iuſtinus Martyr Orat. ad Gentiles,Irenæus lib.4.cap.71. Clemens Alex.lib.1.Strom. Athanaſius Orat. Contra idola, Cyrillus Ieroſolym. Catech.4. Nyſſenus in Cantic. Homil.4. Chryſoſtomus Homil.22.in Gen. Ex Latinis, Tertullianus lib.2. Adu.Marcionem, c.5. Cyprianus de Vnit.Eccleſiæ, Hilarius in Pſalm. 2. Ambroſius lib.1.de Iacob & vita beata, cap.1. Hieronymus in cap.49.Iſa. & ad cap.7.Eccleſiaſtæ, Auguſtinus lib.5.de Ciuit.cap.10.

Tertia doctrina eſt Eccleſiæ Romanæ inimica Lutheri in Confutat. rat. Latomi,& Lutheranorum, Mandata Dei eſſe impoſſibilia. quam etiam confirmant Melanchthon ad cap.4. Epiſt.ad Gal. & Caluinus lib.2.Inſtit. cap.7. vbi ita docet: *Sit extra controuerſiam, impoſſibile eſſe in hac carne,legis implemẽtum.* Cui omnes Caluiniſtæ conſentiunt in Catechiſmo. Eam tamen docet Auguſtinus Serm.191.de Temp. his verbis: *Execramur etiam blaſphemiam eorum qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum.* Et cum eo idem docent Origenes Homil.9. in Ioſue, Athanaſius de Virgin. ſeru. Baſilius in Regulis breuior.diſp.176. Chryſoſtomus Hom.18.in Matth. Cyrillus Alexandrinus lib.2.Contra Iulianum, Hilarius in Pſal.118. Hieronymus adu. Pelagianos, Leo Magnus ſerm.5.de Quadrag. & Concilium Arauſicanum II. cap.25.

Quarta doctrina eſt à Romana Eccleſia damnata, quam profitentur ſectarij: nempe,Fidem ſolam ad iuſtificationem & ſalutem ſufficere. Hanc tradit Lutherus ad cap.2.ad Gal.his verbis: *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, vt iuſti ſimus: cetera omnia liberrima,neque præcepta ampliùs,neque prohibita.* Et eodem tempore Caluinus lib.3.Inſtit.cap.14. & Caluiniſtæ ac Lutherani omnes. Quam tamen reprobat antiqua Patrum doctrina. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech.15. *Non in hoc ſolùm confidas*,ait,*quòd credis; ſed fidem ardentem conſerua, vt luceat lux tua coram hominibus per opera bona.* Confirmat Chryſoſtomus Homil.9.in Ioan. *Nolumus*, inquit, *fidem nobis ad ſalutem ſatis eſſe exiſtimare: nam niſi vitam puram exhibuerimus, & hac cæleſti vocatione digna nos induerimus veſtimenta, quibus ad nuptias*

nuptias admittamur; nihil nos eripiet, quin eodem, quo miſer ille, afficiamur ſupplicio. Et cum Chryſoſtomo Clemens Rom. lib. 3. Conſt. Apoſt. c. 11. Clemens Alex. lib. 6. Strom. Tertullianus lib. 2. Contra Marcionem, Cyprianus de Vnit. Eccleſ. & de Opere & eleëmoſynis, Lactantius lib. 3. Inſtitut. c. 9. Hilarius can. 6. & 7. in Matth. Ambroſius lib. 2. de Offic. c. 2. Hieronymus lib. 2. Contra Iouin. cap. 6. Auguſtinus de Fide & operibus, cap. 14. & alij.

Quinta doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ exoſa, Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem, quam tradit Lutherus de Capt. Babyl. cap. de Baptiſmo, ita ſcribens: *Baptiſmus neminem iuſtificat, nec vlli prodeſt.* Cui ſubſcribit Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 16. §. 25. & Defenſ. 2. cont. Weſtphalum, Beza de Cœna Domini contra Weſtphalum, ac ceteri Caluiniſtæ. Contra illos pugnat Auguſtinus lib. 3. de Anima & eius orig. c. 9. his verbis: *Noli credere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* & cum Auguſtino Irenæus lib. 2. c. 39. Origenes Hom. 8. in Leuit. Nazianzenus Orat. 40. Chryſoſtomus Hom. de Adam & Eua, Cyprianus ep. 59. Ambroſius lib. 2. de Abraham, Hieronymus Dial. 3. contr. Pelag. Concilium Mileuit. epiſt. ad Innoc. ac reliqui Patres.

Sexta poſtremò doctrina eſt, quam Romana anathematizauit Eccleſia, Corpus Chriſti non realiter, ſed tantùm tropicè aut figuraliter in Sacramento Euchariſtiæ contineri. Quam defendunt Caluinus Contra Weſtphalum, defenſ. 2. & Admonitione vltima; Zwinglius epiſt. ad Eſlingenſes; Oecolampadius de Verbis Cœnæ; Bulingerus deciſ. 5. de Cœna Domini; Petrus Martyr in diſput. Oxonienſi. Hanc doctrinam damnant ſancti Patres. Cyprianus de Cœna Domini ita ſcribit: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Aſſentitur Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 4. *Tu fortè dicis,* inquit, *Meus panis eſt vſitatus: ſed panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Quibus accedunt Anacletus epiſt. 2. c. 2. Alexander I. ep. 1. cap. 4. Tertullianus lib. 4. Cont. Marc. cap. 40. Ignatius ep. ad Rom. Iuſtinus Apolog. 2. ad Antoninum Pium, Irenæus lib. 4. c. 34. Origenes Hom. 7. in Num. Baſilius Exhort. de Baptiſmo, Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 3. Nazianzenus Orat. 2. in Paſcha, Chryſoſtomus Hom. 83. in c. 26. Matth. Hilarius lib. 8. de Trinit. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 4.

Ex his, & ex aliis teſtimoniis quæ adduci poſſent, patet calumnia Apoſtatæ, quòd doctrina ſectariorum concors ſit cum priſca ſanctorum Patrum doctrina: & apertiſſima calumnia & falſitas eſt quòd dicit, eam, non quòd reuerà falſa aut hæretica ſit, ſed eo tantùm nomine ac titulo apud nos exhorreri, quòd Romanæ Eccleſiæ moribus infeſta ſit: cùm vel ea tantùm ratione (vt ceteras prætercam) falſa atque hæretica cenſenda ſit; quòd cum vera atque antiqua Patrum ac Conciliorum doctrina pugnat. Veriſſimum enim illud eſt quod ſcribit Lerinenſis Aduerſus hæreſ. 6. 43. quaſi ſolemne eſſe atque legitimum, vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant; & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò, Catholicorum hoc proprium, depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſeruare, damnare profanas nouitates, & ſicut dixit Apoſtolus, Si quis annuntiauerit, præterquam quod acceptum eſt, anathema ſit. Sed de hoc ſatis: ad ſecundam Eccleſiæ notam tranſeamus.

Digitized by Google

Secunda Eccleſiæ nota eſt, quòd ſit SANCTA.

EPITHETON adeò proprium, adeò congregationi huic congruens, vt eo dempto, tollatur etiam congregatio; & ſublata iſta congregatione, non ſit epitheto locus: quoniam extra veram Eccleſiam non eſt ſanctitas, & ſine ſanctitate non eſt vera Eccleſia: vbi enim eſt ſanctitas, ibi eſt Eccleſia; & quicumque eſt in Eccleſia, ſanctus eſt. At ſi hoc eſt verum, arguunt Anabaptiſtæ, ergo inter Eccleſiæ membra non ſunt connumerandi peccatores. Sed decipiuntur: nam vinculum huius congregationis non eſt morum ſanctitas, ſed fides. quod patet, nam in congregatione fidelium Pauli temporibus Corinthi contentiones oriebantur & rixæ; ſic enim ipſe ait: *Significatum eſt mihi,* &c. *quia contentiones ſunt inter vos.* erant carnales: *Adhuc carnales eſtis.* ijs vitiis laborabant, quæ ipſis etiam infidelibus grauiſſima videbantur: *Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* inferebantur iniuriæ, neque doli aberant aut fraudes: *Vos iniuriam facitis, & fraudatis.* denique in ſexcenta peccata dilabebantur; & nihilominùs Corinthiorum Eccleſiam agnoſcens, dicit: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi.* Idem facit in Epiſtola ad Galatas. Idem etiam facit Ioannes in Apocalypſi in cap. 2. & 3. (quod etiam Auguſtinus animaduertit lib. 2. Cont. Parm. cap. 10.) nam magna vitia non ſolùm in Aſiæ Eccleſiis exprobrat, ſed etiam in ipſo Sardenſis Eccleſiæ Prælato, his verbis: *Nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Idem docent Patres, Cyprianus lib. 3. ep. 3. Nazianzenus Orat. 1. Apolog. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, Hieronymus Dial. cont. Luciferianos, Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 43. & 100. Et ratio eſt firma, quia ſi peccatores non eſſent in Eccleſia, ſuperuacaneum eſſet Pœnitentiæ Sacramentum. Prætereà, incertum eſt, an quis ſit peccator, nec ne: neque paſtor ſuam ouem, neque ouis ſuum paſtorem ſatis cognoſceret. Et demum Ioannes dixit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* & Chriſtus ipſe ſuos fideles docuit, vt dicerent, *Dimitte nobis peccata noſtra*: ſunt ergo etiam peccatores in Eccleſia, quia iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. *Si quis dixerit, eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Quomodo ergo intelligitur, quòd Eccleſia eſt ſancta? Multis modis, & omnibus veris.

Primò Eccleſia dicitur Sancta, quia Deo conſecrata eſt: & quodlibet ipſius membrum per veram fidem Deo conſecratum eſt, eadem conſecrationis ratione, qua in antiqua Lege vaſa etiam Sanctuarij, & Sacerdotis veſtes ſanctæ vocabantur. Quare, vti vaſa Sanctuarij, ſi quis ijs abuſus eſſet, tamen propter dedicationem ſancta adhuc dicebantur: & ſicut opifices, quamuis interdum artis ſuæ præcepta non ſeruent, & præter eam operentur; nihilominùs non deſinunt eſſe opifices; ita fideles, quoad fideles fuerint, quamuis millies ab ijs operibus quæ Deo grata ſunt, ceſſent, & in peccata mortifera dilabantur; attamen hoc ſenſu appellari ſancti non deſinunt.

Secundo modo exponitur in Catechiſmo ad Parochos: *Sancta etiam dicenda eſt, quòd veluti corpus cum ſancto capite Chriſto Domino, totius ſanctitatis fonte, coniungitur, à quo Spiritus ſancti chariſmata, & diuinæ bonitatis diuitiæ diffunduntur.* Sic ſanctus Auguſtinus loquitur in Pſalmum 85. ſuper illa verba, *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: Audeat,* inquit, *& corpus Chriſti: audeat, & vnus ille homo clamans à finibus terræ, cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, Sanctus ſum. Accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam Baptiſmi, & remiſſionis peccatorum. Dicat & vnuſquiſque fidelium, Sanctus ſum. Non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingra-*

ingrati. Dic Deo tuo: Sanctus ſum, quia ſanctificaſti me. Si enim Chriſtiani omnes & fideles baptizati in illo, ipſum induerunt, ſicut Apoſtolus dicit: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: ſi membra ſunt facti corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt iniuriam, cuius membra ſancta ſunt.

Tertiò, multi ſancti Patres affirmarunt, ea ratione ſanctam eſſe Eccleſiam, quoniam in ea doctrinę & Sacramentorum ſanctitas reperitur. Hoc fuſè oſtendunt aduerſus Paganos, Iuſtinus in vtraque Apologia, Tertullianus in Apolog. c. 36. & ſeq. Arnobius lib. 1. 2. & 3. contra Gentes, Auguſtinus in libris de Ciuit. Dei. Contra Paganos autem & hæreticos omnes idem oſtendit accuratiſſimè S. Thomas in libris Contra Gentes: vnde rectè D. Auguſtinus lib. 2. de Ciu. Dei c. 28. *Nihil in Chriſtianis Eccleſiis*, ait, *turpe & flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.* Hoc argumentum latè proſequitur Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Eccleſia, cap. 11.

Quartò Sancta dicitur Eccleſia, quaſi firma & ſtabilis: & hæc explicatio eſt magis ad rem, dum de Notis Eccleſiæ agimus: nam ſi diceremus ſolùm, Eccleſiam Romanam præfatis priuilegiis & muneribus inſignitam eſſe, aliæ item ſectæ fortaſſe ſibi eadem arrogarent. Quare ſanctitatem Eccleſiæ ita interpretor, vt ſignificet firmitatem, ſtabilitatem, ſoliditatem, vel quid ſimile: nam hoc Adiectiuum, *Sanctus, ſancta, ſanctum*, deriuatur à verbo *Sancio, ſancis*, quod ſignificat, *firmo, ſtabilio, conſolido*, & hoc ſenſu accipientes Sanctam, id eſt, corroboratam, ſtabilitam, firmam, apertè dico, hoc eſſe verum & certiſſimum Eccleſiæ ſymbolum; illamque ſolam in omnibus viſibilibus Eccleſiis veram eſſe; quæ ſancta eſt, id eſt, à Chriſto ita corroborata & confirmata, vt quamuis poſt eiuſdem in cælum aſcenſum plures eoſdemque acerrimos impetus pertulerit, numquam tamen conciderit, neque labefactata ſit, immò etiam futuris temporibus ſemper in eodem ſtatu ſit permanſura.

Sic ergo Eccleſia non ſolùm eſt vna, verùm & ſancta, id eſt, adeò firmata, vt nulla res poſſit eam proſternere vel impellere, & ſemper permanſura ſit. Prædixit Chriſtus, conciſurum eſſe Templum Ieroſolymitanum, & ecce, non remanſit lapis ſuper lapidem. Eccleſiæ verò ſuæ dixit, donec maneret mundus, eam manſuram, & ecce cum mundi diuturnitate & ipſa diuturna eſt.

Et quidem Iudæi, ſummis olim Regibus chari, maximorum Principum amici, ſummo apud omnes in honore fauoreque, bello fortes, in armis exercitati, opibus affluentes, omnem operam, omnem vim eò contulerunt, vt iterùm Templum ædificarent: neque conſequi potuerunt. Nos verò Chriſtiani, præſertim primis illis temporibus, egentes, mendici, deſpecti, exterminati, exules, damnati, tamen ſine vi, ſine ſumptu, toto terrarum orbe amplificamus diffundimuſque ſanctam Eccleſiam: adeò verum, & firmum, & certum eſt, quod ipſe Chriſtus affirmauit, dicens: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Dauid in Pſal. 47. ait: *Sicut audiuimus, ſic vidimus*, &c. *Deus fundauit eam in æternum*. Quæ verba, quia de illa Hebræorum Synagoga verificari non poſſunt, cùm ea à Deo reprobata fuerit, neque in æternum manſerit; patet, quòd de Eccleſiæ firmitate & ſtabilitate intelligenda ſunt, quæ perpetuò in Petro ac Romano Pontifice Petri ſucceſſore à Chriſto fundata fuit, vt teſtis eſt Auguſtinus in hunc locum, cùm ait: *Quæ eſt ergo iſta ciuitas, videamus, ne fortè, quia dictum eſt: In ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius, debeamus quærere iſtum montem, vbi etiam exaudiri poſſimus*. Et poſtquam hanc ciuitatem dixit eſſe Chriſti Eccleſiam, ſubdit: *Sed fortè iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? abſit:*

Deus fundauit eam in æternum. Si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times, ne cadat fundamentum? Item Pſal. 77. *Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſæcula.* Vatablus legit: *Et extruxit ſanctuarium ſuum, veluti terram, quam fundauit, vt perpetuò ſubſiſtat.* Quam lectionem Græci potiſſimùm ſequuntur, & vtraque legitima eſt. Loquitur autem non de Templo ſeu Sanctuario Ieroſolymis extructo, ſed de Eccleſia Catholica. Sic Cyrillus Alexandrinus in Iſa. lib. 5. c. 54. his verbis: *De Eccleſia namque ſcriptum eſt in libro Pſalmorum: Et ædificauit velut vnicornis ſanctuarium ſuum in terra; fundauit illud in æternitatem.* Et meritò vnicorni Eccleſiam comparat, qui cornu ſuo hoſtes proſternit, ac venena omnia pellit. Sic Eccleſia Romana ſola aduerſus Tyrannorum acies pugnauit, & vicit. hæc perſequentes Reges ac Imperatores deuicit & profligauit, non quidem armis, ſed conſtanti & intrepida malorum perpeſſione: innumeris enim modis contuſa, ac veluti minutatim diſcerpta, ſuperior euaſit: De hac enim Romana Eccleſia ait Chryſoſtomus Hom. 4. de eo, quod ſcripſit Iſaias: *In anno, quo mortuus eſt Ozias: A quàm multis oppugnata eſt Eccleſia, nec vnquam tamen victa! quot Tyranni, quot Duces, quot Imperatores, Auguſtus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non deiecerunt: quin potiùs ij qui oppugnarunt, ſilenter obliuioni traditi; illa verò oppugnata, cælum tranſcendit.* Hæc etiam Eccleſia hæreſum ſola venena ſemper expulit; ac ceteris orbis Eccleſiis hæreſum tabe aliquando infectis, ſola Romana Eccleſia ab omni hæreſum contagio libera, hæreſes omnes profligauit: quo fit, vt à Vate rectè cum vnicornio comparetur.

Obiicient, quòd Chriſtus apud Lucam c. 18. dicit: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Sed hoc non intelligitur fore, vt omnino vera fides defutura ſit; hòc enim modo nuſquam eſſet Eccleſia: ſed vel ſignificat, eo tempore non repertum iri perfectam fidem; ſic exponit D. Auguſtinus de Verbis Domini. Vel quoniam ob magnum infidelium numerum tunc propè non videbitur adeſſe fides: ita Theophylactus interpretatur. Vel reſpondetur, non affirmantem, ſed interrogantem Chriſtum id dixiſſe.

Igitur, ſanctitas Eccleſiæ in ſua ipſius perpetuitate continetur, atque in fortitudine, qua ſemper ita præſtitit, vt omnes infidelium & hæreticorum impetus reprimeret & frangeret. Nam firma ſtat Chriſti promiſſio, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quæ verba explicans D. Hieronymus, dicit, quòd portæ hæ ſunt hæreſes & errores: *Ego,* inquit, *portas inferi reor vitia atque peccata: vel certè hæreticorum doctrinas, per quas allecti homines ducuntur ad tartarum.* Et D. Gregorius in Pſal. 7. Pœnit. *Portæ inferi,* ait, *hæreſes ſunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quaſi inferorum eis aditum pandunt.* Hæ igitur portæ inferorum numquam præualebunt aduerſus Eccleſiam. Et certè non defuerunt occaſiones, quibus hæc miſerabilis Eccleſia deficeret & interiret: nam Petri nauicula, ſi qua vmquam alia, procelloſo mari plerumque à ſæuiſſimis ventis agitata eſt, & quamplurimæ gentes conatæ ſunt eam proſternere; Iudæi fidem auferre; hæretici ſenſus peruertere, Scripturas adulterare; ſchiſmatici ei omnem obedientiam adimere. Et nihilominùs ipſa ſemper in dies fortior, ſemper potentior, ſemper firmior, omnes profligauit, ſuperauit, deuicit: Gentes ſanguine Martyrum expugnauit, aduerſus Tyrannos per ſpem in Deo victrix euaſit, Iudæos virtute debellauit, veritate fregit hæreticos, & ſchiſmaticos imperio diſſipauit. Quare hoc? *Quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* & omnes impiorum conatus in ipſius Eccleſiæ amplitudinem magnitudinemque redundarunt ſemper; quia *terribilis, vt caſtrorum acies ordinata* eſt Eccleſia

cleſia Romana: *Circumdabo domum meam,* dixit Deus, *ex his, qui militant mihi.* &, *Ego ero illi murus ignis in circuitu eius.* &, *Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Quare oppugnari quidem poteſt, ſed expugnari nequaquam. *Ego ciuitas fortis, ciuitas, quæ oppugnatur,* dixit Iſaias: & diuus Hieronymus addidit in Commentario, *Oppugnatur, ſed non expugnatur.* Et Alexander Epiſcopus Alexandrinus ad Alexandrum Conſtantinopolitanum ſcribens, (id refert Theodoretus,) de eadem Eccleſia dicit: *Eccleſiam cognoſcimus, quæ numquam expugnari poteſt, etiam ſi totus mundus eam oppugnet. Petri nauicula fluctuare, fatiſcere, fluctibus propemodum oppleri poteſt, ſubmergi numquam poteſt: quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

At quiſquis eſt, qui nondum intelligat ſanctitatem, id eſt, firmitatem Eccleſiæ Romanæ, Hiſtorias Eccleſiaſticas percurrat, & poſteà iudicet, an illæ videatur aliud quàm continuata ſeries, & quaſi textura quædam bellorum & oppugnationum, quæ aduerſus eam tentatæ ſunt; & tamen omnes illæ ad nihilum reciderunt. Initium à Tiberio capiamus, & ad Conſtantinum Magnum vſque perueniamus: iis omnibus temporibus quid prætermiſerunt, quæ non conati ſunt Nerones, Traiani, Diocletiani, Seueri, Valentes, Iuliani, & quotquot alij fuerunt, vt Eccleſiam impellerent, opprimerent, perderent, ſuffocarent? & tamen omnes eorum conatus irriti & vani fuerunt, omnes vires infirmæ, omnes inſidiæ detectæ ſunt; omnes caſſes & retia, tamquam araneorum telæ: qua ratione? quoniam portæ inferi numquam præualere potuerunt aduerſus eam: quoniam ipſa eſt ſtabilis, ipſa eſt ſancta. Fatetur hoc vel inuitus Caluinus ipſe, qui in lib. 4. Inſtitut. cap. 1. ſect. 17. ita dicit: *Fatendum eſt, nullum fuiſſe ab orbe condito tempus, quo Eccleſiam ſuam Dominus non habuerit: nullum etiam fore ad conſummationem vſque ſeculi, quo non ſit habiturus.* Et in epiſt. ad Regem Galliæ: *Vixit ſanè Chriſti Eccleſia, & viuet, quamdiu Chriſtus regnabit ad dexteram Patris: cuius manu ſuſtinetur, cuius præſidio defenditur, cuius virtute ſuam incolumitatem retinet: præſtabit ille enim indubiè, quod ſemel recepit, affuturum ſe vſque ad conſummationem ſeculi.* Non ſic autem ſectæ hæreticorum; nam qua facilitate introductæ ſunt, euanuerunt: & breuiſſimo temporis curſu à clariſſimo ardentiſſimoq; ſole veritatis, veluti flos exuſtus continuò concidit & deficit, ſic Eccleſiæ illæ ſomniatæ Simoniacorum, Baſilidiorum, Cherintianorum, Gnoſticorum, Anthropomorphitarum, imò & illorum Arianorum, quę tam latè diffuſa fuit, & tamdiu perſeuerauit, & quæ tot Concilia congregauit Mediolani, Arimini, Sirmij, Seleuciæ, & Antiochiæ: quarum omnium Eccleſiarum ne veſtigium quidem apparet, niſi cùm aliquod ab Euangelicis renouatur. Quòd ſi aliæ iſtorum ſectæ cum Ariana conferantur, ſunt veluti ex conflagrantibus paleis flammæ, quæ celerrimè extinguuntur: vnde ſicut pridie tantummodò exortæ ſunt, ita pariter poſtridie occident. At noſtra Eccleſia Romana ſemper ſtabilis & firma manet, & à ſua antiqua fundatione numquam deficit, ſed vſque in finem perſeuerabit, iuxta promiſſum illud, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

Hoc Argumento ab Antiquitate ſemper vſi ſunt veteres Patres contra hæreticos ad oſtendendam veram Eccleſiam. Tertullianus lib. de Præſcript. *Qui eſtis vos,* inquit, *vnde, & quando veniſtis? vbi tamdiu latuiſtis?* Optatus libro 2. Contra Parmen. *Veſtræ,* inquit, *cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Hilarius lib. 6. de Trin. ante medium: *Tardè mihi,* inquit, *hos piiſſimos Doctores ætas nunc huius ſeculi protulit: ſerò hos habuit fides mea, quam tu erudiſti, magiſtros: inauditis ego his omnibus in te credidi,* &c. Hieronymus

mus in epiſt. ad Oceanum: *Quiſquis*, inquit, *aſſertor es nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antè neſciuimus? vſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina Chriſtianus mundus fuit.* & lib. Contra Luciferianos, in fine: *Ex hoc ipſo*, ait, *quòd poſteriùs inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit.* Denique Auguſtinus lib. Cont. epiſt. Fundam. cap. 4. Antiquitatem inter notas Eccleſiæ ponit; & meritò quidem, nam ſine dubio vera Eccleſia antiquior eſt, quàm falſa; quemadmodum Deus antè fuit, quàm diabolus: & Matth. 13. priùs ſeminatum legimus fuiſſe bonum ſemen, quàm zizania: & Eccleſia dicitur ſancta, ſtabilita & firma, quia ex quo fundata fuit, numquam defecit; & quia à Chriſto ipſo Eccleſia Romana habuit originem & fundamentum, & numquam paſſa eſt mutationem, ideò vera eſt Eccleſia.

Quòd verò noſtra Eccleſia ſit antiquior omnium Paganorum conuenticulis: imò quòd noſtra Scriptura ſit antiquior ipſis diis Gentilium, demonſtrat Tertullianus in Apolog. c. 19. & 20. & S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 37. & 38. Quæ duo adeò ſunt vera, vt nec ipſi hęretici, & noſtri aduerſarij oppoſitum vmquam demonſtrare potuerint. Nam in primis, numquam obiecerunt nobis auctorem noſtræ ſectæ, nec ab vllo particulari homine nos appellauerunt: quod certè libentiſſimè facerent, ſi poſſent. Et econtrà nos eis obiicimus auctores, potiùs ſeductores, Caluinum, Lutherum, Zwinglium, Oecolãpadium, Ioannem Hus, Pelagium, Macedonium, Arium, & alios quoſcumque alicuius ſectæ auctores. Ergo in eis non eſt vera Eccleſia. Sic enim docet diuus Hieronymus Aduerſ. Lucif. *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vtputa, Marcionitas, Valentinianos, &c. ſcito, non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo, quòd poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit.* Præterea, numquam oſtenderunt primam originem vllius dogmatis noſtri: imò Centuriatores in ſingulis Centuriis, cap. 4. circa finem annotant, qui Auctores defenderint noſtra dogmata, quæ nunc ipſi oppugnant: nec originem inueniunt, niſi tempore Apoſtolorum: nam etiam Iuſtinum & Irenæum numerãt inter noſtros fautores, quos conſtat proximè inſecutos Apoſtolorum tempora. Et cap. 5. in ſingulis Centuriis enumerant omnes hæreſes cuiuſlibet Sæculi, & qui reſtiterint: nec vmquam annotarunt aliquam hæreſim excogitatam à Romanis Pontificibus, ſed potiùs omnes hæreſes ab illis condemnatas. Nunc quidem nobis multas hæreſes obiiciunt: nam Tilmannus Heshuſius ſcribit librum de Sexcentis erroribus Papiſtarum: ſed illæ hæreſes, exceptis mendaciis Tilmanni, ſunt antiquiſſima dogmata: quod vel ex Centuriis facillimè probari poſſet; nam Illyricus noſtra dogmata in omnium Patrum libris inuenit: ſed in Patribus vocat næuos, in nobis hęreſes; ſcilicet hæc eſt aſtutia aduerſariorum, vt oſtendant nos eſſe extra Eccleſiam, noſtra dogmata vocant hæreſes: vt non videantur ipſi ſeparati ab Eccleſia Patrum, eadem dogmata in illis vocant næuos. Cùm ergo non oſtendant, ſed nec oſtendere poſſint neque originem primam alicuius dogmatis noſtri, niſi recurrant ad Apoſtolorum tempora; neque alium auctorem noſtræ Eccleſiæ, niſi Chriſtum inueniant; patet firmitas & ſtabilitas noſtræ Eccleſiæ: & per conſequens, quòd ſit vera: vnde rectè dicitur Sancta, id eſt, firma, ſtabilis, & permanens abſque vlla mutatione ſeu nouitate.

Sed contra hoc obiicit Caluinus lib. 4. Inſtit. c. 2. §. 3. quòd benè oſtendi poteſt, quando inſignis mutatio in Eccleſia facta eſt: nam initio anni DC. Papa in Anti-

Digitized by Google

Antichriſtum apertè mutatus eſt, quando videlicet Romanus Pontifex obtinuit à Phoca Imperatore, vt Caput Epiſcoporum diceretur. Reſpondetur, quòd poſt annum DCLXX. diu poſt tempora Phocæ, celebratum eſt Concilium VI. Generale, quod aduerſarij vt ſacroſanctum recipiunt, vt patet tum ex aliis, tum Confeſſione Tigurinorum, & ex Centuriis Magdeburgenſium: in eo autem Concilio precipuæ partes fuerunt Pontificis Romani, Agathonis ſcilicet: nam eius ſententiam per Legatos & epiſtolas ipſius explicatam, omnes ſecuti ſunt, vt etiam prolixè deſcribunt Centuriatores Cent.7. cap.9. Vel ergo Papa nondum erat Antichriſtus, vel tota Eccleſia & ſanctum Generale Concilium Antichriſtum venerata & ſecuta eſt. Præterea falſum eſt, quòd Phocas primus tribuerit Romano Pontifici nomen Capitis Eccleſiæ: nam Iuſtinianus Senior, qui ferè centum annis fuit ante Phocam, in epiſtola ad Ioannem II. Papam diſertis verbis vocat eum Caput omnium Eccleſiarum. & hoc idem habetur in epiſt. eiuſdem Ioannis II. reſponſiua ad Iuſtinianum, vbi Papa repetit ſummam literarum Imperatoris, & habetur vtraque epiſtola in Codice, lib.1.tit.1.l.4.& 6. Nec id ignorabant Centuriatores, nam Cent.6.c.10.col.670. meminerunt Legis 4. Codicis, quæ ex epiſtola Ioannis Papæ ſumpta eſt. Itaque contra conſcientiam ſuam mentiuntur. Denique, ante tempora Iuſtiniani Concilium Chalcedonenſe in epiſtola ad Leonem, vocat eum Caput omnium Epiſcoporum: & ipſe S.Leo ſerm.1.de SS.Petro & Paulo, ſic Romam alloquitur: *Per ſacram B.Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſides Religione diuina, quàm dominatione terrena.* & infrà: *Minus eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Phocas igitur non primus hoc nomen tribuit Romano Pontifici, ſed primus compeſcuit ſuperbiam Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui ſe Romano Pontifici æquare volebat.

De Eccleſia ſuæ verò aſſerit Caluinus in Præfat. Inſtit. non eſſe nouam, ſed antiquiſſimam: imò illam ipſam, quam Chriſtus fundauit: tamen non eſſe viſam per multa ſæcula, & nunc demum apparuiſſe. At contrà eſt Argumentum, quod facit B.Auguſtinus Contra Donatiſtas lib.3. de Baptiſmo, cap.2. Aut iſta Eccleſia quæ nunc apparuit, antè perierat, & nunc reſurrexit: aut non perierat, ſed tantùm latuerat, & nunc extulit caput. Non primum; quia tunc non potuiſſent renaſci ipſi, ſi mater perierat. Si periit, *Vnde ergo*, inquit Auguſtinus, *Donatus apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cælo cecidit?* Et prætereà falſæ erunt promiſſiones Chriſti Matth.16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* & Matth.vlt. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Non ſecundum; quia tunc vel iſta Eccleſia latens profitebatur ſuam fidem, vel non profitebatur. Si profitebatur; ergo non erat latens, ſed manifeſta: & ſi manifeſta, quomodo nemo aduertebat? quomodo non capiebantur & coërcebantur ab Inquiſitoribus, qui longo tempore ante Lutheri ætatem eſſe cœperunt in Eccleſia? quomodo nullum veſtigium, nulla memoria eorum extat? Si autem non profitebatur fidem, ſed verè & propriè latebat, (quam partem ipſi defendere coguntur) ergo illa non fuit Eccleſia; ac proinde nulla fuit in mundo vera Eccleſia: nam vt ipſi dicunt, Confeſſio fidei eſt nota veræ Eccleſiæ, & Rom.10. *Ore confeſſio fit ad ſalutem.* Qui plura contra hoc figmentum videre cupit, legat Controuerſiſtas, præcipuè Cardinalem Bellarminum lib.4.de Eccleſ.cap.5. Sat nobis fuit, reſpondiſſe Caluini obiectionibus, & ſimul oſtendiſſe firmitatem & ſtabilitatem noſtræ Eccleſiæ Romæ à Chriſto vſque in hodiernum diem, & vſque ad mundi finem duraturam: vnde meritò dicitur Sancta.

Tertia

Tertia Eccleſiæ nota eſt, CATHOLICA.

HAERETICI Donatiſtæ Catholicam dixerunt Eccleſiam, ſi quodlibet ipſius membrum in ſtatu gratiæ permaneret. Sed hæc expoſitio falſiſſima eſt, quoniam non opera, vt ſuprà demonſtrauimus, ſed fides eſt vinculum Eccleſiæ. Alij Catholicam eſſe dixerunt Eccleſiam, quoniam comprehendit omne genus hominum indiſcriminatim: vel quoniam omnes complectitur, quotquot ante Chriſtum vel poſt ipſum veram fidem Mediatoris habuerunt: aut quòd quicumque ante hac ſalui facti ſunt, vel ſalui fient, omnes in illa ſola ſalui eſſe potuerunt, vel poterunt: aut quia ipſa docet omnes res, viſibiles & inuiſibiles: aut quoniam illi parent omnes, infimi æquè ac ſummi: vel quia in ea remiſſio peccatorum omnium reperitur: aut quòd in ea virtutes omnes acquiruntur: vel quòd diffunditur omnis gratia. Quæ quidem expoſitiones omnes optimæ videntur; ſed quæ nihilominùs non adeò clarè veritatem aperiant Eccleſiæ Romanæ, ſicut hæc, quam vltimo loco ſeruaui; nempe, quòd idcircò vera Eccleſia Catholica appellatur, quoniam vniuerſalis eſt, quia vbique diffuſa eſt: eò quòd & filij & membra eiuſdem ſine dubio in quacumque totius orbis parte reperiantur: ſic docet Auguſtinus epiſt. 170. ad Seuerinum conſanguineum ſuum: *Ipſa eſt Eccleſia Catholica, quòd per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet, ideò ſecundùm verbum Domini noſtri Ieſu Chriſti abſcondi non poteſt.* Et Cyrillus Ieroſolymitanus, qui fuit annis abhinc mille trecentis & ampliùs, dixit in Catecheſi 18. *Catholica vera Eccleſia eſt, quia per vniuerſum orbem terrarum eſt diffuſa, à finibus terræ vſque ad extremum.* quare Catholicam eſſe illam Eccleſiam, quæ vbique diffuſa eſt, nemini eſſe dubium poteſt.

Hæc eſt illa ampliſſima hereditas, quam ſibi Chriſtus promeruit, vt ſcilicet ipſe dominaretur cunctis Gentibus, ſic enim illi dictum eſt: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hæc eſt illa Eccleſiæ vniuerſitas, quæ ab ipſa prima mundi origine audiri cœpta eſt per illa promiſſa ad Abraham facta: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Numera ſtellas cæli, ſi potes, & arenam maris: ſic erit ſemen tuum.* & Dominus Apoſtolis dixit: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.*

Hæc vniuerſalitas & eſſe Catholicam, adeò eſt proprium Romanæ Eccleſiæ, vt etiam ipſi hæretici eam talem vocitent: neque tam audaces vmquam impudentéſve fuerunt, vt ſibi Catholicorum nomen hucuſque arrogarint. Quod & mirum eſt: nam optimè ſciunt hæretici, quòd vt vera cenſeatur Eccleſia, oportet eam eſſe Catholicam: & ex alia parte totis viribus conantur, vt ipſorum Eccleſia omnibus videatur vera. ſed cur hoc nomen non ſibi vſurpant? ſcio enim ſexcenta nomina iſtos ſibi tribuere, modóque Arianos, quandoque Lutheranos, nunc Caluiniſtas, interdum Reformatores, aliàs Chriſtianos, ſæpè Euangelicos dici velle: vbi autem ad Catholici nomen veniunt, ſubitò linguam contrahunt, neque audent ſe Catholicos appellare: & quoties dici Catholicam Eccleſiam audiunt, etiam ipſi pariter, vti & nos, Romanam intelligunt. Quod optimè obſeruat S. Auguſtinus lib. de Vera Relig. c. 7. vbi ſic ait: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ cõmunicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiã ab omnibus inimicis. Velint enim nolíntve ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quo ob vniuerſo orbe nuncupatur.* Idem optimè animaduertit Cyrillus

rillus Ieroſolymitanus in Catecheſi 18. vbi ſic habet: *Quòd ſi fortè veneris in ciuitates, ne ſimpliciter interroges, vbi ſit Dominicus, aut domus Domini: nam & reliquæ impiorum hæreſes, Dominicos, quamuis pollutos, appellare non dubitant. Neque id tantùm quæras, vbi ſit Eccleſia, ſed Catholica Eccleſia. Catholica enim proprium nomen eſt ſanctæ huius Eccleſiæ, & matris omnium noſtrum, quæ eſt ſponſa Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Idem etiam habet S. Auguſtinus Contra ep. Fundamenti, cap. 4. his verbis, ſic inquiens: *Tenet poſtremò* (me ſ. in Eccleſia) *ipſum nomen Catholicæ, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.*

Audio nunc Caluiniſtas tale epitheton ſibi tribuere, ſed quo fundamento? num quia iuxta lacum Geneuæ inter anguſtos fines propagata eſt eorum hæreſis, propterea eſt vniuerſalis? Nam ſic contra eos argumentor: Si vera Eccleſia eſt illa quæ eſt vniuerſalis, vt in Symbolo ipſi Apoſtoli affirmarunt; & ipſi hæretici, Caluiniſtæ præcipuè, negant, noſtram Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, quæ nihilominùs tam latè diffuſa eſt; num vniuerſalis erit Eccleſia Caluiniſtarum, quæ conſtat ex quattuor mendicis, ex decem decoctoribus, parique numero, vel paulò ampliore apoſtatarum & deſertorum, ex Monachis excucullatis, ex Sacerdotibus nupturientibus, ex hominibus flagitioſis? Si Eccleſia Romana Catholica & vniuerſalis non eſt, quæ nihilominùs ex quinque mundi partibus, Aſia, Africa, Europa, America, & Magellanica, tria membra propè tota complectitur, aliorumque duorum maximam obtinet partem; nam Americæ & Magellanicæ, quidquid cognitum & diſcoopertum eſt: Europa verò ferè tota noſtræ eſt Eccleſiæ: præterea magna pars Aſiæ verſus Sinarum oram: & in Africa vaſtiſſimæ regiones, quibus Presbyter Ioannes (vulgò *Il Prete Gianni* appellatur) imperat: præterquam quòd omnes illæ prouinciæ, quas Luſitani ſuo adiecerunt imperio, vti decet, Papæ mandatis parent. Si ergo Eccleſia Romana non eſt Catholica, quo modo erit talis Eccleſia Caluiniſtarum, quæ intra anguſtos montes clauditur?

Dicent Caluiniſtæ, propterea Romanam Eccleſiam non dici Catholicam, quia in multis locis & mundi partibus, eius fides non colitur. Reſpondeo, quòd vt Eccleſia ſit vniuerſalis, non eſt neceſſe, omnes homines veram fidem habuiſſe: ſed neceſſe eſt, eam fidem in omnibus fuiſſe prouinciis: & illa ſola Eccleſia vera eſt, quæ cùm finem habebit mundus, ad omnes prouincias perueniſſe reperietur. Sed qua ratione? eodémne tempore ſimul ad omnes, an ſeparatim, & ex interuallo? certè non illo primo, ſed hoc poſtremo modo. Clariùs dico: vt vera ſit Eccleſia, nihil opus eſt eam eodem tempore in omnibus orbis terræ prouinciis eſſe diffuſam: ſed vera erit, ſi fides eius conformationem habebit cum ea, quam in mundi fine reperietur ab omnibus terræ partibus tractu ſucceſſuque temporis fuiſſe receptam. Sed hac tempeſtate, dicemúſne Eccleſiam nunc primùm naſci, an ætate prouectam eſſe? certè, ne hæretici quidem ipſi negant eam iam ſeneſcere: non ergo hodie naſcitur, ſed curriculum ſuum propè confecit: & vera Eccleſia eſt, cuius fides iam omnes ferè prouincias peruagata eſt. Quænam igitur huiuſmodi eſt? Wittembergenſiſne, vel Geneuenſis, an Romana? ſi Eccleſia vera nulla eſſe poteſt, niſi cuius fides omnem terrarum orbem peragrat: & Lutheri Eccleſia pedes quattuor nondum progreſſa eſt: & Caluini adhuc valle gemina, ac montibus quattuor clauditur: Romana verò vniuerſum ferè terrarum orbem, tam nouum quàm veterem iam peruaſit, & ferè contingit metam: ergo Romana eſt vera Eccleſia & Catholica. Auguſti-

nus anno poſt Chriſtum natum circiter trecenteſimo, Donatiſtas irridebat, qui ſperarent, ſuam Eccleſiam per totum orbem diſſeminari poſſe: nos verò poſt annos mille ſexcentos & ampliùs, putabimus, conuenticula hæc heri nata, quæ nondum è carceribus egreſſa ſunt, neque vmquam egredientur, priùs ad calcem orbis terrarum peruentura, quàm Eccleſia Romana, quæ iam propè abeſt à meta?

Sed obiicit contra hoc apoſtata M. Antonius de Dominis in 7. capite Conſilij ſic: *Fuit aliquando articulus fidei, vniuerſalem Eccleſiam per totum mundam diffuſam, eſſe Eccleſiam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam.* In quibus verbis duo errores continentur. Primus error eſt in primis verbis, *Fuit aliquando articulus fidei.* Sed quiſnam Chriſtus huius articuli auctor fuit? quis Apoſtolus promulgator? quæ Eccleſia depoſitaria, quæ fides cuſtos, quis populus obſeruator? Id quidem ex Symbolo Apoſtolorũ didicimus, vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam credendam eſſe: ſed quòd ea tantùm ſit Catholica Eccleſia credenda, quæ locorum ſpatiis per totum orbem eſt diffuſa, numquam hunc fidei articulum Apoſtolica doctrina traditum accepimus. Secundus error eſt, *vniuerſalem Eccleſiam per totum mundum diffuſam, eſſe Eccleſiam illam Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam.* Audiuimus certè Chriſtum Apoſtolis prænuntiantem Act. 1. Eccleſiam in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ eſſe diffundendam: ſed illud numquam audiuimus, quòd vera Chriſti Eccleſia ea tantummodò credenda ſit, quę ſemper in omnes mundi partes eſt diffuſa. Cùm enim non niſi longè poſt Apoſtolorum tempora, & vix tempore Auguſtini, Chriſtiana Eccleſia cunctas mundi partes occupauerit; planè id credendum eſſet, priſca illa tempora Apoſtolica, & quæ ijs multò pòſt ſucceſſere, vera Eccleſia caruiſſe. Et cùm non longè poſt Auguſtinum Eccleſia totius orbis imperio potita fuerit, ſed plurimæ hæreſes Wandalorum, Gothorum, Græcorum, ac poſtremò Mahometiſmus magnam orbis partem occupauerit, & Eccleſiæ ſubripuerit, nulla tot interiectis temporibus fuiſſe Eccleſia, cui Chriſtus perpetuam ſui aſſiſtentiam exhibuiſſet. Errat ergo Apoſtata dupliciter in ſua Obiectione.

Nos igitur de Eccleſia Catholica id ſentimus, eam non idcircò Catholicam ab Apoſtolis appellari, quòd vbique ſemper neceſſariò diffuſa eſſe debeat: ſed quòd vbicumque diffuſa eſt, eadem ſemper ac vbique fidei dogmata doceat ac prædicet: ita vt Eccleſiæ vniuerſalitatem, non ad locorum, ſed ad fidei vniuerſalitatem, quæ ex conſenſione, integritate, atque antiquitate compacta eſt, referendam dicamus, quò Catholica Eccleſia ab omnibus hæreticorum ſectis diſcernatur. Quamquam neque id reſpuimus, Eccleſiam propterea Catholicam appellari, quòd vel omnia orbis loca iam occupauerit, vel aliquando ſit occupatura. Primum luculentiſſimè docet Vincentius Lerinenſis lib. Aduerſus hæreſ. c. 3. his verbis: *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat: quæ omnia verè vniuerſaliterque comprehendit: ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Hinc Nicæna Synodus apud Athanaſium ita docet: *Eſt enim ibi, vt Patres tradiderunt, vera diſciplinæ ac magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiant: qui igitur hoc animo non ſunt, mali potiùs quàm boni præceptores appellari debent.* Secundum verò docet S. Auguſtinus ep. 170. ad Seuerinum conſanguineum ſuum, vbi ait: *Ipſa eſt Eccleſia Catholica, quæ per totum orbem terrarum diffunditur.* Sic ergo remanet profligata Apoſtatæ Obiectio, & veritas ſtabilita, quòd

quòd Eccleſia Romana eſt non ſolùm Vna & Sancta, verùm & Catholica.

Circa quod epitheton adnotanda ſunt tria. Primum eſt ex Auguſtino lib. de Vnit. Eccleſ. c. 6. & Beda in cap. 6. Cant. quòd, vt Eccleſia ſit Catholica, in primis requiritur, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera: in quo diſtinguitur à Synagoga, quæ erat Eccleſia particularis, non Catholica; erat enim alligata vni tempori, id eſt, vſque ad aduentum Meſſiæ: item vni loco, id eſt templo Salomonis, extra quod non poterant ſacrificare: & vni familiæ, id eſt, filiis Iacob. Secundum eſt ex Auguſtino ep. 80. ad Heſychium, vt Eccleſia ſit Catholica, non requiritur vt ſit in omnibus hominibus totius mundi, ſed tantùm vt innoteſcat omnibus prouinciis, & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouinciis aliqui ſint de Eccleſia: nam donec hoc fiat, non veniet dies Domini, vt patet ex Matth. 24. Tertium eſt ex Driedone lib. 4. cap. 2. p. 2. de Eccleſ. dogm. non requiri vt hoc fiat ſimul, ita vt vno tempore in omnibus prouinciis neceſſariò eſſe oporteat aliquos fideles: ſatis enim eſt, ſi fiat ſucceſſiuè. Ex quo ſequitur, quòd ſi ſola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Eccleſia Catholica, dummodò clarè oſtenderetur, eam eſſe vnam eamdem cum illa quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis, in toto mundo: quemadmodum nunc quælibet Diœceſis dicitur Catholica, quia eſt continuata cum aliis, quæ faciunt vnam Eccleſiam Catholicam.

Benè verum eſt, quòd, vt optimè probat Cardinalis Bellarminus in lib. 4. de Eccleſia, c. 7. licet Eccleſia non neceſſariò debuit ſimul eſſe in omnibus locis, tamen hoc tempore debet neceſſariò vel eſſe, vel fuiſſe in maiori parte orbis terræ: nam Eccleſia, omnium conſenſu, etiam hæreticorum, iam ſenuit. Si ergo in ſua adoleſcentia & iuuentute non creuiſſet, quomodo nunc in ſenectute creſceret? Oportet igitur vt iam creuerit, atque occupauerit, ſi non totum terrarum orbem, at certè magnam partem. Noſtra verò Eccleſia Romana quòd ſit Catholica, & verè maximam orbis partem occupauerit, ita probatur. Nam tempore Apoſtolorum in toto mundo fructificare cœpit, vt Paulus dicit Col. 1. Item tempore Irenæi erat ſparſa per totum orbem, id eſt per omnes prouincias tunc cognitas, id quod ipſe refert lib. 1. c. 3. Idem poſteà refert de ſuo tempore Tertullianus lib. Contra Iudæos, c. 3. Idem poſteà Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſiæ. Idem poſteà Athanaſius lib. de Hum. Verbi. Idem poſteà Chryſoſtomus & Hieronymus in cap. Matth. 24. & Auguſtinus in ep. 78. & 80. ad Heſychium, nec non Theodoretus ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo. Sectæ autem hæreticorum numquam totum mundum occuparunt, ſed neque dimidiam eius partem. Secta Mahumeti, cum hæreſibus Neſtorij & Eutychetis, quæ adhuc vigent in Oriente, numquam ad Occidentem tranſierunt, ergo Eccleſia Romana eſt vera Eccleſia & Catholica. Iam ad quartam Eccleſiæ notam accedamus.

Quarta Eccleſiæ nota eſt APOSTOLICA.

EN frænum & habenas, en nodum catenamque, quam exuere, & qua ſeſe expedire hæretici numquam poſſunt, id eſt ſucceſſionem Apoſtolicam: non enim credere debemus omnem Eccleſiam, ſed illam, cuius ordinatam ſeriem, continuatámq; ſucceſſionem in cathedris & Sacerdotibus oſtendere poſſimus. *Vt omnes intelligerent, quænam eſſet Eccleſia Catholica, Patres in Symbolo illud diuinitus addiderunt, Apoſtolicam:* habetur in Catechiſmo ad Parochos. Ea profectò ratione, quoniam par eſt conditio magiſterij & iuriſdictionis, Paſtores & Doctores copulauit Paulus Apoſtolus. Itaque vbi vera eſt iuriſdictio, ibi & ve-

Digitized by Google

rum magiſterium: cùm verus ſacerdos abeſt, verus magiſter adeſſe non poteſt: *Interroga ſacerdotem Legem.* Denique cùm inuenimus Sacerdotij ſucceſſionem vſque ab Apoſtolis, dicere poſſumus, ſucceſſionem etiam doctrinæ reperiri ab Apoſtolis ipſis emanantis. Et quia in Eccleſia Romana eſt talis ſucceſſio, nam nunc viuit & felix regnat Gregorius Decimuſquintus, quem ſcio Paulo V. ſucceſſiſſe; hunc verò Leoni XI. hunc Clementi VIII. hunc Innocentio IX. hunc Gregorio XIV. hunc Vrbano VII. hunc Sixto V. hunc Gregorio XIII. hunc Pio V. & illum Pio IV. qui Paulum IV. habuit prædeceſſorem, & hic Marcellum II. & hic Iulium III. & hic Paulum III. & denique eouſq; progredi poſſum, quouſque perueniam ad Linum, & ad Petrum, & deinde ad Chriſtum. In nulla autem ſecta hæreticorum talis ſucceſſio vſque ad Apoſtolos reperitur, vt patet: nam loquendo de Caluiniſtarum Eccleſia, nunc viuit quidam Faius, & anteà Beza, qui Caluino ſucceſſit, & hic cuidam Farello: & poſt hos non reperitur alius. Ergo Eccleſia Romana, & non Caluiniſtarum, aut cuiuſcumque alterius ſectæ, eſt vera Eccleſia.

Hanc continuatam ſeriem & ſucceſſionem Summorum Pontificum in Eccleſia Romana quanti fecerint antiqui Patres, patet ex ſequentibus. Clemens Romanus, Petri diſcipulus & ſucceſſor, ita docet: *Vt cùm lex Dei legitur, veram illius intelligentiam ab eo diſcamus, qui etiam à maioribus, & à Dei Sacerdotibus, quorum muneris id ſit, traditam ſeruat.* in quibus verbis magiſterium cum Sacerdotio coniungit. Ruffinus lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 9. loquens de Gregorio Nazianzeno & de Baſilio Græcorum omnium Theologorum doctiſſimis, ſcribit: *Sibi Dei intelligentiam non ex propria præſumptione,* (vt faciunt Caluinus, Lutherus, & alij hæreſiarchæ) *ſed ab antiquioribus Sacerdotibus poſtulabant: quòd ipſos ex Eccleſiaſtica ſucceſſione eam intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtaret.* Irenæus lib. 3. Aduerſus hæreſ. c. 3. & 4. poſtquam ſucceſſionis lineam deduxit à Petro vſque ad Eleutherium qui tunc viuebat, dixit: *Hac ordinatione ac ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio & veritatis præcognitio, peruenit vſque ad nos.* Tertullianus item, contra hæreſes ſcribens, hanc admirabilem viam aperit, qua conuincantur hæretici; id eſt, cùm ab eis quæritur *vt edant origines Eccleſiarum ſuarum, vt euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis aut Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ referunt: ſicut Eccleſia Smyrnæorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert: ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Origenes Tract. 19. in Matth. dicit: *Hæreticis credere non debemus, neque à paterna Sacerdotum doctrina & Eccleſiaſtica traditione exire.* Cyprianus, vbi diutiſſimè de hac Apoſtolica ſucceſſione tractauit lib. 2. ep. 12. addit: *Et hac vna ratione Eccleſia à quibuſdam confictis & ſimulatis coniurationibus eſt dignoſcenda.* Hieronymus Aduerſus Luciferianos ita ait: *In ea Eccleſia eſt nobis permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque in diem hanc ſucceſſiuè durat, & ſemper durabit.* Auguſtinus Contra ep. Fundamenti, c. 4. ait: *Vt omittam ſinceriſſimam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis, multa ſunt alia quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Et eodem loco, tamquam ad Caluinum vel quemlibet hæreſiarcham conuerſus, ſic ait: *O infelix anima, cui te committis? cur non potiùs te ſubdis Euangelicæ auctoritati, ab ipſis Apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra per ſucceſſiones legitimas commen-*

Digitized by Google

commendatæ? Et ad Donatiſtas dicebat: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede, & in illo ordine Patrum, quis cui ſucceſſit.* Quod ipſum etiam eiſdem ferè verbis poſteà expreſſit ad Parmenianiſtas Optatus Mileuitanus, cùm dixit: *Veſtræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.* Et ſic communiter ceteri Patres: qui tamen, præter vnum Clementem, nemo Romanus eſt, nemo Italus, qui hæreticis ſuſpecti eſſe poſsint, vti Primatus Romani defenſores: imò cùm ex diuerſis orbis partibus oriundi ſint, ab Africa, Græcia, Aſia, omnes tamen in primis fundamentum firmiſsimum veræ Eccleſiæ in hac ſucceſsione Romanæ Cathedræ conſtitutum putant. Idem habet Epiphanius hæreſi 27. Athanaſius Orat.2. Contra Arian. & in QQ. ad Antiochum, q.44. Cyprianus lib.1.epiſt.6. Euſebius, & alij.

Sed contra hoc Caluinus lib.4.Inſtit. c.2.ſect.2. vbi fatetur, *ſi vidiſſe quibus in locis rem tractarent Patres, ſcireque* (verba ſunt ipſius) *quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alij:* ſic poſteà concludit: *Sed omnes decipiuntur, quoniam friuola ſunt iſta, & planè ludibria.* Circa quæ verba pondero primò, quòd ipſe Caluinus fatetur vel inuitus, prædictos Patres id quod nos ſentire: deinde temeritatem miror, quòd non ſolùm talem veritatem à tot magnis Doctoribus comprobatam & aſſertam ipſe reiiciat & aſpernetur, verùm & irrideat. Subdit deinde: *Sed cur non Africam citant, & Ægyptum, & totam Aſiam? nempe quia in omnibus illis regionibus deſiit ſancta hæc Epiſcoporum ſucceſſio, cuius beneficio Eccleſias ſe retinuiſſe gloriantur.* Verùm leuiſſimum eſt & ineptiſſimum Argumentum: nam nos dicimus, Vbi eſt legitima Epiſcoporum ſucceſſio, ibi eſt vera Eccleſia: ipſe verò contrà argumentatur: In Ægypto deſiit legitima Epiſcoporum ſucceſſio; ergo non reperitur vera Eccleſia. Sed quodnam Argumentum eſt hoc? Legitima ſucceſsio Epiſcoporum in Africa deſiit; ergo Romana non eſt vera Eccleſia? perinde enim eſt, ac ſi dicas: Papa Romæ eſt, cras igitur pluet. Sed ego retorqueo Argumentum; & dico: Romæ nunquam deſiit legitima ſucceſſio Epiſcoporum; ergo eſt vera Eccleſia. Et Patres omnes quoties probare voluerunt veram Eccleſiam, & vſi ſunt ſucceſsionis argumento, non ipſam ſucceſsionem (vti Caluinus) per omnes Diœceſes quæſierunt, ſed illis ſatis ſuperque fuit, eam Romæ reperiri. Auguſtinus, quamuis Africanus, non ab Africana Eccleſia argumentatus eſt (vt Caluinus) ſed à Romana, ſic inquiens: *Si ordo tibi ſuccedentium Epiſcoporum conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus? Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens.* Tertullianus item Africanus non vſus eſt argumento Africanæ Eccleſiæ, ſed Romanæ: *In negotio ſalutis tuæ,* inquit, *percurre Eccleſias Apoſtolicas:* & paulò pòſt: *Romam habes, vnde nobis quoque auctoritas præſtò eſt ſtatuta.* Optatus pariter Africanus non ſumpſit argumentum ab Eccleſia Africana, ſed à Romana, his verbis: *Ergo in Cathedra vna ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus.* Leuiſſimè ergo & ineptiſsimè ſimul argumentatur Caluinus contra hanc ſucceſsionem: & vice verſa, ſolidiſsimum eſt & veriſsimum Argumentum ad probandum, Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, quæ continuatam hanc ſucceſsionem habet. vnde rectè dicitur Apoſtolica.

Hanc ſucceſsionis perpetuitatem Pater æternus per os Dauid Chriſto filio ſuo promiſit illis verbis Pſal.88. *Vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.* Et quòd de Sede Romana loquatur, patet, quia nulla alia ſedes aut thronus apud nos vnquam fuit, præterquam Eccleſia, cuius ipſe Caput & Princeps fuit: ac tandem Petro velut ſucceſſori admini-

ſtrandam reliquit. Sed cùm Petrus Romanam Eccleſiam, Chriſto iubente, ſibi in ſedem elegerit; planè dubitandum non eſt, quin ea ſit Chriſti ſedes ac thronus, quem ſibi in Petro ſucceſſore delegit. Quòd autem Petrus ſuam ſedem Romæ poſuerit, relicta Antiochia, iuſſu Chriſti, dicit B. Marcellus epiſt. ad Antiochenos: & Ambroſius Orat. de Tradendis Baſilicis refert, Dominum voluiſſe, vt Petrus Romæ moreretur. Vtrumque Leo docet in ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

Ex dictis hoc conficio Argumentum: Si Irenæus poſt centum ſexaginta tantùm annos, Tertullianus poſt ducentos, Euſebius poſt trecentos viginti, Epiphanius poſt trecentos octuaginta, Hieronymus, Auguſtinus, Optatus poſt quadringentos annos, Romanorum Pontificum ſucceſsionem tamquam veræ Eccleſiæ teſtem produxerunt; cur eamdem nobis poſt 1620. annos in veræ Religionis & veræ Eccleſiæ teſtimonium ferre non licet? Et vice verſa conuincuntur hæretici, ſe non habere veram Eccleſiam, quippe qui in ſua Eccleſia talem Epiſcoporum ſeriem, & continuatam ab Apoſtolis ad hæc noſtra tempora ſucceſsionem oſtendere minimè poſſunt. Nec mirum, cùm non ſolùm ab hominibus, verùm & à nefariis, & multis vitiis deditis originem duxerint. Referam hîc pauca.

De Euangelicis hæreticis in communi ſic loquitur Eraſmus Roterodamus, qui & res eorum optimè nouerat, & ab eorum doctrina non omnino abhorrere viſus eſt. Is igitur in epiſt. ad Vulturium Necomum, quam ſcripſit anno 1529. *Circumſpice*, inquit, *populum iſtum Euangelicum, & obſerua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciant ij quos deteſtantur. Profer mihi, quem iſtud Euangelium ex comeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores.* Simile de Lutheranis loquitur Smidelinus, relatus à Petro Caniſio lib. 1. cap. 4. de Corruptelis verbi Dei. *Vt totus mundus*, inquit, *agnoſcat eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penitùs. Jeiunij loco, comeſſationibus & per potationibus nocte dieque vacant; vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro humilitate regnat paſſim ſuperbia, faſtus, elatio: atque hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur inſtitutum.*

De ipſis verò hæreſiarchis Luthero & Caluino, videamus quid Scriptores dicant. Et vt omnis falſitatis aut erroris ſuſpicio tollatur, videamus quid ipſemet Lutherus in Colloquiis Germanicis, cap. de Matrimonio, loquatur. ait enim ſic: *Vt nemo poteſt cibo ac potu carere, ſic fieri nequit, vt aliquis à muliere abſtineat: nam naturali deſiderio inflammati, non poſſumus ab illis ſeparari. Cauſa hæc eſt, quia in vtero mulierum concepti, eo aliti, inde nati, lactati, & educati ſumus, ita vt caro noſtra maiori ex parte muliebris caro ſit: & ſic planè fieri nequit, vt ab iis ſeparemur. S. Hieronymus multa ſcribit de tentationibus carnis. Ah! parua res eſt; mulier domi habitans poteſt huic morbo mederi. Euſtochium hîc Hieronymo facilè ſubuenire potuiſſet.* Proh obſcœnum Apoſtolum! cui non ſatis eſt ſuas libidines orbi pandere, niſi cęlum quoque ipſum, ac Sanctorum puritatem ſua impudicitia labefactaret. Denique qua Apoſtolica grauitate de coniugum controuerſiis in libro de Vita coniugali ſic ait: *Si alter alteri ſeipſum ſubtrahat, ſic vt debitum coniugale præſtare non velit, quemadmodum multæ pertinaces mulieres inueniuntur, quæ ex nimia peruicacia, nec ſi maritus decies in libidinem prolaberetur, nihil tamen mouentur.*

by Googl

tur. Hic locus eſt vt vir dicat: Si tu non vis, velit alia vxor, veniat ancilla. Sic ille. Et hæc ſunt Apoſtolicæ nouæ huius Religionis decreta.

De Caluino verò Caluiniſtatum Apoſtolo Hieronymus Bolſecus in eius Vita ſcribit, eum antequam à fide & Eccleſia apoſtataret, quamdiu Nouioduni Curatum Beneficium obtinebat, Sodomitici ſceleris conuictum in vitæ diſcrimen veniſſe, vt igni traderetur: ſed pœna ex Epiſcopi illius vrbis commiſeratione moderata, cauterio candenti illius humero lilium inuſtum fuiſſe.

De Theodoro Beza idem Bolſecus in Hiſtoria eius Vitæ tanta ſcribit, vt eius præceptorem Caluinum impudicitia vel antecelluerit, vel ſaltem æquauerit: teſtes ſunt Audebertus puer & Candida eius concubina, ad quos carmina ſua amatoria ſcribit, quæ omnibus nota ſunt. Silentio prætereo ceteros hereſiarchas, qui communiter cùm multis vitiis, tum præcipuè vitio carnis maculati fuerunt: & vix vllus vmquam apoſtata fuit, maximè qui ab Eccleſia & Religione diſceſſit, qui talibus impudicitiis non fuerit turpatus. Tales igitur, vel huiuſcemodi moribus imbuti ſunt fundatores harum Reformatarum Eccleſiarum. At noſtræ Eccleſiæ primores & fundatores ſunt Chriſtus & Apoſtoli, à quibus vſque ad hęc noſtra tempora perpetuus ſucceſsionis ordo Pontificum in Apoſtolica Sede deſcendit, vnde meritò noſtra Eccleſia dicitur & eſt non ſolùm Vna, Sancta, & Catholica; verùm & Apoſtolica.

Ex dictis ergo ſequuntur quatuor Corollaria. Primum eſt, Quòd Romana Eccleſia eſt vera Eccleſia. Secundum, Quòd eſt mater & caput omnium Eccleſiarum. Tertium, Quòd non poteſt errare. Quartum & vltimum, Quòd eſt Iudex controuerſiarum de fide, & ipſius determinationes ſunt de fide: de quibus nonnulla hîc ſubiiciemus.

COROLLARIVM PRIMVM.

Eccleſia Romana eſt vera Chriſti Eccleſia.

SVPPOSITIS quæ dicta ſunt hucuſque de Eccleſia, & quòd ſit Viſibilis, & quòd ſit Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica; ſequitur neceſſariò, Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, nam ei tam benè cohærent & coaptantur præfatæ Notæ, vt nulli alteri coaptari poſſint; ideò vera eſt Chriſti Eccleſia, vt fusè in præcedentibus probatum eſt. Hinc Synodus Alexandrina ad Felicem Secundum ſic loquitur: *Similiter & à ſupradictis Patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſquam Epiſcoporum aut Metropolitanum, aut Comprouinciales, vel iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi ac ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſſimam Dominus Ieſus Chriſtus veſtram Apoſtolicam conſtituit Sedem. Ipſa eſt enim ſacer vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, releuantur.* Et Marcellus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ prouinciæ: *Rogamus vos fratres, vt non aliud doceatis, neque ſentiatis, quàm quod à B. Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis & Patribus accepiſtis. Ab illo enim primò inſtructi eſtis: ideò non oportet vos proprium derelinquere patrem, & alios ſequi. Ipſe enim Caput eſt totius Eccleſiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Eius Sedes primitus apud vos fuit, quæ poſteà (iubente Domino) Romam tranſlata eſt, cui (adminiculante diuina gratia) hodierna præſidemus die.* Et infrà: *Si veſtra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ ceſſit Sedi, nulla eſt,*

Digitized by Google

quæ tibi non ſubiecta ſit ditioni, ad quam omnes, quaſi ad caput, iuxta Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum ſanctiones, Epiſcopi, qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, ſuffugere, eamque appellare debent; vt inde accipiant tuitionem & liberationem, vnde acceperunt informationem atque conſecrationem. Hoc Corollarium clariùs patebit ex his quæ dicemus in ſequenti.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Eccleſia Romana eſt mater & caput omnium Eccleſiarum.

SIC vocat eam Calixtus Papa & martyr in epiſt.1. ad Benedictum Epiſcopum, cap.1. his verbis: *Nulli verò dubium eſt, quòd Apoſtolica Eccleſia mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Et ſicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, ſic & vos voluntatem veſtræ impleatis matris, quæ eſt Eccleſia, cuius caput (vt prædictum eſt) Romana exiſtit Eccleſia.* Sic etiam Felix Papa in ep. ad Benignum Epiſcopum, in qua de Eccleſia Romana loquens, ait: *Hæc ſancta & Apoſtolica mater Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur, nec ab hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata manet, iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* In quibus verbis obſeruandum eſt, quòd non ſolùm dicit, Romanam Eccleſiam fuiſſe & eſſe ſemper illibatam ab errore hæreſeos; verùm & quòd ſit MATER cunctarum Eccleſiarum.

Mater ergo & Caput omnium Eccleſiarum eſt Romana Eccleſia: ſic in Synodo Chalcedonenſi 630. Epiſcoporum, Act.1. & in Concilio Chalcedonenſi ex noua editione, Act.16. decernitur, Sedem Romanam eſſe in omnibus & per omnia primam. Sic in decretis Simplicij Papæ, ſic Vigilius Papa in epiſtola ad Eleutherium, ſic denique in Concilio Florentino, in Decreto vnionis. ſic eam vocat Athanaſius in epiſt. ad Marcum Pontificem his verbis: *Optamus, vt à veſtræ ſanctæ Sedis Eccleſiæ auctoritate, quæ eſt Mater & Caput omnium Eccleſiarum, ea ad correptionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes Legatos mereamur. Verè nouimus Apoſtolatus veſtri cor gratia ſancti Spiritus in tantum eſſe accenſum, vt omnibus oppreſſis ſuccurratis: quantò magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen veſtri ſumus, vobiſque obedientes cum omnibus nobis commiſſis eſſe ſemper volumus.*

Primitatem hanc & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias ac totum Chriſtiani populi gregem Eccleſia Romana aſſecuta eſt non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro: ſic fatetur Anacletus Papa epiſt.3. & Vigilius Papa in epiſt. ad Eucherium dicit: *Quamobrem ſancta Romana Eccleſia eius merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum, ad quam, tam ſumma Epiſcoporum negotia, & iudicia, atque querelæ, quàm & maiores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput ſemper referenda ſunt.* Idem quoque habetur in Præfatione Nicæni Concilij, in principio, ſcilicet, quòd *Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt ceteris Eccleſiis, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri primatum obtinuit.* Idem quoque affirmat Nicolaus Papa I. in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, his verbis: *Animaduertendum eſt, quia non Nicæna, non denique vlla Synodus quidquam Romanæ contulit Eccleſiæ priuilegij, quæ in B. Petro nouerat eam totius iura poteſtatis pleniter meruiſ-*

Digitized by Google

meruiſſe, & cunctarum Chriſtionium regimen accepiſſe, ſicut beatus Præſul Bonifacius atteſtatur, vniuerſis Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens. Et in eadem epiſtola paulò antè dicit idem Nicolaus Papa: *Eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus obſeruata, & à ſanctis Vniuerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus; & quod Deus ſtatuit, firmum validumq́; conſiſtit. Illeque potiſſimùm peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia, inquam, iſtius Sedis vel Eccleſiæ perpetua ſunt, diuinitus radicata atque plantata ſunt: impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, euelli non poſſunt.* Agnouit hanc primitatem Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. & de Obitu Satyri, vt dixerit, ſe in omnibus cupere Romanam ſequi Eccleſiam. Et Irenæus omnibus antiquior, & Apoſtolicorum temporum vicinus, vereque Apoſtolicus, lib. 3. c. 3. Eccleſiæ Romanæ tale tribuit elogium: *Ad hanc,* inquit, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab iis qui ſunt vndique conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Sic Tertullianus de Præſcript. hæret. c. 36. Cyprianus epiſt. 45. & 46. Theodoretus lib. 2. Hiſtor. cap. 4. Bernardus epiſt. 190. ad Innoc. & libro 2. de Conſider. cap. 8. Concilium Chalcedonenſe Act. 3. Anacletus epiſtol. 1. & 3. Marc. epiſt. 1. Synodus Alexandrina ad Felicem.

Ex quo ſequitur, quòd qui extra Eccleſiam Romanam eſt, extra ſalutem ſit neceſſe eſt. Sic Conciliũ Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 1. *Vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur: ſicut qui extra arcam Noë reperti ſunt, omnes aquis diluuij obruti fuere.* Sic Iudæi & Ethnici, qui fidem Eccleſiæ numquam receperunt: ſic hæretici, qui receptam deſeruerunt vel corruperunt: ſic ſchiſmatici, qui pacem & vnitatem Eccleſiæ reliquerunt: vt docet Auguſtinus epiſt. 50. & 152. item de Vnit. Eccleſ. cap. 4. & 19. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 37. 38. & 39. Pacianus epiſt. 2. ad Sympron. Irenæus lib. 4. c. 43. Gregorius 14. Moral. cap. 2. Chryſoſtomus Homil. 11. in Epiſt. ad Epheſ. & ſingulariter Cyprianus, qui in Tract. de Simplicit. Prælator. ſiue de Vnitate Eccleſiæ, ſic habet: *Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.* Eadem ferè verba habet S. Auguſtinus lib. 4. de Symbolo ad Catechum. cap. 13. Idem etiam videtur dicendum de excommunicatis, qui qualibet alia graui de cauſa id meruerunt, vt ab Eccleſiæ corpore ceu pernicioſa quædam membra præſcinderentur ac ſepararentur. Atque iſtiuſmodi omnes, quoniam ad Eccleſiam eiuſque ſanctam communionem non pertinent, diuinæ gratiæ & ſalutis æternæ non poſſunt eſſe participes: ſic Auguſtinus ſerm. 181. de Temp. & in Pſal. 88. conc. 2. item epiſt. 204. & Cyprianus ep. 57. & 52. niſi Eccleſiæ, à qua ſuo illi vitio ſunt ſemel auulſi, primùm reconcilientur atque reſtituantur. Nam veriſſima ſunt illa D. Pauli Apoſtoli verba: Niſi manſeritis in naui (ſcilicet Eccleſiæ) omnes ſimul peribitis.

Sed notanda ſunt verba S. Cypriani in Tract. de Vnit. Eccleſ. vbi ſic loquitur: *Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcam Noë fuit; & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit. Stare tu & viuere putas poſſe de Eccleſia recedentem, ſedes ſibi alias & diuerſa domicilia condentem? cùm dictum ſit ad Rahab, in qua præformabatur Eccleſia: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam: & erit, omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras,*

foras, reus ſibi erit. Item, Sacramentum Paſchæ nihil aliud in Exodi lege continet, quàm vt agnus, qui in figura Chriſti occiditur, in domo vna edatur. Caro Chriſti & ſanctum Domini eijci foras non poteſt, nec alia vlla credentibus, præter vnam Eccleſiam, domus eſt. An ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales, etiam ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Cum Deo manere non poſſunt, quia eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus Sacerdotes Chriſti facit? qui ſe à Cleri eius & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat. Si extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia eius, & fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſcidio compaginis ſeparari, diuulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi. Quidquid à matrice diſceſſerit, ſeorſum viuere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amittit. Sic Cyprianus.

COROLLARIVM TERTIVM.

Eccleſia Romana non poteſt errare.

HOC Corollarium duplicem poteſt habere ſenſum: vnus eſt de ipſa Eccleſia Romana, perſiſtente Romæ Apoſtolica Sede: alter eſt de ipſa Romana Eccleſia præciſè & in particulari, vt ſimpliciter non poſſit errare vel deficere, quia nec Sedes Apoſtolica poſſit vnquam Româ aliò transferri.

Et quidem ſecundùm priorem ſenſum, Propoſitio noſtra eſt veriſſima: nam de vera Chriſti Eccleſia dictum eſt à Chriſto Matth.16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quid verò hæ inferi portæ inſinuent, explicat D.Hieronymus in hunc locum, nempe ijs hæreſes atque errores ſignificari. *Ego,* inquit, *portas inferi reor vitia atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas allecti homines ducuntur ad tartarum.* Eodem modo interpretatur D.Gregorius in Pſal.7. Pœnit. *Portæ inferi,* ait, *hæreſes ſunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quaſi inferorum eis aditum pandunt.* At in præcedentibus fusè demonſtratum eſt per veras Notas, Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ idcircò Romana appellatur, quòd à Petro Romanæ Sedis Antiſtite, ac Vicario Chriſti capite fundata, ac legitima Romanorum Pontificum ſucceſſione vſque ad nos perlata, ceteris Eccleſiis fidei ac veritatis lucem impertit. Huic Romanæ Religioni diuino munere largitum eſt, vt aduerſus omnes inferi portas, errores, atque hæreſes, immobilem & inconcuſſam veritatis ſtabilitatem ſibi vendicet: nam propterea D.Paulus ad Timotheum ſcribens ait: *Vt*
1.Tim.3 *ſcias quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*: ergo ipſa errare non poteſt. Quod Lucius & Felix Papæ & Martyres, Agatho & Nicolaus Papæ Confeſſores, item Cyrillus & Ruffinus oſtendunt, dum profitentur, non ſolùm Pontificem, ſed etiam Eccleſiam Romanam errare non poſſe. Prætereà S. Cyprianus lib.1.epiſt.3.*Nauigare*

Digitized by Google

gare audent, inquit, *ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem*, &c. *nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum.* S. Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Ruffinum, *Scito*, inquit, *Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam, eiuſmodi præſtigias non accipere: etiam ſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.* S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de Vita ſua, ante medium, *Vetus*, inquit, *Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet vrbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.*

Secundùm verò poſteriorem ſenſum, Eccleſiam Romanam non poſſe deficere, eſt quidem pia & probabiliſſima ſententia; non tamen adeò certa, vt contraria dici poſſit hæretica, vel manifeſtè erronea, vt rectè probat Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano c. 4. & anteà idem dixerat Ioannes Driedo, lib. 4. c. 3. par. 3. de Eccleſ. dogm. Quòd non ſit de fide omnino, à Romana Eccleſia non poſſe ſeparari Apoſtolicam Sedem, patet, quia neque Scriptura, neque Traditio habet, Sedem Apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ, vt inde auferri non poſſit. Et omnia teſtimonia Pontificum & Patrum, qui dicunt, Romanam Eccleſiam errare non poſſe, exponi poſſent de Romana Eccleſia, donec in ea Apoſtolica Sedes permanet: non autem abſolutè & ſimpliciter. Quòd autem nihilominùs pia & probabiliſſima ſit ſententia, non poſſe ſeparari Petri Cathedram à Roma, ac proinde Romanam Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec deficere, probatur.

Primò ex eo, quòd tamdiu manſit Romæ Sedes Apoſtolica, non obſtantibus infinitis perſecutionibus, & occaſionibus recedendi. Prima occaſio recedendi fuit perſecutio Imperatorum Ethnicorum, qui ægrè ferebant quòd Romæ eſſet Apoſtolica Sedes: & propterea ſtatim ac audiebant nouum Pontificem eſſe creatum, aut occidebant, aut in exilium mittebant. Vnde S. Cyprianus lib. 4. ep. 2. laudat Cornelij Papæ conſtantiam in tali perſecutione. Deinde alia perſecutio fuit tempore Gothorum: ſic tempore Innocentij I. Leonis I. Papæ, Vigilij, &c. Tertia occaſio diſcedendi Româ fuit tempore B. Bernardi, propter ipſorum ciuium Romanorum perſecutionem. Quarta fuit, quando Romani Pontifices per ſeptuaginta annos manſerunt in Galliis. Et nihilominùs non mutauerunt Sedem, nec aliò tranſtulerunt.

Secundò hoc idem probari poteſt, quia, vt ſuprà probauimus ex B. Marcello Papa & Martyre, & Leone in ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, Dei iuſſu Petrus relicta Antiochia, Romæ Sedem ſuam poſuit.

Dices: Ergo de fide eſt, Sedem Apoſtolicam ex Roma non poſſe aliò transferri. Reſpondeo, id non ſequi: nam neque Marcellus neque Leo id definiunt de fide, ſed narrant vt hiſtoriam. Dices, quòd tempore Antichriſti Roma deſolanda erit, vt deducitur ex Apoc. c. 17. Reſpondeo, quòd id fiet in fine mundi. Et prætereà tunc etiam Summus Pontifex dicetur Romanus. Et demum S. Auguſtinus & aliqui alij volunt, locum illum Apocalypſis non intelligi de vrbe Roma, ſed de multitudine impiorum, quæ eſt ciuitas diaboli.

Tertiò probari poteſt, quia fides Romanæ Eccleſiæ à D. Paulo tamquam Catholica, & per totum mundum dilatata laudatur: ergo non poteſt errare. Quòd verò ſic laudetur, patet ex Epiſtola ad Romanos, vbi in c. 1. ſic ait: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* In his verbis Apoſtolus fidem Romanæ Religionis eamdem ſemper vbique locorum diffuſam eſſe, ac ſemper in poſterum diffundendam declarat. Neque enim fruſtrà Apoſtolus tam graui apparatu,

Romana fides ab Apoſtolo tamquam Catholica commendatur.

Digitized by Google

tu, & Apoſtolico planè mentis affectu, illuſtrem hanc gratiarum actionem pro Romanorum fide per totum orbem diffuſa Deo pararet, niſi eamdem Prophetico ſpiritu non ſemel, ſed ſemper perpetuoque in orbe diffundendam prænoſceret. Et ne aduerſarij exiſtiment, nos id leuiter dicere, ac Pauli verbis nouos ſenſus adnectere, audiant antiquiſſimos Patres, qui in hoc ſenſu hunc Apoſtoli locum pari conſenſu interpretati ſunt. Primus eſt Cyprianus, qui ep. 55. eos redarguens, qui pſeudographis ac commentitiis literis freti, cùm hæretici eſſent, cum Romana Eccleſia ſe communicare ſimulabant, ita ſcribit: *Nec cogitate eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Et luculentius epiſt. 57. *Clariùs,* inquit, *fratres chariſſimi, fides, quam de vobis Apoſtolus prædicauit, hanc laudem virtutis & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu præuidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat.* Sic Cyprianus. Alter eſt Hieronymus, qui in Apolog. 3. contra Ruffinum eumdem ſenſum his verbis Pauli adhibet: *Scito,* ait, *Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam, huiuſmodi præſtigias non recipere: etiam ſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.* Similia habet in epiſt. ad Pammachium & Oceanum. Tertius eſt Theodoretus, qui de Romana Religione agens epiſt. ad Leonem Papam, ait: *Præcipuè autem & inſigniter eam exornat fides, & fide dignus teſtis Apoſtolus.* Poſtremò apud Cyprianum epiſt. 55. Clerus Romanus ad hunc Pauli locum reſpexit, cùm ibi ait: *Antiqua hæc apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua; quoniam nec tantas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet, dicendo, Quia fides veſtra prædicatur in vniuerſo mundo; niſi iam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet.*

Ex quibus ſic conficio Argumentum: Fides Romanæ Eccleſiæ Prophetico ſpiritu ab Apoſtolo concelebratur, quòd prædicetur in toto mundo: hæc autem non eſt, niſi fides Petri & Chriſti, vt ſuprà demonſtratum eſt: ergo Romana Eccleſia in fide non poteſt errare. Et confirmatur per id quod dicit idem Apoſtolus 1. Tim. 3. *Vt ſcias, quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* In quibus verbis, cùm Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis appellat, nullam aliam niſi Romanam Religionem indicare poteſt, quæ Petrum velut Apoſtolicam petram ac columnam, fundamentum ſibi vendicat: ſiquidem de ea tantùm Eccleſia loquitur, de qua priùs Chriſtus dixerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cuius eſt tanta vis, vt cunctos errorum atque hæreſum impetus, Dei virtute proſternere valeat, Chriſto ſibi in primis patrocinante, qui huic ſoli vſque adeò perpetuam in fide conſtantiam pollicetur, vt nulli vnquam in eam ſatanæ doli, aut errorum ſuſpiciones poſſint irrumpere. Conſentit prædictis omnibus D. Bernardus, qui in epiſt. 190. ad Innocentium ſic ſcribit: *Dignum arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiuæ* (Romanæ) *Sedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ex dictis ergo patet noſtræ Aſſertionis firmitas, quòd Romana Eccleſia in fide non poteſt errare.

Fuit neſcio quidam Petrus Oxomenſis Salmanticæ, qui aſſeruit, Eccleſiam Vrbis Romæ errare poſſe: ſed talis Propoſitio, ſicut & aliæ quamplures, damnatæ fuerunt per Archiepiſcopum Toletanum auctoritate Sixti IV. Ipſe autem Petrus poſteà recantauit palinodiã, vt habetur in Summa Conciliorum in Vita Sixti IV. Et meritò quidem, nam Eccleſia Romana numquam hæreticis

praui-

Digitized by Google

prauitatibus fuit polluta, ſicut Conſtantinopolitana, in qua ſedit Macedonius, Neſtorius, Sergius, hæreſiarchæ: & Antiochena, in qua Paulus Samoſatenus hæreſiarcha, Petrus Gnaphæus Eutychianus, Macarius Monothelita, & alij: Alexandrina, in qua Georgius & Lucius Ariani, & Dioſcorus Eutychianus, Cyrus Monothelita, & alij: & Ieroſolymitana, in qua ſedit Ioannes Origeniſta, & ante eum Irenæus & Hilarius Ariani. Hinc meritò Cyprianus lib.1.ep.3. ait: *Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, &c. nec cogitare eos Romanos, ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum.* Sic etiam Felix Papa in epiſt. ad Benignum Epiſcopum, in qua de Eccleſia Romana loquens ait: *Hæc ſancta & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur: nec ab hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata manet, iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Sed contra prædicta inſurgit Caluinus, & dicit, hanc Propoſitionem, Eccleſia non poteſt errare, eſſe veram, ſi intelligatur cum duplici reſtrictione. Prima eſt, ſi Eccleſia non proponat dogmata extra Scripturam: id eſt, ſi reiiciat traditiones non ſcriptas, & ſolùm proponat fideliter quæ habentur in Scripturis. Si autem quæras, an certi ſimus, quòd Eccleſia proponet ſemper fideliter quæ ſunt in Scripturis? Reſpondet, Eccleſiam ſemper proponere fidelibus quæ habentur in Scripturis, in rebus neceſſariis ad ſalutem, non tamen in aliis: ac proinde ſemper remanere in Eccleſia næuos aliquos errorum. Secunda verò reſtrictio eſt, vt illud, Eccleſia non poteſt errare, intelligatur de ſola Eccleſia vniuerſali, non autem extendatur ad Epiſcopos, qui ſunt Eccleſia repræſentatiuè, vt noſtri loquuntur. Quilibet enim Epiſcopus gerit perſonam ſuæ Eccleſiæ particularis: & proinde omnes Epiſcopi gerunt perſonam totius Eccleſiæ. Ita habet Caluinus lib.4. Inſtitut. cap.8 §.11.12.13.14.15. maioris Inſtitutionis: & in minori Inſtitutione c.8.§.146.148.149. & 150. vbi tamen mendaciter & fraudulenter explicans ſententiam noſtram, dicit, nos aſſerere, Eccleſiam non poſſe errare, ſiue vtatur verbo Dei, ſiue non: cùm tamen ipſe non ignoret, nos non loqui de verbo Dei abſolutè, ſed tantùm de verbo ſcripto, ac dicere, Eccleſiam non poſſe errare, ſiue proponat quæ habentur in Scripturis, ſiue dogmata extra Scripturam.

Noſtra igitur ſententia eſt, Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec in rebus abſolutè neceſſariis, nec in aliis quæ credenda vel facienda nobis proponit, ſiue habeantur expreſsè in Scripturis, ſiue non. Et cùm dicimus, Eccleſiam non poſſe errare, id intelligimus tam de vniuerſitate fidelium, quàm de vniuerſitate Epiſcoporum: ita vt ſenſus ſit eius Propoſitionis, Eccleſia non poteſt errare, id eſt, id quod tenent omnes fideles tamquam de fide, neceſſariò eſt verum, & de fide. Et ſimiliter, id quod docent omnes Epiſcopi, tamquam ad fidem pertinens, neceſſariò eſt verum, & de fide. Et probatur hæc veritas:

Primò, de Eccleſia vniuerſa, vt continet omnes fideles: ac primùm ex illo 1.Tim.3. *Eccleſia Dei eſt columna & firmamentum veritatis.* Reſpondet Caluinus, Eccleſiam dici columnam & firmamentum veritatis, quia conſeruat tamquam fidiſſima cuſtos prædicationem verbi Dei ſcripti: non quòd in nulla re errare non poſſit. Sed contrà. Nam in primis, hoc modo officinæ librariorum eſſent columnæ veritatis, quæ diligentiſſimè cuſtodiunt omnes Scripturas. Deinde Apoſtolus non meminit hîc Scripturarum, ſed ſimpliciter dicit, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis. Præterea multò amplius eſt,

Digitized by Google

eſſe columnam, quàm ſimplicem cuſtodem : nam columnæ innititur domus, & ea remota cãdit. Sic igitur Apoſtolus vocans Eccleſiam columnam veritatis, vult ſignificare, veritatem fidei quoad nos, niti Eccleſiæ auctoritate: & verum eſſe quidquid Eccleſia probat; falſum, quidquid illa improbat. Adde, quòd etiam Eccleſia fuit columna quando non erant Scripturæ. Ex quo ſequitur, non dici columnam propter cuſtodiam Scripturarum. Denique, ſi de cuſtodia ageretur, meliùs arcæ quàm columnæ Paulus comparaſſet Eccleſiam: nec enim columnæ, ſed arcæ libros cuſtodiunt.

Secundò probatur, Eccleſiam non poſſe errare, quia ipſa gubernatur à Chriſto tamquam à capite ſponſo ſuo, & à Spiritu ſancto tamquam ab anima, vt patet Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* & Epheſ. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus.* Epheſ. 5. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Ergo ſi Eccleſia in dogmatibus fidei vel morum erraret, Chriſto & Spiritui ſancto error tribueretur. Quocircà Dominus ait Ioannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Reſpondet Caluinus, Chriſtum & Spiritum ſanctum docere Eccleſiam omnem veritatem ſimpliciter neceſſariam, ſemper tamen relinquere aliquem næuum. Neque ſequitur, tribui propterea Chriſto aut Spiritui ſancto errorem: ſicut eis etiam non tribuitur ignorantia, quæ ſine dubio aliqua eſt in Eccleſia. Reſpondeo: Sicut vir, qui eſt caput mulieris, non tenetur ab vxore remouere omnem ignorantiam, tenetur tamen remouere omnem errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur, licet vxor excuſetur per ignorantiam; ita etiam Chriſtus tenetur remouere omnem errorem ab Eccleſia, ex quo magnum oritur malum; talis eſt autem omnis error circa fidem: nam magnum eſt malum, quòd Eccleſia falſa fide Deum colat, cùm præcipuè cultus diuinus in fide, ſpe, & charitate cõſiſtat, vt Auguſtinus docet in Enchiridio, capite tertio. Præterea, ſi eſſet vera Caluini ſententia, maxima pars dogmatum fidei reuocari poſſet in dubium: nam multa ſunt de fide, quæ non ſunt abſolutè neceſſaria ad ſalutem. Sanè, credere hiſtorias Teſtamenti veteris, vel Euangelia Marci & Lucæ eſſe Canonica ſcripta, imò vllas eſſe diuinas Scripturas, non eſt omnino neceſſarium ad ſalutem: nam ſine hac fide multi ſaluati ſunt, antequam Scripturæ ſcriberentur: & poſteà tempore noui Teſtamenti multæ barbaræ nationes, de quibus ſcribit Irenęus lib. 3. c. 4. At hoc eſt abſurdiſſimum, nec vllo modo admitteret Caluinus, poſſe dubitari de Scripturis: non igitur verum eſt, ſolùm in rebus neceſſariis ad ſalutem, Eccleſiam non poſſe errare.

Vide Bellar. lib. 3. de Eccl. c. 14.

Iam quòd Eccleſia repræſentatiuè etiam non poſſit errare, probatur. Primò, Quia ſi omnes Epiſcopi errarent, tota etiam Eccleſia erraret, quia tenentur populi ſequi ſuos Paſtores, dicente Domino Luc. 10. *Qui vos audit, me audit:* & Matth. 23. *Quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite.* Secundò ex epiſtola Concilij Epheſini ad Neſtorium, vbi cogitur Neſtorius, ſi Eccleſiæ ſatisfacere velit, iuramento confirmare, ſe ita ſentire, vt ſentiunt Orientis & Occidentis Epiſcopi. Item ex Auguſtino lib. 1. de Baptiſmo, c. 18. vocat decretum Concilij Generalis, Eccleſiæ vniuerſæ conſenſum. Et meritò: nam Eccleſia non docet nec decernit quidquam, niſi per ſuos Paſtores, ſicut quodlibet corpus per ſuum caput. Vnde etiam 3. Reg. 8. congregatio ſacerdotum & ſeniorum, vocatur *omnis Eccleſia Iſrael.* Et Chryſoſtomus exponit illud Matth. 18. *Dic Eccleſiæ, id eſt, Prælato.*

Deinde aduerſus id quod in principio huius Corollarij etiam diximus, ſcilicet, Quòd Eccleſia Romana non poteſt deficere; inſtat Caluinus, & affirmat, proſtra-

Digitized by Google

proſtratum fuiſſe Chriſti regnum ex eo tempore, quo erectus eſt Pontificis Romani Principatus, &c. abolita Religio, Eccleſia deſtructa. Verùm ſi Caluini ſententia eſſet vera, neceſſe etiam habet Caluinus fateri, vt Eccleſia ſimul cum Chriſto interierit. Quòd ſi id aſſerat, quid fruſtrà Caluiniſtæ Euangelio credunt, quod ab Apoſtolis conſcriptum fuit? quid Apoſtolicam doctrinam velut cęleſtem amplectuntur, quæ ab iis profecta eſt, qui (ſi Caluino credimus) nec Eccleſia, nec proinde Chriſti membra extitere? Quid Chriſtianã fidem Apoſtolico ore ſatam, veram eſſe exiſtimant, cùm iuxta Caluini ſententiam, vera fides cum Eccleſia, Eccleſia cum Chriſto interierit? Primatus enim Romani Pontificis tunc primùm erectus eſt, cùm Petro dictum eſt, *Paſce oues meas.*

Dicet Caluinus, Petrum Romanæ Eccleſiæ Principatum à Chriſto minimè obtinuiſſe. Sed demus hoc ei, licet apud nos id pro certo habeatur; ſaltem inficiari non poterit, Linum, Cletum, Clementem, & quotquot his ſucceſſerunt, Romanos Pontifices fuiſſe, atque huiuſmodi Pontificatum exercuiſſe. Ergo ſaltem in Lino Eccleſia deſiit, in quo primùm Romani Pontificis Principatus eſt erectus. Quod ſi ita eſt, ac tunc primò, verâ Eccleſiæ doctrinâ extinctâ, hæreſis vbique graſſata fuit; quid de tot Martyribus actum fuit? num eos pro hæreſi, non autem pro vera Chriſti fide tuenda paſſos eſſe æquum erit illi decernere? quid de tot Patribus, quos ipſi Sanctos eſſe nobiſcum ſentiunt, illis exiſtimandum eſt? Num extra Eccleſiam vera ſanctitas vnquam fuit, aut eſſe potuit? Audiant hi S. Hieronymum, qui in epiſt. 57. ad Damaſum ſic loquitur: *Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë nõ fuerit, peribit regnante diluuio. Quicumq; tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Et S. Fulgentius libro de Fide ad Petrum, cap. 37. *Firmiſſimè tene,* inquit, *& nullatenus dubites, omnem extra Eccleſiam Catholicam baptizatum, participem fieri non poſſe vitæ æternæ, ſi ante finem vitæ huius Catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Eccleſiæ. Nam & in diebus diluuij neminem legimus extra arcam potuiſſe ſaluari.* Et cap. 38. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes Paganos, ſed etiam omnes Iudæos, hæreticos, atque ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Et cap. 39. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hęreticum ſiue ſchiſmaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſię Catholicę non fuerit aggregatus, quantaſcumque eleemoſynas fecerit, etiamſi pro Chriſti nomine ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omni enim homini, qui Eccleſię Catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptiſmus, neque eleemoſyna, quamlibet copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.* Cùm ergo extra Chriſti Eccleſiam vera ſanctitas numquam eſſe potuit; quid de tot ſanctis Martyribus, & viris magna ſanctitate præditis actum eſt? Demum, quid de Caluino ac Caluiniſtis nobis ſentiendum eſt, qui primam quingentorum annorum fidem atque Eccleſiam veram atque integrã fuiſſe docent, donec ad Gregorium ventum eſt? ac præterea omnes illius ætatis Patres honorant, Pontifices extollunt & colunt, Concilia velut legitima illis temporibus celebrata ſuſcipiunt: planè, vel ſui immemores ac oblitos opus eſt, cùm ſe inconſtantiſſimos prodant: vel primam veritatem extremo mendacio retractare volunt: vel ægrotorum more, quibus ſemel placita mox diſplicent, infirmum fidei palatum ſecum gerunt: vel quod magis credendum eſt, vertiginis ſpiritu laborant, vt non quà volunt, ſed quà ab inconſtantia pelluntur, progredi illos oporteat.

COROLLARIVM QVARTVM.

Eccleſia Romana eſt Iudex controuerſiarum in rebus fidei, & ipſius determinationes ſunt de fide.

BIPARTITVM eſt hoc Corollarium: habet enim, & quòd Eccleſia Romana eſt Iudex controuerſiarum in rebus fidei, & quòd ipſius determinationes ſunt de fide. & vtraque pars probatur. Prima ſic:

Omnes controuerſiæ quæ circa fidei doctrinam oriri poſſunt, vel ad Scripturas, vel ad Traditiones pertinent. Hi enim velut gemini poli ſunt, quibus tota Chriſtiana fides innititur, verbum ſcriptum, & non ſcriptum. In verbo ſcripto id quidem contingere poteſt duobus modis; primò, ſi de ipſa Scriptura vel parte dubitatur, ſitne ſacra, aut non ſacra: deinde, ſi de illius ſenſu ac interpretatione lis agitetur. Quoad Traditiones ac non ſcriptum verbum ſpectat, illud ab aduerſariis agitari ſolet, an illud hominum potiùs quàm Dei verbum haberi debeat. De vtroque verò iudicare, ad Eccleſiam pertinet.

De Scriptura ſacra in primis, aut illius parte, cùm dubitatio ſe offert, num ea Canonica habenda ſit, an non; perſpicuum eſt, hanc controuerſiam non à Scriptura, de cuius auctoritate agitur; ſed aliunde, nempe à ſolo Eccleſiæ conſenſu poſſe definiri. Falſum enim eſt quod aduerſarij pro effugio arripiunt, cùm dicunt, Scripturam à Scriptura probari num vera aut falſa ſit. Hoc enim probationis genus neque vniuerſale eſt, neque tutum. Nam quamuis aliqua Scripturæ pars fortè ab alia probari poſſit, ea nimirum quæ priùs ſcripta eſt, ab ea quæ poſteriùs ſcripta, & ab Eccleſia recepta fuit (veluti, qui Prophetas negaret, poſſet ab Euangelio conuinci) vel cùm aliqua Scriptura mentionem facit alterius Scripturæ, de qua dubitatur: attamen cùm multò plures Scripturæ ſint, de quibus nulla omnino in ceteris Scripturis mentio fit; hæ nullo modo ab aliis Scripturis demonſtrari poſſunt. quocircà eas neceſſe eſt ab Eccleſiæ conſenſu Canicas iudicari. Prætereà, neque tuta fuga illorum eſt, qui Scripturam per analogiam ac comparationem ad aliam Scripturam agnoſcendam eſſe tradunt. Fidem enim in maximum diſcrimen adducunt, qui fidei doctrinam vnius aut alterius iudicio examinandam relinquunt. Quid? num vnius tantum ſententiæ deferendum erit, vt de Scripturis ex analogia ad alias Scripturas ſolus iudicare queat? num ſingulari illius iudicio ſtandum erit, qui propria fretus ſententia, Scripturam aliquam, vel ſacram approbauerit, vel profanam reiecerit? vndénam priuato homini hæc in publica fidei doctrina decernenda auctoritas eſſe poteſt? Certè, cùm publica fides ſit, ea non niſi publica auctoritate definiri debet. Quamobrem ſi fieri poſſe annuimus, vt aliqua Scripturæ pars per analogiam ad aliam Scripturam ſacra agnoſci ac decerni poſſit; id non alia conditione admittimus, quàm vt id communi Eccleſiæ conſenſu fiat, ad quem pertinet de vera fidei doctrina cognoſcere ac iudicare. Id verò adhuc magis manifeſtum fit, cùm de Scripturarum ſenſu agitur. Cùm enim Scriptura ſui ſenſus interpres aut iudex eſſe non poſſit; plurima verò Scripturarum loca adeò difficilia ſe offerant, vt ab aliis Scripturis nullo modo patiantur interpretari, ac tunc præſertim, quando cum hæreticis agitur, qui illa Scripturarum loca, velut amica ad ſuum ſenſum detorquent; ſi de aliquo Scripturarum ſenſu controuerſia agitetur, quo pacto ea reſcindi poteſt, niſi ad Eccleſiæ conſenſum confugiatur, à quo quid Catholicè de ea fidei doctrina ſentiendum ſit, tutum habeatur? Nam

præter

Digitized by Google

præter Catholicos, etiam hæretici circa vnum Scripturæ locum diuerſimodè ſentiunt: ergo vt quæſtio decidatur, & quid ſolidè & verè teneri debeat, habeatur, ad iudicem legitimum recurrendum eſt; & talis eſt Eccleſia. Sic in Concilio I. Toletano, can.21. in Aſſertione Catholicæ fidei: *Si quis dixerit vel crediderit alias Scripturas, præter quas Eccleſia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel eſſe venerandas, anathema ſit.* Et Auguſtinus Serm.129. de Tempore: *Si quis aliquas Scripturas, præter eas quas Catholica Eccleſia recepit, vel in auctoritate habendas eſſe crediderit, vel fuerit veneratus, anathema ſit.* Idem etiam determinatur in Concilio Tridentino ſeſſ.4. cap. Sacroſancta. vbi ſic habetur: *Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris Canonicis non ſusceperit, & traditiones ipſas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.* Et fusè id probat S. Auguſtinus lib.28. contra Fauſtum, cap.2. his verbis: *Cùm cœpero Matthæi Euangelium recitare Apoſtoli Jeſu, vbi narratio natiuitatis eius tota contexitur, continuò dices, illam narrationem non eſſe Matthæi, quam Matthæi eſſe dicit vniuerſa Eccleſia, ab Apoſtolicis ſedibus vſque ad præſentes Epiſcopos certa ſucceſſione perducta. Tu mihi quid contrà lecturus es? Aliquem fortè librum Manichæi, vbi Ieſus negatur eſſe natus de Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore quo Manichæus viuebat in carne, per diſcipulos eius certa ſucceſſione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra vſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt: ſic & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum Eccleſia, certa connexionis ſucceſſione, vſque ad tempora iſta perduxit. Et dic mihi, cui libro potiùs credere debeamus, eiuſne Apoſtoli, qui Chriſto cùm adhuc in terra eſſet, adhæſerat; an neſcio cui Perſæ, qui tanto pòſt natus eſt? Sed alium fortè proferes librum, qui nomen habeat alicuius Apoſtoli, quem à Chriſto conſtat electum, & ibi Chriſtum natum ex Maria non eſſe, lecturus es. Cùm ergo neceſſe ſit, alterum iſtorum librorum horum eſſe mendacem, cui nos potiùs cenſes fidem accommodare debere? Eíne, quem illa Eccleſia ab ipſo Chriſto inchoata, & per Apoſtolos prouecta, certa ſucceſſionum ſerie, vſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conſeruatum agnoſcit atque approbat: an ei, quem eadem Eccleſia incognitum reprobat, cùm etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, vt Chriſtum laudent eſſe mentitum?* Et idem in Serm.191. de Tempore: *Nouum,* inquit, *& vetus Teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit auctoritas.* Hæc ille. Sic ergo patet, quòd ad Eccleſiam Romanam ſpectat iudicare & decernere de libris Scripturæ ſacræ, quinam ſint Canonici & recipiendi, qui verò non.

Denique ſi de Traditionum auctoritate quæſtio mouetur, tametſi illæ à Scripturis, quæ non ſcriptum Dei verbum æquè ac ſcriptum nobis commendant, in genere auctoritatem nanciſcantur: cùm tamen de iis ſeorſim lis controuertitur, ea lis nullo modo à Scripturis terminari poteſt, vt perſpicuum eſt: nam ſi de Dominico die obſeruãdo, de pueris rationis vſu carentibus baptizandis, de perpetua Virginis Mariæ virginitate, atque huiuſmodi Traditionibus quæſtio moueatur, vndénam illa ex Scripturis ſolui poteſt, quæ huiuſmodi Traditiones non attingunt? Quare opus eſt, illius determinationem ab Eccleſiæ conſenſu petere, quæ omnium diuinarum Traditionum cuſtos ac Iudex eſt agnoſcenda. Sic Patres aſſerunt. Origenes in cap.3. Epiſt. ad Titum: *Hæreticus nobis habendus eſt omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quàm habeat definitio Traditionis Eccleſiaſticæ.* Et in libro 1. Periarchon, in Prooemio: *Illa ſola credenda eſt veritas,* inquit, *quæ in nullo ab*

Eccleſiaſtica diſcordat Traditione. Et D.Hieronymus ep.28.ad Lucinium: *Ego illud*,inquit, *te breuiter admonendum puto, Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à Maioribus traditæ ſunt.* Et Auguſtinus epiſtola 118.cap.5. ita docet: *Si quid diuinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus: ſimiliter etiam, ſi quid per orbem frequentet Eccleſia. nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Ac rurſus idem ad Caſulanum ep.86.ait: *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.* Et ſicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt, vt etiam habetur cap. In his.diſt.11. Demum Tertullianus, doctiſſimus & antiquiſſimus Eccleſiæ Scriptor, toto libro de Præſcript. hæretic. aduerſus eos diſputat, qui nihil quod Literis ſacris non ſit expreſſum, admittunt: grauiterque contendit, Traditiones & obſeruationes quaſdam Eccleſiaſticas eſſe non ſcriptas, quæ non poſſunt niſi ab hæreticis repudiari. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe,* (vt Pauli verbis vtar in Ep. 1. Cor.c.11.) *nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Denique omnibus his addo id quod habet Gelaſius (& refertur 9.quæſt.3.apud Gratianum) in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Cuncta*, inquit, *per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli ius habet reſoluendi, vt pote, quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi: neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Et paulò pòſt: *Sed neque illa præterimus, quòd Apoſtolica Sedes frequenter, vt dictum eſt, more maiorum, etiam ſine vlla Synodo præcedente, & ſoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi, nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit poteſtatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnauerat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica, etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemque ſanctum Flauianum, Pontificum Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit: potiuſque qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem, ſua auctoritate damnauit, & impiam Synodum, non conſentiendo, ſola ſubmouit, & auctoritate, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit. In qua ergo, vt ſola ius habuit abſoluendi eos, quos Synodica decreta perculerant; ſic etiam ſine Synodo in hac eadem cauſa plurimos etiam Metropolitanos damnaſſe cognoſcitur.* Et hæc de Prima Aſſertionis parte.

De Secunda verò Aſſertionis parte, nempe quòd determinationes ab Eccleſia factæ in materia fidei & morum, ſint de fide; vide quæ dicta ſunt in præcedente Præludio VIII. vbi multis id probauimus, & ad Caluini obiecta reſpondimus; pro nunc ſupponatur. Scio hæreticos ſentire, non eſſe in Eccleſia auctoritatem condendi leges, quæ obligent fideles in conſcientia. Ita ſenſerunt olim Waldenſes, teſte D.Antonino, 4.p.tit.11.c.7.§.2. Summæ. Idem poſteà docuit Marſilius de Padua, in lib. quem inſcripſit Defenſorem pacis; contra quem ſcribit Albertus Pighius lib.5. Hierarch.Eccleſ. Idem docuit poſteà Ioannes Wiclef, vt patet ex art.38. damnato ſeſſ.8. Concil. Conſtantienſis. Denique noſtris temporibus idem docent Lutherani & Caluiniſtæ omnes, contra quos fusè diſputat Cardinalis Bellarminus lib.4.de Rom.Pont. cap.16. Nouiſſimè autem omnium quidam M.Antonius de Dominis, olim Epiſcopus Spalatenſis, nunc autem apoſtata, ſic loquitur in 7.capite ſui Conſilij: *Vidi iam apertiſſimè,*

Digitized by Google

mè, penituſque perſpexi, Romæ abſque vllo legitimo fundamento, imò per ſummam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi, in his non modò quæ ad fidem diuinam nihil pertinent, ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem. Contra quem

Dico primò, id nihil aliud eſſe niſi manifeſtam calumniam: nam certa eſt illa Lerinenſis vox (in lib. Aduerſ. hæret. c. 32.) quæ ad præſentem quoque Eccleſiæ ſtatum pertinet: *Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe cuſtos, nihil in ijs vmquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua.* Deinde practicè talis dicti falſitatem ſic oſtendo:

PRIMVS Articulus Romanæ Eccleſiæ eſt, In diuinis eſſe vnitatem eſſentiæ, Trinitatem perſonarum, atque inter eas conſubſtantialitatem: in ea verò perſonarum diſtinctione nihil eſſe prius aut poſterius, nihil maius aut minus, cauſam aut effectum, dominium aut miniſterium; ſed omnimodam æqualitatem exiſtere. Quam doctrinam olim oppugnarunt Montani, Praxeni, Noëtiani, Sabelliani, Ariani, Donatiſtæ, Priſcillaniſtæ, Eunomiani, Seueritæ. Hac verò noſtra tempeſtate Lutherus in Enarratione Euangelij de S. Trinitate, vbi Trinitatis vocem reiicit. Michaël Seruetus, qui tres perſonas in vna Deitate diſtinctas negat lib. 1. contra Trinitatem. Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 13. §. 5. vbi ſepulta eſſe cupit nomina, Trinitatis, perſonæ, conſubſtantialitatis. Ochinus orbis monſtrum, dial. 2. vbi vehementer exardeſcit in hæc ſancta nomina, Dei eſſentiam, ſubſtantiam, Deum in Trinitate perſonarum, Trinitatem, coæqualitatem, conſubſtantialitatem. Beza in magna Confeſſione fidei Gallicæ, art. 2. puncto 1. vbi in eſſentia diſtinctionem ponit: ac demum Trinitarij, ac Tritheiſtæ in Polonia, Tranſiluania, ac Lituania. Sed hunc Articulum Romanæ Eccleſię poſt primam Synodum in Symbolo definiuit Synodus Quinta Conſtantinopolitana, confeſſione ſeu collat. 8. cap. 8. his verbis: *Si quis non confitetur, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam naturam, ſiue ſubſtantiam, & vnam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſiue perſonis adorandam, anathema ſit.* Item Concilium Toletanum IV. cap. 1. Toletanum VI. cap. 1. Toletanum XI. in Confeſſione fidei, Concilium Arelatenſe IV. in Confeſſione fidei, Concilium Wormatienſe, Concilium Lateranenſe cap. 1.

SECVNDVS Articulus Romanę Eccleſiæ eſt, Filium eſſe verum Deum de vero Deo, Patri conſubſtantialem, eſſentiam à Patre per generationem accepiſſe, ac Patri per omnia in Deitate æqualem eſſe. Cui doctrinæ olim refragati ſunt Acaciani, & Ariani, qui Filij conſubſtantialitatem expulerunt, Photiniani, Aëtiani, Eunomiani, Albigenſes: noſtra verò ætate Lutherus in Confutatione Latomianæ rationis, vocem ὁμόουσιον (id eſt conſubſtantialem) à Filio repellit. Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 13. §. 19. & 23. Filium à ſe, non à Patre eſſe, neque eſſentiam à Patre accepiſſe, ſed à ſe habere contendit. Epiſt. 2. ad Polonos, Filium minorem Patre ſecundùm naturam diuinam aſtruit. Locutionem Symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine*, velut impropriam reiicit. Illyricus in Gloſſa compendiaria noui Teſtamenti, vocem hanc *Verbum diuinum* ad metaphoram trahit. Georgius Blandrata in Diſput. Albana, Act. 5. dici Filium Dei ab altiſſimi Dei natura expellit. Ochinus dial. 2. de Trinit. Dei Filium creaturam eſſe dicit. Verùm Catholicam doctrinam ſtatuunt Synodus Nicæna in Symbolo, *Credo in vnum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum: & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt.* Concilium

Digitized by Google

cilium Sardicenſe apud Theodor.lib.2. cap.8. Hiſtor. Eccleſ. Concilium Bracarenſe I. cap.3. & Concilium Toletanum IV. cap.1.

TERTIVS Articulus Romanæ Eccleſiæ eſt, Spiritum ſanctum non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio procedere, tamquam ab vno principio: quam doctrinam Græci diu oppugnarunt; tandem in Concilio Florentino Latinorum argumẽtis victi, in eam conſenſerunt; ac in Græciam reuerſi, ad priſtinum errorem redierunt. Quorum impietatem ſecuti ſunt hac noſtra tempeſtate Ioannes Cazonouus epiſtola ad Caluinum, Valentinus Gentilis Protheſi 36.& 37. Ioannes Somerus contra Petrum Carolium lib.2.c.1. Chriſtianus Francus lib. contra Trinitatem Cracouiæ impreſſo. Hanc tamen doctrinam velut Catholicam definiunt, primùm Synodus Alexandrina epiſt. ad Neſtorium his verbis: *Et ſi Spiritus in propria perſona ſubſiſtat, eatenuſque in ſeipſo conſideretur, quatenus Spiritus eſt, & non Filius: non eſt tamen ab eo alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur: Chriſtus autem veritas eſt: ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Quæ epiſtola approbatur à Concilio Epheſino, à IV. Synodo, Act.7. Deinde Concilium Toletanum I. in Confeſſione fidei, in qua legitur: *Credimus in Spiritum quoque paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens.* Toletanum III.cap.1. Toletanum IV.c.1. Sextum, c.1. Octauum, c.1. Vndecimum in Confeſſione fidei. Concilium Wormatienſe in Profeſſione fidei, Concilium Lateranenſe cap.1. eamdem doctrinam tenendam ſtatuunt.

QVARTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Chriſtum Dominum vna tantùm conſtare perſona in duabus naturis ſubſiſtente, ac propterea in eo vnicam dumtaxat eſſe hypoſtaticam vnionem. Contrà olim pugnarunt Eutychiani, Acephali, Monophyſitæ, & Monothelitæ, qui vnam tantùm in Chriſto naturam ex humana & diuina compactam finxerunt. At his temporibus in eam inſurgunt Vbiquetarij, Lutherus, Brentius, Swenckfeldius, Iacobus Andreæ, qui humanam naturam vbique præſentem in Chriſto cum Patre & Filio æquali potentia regnare contendunt. At præter hos Caluinus lib.1. Inſtit.cap.13.§.9. 23.& 24. Beza Opuſculo, quo ad Brentij argumenta reſpondet, pag.513. duas perſonas ac hypoſtaticas vniones in Chriſto confingunt. Sed pro Catholica doctrina habentur decreta, primùm Concilij Chalcedonenſis Generalis, Act.5. quibus ita definitur: *Vnum eumdem Chriſtum, Filium, Dominum, vnigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata eſſentia naturarum propter vnionem, magiſque ſalua proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam perſonam atque exiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum atque diuiſum.* Concilij V. Conſtantinopolitani ſeſſ.5. cap.2. & 3. Sextæ Synodi Generalis, Act.17. Concilij Toletani I. in Aſſertione fidei, Concilij Hiſpalenſis II. cap.13. Concilij Toletani IV. cap.1. & Toletani VI. cap.1. Concilij Arelatenſis IV. in Confeſſione fidei, Concilij Wormatienſis in Confeſſione fidei, Concilij Lateranenſis cap.1.

QVINTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Chriſti animam poſt mortem ad inferos deſcendiſſe, atque inde piorum animas liberaſſe. Refragantur Lutherus in Pſal.16. qui Chriſti animam apud inferos damnatorum pœnas exſoluiſſe affirmat. Bucerus, Zwinglius, Caluinus, Brentius, Beza, deſcenſum Chriſti ad inferos ac Patrum Limbum, fabulam exiſtimant, vel metaphoricum cenſent. Aduerſus illos pro Catholica doctrina decernit Concilium Toletanum IV.cap.1. his verbis: *Deſcendit ad inferos, vt Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret; & deuicto mortis imperio reſurrexit. Hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ fides: hanc con-*

feſſionem

Digitized by Google

ſeſſionem ſeruamus atque tenemus. Idemque ſtatuit Concilium Lateranenſe c.1.

SEXTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Sanctos cum Chriſto regnantes rogari ac inuocari debere, vt pro nobis orent: cui doctrinæ olim aduerſati ſunt Vigilantij, Cathari, Waldenſes, Wicleſiſtæ. Eamdem nunc improbant Lutherus de Adoratione Sacramenti ad Waldenſes, Melanchthon in Antitheſi veræ doctrinæ & Pontificiæ, Confeſſio Heluetica, cap.23. Brentius in Apologia Confeſſionis Wittembergenſis, Beza, Caluinus, ac ceteri Caluiniſtæ. Porrò eam velut Catholicam doctrinam confirmant, Concilium Chalcedonenſe Act.11. *Flauiano æterna memoria; ecce vltio, ecce veritas. Flauianus poſt mortem viuit, Martyr pro nobis oret.* Sexta Synodus Conſtantinopolitana Generalis c.7. his verbis: *Vnuſquiſque Chriſtianus ſolo Deo adorato, inuocet Sanctos, vt pro ſe intercedere apud Maieſtatem diuinam dignentur.*

SEPTIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Sanctos in cælo regnantes eſſe honorandos, ac feſtos dies atque Baſilicas illis conſecrandas eſſe. Quod accuſant Lutherus ad Euangelium Dominicæ 23. Trin. Caluinus lib.1. Inſtit. c 11. §.11. & cap.12. §.1. & 2. & cum ijs Lutherani omnes & Caluiniſtæ. Hanc verò tamquam vniuerſalem doctrinam ſanciunt Concilium Gangrenſe, tertio Sæculo celebratum, can.20. his verbis: *Si quis arrogantia vtens, & Martyrum congregationes abhorrens, & ſacra quæ in ijs celebrantur, & eorum memoriam accuſet, anathema ſit.* Concilium Carthaginenſe III. cap.47. *Liceat,* inquit, *etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur.* Concilium Carthaginenſe V. cap.14. Concilium Laodicenſe, can.51. Synodus Nicæna II. Act.3. Concilium Triburienſe, cap.35. Concilium Salegunſtadienſe, cap.1.

OCTAVVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Chriſti & Sanctorum imagines piè à fidelibus colendas, ac in templis collocandas eſſe. Quam doctrinam velut orthodoxam ac Catholicam aduerſus Iconomachos, Lutheranos, & Caluiniſtas ſtatuit Synodus Nicæna II. Act.7. his verbis: *His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus ſanctus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus, cum omni diligentia & cura venerandas & ſanctas imagines, ad modum & formam venerandæ & viuificantis Crucis, è coloribus, & teſſellis, aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas,* &c. Idem etiam ſtatuit Synodus Trullenſis, can.82.

NONVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Romanum Pontificem, legitimum eſſe B. Petri ſucceſſorem, ac totius Eccleſiæ poſt Chriſtum Caput, ac Chriſti Vicarium. Quam doctrinam vt Catholicam muniunt aduerſus Waldenſes, Wicleſiſtas, Huſſitas, Lutheranos & Caluiniſtas, Concilium Nicænum I. can. Arabico 39. *Sicut ille,* inquit, *qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps eſt omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam.* Concilium Laodicenſe, c.4. Concilium Conſtantinopolitanum I. Concilium Epheſinum, epiſt. ad Cæleſtinum Papam, Concilium Chalcedonenſe, Act.1.3. & 16: Synodus Mopſueſtana, epiſt. ad Vigilium Papam, Concilium II. Nicænum, Act.6. & 7. Synodus VIII. Generalis, can.21. Concilium Carthaginenſe, epiſt. ad Innocentium Papam, Synodus Romana III. & IV. ſub Symmacho, cap.3. Concilium IV. Aurelianenſe, cap.1. Turonenſe II. cap.21. Bracarenſe I. cap.22. & 23.

DECIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Hominem etiam poſt lapſum libero

Digitized by Google

libero arbitrio ad malum euitandum & bonum eligendum prædítum eſſe. Quod aduerſus Manichæos, Priſcillianiſtas, Armenios, Albigenſes, Wicleſiſtas, Lutheranos & Caluiniſtas decernunt Concilium Toletanum IV. c.56. de Iudæis, vbi ita legitur: *Sicut enim homo propria arbitrij voluntate ſerpenti obediens perijt, ſic vocante ſe gratia Dei, propria mentis conuerſione homo quiſque credendo ſaluatur.* Concilium Valentinum cap.6. Concilium Senonenſe, cap.15. de Libero arbitrio, Concilium Tridentinum ſeſſ.6.

VNDECIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Peccati cauſam in Deum auctorem reiiciendam non eſſe, ſed vnumquemque ſuæ culpæ auctorem eſſe. Quæ doctrina ſtatuitur aduerſus Manichæos, Wicleſiſtas, Lutheranos, Zwinglianos, Caluiniſtas, Bezanos, in Concilio Arauſicano II. cap.25. his verbis: *Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Et in Concilio Valentino, cap.2.

DVODECIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Homines fide renatos per Dei gratiam & auxilium, Chriſti mandatis parêre poſſe. Quam doctrinam Caluiniſtæ præſertim ac Lutherani impugnant. At Catholicam decernit Concilium Arauſicanum II. cap.25. *Hoc etiam,* inquit, *ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

DECIMVSTERTIVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Fide iuſtificatis, & adultis, non ſolam deinceps fidem ad ſalutem ſatis eſſe, ſed operum iuſtitiam eſſe neceſſariam. Contrà docent poſt Pſeudoapoſtolos Valentinianos, Eunomianos, Prædeſtinatos, Begardos, etiam Lutherani & Caluiniſtæ. At cùm illorum doctrinam nulla prorſus Concilia probent, noſtra ab omnibus ferè Conciliis velut Catholica commendatur, ac ſtatuitur. In Concilio Arauſicano II. ſub Leone I. can.18. *Debetur,* inquit, *merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Concilium Moguntinum I. can.1. *Fides,* inquit, *bonorum omnium eſt fundamentum, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fides tamen indiget opere, quia fides ſine operibus mortua eſt.* In Concilio Rhemenſi, can.1. Idem ſtatuitur in Concilio Pariſienſi III. cap.1. In Toletano VIII. in Concilio Moguntino II. cap.1. in Concilio Lateranenſi, c.1. in Concilio Senonenſi, Decreto 16. & demum in Concilio Tridentino, ſeſſ.16. cap.16.

DECIMVSQVARTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Monaſtica vota, honeſta ac religioſa eſſe; ac proinde, Monachorum vitam piam eſſe ac laudabilem. Quam doctrinam damnant Lutherani & Caluiniſtæ, qui Monaſtica vota retia, ac Monaſteria lupanaria vocant. Sed Romanam doctrinam velut vniuerſalem & Apoſtolicam commendant Concilium Nicænum I. can.76. Arabico: *Vt Religioſi,* inquit, *tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habent laici.* Synodus Chalcedonenſis can.4. *Qui verè,* ait, *& ſincerè Monaſticam vitam aggrediuntur, digni conuenienti honore habeantur.* Synodus Nicæna II. can.20. Conſtantinopolitana ſub Photio, can.1. Concilium Aurelianenſe I. cap.23. Agathenſe, cap.19.27.& 28. Aurelianenſe V. can.19. Turonenſe II. cap.17. Matiſconenſe I. cap.19. Concilium Vernenſe, cap.5.& 6. Toletanum IV. cap.48.& 49. Meldenſe, cap.9. Triburienſe, cap.26. Lateranenſe, cap.12.

DECIMVSQVINTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt aduerſus Manichæos, Pelagianos, & Caluiniſtas, Neminem ante Baptiſmum ſanctificari; ac pro-

Digitized by Google

propterea Baptiſmum ad iuſtificationem neceſſarium eſſe. Eamdem doctrinam ſtatuit Concilium Nicænum lib. 3. de Sancto Baptiſmate. Conſtantinopolitanum I. in Symbolo, *Credimus vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Concilium Arauſicanum II. cap. 25. Toletanum IV. cap. 5. Viennenſe in Clementinis, de Summa Trinitate cap. 1. Florentinum in Decreto Eugenij IV. Senenſe Decr. 10. de Baptiſmo, Tridentinum ſeſſ. 5. in Decreto de Orig. peccato, can. 5.

DECIMVSSEXTVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Confirmationem eſſe nouæ Legis Sacramentum, contra Donatiſtas, Arianos, Armenos, Flagellantes, Wicleſiſtas, Lutheranos, & Caluiniſtas. Sed hanc doctrinam Catholicam confirmant Synodus Nicæna I. can. 55. Arabico. Laodicenum can. 48. his verbis: *Oportet eos qui illuminantur, poſt Baptiſma inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe Regni cæleſtis participes.* Synodus Trullenſis can. 96. Concilium Elibertinum can. 38. Arelatenſe I. cap. 8. Arelatenſe II. cap. 17. Arauſicanum cap. 1. & 2. Toletanum IV. cap. 15. Cabilonenſe II. cap. 27. Pariſienſe lib. 1. cap. 33. Meldenſe cap. 6. Ferrarienſe in doctrina de Sacramentis, Senonenſe de Sacramento Confirmationis, Tridentinum ſeſſ. 7. de Confirm. can. 1.

DECIMVSSEPTIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, In Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini contineri, aduerſus Armenos, Berengarianos, Petrobruſſianos, Wicleſiſtas, Zwinglianos, Oecolampadianos, Caluinianos. At velut Catholicam doctrinam approbant Concilium Nicænum I. cap. de Diuina menſa. *Fide,* inquit, *intelligamus ſitum in ſacra illa menſa, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ redemptionis ſymbola.* Concilium VI. Conſtantinopolitanum Act. 8. Trullenſe can. 26. & 102. Arelatenſe II. can. 15. Turonenſe II. c. 3. Hiſpalenſe II. c. 7. Toletanum XII. cap. 5. Nicænum II. Act. 2. Lateranenſe c. 1. Conſtantienſe ſeſſ. 13. Florentinum ſeſſ. 25. Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 1.

DECIMVSOCTAVVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Sacrificium Miſſæ ritè ex inſtitutione diuina in Eccleſia à Sacerdotibus offerri: contra Waldenſes, Wicleſiſtas, Lutheranos, & Caluiniſtas. Eadem verò doctrina ſancitur decretis Conciliorum: ac primò Concilij Nicæni inter Diotipoſes, quæ in fragmentis eius Synodi Græcè inueniuntur. & lib. 3. cap. de Diuina menſa. Concilium Laodicenſe can. 58. Synodus Conſtantinopolitana Act. 1. Concilium Carthaginenſe II. cap. 3. & 8. Carthaginenſe IV. c. 41. & 84. Mileuitanum c. 12. Arelatenſe cap. 3. Carpentoractenſe epiſt. ad Agretium, Agathenſe c. 1. & 47. Gerundenſe c. 1. Aurelianenſe III. cap. 14. Turonenſe II. cap. 4. Bracarenſe III. cap. 1. Arelatenſe IV. cap. 2. Oxonienſe §. 14. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1.

DECIMVSNONVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt, Pœnitentiam eſſe nouæ Legis Sacramentum, ac proinde peccatorum confeſſionem eſſe coram Sacerdote faciendam: quem aduerſus Montaniſtas, Nouatianos, Armenos, Albigenſes, Flagellantes, olim; modò verò aduerſus Lutheranos & Caluiniſtas profitetur. Catholicam verò hanc omnium ſæculorum doctrinam fuiſſe, teſtantur pleraque Conciliorum decreta. Concilium Cabilonenſe I. can. 8. decernit his verbis: *De Pœnitentia peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem omnibus hominibus eſſe cenſemus, à Sacerdotibus facta confeſſione indicatur pœnitentia.* Concilium Francicum paulò poſt initium: *Vnuſquiſque præfectus vnum Presbyterum ſecum habeat, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicere pœnitentiam poſſit.*

poſſit. Concilium Turonenſe III. cap.22. Rhemenſe cap. 12. Cabilonenſe II. cap.32. Moguntinum cap.26. Wormatienſe cap.25. Lateranenſe cap.21. Tridentinum ſeſſ.24.can.6. & 7.

VIGESIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt aduerſus Nouatianos, Lutheranos, & Caluiniſtas, Culpa dimiſſa, temporalem pœnam vel in hoc ſæculo, vel in futuro reſtare exſoluendam: quem tum antiqua tum recentiora Concilia velut Catholicum definiunt. Synodus Nicæna I. can.2. Concilium Ancyranum can.4. Neocæſarienſe can.2. Arauſicanum I. cap.3. Moguntinum c.16. Rhemenſe cap.12.

VIGESIMVS PRIMVS Articulus Eccleſiæ Romanæ eſt aduerſus Waldenſes, Albigenſes, Wicleſiſtas, Lutheranos, & Caluiniſtas, Animas, quæ hinc nondum perfectè expurgatæ deceſſerunt, pœnis Purgatorij detineri; ac pro ijs rectè orationes ac Sacrificia offerri. Quæ doctrina Conciliorum decretis roboratur. Concilium Nicænum I. can.65. Arabico. Carthaginenſe III. cap.29. Carthaginenſe IV. cap.79. Valentinum c.4. Aurelianenſe II. cap.15. Toletanum XI. c. 12. Cabilonenſe cap.16. Triburienſe cap.15. Moguntinum cap.46. Tridentinum ſeſſ.6.can.30.

VIGESIMVS SECVNDVS Articulus Romanæ Eccleſiæ eſt, Extremam Vnctionem eſſe nouæ Legis Sacramentum: aduerſus Armenos, Waldenſes, Wicleſiſtas, Lutheranos, & Caluiniſtas. Id porrò tamquam vniuerſale dogma confirmant Concilium Nicænum I. can.69. Cabilonenſe II. cap.48. Moguntinum cap.26. Florentinum in Literis vnionis, Tridentinum ſeſſ.14.can.2.

VIGESIMVS TERTIVS Articulus Romanæ Eccleſiæ eſt, Ordinem eſſe nouæ Legis Sacramentum contra Lutheranos & Caluiniſtas: cui ſuffragatur Concilium Ancyranum cap.13. Chalcedonenſe can.2. Bracarenſe II. cap.3. Hiſpalenſe II. cap.5. Florentinum in doctrina de Sacramentis, & ſimiliter Tridentinum.

VIGESIMVS QVARTVS Articulus Romanæ Eccleſiæ eſt aduerſus Valentinianos, Tatianos, Marcioniſtas, Montaniſtas, Lutheranos & Caluiniſtas, Matrimonium eſſe vltimum Sacramentum Legis nouæ, ac gratiam contrahentibus conferre. Quod Conciliorum conſenſus Catholicum eſſe probat. Concilium Gangrenſe can.1.9.10.14. Bracarenſe I. can.11. Anglicanum apud Bedam Hiſtor. Anglic. lib.4.cap.5. Toletanum XII. cap.8. Florentinum in Literis vnionis de Sacramentis, & Tridentinum.

Ex quibus omnibus iam practicè demonſtratum eſt, Articulos S. Romanæ Eccleſiæ eſſe Conciliis antiquis & modernis conformiſſimos, & nullam falſitatem continere, imò puriſſimam veritatem; & propterea Apoſtata ille de Dominis impiiſſimè loquitur de Eccleſia Romana, quæ prędicta, ſicut & alia multa de fide poteſt definire, ſicuti ſuprà demonſtratum eſt.

PRÆ-

Digitized by

PRÆLVDIVM DECIMVM.

De Summo Pontifice Romano.

QVIA Concilia à Summo Pontifice confirmata infallibilem veritatem habent, & eius determinationes, tamquam de fide ſuſcipiendæ ſunt; ideò hîc vltimo loco de ipſo Summo Pontifice Romano, & de eius poteſtate & excellentia diſſerendum putaui. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Papa eſt ſucceſſor Petri, Chriſti Vicarius, & Caput Eccleſia.

HAEC Aſſertio definitur in Concilio Florentino, non longè à principio, vbi ſic habetur: *Definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſia caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum geſtis Occumenicorum Conciliorum in ſacris Canonibus continetur. Datum Florentiæ, in ſeſſ. publica Synodali, anno* M.CD.XXXIX. Conciliũ Florent.

Animaduertendum tamen hîc eſt, quòd, cùm de Romani Pontificis ſucceſſione agimus, non id quæri, An Pontifex Romanus in Romano Pontificatu & Epiſcopatu, Petro ſuccedat: id enim ab hæreticis conceditur, qui perpetuæ Romanorum Epiſcoporum ſucceſſioni in Romana Sede non refragantur: ſed id ſolùm quæritur, An Romanus Pontifex in totius Eccleſiæ Catholicæ & in totius orbis Epiſcopatu, ac vniuerſali Eccleſiæ regimine, Petro ſuccedat. Quod à Caluino lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 11. impugnatur his verbis: *Iam, vt alterum illis largiar, quòd numquam apud ſanctos homines obtinebunt, ſic conſtitutum in Petro Eccleſia primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret: vnde tamen euincent, Sedem Romæ ita collocatam, vt quicumque ſit illius Vrbis Epiſcopus, orbi vniuerſo præſideat? Quo iure hanc loco dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione eſt?* Quapropter primò demonſtrandum eſt, quo iure Pontificia dignitas Romano Epiſcopatui ſit alligata: deinde euincendum eſt (vt petunt) Sedem ita Romæ collocatam eſſe, vt quamdiu Pontifex Petri ſucceſſor eſt Romanæ vrbis Epiſcopus, tamdiu Romanus Epiſcopus vniuerſò orbi præſideat.

Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. Caiet. in Opuſc. de Poteſtate Papæ, & alij Controuerſiſtę, cùm de vniuerſali Eccleſię Principatu agunt, diſtinguunt, aliud eſſe ſucceſſionem, aliud rationem ſucceſſionis: nam quòd Romanus Pontifex, vt eſt Petri ſucceſſor, illi in Eccleſiæ Principatu ſuccedat, diuina Chriſti inſtitutio fuit, qui perpetuam in Petro Pontificum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorum ſucceſſionem ordinauit. Atque hac ratione, Romanum Pontificem, quandoquidem verus Petri ſucceſſor eſt, ipſo diuino Iure totius Eccleſiæ Principem ac Paſtorem agnoſcimus. Quòd verò ea Pontificia dignitas Romano Epiſcopo ita alligata ſit, vt quicumque Romanæ Vrbis Epiſcopus

 fuerit,

Digitized by Google

fuerit, & ipſi Petro in Pontificatu ſuccedat, ac totius orbis Pontifex pronuntietur, placet quidem nonnullis, id ex diuina inſtitutione pendere, ea præſertim ratione, quòd Petrus Dei iuſſu ſedem Romæ fixerit, vt teſtatur Papa Marcellus epiſt. ad Antiochenos. At verò id non cogit, diuinam inſtitutionem, ſaltem primariò, Romano Epiſcopatui præſcribere: primùm, quia hæc inſtitutio expreſsè in Scripturis non habetur. Deinde, quia inter Canoniſtas controuertitur, An Pontifex ex cauſa aliqua ſedem mutare valeat, ac alium ſibi Epiſcopatum annectere: quod aliqui Canoniſtæ affirmant, alij negant. Quapropter placet Cardinalis Bellarmini ſententia, id potiùs ex facto Petri, qui Romanam ſibi Eccleſiam copulauit, atque eam proprio cruore conſecrauit, quàm ex diuina inſtitutione, ſaltem primaria, obtigiſſe: quamquam non diſpliceat, tacitam quamdam ac veluti ſecundariam Dei inſtitutionem in hoc latere, cùm exitus ipſe probauerit, Petrum non ſine Dei monitu, ac fortè reuelatione (vt credendum eſt) Antiochiæ ſedem in Romanam commutaſſe. Conſtat igitur Apoſtolico, vel fortè etiam diuino Iure, Romanum Epiſcopum Petro in totius orbis Principatu ſuccedere.

Obiicit huic Caluinus ſic: *Chriſtus Ieroſolymis functus eſt Epiſcopatu dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit. Princeps Paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ non potuit honorem loco acquirere; Petrus longè ipſo inferior, potuit? Prætereà, Moyſes ſummus Doctor & Princeps Prophetarum in deſerto miniſterio ſuo functus eſt, & mortuus. Igitur hac ratione ſedem primatus debuerunt olim Iſraëlitæ conſtituere in deſerto.*

Ad hanc inſipidam Caluini Obiectionem reſpondetur, eum impiè aſſerere, Chriſtum honorem Pontificatus non potuiſse Ieroſolymorum Epiſcopatui acquirere: nam ſi voluiſſet, certè eum illi comparaſſet. At vnde Caluinus euincit, Chriſtum Ieroſolymitanum Epiſcopum fuiſse, cùm nullam particularem ſedem ſibi Chriſtus elegerit? Moyſes verò non fixit in deſerto ſedem, ſed in deſerto, cùm in itinere eſſet, extremum diem obiit. Sed quia Petrus non tantùm Romæ Apoſtolico munere functus eſt, ac ibidem obiit, ſed eam ſibi in Epiſcopatus ſedem (Deo id ſibi iubente) elegit, neque eam vnquam mutauit: hinc neceſſariò euincimus, ipſum Romani Epiſcopatus ſedem ad ſummam orbis terræ Pontificatum euexiſſe: neque fieri poſſe, vt aliquis ſit Romanæ Sedis Epiſcopus quamdiu ea à Pontifice non mutatur, quin ſimul cum Epiſcopatu totius Eccleſię Pontificatum gerat. Atque id Petrum potuiſſe, præſertim Domino ſibi annuente, quis, niſi hæreticus, inficiari audeat? quando idipſum ad publicum Eccleſiæ regimen pertinere videbatur, quod Dominus integrum Petro reliquerat. Quare, aut ipſam ſummam in Eccleſia regenda Petri poteſtatem conuellant neceſſe eſt; aut ſi eam ſaluam illi fuiſſe ſupponunt, neceſſariò fateri debent, eum orbis Pontificatum loco ac Romanæ vrbis Epiſcopatui alligare potuiſſe. Quod verò id Deo iubente factum fuerit, docent in primis Anacletus epiſt. 3. ad omnes Epiſcopos, & citat Gratianus in cap. Sacroſancta. diſt. 22. & Iuo lib. 4. vbi idcircò Romanam Eccleſiam non ex Apoſtolorum, ſed ex Chriſti inſtitutione primatum ſuper ceteras Eccleſias adeptam fuiſſe ſcribit, his verbis: *Hæc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper omnes Eccleſias ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe B. Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Idem confirmat Iulius I. Epiſcopus ad Orientales Epiſcopos, pro cauſa Athanaſij, vbi illos redarguit, quòd inconſulta Romana Sede Concilium celebrare præſumpſerant:

Sicut,

Sicut, inquit, *B. Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita & Romana Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima & caput ſit ceterarum: & ad eam, quaſi ad matrem atque apicem, omnes maiores Eccleſiæ, & iudicia Epiſcoporum recurrant.* Auguſtinus etiam epiſt. 162. ita ſcribit: *Sedenti in Cathedra Romanæ Eccleſiæ totus orbis Chriſtianus in tranſmarinis & longè remotis terris ſubiectus eſt.* His accedant Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 6. Athanaſius, & Epiſcopi cum eo Alexandriæ congregati, epiſtola ad Iulium, & altera ad Marcum Papam, vbi Romanam Sedem ſæpè matrem & caput omnium Eccleſiarum appellant; Cyprianus lib. 1. ep. 3. Euſebius epiſt. 3. ad Epiſcopos Campaniæ, Melchiades epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Damaſus epiſt. ad Stephanum, Innocentius I. epiſt. ad Alexandrum, ordine 18. cap. 1. Leo Magnus epiſt. 79. & alij plerique. Ex quibus aduerſariis perſpicuum eſſe poteſt, Romanæ vrbis Epiſcopatum ita cum Pontificatu eſſe coniunctum, vt quicumque eſt illius vrbis Epiſcopus, diuino ipſo, aut ſaltem Apoſtolico Iure, totius orbis Pontifex cenſeatur.

Sed oſtendamus etiam, Romanum Pontificem Petro in totius orbis Præfectum ſuccedere. Id primùm demonſtrari poteſt ex verbis illis Chriſti apud Matth. 16. cùm Petrum alloquens ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Aliqui volunt, petram hîc ſignificare fidei confeſſionem. Hilarius 6. de Trin. Ambroſius l. 6. in Lucam, Chryſoſtomus Hom. 55. in Matth. Cyrillus lib. 4. de Trinitate, poſt initium. Sed quòd ſumatur pro Petro, habent, idem Chryſoſt. vbi ſuprà, *Ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Ambroſius ſerm. 47. *Petra dicitur Petrus, eo quòd tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemque ſuſtineat.* Gregorius lib. 4. epiſt. 32. ad Mauritium ait: *Ecce claues regni cæleſtis accepit, poteſtas ei ligandi atque ſoluendi tribuitur: cura ei totius Eccleſiæ & principatus committitur.* Ex quibus validiſſima huius ſucceſſionis ratio deſumitur. Nam cùm certum ſit, Petram ad Petrum referri debere, vt prædicti Patres ſimul cum aliis ſentiunt; duo inde elicimus: Primum, Petrum Eccleſiæ fundamentum ædificari: quod ſanè nihil aliud eſt, quàm Petrum Eccleſiæ rectorem conſtitutum eſſe. Si ergo in Petro dumtaxat Eccleſia fundata eſſet, neque vlla ſucceſſionis ratio haberi deberet: quo pacto Eccleſia poſt Petrum incolumis ſtare potuiſſet? Id enim planè neceſſariò accideret, vt Petro ab Eccleſia ſublato, tamquam auulſo fundamento, ipſa Eccleſia iampridem corruiſſet, & cum Petro extincta fuiſſet; neque vmquam reparari poſſet: quandoquidem Petrus, qui Eccleſiæ fundamentum à Chriſto inſtitutus fuit, non niſi vſque ad extremum iudicij diem ad vitam ſit reuocandus. At verò id falſum eſſe, ipſe Dominus teſtatur, qui ſe perpetuò cum Eccleſia futurum pollicetur: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Cùm ergo Eccleſia ſtabilis ac perpetua eſſe debeat, idque abſque fundamento minimè aſſequi valeat; inde apertè collegimus, Pontificum ſucceſſionem in Eccleſia neceſſariò ſtatuendam eſſe, cui velut fundamento Eccleſia inhæreat: ac proinde Chriſtum in Petro Romanorum Pontificum, qui Petro in Epiſcopatu, ac conſequenter in orbis Pontificatu ſuccedunt, perpetuam ſucceſſionem inſtituiſſe, vt ij, velut fundamenta perpetuo ordine ſibi ſuccedentia, Eccleſiam ſemper ſartam tectam & incolumem ſeruent. Quod ex hoc Chriſti teſtimonio Hieronymus quoque colligit epiſt. 57. ad Damaſum Papam: *Ego*, inquit, *nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* & epiſt. 8. ad Demetriadem, cap. 9. idem confirmans dicit: *Illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, vt ſancti Innocentij,*

Digitized by Google

qui Apoſtolicæ Cathedræ, & ſupradicti viri ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem. Cyprianus epiſt. 55. clarè hanc Romanorum Pontificum ſucceſſionem Apoſtolicam profitetur, & dicit: *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudoëpiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audent, & ad Petri Cathedram, & ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis orta eſt, à ſchiſmaticis & profanis literas ferre.* & lib. de Vnit. Eccleſ. *Vt vnitatem,* inquit, *manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit.* In quibus verbis Cyprianus non ſolùm cognoſcit vnum Petrum Eccleſiæ Rectorem à Domino conſtitutum, verùm etiam quotquot ex Romanis Pontificibus illius Cathedram tenent. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papam de Romani Pontificis ſucceſſione his verbis præclarè ſcribit: *Faceſſat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor.* Auguſtinus eamdem ſucceſſionem Pontificatus in Romanis Pontificibus agnoſcit epiſt. 185. *Si ordo Epiſcoporum,* ait, *ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram* (id eſt primatum, vt ſæpè explicat) *gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Petro enim ſucceſſit Linus,* &c. Et contra literas Petil. lib. 2. c. 51. *Quid tibi fecit,* inquit, *Cathedra Eccleſiæ Romanæ? in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet.* Eamdem docet Concilium Mileuitanum epiſt. ad Innocentium Papam, quæ habetur apud Auguſtinum epiſt. 92. *Quia te Dominus,* ait, *gratiæ ſuæ munere præcipuo in Sede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſunt, ſuggerenda tacuerimus.* Denique, quotquot Romanam Eccleſiam Sedem Apoſtolicam appellant: quo nomine Romanos Pontifices Petro non tam in Epiſcopatu, (vt malè interpretatur Caluinus) quàm in orbis Pontificatu ſuccedere declarant. Sic Concilium Nicænum I. can. 2. Athanaſius epiſt. ad Marcum Papam, Synodus Romana ſub Silueſtro, cap. 20. Optatus lib. 2. Aduerſus Parmen. Ruffinus apud Hieronymum in Explanatione Symboli ad Damaſum, Concilium Toletanum I. ſub finem Aſſertionis fidei, Concilium Carthaginenſe epiſt. ad Innocentium Papam; extat inter epiſtolas Auguſtini, epiſt. 90. Synodus Romana IV. cap. 3. Concilium Aurelianenſe IV. cap. 1. Concilium Bracarenſe I. cap. 22. Concilium Turonenſe c. 21. Ex quibus planè conſtat veritas & firmitas Aſſertionis noſtræ.

Contra quam inſurgunt Anglo-Caluiniſtæ, negantes præcipuè, Papam eſſe caput Eccleſiæ, & ſummam totius Eccleſiaſticæ gubernationis in Angliæ Regem referunt, atque eum ſummum Anglicanæ Eccleſiæ caput immediatè ſub Chriſto prædicant, ac Iudicem in omnibus, tam Eccleſiaſticis quàm ciuilibus cauſis, conſtituunt. Quem errorem vt oppugnem, arma ab ipſiſmet Angliæ Regibus præteritis mutuabo. Sciendum igitur, quòd antiqui Angliæ Reges pietatem ac obedientiam Summo Pontifici non ſemel literis profeſſi ſunt: nam Eduardus I. Rex Angliæ in epiſt. ad Nicolaum II. Papam, ſuam epiſtolam hac pia inſcriptione exornat: *Summo vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus, gratia Dei Anglorum Rex, debitam & ſubiectionem, & obedientiam,* &c. atque ab eo petit, quædam à prioribus Pontificibus ſibi indulta priuilegia confirmari, quò magis Eccleſiaſticam poteſtatem corroborat, quam in Summo Pontifice ſitam agnoſcebat. Alter Eduardus ep. ad Bonifacium VIII. Pontificiam auctoritatem ita coluit, vt eam multis ſeculis proſperam conſeruari optet. Quædam Angliæ Regina, cuius epiſtola extat inter epiſtolas Petri Bleſenſis, ep. 144. præclarè de Romani Pontificis auctoritate ſenſit, his verbis: *Gentes diuulſæ, populi*

puli lacerati, prouinciæ deſolatæ, & generaliter tota Occidentalis Eccleſia confecta lamentis, in ſpiritu contrito & humliato ſupplicant vobis, quem conſtituit Deus ſuper gentes & Regna in omni plenitudine poteſtatis. Comites prætereà ac Barones Angliæ epiſt. ad Bonifacium VIII. illum Vniuerſalis Eccleſiæ Summum Pontificem, cuius ſe deuotos filios proteſtantur, appellant: atque ab eo depoſcunt, Iura, libertates, conſuetudines, leges à prioribus Pontificibus impetratas, Regem pacificè poſſidere permittat. Tandem Henricus VIII. quamdiu Catholicam fidem coluit, acerrimus Catholicæ poteſtatis contra Lutherum propugnator fuit; ex quo hæc pauca verba decerpſimus, quæ habentur in Aſſert. Septem Sacramentorum aduerſus Lutherum, art. 2. *Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium ſacroſanctam Sedem Romanam velut matrem primatemque recognoſcat ac veneretur: quæcumque ſaltem, neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu. Quamquam, ſi vera dicunt qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipſi tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen Pontifici ſe ſubmittunt. Ergo, ſi tantam & tam latè fuſam poteſtatem neque Dei iuſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſecutus eſt, ſed ſua ſibi vi vendicauit; dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem? num poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ potentiæ, præſertim ſi intra hominum memoriam nata ſit? Quòd ſi rem dixerit, vnam fortaſſe aut duas ætates ſuperare; in memoriam nobis redigat ex Hiſtoriis: alioqui ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo; Legibus omnino cautum eſſe cognoſcat, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, vt ſciri non poſſit cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum: vetitumque eſſe conſtat omnium conſenſu Gentium, ne quæ diu manſerunt immota, moueantur.* Atque alia plurima lectione digna, de antiqua Romanæ Sedis poteſtate, ex Hiſtoriis commemorat.

Idem quoque confeſſi ſunt alij Reges. Luitprandus Longobardorum Rex legibus à ſe latis tit. 23. §. 5. illud ſanxit tenendum, Papam vrbis Romæ in omni mundo caput eſſe Eccleſiarum Dei & Sacerdotum. Lotharius Rex ad Adrianum II. Papam ſcribens, Romanum Pontificem, Principem Paſtorum vocat: atque eidem Pontificiam poteſtatem velut propriam defert. Leo Rex Armeniorum epiſt. ad Innocentium III. Papam Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem appellat, *Gloria*, inquit, *& honor omnipotenti Deo, qui vos tantum ac talem Paſtorem Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluit.* Reginaldus Rex Inſularum ep. ad Honorium III. illum Eccleſiæ ſupremũ Paſtorem ſalutat. Carolus Rex Siciliæ ep. ad Clementem IV. eumdem illi titulum tribuit. Ludouicus Rex Francorum epiſtolam ad Alexandrum Papam ita ſcribit: *Domino ſuo & Patri ſanctiſſimo Alexandro Ludouicus Francorum Rex ſalutem & debitam reuerentiam.* Vladiſlaus Rex Poloniæ epiſt. ad Ioannem XXII. deuotum ac ſubiectum ſe illius filium profitetur. Ladiſlaus Rex Vngariæ & Bohemiæ, Oratione Romæ habita ad Nicolaum V. Pontificem, eum inter mortales Dei vicem gerere, & Romanam Sedem omnium eminentiſſimam declarat. Sigiſmundus Rex Poloniæ epiſt. ad Concilium Lateranenſe obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtat his verbis: *Deſignamus Oratores noſtros, dantes illis poteſtatem, coram Sanctitate Leonis X. Papæ comparendi, ibidemque obedientiam, iuxta maiorum meorum conſuetudinem, præſtandi, & recognoſcendi eumdem eſſe verum, vnicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Paſtorem.* Vnde conſtat, eamdem ſemper fuiſſe omnium Polonorum Regum, qui hunc præceſſerunt, pietatem, ac erga Summum Pontificem obedientiam.

Nec ſolùm Reges, verùm & Imperatores ipſi hanc veritatem cognouerunt.

Digitized by Google

Et in primis Conſtantinus Magnus, qui vt multarum virtutum laude præclarus fuit, ita cunctis Chriſtianis Principibus imitāda Chriſtianæ pietatis exempla reliquit, adeò ſemper Pontificiam dignitatem eſt veneratus, vt ad Silueſtrum Papam ſcribens, eumdem tamquam Chriſti Vicarium, & Imperiali dignitate maiorem agnoſcat. De quo etiam illud præclarum teſtimonium Imperialis humilitatis erga Epiſcopos commemorat Nicephorus lib.8. Hiſtoriæ, c.16. *Cui cùm plurimæ aduerſus Epiſcopos querelæ ab iis, qui cum eis acres inimicitias gerebant, oblatæ eſſent, pius Imperator ſtatuto die, libellos eos omnes in manibus tenens, Hæ, inquit, querelæ & accuſationes magno illi Iudici decidendæ remittuntur: ſtatutumque tempus extremi Iudicij ſit dies, cui Iudici occulta etiam manifeſta ſunt. Mihi quidem homini errori obnoxio, nefas eſſe videtur, Eccleſiaſticorum virorum accuſationes recipere, & audire. Neque enim conuenit, puto, Dei miniſtros tales ſe præſtare debere, vt vel à me, vel ab alio iudicentur.* Et Summa Conciliorum Carranzæ in initio Concilij Nicæni I. ſic habet: *Sed in eo Concilio admirabile factum non puto reticendum. Etenim cùm ex omnibus pęnè locis Epiſcopi conueniſſent, & diuerſis ex cauſis inter ſe diuerſa iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis: offerebantur libelli, culpę proferebantur: & magis ad hęc quàm ad id ad quod fuerat ventum, animos dabant. At ille ſuſcepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quod contineretur aperiens, ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi: ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, vt & veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dij: conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos,*
Pſal. 81. *ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Et ideò, his omiſſis, alia quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſcutite. Cùm hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſceret vlli odium & ſuggillatio Sacerdotum*, &c. Sic Conſtantinus.

Valentinianus 3. epiſt. ad Theodoſium Imperatorem, quæ extat in Concilio Chalcedonenſi, ad Romanum Pontificem, tamquam ſupremum Eccleſię Caput, ac Sacerdotum Principem, iudiciorum Eccleſiaſticorum ius ſpectare palàm fatetur his verbis: *Debemus*, inquit, *dignitatem propriæ venerationis B. Petro Apoſtolo intemeratam, & in noſtris temporibus conſeruare, quatenus Beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare, Domine ſanctiſſime Pater, & venerabilis Imperator.*

Martinus item ac Valentinianus epiſt. ad Leonem Papam, Eccleſiaſticum Principatum non ſibi ſed diuino Iure Pontificibus deberi agnoſcunt. Vnde aiunt: *Pro reuerenda & Catholica Religione Chriſtianæ fidei, cuius auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem Principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem ſacris literis in principio iuſtum credimus alloquendum.*

Hoc ipſum teſtatur Galla Placidia Imperatrix epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam. *Vt omnibus*, inquit, *integris permanentibus, ad Apoſtolicæ Sedis, in qua primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claues Regni cælorum accipiens, Sacerdotij Principatum tenuit, Epiſcopatus cauſa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuerſationi tribuere, quæ totum mundum propria virtutis dominatione compleuit, & noſtro Imperio orbem gubernandum ſeruandúmque commiſit.* En quàm præclarè de Pontificia Romanæ Eccleſiæ dignitate hæc pia Imperatrix ſenſit. Primùm enim, Romanam Sedem Apoſtolicæ poteſtatis heredem ſuper omnes Regum ſedes Principatum obtinere declarat. Deinde, eamdem iudicem eſſe debere

debere in cauſis Epiſcoporum contendit. Poſteà, Eccleſiaſticam poteſtatem à diuina poteſtate deſcendere; atque eamdem eam eſſe poteſtatem, quam immortalis Deus, humana carne indutus, in Eccleſia exercuit, non obſcurè fatetur. Denique primatum Romano Pontifici diuino Iure attributum à terrenis Regibus ac Principibus ita agnoſci debere teſtatur, vt ab eo Regnorum conſeruationem ac diuturnitatem pendere dicat.

Hac etiam pietate ductus Iuſtinianus Imperator, epiſt. ad Ioannem Papam, quæ habetur in Cod. de Summa Trinitate & fide Cath. non Imperatores, non Reges, ſed Romanum Pontificem affirmat eſſe omnium Eccleſiarum Caput. *Nec enim patimur*, inquit, *quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit, quod mouetur: vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum.* Idem confirmat in epiſtola ad eumdem Ioannem, quæ habetur in principio Authenticæ.

At præclariſſima ſunt quæ Baſilius Imperator de hac re verba fecit in Octaua Synodo Generali, præſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, quæ habentur in Oratione eiuſdem ad Synodum habita: *Laicis*, inquit, *nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & Vniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, qui ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cæleſtes adepti ſunt claues: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui egemus. Quantæcumque enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiamſi vniuerſa virtute interiùs polleat; donec laicus eſt, ouis vocari non deſinit. Rurſus Epiſcopus, quantacumque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute; donec Antiſtes eſt, & verbum veritatis rectè prædicauerit, Paſtoris vocationis & dignitatis damna non patietur*, &c. En quàm candidè pius ac fidelis Imperator cæleſtes Eccleſiaſticæ poteſtatis claues, non ſibi, ſed Pontifici commiſſàs fatetur: quàm humiliter ſe in ouium, non Paſtorum ordine conſtituit: quàm reuerenter ſolis Eccleſiæ Paſtoribus, non ſibi Eccleſiaſtica iudicia defert.

Sed accedant his præclara Patrum teſtimonia: hi enim vno ore Reges ab Eccleſiaſtica adminiſtratione arcent. Nam Ignatius primùm in epiſt. ad Trallianos, vbi Petri ſucceſſorem legitimum primùm Linum, poſteà Anacletum, deinde Clementem recenſuit: *Qui igitur*, ait, *his inobediens fuerit, atheus & impius omnino eſt, & Chriſtum improbans, ac eius ordinationem imminuens.* Videant Anglo-Caluiniſtæ, ex Chriſti ordinatione procedere, quòd Pontifices, non Reges in Eccleſiaſtica ditione imperent. Idem Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes ait: *Honora, fili, Deum & Regem. Ego verò dico: Honora Deum, vt omnium auctorem & Dominum, Epiſcopum verò, vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem, propter principatum; Chriſti verò propter ſacerdotium. Honorare oportet & Regem.* Athanaſius epiſtol. ad ſolitariam vitam degentes, in Conſtantium Imperatorem inuehitur, qui aliquam poteſtatem in Eccleſia ſibi vſurpare contendebat, his verbis: *Quando à condito æuo auditum eſt? quando iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando vmquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres huiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſè præbuit.* Et infrà: *Quis videns eum* (Conſtantinum) *Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Eadem dicendi libertate Hoſius Epiſcopus apud Athanaſium epiſt. ad Conſtantium vſus, eum-

dem monet his verbis: *Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe: reformides diem Iudicij; ſerua te in illam diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis: neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimine obnoxius fias. De te ſcriptum, Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei, Deo: neque fas eſt nobis in terris Imperium tenere: neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, ô Imperator.* Hic Conſtantius hæreticus fuit Arianus, Conſtantini II. filius, qui cum fratre Conſtante Imperium geſſit: vt hinc diſcant Eccleſiaſticæ poteſtatis inuaſores, numquam Catholicos Principes, ſed tantùm hæreticos id nefas aggreſſos fuiſſe, vt ſacrum Chriſti Principatum inuaderent. Sed cuperem vt tales D. Ambroſium audirent, qui in epiſt. 33. ad Valentinianum ſic ait: *Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus. ſcriptum eſt, Quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius conceſſum eſt, non ſacrorum.* Sic ille. Quocircà, cùm nihil omnino iuris in Eccleſiaſtica adminiſtratione Regibus concedatur, quibus tantummodò Regia facultas permittitur, ijs diuino Iure cautum eſt, vt ab illa prorſus abſtineant. Quod præclarè etiam docet Damaſcenus Orat. 2. de Imaginibus: *Regum,* ait, *partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant. Conſidera enim quid Dei Apoſtolus dicat: Et quoſdam quidem in Eccleſia poſuit, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores, ac Doctores: ad Eccleſiæ conſtitutionem non adhibuit Reges,* &c. Quapropter id fixum ac ſtabile ſit, Regum ciuilem tantùm adminiſtrationem eſſe, Eccleſiaſticam verò adminiſtrationem ad Eccleſiæ Paſtores tantùm pertinere.

Prædictis duo alia teſtimonia ſubnectam: vnum eſt Nazianzeni, alterum Chryſoſtomi. Nazianzenus Orat. ad ciues Nazianzenos & Præfectum iraſcentem, his verbis ipſum Regium Præfectum adoritur: *An me liberè loquentem, æquo animo feretis? nam vos quoque poteſtati meæ meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubiecit. Imperium enim quoque nos ipſi gerimus; addo etiam, præſtantius & perfectius: niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere: ſed non dubito quin hanc libertatem in meliorem partem accepturus ſis, vtpote ſacri mei gregis ouis ſacra, magniq; Paſtoris alumna.* Sic Nazianzenus. Chryſoſtomus verò Homil. 4. de Verbis Iſaiæ, *Alij,* inquit, *ſunt termini Regni, alij Sacerdotij. Hoc Regnum illo maius eſt. Neque enim ex his quæ videntur, hic declaratur Rex; neque è gemmis illi affixis, neque ex auro quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda: ceterùm ſacerdotij ius è ſupremis deſcendit: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Regi ea quæ hic ſunt, mihi cæleſtia. mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo.* Denique concludit: *Maior hic Principatus: propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis.* Hæc ille. Denique Lucifer Calaritanus epiſt. 1. ad Imp. Conſtantinum pro S. Athanaſio ſic ait: *Proba te ſuper nos factum iudicem: proba te ad hoc factum Imperatorem, vt nos armis tuis, ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres: cùm probare non poſſis, quia præceptum ſit tibi, non ſolùm non dominari Epiſcopis, ſed & ita eorum obedire ſtatutis, vt ſi ſubuertere eorum decreta tentaueris, ſi fueris in ſuperbia comprehenſus, morte mori iuſſus ſis.* Reges ergo & Principes omnes Chriſtiani, & etiam Imperatores, Eccleſiæ filij ſunt, non Patres; oues, non Paſtores: nam ſolus Papa eſt Pater, Paſtor, & omnium Chriſtianorum Caput, vt dicit noſtra Aſſertio.

Quòd verò Principibus ſæcularibus nullum ius in Eccleſiam competat, ſic probo.

probo. Si ad Regem mundanum Eccleſiæ poteſtas ac Pontificium ius pertineret, is ea omnia munera obire & exercere poſset, quæ ab Eccleſiaſticis exercentur: ſed quis vmquam Regem aut Principem inter Chriſtianos Pontificalia munera obeuntem aut vidit, aut audiuit; ita vt publicè, more Sacerdotum, ſacra adminiſtrauerit? Baptiſmum in Eccleſia contulerit? Euchariſtiam confecerit, ac populo adminiſtrauerit? ac cetera omnia, quæ ad Epiſcopos ac Sacerdotis pertinent, præſtiterit? Id ſanè ſi numquam viſum fuit, ac nulla conſuetudine acceptum, quin etiam ipſa Dei Lege prohibitum habetur, vt in Oza patet, cui incenſum in templo adolere interdictum fuit: planè non video, qua ratione aut quo iure profanis Regibus in Eccleſiam vlla poteſtas competat.

Prætereà, iudicium de doctrina fidei, quæ potiſſima eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis pars, Chriſtianis Principibus numquam creditum fuit, nec Eccleſia vnquam id Principibus tribuit: quinetiam nonnullis Imperatoribus id ſibi iniuſtè arrogantibus conſtanter ſeſe oppoſuit, vt perſpicuum eſt ex verbis Hoſij ſanctiſſimi Epiſcopi, qui Nicæno I. Concilio interfuit: à quo cùm Conſtantinus Imperator efflagitaret, vt Athanaſius velut hæreticus ab Epiſcopatu deponeretur, reſpondit: *Ne te miſceas, Imperator, rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe; ſed potiùs ea à nobis diſce.* Et Ambroſius à Valentiniano Iuniore accerſitus, vt cum Auxentio hæretico de fide coram ipſo diſputaret; reſpondit, vt habetur epiſt. 32. *Si vel Scripturarum ſeriem diuinarum, vel cetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Ex quo Ambroſij teſtimonio addiſcimus; antiquam tum Scripturarum, tum Eccleſiæ fidem eſſe, vt nullus ſæcularis Princeps iudicio de doctrina fidei ſeſe immiſceat, quod Eccleſiæ Præſulibus dumtaxat à Deo collatum eſt. Ita enim teſtatur Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* & Deut. 17. *Veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Quæ cùm ita ſint, noua planè ac inaudita Principum tyrannis exiſtimanda eſt, qui hanc ſibi poteſtatem de rebus fidei iudicandi violenter vſurpant; & gladio excommunicationis feriri merentur. Nam proptereà Chriſtiani Principes obedientiam Romanæ Eccleſiæ ac fidei Catholicæ iurant, vt conſtat ex Formula coronationis Principum à multis ſæculis vſu accepta: nec non in Clementinis lib. 2. tit. de Iureiurando, & diſt. 69. cap. Tibi Domino; vt ſi fortè ab ea deficiant, Pontificia virga plecti poſſint. De qua re audiamus Carolum Magnum apud Gratianum diſt. 19. can. 3. ſic dicentem: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoranda eſt ſancta Romana & Apoſtolica Sedes, vt qui nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: ideoque ſeruandam eſſe cum manſuetudine humilitatem, vt licet vix ferendum ab illa Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Quæ verba audire debent, qui de Pontificum conſtitutionibus conqueruntur.

Dubitatur primò hîc, An hæreſis impediat, quò minùs quis ſit Papa: vel ſub aliis verbis, An Papa propter hæreſim poſſit deponi. Circa quam difficultatem ſunt quatuor opiniones.

Prima eſt Alberti Pighij lib. 4. cap. 8. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, vbi contendit, Papam non poſſe eſſe hæreticum proinde, nec deponi in vllo caſu. Quæ opinio ſi loquitur, quòd tamquam Papa, & dum ſedet & docet de Cathedra, non poteſt eſſe hæreticus, non ſolùm eſt probabilis, verùm & abſolutè vera; quia tamquam Papa non poteſt errare, iuxta illud: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Si verò loquatur de Papa, vt eſt talis perſona particu-

laris,

laris, opinio communis eſt in contrarium: & ideò oportet videre quid iuris tunc.

Secundò, Ioannes de Turrecremata lib.4. par.2. cap.20. refert opinionem quamdam aſſerentem Papam neque per hæreſim occultam neque per manifeſtam eſſe depoſitum, aut deponi poſſe. Quæ opinio refellitur ab eodem Turrecremata, & ratio eſt in promptu; quoniam hæreticum Papam poſſe iudicari, expreſsè habetur in Iure Can. Si Papa, diſt.40. & apud Innocentium ſerm.2. de Conſecratione Pontificis. Et quod maius eſt, in VIII. Synodo Act.7. recitantur Acta Concilij Romani ſub Hadriano, & in ijs continebatur, Honorium Papam iure videri anathematizatum, quia de hæreſi fuerat conuictus, ob quam ſolam cauſam licet minoribus iudicare maiores. Et licet probabile ſit, Honorium non fuiſſe hæreticum: tamen negare non poſſumus, quin Hadrianus cum Romano Concilio, immò & tota Synodus VIII. Generalis ſenſerit, in cauſa hæreſis poſſe Romanum Pontificem iudicari. Adde, quòd eſſet miſerrima conditio Eccleſiæ, ſi lupum manifeſtè graſſantem, pro Paſtore agnoſcere cogeretur. Hac ergo ſententia reiecta,

Tertiò, Ioannes de Turrecremata ſuam profert, quæ eſt, Papam eo ipſo quo in hęreſim incidit, etiam interiorem tantùm, eſſe extra Eccleſiam, & depoſitum à Deo: quocircà poſſe ab Eccleſia iudicari, id eſt declarari depoſitum Iure diuino, & deponi de facto, ſi adhuc recuſet cedere. Hæc ſententia non placet Cardinali Bellarmino, & meritò: nam iuriſdictio datur quidem Pontifici à Deo, ſed hominum opera concurrente, vt patet; quia ab hominibus habet iſte homo qui anteà non erat Papa, vt incipiat eſſe Papa: igitur non aufertur à Deo, niſi per hominem. At hæreticus occultus non poteſt ab homine iudicari, nec ipſe ſponte eam poteſtatẽ vult relinquere. Verùm hæc opinio fundatur ſuper vnum falſum, nempe quòd hæreticus occultus ſit extra Eccleſiam: hoc autem falſiſſimum, latè oſtendit Cardinalis Bellarminus lib.1. de Eccleſia.

Quartò, Eſt ergo alia opinio vera, nempe Papam manifeſtè hæreticum, per ſe deſinere eſſe Papam & Caput, ſicut per ſe deſinit eſſe Chriſtianus & membrum corporis Eccleſiæ; quare ab Eccleſia poſſe eum iudicari & puniri. Hæc eſt ſententia omnium illorum antiquorum Patrum, qui docent, hæreticos manifeſtos mox amittere omnem iuriſdictionem, & nominatim Cyprianus lib.4. epiſt.2. vbi ſic loquitur de Nouatiano, qui fuit Papa in ſchiſmate cum Cornelio: *Epiſcopum*, inquit, *tenere non poſſet, etſi Epiſcopus primus factus à coëpiſcoporum ſuorum corpore, & ab Eccleſiæ vnitate diſcederet.* Vbi dicit, Nouatianum, etſi verus ac legitimus Papa fuiſſet, tamen eo ipſo caſurum fuiſſe à Pontificatu, ſi ſe ab Eccleſia ſepararet. Sic etiam docet Ioannes Driedo lib.4. de Eccleſ. dogm. c.2. p.2. ſent.2. Melchior Canus lib.4. de Locis, c.2. & eam amplectitur Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap.3. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam hæreticus manifeſtus nullo modo eſt membrum Eccleſiæ, id eſt, neque animo neque corpore, ſiue, neque vnione interna neque externa. Sic ergo reſoluitur propoſita difficultas, quòd hæreſis manifeſta impedit ne quis ſit Papa, non ſolùm ante electionem, verùm & poſt electionem; nam tunc ſic repertus debet deponi. Sic diſt.40. can. Si Papa. ex Concilio V. ſub Symmacho, & ex Concilio VIII. Generali, Act.7. & ex Anacleto ep.3. Euſebio epiſt.2. ex Innocentio III. in ſerm.2. de Conſecratione Pontificis.

Dubitatur ſecundò, An de facto aliquando fuerint Pontifices hæretici in Sede Petri. Hæretici quamplures proponunt, ſed ad omnes optimè reſpondet Cardinalis Bellarminus lib.4. de Romano Pontifice, à cap.7. & deinceps vſque ad

ad 14. incluſiuè. videatur ibi: nam veris rationibus oſtendit, numquam tales fuiſſe hæreticos.

Dubitatur Tertiò, An defectus quoad mores impediant ne quis ſit verus & legitimus Papa? Reſpondeo quòd non: nam in figura, etiam vmbra Petri ſanabat infirmos: vt ſciamus, non ſolùm verum Petri imitatorem & imaginem in moribus eius eſſe ſucceſſorem, ſed etiam eius vmbram; ille ſcilicet, qui aliter viueret quoad mores. Quod eloquentiſſimis verbis, vt ſolet, oſtendit S. Leo Papa ſerm. 2. in Anniuerſario aſſumptionis ſuæ, vbi ait: *Cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit.*

ASSERTIO SECVNDA.

De fide eſt, dicere, hunc numero Papam, v.g. GREGORIVM XV. *eſſe verum ſucceſſorem Petri, & Chriſti Vicarium.*

PROBATVR hæc Aſſertio, PRIMO, Quia fidei Catholicæ Articulus eſt, Eccleſiam eſſe vnam, Catholicam, viſibilem: ergo eiuſdem fidei Articulus eſſe debet, Caput eſſe vnum, vniuerſale, & viſibile: at hoc non eſt niſi hic vel ille Pontifex: quandoquidem Pontifex, qui cogitatione ab hoc vel illo abiungitur, non extat in rerum natura, nec oculis cernitur, nec quidquam agit vel molitur in Eccleſia à Chriſto inſtituta. Ergo fide Catholica cogimur credere, hunc vel illum, qui Chriſtianæ multitudini præficitur, verum & legitimum eſſe Pontificem. Cornelius in ep. ad Cyprian. de confeſſoribus ad vnitatem regreſſis, ait: *Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimum Catholicæ Eccleſiæ electum à Deo omnipotenti, & Chriſto Domino noſtro ſcimus.* Et poſt pauca: *Nec enim ignoramus, vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe Dominum quem confeſſi ſumus: vnum Spiritum ſanctum: vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.*

SECVNDO, Fide Catholica, nedum humana, credimus veram & legitimam ſucceſſionem Pontificum in Romana Eccleſia & Cathedra: at ea ſucceſſio conſtat ex his vel illis, qui delecti ſunt, Pontificibus, & qui Eccleſiam rexerunt: ergo hos ſingulos credere debemus fide, quæ omnem repellit falſi ſuſpicionem, veros ac legitimos fuiſſe Pontifices.

TERTIO, Oecumenicum Concilium, auctoritatem & Canones fidei ab iis traditos, diuina infuſaque fide amplectimur: ergo eadem fide auctoritatem huius illiúſve Romani Pontificis colere debemus, ſine quo nec vllum Concilium poteſt eſſe legitimum: neque eius legibus ac ſanctionibus alligatur Eccleſia, antequam à Romano Pontifice confirmetur. Conuocat autem Concilium, & illud confirmat Silueſter, Agapetus, Leo, Pius, Gregorius, Sixtus, Clemens, Paulus: ergo hos veros & legitimos eſſe Pontifices, certa & Catholica fide credi debet.

QVARTO, Si è Cathedra reſpondens Romanus Pontifex decernat aliquid ad fidem Catholicam pertinens, illi Decreto cunctus Chriſtianus populus fide Catholica aſſentiri cogitur: ergo illa ipſa fide neceſſarium eſt credere, in Pontifice, qui auctor fuit Decreti, legitimam fuiſſe poteſtatem decernendi. Qui verò decernit, eſt Petrus, Stephanus, Pius, Paulus: ergo hos vera & legitima & Pontificia auctoritate pollere, fide Catholica debet eſſe perceptum.

QVINTO, In cultu Sanctorum vniuerſam Eccleſiam errare, nefarium eſt ſuſpicari: ergo cùm Romanus Pontifex toti fidelium cœtui Sanctum quempiam colendum proponit & præcipit, in ea re falli aut fallere ipſe non poteſt.

Sed

Sed cùm quempiam in Sanctorum numerum refert, & à multitudine Chriſtiana adorari imperat, id facit tamquam verus & legitimus Chriſti Vicarius, ſicut de facto fecit ſanctiſſimus Paulus Quintus in canonizatione ſancti Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, cuius Canonizationi ego etiam inter tot millia interfui: ergo eum talem eſſe, Catholicè affirmare debemus.

Sexto, Qui in Britannia pro tuenda Gregorij XIII. Pontificia auctoritate mortem oppetiuerunt, Martyrum gloriam perinde ſunt aſſecuti, ac ſi pro fide Catholica ſanguinem profudiſſent: neque ſacri illi & fortiſſimi viri verebantur, quo tempore pro Gregorij XIII. Pontificia auctoritate dimicabant, quin pro fidei cauſa decertarent.

Septimo, Romanam Cathedram interpretem Religionis, magiſtram ſacrorum ac morum eſſe incorruptam, fide Catholica credimus: at nulla eſt Romana Cathedra, niſi quam hic vel ille Pontifex tenet, quem ſibi delegit Eccleſia: non is qui numquam fuit vel futurus eſt in terris: ergo hunc vel illum verum & legitimum eiuſdem Cathedræ Antiſtitem eſſe, fide quæ errare non poteſt, credere debemus. Huic ſeptimæ rationi magnam auctoritatem tribuunt verba in fidei profeſſione edita à Pio Quarto, *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco.* At Romanæ Eccleſiæ moderator & Magiſter eſt Linus, Clemens, Paulus: hos ergo veræ fidei & doctrinæ Magiſtros Catholica fide debemus agnoſcere.

Octavo, Chriſtus Eccleſiaſticam inſtituit Monarchiam, quæ totam conſequentem mundi ætatem eſſet æquatura. Ergo cùm ſine Monarcha Monarchia eſſe non poſſit, diuinæ fidei eſt credere, numquam verum illi defuturum Monarcham: hic autem alius fingi non poteſt, niſi Petri ſucceſſor, qui legitimo aſſenſu, aut Eccleſiæ, aut eorum ad quos ſpectat, eligitur: ergo hunc ſeu illum electum Pontificem Romanum, verum & legitimum huius ſacræ Monarchiæ Caput & Rectorem eſſe credere cogimur.

Nono, Docet fides Catholica, Chriſtianam Eccleſiam eſſe veram & legitimam Eccleſiam: ergo eadem docet, Romanum Pontificem hunc vel illum, eſſe verum & legitimum Chriſti Vicarium; propterea quòd is vniuerſitatis Chriſtianorum fons eſt & proſeminator: quandoquidem ab eo creantur Epiſcopi, ab his Sacerdotes, à Sacerdotibus reliqui Chriſtiani; vt qui dubitat de veritate Pontificatus Petri, Clementis, Pauli, eumdem de veritate Eccleſiæ dubitare neceſſe ſit.

Decimo, Fidei Catholicæ dogma eſt, Eccleſiaſticam hierarchiam eſſe diuinitus conſtitutam: ſic enim in Concilio Tridentino ſeſſ.23.can.6. *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, ac miniſtris, anathema ſit.* Sed præcipua pars huius hierarchiæ eſt Romanus Pontifex, Caput illius & Rector viſibilis: ergo ſicut hierarchiam diuina fide iubemur credere eſſe veram; ſic eius caput eſſe verum: Caput autem hoc, eſt hic vel ille Pontifex, quem oculis & digito notare poſſumus. Ergo.

Vndecimo, Eſt item fidei Chriſtianæ dogma, Epiſcopos aſſumptos à Romano Pontifice eſſe legitimos & veros Epiſcopos: ergo Pontificem, cuius auctoritate aſſumuntur, fide Catholica fatendum eſt, eſſe legitimum & verum Pontificem. Antecedens huius Enthymematis, eſt Concilij Tridentini ſeſſ.23.can.8. his verbis: *Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontifi-*

cis

Digitized by Google

cis aſſumuntur, non eſſe legitimos & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, anathema ſit. Ergo Clementem, Pium, Gregorium, Paulum, quorum auctoritate eliguntur Epiſcopi, veritate fidei Catholicæ cogente, dicendum eſt, eſſe legitimos & veros Pontifices.

DVODECIMO, Qui ſacrarum ſanctionum aut Innocentij III. aut Alexandri III. aut Gregorij IX. aut Bonifacij VIII. aut ceterorum Pontificum, quibus ſanctionibus in Eccleſia iudicia exercentur, auctoritatem aut infringeret, aut inficiaretur, pœnis hæreticorum mulctaretur: ergo fide Catholica, eorum à quibus profectæ ſunt, veram, & legitimam, & Pontificiam fuiſſe auctoritatem, credere neceſſe eſt.

DECIMOTERTIO, Qui Gregorium XV. cui Catholica paret Eccleſia, aut Caput Eccleſiæ, aut verum Petri ſucceſſorem, aut Chriſti Vicarium pernegaret, non in humanam, ſed in fidem orthodoxam, & cui non poteſt ſubeſſe falſum, peccaret, & tamquam verus hæreticus flammis cremaretur: ergo ad fidem infuſam diuinitus pertinet, Gregorium XV. ab vnoquoque Chriſtiano verum legitimumque Chriſti Vicarium prædicari.

Obiectiones contra præfatam Aſſertionem.

PRIMA, Quòd ſalua fide Catholica quis de vnoquoque priuato Sacerdote ambigere poteſt, ſit, nec ne, verus & legitimus Sacerdos: cur ergo ſine crimine hæreſis non fas erit pariter de hoc Romano Pontifice ambigere?

Reſpondeo: Quia cum Romani Pontificis poteſtate implicita ſunt multa, quæ Catholica fide tenenda ſunt: vt quòd in eo poteſtas reſideat conuocandi & confirmandi Concilia, fidei controuerſias dirimendi, viros pios & religioſos poſt obitum in Sanctorum numerum referendi, Epiſcopos creandi, Reges & Imperatores (quando oportet) Regno atque Imperio priuandi, Eccleſiam vniuerſam regendi, atque ei ſalutares leges imponendi: quorum cùm nihil cadat in priuatum Sacerdotem, qui dubitat eum Sacerdotem eſſe, culpam hæreſeos non contrahit.

SECVNDA, Fides Catholica nemini neceſſitatem imponit credendi, Romanum Pontificem baptizatum eſse: at ſine Baptiſmo non poteſt eſſe verus ac legitimus Chriſti Vicarius: non ergo cuiquam fides Catholica neceſſitatem imponit illum credendi eſse verum Pontificem.

Reſpondeo, retorquendo Argumentum: Quia enim fide Catholica fateri cogimur, eſse verum & legitimum Chriſti Vicarium in Eccleſia Catholica, ob tam multas alias rationes; neceſsaria iam conſecutio cogit, eum baptizatum eſſe, & pariter eſse Orthodoxum, eſse marem, atque id omne eſse, ſine quo poteſtas Pontificia conſiſtere nequit. Eſt enim id prouidentiæ diuinæ non fallentis Eccleſiam, vt ſuus Vicarius, quem ſuo paſcendo gregi vult eſse præpoſitum, nulla re careat, quam poteſtas tanta quam gerit, & munus quod exequi debet, neceſsariò expoſcit. At expoſcit vt ſit vir, nec fidei, nec Baptiſmi, nec rationis expers: virum igitur illum, & fidelem, & baptizatum credi oportet neceſsariò, neceſſitate inquam conſequentiæ, & diuinæ prouidentiæ Eccleſiæ ſuæ conſulenti.

TERTIA, Cùm Romani Pontificis electionem nonnulla commaculent & vitient, in quibus pręcipua Simoniæ labes, ex Conſtitutione, quæ incipit, *Cùm tam diuina quàm humano Iure*, orbi Chriſtiano promulgata anno 1505. die 18. Ianuarij, vbi ſtatuitur, Simoniacam Romani Pontificis electionem eſſe nullam,

lam, nec vllo vmquam tempore poſſe conualeſcere: quam Conſtitutionem Pius IV. confirmauit alia ſua, cuius initium eſt: *In eligendis Eccleſiarum Prælatis*; & in Concilio Lateranenſi vltimo in ſeſſ. 5. fuit lecta Bulla innouationis & confirmationis contra Simoniacam prauitatem in electione Pontificis, per Simoniam facta, eo ipſo nulla exiſtat. Et anteà Nicolaus II. Papa, habito Concilio Sacerdotali apud Lateranum hanc Legem tulit: *Si quis pecunia, aut gratia humana, aut populari militariue tumultu, ſine concordi & canonica electione Cardinalium fuerit in Throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus, id eſt, à Sanctione deficiens meritò vocetur. Liceatque Cardinalibus, Clericis, & laicis Deum colentibus, illum vt prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à Sede Apoſtolica propellere: atque quouis in loco, ſi in vrbe non liceat, Catholicos huiuſce rei cauſa congregare.* Ex quibus omnibus conſequens eſt, vt quantum periculi ineſt in Maximorum Pontificum electionibus, tantumdem inſit dubitationis in eorum, qui eliguntur, poteſtate.

Reſpondeo, Deum, qui præcipua quadam prouidentia electioni ſui Vicarij præeſt, atque eligentium ſtudia ac ſuffragia moderatur, aut non paſſurum, vt eiuſmodi vitia in electionem incidant: aut ſi inciderint, ea ſtatim detecturum, vt ne ſuus Eccleſiæ legitimus ſponſus, parens, rectorque deſit. Sic ergo factum eſt ſatis Obiectionibus, quæ contra propoſitam Aſſertionem fieri poſſunt.

SVM-

zed by Google

SVMMA CONCILIORVM OMNIVM:

à R. P. Francisco Longo a Coriolano collecta, & Annotationibus illuſtrata.

IN CANONES APOSTOLORVM ANNOTATIO.

CANONES hos auctoritate Apoſtolorum conditos, eorumque traditione nobis traditos, Clemens Romanus S. Petri diſcipulus Græcè conſcripſit; Dionyſius autem Romanus Abbas, cognomento Exiguus, Grecarum literarum peritiſſimus, tempore Iuſtini Imperatoris Scriptor celeberrimus, eoſdem Latinè, quàm potuit accuratiſſimè & fideliſſimè, tranſtulit. Horum quinquaginta priores tantùm, quorum vltimus eſt de trina in Baptiſmate merſione, præter Apoſtolicam & orthodoxam doctrinam, ab antiquis Pontificibus, Conciliis, & Patribus approbatam nihil continẽtes, velut authentici recipiuntur, cap. 3. diſt. 16. iuxta vulgatam ſanctorum Patrum regulam, quoniam auctor eorum alius ignoratur, Apoſtolica traditione ad nos dimanaſſe, rectè creduntur. Reliqui poſteriores à Gelaſio Pontifice can. Sancta. diſt. 15. inter apocrypha recenſentur: tum quòd eorum auctor ignoretur, tum etiam, quòd ex illis quoſdam à Græcis doloſè ſuppoſitos & ſuperadditos, quoſdam ab hæreticis corruptos eſſe, ex Can. 65. & vltimo, euidenter conſtat. Quia tamen ex his poſterioribus omnes, præter prædictos duos, vel Rom. Pontificum auctoritate, vel aliorum Conciliorum decretis, vel quorumdam Patrum ſententiis confirmati & approbati inueniuntur, vt ex noſtris Annotationibus patebit, adeò vt non leuiter nec temerè dubitetur, ſintne illi hinc à Pontificibus, Conciliis, ac Patribus accepti, an potiùs ex ipſorum ſententiis huc tranſlati, iure meritoque hi omnes, præter prædictos duos, inter authenticos haberi poſſent, ac deberent.

Sunt qui numerum quinquagenarium authenticorum Canonum impugnant, eò quòd S. Zephyrinus Papa prima ſua epiſtola, cuius fragmentum c. 2. diſt. 16. extat, 60. vel vt alia quædam lectio habet, 70. ſententias ab Apoſtolis præceptas eſſe ſcribat: quodque canone 2. Sextæ Synodi Vniuerſalis, 85. Canones Apoſtolorum recepti & approbati ſunt. Sed ſcire debent, prædictas 60. vel 70. ſententias, quas Zephyrinus ab Apoſtolis præſcriptas eſſe refert, omnes 50. Canonibus ſiue Capitulis Apoſtolorum contineri, ſic, vt vno Canone plures ſententiæ comprehendantur. Vide Turrian. lib. 1. c. 20. Sexta Vniuerſalis Synodus de numero horum Canonum nihil definiuit: allegatus ſub nomine Sextæ Synodi can. 2. eſt illegitimi Conciliabuli potiùs, quàm Concilij: nam vera Sexta Synodus, vt patet Act. 4. & 5. Concilij Nicæni II. nullos Canones edidit. Centum autem & duo illi Canones, qui ſub huius nomine editi ſunt, Sexta iam abſoluta, ab Epiſcopis poſt annos aliquot, tempore Iuſtiniani Conſtanti-

Digitized by Google

ſtantinopolitani reuerſi in palatio, quod dicitur Trullum, conſtituti ſunt, & à Sergio Pontifice, qui tunc ſedebat, reprobati. Baronius anno Chriſti 102. num. 16. & ſeqq. Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 7.

CANON I.

De ordinatione Epiſcopi.

EPISCOPVS à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur.

ANNOTATIO.

SIC etiam tradit Clemens I. lib. 3. Conſtit. Apoſtol. c. 20. & lib. 8. c. 33. Anacletus I. ep. 2. ad Epiſcopos Italiæ, & allegatur à Gratiano diſt. 75. c. Ordinationes. Dionyſ. Areopagita lib. Eccl. hier. par. 2. c. 5. Anicetus I. ep. 1. ad Epiſcopos Galliarum: *Scimus*, ait, *beatiſsimum Iacobum, qui dicebatur Iuſtus, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis, Ieroſolymorum Epiſcopum ordinatum eſſe.* Si autem non minùs quàm à tribus Apoſtolis tantus vir ordinatus fuit Epiſcopus, patet profectò, eos formam, inſtituente Domino, tradidiſſe, non minùs quàm à tribus Epiſcopis Epiſcopum ordinari debere. Idem ſtatuit Concilium Arelatenſe I. c. 21. Carthaginenſe II. can. 12. & allegat Gratianus cap. Placet. diſt. 31. & cap. Epiſcopum. diſt. 64. Concilium Telenſe ex epiſtola Siricij I. in Concilio 80. Epiſcoporum Romæ conſcripta ad Africanos Epiſcopos, & allegatur à Gratiano cap. Extra. diſt. 64. Concilium Africanum ſub Bonifacio I. can. 16. eamdem legem renouat. Et Concilium Rhegienſe ſub Sixto, can. 1. eò quòd duo temerè præſumpſerant in partibus Galliæ ordinare Epiſcopum, grauiter illos corripuit. Concilium Cyzicorum in epiſt. ad Leonem Imp. Prædictam trium Epiſcoporum aſſiſtentiam confirmat Gregorius I. Reſponſ. 8. ad interrogata Auguſtini Cantuarienſis, & Gregorius II. ep. 8. ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum. Idem ſtatuitur can. 21. Concilij Arelatenſis I. & can. 4. Nicæni I. can. 5. Concilij Arelatenſis II. can. 12. Carthaginenſis II. Et quamquam ordinariè tres vt minimùm Epiſcopi ad noui Epiſcopi ordinationem & conſecrationem requirantur; tamen ob raritatem Epiſcoporum, aliámve iuſtâ cauſam, per Summi Pontificis diſpenſationem, fit, vt cum vno Epiſcopo ordinante adſint duo aut plures Abbates infulati, qui vicem Epiſcoporum gerant. Sic in Concilio Africano ſub Bonifacio I. can. 16.

CANON II.

De ordinatione Preſbyterorum, Diaconorum, & cæterorum.

PRESBYTER ab vno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

CANON III.

Nil aliud in ſacrificio præter quod Dominus inſtituit, offerendum.

SI QVIS Epiſcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare; id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceră, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.

CANON IV.

Quæ ſpecies ad altare, non ad ſacrificium, ſed ad benedictionem ſimplicem debeant exhiberi.

OFFERRE non licet aliquid ad altare præter nouas ſpicas, & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio.

CANON V.

Quæ in Eccleſiis offerri non poſſunt, ad domos Sacerdotum à fidelibus deferantur.

RELIQVA poma omnia ad domum primitiæ Epiſcopo & Presbyteris dirigantur, non offerantur in altari. Certum eſt autem, quòd Epiſcopus & Preſbyteri diuidunt & Diaconis, & reliquis Clericis.

CANON VI.

Epiſcopus aut Presbyter vxorem ſuam non abijciat.

EPISCOPVS, aut Presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abiiciat: ſi verò reiecerit, excommunicetur; ſed ſi perſeuerauerit, deiiciatur. Diſt. 28. Si quis docuerit.

ANNOTATIO.

OBSERVA, quòd hoc Canone non præcipitur, vt coniugatus Clericus vxori ſuæ maritali commerçio cohabitet, liberiſque procreandis & generandis incumbat; ſed potiùs, vt ij qui habent vxores, iuxta præceptum Pauli 1. Tim. 5. & exemplum S. Petri, illa-

Digitized by Google

illarum curam habeant, ipſiſque de omnibus, quæ ad vitam honeſtè degendam requiruntur, prouideant. Huius expoſitionis veritas eluceſcit Primùm ex titulo, quē huic Canoni Dionyſius Abbas præfixit. Secundò ex epiſt. 2. Clem. qua Clementi à Petro præcipitur, vt tales miniſtri altaris ordinentur, qui ante ſui ordinationem vxores ſuas reliquerunt: id eſt, ipſis conſentientibus à carnali copula abſtinuerunt. Ita in vetuſto exemplari Vaticanę Bibliothecæ legi, ſcribit Turrianus lib. 1. cap. 1. pro Can. Apoſt. Tertiò, S. Gregorius lib. 1. epiſt. 42. conſtituit, non modò, vt non Epiſcopi, ſed ne quidem Subdiaconi, ad ſacros Ordines recipiantur, niſi qui cum vxoribus antè habitis continentes deinceps vixerint. Cùm itaque eodem libro epiſt. 38. Apoſtolica lege & Conſtitutione hac citata Epiſcopis pręcipiat, ne vxores ſuas relinquant; non aliter hunc Canonem intelligi voluit, quàm vt ij, qui ob ſuſceptos ſacros Ordines vſu coniugij abſtinent, vxorum ſuarum curam habere non deſinant. Quartò, communi omnium ferè Patrum conſenſu ac teſtimonio conſtat, quòd ſi quis legitimè coniugatus, vxore conſentiente, Epiſcopatū & Ordines ſuſceperit, is, tam in Orientali quàm Occidentali Eccleſia, vel muneris Epiſcopalis exercitio, vel vxoris ſuæ coniugali conſuetudine abſtinere debuerit. Vnde Epiphanius in Compendio, Hieronymus contra Vigilantium, & epiſt. 50. ad Pammachium, Baſilius ep. 17. Leo ep. 82. cap. 4. vbi ne quidem Subdiaconis permittit vxoribus vti. Quintò, Apoſtolica conſtitutione bigamis, etiam ſi cælibes & continentes ſint, ſuſceptio ſacrorum Ordinum maiorum interdicitur, vt patet infrà Can. 17. & ſeqq. Quomodo igitur ordinatis auctoritate Apoſtolica præcipietur, vt vxoribus, quas habent legitimas, coniugali conſuetudine & commercio cohabitent, ipſiſque debitum petentibus licitè reddant? Sextò, Patres Concilij Nicæni I. omnes omnino mulieres, præterquam matres, ſorores, auias, aut amitas, à contubernio Clericorum prohibentes, quid aliud volunt, quàm vt ſacris Ordinibus initiati, ab omni coniugali commercio ſe contineant? Patres Concilij Carthaginenſis II. can. 2. ingenuè profitentur id ſanctos Apoſtolos docuiſſe, & in Eccleſia antiquitus ab omnibus obſeruatum eſſe.

Dices, Canone 15. VI. Synodi ſtatutum eſt, vt coniugati ad ſacros Ordines allecti, vxores, quas habebāt, retinerent, iiſque, certis tantum diebus exceptis, admiſcerentur. Reſp. Iam ſuprà dixi teſtimonio SS. Patrum eorum qui interfuere Concilio Nicæno II. quod habetur Act. 4. & 5. iſtius Concilij, conſtare, Sextam Synodum Vniuerſalem nullos Canones edidiſſe: euulgatos autem 102. ſub huius nomine Canones, omnes ſpurios eſſe; quippe qui non à Sexta Synodo, ſed potiùs à quodam illegitimo & reprobato Conciliabulo in Trullo (à quo Trullani Canones nominantur) habito, editi ſunt. Baronius anno Chriſti 58. nu. 18. & ſeqq. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, c. 20. & lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. & 18. & lib. 1. de Concil. cap. 7. Item lib. 1. de Cler. c. 21. Balſamonis igitur huius Canonis expoſitio, velut hæretica fugienda eſt.

CANON VII.

Sacerdotes & miniſtri Altaris ſæcularibus curis abſtineant.

EPISCOPVS, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam ſæculares curas adſumat: ſin aliter, deiiciatur. Diſt. 88. cap. Epiſcopus, aut Sacerdos.

ANNOTATIO.

IDEM omnino Dionyſius Areopagita lib. de Cæleſt. hierarch. cap. 3. Concilium Nicænum I. vt allegatur à Gratiano diſt. 86. cap. Decreuit. Concilium Chalcedonenſe IV. can. 3. vt allegat Concilium Vernenſe in palatio Vernis ſub Pipino Rege celebratum, can. 16. Carthaginenſe I. cap. 5. & Carthaginenſe III. can. 15. vt allegat Gratianus c. Placuit. 21. q. 3. quem Canonem ſub eiſdem verbis allegat Concilium VVormatienſe, c. 67. Concilium Hipponenſe, can. 17. Concilium Mileuitanum, can. 19. & allegatur à Gratiano cap. Placuit. 11. q. 1. Concilium Africanum ſub Bonifacio I. cap. 71. Concilium Cabilonenſe II. cap. 5. 11. & 12. Concilium Foroiulienſe ſub Adriano I. & Carolo Magno, can. 5. Concilium Moguntinum I. ſub Carolo Magno, can. 14. Hoc idem repetit Gelaſius I. epiſt. 1. cap. 17. vt allegatur in Concilio Aquiſgranenſi I. c. 93. & in Concilio Pariſienſi III. lib. 1. cap. 28. Concilium Oxonienſe in Anglia, cap. 1. Senonenſe, cap. 26. Colonienſe III. par. 2. cap. 31.

CANON VIII.

Quo tempore Paſcha celebretur.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſanctum Paſchę diem ante vernale Æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, abiiciatur.

ANNOTATIO.

IVDÆI, ſicut & Quartadecimani hæretici, 14. Luna primi menſis Paſcha celebrarunt

Digitized by Google

runt ante vernale Æquinoctium. Ne igitur Eccleſia nouum Paſchale feſtum, ad Leges cærimoniales paulatim abrogandas inſtitutum, ſimul cum Iudæis eodem tempore celebret, auctoritate Petri aliorumque Apoſtolorum decretum eſt, ne vnquam id ante vernale Æquinoctium fiat. *Si quis enim cum Iudæis*, inquit S. Ignatius epiſt. 8. ad Philipp. *Paſcha celebrat, aut ſymbola eorum recipit, particeps eſt eorum qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos eius.* Vt autem hæc incommoda faciliùs & ſecuriùs euitentur, addiderunt ijdem Apoſtoli, vt Paſcha die Dominico celebretur. Id conſtat ex epiſt. S. Protherei Epiſcopi Alexandrini ad S. Leonem Romanum Pontificem, quæ extat apud Bedam de Ratione temporis, cap. 42. qua ait, Petrum Apoſtolum Romæ hoc docuiſſe, & eadem accepta S. Marcum Ægyptiis tradidiſſe. Adde teſtimonium Ignatij, qui temporibus Apoſtolorum vixit, & Sedem Apoſtolicam Antiochenam, à Petro fundatam, adminiſtrauit: is enim in epiſt. 6. ad Magneſianos ſic ait: *Celebrandum diem Dominicum, vt dierum principem, Reſurrectioni Domini conſecratum.* Hanc autem ſanctam Apoſtolicam de Paſchate traditionem, Iudaizantium Eccleſiarum conſuetudine violatã, Pius Pont. edito Decreto quidem firmauit & ſtabiliuit (vt eſt apud Euſebium in Chronico) non autem primus illius de Paſchate ſanctionis Eccleſiaſticæ auctor eſt. Vide Baronium an. Domini 159. nu. 1. & ſeqq. & Bellarminum de Sanctis, lib. 3. cap. 12. Et nouiſſimè temporibus noſtris, Gregorij XIII. Pontificis Maximi iuſſu emendatum fuit Kalendarium Romanum ob hoc præcipuè, ne cum Iudæis Paſcha in 14. Luna Martij celebraremus: pro quo vide in libro de Ratione emendandi Kalendarium.

CANON IX.

Miniſtri Altaris oblatione celebrata communicari debent.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicauerit; aut cauſam dicat, vt ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione priuetur, tamquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo qui ſacrificauit, quòd rectè non obtulerit.

ANNOTATIO.

SVB pœna excommunicationis mandatur omnibus & ſolis Clericis, vt dum ſolemnibus diebus ſacrificanti in Miſſa ſolemniter miniſtrant, & Altari aſſiſtunt, niſi iuſta aliqua de cauſa excuſentur, communicent. Hæc expoſitio confirmatur ex epiſtola Anacleti, vbi hunc Canonem citans, de ſolis Clericis Altari aſſiſtentibus loquitur. Itaque probabile eſt, hanc ob cauſam fortaſſe in Concilio Altiſiodorenſi cap. 19. ſtatutum eſſe, vt Clerici, quia nimirum in Miſſa communicaturi erant, ieiuni ad miniſterium Altaris accederent. Totum tamen hoc Decretum non diuino, ſed humano Iure conſtitutum, iam contraria conſuetudine eſt abrogatum. Bellarm. lib. 2. de Miſſa, c. 10. Suarez Tom. 3. diſp. 69. ſect. 3. Turrianus lib. 1. cap. 22. de Can. Apoſtol.

CANON X.

Fideles laici ingredientes Eccleſiam, communicare debent.

OMNES fideles qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, conuenit communione priuari. De Conſecr. diſt. 1. cap. Omnes fideles.

ANNOTATIO.

HVIVS Canonis duplex eſt expoſitio. Prima eſt Concilij Antiocheni, cap. 2. non excommunicari vel damnari eos, qui ſimpliciter & abſolutè extra legitima & conſtituta certa tempora non communicant: ſed eos dumtaxat, qui certa de cauſa, nimirum ob aliquã ſuperſtitionem, aut prauam opinionem, Scripturas quidem audiunt, ſacram autem Communionem auerſantur. Verba Concilij hæc ſunt: *Qui ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam auerſantur.* Confirmatur hæc expoſitio in Decretis collectis à S. Martino Bracarenſi Tom. 2. in Concilio Bracarenſi II. extantibus, Decreto 83. vbi ſic expreſſiùs legimus: *Si quis intrat ad Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione Sacramenti, & in obſeruandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, illum talem proiiciendum eſſe de Eccleſia Catholica decernimus.* Ab hac, expoſitio Gloſſæ in c. Omnes fideles, de Conſecr. diſt. 1. non diſcrepat. Secunda expoſitio eſt, non excommunicari eos, qui in Miſſa, quam audiunt, non communicant; ſed potiùs

tiùs illos damnari, & communione priuari, qui vſque ad conſummationem integro Sacrificio non aſſiſtunt. Ita euidenter exponit Gentianus Heruetus in alia lectione huius Canonis: eáque manifeſtè probatur per dictum cap. Omnes fideles. & cap. Miſſas. & cap. Cùm ad celebrãdas. de Conſecr. diſt. 1. Vtraque explicatio bona eſt, ſed prior magis contextui videtur conſentanea. Bellarminus & Suarez in ſuprà citatis locis.

CANON XI.

Cum excommunicatis non eſt orandum.

SI QVIS cum excommunicato, ſaltem in domo, ſimul orauerit, iſte communione priuetur.

CANON XII.

Cum damnatis Clericis non eſt orandum.

SI QVIS cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, ſimul orauerit, iſte damnetur.

ANNOTATIO.

PROHIBETVR in his duobus Canonibus ſub pœna excommunicationis exterior communicatio cum excommunicato, etiam in priuata oratione. Idem ſtatuitur in cap. Excommunicatos. 11. quæſt. 3. ibi, *Ne cum eis in oratione communicent.* & c. Cum excommunicato. cap. Qui communicauerit. eod. tit. In quibus Iuribus ſermonem eſſe de communicatione in oratione priuata, colligitur ex eo, quòd coniungatur cum cõmunicatione in cibo, potu, & communi ſermone. Hæc eſt communis interpretatio & ſententia, quam ſequuntur Couarruuias cap. Alma mater. part. 1. §. 3. num. 8. Suarez Tom. 5. diſp. 12. ſect. 2. Ratio eorum eſt, quia excommunicato omnis exterior communicatio cum aliis fidelibus ſit interdicta; oratio autem priuata ſit quædam exterior communicatio.

Dices cum Nauarro in Manuali, cap. 27. num. 36. §. Ad quintum. Conſortium in oratione priuata eſt vtile ad ſalutem excommunicati: quomodo ergo hîc prohibetur? Reſpondeo: Triplex eſt communicatio cum excommunicato; vna in crimine, altera in diuinis, tertia in humanis. Prima prohibita eſt, quia ex ſe mala eſt: duæ poſteriores malæ ſunt, quia expreſſo Iure prohibitæ. Cùm ergo orare priuatim cum excommunicato, nimirum ſi cum eodem recitentur Horæ Canonicæ, vel Officium B. Virginis, aut Defunctorum, ſit cum eodẽ communicare, illicita eſt & mala, quia Iure Eccleſiaſtico prohibita. Nam illi dum ſimul orant, non intendunt ſpiritualiter promouere ipſum excommunicatum, quod vtiliùs fortaſſe facerent, ſi per ſe ac ſeparatim vterque oraret; ſed ſolùm ad inuicem ſe iuuare, & communi opera illud Officium ſeu miniſterium perficere intendunt.

CANON XIII.

Nullus fidelium præter commendatitias ſuſcipiatur epiſtolas.

SI QVIS Clericus aut laicus à cõmunione ſuſpenſus, ſeu communicans, ad aliam properet ciuitatem, & ſuſcipiatur præter commendatitias literas: & qui ſuſceperunt, & qui ſuſceptus eſt, communione priuentur. Excommunicato verò proteletur ipſa correptio, tamquam qui mentitus ſit, & Eccleſiam Dei ſeduxerit.

ANNOTATIO.

COMMENDATITIAE literæ ſolebant dari perſonis peregrinantibus de moribus ſuſpectis, ne quid de illis dubitetur: hæ iiſdem quocumque pergerent, apud Chriſtianos pro viatico erant. De quibus vide Baronium anno Chriſti 142. num. 7.

CANON XIV.

Ab Epiſcopis aliena parochia minimè peruadatur.

EPISCOPO non licere alienam parochiam, propria relicta, peruadere, licet cogatur à plurimis. Niſi fortè quis cum rationabili cauſa compellatur, tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri facere, & in cauſa religionis aliquid profectus proſpicere. Et hoc non à ſemetipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum iudicio & maxima ſupplicatione perficiat.

ANNOTATIO.

HOc idem præcipitur in Concilio Carthaginenſi VI. cui interfuit Auguſtinus, can. 27. & allegat Gratianus cap. Epiſcopus. & cap. Si quis. 7. quæſt. 1. Idem etiam in Concilio Nicæno I. can. 15. Hilarius I. epiſt. 1. ad Aſcanium Tarraconenſem, cap. 2. Concilium Aurelianenſe III. cap. 18. Pelagius I. epiſt. 2. ad Benignum Archiepiſcopum, vbi ſic dicitur: *Quapropter ſcias, frater dilectiſſime* (hoc allegat Gratianus cap. Scias. 6. q. 1.) *aliud eſſe cauſa*

Digitized by Google

ſa neceſsitatis & vtilitatis, & aliud cauſa præſumptionis & propriæ voluntatis. Non ergo mutat ſedem, qui non mutat mentem, id eſt, qui non cauſa auaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel ſuæ electionis, migrat de ciuitate in ciuitatem, ſed cauſa neceſsitatis aut vtilitatis mutatur. Et infrà: *Quod enim in Canonibus legitur, Non debere Epiſcopum de ciuitate ad ciuitatẽ tranſire vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulſi, aut neceſsitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt; ſed de his, qui auaritiæ ardore inflammati, ſponte ſua proſiliunt, & potiùs ambitioni, quàm vtilitati Eccleſiæ ſeruire, & dominationem agant inſiſtere cupiunt.* Plura alia vide ibi. Idem quoque habetur in Concilio Antiocheno I. can. 21. & allegat Gratianus cap. Epiſcopum. 7. q. 1. Concilium Generale II. Conſtantinopolitanum I. can. 2. Concilium Sardicenſe Oecumenicũ, can. 1. & 2. & allegat Gratianus cap. Mala conſuetudo. diſt. 8.

CANON XV.

Clerici proprias Eccleſias non relinquant.

SI QVIS Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiam, in aliena parochia commoretur, hunc vlteriùs miniſtrare non patimur, præcipuè ſi vocatus ab Epiſcopo, redire contempſerit, in ſua inquietudine perſeuerans. Verumtamen tamquam laicus ibi communicet.

ANNOTATIO.

IDEM omnino ſtatuit Concilium Nicænum I. can. 15. & allegat Concilium Aquiſgranenſe I. cap. 43. & Gratianus c. Non oportet. & cap. Si quis Presbyter. 7. queſt. 1. Idem Concilium Laodicenum, can. 4. & allegatur à præfato Concilio Aquiſgranenſi cap. 52. vbi dicitur: *Non oportet Sacerdotem vel Clericum ſine literis proficiſci canonicis.* & can. 43. additur: *Præter iuſsionem Pontificis.* Eadem ſtatuuntur in Concilio Chalcedonenſi IV. Generali. can. 3. Conſtantinopolitano III. quod eſt VI. Generale, in Trullo, cap. 17. & nouiſſimè Tridentino ſeſſ. 23. c. 16. de Reform. Talis ergo Clericus non permittitur miniſtrare, non quia irregularis ſit, ſed tamquam de Iure ſuſpectus, vt patet ex Concilio Antiocheno II. can. 10.

CANON XVI.

Epiſcopus Clericos alterius ſuſcipiens, communione priuatur.

EPISCOPVS verò, apud quem moratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſsationem pro nihilo reputans, tamquam Clericos fortè ſuſceperit, velut magiſter inquietudinis communione priuetur.

ANNOTATIO.

IDEM omnino ſtatuit Concilium Chalcedonenſe IV. Generale, cap. 23. Carthaginenſe I. ſub Silueſtro vel Marco, canone 5. Sardicenſe cap. 16. 18. & 19. Carthaginenſe III. can. 21. & allegatur à Gratiano diſtinct. 71. cap. Clericum alienum. Hinc & in Concilio Africano, cap. 21. ad petitionem Epigonij, qui conqueſtus eſt, Iulianum quemdam, quem ab adoleſcentia educauerat, baptizauerat, & Lectorem ordinauerat, quemdam Epiſcopum in ſua diœceſi arreptum & detentum, Diaconum ordinaſſe, inconſulto & contempto Epigonio; quod Patres prędicti Concilij confeſſi ſunt iniquè & indignè factum, & condemnauerũt eum, ſi non reſtitueret prædictum Clericum Epiſcopo ſuo & plebi cum ſatisfactione, pœniteret contumaciæ ſuæ, ſeparatus ab Epiſcopis exciperet iudicium. Idem omnino pro ſimili cauſa leguntur ſtatuiſſe Patres Toletani Concilij II. cap. 2. Idem in multis aliis Conciliis.

CANON XVII.

Bigami non admittantur ad Clerum.

SI QVIS poſt Baptiſma ſecundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſeruiunt.

ANNOTATIO.

QVOD Apoſtolus Paulus præcipit, vt Epiſcopus ſit vnius vxoris vir, hoc idẽ hîc ſtatuitur, ne ſcilicet ad Ordines ſuſcipiendos admittatur, quiſquis vel ſimul vel ſucceſſiuè duas vxores duxerit, aut ducere tentauerit, eaſq; carnaliter cognouerit. Non igitur hîc ſecundæ nuptiæ tamquam illicitæ damnãtur; ſed auctoritate Apoſtolica ſtatuitur, quod idem à Patribus Nicæni Concilij I. confirmatum eſſe, teſtatur S. Ambroſins ad Eccleſ. Vercell. vt omnis verè bigamus, irregularis ſit. Idem præcipitur in Concilio

Digitized by Google

cilio Conſtantinopolitano III. quod fuit VI. Generale in Trullo celebratum, can.7. Conciliũ Arelatenſe II. can.26. Concilium Valentinum Galliæ I. can. 1. Concilium Gerundenſe can.8. Siricius I. epiſt.4.ad Epiſcopos Africanos, Innocentius I.epiſt.2.ad Victricum Rothomagenſem Epiſcopũ, c.5. & allegat Gratianus diſt.34.cap. Si quis viduam. Concilium Carthaginenſe IV. cui ſubſcripſit Auguſtinus, cap.69. Concilium Agathenſe I.ſub Sixto III. can.3. Arauſicanum I.can.25. Arelatenſe III.cap.3.& allegat Gratianus diſt.55. cap. Nullus. & alibi pluries.

Circa illa verba eiuſdem Canonis, ***Aut concubinam habuerit***, nota, quòd tam vagus quàm adulterinus concubitus pœna digniſſimus eſt, tamen irregularitate puniri non ſolet, vt rectè notat Couarruuias Clement. Si furioſus. 1.p.§.2. num.2. quia nulla bigamia hoc caſu committitur: vnde id quod hîc dicitur, Couarruuias nunc vſu reuocatum & ſublatum eſſe tradit. Quamquam melius dicatur, publicum concubinarium, tam vagum quàm adulterinum, ratione infamiæ hîc irregularem eſſe, conſtitui, & declarari: infamis enim ad ſuſceptionem Ordinum non eſt admittendus. c.Infamis. 6.q.1. Suarez Tom.5. diſp.49.ſect.1.

CANON XVIII.

Viduam, vel eiectam, vel meretricem accipiens, non admittitur ad Clerum.

SI QVIS viduam, aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de ijs quæ publicis ſpectaculis mancipantur, non poteſt eſſe Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui miniſterio ſacro deſeruiunt.

ANNOTATIO.

IDEM ſtatuit Concilium Telenſe can.4. & Gratianus cap. Si quis viduam. diſt.34. & Concilium Carthaginenſe IV.cui ſubſcripſit Auguſtinus, cap.69. Concilium Carthaginenſe I. can.3. Toletanum I. can.3. Concilium Arelatenſe III. cap.3. & allegatur à Gratiano diſt.55.cap.Nullus. Leo I.epiſt.1. quę eſt ad Epiſcopos Campaniæ, cap.1.Concilium Romanum ſub Hilario I. can.2. & 3. & allegat Gratianus diſt.34.cap. Curandum eſt. Idem omnino & Concilium Aurelianenſe IV. cap.10. Porrò Leo I. epiſt.87. expreſsè prohibet, ne quis Epiſcopus viduæ maritus ordinetur: quod & obſeruauit in cauſa Celidonij & Hilarij Epiſcoporum. Et Hilarius I.epiſt.1.ad Aſcanium, cap.3. Hoc etiam D.Hieronymus prohibitum memorat epiſt.ad Oceanum, vt allegant eum Patres Concilij Aquiſgranenſis I.cap.98. Vide etiam Concilium Hiſpalenſe II.can.4. Quæ omnia renouat Gregorius II.epiſt.3. quæ eſt ad Epiſcopum & plebem Thuringiæ.

CANON XIX.

Duas ſorores habens, non admittatur ad Clerum.

QVI duas in coniugium ſorores acceperit, vel filiam fratris, Clericus eſſe non poterit.

ANNOTATIO.

HOc caſu alterum matrimonium nullum eſt, ſiue fiat viuente coniuge, ſiue non: & nihilominùs ob bigamiam irregularis eſſe deuincitur. Multò magis igitur is bigamus erit & irregularis, qui prima vxore adhuc viuente, ſcienter ſecundas nuptias, quantumuis inualidas, contraxerit & conſummauerit.

CANON XX.

Clericus fideiuſſor eſſe non poteſt.

CLERICVS fideiuſſionibus inſeruiens, abiiciatur.

ANNOTATIO.

CLERICVS fideiuſſionibus inſeruiens, id eſt, valdè ſeruiens, adeoque frequens in fideiubendo, pro laicis præſertim, puniri debet. ita Gloſſa cap.1. de Fideiuſſor. Si autem ex pietate & rationabili cauſa pro iiſdem fideiubeat, tantum abeſt vt peccet, vt potiùs id meritoriè agere poſſit. Panormitanus dict.cap.1. Semper autem valet fideiuſſio in foro fori, ſiue pro Clerico, ſiue pro laico fiat, vt ex cap.2.& ſeq. eod.lib. colligunt Panormitanus ibid. Gomeſius 2. Tom. Variarum reſolut.cap.13. num.18. In foro autem conſcientiæ propter hunc Canonem aliud dicendum eſt.

CANON XXI.

Qui non ſponte eunuchizati ſunt, ſuſcipiantur ad Clerum.

EVNVCHVS, ſi per inſidias hominum factus eſt, vel ſi in perſecutione eius ſunt amputata virilia, vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, efficiatur Epiſcopus.

ANNOTATIO.

HOc Canone decernitur, quòd inuoluntaria virilium membrorum præciſio nullam

Digitized by Google

nullam irregularitatem inducit: quòd autem ſpóntanea ſui ipſius procurata caſtratio ipſum caſtratum irregularem efficiat, etiamſi bono zelo pietatis contigerit, ſequentibus Canonibus ſtatuitur. Idem in c. Eunuchus. diſt. 55. Ob hanc cauſam Origenes ſpontaneam virilium exciſionem perpeſſus, & pòſt per Alexandrum Ieroſolymorum Epiſcopum Sacerdotio initiatus, de perperàm ſuſcepta Ordinatione accuſatur, & tandem à Demetrio Alexandrino Epiſcopo damnatur. Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 7. & 17. Baronius anno Chriſti 208. num. 1. & 2. De Leontio olim Preſbytero, poſteà Epiſcopo Antiocheno Arianæ factionis, hæc Athanaſius epiſt. ad Solitar. ſcribit: *Inter eos Leontius ille caſtratus, quem nec ſub laici quidem ſpecie ad communionem admitti oportuit, eò quòd ſeipſum abſcidit, vt liberè cum Euſtolio dormiret, reuerà quidem muliere, quam ipſe virginem prædicaret.* Socrates lib. 2. cap. 11. de eodem habet, ipſum ea de cauſa Preſbyterio priuatum, & poſteà Arianum factum eſſe. *Is cùm Presbyter eſſet, dignitate,* inquit, *priuatus eſt.* Plura apud Baronium anno 230. num. 5.

CANON XXII.

Qui ſe eunuchizauit, Clericus non fiat.

SI QVIS abſcidit ſemetipſum, id eſt, ſi quis amputauit ſibi virilia, non fiat Clericus, quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus.

CANON XXIII.

Clericus qui ſe ennuchizauit, eijciatur à Clero.

SI QVIS cùm Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur, quia ſuus eſt homicida.

CANON XXIV.

Laicus qui ſe eunuchizauit, tribus annis communione priuetur.

LAICVS ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione priuetur, quia ſuæ vitæ inſidiator extitit.

CANON XXV.

Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ſi pro criminibus damnati fuerint, minimè communion e priuentur.

EPISCOPVS, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus eſt, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem allegat Gratianus diſtinct. 81. cap. Presbyter. & diſt. 82. cap. Preſbyter ſi. Concilium Generale VI. can. 4. Conciliũ Neocæſarienſe can. 1. Concilium Moguntinum II. can. 19. Concilium Pariſienſe III. lib. 1. c. 35. Elibertinum ſub Melchiade, vel Silueſtro, can. 18. Turonenſe I. ſub Leone I. cap. 2. Toletanum II. ſub Ioanne II. can. 1. Aurelianenſe III. can. 7. & allegat Gratianus diſt. 81. c. Si quis. Concilium Matiſconenſe I. can. 11. Toletanum IV. ſub Honorio I. can. 42. & allegat Gratianus diſt. 81. cap. Quidam. & alibi pluries.

CANON XXVI.

Similiter & reliqui miniſtri Eccleſiæ.

SIMILITER & reliqui Clerici huic conditioni ſubiaceant.

CANON XXVII.

Qui Clerici debeant coniugibus copulari.

INNVPTIS autem qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant: ſed Lectores, Cantoreſque tantummodò.

CANON XXVIII.

Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, fideles peccantes verberare non debeant.

EPISCOPVM, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per huiuſmodi volentem timeri, deiici ab officio ſuo præcipimus, quia nuſquam nos hoc Dominus docuit. Econtrariò verò ipſe cùm percuteretur, non repercutiebat: cùm malediceretur, non remaledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.

Diſt. 45. c. Epiſcopũ. Iſa. 53. 1. Pet. 2.

CANON XXIX.

Officium priſtinum damnati vſurpare non debent.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depoſitus iuſtè ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitùs abſcindatur.

CANON

Digitized by Google

Canon XXX.

Non debent officia Eccleſiaſticá pecuniá obtineri.

Concilium Chalc. c. 2. SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit dignitatem, deiiciatur & ipſe, & Ordinator eius, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro.

Canon XXXI.

Eccleſia ſæculari potentia non peruadatur.

Si quis Epiſcopus 16. quæſt. 7. SI QVIS Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes qui illi communicant.

Canon XXXII.

Presbyter contempto Epiſcopo, ſeorſum conuentus congregare non tentet.

SI QVIS Presbyter contemnens Epiſcopum ſuum, ſeorſum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habẽs quo reprehendat Epiſcopum in cauſa pietatis & iuſtitiæ, deponatur, quaſi Principatus amator exiſtens; eſt enim tyrannus: & ceteri Clerici quicumque tali conſentiunt, deponantur: laici verò ſegregentur. Hæc autem poſt vnam, & ſecundam, & tertiam Epiſcopi obſecrationem fieri conueniat.

Annotatio.

HIC Canon confirmatur in Concilio Nicæno I. can. 5. & in Concilio Antiocheno I. cap. 13. Hæc etiam Conſtitutio relecta eſt ab Aëtio diacono coram Patribus Chalcedonenſis Concilij Act. 4. & confirmata eſt propter Monachos Ægyptios, qui refugiebant Synodi prædictæ dogmatibus conſentire. Hæc etiam decreta renouauit & confirmauit Concilium Carthaginenſe II. cap. 8. & allegatur à Gratiano cap. Si quis presbyter. 11. q. 3. Concilium VVormatienſe cap. 66. Antiochenum I. ſub Iulio I. cap. 5. Hipponenſe, can. 21. Romanum IV. ſub Symmacho, & Aurelianenſe III. can. 2. & allegatur à Gratiano cap. Si quis. diſt. 11.

Canon XXXIII.

Clerici damnati non debent ab alijs recipi.

Concilium Nic. cap. 5. Antiochenum c. 6. SI QVIS Presbyter aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, hunc non licere ab alio recipi, ſed ab ipſo qui eum ſequeſtrauerat: niſi forſitan obierit Epiſcopus ipſe, qui eum ſegregaſſe cognoſcitur.

Canon XXXIV.

Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis.

NVLLVS Epiſcoporũ peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis: & cùm ſcripta detulerint, diſcutiantur attentiùs, & ita ſuſcipiantur, ſi prædicatores veritatis extiterint. Sin minùs, nec quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptionem multa proueniunt.

Annotatio.

EADEM ſtatuit Concilium VVormatienſe, can. 62. Elibertinum can. 24. & allegatur à Gratiano diſt. 98. cap. Omnes. Chalcedonenſe Generale IV. can. 13. & allegatur à Gratiano diſt. 71. c. Extraneum. Aquiſgranenſe I. can. 51. Anglicanum I. can. 5. vt dicit Beda lib. 4. Hiſtor. Anglicanæ, cap. 5. Turonenſe I. can. 2. Aurelianenſe III. can. 15. Meldenſe can. 50. & 51. Francicum ſub Zacharia I. Sueſſionenſe ſub Childerico, Vernenſe ſub Pipino, cap. 13. Senonenſe, cap. 7. Colonienſe III. cap. 29. & 31. & nouiſſimè Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 16. vbi ſic habetur: *Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarij litteris ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.*

Canon XXXV.

De primatu Epiſcoporum.

EPISCOPOS gentium ſingularum ſcire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter eius conſcientiam gerant, quàm illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ ſub ea ſunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto. Concilium Antiochenum c. 9.

Digitized by Google

CANON XXXVI.

Non liceat Epiſcopum in aliena prouincia Clericos ordinare.

EPISCOPVM non audere extra terminos proprios Ordinationes facere in ciuitatibus & villis, quæ illi nullo iure ſubiectæ ſunt. Si verò conuictus fuerit hoc feciſſe, præter eorum conſcientiam, qui ciuitates & villas detinent; & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.

ANNOTATIO.

NICÆNA Synodus can. 6. & Epheſina illis Actis quæ poſt 7. can. edita ſunt, hos Apoſtolorum Canones ſequuntur, ſtatuentes, vt ſinguli Epiſcopi ſuum Primum & Metropolitanum agnoſcant, atque extra ſuam Diœceſim nihil agant. Idem ſtatuit Calixtus I. epiſt. prima ad Epiſcopos Galliæ, & allegat Iuo lib. 4. Decret. c. Nullus Primas. Sixtus II. epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Concilium Ancyranum can. 13. Gratianus cap. Si quis. diſt. 71. Iulius I. epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales, cap. 6. Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricum Epiſcopum Rhotomagenſem, cap. 7. Concilium Antiochenum I. ſub Iulio I. can. 13. & allegat Gratianus cap. Nullum. 9. quæſt. 2. Concilium Sardicenſe can. 18. & 19. Siricius I. epiſt. 4. ad Africanos Epiſcopos, cap. 6. quæ ſcripta eſt Romæ in conuentu & Concilio 80. Epiſcoporum, quæ & lecta & approbata eſt in Concilio Telenſi.

CANON XXXVII.

De ordinatis Epiſcopis, nec receptis.

Concilium Antioch. cap. 18.

SI QVIS Epiſcopus nō ſuſceperit officium & curam populi ſibi commiſſam, hic communione priuetur, quoadusque conſentiat, obedientiam commodans: ſimiliter autem Presbyter, & Diaconus. Si verò pertexerit, nec receptus fuerit, nō pro ſua ſententia, ſed pro malitia populi; ipſe quidem maneat Epiſcopus, Clerici verò ciuitatis communione priuentur, eò quòd eruditores inobedientis populi non fuerint.

CANON XXXVIII.

Bis in anno Concilia celebrentur.

BIS in anno Epiſcoporum Concilia celebrētur, vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoueant: ſemel quidem quarta ſeptimana Pentecoſtes; ſecundò verò, duodecima die menſis Hyperethei. (id eſt Octobris.)

ANNOTATIO I.

IDEM Anacletus I. ad calcem epiſt. 1. Concilium Nicænum I. Generale, can. 5. Agathenſe can. 71. Leo I. epiſt. 82. ad Anaſtaſium, & allegatur à Gratiano diſtinct. 18. cap. de Conciliis. Chalcedodenſe IV. Generale, Act. 15. can. 19. & allegatur à Gratiano diſtinct. 28. cap. Peruenit. Toletanum III. cap. 18. vbi ait: *Quòd ſi propter longitudinem itineris non potuerint bis in anno Concilia celebrari, ſaltem ſemel celebrentur.* Quod cōfirmat Concilium Turonenſe II. cap. 1. vbi omnibus Metropolitanis iniungit, ſi nō bis, ſaltem ſemel in anno Synodum conuocare, Epiſcopis mandans omnibus adeſſe ſub pœna excommunicationis, ſi non legitima excuſatione impediantur. Idem ſtatuit Concilium Generale VII. Nicænum II. ſub Adriano I. c. 6. Porrò licet toties hæc canonica Decreta renouata ſint & repetita, Patres tamen Concilij Pariſienſis III. conqueruntur lib. 1. cap. 26. quòd neglecta fuerint, & hinc infinita mala recēſent exorta. Vnde in lib. 3. præfati Concilij, cap. 11. ab Imperatoribus impetrant, vt ſecundùm memorati Nicæni ſtatuti præſcriptum, & aliorum Conciliorum decreta, Concilia bis aut ſemel in anno celebrentur. Quod renouat Concilium Generale VIII. Conſtantinopolitanum IV. ſub Adriano II. & nouiſſimè Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione, vbi ait: *Prouincialia Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis, aliiſq. ex ſacris canonibus permiſſis renouentur, ſaltem quolibet triennio poſt Octauam Paſchæ à Metropolitano, vel antiquiori Coēpiſcopo, ad quem omnes alij cōueniant,* &c. Quod quidem noſtris temporibus pluſquàm diligentiſſimè præſtitit ſanctus Carolus Borromæus Card. Archiepiſcopus Mediolanenſis, vt ex Actis Mediolanenſis Eccleſiæ clarè patet.

ANNOTATIO II.

Conciliorū celebratio frequentanda.

SVNT autem multæ rationes, propter quas Concilia ſic frequenter celebrari debent. Primò, Vt videatur quo modo Epiſcopi in ſuo munere exercendo ſe gerant, & villicationis ſuæ reddant rationē, prout in Concilio Tridētino ſeſſ. 23. de Reform. c. 5. ſatis innuitur: & defectus emendentur, prout in-

Digitized by Google

ut innuitur in cap. Quapropter. diſtinct. 18. in Tridentino vbi ſuprà, cap. 5. & cap. 18. & ſeſſ. 24. de Reform. cap. 18. & ſic præcipitur, vt defectus in Conciliis Prouincialibus proponantur, & ſtrictè ſyndicentur in ratiociniis præſtandis. Secunda ratio eſt, Quia aliqua decreta Conciliorum Vniuerſalium & Conſtitutionum Pontificalium obliuione aut alia cauſa tranſgredi poſſunt, & tranſgreſſa ſunt: & ſic poteſt contra ea allegari, moribus vtentium non eſſe comprobata, & iam per vſum non obligare: quod certè in maximum detrimentum Eccleſiæ vniuerſalis cedit, vt omnibus eſt compertum. Eccleſia enim cum obſeruantia prædictorum Decretorum & Conſtitutionũ, progreditur quaſi aurora conſurgens, quibus eneruatis, & per non vſum ſublatis, poſſumus de ea illud Thren. 4. dicere: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus.* Tertia ratio eſt, Quia hæreſes pullularunt ex eo, quòd non ſunt ſæpè celebrata Concilia. Principalis enim cauſa, quare in Alemannia, Anglia, Scotia, Belgio, & Gallia hęc maxima peſtis ſerpit, fuit, & eſt, quia Metropolitani ab his Conciliis ineundis ceſſauere, prout deplorat Anaſtaſius Conſtantinopolitanus epiſt. 2. loquens de ipſis, dicens: *Si aſſiduè ea celebrentur, reformationem Eccleſia cauſabunt, & hæreſes extirpabuntur: ipſa autem continuò celebrata, naſcentes hæreſes ſtatim & breuiter extirpabunt, quæ ſi per aliquod tempus diſſimulantur, ſumptis viribus difficilè deſtruentur.* Quarta ratio eſt, Quia ceſſantibus Epiſcopis ab ipſa tam neceſſaria celebratione, propter hoc conſequenter ceſſat correctio morum, imò & delinquẽtium; & laici mittentes falcem in meſſem alienam de reformatione Eccleſiæ, agunt opus alienum ab eis, ſibi aſſumentes, affirmantes, ipſos in ſubſidium poſſe ſe in rebus Eccleſiaſticis intromittere, cùm Eccleſiaſtici ad quos ſolicitudo hæc efficiendi ſpectat, negligẽtiores, quàm par eſt, ſe in omnibus oſtendant: ita vt iam Prædicatores in publicis concionibus eorum nimiam negligentiam redarguentes, auxilium ſæculare implorare ad reformationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ videantur. Quinta ratio eſt, Quia Eccleſia Dei ſemper prouiſa fuit de miniſtris, qui voluntatem Dei declararent & interpretarentur. Vnde in Conciliis ad hoc præcipuè attenditur, vt fidelibus animabus Paſtores idonei prouideantur. Hinc Deus per Dauid in Pſalm. 49. dicit: *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Sanctos autem, Epiſcopos vocat: nam licet aliqui ſanctitatem non ſectentur, officium tamen & munus Sanctorum præ ſe ferunt, & aliqui eorum inter Sanctos meritò connumerantur. Concilia ergo Prouincialia ſunt ſæpè congreganda, vt neceſſitatibus Eccleſiæ poſſit ſubueniri: nam, vt ait Franciſcus à Victoria in Relect. de Poteſtate Papæ & Concil. ab eo tempore, quo propter nouas opiniones Doctorum Pontifices cœperunt timere Concilia, Eccleſia manet ſine Conciliis, & manebit cum magna calamitate & pernicie Religionis. Et hæretici nil aliud fortiùs impedire ſatagunt, quàm Concilia congregari, ne Eccleſia terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, eis opponatur. Quæ rationes ſuo modo militant etiam, vt in Religionibus pro earum conſeruatione Capitula ſæpiùs celebrentur.

CANON XXXIX.

Epiſcopus ſolùm rerum Eccleſiaſticarum curam habeat.

OMNIVM negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet: nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare: quòd ſi pauperes ſunt, tamquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione Eccleſiæ negotia deprædetur.

ANNOTATIO.

IDEM infrà Can. 41. & allegatur à Gratiano cap. Præcipimus. 12. quæſt. 1. Hos duos Canones allegat etiam Concilium Nicænum II. can. 12. Citat quoque Concilium Pariſienſe III. lib. 1. cap. 15. Concilium VVormatienſe cap. 45. & Tridentinum ſeſſ. 25. c. 1. de Reform.

CANON XL.

De dignitate Pontificis, & quòd rerum ſuarum habeat poteſtatem.

PRESBYTERI & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent: nam Domini populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem. Sint autem manifeſtæ res propriæ Epiſcopi (ſi tamen habet proprias:) & manifeſtæ Dominicæ, vt poteſtatem habeat de propriis, moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere. Nec ſub occaſione Eccleſiaſticarum rerum, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant:

Digitized by Google

fortaſſis enim aut vxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut ſeruos. Et iuſtum eſt hoc apud Deum & homines, vt nec Eccleſia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Epiſcopus vel eius propinqui, obtentu Eccleſiæ proſcribantur, & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, morſque eius iniuriis malæ famæ ſubiaceat.

ANNOTATIO.

IDEM omnino ſtatuit Damaſus Papa epiſt. 4. ad Proſperum, & reliquos Numidiæ Epiſcopos, Gelaſius epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutiorum, & Siciliæ, c. 30. & allegat Gratianus cap. Quapropter. 2. q. 2. Idem & Antiochenum Concilium I. c. 25. *Sunt autem manifeſta*, &c. Hoc antiquis Canonibus vetitum eſſe, teſtantur Patres Concilij Chalcedonenſis can. 22. Et cùm nullus alius quàm Apoſtolicus Canon id ſtatuiſſe inueniatur, per antiquos Canones vnum ex his intellexiſſe, coniicere licet.

CANON XLI.

Epiſcopus rerum Eccleſiaſticarum pro diſpenſatione pauperum habeat poteſtatem.

PRAECIPIMVS, vt in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omniq́ue ſolicitudine miniſtrentur. Ex iis autem, quibus indiget (ſi tamen indiget) ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum vſus, ipſe percipiat, vt nihil poſſit eis omnino deeſſe. Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deſeruiunt, de altari paſcantur: quia nec miles ſtipendiis propriis contra hoſtes arma ſuſtulit.

CANON XLII.

Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, aleator & ebrioſus eſſe non debet.

EPISCOPVS, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut certè deponatur.

ANNOTATIO.

HIC Canon citatur & renouatur in Concilio VI. Generali, Conſtantinopolitano III. cap. 50. Vide etiam Concilium Agathenſe can. 41. & allegatur à Gratiano diſtinct. 35. cap. Ante. Concilium Veneticum ſub Leone vel Hilario, Concilium Turonenſe I. cap. 2. Turonenſe III. c. 48. Cabilonenſe II. cap. 10. Moguntinum I. cap. 46. Aquiſgranenſe II. cap. 6. & Lateranenſe Generale ſub Innocentio III. c. 15. vbi ſic habetur: *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant: vnde vinum ſibi temperent, & ſe vino.* Et infrà: *Si quis autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi à Superiore commonitus ſatisfecerit competenter, à Beneficio vel Officio ſuſpendatur.*

CANON XLIII.

Clerici & laici ſi permanſerint in alea, communione priuentur.

SVBDIACONVS, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens; aut deſinat, aut communione priuetur: ſimiliter etiam laicus.

CANON XLIV.

Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus non debet vſuras accipere.

EPISCOPVS, aut Presbyter, aut Diaconus vſuras à debitoribus exigens; aut deſinat, aut certè damnetur.

ANNOTATIO.

OMNIBVS interdicta eſt vſura, ſed præcipuè Eccleſiaſticis, prout in hoc Canone, qui allegatur à Gratiano diſtinct. 41. cap. Epiſcopo. & à Concilio Nicæno I. can. 18. & à Concilio VI. Generali, can. 10. & à Cócilio Arelatenſi II. can. 14. & à Concilio Aquiſgranenſi I. can. 40. Idem quoque ſtatuit Conciliũ Elibertinum, cap. 20. & allegatur à Gratiano diſt. 47. c. Si quis Clerico. vide etiam cap. Miniſtri. 14. q. 4. cap. Seditionarios. diſt. 46. Idem habet Concilium Arelatenſe I. can. 12. Carthaginẽſe I. can. 12. Carthaginenſe IV. can. 67. & alibi pluries.

CANON XLV.

Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus non debet cum hæreticis orare.

EPISCOPVS, Presbyter, aut Diaconus, qui cum hæreticis orauerit, tantummodò communione priuetur: ſi verò tamquam Clericos hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.

CANON XLVI.

Baptiſmata hæreticorum non debent comprobari.

EPISCOPVM, aut Presbyterum, hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma, dam-

Digitized by Google

damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?

ANNOTATIO.

HÆRETICORVM Baptiſma non eadem forma, qua confertur ab Eccleſia, collatum, nullum eſt, adeoque reiiciendũ. Hoc modo baptizarunt illi, qui Apoſtolorum tempore can. 49. & 50. in tribus partibus, ſeu in nomine trium principij expertium, aut trium Filiorum, vel trium Paracletorum, vel in morte Domini baptizabant: quique, vt glorioſiſſimæ Trinitatis confeſſionem deſtruerent, Catholici Baptiſmatis formæ aliquid vel addebant, vel ſubtrahebant. Ita baptizauerunt Gnoſtici, teſte Irenæo lib. 1. cap. 18. in nomine Ignoti Patris omnium, & in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Ieſu ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Hoc modo forma Baptiſmi corrupta Paulianiſtæ baptizarunt, ideóque ab his baptizati, venientes ad Eccleſiam Catholicam, iterùm baptizari præcipiuntur Canone 19. Concilij Nicæni. Nicephorus lib. 10. Hiſtor. cap. 35. refert, quemdam Epiſcopum Arianum, nomine Deutrum, baptizaſſe in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto: & addit, miraculosè accidiſſe, vt aqua, quæ ad Baptiſmum parata erat, repentè in deteſtationem Arianæ hæreſis, quam ille prædictis verbis profiteri intendebat, diſparuerit. Tempore Apoſtolorum, formam Baptiſmi mutaſſe & corrupiſſe Cherintum, ex eo collegit Baronius anno Chriſti 167. num. 2. quòd Chriſti diuinitatem negauerit: atque vt docet Irenæus lib. 1. cap. 25. Chriſtum à Ieſu ſeiunxerit. Ita intelligendum eſt quod in Vita Pij legitur in Romano Pontificali: *Hic conſtituit, hæreticum venientem ex Iudæorum hæreſi, ſuſcipi, & baptizari*. Suarez Tom. 3. diſputat. 21. ſect. 3.

CANON XLVII.

Eccleſiæ Baptiſmate baptizatus, denuò baptizari non debet: & non ita baptizatus, debet baptizari.

EPISCOPVS, aut Presbyter, ſi eum, qui ſecundùm veritatem habuerit Baptiſma, denuò baptizauerit, aut pollutum ab impiis non baptizauerit; deponatur, tamquam deridens crucem & mortem Domini, nec Sacerdotes à falſis ſacerdotibus iure diſcernens.

ANNOTATIO.

QVI *ſecundùm veritatem habuerit*, &c. Hoc dicit, quia etiamſi ab hæreticis miniſtratum ſit, modò in forma illius cum Eccleſia conſenſerunt, valet Baptiſma, ideóque nequaquam reiterandum eſt. Hanc ſententiam Stephanus Papa contra Cyprianum, multoſq; alios Africanos, ſola Apoſtolica (vt inquit Euſebius) traditione fretus, defendit. Qui verò iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam per expreſſam SS. Trinitatis inuocationem non ſunt baptizati, ſi ad Eccleſiam veniant, Baptiſmo Catholico baptizandi ſunt. Marcion hæreſiarcha non tantùm anabaptiſmum hic damnatum introduxit, ſed etiam tertium ad peccata diluenda conceſſit. Epiphanius hæreſi 42. Baronius anno Chriſti 146. num. 12.

CANON XLVIII.

Laicum pellentem ſuam coniugem, communione priuandum.

SI QVIS laicus vxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimiſſam duxerit, communione priuetur.

CANON XLIX.

In nomine Trinitatis debet baptizari.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ſed in tribus ſine initio principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, abiiciatur.

ANNOTATIO.

IN hoc Canone præcipitur, vt baptizantes ſub forma à Chriſto præſcripta, per expreſſam videlicet ſacroſanctæ Trinitatis inuocationem, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptizent. Vnde Clemens Papa I. lib. 3. Conſt. cap. 16. *Nominans*, inquit, *inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptizabis eos in aqua*. Et lib. 7. cap. 23. *Baptizare debes, quemadmodum Dominus præcepit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Pelagius in cap. Si reuerà. de Conſecr. diſt. 4. dicit, Baptiſmum datum in nomine Domini eſſe nullum. Et in cap. Multi ſunt. cap. diſt. expreſsè docet, Baptiſmum non perfici, niſi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ita vt, qui vel vnam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non inuocaret, verum Baptiſma non conficeret. Quo ſenſu igitur Apoſtoli in Actibus dicantur baptizaſſe in nomine Chriſti, & quomodo illud Nicolai Papæ, cap. A quodam Iudæo. de Conſecr. diſt. 4. vbi ait, Baptiſmum in nomine

ne Chriſti vel Trinitatis collatum, validum eſſe, ſit intelligendum, moderniores fusè tractant in materia de Baptiſmo, & nos in eadem materia ſuper 3. Partem D. Bonauenturæ fusè id diſputamus. Pro nunc breuiter dico, quòd rectè poteſt ſuſtineri ſententia, quæ dicit, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti ex diſpenſatione, vt ſcilicet nomen illud, quod apud Iudæos erat exoſum, redderetur glorioſum & mirabile. Et fauet textus Actuum Apoſtolorum, qui id apertè videtur dicere. Benè verum eſt, quòd baptizare modò in nomine Chriſti, abſque expreſſa inuocatione trium diuinarum Perſonarum, ampliùs non licet. Et ad auctoritatem Nicolai Papæ, Gabriel reſpondet, Nicolâum referre totum ad tempus Apoſtolorum. Alij aſſerunt, Nicolaum Papam fuiſſe illius opinionis, à cuius ſententia licitum eſt nobis diſcedere, Sanctorum dictis & aliorum Pontificum, & Conciliorum decretis adhærendo, quæ efficaciùs vrgent: nam in illo cap. inter reſpondendum admiſcuit opinionem ſuam, quòd ſcilicet valeret Baptiſmus in nomine Chriſti collatus: at illud propriè & præcisè in illo Decreto definiuit, de quo in primis conſulebatur, nempe, valere Baptiſmũ, non obſtante quòd conferebatur ab aliquo Iudæo, ſi cetera non defuerint: quod & certum eſt; quia Baptiſmus non pendet ex fide, aut ex conditione miniſtri. Itaque ſi Papa Nicolaus definiat de fide, id tantùm definit, de quo quærebatur: at quia non ſatis conſtat, ipſum definiſſe etiam hoc, imò argumenta in contrarium vrgent; proptereà dicimus, id ſolùm aſſeruiſſe tamquam Doctor. Vide latè hoc apud Sotum in 4. diſt. 3. art. 6. Bellarminum lib. 1. de Bapt. cap. 3. Suarez Tom. 3. diſput. 21. ſect. 3. Aretinum in 4. diſt. 3. q. 2. art. 12. & alios.

CANON L.

Non vna, ſed trina merſio debet dari in Baptiſmo.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, non trinā merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, In mortem meā baptizate; ſed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

ANNOTATIO.

IN hoc Canone directè damnatur error eorum, qui baptizabant in nomine Domini, vna merſione. Contra hos ergo docetur, inuocandam eſſe Trinitatem; & additur, ter eſſe mergendum, tum propter conſuetudinem illius temporis, tum in deteſtationem illius erroris. Et quamuis fortaſſe hinc, & ex c. Multi ſunt. de Conſecr. diſt. 4. trina merſio neceſſitate Sacramenti ad Baptiſmum requiri videatur; ideoque ſancti Patres (Dionyſius cap. 2. Cæleſtis hierarch. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 27. Athanaſius q. 125. ad Antioch. Hieronymus dial. Contra Lucifer. Auguſtinus ſerm. 91. & 201. de Temp. Ambroſius lib. 2. de Sacr. cap. 7.) hanc trinam merſionem ex Apoſtolica traditione ortam ſcribant: & quod maximum eſt, in Concilio Conſtantinopolitano I. can. 7. error Eunomij docentis, vt teſtatur Theodoretus lib. 4. Hæreticar. fabul. non oportere baptizandum ter immergere, damnatus ſit; tamen ex communi Theologorum conſenſu, certum eſt, ad eſſentiam huius Sacramenti conſtituendam, ſufficere quamlibet ablutionem aquâ factam, ſiue per aſperſionem, ſiue per immerſionem vnam, aut tres fiant. Ex Concilio Toletano IV. c. 5. conſtat, vnam merſionem ſufficere, trinam verò merſionem neceſſariam non eſſe. Vbi etiam refertur reſponſio Gregorij Papæ ad Leandrum, quę habetur lib. 1. Regiſtr. ep. 41. qui conſultus hac de re, quoniam in Hiſpania quidam triplici merſione, alij vna tantùm baptizabant; reſpondit, vtramque retineri poſſe, ſiue trina merſio adhibeatur, ad ſignificandam Trinitatem perſonarum; ſiue vna tantùm, ad confitendam Diuinitatis vnitatem. Addit autem, conſultius fuiſſe tunc poſteriorem baptizandi modum retinere, ad vitandum Arianorum errorem, qui naturarum diuiſionem, & Trinitatem in trina merſione profitebantur. Aſperſionem ſufficere, Cyprianus lib. 4. epiſt. 7. ſ. Quæſiſti. teſtatur, & Baptiſmo Apoſtolorum Act. 2. vno die tribus millibus hominum collato: ſicut etiam ex conſuetudine Eccleſiæ, & facto S. Laurentij colligitur. Modus autem baptizandi is vſurpandus eſt vnicuique, qui ex conſuetudine Eccleſiæ ſuæ præſcriptus & receptus eſt. Ex Auctoribus autem ſuprà commemoratis nihil aliud probatur, quàm quòd illo tempore ritus baptizandi per trinam merſionem conſuetudine vulgari receptus fuerit. Eunomius per Concilium Conſtantinopolitanum damnatus fuit, quoniam hæretico ſpiritu, & ad introducendos falſos errores illam cærimoniam auferebat.

CA-

Digitized by Google

CANON LI.

A nuptiis, carnibus, & vino abſtinentes propter abominationem, damnantur.

SI QVIS Epiſcopus, Presbyter, vel omnino ex Sacerdotali numero, à nuptiis, carnibus, & vino, non propter exercitationem, ſed propter abominationem abſtinet, oblitus, quòd omnia valdè bona, & quòd maſculinum & femininum fecit Deus hominem, ſed blaſphemans calumniatur opificium; vel corrigatur, vel deponatur, & ex Eccleſia deiiciatur: ſimiliter & laicus.

ANNOTATIO.

IMPIVS Saturninus eiuſque gregales, primi à matrimonio & à propagatione, ac manducatione carnis animatæ, cuius auctor diabolus ſit, abſtinendum eſſe, Apoſtolorum temporibus docuerunt: vt patet ex Ignatio epiſt. 9. & 13. Irenæo lib. 1. cap. 22. Hos, teſte Hieronymo lib. 1. Contra Iouin. Spiritus ſanctus venturos deſignauit, eorumque doctrinam per Apoſtolum Paulum 1. Tim. 4. condemnauit: atque ideò optimo iure cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubiiciuntur, quicumque à nuptiis & carnibus, quaſi per ſe malæ & prohibitæ ſint, abſtinent. Baronius anno Chriſti 57. num. 188.

CANON LII.

Reuertentes ad pœnitentiam, recipi debent.

SI QVIS Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis conuertitur, non recipit, ſed eiicit, deponatur: quoniam Chriſtum moleſtia afficit, qui dixit: Gaudium eſt in cælo propter vnum peccatorem pœnitentiam agentem.

ANNOTATIO.

HIC Canon ab Origene lib. 3. Contra Celſum citatus, Stoicorum Philoſophorum errorem, quem Montanus & Nouatiani, in Eccleſiam à ſe inuectum, pertinaciter defenderunt, nimirum lapſos ad pœnitentiam recipiendos non eſſe, damnat. Hæc ex Cypriano epiſt. 52. Baronio anno Chriſti 254. num. 104. & ſeqq. Hæc eadem ijdem Apoſtoli in Conſtitutionibus ſuis iterùm replicant, vt docet Clemens I. lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 12. Idem docet Ignatius Martyr epiſt. ad Epheſios, Tertullianus lib. de Pœnitentia; & Abdias lib. 5. Certaminis Apoſtolici, de recipiendis pœnitentibus, exemplum profert ex Ioanne Euangeliſta, qui duos iuuenes legitur admiſiſſe, præſignatis & præſcriptis 30. pœnitentiæ diebus; quibus expletis, indulgentiam dedit, & gratiam priſtinam, quam amiſerant, receperunt. Idem ſtatuitur in Concilio Laodiceſi can. 2. Toletano III. can. 11. & Concilio Generali VII. Act. 1.

CANON LIII.

Eccleſiaſticus non ſumens carnem & vinum in Feſtis, deponatur.

SI QVIS Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus in feſtis diebus carnem & vinum non ſumit, abhorrens, & non propter exercitationem; deponatur, vt qui habeat iuſtam conſcientiam propriam, & ſit multis offenſionis cauſa.

CANON LIV.

Clericus in caupona comedens, quando ſegregandus.

SI QVIS Clericus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præterquam ſi in publico diuerſorio in via propter neceſſitatem diuerterit.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem allegat & citat Gratianus diſt. 44. cap. Nulli, vbi nec Sacerdoti permittitur cauponariam habere tabernam: & ſi non ceſſauerit, deponi debet. Idem prohibet Concil. Carthaginenſe III. can. 27. Concilinm Hipponenſe can. 28. Concilium Africanum ſub Bonifacio I. can. 7. Vnde etiam ſtatuit Conciliũ Turonenſe III. can. 21. hoc modo: *Seruandum Presbyteris firmiter ſtatuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi bibendíve cauſa. Quòd ſi poſt hæc ſtatuta facere præſumpſerint, canonica decernimus ſententia feriendos.* Idem repetit Concilium Cabilonenſe II. can. 44. & Concilium Rhemenſe, can. 26. vbi allegatur memoratum Conciliũ Carthaginenſe III. & Laodicenſe can. 24. Vide etiam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 16. Concilium Ratiſponenſe can. 3. & ſtrictiſſimè Concilium Colonienſe III. par. 2. cap. 25. & Concilium Moguntinum IV. can. 74.

CANON LV.

Clericus Epiſcopum contumelia afficiens, deponatur.

SI QVIS Clericus Epiſcopum contumelia affecerit, deponatur: Principi enim populi non maledices. Exod. 22. Act. 23.

Annotatio.

Hoc etiam vetat Cyprianus lib. 3. ep. 9. ad Rogatianum. Proclus Conſtantinopolitanus in epiſtola Synodica ad Donum Epiſcopum Antiochenum pro cauſa Athanaſij Epiſcopi Parenorum, qui iniuriam à ſuis paſſus fuerat, quæ inſcribitur Act. 14. Concilij Chalcedonenſis: & hoc etiam confirmat Concilium Aruernenſe can. 3. ſic inquiens: *Ne à potentibus ſæculi clerici contra Epiſcopos ſuos vllo modo erigantur.* Vide Concilium Carthaginenſe I. can. 11. & allegatur à Gratiano cap. Si quis. 15. q. 7. Carthaginenſe IV. can. 57. Concilium Agathenſe ſub Cœleſtino I. can. 2. Concilium Aurelianenſe V. ſub Pelagio I. cap. 14. Vide cap. Clericus. diſt. 46. cap. Contumaces. diſt. 50.

Canon LVI.

Idem de Clerico erga Presbyterum, vel Diaconum.

Si qvis Clericus Presbyterũ vel Diaconum iniuria affecerit, ſegregetur.

Canon LVII.

Clericus irridens claudum, ſurdum, vel cæcum, ſeparetur.

Si qvis Clericus claudum, vel ſurdum, vel eum cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ſeparetur: ſimiliter & laicus.

Annotatio.

Canon hic citatur à Iuſtiniano, Conſtitut. 6. ad Epiphanium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, de rectè ordinandis Epiſcopis. Turrian. cap. 21.

Canon LVIII.

Epiſcopus vel Presbyter, Cleri vel populi curam non gerens, ſegregetur.

Episcopvs vel Presbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur: & ſi in ſocordia perſeuerat, deponatur.

Annotatio.

De hoc Cyprianus, vel quicumque ſcripſit librum De 12. abuſionibus, cap. 10. Leo I. epiſt. 3. & allegat Gratianus diſt. 86. cap. Inferiorum. & c. Diuinis. 25. q. 1. Symmachus I. in Concilio Romano VI. quod celebrauit. Idem & Pelagius II. epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ & Campaniæ. Vide Concilium Piſtenſe ad Sequanam celebratum, c. 4. Toletanum IV. ſub Honorio I. can. 3. Taxatur quoq; Epiſcoporum oſcitantia per Concilium Pariſienſe III. lib. 1. cap. 21. Et per Concilium Aquiſgranenſe II. cap. 11.

Canon LIX.

Epiſcopus vel Presbyter Clericis egenis non præbens neceſſaria, puniatur.

Si qvis Epiſcopus vel Presbyter, cùm ſit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ ſunt neceſſaria ei non ſuppeditat, ſegregetur: ſin autem perſeuerat, deponatur, vt qui fratrem ſuum interfecerit.

Canon LX.

Libros impiorum in Eccleſia publicans, deponatur.

Si qvis falsò inſcriptos impiorum libros tamquam ſanctos, in Eccleſia publicat ad populi & Cleri perniciem, deponatur.

Annotatio.

Clemens I. lib. 1. Conſtitut. Apoſt. cap. 6. & 7. ſic Apoſtolos memorat ſtatuiſſe: *Abſtinete ab omnibus Gentilium libris: quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis prophetiis, quæ quidem leues à fide abducunt. Nam quid tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas Gentium fabulas confugias? Nam ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges: ſi ſophiſtica & poëtica, habes Prophetas, & Iob, & Prouerbiorum auctorem, in quibus omnis poëticæ ac ſapientiæ accuratam rationem inuenies: quoniam Domini Dei, qui ſolus eſt ſapiens, voces ſunt. Quòd ſi cantilenas cupis, habes Pſalmos: ſi rerum origines noſſe deſideras, habes Geneſim: ſi leges & præcepta, habes glorioſam Dei legem. Ab omnibus igitur externis & diabolicis libris vehementer te contine.*

Canon LXI.

Conuictus de falſa accuſatione, vel alicuius prohibitæ actionis, ad Clerum non prouehatur.

Si aduerſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterij, vel alicuius alîus prohibitæ actionis, & conuictus fuerit, ad Clerum ne prouehatur.

Canon LXII.

Clericus negans propter metum nomen Chriſti, eijciatur.

Si qvis Clericus propter metum humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici, negauerit, ſi quidem nomen Chriſti, eiiciatur; ſi autem nomen Clerici,

Digitized by Google

rici, deponatur. Pœnitentiam autem agens, vel laicus, recipiatur.

CANON LXIII.

Clericus in ſacris, comedens carnes in ſanguine, vel morticinium, deponatur.

SI QVIS Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in ſanguine, animæ ipſorum, vel quid à feris captum, vel morticinium, deponatur: hoc enim Lex prohibuit: ſi autem ſit laicus, ſegregetur.

CANON LXIV.

Ingrediens Iudæorum vel hæreticorum ſynagogam ad orandum, deponatur, & ſegregetur.

SI QVIS Clericus, vel laicus, in Iudæorum vel hæreticorum ſynagogam ingreſſus ſit ad orandum, deponatur, & ſegregetur.

CANON LXV.

Clericus in pugna occidens aliquem, deponatur.

SI QVIS Clericus in pugna pulſatum aliquem vno ictu occiderit, deponatur, propter ſuam procliuitatem & temeritatem.

CANON LXVI.

Clericus ieiunans in die Dominico, vel Sabbato, deponatur.

SI QVIS Clericus inuentus fuerit die Dominico ieiunare, vel Sabbato, præterquam vno ſolo, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem ſuppoſititium eſſe, Baronius anno Chriſti 102. num. 15. probat his rationibus. Primò, Quòd à nullo ſanctorum Patrum, & ne quidem ab Epiphanio in Compendio doctrinæ, vbi ſolum Dominicos dies à ieiunio Quadrageſimæ excipit, citatus eſſe reperiatur: cùm tamen ſæpè Canones Apoſtolorum citare ſoleant. Secundò, Quia Romana Eccleſia ieiunium Sabbati à Petro & Paulo ſibi traditum, vel ad commemorandam Chriſti ſepulturam, vel ad imitandum exemplum biduo mortis Chriſti ieiunantium & mœrentium ſuſcepit, vt patet ex Auguſtino epiſt. 85. Innocentio epiſt. 11. cap. 4. Concilio Elibertino can. 21. Concilio Agathenſi can. 12. Quod ſanè Eccleſiam Romanam contra Apoſtolicam prohibitionem feciſſe; Clementem, qui Canones Apoſtolorum à ſe conſcriptos nouerat, permiſiſſe; Petrum & Paulum obſeruari mandaſſe, nequaquam cogitari aut dici poſſet, ſi hic Canon Sabbati, præterquam Paſchalis, ieiunium vetans, Apoſtolis auctoribus conditus eſſet. Verùm, cùm S. Ignatius epiſt. 8. ad Philippenſes hæc ſcribat: ***Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum (vno excepto) ieiunarit, hic Chriſti interfector eſt***; & de corrupto hoc loco Ignatij per Græcos, ſuſpicio eſſe non poſſit: quia huius ieiunij Sabbatini, non tantùm apud Ignatium prædicto loco, & can. 55. Trullanæ Synodi; ſed etiam apud Clementem libro 7. Conſtit. cap. 24. Gregorium Nyſſenum, Orat. Contra eos qui ægrè ferunt reprehenſiones. item apud Anaſtaſium Nicænum lib. Quæſt. q. 77. mentio fit; hanc repugnantiam, ſi qua eſt, ſic poſſe reconciliari exiſtimo: De ieiunio Sabbati non fuiſſe Canonem Apoſtolicum, vt rectè Baronius & Bellarminus ſentiunt; ſed diuerſas tamē & contrarias fuiſſe cōſuetudines Orientalis & Occidentalis Eccleſię. Orientalis ex pia conſuetudine Sabbato, vno Paſchali excepto, non ieiunabat, idque in odium & deteſtationem hæreticorum illorum, qui Deum auctorem mundi, cum omnibus à ſe creatis rebus malum eſſe; atq; ideò à carnis eſu & propagatione per matrimoniū abſtinentes, die Sabbato ieiunandum eſſe, ne creator mundi, qui die ſeptima requieuit, honorari videatur, docebant, & obſeruabant: vt conſtat apud Irenæum lib. 1. cap. 20. & ſeq. Epiphanium hæreſi 21. & 41. Orientalis proinde Eccleſia, vt dictam Deo illatam cōtumeliam vindicaret, ac honorem Dei creatoris vniuerſi contra ſæuos Dei & Eccleſiæ hoſtes defenderet ac propugnaret, cōmuni conſenſu recepit, ne quis die Sabbato ieiunaret, ſed potius illum magna cum hilaritate tranſigeret, ac inſtar diei Dominicæ celebraret. Hoc ſenſu Ignatius dixit prædicto loco: ***Si quis Sabbatum ieiunarit, Chriſti interfector eſt, quia nimirum Deo debitum honorem & gloriam adimere conatur***. Occidentalis autem Eccleſia hęreſi prædicta iam extincta & propulſata, nō licite tantùm, ſed etiam piè Sabbato ieiunat, vt longiſſimè quàm poteſt, à Iudæis Sabbato epulantibus recedat, memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbati mortuus & ſepulchro incluſus iacuit, veneretur; Apoſtolos alioſque Domini diſcipulos, qui ſponſo ſuo ablato, Feria ſexta & Sabbato in luctu & mœrore fuerunt, imitetur; & ad Dominicæ diei celebritatem pręparetur.

paretur. Vide Baronium vbi ſuprà, Bellarminum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 27. & libro de Bonis operibus in particulari, cap. 18. Sed cur die Dominico neque Orientalis neque Occidentalis Eccleſia ieiunat? vt hæreticos, Chriſti reſurrectionem negantes, ideoque diem Dominicam in luctu, mœrore, ac ieiunio tranſigentes, telis & armis quaſi iiſdem retortis, vincat ac ſuperet. Baronius ibidem.

CANON LXVII.

Deflorans virginem, ſegregetur.

SI QVIS virginem non deſponſam, vi allatam habet, ſegregetur: ei autem aliam accipere non liceat, ſed illam retinere quam elegit, etiáſi pauper ſit.

CANON LXVIII.

Duas Ordinationes eaſdem accipiens, deponatur.

SI QVIS Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam Ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinauit: niſi vtique conſtiterit, quòd ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinati ſunt, vt fideles vel Clerici ſint, fieri non poteſt.

ANNOTATIO.

IDEM etiam habes in Concilio Niceno I. can. 19. vbi de Cataphrygibus, Concilio Generali VI. cap. 95. vide etiam Cyprianum, de Cardinalibus Chriſti operibus, Serm. de Ablutione pedum, in initio: *Baptiſmum repeti, Eccleſiaſtica prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterùm conſecrat. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterùm renouat, nec ſacro Oleo lita iterùm linit & conſecrat, nemo impoſitioni manuum vel miniſterij derogat Sacerdotum: quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi euacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emundaret quod ille ſemel ſtatuit & cõfirmat.*

CANON LXIX.

Clericus Quadrageſimam non ieiunans, deponatur.

SI QVIS Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor ſanctam Paſchę Quadrageſimam non ieiunat: vel quartum diem, vel Paraſceuen, præterquam ſi per imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: ſi ſit autem laicus, ſegregetur.

ANNOTATIO I.

QVADRAGESIMALE ieiunium, quod ante Paſcha 40. vel 46. ferè diebus ſemper hucuſque celebratum eſt, ab Apoſtolis Domini inſtitutum eſt, atque vniuerſæ Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis aut depoſitionis obſeruari mandatum eſt. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam, aduerſus Montanum: *Nos*, inquit, *vnam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anni tempore nobis congruo ieiunamus.* S. Leo ſerm. de Quadrag. *Quod ergo, dilectiſſimi, in omni tempore vnumquemque conuenit facere Chriſtianum, id nunc ſollicitiùs & deuotiùs eſt exequendum, vt Apoſtolica inſtitutio 40. dierum ieiuniis impleatur.* Bellarminus vbi ſuprà, cap. 14. Baronius anno Chriſti 57. num. 194. & ſeqq.

Modus obſeruandi hoc ieiunium Quadrageſimale, non omnium vnus & idem erat: alij enim vno die, alij duobus, alij tribus, alij ſex diebus ab omni cibo abſtinebát, vt patet teſtimonio Irenæi, quod eſt apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. c. 24. Epiphanium in Compendiaria doctrina, Hieronymum epiſtola ad Marcellam, Auguſtinum ep. 118. c. 4. Prioribus ſæculis aliquot ieiunatum fuit (quatuor Dominicis exceptis) per dies 36. quibus, vt compleretur numerus quadragenarius, quatuor dies Eccleſia addidit, & vbiq; recepit. Cauſa inſtituti Quadrageſimalis ieiunij vna eſt, vt Chriſtum, qui eſt caput noſtrum, quadraginta diebus ieiunantem, noſtri cauſa patientem, nos etiam, quantum poſſumus, quadraginta dies ieiunando, corpus noſtrum affligendo, imitemur. Ignatius epiſt. ad Philipp. Baſilius Orat. 1. de Ieiunio, Gregorius Nazianzenus Orat. in Sanctum lauacrum, Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ. Altera eſt, vt Chriſtiani omnes pro negligentiis toto anno commiſſis, quaſi communem & publicam pœnitentiam agant. Ita Leo ſerm. 4. de Quadrag. Tertia eſt, vt ad ſacram Communionem ab omnibus in Paſchate ſumendam, præparemur. Chryſoſtomus Hom. 1. in Geneſ. Hieronymus in cap. 3. Ionæ. Vide Baronium & Bellarminum vbi ſuprà.

ANNOTATIO II.

VEL *quartam diem, vel Paraſceuen*, &c. Sub eadem cenſura, qua ieiuniũ Quadrageſimale, præcipitur obſeruari ieiunium Feriæ quartæ & ſextæ, idque ad commemorandum Chriſtum Dominum Feria quarta venditum, & ſexta Feria crucifixum. Apoſtolica autem auctoritate hæc nobis tradita, ac

ac demandatæ eſſe, inde probatur, quòd S. Ignatius ep. 8. ad Philipp. Tertullianus lib. de Ieiunio, Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. vltra medium, Origenes Hom. 10. in Leuit. Epiphanius in Comp. doctr. Hieronymus in c. 4. ad Galat. Auguſtinus in ep. 86. ad Caſulanum, &c. huius ieiunij velut antiquitus inſtituti meminerunt. Cùm igitur ſecundùm regulam S. Auguſtini in ep. 118. ad Ianuar. & lib. 4. de Bapt. cap. 24. illa omnia ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendant, quæ in vniuerſa Eccleſia obſeruantur, & in nullo Eccleſiæ Concilio inſtituta inueniuntur; certum eſt, ieiunia Quadrageſimæ, quartæ & ſextæ Feriæ ab Apoſtolis inſtituta eſſe: nam horum fit mentio apud Auctores, qui omnia Concilia, exceptis Apoſtolicis, præceſſerunt. Extra Quadrageſimam, Feria ſexta & quarta, nunc Sabbato (ieiuniū enim Feriæ quartæ in Latina Eccleſia nunc tranſlatum eſt in Sabbatum) ieiunantes, ex lege & præcepto, à carnibus; ex arbitrio & beneplacito, à prandio abſtinent. Vide Baronium anno Chriſti 57. num. 199. & ſeqq. Bellarminum lib. 2. de Bonis operibus, cap. 17.

CANON LXX.

Clericus ieiunans, vel dies feſtos agens more Iudaico, deponatur; laicus verò ſegregetur.

SI QVIS Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo ieiunat cum Iudæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis xenia accipit, vt verbi gratia, azyma, vel quid tale, deponatur: ſi verò ſit laicus, ſegregetur.

CANON LXXI.

Chriſtianus deferens oleum in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum, ſegregetur.

SI QVIS Chriſtianus oleum deferat in templum Gentium, vel in Synagogam Iudæorum, in eorum Feſtis, vel lucernam accendat, ſegregetur.

CANON LXXII.

SI QVIS Clericus vel laicus à ſancta Eccleſia ceram vel oleum auferat, ſegregetur.

ANNOTATIO.

CANONES 71. & 72. citantur ab Anacleto epiſtola prima, & explicantur à Turriano lib. 1. pro Canonibus.

CANON LXXIII.

Vaſa ſacra in vſum profanum non conuertantur.

VAS aureum vel argenteum, vel velum ſanctificatum, nemo ampliùs in ſuum vſum conuertat: hoc enim fit præter ius, & contra leges Si quis autem deprehenſus fuerit, mulctetur.

CANON LXXIV.

Contra Epiſcopum accuſatum quomodo procedendum.

EPISCOPVM à viris fide dignis ob aliquid accuſatum, ipſum ab Epiſcopis vocari neceſſe eſt: & ſi ſe quidem ſtiterit, & confeſſus vel conuictus ſit, ſtatuatur pœna. Si autem vocatus non paruerit, ſecundò etiam vocetur, miſſis ad ipſum Epiſcopis duobus. Si etiam ſic non obedierit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rurſum miſſis Epiſcopis. Si autem vel ſic aſpernans & contumax non ſtiterit, Synodus ea quæ videntur aduerſus eum pronuntiet, ne lucrifacere videatur, dum iudicium ſubterfugit.

ANNOTATIO.

DE iudicandi Epiſcopos forma vide Victorem I. ep. 1. ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, Zephyrinum I. ep. 1. ad Epiſcopos Siciliæ, & allegatur à Gratiano cap. Primates. 2. q. 1. c. Detractores. 3. q. 14. cap. Abſens verò. 3. q. 9. & cap. Duodecim. 5. q. 4. Melchiades ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Sixtus II. epiſt. 1. ad Gratum Epiſcopum, Iulius I. ep. ad Orientales Epiſcopos pro Athanaſio, Felix I. ep. 1. ad Paternum Epiſcopum, & ep. 2. ad Epiſcopos Galliarum, Fabianus I. epiſt. 3. ad Hilarium Epiſcopum. Concilium Rom. ſub Felice I. epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, generalem formam præſcribit, quæ in iudicandis Epiſcopis ſeruanda eſt. Concilium Generale II. Conſtantinopolitanum I. ſub Theodoſio Seniore, can. 6. Carthaginenſe III. can. 7. & allegatur à Gratiano cauſa 4. 5. & 6. Lateranenſe Concilium Generale ſub Innocentio III. cap. 8. & nouiſſimè Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7.

CANON LXXV.

Ad idem.

IN teſtimonium aduerſus Epiſcopum hæreticus ne admittatur: ſed nec vnus ſolus

Digitized by Google

ſolus fidelis. In ore enim duorum vel trium teſtium, ſtabit omne verbum.

ANNOTATIO.

CANON hic citatur ab Anacleto epiſt. 1. & ab Alexandro ep. 1. & Damaſo ep. 3. Conſtantini Imperatoris facto ac dicto hæc confirmantur, qui libellos hæreticorum aduerſus Epiſcopos & Presbyteros ſibi oblatos combuſſit, vt teſtatur Sozomenus lib. 1. c. 16. & ad Epiſcopos conuerſus, hæc, quæ extant apud Ruffinum lib. 1. cap. 2. dixit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis iudicandi; & ideò nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari, propter quòd Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum examen reſeruentur. Vos autem nobis à Deo dati eſtis Dÿ: & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in medio Deorum: in medio autem Deos diſcernit.* Theodoretus lib. 1. cap. 11. addit, *Conſtantinum iureiurando adiecto dixiſſe, ſe ne verbum quidem in illis ſcriptum perlegiſſe. Nam Sacerdotum, inquit, vitia non ſunt populo aperienda, ne ille inde cauſa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoque adieciſſe memorant: Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos qui idipſum cernerent, vlla ex parte læderet.* Baronius anno Chriſti 325. n. 42. & anno 342. n. 30.

NOTA.

CANON LXXVI.

Epiſcopi ſucceſſores conſanguineos vel alios non eligant.

QVOD non oportet Epiſcopum fratri, vel filio, vel alij cognato gratificantem, humana affectione ad Epiſcopatus dignitatem, quem vult, eligere. Epiſcopatus enim heredes facere, iuſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt, largientem. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipſe autem ſegregatione mulctetur.

ANNOTATIO.

CANON hic citatur à Concilio Antiocheno can. 23. Sicut enim hîc vetatur Epiſcopo ſucceſſorem eligere, ita eidem præcipitur, vt non conſtituatur Epiſcopus, niſi poſt mortem prædeceſſoris, idque in conuentu Epiſcoporum ſecundùm legem Eccleſiaſticæ conſuetudinis. Turrianus lib. 1. cap. 14. Praxis autem huius temporis eſt, vt omnes Epiſcopi à Summo Pontifice creentur.

CANON LXXVII.

De qualitate Epiſcopi eligendi quoad corpus.

SI QVIS vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.

CANON LXXVIII.

Ad idem.

QVI autem eſt ſurdus, & cæcus, ne ſit Epiſcopus: non vt pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.

ANNOTATIO.

DE qualitate Epiſcopi eligendi latè tractat Clemens I. lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 1. 2. 5. 6. 9. & 10. Vide Concilium Carthaginenſe III. ſub Syricio, can. 40. & allegat Gratianus diſt. 23. cap. Illud. cap. Qui Epiſcopus. & diſt. 61. cap. Nullus. cap. In Sacerdotibus ordinandis. Vide Concilium Nicænum Generale II. can. 2. Lateranenſe ſub Alexandro III. par. 1. cap. 3. & allegat Gratianus diſt. 73. cap. Quoniam. & diſt. 13. cap. Si qui Epiſcopi. Quæ omnia renouat & repetit Leo X. ſeſſ. 9. Concilij Lateranenſis, quod celebrauit; & nouiſſimè Tridentinum ſeſſ. 7. de Refor. cap. 1. & ſeſſ. 22. can. 2. Decreti de Reformat.

CANON LXXIX.

De qualitate Clerici promouendi.

SI QVIS dæmonem habet, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem, recipiatur, & ſi ſit dignus, fiat.

ANNOTATIO.

HÆC Apoſtolica Conſtitutio poſterioribus temporibus, creſcente numero fidelium, qui ſine his incommodis poſſent ad hoc munus aſſumi, ampliùs reſtricta eſt. Arreptitij enim, qui à dæmone vexantur, nunc per cap. Maritum. diſt. 33. ad ſuſcipiendos Ordines, perpetuò irregulares ſunt. Quamquam ex voce *recipiatur* apertè colligatur, etiam hunc ſine interuentu diſpenſationis purgatum à dæmonio ad ſuſcipiendos Ordines non fuiſſe admiſſum. Vide Suarez Tomo 3. diſput. 51. ſect. 1. num. 7.

CANON LXXX.

Ad idem.

EVM qui ex vita gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel ex improba viuen-

Digitized by Google

viuendi ratione, non eſt æquum protinus Epiſcopum fieri. Iniquum eſt enim, vt qui ſui nondum experientiam oſtenderit, ſit aliorum magiſter, niſi fortè hoc diuina gratia fiat.

ANNOTATIO.

SIC accidiſſe refert Nicephorus libro 12. c. 12. dum Nectarius electus eſt in Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui nõdum fuerat baptizatus. Idem accidit in Ambroſio Mediolanenſi; nam adhuc catechumenus, Epiſcopus factus eſt, vt ipſemet teſtatur lib. 10. epiſt. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam. Pro hoc Canone vide Concilium Nicænum I. Generale, can. 2. & allegat Gratianus cap. Quoniam. diſtinct. 48. cap. Miſerum. diſtinct. 61. cap. Vbi. diſt. 59. cap. Ordinatos. diſtinct. 59. vbi ſic ait: *Epiſcopos quoſdam, qui nullis Eccleſiaſticis Ordinibus ad tantæ dignitatis faſtigium inſtituti, contra Patrum decreta, huius vſurpatione, qui ſe hoc recognoſcit feciſſe, didicimus, cùm ad Epiſcopatum bis gradibus, quibus frequentiſsimè cautum eſt, debeat perueniri, vt minoribus initiati officiis ad maiora firmentur. Debent enim antè eſſe diſcipuli, qui doctores eſſe deſiderant, vt poſsint docere quæ didicerunt.* Tum de quodam Daniele tractat, qui ſacrarum Virginum incæſtu pollutus erat, & multorum facinorum accuſatione pulſatus, & Epiſcopus ordinatus eſt. Idem etiam prohibet Concilium Arelatenſe III. can. 2. Concilium Aurelianenſe V. can. 9. Leo I. ep. 85. & allegat Gratianus cap. Miramur. diſt. 61. Epiſcopos corripit, eò quòd ad Epiſcopatum homines indignos, triuiales, & laicos proueherent. Adrianus I. epiſtola miſſa ad Conſtantinum Imp. & ad Irenem matrem eius, quæ habetur & inſeritur Act. 1. Concilij Generalis VII. Nicæni II. grauiter tulit, quòd Tharaſius ex laicorum ordine à caliga militari, contra ſanctorum Canonum cenſuram factus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. Et quia Photius ex neophyto ordinatus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Nectarium ſanctiſſimum, & Ambroſium, & hunc Tharaſium in ſui defenſionem aſſumebat, vt habes in Concilio Generali VIII. Conſtantinopolitano IV. Act. 4. ſic Nicolaus I. in epiſtola ad Photium reſpondet: *Quod de Nectario obiicis, neceſsitas magna vrgebat, ne Domini Eccleſia in peſsima hæreſeos nimboſa caligine, deſtitutione Paſtoris viduata remaneret, nec Synodus, vt hoc iterùm fieret, confirmauit, nec inſtituit: & ideò priuilegia paucorum legem communem non faciunt. Nam Ambroſius non inſtinctu hominum, ſed diuina vocatione per miraculorum prodigia electus eſt. & Tharaſius ſtatim ac Epiſcopus factus eſt, ne quis de ſua fide dubitaret, prolixã texuit fidei confeſsionem.* Hinc Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale, Act. 1. acclamauit anathema Photio, qui contra regulas ſacras, & ſanctorũ Pontificum Romanorum veneranda decreta, repentè de curiali adminiſtratione ſæculariq; militia ſublatus, ſuperſtite Ignatio, tyrannicè à quibuſdã ſchiſmaticis ſubrogatus eſt. & can. 3. eiuſdem Photij ordinationem irritam ducunt. & can. 5. pro futuro ſtatuunt hoc modo: *Proinde canonicam ſtabilitatem in Eccleſiis ſemper manere in Chriſto cupientes, renouamus & confirmamus terminos & ſanctiones, quæ olim à ſanctis Apoſtolis & ſanctis Patribus noſtris editæ ſunt, &c. Si verò præter hanc diffinitionem noſtram quiſquam ad iam fatum ſupremum honorem prouectus extiterit, reprobetur, & ab omni Sacerdotali operatione prorſus abiiciatur, vtpote qui extra ſacros Canones ſit promotus.*

CANON LXXXI.

Ad idem.

DIXIMVS, non oportere Epiſcopum, vel Presbyterum ſeipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in Eccleſiaſticis negotiis verſari. Vel ergo ita facere perſuadeatur, vel deponatur.

CANON LXXXII.

Ad idem.

SERVOS in Clerum prouehi ſine voluntate dominorum, non permittimus, ad eorum qui poſſident, moleſtiã: domorum enim euerſionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus ſeruus viſus ſit, qui ad gradum eligatur, qualis noſter quoque Oneſimus viſus eſt, & domini conceſſerint, ac liberauerint, & ædibus miſerint, fiat.

ANNOTATIO.

IDEM ſtatuit Concilium Sardicenſe Oecumenicum, can. 8. Chalcedonenſe Generale IV. can. 7. Act. 11. & allegat Gratianus cap. Eos qui. 20. quæſt. 3. & nouiſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 17. de Reformat.

CANON

CANON LXXXIII.

Clericus Romanum magiſtratum & Sacerdotalem adminiſtrationem non exerceat.

EPISCOPVS, vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & vtraque obtinere volens, Romanum ſcilicet magiſtratum, & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur: Matth. 22. Quæ ſunt enim Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

CANON LXXXIV.

Principes non ſunt contumelia afficiendi.

QVISQVIS Regem vel Principem, præter ius, contumelia affecerit, pœnas luat: & ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi verò laicus, ſegregetur.

CANON LXXXV.

De libris ſacris.

SINT vobis omnibus, Clericis & laicis, libri venerandi & ſancti, veteris quidem Teſtamenti, Moyſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Ieſu Naue vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regnorum quatuor, Paralipòmenon, id eſt, derelictorum, duo; Eſdræ duo, Eſther vnus, Machabæorum tres. Iob vnus, Pſalterium vnus. Salomonis tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum. Prophetarum 12. vnus, Iſaiæ vnus, Ieremiæ vnus, Ezechiel vnus, Daniel vnus. Extrinſecus autem à vobis intelligatur, debere veſtros adoleſcentes diſcere Sapientiam eruditiſſimi Syrach. Noſtra autem, id eſt noui Teſtamenti, Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Pauli Epiſtolæ quatuordecim, Petri Apoſtoli duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis epiſtolæ duæ, & Ordinationes vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non ſunt omnibus diuulgandæ, propter ea quæ ſunt in eis myſtica: & Actus noſtri Apoſtolorum.

ANNOTATIO.

HIC Canon apocryphus eſt & ſubreptitius: tum quòd Scripturarum Canoni contra omnium Conciliorum & Patrum communem ſententiam quoſdam libros apocryphos, nimirum Conſtitutiones & Epiſtolas Clementis addat: tum quòd ſacrã S. Ioannis Apocalypſim à Græcis reiectam, ab vniuerſa autem Eccleſia, à multis & antiquiſſimis Conciliis ac Patribus receptam, eidem ſacræ Scripturæ Canoni fraudulenter adimat. Quis enim vmquam antiquorum Latinorum ac Græcorum, Apocalypſim S. Ioannis inter Canonicos libros adnumerare præſumpſiſſet, quam ſciret in Apoſtolorum Canone velut apocrypham eſſe reiectam? Accedit, quòd hoc Canone Libri ſacri veteris Teſtamenti, hi, Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici omittantur, qui tamen ab antiquiſſimis Patribus, Dionyſio, Irenæo, &c. inter Sacros libros citantur ac numerantur. Vide Baronium anno Chriſti 202. num. 5. & Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei, cap. 20. Si vrgeas Canonem ſecũdum Sextę Synodi, quo 85. Canones recepti eſſe dicuntur: Reſpondeo, Canonem obiectum ſpurium eſſe & illegitimum, vt qui editus ſit à Conciliabulo Trullano, non autem à Sexta Synodo.

CONCLVSIO CANONVM APOSTOLORVM.

HAEC verò de Regulis conſtituta vobis ſint per nos, ô Epiſcopi: vos autem obtemperantes, ſaluabimini, & pacem habebitis. At ſi non parueritis, puniemini, & bellum mutuò perpetuum habebitis, pœnam inobedientiæ congruam daturi. Deus porrò, qui ſolus eſt æternus, ac vniuerſorum creator, vos omnes in pace in Spiritu ſancto cõfortabit, & aptos reddet ad omne opus bonum, immutabiles, irreprehenſibiles, ſine crimine, dignoſque faciet vita æterna nobiſcum, per interceſſionem dilecti filij ſui Ieſu Chriſti, Dei & Saluatoris noſtri, cum quo gloria ſit ipſi ſupra omnia Deo Patri cum ſancto Spiritu conſolatore, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

CANONVM APOSTOLORVM FINIS.

Digitized by Google

CONCILIVM PRIMVM IEROSOLYMITANVM.

ANNO DOMINI LI. APOSTOLOS omnes pluries ſimul conueniſſe, pluraque ſimul tractaſſe, ex ipſiſmet Apoſtolicis Actis ſatis ſuperque conſtat: ſic ex cap. 1. propter electionem Matthiæ, ex cap. 6. propter ſeptem Diaconorum electionem, & aliàs ſæpè, præcipuè verò Congregatio illa, quæ in c. 15. habetur, maximopere adnotanda eſt, quæ formam Generalis Concilij habuit, quæque poſtmodum à Summis Pontificibus & ſanctis Patribus obſeruata, & obſeruanda ſemper fuit, & erit: ſiquidem in illa vera norma celebrandi Concilia Generalia traditur, vt apud omnes rectè ſentientes eſt in confeſſo. Sic ergo habet
Act. 15. Textus: *Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus, ſcribentes per manus eorum:* APOSTOLI, *& ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, ſalutem. Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus; placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipſi referent vobis eadem. Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos, benè agetis. Valete.*

Hoc autem Concilium Beda, Dionyſius Romanus, & alij dicunt celebratum eſſe anno 14. poſt mortem & reſurrectionem Chriſti in Ieruſalem, & 14. anno conuerſionis Apoſtoli Pauli, anno ſcilicet 4. Claudij Cęſaris: ſed iuxta Cardinalem Baronium veriùs anno 17. celebratum eſt. Si enim anno 14. conuerſionis Pauli finito habitum eſt hoc Concilium, ipſe autem Paulus anno poſt mortem Chriſti ſecundo conuerſus eſt, quod ex Martyrologio Romano, aliiſque probatis Auctoribus, & optimis rationibus Baronius anno 36. num. 1. & ſeqq. aſſerit; euidens eſt, hanc Synodum non 14. ſed 17. anno poſt mortem & reſurrectionem Chriſti celebratã eſſe. Ex quo ſequitur etiam, anno 9. Claudij id accidiſſe, qui quidem annus, vt ex Annalibus conſtat, cum quinquageſimo primo anno Chriſti incidit. Hoc ergo Concilium Apoſtolorum, quod Ieroſolymitanum appellari ſolet, habitum eſt Ieroſolymis anno Chriſti quinquageſimo primo, & nono Claudij, quo cum Iudæis & Chriſtianis Petrus Româ expulſus eſt, quique eſt quintuſdecimus poſt Pauli conuerſionem.

Cauſa congregandi tale Concilium, fuit hæc controuerſia, An Chriſtiani ad circumciſionis, aliaſque cærimoniales leges Iudæorum obſeruandas obligentur. Præter Legem Euangelij, cærimonialem Legem Moyſaicam obſeruandam eſſe, Cerinthus hęreſiarcha primus propugnauit, & pertinaciter defendit. Huius controuerſiæ definiendę iudicio, cum presbyteris & plebe, Apoſtoli per orbem terræ longè lateque diuiſi, Dei inſtinctu & reuelatione antè admoniti (quod de ſe Paulus ad Galat. cap. 2. fatetur) interfuerunt: Apoſtoli, tamquam huius controuerſiæ iudices, ad decidendum & definiendum: presbyteri, velut inquiſitores veritatis, ad diſputandum & conſultandum: plebs autem non vocata interfuit, non quidem ad examinandam, ſed ad audiendam Apoſtolorum ſententiam, cui obtemperare deberet. Poſt multam cauſæ huius diſceptationem, non ex Scriptura, ſed ſuffragio Apoſtolorum, & iudicio Petri

Digitized by Google

Principis Apoſtolorum, definitum eſt, Neminem Chriſtianorum Lege circumciſionis, vel vlla alia cærimoniali Iudaica obligari. Quod vt Fidelibus omnibus innoteſceret, ad Antiochenos Legatio decernitur, & Synodica epiſtola in eiſdem Actis exarata tranſmittitur, quæ talis eſt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: à quibus cuſtodiètes vos, benè agetis. Valete.*

Hoc eodem Concilio, Paulo Gentium, Petro eorum qui ex circumciſione ad fidem veniſſent, cura, ſolicitudo, & patrocinium commiſſa fuerunt: non quidem quòd Petro Gentibus Euangelium Chriſti annuntiare non licuerit, adeoque ille vniuerſæ Eccleſiæ Paſtor eſſe deſierit: ſed vt Circumciſionis miniſterio, velut honeſtiſſimo quodam titulo, ac ſingulari prærogatiua, ſoli Chriſto Chriſtique ſucceſſori Petro debita, ſolus Petrus Chriſti ſucceſſor nobilitaretur. Baronius anno 51. nu. 26. & ſeqq.

Annotatio I.

Circa prohibitionem prædictam, vt abſtinerent ab immolatis, animaduerte, quòd Apoſtoli tempore Legis Euangelicæ harum rerum abſtinentiam noua & poſitiua Eccleſiaſtica lege huiuſmodi, quæ conſcientias fidelium etiam extra periculum ſcandali obligaret, præceperunt, non propter obſeruantiam Legis Moyſaicæ, ſed quò faciliùs Chriſtianorum, Iudæorum, & Gentium ſimul habitantium, animi conglutinati, in vnum populum coaleſcerent, ſublatis rebus hiſce quæ vehementiùs eos diſſociare atque alienare poſſent. Iudæi propter antiquā conſuetudinem, eſum ſanguinis & ſuffocatorum incredibiliter auerſabantur & exhorreſcebant. Eſus eorum quæ ſimulachris immolata erant, magnum illis ſcandalum adferebat, ſuſpicantibus, id eſſe argumentum Gentium ad idololatriam reducentium. Poſteà verò quàm Eccleſia creuiſſet, & Iudæi & Gentes in vnum coaluiſſent, illiq; duo parietes, vnus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, in angulari lapide Chriſto compaginati eſſent, ceſſante cauſa, ceſſat etiam effectus. *Quis iam hoc Chriſtianus obſeruet*, inquit S. Auguſtinus lib. 32. c. 3. contra Fauſtum, *vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? aut leporem non edat, ſi manu à ceruice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt?* Sic ille. Manifeſta ergo eſt omnibus veritas Chriſtianæ doctrinæ, non coinquinare hominem quod per os intrat: Luc. cap. 7. nihilque reiiciendum, quod cum gratiarum actione ſumitur: 1. Tim. cap. 4. Quare cùm hæ rationes & pericula ſcandali apud omnes Chriſtianos ceſſent, ipſa quoque Lex totius Occidentalis Eccleſiæ conſenſu laudabiliter eſt antiquata. Fornicatio prohibetur, quia plerique Gentilium exiſtimabant, ſimplicem fornicationem non eſſe per ſe malam, neque illicitam: Auguſtinus prædicto loco, Bellarminus lib. 2. & 3. de Conciliis.

Annotatio II.

In hoc Concilio tria notanda ſunt. Primum eſt, in eo Concilio non ex Scripturis ſed ex ſuffragio Apoſtolorum definitam eſſe quæſtionem: non enim quæſtio erat, vt aduerſarij fingunt, An ſola fides iuſtificaret; ſed, An circumciſio & ceteræ legales cærimoniæ eſſent Chriſtianis neceſſariæ. Id quod manifeſtè colligitur tum ex occaſione Synodi, de qua ſic loquitur S. Lucas Act. 15. *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq; Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*, &c. tum ex epiſtola Concilij, in qua nihil mandatur niſi abſtinentia à ſanguine, ſuffocato, & immolatitiis, & liberantur Gentes ab omnibus alijs Iudaicis cærimonijs. Certè autem, nihil horum in Scripturis habebatur: vbi enim, quæſo, ſcriptum erat, vt Gentes non ſeruarent legalia, excepto mandato de abſtinentia à ſanguine, ſuffocato, & immolatitijs?

Alterum eſt notandum, Apoſtolorum ſententiam non fuiſſe permiſſam examini diſcipulorum, ſed ſimpliciter imperatum fuiſſe vt obedirent, vt clariſſimè conſtat ex cap. 15. & 16. Act. Apoſt. quare aduerſarij, qui Conciliorum ſententiam examinari volunt ab vnoquoque homine priuato, cum Scriptura apertiſſimè pugnant.

Tertium eſt, Concilij Apoſtolici definitionem, veram Legem fuiſſe, obligantem in conſcientia: & S. Lucas id ſatis oſtendit. Primò, Quia Apoſtoli vocant illam, Onus: *Nihil*, inquiunt, *vltrà imponere vobis oneris*, &c. Secundò, Quia dicunt eſſe neceſſariam; ergo neceſſariò obſeruanda erat, & non liberè, vt

volunt

volunt hæretici, ſeruandas eſſe Eccleſiæ conſtitutiones. Tertiò, Quia Lucas abſolutè præcepta appellat: dicit enim in cap. 15. prædicto, de Paulo: Pertranſiens ciuitates, præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. & cap. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.* Quartò, Teſtimonio Chryſoſtomi Hom. 33. in Matth. *Vide*, inquit, *breuem epiſtolam, neq; epicheremata, atque ſyllogiſmos habentem, ſed imperium: erat enim legiſlatio Spiritus.* Denique, Quia in Canonibus Apoſtolorum, can. 62. imponitur grauiſſima pœna præuaricantibus hoc præceptum: nam ſanguinem aut ſuffocatum comedentes Clerici deponuntur, laici excommunicantur. Quod renouatum eſt in Concilio II. Aurelianenſi, can. 19. & 20. At pœna atrox non poteſt imponi niſi pro mortali peccato.

DE ANTIOCHENA SYNODO.

ANNO DOMINI LVIII.

PAMPHILVS Martyr (prout refert Turrianus l. 1. cap. 21. aduerſ. Magdeburgenſes,) teſtatur, Antiochię ab Apoſtolis, ad ſedandas controuerſias illic exortas, habitam eſſe Synodum, atque in ea editos fuiſſe Canones, in Bibliotheca Origenis poſteà repertos. De hac eadem Synodo Innocentius ep. 18. agens de Antiochena Eccleſia, *Vbi*, inquit, *& nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit.* Firmiſſimum teſtimonium huic Concilio Apoſtolorum Antiochiæ celebrato, præbet Concilium Nicænum II. Act. 1. his verbis: *In Antiochena Synodo ſanctorum Apoſtolorum dictum eſt, ſaluatos non debere, &c.*

Canones in hoc Concilio editi, & in compendium redacti, ſunt ſequentes.

I. Vt credentes in Dominum Ieſum, quos illius temporis homines (vt habetur in Actis Apoſt. cap. 11.) appellabant diſcipulos, Chriſtiani dicerentur.

II. Ne baptizatus, Iudaico more circumcideretur.

III. Vt omni nationi ad Eccleſiam aditus pateret, nec quiſquam à Chriſtiana religione excluderetur.

IV. De vitanda auaritia, & quæſtibus iniquis.

V. De vitio gulæ coërcendo, curioſitateque ludorum, qui in theatris exhiberi ſolent, vitanda: & de abſtinendo à iuramento.

VI. De vitanda ſcurrilitate, & moribus Gentium.

VII. Abſtinentiam ſanguinis & ſuffocati in Synodo Ieroſolymitana præceptam confirmat.

VIII. Ne decipiantur ſaluati ob idola: ſed pingant ex oppoſito diuinam humanamque manufactam, impermixtam effigiem Dei veri ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſiuſque ſeruorum, contra idola & Iudæos. Neque errent in idolis, neque ſimiles fiant Iudæis.

IX. & vltimus. De non admittendo Iudæorum delectu ciborum.

ANNOTATIO I.

HORVM Canonum octauus ſic citatur in Concilio Nicæno II. Act. 1. *In Antiochena Synodo ſanctorum Apoſtolorum dictum eſt, ſaluatos non debere ampliùs ob idola aberrare, ſed certandum eſſe ante iconem Dei hominiſq. Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Circa quem Canonem nota, quòd etiam ipſo Chriſto viuente, eius imaginem Panneade à Syrophœniſſa muliere ære fuſam conflari iuſſam, eamdemq; integram ad trecentos & ampliùs annos, nimirum ad Iuliani Apoſtatæ tempora perduraſſe, quantumlibet immenſis ac propè innumeris cladibus Palæſtina deformata fuerit. Patet ex Sozom. lib. 5. c. 20. ex Niceph. lib. 10. c. 30. Niſi enim piè, ſanctè, religioſeque ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſacræ imagines in Eccleſia fuiſſent vſitatæ, numquam fideles permiſiſſent per tot annorum ſpatia illam ſolam ſic intactam & illibatam ſeruari. Baronius anno Chriſti 57. num. 111. & ſeqq.

ANNOTATIO II.

IMAGINVM vſus antiquus ex hoc Canone ſatis conuenienter conuincitur contra hæreticos, tum antiquos, tum etiam noſtri

Digitized by Google

temporis: id etiam probatur; nam Clerici Apamæi epiſt.ad Patres Generalis V.Synodi ſub Iuſtiniano Imperatore contra Petrum Epiſcopum ſuum, qui imagines è templis euerterat, meminerunt. Concilium Generale V. ſub præfato Principe Collat.7. mentionem facit imaginis S.Theodoreti Epiſcopi Syri, quam Clerici rhedæ impoſuerunt, & pſallentes in prædictam ciuitatem introduxerunt. Vigilius I. vt ad calcem eiuſdem Collat.7.legitur. Gregorius I.lib.7. Regiſtr. epiſt. 57. ad Secundinum incluſum, *Quòd imaginem*, ait, *illius, quem colis, tibi dirigendam per Dulcidium Diaconum rogaſti, valdè nobis tua poſtulatio placuit.*

Deinde probatur ex Conciliis Eccleſiæ. Primò, ex Can.82.VI. Synodi, vbi dicuntur imagines venerabiles: tametſi enim iſti Canones non ſint firmæ auctoritatis, tamen iſte Canon ſemper receptus fuit ab Eccleſia, & teſtatur vt minimùm vſum Eccleſiæ antiquæ. Deinde ex Synodo Romana ſub Gregorio III. Epiſcoporum ferè mille, pro imaginibus celebrata anno Domini 733. iuxta Sigebertum in Chronico. Item ex Synodo habita in villa Gentiliacenſi anno 766. in qua de imaginibus actum eſt, & admoniti Græci vt cum alijs pijs de imaginibus ſentire vellent. Rurſus ex alia Synodo pro imaginibus Romæ celebrata ſub Stephano III. anno 768. cuius Synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de Imaginibus, ad Carolum. *Poſt annum 788. VII. Synodus Act.7. definiit, imagines eſſe venerandas, non quidem cultu latriæ, ſed honore illo, quo etiam proſequimur ſacras literas, ſacra vaſa*, &c. Synodus autem hęc Generalis & approbata fuit, quippe quæ habuit Legatos Romani Pontificis, nec non Patriarcham Conſtantinopolitanum, omnes conſentientes: conſenſerunt etiam Epiſcopi 350. teſte Cedreno, & ipſe Imperator Conſtantinus.

Neque obſtat, contrarium ſtatuiſſe Concilia Conſtantinopolitana præcedentia, & Francofordienſe, & ſequens: nam etiamſi illa omnia fuiſſent legitima, tamen cedere debent Nicæno, quia hoc plenarium & Generale, illa particularia fuerunt; eſt enim regula B. Auguſtini lib.2. de Bapt.cap.3. *Concilia particularia plenariis ſine dubitatione cedere debere.* Fuiſſe autem illa tria particularia, patet: nam in Conſtantinopolitano ſub Leone non fuerunt vocati, nec adfuerunt vlli Patriarchę, excepto Germano Patriarcha Conſtantinopolitano, qui tamen non conſenſit, & ideò depoſitus fuit. In Concilio Conſtantinopolitano ſub Copronymo non ſunt vocati, nec adfuerunt nec per ſe, nec per Legatos, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus, Patriarchæ, ſed ſolus Pſeudoëpiſcopus Conſtantinopolitanus, quem hæretici, depoſito S.Germano, Patriarcham fecerunt. Deniq; Francofordienſe omnium iudicio particulare fuit. Habemus etiam Nicęná I. Synodum VIII. Generalem Act. vltima can.3. & Trident. ſeſſ.25. Vide infrà in Concilio Elibertino in Annot.ſup.can.36.

Sequuntur CONCILIA *aliquot de Paſchatis obſeruatione ſub* VICTORE *Papa habita.*

CONCILIVM ROMANVM.

Hoc Concilium habitum eſt ANNO
Romæ, anno Domini 198. Im- DOMINI
perij Seueri quarto. Theophi- CXCVIII.
lus Cæſarienſis Epiſcopus per Victorem vocatus, huic interfuit. Victor Pontifex eidem præfuit. Decretum eſt, Paſcha non 14. Luna primi menſis, ſed potiùs die Dominico poſt 14. Lunam & vernale Æquinoctium occurrente, prout ab Apoſtolis traditum eſt, celebrandum eſſe. Euſebius libro 5. Hiſtoriæ, cap. 22. Liber Pontificalis in Vita Victoris. Actorum in hoc Concilio nihil extat.

CONCIL. PALÆSTINVM SVB VICTORE.

Eodem anno Chriſti nati & CXCVIII.
Seueri Imperatoris, auctoritate Victoris Romani Pontificis, Cæſareæ in Palęſtina Theophilus Cæſarienſis Metropolitanus Epiſcopus hoc Concilium coëgit, quo de tempore Paſchatis celebrandi idem conſtitutum eſt quod præcedente, & ſequentibus quibuſdam aliarum Prouinciarũ Conciliis, nimirum, nequaquam licere Chriſtianis decima quarta die primi menſis Paſcha celebrare. Euſebius prædicto loco. Huius fragmentum planè aureum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. PONTICVM.

ANNO DOMINI CXCVIII. EODEM tempore, & ob eandem cauſam, in Ponto à Palma hoc Concilium Prouinciale celebratum eſt, & de Paſchatis obſernatione idem quod præcedentia definiuit. Euſebius prædicto loco. Acta non extant.

CONCILIVM GALLICVM SVB EODEM.

CXCVIII. HVIC ob prædictam quæſtionem & controuerſiam Paſchatis habito in Galliis Concilio, Irenæus circa prædicta tempora præſedit: conſtituit autem in hac cauſa, quod ſuperiùs deſcripta Concilia decreuerunt. Euſebius prædicto loco. Acta interierunt.

CONCIL. OSROENVM SVB EODEM.

CXCVIII. DE hoc, & quodam alio Concilio Achaico tunc celebrato, ita Euſebius lib. 5. c. 22. *Aliud porrò Eccleſiarum* (Concilium intelligo) *quæ Oſroënum, & reliquas in eo loco ciuitates incolebant. Aliud ſeparatim Bacchylli Eccleſiæ Corinthiorum Epiſcopi: & alia denique aliorum propè infinitorum, qui vno conſenſu iudicioq; vno eamdem de illius feſti)* Paſchatis nimirum) *obſeruatione tulere ſententiam.* Neq; horum quidquam extat.

CONCIL. ASIATICVM REPROBATVM.

CXCVIII. HOC Concilium ob cauſam Paſchatis, circa hæc tempora Aſiani Epiſcopi per Polycratem Epheſinum Epiſcopum celebrarunt, in quo putantes ſe Euangelio & maiorum traditionibus inhærere, à conſuetudine celebrandi Paſcha die 14. primi menſis, etiamſi in Dominicum non incideret, recedendum non eſſe conſtituerunt, idque per Polycratem ad Victorem Romanum Pontificem reſcripſerunt. Victor Pontifex hoc reſponſo accepto, Concilium reprobauit, & contra pertinaces, quam excommunicationis ſententiam diu minatus fuerat, exſecutus eſt. Hanc Victoris ſententiam contra Orientales, poſteà Patres Nicæni Concilij confirmarunt. Euſebius l. 5. cap. 23. & ſeqq.

CONCIL. AFRICANVM *ſub* ZEPHYRINO *improbatum.*

AGRIPPINVM Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum, indicto Concilio in Africa, omnes Numidiæ & Africæ Epiſcopos conuocaſſe, de iterando Baptiſmate hæreticorum, omnium ſententias rogaſſe, ac demum ex communi Epiſcoporum ſententia id affirmantium, contra Apoſtolicam Eccleſiæ Catholicæ traditionem, Canonem, & decretum ſtatuiſſe, Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum apertè teſtatur his verbis: *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir cum ceteris Coëpiſcopis ſuis, qui illo tempore in prouincia Africa & Numidia Eccleſiam Dei gubernabant, ſtatuit, & librato conſilij communis examine firmauit: quorum ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei & Eccleſiæ Catholicæ congruentem nos etiam ſecuti ſumus.* Sic Cyprianus. Quia autem annus Chriſti 217. Chriſtianis pacatus extitit, illo eodem anno ſanè Carthaginenſem Synodum habitam eſſe, probabile eſt. Occaſionem errandi Tertullianus tribuiſſe videtur: hic enim quodam prætextu pietatis, dum adhuc Catholicus eſſet, omnia hæreticorum ab Eccleſia reiicienda ac depellenda eſſe ſentiens, eò erroris ipſe cum aliis quibuſdam, quos induxit, prolapſus eſt, vt nec Baptiſmum communem cum hæreticis habendum eſſe putaret; ideóque etiam baptizatos à miniſtris hæreticis, in Eccleſiam Catholicā recipiendos non eſſe, niſi illud ipſum ſanctum Lauacrum per miniſterium Catholicorum iteratum denuò ſuſciperent. Hinc igitur certiſſimum eſſe liquidò conſtat, vſum rebaptizandi ſub Agrippino fre- CCXVII.

Digitized by Google

quentari cœptum eſſe; controuerſiam verò de valore Baptiſmi ab hæreticis collati, eorumque rebaptizatione, inter Doctores Eccleſiæ agitatam, ſub Stephano Pontifice exortam eſſe. Baronius anno Chriſti 217. num. 1. 2. 3. & anno 258. num. 19. & 20.

Benè verum eſt, quòd Cyprianus licet id ſenſerit, promptus tamē erat mutare ſententiam, ſi quod de hac re transmarinum & Vniuerſale Concilium factum eſſet. Vide Auguſtinum lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas, cap. 9. Vide etiam infrà anno 258. in Concilio Africano ſub Stephano I.

CONCIL. LABESITANVM *in Africa, ſub* FABIANO *Papa.*

ANNO DOMINI CCXLII. CONCILIVM hoc Africæ habitum eſt in Labeſitana Colonia, anno Chriſti nati 242. qui eſt Fabiani 4. & Gordiani Imp. 2. annus. Conuenerunt 90. Epiſcopi aduerſus Priuatum hæreticum, quem poſt cauſæ diſcuſſionē communi omnium ſententia condemnarunt: ſententiam verò eorum Fabianus Pontifex eoipſo approbauit, quòd eumdem Eccleſiæ communione priuauerit. Quæ fuerint hæreſes & errores huius hominis, nondum conſtat; potiùs alienæ hæreſis ſectatorem, quàm nouæ alicuius inſtitutorem fuiſſe, credibile eſt. Agit de hoc S. Cyprianus ep. 55. ad Corn.

CONCILIVM ARABICVM SVB EODEM.

CCXLIX. CONCILIVM hoc, teſte Euſebio lib. 6o. cap. 3o. in Arabia celebratum eſt, anno 4. Philippi Imp. qui eſt Chriſti 249. & Fabiani Pontificis 11. contra hæreticos affirmantes, animas hominum mortales eſſe, eaſq; vnà cum corporibus extingui, & in nouiſſimo die cum iiſdem viciſſim reſuſcitari. Origenes in hoc Concilio præſens, eos doctiſſimè impugnauit, & ſimul expugnauit. Vide Baronium anno 249. num. 6.

ANNOTATIO.

ANIMAM eſſe immortalem, docet Clemens I. lib. 6. Conſtitut. Apoſt. cap. 11. Philo Iudæus lib. de Somniis; Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, & Irenæus lib. 2. Contra hęreſes Valentini, cap. 65. Tertullianus lib. de Reſur. carnis, ex veteri & nouo Teſtamento animæ immortalitatem validis argumentis aſtruit; quod & facit lib. de Teſtimonio animæ, & lib. de Anima, cap. 1. vbi contra Philoſophos agit de immortalitate animæ; Chryſoſt. Homil. 35. in Matth. Ambroſius lib. de Bono mortis, cap. 9. & 10. & in lib. de Fide reſurrectionis, in initio, & in fine; Auguſtinus lib. de Eccleſ. dogm. & de Immort. animæ libro peculiari in 1. Tom. Sophronius in Confeſſione ſua Catholicæ fidei, quę lecta eſt coram Patribus VI. Generalis Synodi Conſtantinopolitanę IV. Act. 2. Dionyſius Areopagita lib. de Diuinis nom. cap. 6. Confirmat hoc Concilium Conſtantinopolitanum IV. quod dicitur VIII. Generale, ſub Adriano I. cap. 2. Leo X. in Bulla quæ inſeritur ſeſſ. 8. Concilij Lateranenſis ſub eodem celebrati, vbi citat Clementē V. in Generali Concilio Viennenſi: & inhibet omnibus Rectoribus & publicè legentibus aliter de anima docere, quàm Catholica Eccleſia confitetur. Vide etiam S. Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 45.

CONCILIVM ROMANVM *à Clero Romano Sede vacante congregatum.*

CONCILIVM hoc Romæ habitum eſt anno Chriſti 253. hanc ob cauſam: Plurimi ex lapſis, quorum alij Sacrificati erant, qui quomodocumque vel immolauerant, vel immolata guſtauerant: alij Thurificati, qui thus obtuliſſent: alij Idololatræ, qui quemlibet religionis cultum idolis publicè exhibuiſſent: alij Libellatici, qui quidē priuatim vel per ſe, vel per alium edita aliqua profeſſione fidem negauerant, ne verò ſicut ceteri ignominioſè ad aram traherentur, id pecunia redimebant. Baronius anno 258. num. 18. 19. & 24. Ex his, inquam, cùm plurimi in Africana Eccleſia lapſi, à Cypriano ardentiùs, datis nomine Eccleſiæ libellis ſupplicibus, pacem peterent, iſq; non ſine præuia pœnitentia ac ſatisfactione recipi CCLIII.

Digitized by Google

recipi poſſe neque debere reſpondiſſet, Lucianus autem confrater quoſuis ſine diſcrimine recepiſſet; Romanæ Eccleſiæ ſententiæ ac iudicio per literas ſe ſubmittit, eiuſque conſilium hac in re inquirit. Clerus verò Romanus, ad euitandam inuidiam odiumque lapſorum, ne ipſi tantùm viderentur auctores atque promulgatores Eccleſiaſticæ diſciplinæ, perſecutione adhuc inſtante, hanc Synodum celebrauit, & ad eam vicinos quoſq; Epiſcopos, & quotquot ex aliis Regionibus extorres, Romæ fidei cauſa mutato habitu delitеſcebant, conuocauit. Qui ſimul congregati conſtituerunt, vt infirmi quidem de vita periclitantes, præuia confeſſione & pœnitentia recipiantur; aliorum verò cauſa & reconciliatio ad electionem noui Romani Pontificis ſuſpendatur. Decretum hoc extat epiſtola illâ, quam ſcripſit Clerus Romanus, à Binnio relatum poſt Papæ Fabiani Decreta. In qua quidem epiſtola hæc etiam habentur: *Pulſent*, inquit, *fores, ſed non vtique confringant: adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non tranſiliant*, &c.

Hæc de lapſis coërcendis vel recipiendis decreta huius Synodi, vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ ſeruanda præſcripta, & ad ſingulos toto terrarum orbe diffuſas Eccleſias tranſmiſſa ſunt, vt ſcilicet vniuerſus orbis Catholicus obſeruet, quod à Cathedra Petri etiam vacante dimanare intelligit. Cyprianus epiſt. 2. ad Antonianum, Baronius anno 253. num. 79. 80. & 81.

CONCILIVM PRIMVM CARTHAGINENSE

in cauſa LAPSORVM *celebratum anno* 254. *tempore* CORNELII *Papæ*.

ANNO CCLIV. CONCILIVM hoc Carthaginenſe habitum eſt Carthagine poſt Paſcha, anno Domini 254. eſtque Cypriano Epiſcopo auctore conuocatum. Initio illius, Legati, quos Nouatianus cum literis ad Africanam Eccleſiam ſcriptis ablegauerat, à Cypriano excommunicantur. Patres autem in Synodo congregati literas eorum, quas ipſi calumniis & mendaciis in S. Cornelium pleniſſimas publicè in Concilio legi vrgebant, ſchiſmatis cauſa ex literis Cornelij, relatione quorumdam Eccleſiæ Epiſcoporum Romam reuertentium plenè cognita, reiiciunt tamquam indignas quæ in tam ſacro Sacerdotum Conuentu legantur & audiantur. Cyprianus epiſt. 41. 42. & 55. Feliciſſimus ſchiſmatis Africani infelix auctor, & quinque illi Presbyteri Carthaginenſes, fidei deſertores, ac ſchiſmatis ſectarij, de quibus Cyprianus epiſt. 40. iam antè bis excommunicati, in hoc ſacro Epiſcoporum Conuentu, cauſam ſuam acturi adſunt, audiuntur, & demum tertiò excommunicantur. Id apertè conſtat ex epiſt. Cypriani 52. & 55. item ex literis Synodicis ad Cornelium ſcriptis, quarum quidem S. Cyprianus epiſt. 42. meminit, ſed iniuria temporum interciderunt. Decretum eſt in hoc Concilio, vt lapſi pœnitentiam agẽtes in Eccleſiæ communionem quidem recipiãtur, ſed non citra vrgentem neceſſitatem ante ſatisfactionis tempus impletum admittantur. ſic Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum. Vide Baronium anno 254. num. 83. vſque ad 90. excluſiuè.

ANNOTATIO.

HÆRETICI conuerſi recipi debent: ſic Abdias Babylonicus recẽſet, Iacobum Apoſtolum Hermogenem magum, & hęreticum, reſipiſcentem ſuſcepiſſe. Vide ad hoc ep. 1. Euſebij I. Papæ ad Epiſcopos Campaniæ & Tuſciæ, Concilium Elibertinum can. 51. Arelatenſe II. can. 17. Laodicenum can. 6. & can. 8. de Cataphrygis, Conſtantinopolitanum I. Generale ſub Theodoſio Seniore, can. 7. & in Concilio Telenſi lecta eſt epiſt. 4. Siricij I. ad Epiſcopos Africanos, vbi in cap. 8. ſic legitur: *Hæretici conuerſi, per manus impoſitionem recipiantur*. Idem Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricum Rothomagenſem Epiſcopum, cap. 8. Idem ſtatuit Concilium Hipponẽſe, can. 35. Anaſtaſius I. ep. 1. ad omnes Burgundiæ & Germaniæ Epiſcopos, cap. 13. Concilium Taurinenſe

rinenſe I. ſub Siricio I. can. 5. Leo I. ep. 83. quæ eſt ad Septimum Epiſcopum Altinum, Concilium Mileuitanum can. 23. Concilium Arauſicanum I. ſub Leone, can. 2. & Conſtantinopolitanum ſub Flauiano, Act. 5. vt habetur Act. 1. Concilij Chalcedonenſis, Eutychetem ad pœnitentiam & conuerſionem exhortatur, promittens ei ſpem veniæ pro præcedentibus, & pro futuris communionem. Et etiam Concilium Nicænum II. Act. 1. vbi lectus eſt Canon Apoſtol. 53. can. 8. Concilij Nicæni I. can. 3. Concilij Epheſini Generalis: in quibus omnibus præcipitur, vt hæretici conuerſi recipiantur.

CONCIL. ROMANVM I.

in cauſa LAPSORVM *celebratum anno 254. tempore* CORNELII *Papæ.*

ANNO DOMINI CCLIV.

SYNODVS hæc auctoritate Cornelij Papæ ad petitionem Cypriani Romæ ob eamdem lapſorum cauſam anno 254. celebratum eſt: in qua decretum Carthaginenſis Concilij, de quo ſuprà, confirmatum eſt, nimirum, vt lapſi ad pœnitentiam quidem admitterentur, ſed ad communionem non niſi tempore ſatisfactionis peracto reciperentur. ſic ex epiſt. 54. Cypriani ad Antonianum. De Sacerdotibus lapſis hoc peculiariter decretum & conſtitutum eſt hoc eodem Concilio, vt Sacerdotes lapſi, præuia pœnitentia & ſatisfactione ad Eccleſiam quidem recipiantur, ſed à Sacerdotali functione deinceps abſtineant, & laica tantùm communione contenti in Eccleſia communicent. Hoc Decretum per literas Cornelius promulgauit, vt teſtatur Cyprianus epiſt. 67. in fine. Vigore huius Decreti Cornelius Pontifex, vt conſtat ex 52. epiſt. Cypriani, Trophimum quemdam Epiſcopum lapſum, ad laicam tantùm communionem recepit, eique, quamquam ad Eccleſiam admiſſus eſſet, Epiſcopali munere interdixit. Eamdem Conſtitutionem à Fortunatio Epiſcopo Aſſeritano lapſo non obſeruatam fuiſſe, Cyprianus epiſt. 64. vehementer exclamat: idem quoque facit, de Baſilide & Martiale loquens, in epiſt. 68. Vide Baronium anno 254. num. 90. & 91.

CONCIL. ROMANVM II.

in quo NOVATIANVS *condemnatur, anno 255. ſub* CORNELIO *Papa.*

SVB Cornelio Pontifice Romæ anno Domini 255. habitum eſt hoc Concilium, in quo 60. Epiſcopi congregati, decreuerunt, Nouatianum eiuſq; fautores ſchiſmaticos, eò quòd ab vnitate Eccleſiæ ſeſe præſcidiſſent, & lapſis pœnitentiam & reconciliationem denegarent, excommunicandos eſſe, ſicuti etiam de facto excommunicatos denuntiarunt: lapſos verò ad reconciliationem & pœnitentiam admittendos eſſe, decreto ſuo cõfirmarunt. Acta huius Concilij cum ſcriptionibus Epiſcoporum, teſte Euſebio lib. 6. cap. 35. in extrema parte illius epiſtolæ, quam Cornelius ad Fabianum Antiochenum ſcripſit, extiterunt; ſed magno antiquitatis Eccleſiæ detrimento exciderunt. Vide Baronium anno 255. num. 2. & 3. CCLV.

CONCILIVM ITALICVM

eadem de cauſa celebratum anno Chriſti 255. ſub eodem CORNELIO.

EAMDEM ob cauſam, Nouatiani, Epiſcopos Italiæ circa hæc tempora conueniſſe, idẽ quod præcedente Romano Concilio ſecundo conſtitutum eſt, confirmaſſe & decreuiſſe, teſtatur Hieronymus libro de Script. Eccl. in Concilio, his verbis: *Cornelius Romanæ vrbis Epiſcopus, &c. ſcripſit epiſtolam ad Flauianum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana.* Euſebius prædicto libro 6. cap. 35. de hoc Cornelio hæc ait: *Epiſtolæ quidem Cornelij Epiſcopi Romani, ſcriptæ ad Fabianum Epiſcopum Eccleſiæ Antiochenæ, ad nos peruenerunt, quæ tum Acta Concilij Romæ habiti, tum quæ ab omnibus in Italia, in Africa, inque aliis locis de eo errore decreta erant, euidenter declarant.* Baronius anno 255. num. 2. & 3.

CON-

CONCILIVM CARTHAGINENSE II.

in cauſa ſchiſmaticorum FELICISSIMI *&* NOVATIANI *celebratum ann.*255. *ſub* CORNELIO *Papa.*

ANNO DOMINI CCLV.

CONCILIVM hoc anno Domini 255. Idibus Maij Carthagine in Africa celebratum eſt, in cauſa duorum ſchiſmaticorum, Feliciſſimi nimirum & Nouatiani, quorum ille omnes omnino lapſos abſque pœnitentia mox ſuſcipi debere pertinaciter defendebat: Nouatianus verò in alterum extremum nimis declinans, neminem eorum qui lapſi eſſent, in Eccleſiam recipiendum eſſe nō minore pertinacia aſſerebat. Ad hanc ergo controuerſiam determinandam, auctoritate Cypriani Epiſcopi, quadraginta duo Epiſcopi Africanę Eccleſiæ congregantur, qui media via incedentes, definierunt, lapſis reditum ad Eccleſiam poſtulantibus, pacem & reconciliationem concedendam eſſe, ſi impoſitam ſibi pœnitentiam adimpleuiſſent: idq; ordinariè obſeruari conſtituerunt, niſi vel vitæ extremæ periculum imminēs, vel inſtans Tyrannorum perſecutio (quam futuram eſſe Spiritus ſanctus Cypriano reuelauerat) pœnitentiarum iniunctarum aut etiam iniungendarum indulgentiam, relaxationem, & diſpenſationem poſtularet. Priuatus veterator hæreticus, vt cauſam ſuam ageret, ad hanc Synodum ipſe cum ſuis introire tentauit quidem, ſed quia anteà ſæpiùs damnatus fuiſſet, repulſus eſt: qua de cauſa ille ſociis quibuſdam collectis, Fortunatum quemdam profugum & abſentem, aduerſus Cyprianum, Pſeudoëpiſcopum creat: & poſteà ſtatim per Feliciſſimum, & magnam ſchiſmaticorum cateruam ad Cornelium Papam ablegatam, vt ſchiſmatis & hæreſeos ſuſpicionem auerterent, Apoſtolicæ Sedis communionem ſollicitè admodum appetunt: verùm cùm Romam adnauigaſſent, & à Pontifice Cornelio aliquoties audiri & recipi poſtulaſſent, eique contra Cyprianum querelas afferre tentaſſent, ab eodē protinus reiecti ſunt: quippe qui per literas eos ſchiſmatis atque hæreſeos auctores & propugnatores profugos & abſentes, iam ſatis cognouiſſet. Baronius anno 255. num. 5. & ſeq. Synodica epiſtola ad Cornelium tranſmiſſa extat apud Cyprianum inter eius 54.

CONCIL. AFRICANVM I.

ad collapſam Eccleſiæ diſciplinam reformandam habitum anno 257. *ſub* STEPHANO *Papa.*

CESSANTE iam perſecutione, ad quaſſatam Eccleſiam componendam, anno Chriſti 257. Cyprianus, eiuſque collegæ Epiſcopi Africanæ Eccleſiæ ex more conuenerunt, partim vt rectam fidem & Catholicam vnitatem conſeruarent, partim etiam, vt collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituerent, ac bonos mores fidelium informarent. In hac Synodo conſtitutum eſt primò, vt Diaconus ille, quem Rogatianus de proteruia & conuitiis ſibi illatis coram Patribus Concilij denuntiauerat, aut abſtineatur, aut niſi peccatum emendet, omnino deponatur. Idem de reliquis proteruis & contumelioſis Clericis conſtitutum eſſe volens: quia contumacia in Clericis ſubiectis periculoſa ſit, ex qua vt plurimùm in hæreſim prolabi conſueuerunt. Vide Cyprianum epiſt. 65. Secundò, hac eadem Synodo Patres Concilij intelligentes, quòd Geminius Victor Chriſtianus ex hac vita diſcedens, Fortunatum quemdam Presbyterum teſtamento ſuorum filiorum tutorem nominaſſet: atque ita iuxta Decretum Concilij alicuius olim hac de re in Africa ſub anteceſſoribus celebrati, pœnam excommunicationis incurriſſet, ipſum Geminium defunctum, eò quòd Presbyterum à cultu Dei ad ſæcularia auocaſset, excommunicatum eſſe denuntiant: ideoque pro defuncto ANNO DOMINI CCLVII.

Sacri-

Digitized by Google

Sacrificium offerri, nomen apud Altare nominari ſeuerè admodũ interdicunt, ipſumque anteceſsorum ſuorum Decretum hac Synodali conſtitutione confirmant. Vide Cyprianum epiſt. 66. Baronium an. 257. num. 13. & 14.

ANNOTATIO.

CIRCA hanc excommunicationem mortuo factam, ſciendum, quòd nonnulli eius ſententiæ ſunt, vt mortuos excommunicari poſſe velint, vt Richardus in 4. diſt. 18. art. 5. q. 4. vbi hæreticos & ſchiſmaticos, necnon qui hæreticum heredem conſtituunt, 24. q. 2. c. Sanè profertur; & qui ſeipſos voluntariè occidunt, cap. Placuit. 23. q. 5. excommunicari poſſe poſt mortem teſtatur, non vt illis ſit pœna vel medicina, ſed ad aliorum terrorem, & in criminis deteſtationem: & hunc etiam ſequitur Gabriel in 4. diſt. 18. q. 2. art. 2. concluſ. 5. Coroll. 4. fauet Gloſ. c. Si quis Epiſcopus. verbo, Poſt mortem. & ibi Panormitanus num. 3. de Hæret. & hos ſecutus eſt Hugolinus de Cenſur. tabula 1. cap. 17. §. 2. num. 3. & cap. 19. vbi eamdem opinionem latè probat, & contrariam oppugnat. Alij tamen, & veriùs, mortuum propriè excommunicari non poſſe docent; ſic Alphonſus de Caſtro, lib. 2. de Iuſta hæret. punit. cap. 19. & cap. 20. Martinus Ledeſma 2. 4. q. 26. art. 1. Couaruuias in cap. Alma mater. 1. par. §. 11. num. 8. de Sent. excom. in 6. vbi ait eſſe communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam, & Gloſ. & Panormitanus vbi ſuprà reprehendit. Hunc etiam ſequuntur S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 75. §. 1. Siluester verbo Excommunicatio 1. num. 7. verſ. Sciendum eſt tertiò; Tabiena verbo Excommunicatio 4. in principio; Turrecremata 24. q. 2. à princ. Sapr. de Cenſur. lib. 1. cap. 8. num. 8. Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 13. Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 2. in fine.

Quòd ſi aliquando legimus, mortuos aliquos excommunicatos fuiſſe, vt in hoc Concilio præcipuè, illud dupliciter intelligi poteſt: vno modo, quòd fuerint declarati, & iuridicè pronuntiati excommunicati, eò quòd poſt mortem deteguntur eorum peccata excommunicationẽ annexam habentia, quæ in vita fuerunt occulta: quod frequenter fit in crimine hæreſis: ſolent enim contra eos qui in hæreſi occulta mortui eſſe deprehenduntur, libelli adſcribi, & ſententiæ pronuntiari, quibus publicè declarantur hæretici fuiſſe, & in hæreſi mortui: vnde & eorum corpora & oſſa exhumantur, & igni traduntur, ad hæreſis deteſtationem, & aliorum terrorem: & hoc ſolùm allegati Canones volunt. Alio modo, vt poſitum ſit excommunicationis nomen ſolùm pro maledictione & execratione, qua ſolemniter & publicè ſignificat Eccleſia ſe tales deteſtari; vnde meritò eos Eccleſia & Eccleſiaſtica ſepultura priuat, alioſque pro illis orare prohibet: & ita effectu quodam ſecundario excommunicationis poſt mortem eos punire decernit: quod iuſtè poteſt. Cùm enim excommunicatio duo præcipuè operetur, vnum, ne excommunicatus Eccleſiæ Sacramentis & Sacrificiis vtatur; & alterum, ne Chriſtiani ſuffragia pro eo ferant, & ne Eccleſiaſtica ſepultura eos donent, vt probatur in cap. Excommunicatos. cum ſeq. 11. q. 3. & in cap. A nobis. 2. & c. Sacris. de Sent. excom. & cap. fin. eod. tit. in 6. primum illum effectum, in quo propriè excommunicatio conſiſtit, ad mortuum non operatur, ſed ſolùm ſecundum. Ad id verò quod in hoc Concilio fit, dico, quòd tantùm hîc declaratur, Victorem anteà in excommunicationem incidiſſe, & vinculo excommunicationis innodatum deceſſiſſe.

Quòd verò Eccleſia excommunicet non ſolùm viuos, verùm & mortuos aliquando, fatetur Iuſtinianus Imperator in ſua Confeſſione fidei, quam ad Ioannem Pontificem huius nominis II. miſit, ſic inquiens: *Quidam dicunt, non oportere Theodorũ Mopſueſtenum Epiſcopum hæreticum poſt mortem anathematizari: ſed ſciant qui talem hæreticum defendunt, quòd omnis hæreticus vſque ad finem vitæ in ſuo errore permanens, iuſtè perpetuo anathemate, etiam poſt mortem ſuſcipitur: & hoc in multis hæreticis & antiquioribus & propioribus factum eſt.* Vide de hac re Concilium Africanum ſub Bonifacio I. can. 48. & Concilium Generale V. ait: *Eos ergo, qui tali dogmati hæreticorum obnoxij ſunt, anathematizari vult Eccleſiæ traditio, licet mortui eſſent.* Sic & Conciliũ Conſtantienſe, ſeſſ. 8. Ioannem VViclef damnatis & anathematizatis erroribus, anathematizauit & excommunicauit iam defunctum, & eius oſſa concremari iuſſit. Idem actum eſt in ſeſſ. 15. de Ioanne Hus. Quæ omnia renouat Martinus V. Decreto ad calcem præfati Concilij addito, vbi approbat ſententiam latam contra prædictos tres hæreticos Ioannem VViclef, Ioannem Hus, & Hieronymum à Praga: vbi etiam expreſsè iniungit perſequendos, comburendos, & animaduerſione damnandos.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. AFRICANVM *in cauſa* BASILIDIS *&* MARTIALIS *habitum anno* 258. *ſub* STEPHANO *Papa I.*

ANNO DOMINI CCLVIII. CONCILIVM hoc habitum eſt in Africa, anno Chriſti 258. ad inſtantiam Epiſcoporum Hiſpaniæ, eo fine, vt de cauſa Baſilidis & Martialis, Africanæ Eccleſiæ iudicium cognoſcerent. Cauſa talis erat: Baſilides Legionenſis, Martialis Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopi, eò quòd in perſecutione fuiſſent lapſi Libellatici, qui nimirum priuatim fidem abnegantes, publicum idolorum cultum pecunia redemiſſent, Epiſcopali honore ad denuntiationem fideliũ Hiſpanorum ſpoliantur, & in eorum locum Sabinus ac Felix ſubſtituuntur. Ceſſante perſecutione, illi, ſicut anteà Feliciſſimus in Africa lapſus, abſque vllo gradus & honoris diſpendio ab Eccleſia recipi temerario auſu contenderunt: quo conatu cùm fruſtrarentur, Felicemque cum Sabino in locum ſuum ſubſtitutos viderent; Baſilides liuore tabeſcens, ad Apoſtolicam Sedem Romam ſe contulit, ibique ſe iniuſtè ſede priuatum conquerens, Stephano Romano Pontifici ſupplicationem plurimis mendaciis refertam exhibet, ac per eam ſedi ac honori priſtino reſtitui ſuppliciter rogat. Quod cùm Epiſcopi Hiſpaniæ audiſſent, ipſi duo ſuffecti Epiſcopi, Sabinus ac Felix ad Africanam Eccleſiam ablegantur, & vtrique literæ ad Cyprianum reliquoſque eius Eccleſiæ Epiſcopos ſcriptæ communicantur, vt ſcilicet ijdem Epiſcopi Libellaticorum duorum cauſam cognoſcant ac diiudicent. Cyprianus igitur cùm Legatos vnà cum literis prędictis excepiſſet, collegas Antiſtites cõuocat, & in eorum ſacro conſeſſu literas ad ſe ſuoſque collegas ſcriptas legi ac recitari, & ab ijſdem Legatis in Concilium introductis, ſuam ipſorum cauſam enarrari procurat. Quæ cùm facta eſſent, hoc quod ab Epiſcopis Hiſpaniæ de Baſilidis & Martialis Libellaticorum Epiſcoporum depoſitione, & Sabini cum Felici ſuffectione conſtitutũ fuerat, per Africanæ Eccleſiæ Epiſcopos illos, qui huic Concilio interfuerant, confirmatum eſt; nimirum Libellaticos omnes ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, verùm ab ordinatione Clericali atque Sacerdotali dignitate rectè prohiberi; hoſce duos etiam ſua Epiſcopali dignitate rectè ſpoliatos, Sabinum ac Felicem in locum ipſorum rectè ſuffectos eſſe. Quo teſtimonio habito, ipſi Sabinus ac Felix, literis Cypriani aliorumque Epiſcoporum ad Stephanum & Epiſcopos Hiſpaniæ ſcriptis communiti, Romam adnauigant, cùm vt mendacia Baſilidis coràm refellant, tum etiam vt auctoritate Sedis Apoſtolicæ contumaces Epiſcoporum Hiſpaniæ contemptores compeſcant Vide Baronium anno 258. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

CONCIL. ICONIENSE *contra* CATAPHRYGAS *celebratum anno* 258. *ſub* STEPHANO *Papa.*

ICONII in Phrygia hoc Concilium habitum eſt anno 258: occaſione Cataphrygarum hęreticorum, vt de ipſorum omniumque aliorum hæreticorum Baptiſmatis valore quid ſtatuendum ſit, inquirerent. Ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliiſq; proximis Orientalibus regionibus Epiſcopi ad hanc Synodum acceſſerunt: à quibus omnibus conſtitutum ac decretum eſt, nihil eorum quæ ab hæreticis facta ſunt, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe; Ordinationes, Baptiſmum, manuum impoſitiones, aliúdve ſacrum quoduis ab hæreticis adminiſtratum, inualidum eſſe. Stephanus Pontifex Romanus Epiſcopos Orientales hęc conſtituentes excommunicat, & Apoſtolicæ Sedis communione priuat; ipſam verè Synodum erraticam contra Apoſtolorum traditionem errorum dogma cõfirmantem, reprobat. Orientales CCLVIII.

tales ad Pontificem ſuos quidem Legatos, qui de rebus in Synodo geſtis coràm Pontifici rationem redderent, ablegarunt: verùm, Romam venientes, à Stephano Pontifice neque recepti neque auditi fuerunt. Ob quam cauſam Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ad Cyprianum eam, quam Acta huius Concilij enarrant, epiſtolam ſcripſit, & de Legatis non auditis valdè conqueritur. Baronius anno prædicto, num. 14. 15. & 16.

CONC. SYNADENSE
in cauſa BAPTISMI *ab hæreticis collati, celebratum anno 258. ſub* STEPHANO *Papa I.*

ANNO DOMINI CCLVIII. EODEM tempore quo Iconienſe Concilium, Synadis in Aſia habitum eſt. In eo idem planè quod præcedente Concilio ſtatutum eſt, nimirum, vt hæreticorum Baptiſma planè nullius momenti eſſe exiſtimetur. De quo Concilio vide apud Euſebium lib. 7. cap. 6. & Baronium anno Chriſti 258. num. 17.

CONC. AFRICANVM *vel* CARTHAGINENSE I.
in cauſa BAPTISMATIS *hæreticorum, anno 258. ſub* STEPHANO *Papa I. habitum.*

CCLVIII. POSTQVAM in Africana Eccleſia, Agrippino, vel etiam Tertulliano auctore, vſus rebaptizandi eos qui ab hæreticis baptizati erant, iamdiu antehac frequentatus fuiſſet, cumque Nouatianus, vt ſaltem hoc modo lapſi, quos immundos eſſe docebat, per Baptiſmum ab omni ſua immunditia abſolutos in Eccleſiam reciperet, æmulatus fuiſſet, Magnus homo laicus, occaſione Nouatianorum, eamdem tunc temporis baptizandi formam ac ritum cum Catholicis obſeruantium, dubitauit primus, an ad Eccleſiam reuertentes rebaptizare deberent, quos à Nouatianis baptizatos eſſe ſcirent. Ex Epiſcopis primi reperiuntur fuiſſe Numidiæ, qui de iterando hæreticorum Baptiſmate ad Cyprianum, alioſque Epiſcopos ad Synodum hanc Carthagine coactos, literas conſcripſerunt. Prima igitur Synodica hac de re conſultatio, anno 258. Valeriano & Gallieno Impp. 4. habita, hæc eſt, vt Cyprianus epiſt. 73. ad Iubaianum oſtendit, in qua cùm ex Africanis alij, iuxta Apoſtolicam traditionẽ, ſentirent non eſſe rebaptizandos eos, qui legitimè ab hæreticis baptizati eſſent: alij verò contrà exiſtimarent, vnum Baptiſma duntaxat eſſe vnius Eccleſiæ, ideoque apud hæreticos, qui extra Eccleſiam ſunt, Baptiſmum verum ac Catholicum eſſe non poſſe; hac inquiſitione præuia, tandem definitum eſt, cùm vnum ſit in ſancta Eccleſia Baptiſma, neminem foris extra Eccleſiam baptizari poſſe: traditionem Apoſtolorum malè interpretantes, malè etiam loquentes vniuerſaliter, conſtringentes addiderunt (vt ex Cypriano epiſt. 71. ad Quintum conſtat) illos, qui à Catholicis ritè baptizati ad hæreticos defeciſsent, non per Baptiſmum, ſed per ſolam manuum impoſitionem recipiendos eſse, ſi ad Eccleſiam redire contendant. Baronius anno Chriſti 258. num. 17. vſque ad 26. incluſiuè.

CONC. AFRICANVM *ſiue* CARTHAGINENSE II.
in cauſa BAPTISMI, *anno 258. ſub* STEPHANO *Papa I.*

VT ea quæ præcedente Concilio conſtituta ſunt, pleniore ſententia confirmentur, Cyprianus in eadem cauſa Baptiſmi ab hæreticis collati, hoc eodem anno 258. pleniorem conuentum Epiſcoporũ conuocauit, & ex Africa ac Numidia 70. Epiſcopos & vnum ad hanc Synodum coëgit, eo fine, vt quod ſinguli ſentiunt de traditionibus maiorũ ſanctè & inuiolabiliter ſeruandis, deponant. Poſtquam omnes prædicti conueniſſent, idem quod ſuprà præcedentibus Conciliis CCLVIII.

Digitized by Google

ciliis Africanis in hac & Baſilidis cauſa habitis definitum eſt, duplici Decreto deſuper lato confirmarunt. Quorum primum eſt, vt ij qui in Eccleſia ordinati à fide defecerunt, reuertentes ad Eccleſiam, non niſi ad laicam communionem recipiantur. Alterũ, vt Baptiſmus hæreticorum ab ipſis collatus, non tantùm pro inualido, ſed etiam pro nullo habeatur, adeò, vt ſi ad Eccleſiam reuertentes baptizentur, non ſecundo Baptiſmo rebaptizentur, ſed tantùm primum ijs Baptiſma conferatur; quia ab hæreticis non verè baptizati, ſed aqua tantùm hæreticorum ampliùs ſordidati fuerint. Ita Cyprianus epiſt. 73. ad Iulianum. Vnde qui illum Anabaptiſmo patrocinatum fuiſſe ſentiunt, grauiter errant. Hæc cùm Epiſcoporum prædictorũ 71. ſententia conſtituta eſſent, ad Stephanum Romanum epiſtola quadam Synodica perſcribuntur. Ille verò Synodica epiſtola accepta, per literas redditas Concilium hoc reprobauit, & ſimul etiam ſanctiſſimè mandauit, ne à traditione Apoſtolica de non iterando Baptiſmate hæreticorum eorum, qui eadem forma, qua vtitur Eccleſia, baptizaſſent, vel latum vnguem recedant, ipſoſque ab ipſis baptizatos, ſi ad Eccleſiam redire petant, non aliter quàm per ſolam manuũ impoſitionem recipiant. Hæc ex Cypriano epiſtola 74. quam ad Pompeium Sabiatenſem in Africa Epiſcopum ſcripſit, probatur. Vide Baronium anno 258. num. 27. vſque ad 38. incluſiuè.

Vide Cyp. lib. 2. c. 3.

CONCILIVM CARTHAGINENSE III.

ſub CYPRIANO *Epiſcopo, in cauſa* BAPTISMI, *celebratum anno* 258. *tempore* STEPHANI *Papæ.*

ANNO DOMINI CCLVIII. *Huius Prouincialis Concilij decreta non recepit Catholica Eccleſia.*

OCCASIO celebrandi hoc Concilium hæc fuit: Cùm Stephanus Papa, ea quæ præcedente Africano Concilio de Baptiſmate hæreticorum ſtatuta erant, per literas redditas reprobaſſet, non cunctatus eſt Cyprianus maiore numero Epiſcoporum Carthagine aliud Concilium celebrare. Conuocatis igitur ex Africa, Numidia, & Mauritania Epiſcopis 87. iiſdemque Carthagine coëuntibus Kalendis Septemb. anno 258. hoc tertium in eadem Baptiſmi cauſa Concilium celebrat. Cuius initio, recitatis hinc inde literis ſcriptis, Stephanum Papam, tacito eius nomine, ſuggillat. Acta huius Concilij plura non extant, quàm ea quæ ex Cypriano & Auguſtino de Baptiſmate contra Donatiſtas, lib. 3. cap. 4. 5. & 6. & lib. 7. cap. 1. continentur. Quarum ſententiarum impugnationem qui petit, Auguſtinum præcitato loco conſulat. Canonem 19. Nicæni ac 8. Laodiceni, Epiſcoporum Africanorum ſententiis nihil patrocinari, infrà patebit. Vide Baronium anno 258. num. 42. & ſeqq.

ANNOTATIO.

CIRCA hanc Cypriani ſententiam de iterando hæreticorum Baptiſmate ſciendum, quòd licet ipſe cum multis Africanæ Eccleſiæ Epiſcopis, contra Stephanum Pontificem diu multiſq; id defenderit, ac Firmilianum cum 70. aliis in Aſia, Dionyſium Alexandrinum in Ægypto in ſuam ſententiam pertraxerit; nihilominùs in ea vſque ad mortem perduraſſe, non eſt credendum: quem enim numquam à Stephano Pontifice Apoſtolicæ Sedis communione priuatum eſſe, & in eadem cum Romana Eccleſia vnitate vſque ad martyrium perſtitiſſe, eiuſque diem natalem ab Eccleſia ſummo honore anniuerſario coli ac honorari conſtat, eumdem mentem in melius non mutaſſe, errorem non deſeruiſſe, non eſt credibile. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. contra Donatiſt. cap. 4. item epiſtol. 48. Hieronymus contra Lucifer. Euſebius lib. 7. cap. 3. 4. 8. Baronius anno Chriſti 258. num. 42. & ſeqq. item an. 259. n. 1. 2. 3. 4. & ſeq. 9. & 12. &c. Vnde idem Cyprianus lib. 2. c. 3. & ſerm. 3. de Ablutione pedũ, ait: *Baptiſmum repeti, Eccleſiaſtica prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterùm conſecrans præſumit accedere.* Idem habet in epiſtola ad Iubaianum, in qua cõfitetur, non licere Baptiſma reiterare. Et Concilium Carthaginenſe I. ſub Silueſtro I. vel Marco I. can. 1. ait: *Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à*

 ſincera

tales ad Pontificem ſuos quidem Legatos, qui de rebus in Synodo geſtis coràm Pontifici rationem redderent, ablegarunt: verùm, Romam venientes, à Stephano Pontifice neque recepti neque auditi fuerunt. Ob quam cauſam Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ad Cyprianum eam, quam Acta huius Concilij enarrant, epiſtolam ſcripſit, & de Legatis non auditis valdè conqueritur. Baronius anno prædicto, num.14.15. & 16.

CONC. SYNADENSE

in cauſa BAPTISMI *ab hæreticis collati, celebratum anno* 258. *ſub* STEPHANO *Papa I.*

ANNO DOMINI CCLVIII. EODEM tempore quo Iconienſe Concilium, Synadis in Aſia habitum eſt. In eo idem planè quod præcedente Concilio ſtatutum eſt, nimirum, vt hæreticorum Baptiſma planè nullius momenti eſſe exiſtimetur. De quo Concilio vide apud Euſebium lib.7.cap.6. & Baronium anno Chriſti 258. num.17.

CONC. AFRICANVM *vel* CARTHAGINENSE I.

in cauſa BAPTISMATIS *hæreticorum, anno* 258. *ſub* STEPHANO *Papa I. habitum.*

CCLVIII. POSTQVAM in Africana Eccleſia, Agrippino, vel etiam Tertulliano auctore, vſus rebaptizandi eos qui ab hæreticis baptizati erant, iamdiu antehac frequentatus fuiſſet, eumque Nouatianus, vt ſaltem hoc modo lapſi, quos immundos eſſe docebat, per Baptiſmum ab omni ſua immunditia abſolutos in Eccleſiam reciperet, æmulatus fuiſſet, Magnus homo laicus, occaſione Nouatianorum, eamdem tunc temporis baptizandi formam ac ritum cum Catholicis obſeruantium, dubitauit primus, an ad Eccleſiam reuertentes rebaptizare deberent, quos à Nouatianis baptizatos eſſe ſcirent. Ex Epiſcopis primi reperiuntur fuiſſe Numidiæ, qui de iterando hæreticorum Baptiſmate ad Cyprianum, alioſque Epiſcopos ad Synodum hanc Carthagine coactos, literas conſcripſerunt. Prima igitur Synodica hac de re conſultatio, anno 258. Valeriano & Gallieno Impp.4. habita, hæc eſt, vt Cyprianus epiſt. 73. ad Iubaianum oſtendit, in qua cùm ex Africanis alij, iuxta Apoſtolicam traditionẽ, ſentirent non eſſe rebaptizandos eos, qui legitimè ab hæreticis baptizati eſſent: alij verò contrà exiſtimarent, vnum Baptiſma dumtaxat eſſe vnius Eccleſiæ, ideoque apud hæreticos, qui extra Eccleſiam ſunt, Baptiſmum verum ac Catholicum eſſe non poſſe; hac inquiſitione præuia, tandem definitum eſt, cùm vnum ſit in ſancta Eccleſia Baptiſma, neminem foris extra Eccleſiam baptizari poſſe: traditionem Apoſtolorum malè interpretantes, malè etiam loquentes vniuerſaliter, conſtringentes addiderunt (vt ex Cypriano epiſt. 71. ad Quintum conſtat) illos, qui à Catholicis ritè baptizati ad hæreticos defeciſſent, non per Baptiſmum, ſed per ſolam manuum impoſitionem recipiendos eſſe, ſi ad Eccleſiam redire contendant. Baronius anno Chriſti 258. num.17. vſque ad 26. incluſiuè.

CONC. AFRICANVM *ſiue* CARTHAGINENSE II.

in cauſa BAPTISMI, *anno* 258. *ſub* STEPHANO *Papa I.*

VT ea quæ præcedente Concilio conſtituta ſunt, pleniore ſententia confirmentur, Cyprianus in eadem cauſa Baptiſmi ab hæreticis collati, hoc eodem anno 258. pleniorem conuentum Epiſcoporũ conuocauit, & ex Africa ac Numidia 70. Epiſcopos & vnum ad hanc Synodum coëgit, eo fine, vt quod ſinguli ſentiunt de traditionibus maiorũ ſanctè & inuiolabiliter ſeruandis, deponant. Poſtquam omnes prædicti conueniſſent, idem quod ſuprà præcedentibus Conciliis CCLVIII.

Digitized by Google

ciliis Africanis in hac & Baſilidis cauſa habitis definitum eſt, duplici Decreto deſuper lato confirmarunt. Quorum primum eſt, vt ij qui in Eccleſia ordinati à fide defecerunt, reuertentes ad Eccleſiam, non niſi ad laicam communionem recipiantur. Alterũ, vt Baptiſmus hæreticorum ab ipſis collatus, non tantùm pro inualido, ſed etiam pro nullo habeatur, adeò, vt ſi ad Eccleſiam reuertentes baptizentur, non ſecundo Baptiſmo rebaptizentur, ſed tantùm primum ijs Baptiſma conferatur; quia ab hæreticis non verè baptizati, ſed aqua tantùm hæreticorum ampliùs ſordidati fuerint. Ita Cyprianus epiſt. 73. ad Iulianum. Vnde qui illum Anabaptiſmo patrocinatum fuiſſe ſentiunt, grauiter errant. Hæc cùm Epiſcoporum prædictorũ 71. ſententia conſtituta eſſent, ad Stephanum Romanum epiſtola quadam Synodica perſcribuntur. Ille verò Synodica epiſtola accepta, per literas redditas Concilium hoc reprobauit, & ſimul etiam ſanctiſſimè mandauit, ne à traditione Apoſtolica de non iterando Baptiſmate hæreticorum eorum, qui eadem forma, qua vtitur Eccleſia, baptizaſſent, vel latum vnguem recedant, ipſoſque ab ipſis baptizatos, ſi ad Eccleſiam redire petant, non aliter quàm per ſolam manuũ impoſitionem recipiant. Hæc ex Cypriano epiſtola 74. quam ad Pompeium Sabiatenſem in Africa Epiſcopum ſcripſit, probatur. Vide Baronium anno 258. num. 27. vſque ad 38. incluſiuè.

Vide Cyp. lib. 1. c. 3.

CONCILIVM CARTHAGINENSE III.

ſub CYPRIANO *Epiſcopo, in cauſa* BAPTISMI, *celebratum anno* 258. *tempore* STEPHANI *Papæ.*

ANNO DOMINI CCLVIII. *Huius Prouincialis Concilii decreta non recepit Catholica Eccleſia.*

OCCASIO celebrandi hoc Concilium hæc fuit: Cùm Stephanus Papa, ea quæ præcedente Africano Concilio de Baptiſmate hæreticorum ſtatuta erant, per literas redditas reprobaſſet, non cunctatus eſt Cyprianus maiore numero Epiſcoporum Carthagine aliud Concilium celebrare. Conuocatis igitur ex Africa, Numidia, & Mauritania Epiſcopis 87. iiſdemque Carthagine coëuntibus Kalendis Septemb. anno 258. hoc tertium in eadem Baptiſmi cauſa Concilium celebrat. Cuius initio, recitatis hinc inde literis ſcriptis, Stephanum Papam, tacito eius nomine, ſuggillat. Acta huius Concilij plura non extant, quàm ea quæ ex Cypriano & Auguſtino de Baptiſmate contra Donatiſtas, lib. 3. cap. 4. 5. & 6. & lib. 7. cap. 1. continentur. Quarum ſententiarum impugnationem qui petit, Auguſtinum præcitato loco conſulat. Canonem 19. Nicæni ac 8. Laodiceni, Epiſcoporum Africanorum ſententiis nihil patrocinari, infrà patebit. Vide Baronium anno 258. num. 42. & ſeqq.

ANNOTATIO.

CIRCA hanc Cypriani ſententiam de iterando hæreticorum Baptiſmate ſciendum, quòd licet ipſe cum multis Africanæ Eccleſiæ Epiſcopis, contra Stephanum Pontificem diu multiſq; id defenderit, ac Firmilianum cum 70. aliis in Aſia, Dionyſium Alexandrinum in Ægypto in ſuam ſententiam pertraxerit; nihilominùs in ea vſque ad mortem perduraſſe, non eſt credendum: quem enim numquam à Stephano Pontifice Apoſtolicæ Sedis communione priuatum eſſe, & in eadem cum Romana Eccleſia vnitate vſque ad martyrium perſtitiſſe, eiuſque diem natalem ab Eccleſia ſummo honore anniuerſario coli ac honorari conſtat, eumdem mentem in melius non mutaſſe, errorem non deſeruiſſe, non eſt credibile. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. contra Donatiſt. cap. 4. item epiſtol. 48. Hieronymus contra Lucifer. Euſebius lib. 7. cap. 3. 4. 8. Baronius anno Chriſti 258. num. 42. & ſeqq. item an. 259. n. 1. 2. 3. 4. & ſeq. 9. & 12. &c. Vnde idem Cyprianus lib. 2. c. 3. & ſerm. 3. de Ablutione pedũ, ait: *Baptiſmum repeti, Eccleſiaſtica prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterùm conſecrans præſumit accedere.* Idem habet in epiſtola ad Iubaianum, in qua cõfitetur, non licere Baptiſma reiterare. Et Concilium Carthaginenſe I. ſub Silueſtro I. vel Marco I. can. 1. ait: *Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à*

O *ſincera*

Digitized by Google

ſincera fide & Catholica diſciplina, &c. Idem omnino ſtatuit poſteà Concilium Carthaginenſe III. can. 38. tempore Siricij Papæ, ſub anno 397.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa DIONYSII ALEXANDRINI *de Sabellianiſmo accuſati, habitum anno 263. tempore* DIONYSII *Papæ.*

ANNO DOMINI CCLXIII. HOC Concilium auctore Dionyſio Papa celebratum eſt Romæ anno Domini 263. hanc ob cauſam: Cùm Sabelliana hæreſis, auctore Sabellio orta ac propagata, glorioſiſſimæ & adorandæ Trinitati perſonarum diſtinctionem auferret, Dionyſius Alexandrinus ſui officij ratus, hominem Libyum ſibi ſubditum refellere, in eum lucubrationes quaſdam ſcripſit, quibus ſiniſtro iudicio Pentapolitanorum non perſonarum tantùm, ſed etiam naturæ diuinæ diſtinctionem ac diuerſitatem tueretur. Pentapolitani igitur eumdem Dionyſium Alexandrinũ, quaſi de fide & Trinitate non rectè ſentiret, apud Dionyſium Pontificem accuſant. Pontifex hoc Epiſcoporum conuentu indicto, Dionyſium Alexandrinum ad Concilium citat, & quid de natura ac ineffabili glorioſiſſimæ Trinitatis ſubſtantia ſentiat, vnam eadémve, an verò diuerſam in tribus perſonis ſubſiſtentem diuinam naturam eſſe credat, ſcripto proferri mandat. Epiſcopus Alexandrinus calumnioſè accuſatus, Pontificis decreto paret, epiſtolam mentis ſuę indicem, & criminis obiecti purgatricem, quę extat apud Baronium hoc anno num. 34. cum quatuor Apologeticis libris pro ſui defenſione conſcriptis propediem adferendis, mittit. Quibus habitis, cùm Pentapolitanorum accuſantium, & Dionyſij ſeſe purgantis cauſa diu multumque diſcuſſa fuiſſet, præuio maturo conſilio, Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, omnium Epiſcoporum qui huic Concilio interfuerunt, ſententia ac iudicio ab accuſatorum calumnia, teſte Athanaſio in illo Commentario, quem de ſententia Dionyſij aduerſus Arianos conſcripſit, abſolutus eſt. Vide Baronium anno 263. num. 30. vſque ad 50.

CONCILIVM ANTIOCHENVM I.

in cauſa PAVLI SAMOSATENI *habitum anno 266. ſub* DIONYSIO *Papa I.*

CONCILIVM hoc celebrandi cauſam dedit Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus, qui hæc impia dogmata docebat: Chriſtum purum hominem eſſe: ante Mariam Virginem non extitiſſe: nomen Filij Dei ex bonis & iuſtis ſuis operibus accepiſſe: in Sacramento Eccleſiæ ſanguinem eiuſdem Chriſti corruptibilem eſſe (vt habent literæ Dionyſij Alexandrini, quas habet Baronius anno 265. num. 6.) Qui cùm totius Chriſtianæ Religionis fundamentum euertere conetur, iure meritoque Dionyſius Romanus Pontifex, cui poſt Petrum eiuſque quoſdam ſucceſſores cura Eccleſiæ demandata eſt, aduigilat, vt impias hæreſes à Paulo introductas condemnet, ipſumque hæreſis auctorem pro ſuo merito ab Eccleſia & Epiſcopali ſede deponat. CCLXVI.

Indicto igitur Concilio, præter alios, quorum plures nominatim recenſet Euſebius lib. 7. cap. 22. Dionyſius Alexandrinus citatur quidem; ſed cùm per corporis imbecillitatem intereſſe non poſſet, epiſtolam ſcripſit, quam Turrianus è latebris vindicatam Latinitate donauit, cuiuſque fragmentum extat apud Baronium prædicto anno 265. num. 6. Reliqui quotquot ad Synodum conuenerunt Epiſcopi, ante omnia, fidei Catholicæ de Filio Dei profeſſionem ſcripto editam emiſerunt, eamque ad Paulum Samoſatenum ex Synodo deferri curarunt, cum ſedula admonitione, vt de Diuinitate Filij quid ſentiat, Patribus Concilij aperiat. Ille metuens ne

ne ſede deijciatur, pœnitentiam doloſè ſimulans, ſententiam mutauit, hęreſim abiurauit, & fidem Catholicam profeſſus eſt. Quo facto, ſui de Epiſcopali ſede ac honore deiectionem deprecatus, Præfecturam illius Antiochenæ ſedis ad tempus continuauit. Ita Synodica epiſtola Concilij Antiocheni ſecunda, quæ extat apud Euſebium lib. 7. c. 24. Vide Baronium anno Chriſti 265. n. 3. & ſeq. item anno 266. n. 2. & ſeqq.

CONC. ANTIOCHENVM II.

in cauſa PAVLI SAMOSATENI, *ſub* DIONYSIO *Papa anno 272. celebratum.*

ANNO DOMINI CCLXXII. PAVLVS Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus, cùm abdicatam ſemel hæreſim, atque priore Antiochena Synodo proſcriptã reſtituere, & conuictam impietatem reſuſcitare conatus eſt, anno 2. Aureliani Imp. qui eſt Chriſti 272. & Dionyſij Pontificis 12. inchoatus, Epiſcopi numero propè infiniti, denuò Antiochiam redire, atque Paulum ſecundò lapſum, de errore & corruptis vitæ moribus ſimul conuictum ac damnatum, Epiſcopali throno depoſuerunt, atque eius loco Domnum Epiſcopum ſuffecerunt. Quibus ita peractis, epiſtolam de Actis Concilij Synodicam ad Dionyſium Romanum Pontificem ſcripſerunt, ac ſimul de diuina natura Chriſti Dei Patris naturæ conſubſtantialis, (vt nimirum duorum hęreſiarcharum, Samoſateni & Sabellij, hęreſim de Chriſti Diuinitate iugularent) inſignẽ fidei profeſſionem (quæ extat Tom. 6. cap. 1. in fine Concilij Epheſini, edit. Pelt.) item poſt Synodum Epheſinam in fine Orationis illius, quam habuit Cyrillus de Incarnatione Verbi, ab Euſebio Arianorum ſectario & fautore doloſè ſuppreſſam, ediderunt. *Cùm autem Paulus domo Epiſcopali exire iuſſus, nollet obtemperare, Imperator Aurelianus,* ait Euſebius lib. 7. cap. 24. in fine, *de ea rerogatus ſententiam, ſanctiſſimè, quid eſſet agendum, decreuit. Præcepit enim, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & Vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendam præſcriberent. Sic demum Paulus cum ſummo dedecore, ſecularis Imperij ac poteſtatis auctoritate, ab Eccleſia penitùs extruditur.* Vide Baronium anno 272. per totum.

CONCILIVM CIRTENSE

quo in locum Traditoris Traditorem Epiſcopum ſubſtituerunt, anno 303. ſub MARCELLINO *Papa.*

CONCILIVM hoc habitum eſt Cirtæ in Numidia, anno Domini 303. ſub Marcellino Põtifice, & Diocletiano ac Maximiano Impp. Secundo Tigiſitano Epiſcopo, Numidarum Epiſcoporum Primate auctore. Epiſcopi, qui ex Imperatorum edicto, codices ſacros, réſve alias ſacras comburendas tradiderant, aut thurificarant, eo fine conuenerũt, vt in locum defuncti Cirtenſis Epiſcopi alium ſufficerent & ſubrogarent. Celebrata eſt hæc Synodus in domo Vrbani Cariſi, quia Baſilicæ nondum erant reſtitutæ. De traditione ſacrorum librorum interrogante Secundo Tigiſitano, reliqui præſentes quæſiti, traditionis crimen confeſſi ſunt, ſuumq; Primatem interrogantem, eiuſdem delicti redàrguerunt. Qua de re ipſe ſe literis ad Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum ſcriptis omnino purgare & excuſare fruſtrà eſt conatus. Epiſcopum Cirtenſem, quæ ferè præcipua conueniendi cauſa fuit, ordinarunt quemdam Paulum, qui hoc eodem anno à Magiſtratibus conuentus, libros & Eccleſiæ ſupellectilia tradidit, ſicut & Siluanus eiuſdem Subdiaconus, poſteà verò etiam Cirtenſis Epiſcopus, vt conſtat ex Actis Proconſularibus, quæ prolixè recitantur à Baronio hîc num 7. Ex his traditoribus impij Donatiſtæ fluxerunt, quorum cauſâ Africana Eccleſia tot cladibus multis ſæculis in pœnam criminis exagitata, ac deinde à Wandalis primò, demum ab Arabibus penitùs CCCIII.

Digitized by Google

nitùs deuaſtata fuit. Baronius num.29. Fragmentum huius Synodi recitatur ab Optato Mileuitano lib. 1. ſummatim dumtaxat: & à S. Auguſtino contra Creſconium lib.3.cap.26. in fine, & 27.

CONCIL. SINVESSANVM

celebratum anno Chriſti 303. tempore MARCELLINI *Papæ.*

ANNO DOMINI CCCIII. CVM Marcellinus Pontifex Romanus, ideò quòd in templo Veſtæ & Iſidis ſimulachris & idolis gentilibus, Ioui nimirum ac Saturno, thus adoleuiſſet, & ſacrificium obtuliſſet, accuſatus eſſet, in ciuitate Sinueſſana conuenerunt trecenti Epiſcopi, de lapſu Marcellini Pōtificis ſententiam dicturi: locus conueniendi fuerat crypta Cleopatrēſis, quam quinquageni dumtaxat alij poſt alios introibant, cùm præ nimia anguſtia omnes ſimul non caperet. Poſt cauſę diſcuſſionem, & quorumdam Presbyterorum condemnationem, Marcellinus Pontifex peccatum ſuum publicè confeſſus, indutus ſacco, aſperſus cinere, humi proſtratus, pœnitentiam agens, Peccaui, inquit, coram vobis, & nō poſſum eſſe in ordine Sacerdotum: atq; ita ſuo ſeipſum iudicio condemnauit. Hunc conuentum trecētorum Epiſcoporum, poſt Magdeburgenſes Nouatores Angli, quaſi à Donatiſtis confictus ſit, reijciunt, ideò quòd putent non eſſe probabile, hoc anno Diocletiani 20. quo perſecutionis ſæuiſſimum incendium flagrabat, & Imperatorum toto orbe Romano in Chriſtianos acerbior ira ſęuiebat, trecentos Epiſcopos congregari potuiſſe. Verùm ſi nullo metu perſecutionis Decij obſtante, ante annos 50. circiter, vt ſuprà diximus in Annotatione ad Romanum Concilium ſub Interregno habitum, ad literas Cleri Romani remotiorum prouinciarum Epiſcopi plurimi, cum multis aliis vicinis Italiæ & Romæ in exilio degentibus conuenerunt, & Concilio ibidem celebrato ea ſtatuerunt, quę pro neceſſitate Eccleſiæ tunc requirebantur; cur magis à veritate alienum erit, eiuſdē Cleri Romani vigilantiſſimo ſtudio, tranſmarinæ Eccleſiæ Epiſcopos per literas Circulares conuocatos, nullo metu aut periculo vitæ prohibente, loco ac tempore cōueniſſe ad illam cauſam omnium deploratiſſimam decidēdam aut tranſigendam, qua non tantùm Romana Eccleſia, ſed vniuerſa Chriſtiana religio in ſummo diſcrimine collocata erat; qua in Antiſtite fidei Catholicæ, ipſum fundamentum Eccleſia concutiebatur, & propè excuſſum erat? Quis credat, ad medendum & ſuccurrendum huic communi omnium cauſæ, Clerum Romanum aliàs vigilantiſſimum officio ſuo defuiſſe; aut Epiſcopos quoſuis huius literis conuocatos, quamquam tempora periculoſiſſima eſſent, non comparuiſſe? Commentum Donatiſtarum eſſe nequit, quod teſte Auguſtino ipſis numquam cognitum fuit. *Lapſum Marcellini Donatiſtæ quidam Catholicis obiecerunt*, inquit Auguſtinus de Vnico Baptiſ. contra Petilianum, c.16. *ſed crimen cōmiſſum eſſe hactenus nondum probarunt*. Plura quæ hoc Concilium commentum eſse arguere poſsent, infrà attingemus. Baronius an.303. nu.103. & 104.

Circa hoc Concilium & eius Acta, quamquam virorum doctiſſimorum plurimi ea ſpuria & nullius ponderis eſse, validis argumentis probare conati ſint; adeoque aliud nihil eſse ſentiant, quàm commentum à Donatiſtis callidè excogitatum, vt ſcilicet nomen Marcellini ab omnibus antiquioribus benè acceptum, & magnæ ęſtimationis habitum, infamaretur; nos tamen eadem Acta non modò non commentitia, Donatiſtis adſcribenda, ſed potiùs in magna veneratione habenda eſse exiſtimauimus: tum quòd pro iiſdem ipſa veneranda antiquitas, maieſtate ſua ab inuitis etiam reuerentiam extorquens acerrimè militet: tum quòd communi omnium conſenſu credita, in antiquis Roma-

Romanæ aliorumq; Eccleſiarum Martyrologiis ac Breuiariis recepta hactenus, ſine vlla controuerſia retenta fuerint. Baronius in Appendice Tomi 10. ad hunc annum.

Quod S. Auguſtinus de Vnico Baptiſmo contra Petil. cap.16. ait, lapſum Marcellini per rumuſculum dumtaxat recentioribus Donatiſtis cognitum & Eccleſiæ obiectum, demonſtrari ac probari non potuiſſe, ideoque neq; hoc iudicium in hac cauſa agitatum, neque Concilium hanc ob rem congregatum fuiſſe, nihil antiquitati, nihil rei geſtæ præiudicat. Eſto, de lapſu Marcellini Donatiſtis antiquioribus totique Africanæ Eccleſiæ (quod ex querela aduerſus Melchiadem de abſoluto Cæciliano Imperatori oblata, ſatis firmiter colligitur) nihil conſtiterit, eumdemq; S. Auguſtinus compertum non habuerit, numquid igitur verum erit, nihil horum Actorum in cauſa & iudicio labentis Marcellini Pontificis geſtum eſſe? Potuit enim fieri vt hæc S. Auguſtinum latuerint, qui etiam diu Presbyter, iam ordinandus Epiſcopus, Nicænos Canones toto orbe vulgatos (vt epiſt. 110. de ſeipſo fatetur) non modò non viderat, ſed etiam eoſdem tanto Concilio conſtitutos eſſe, planè ignorauit. Et quid tam nouum ſi huiuſmodi lapſus Marcellini & Concilij Sinueſſani Acta cóſcripta minimè perlata fuerint ad Africanas prouincias, cùm illud quod cunctis tam Græcis quàm Latinis præ manibus fuerat Euſebij Chronicon, in Africam numquam peruenerit, vt Alypius, quod ſcribit Auguſtinus epiſt. 35. ex Italia à S. Paulino Nolano Epiſcopo illud petere debuerit? Nemo igitur prudens, antiquiſſima Acta Marcellini propterea dumtaxat velut ſpuria, illegitima, ac commentitia reiecerit, quòd eadem vel S. Auguſtino, vel etiam toti Africanæ Eccleſiæ antiquiori incognita fuerint. Vt autem Donatiſtis adſcribantur, eorumque figmenta eſſe dicantur, quæ ipſi, Auguſtino & rationibus ſuprà memoratis atteſtantibus, neque vmquam nouerunt, neque iiſdem aliquando vſos fuiſſe reperiuntur, minùs commodè & conuenienter defendi poteſt.

Hæreſiarchæ noſtri temporis, cum Donatiſtis tempore D. Auguſtini propter lapſum prædictum Marcellini mirificè admodum triumphant, quaſi Eccleſiæ Catholicæ turpiſſima macula inuſta ſit ex eo, quòd caput Eccleſiæ hanc turpitudinem commiſerit: ſed quod ſolét aliàs, ante victoriam triumphum cantant. *Quid tum*, inquit Tertullianus de Præſcript. *ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem obtinuere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* & S. Auguſtinus lib. de Vnico Baptiſmo contra Petilianum agens, *Non ſanè parua eſt*, inquit, *parumque glorioſa conſolatio cuiuſque noſtrum, ſi ab inimicis Eccleſiæ cum ipſa Eccleſia criminamur, eius tamen defenſio non in eorum hominum defenſione conſiſtit, quos iſti nominatim falſis criminationibus appetunt. Prorſus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Silueſter, Melchiades, Menſurius, Cæcilianus, atque alij, quibus obiiciunt pro ſua defenſione quod volunt, nihil præiudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ; nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.* Vita ergo Præſulum turpiter acta, ipſis plurimũ, nihil dogmatibus orthodoxis Eccleſiæ præiudicat. Quòd malè viuẽdo multis ſcandalum præbeant, ob hoc grauis ſuo tempore pœna luenda ipſos manet. Vide Baronium anno 302. num. 8. 9. & ſeqq.

Quod Cẽturiatores ex lapſu Marcellini vrgent, Petrum & Petri ſucceſſores in definiendis fidei dogmatibus errare poſſe, & quoſdã de facto erraſſe, ineptè vrgent: Marcellinus enim idolis ſacrificando metu mortis inductus, contra fidei confeſſionem peccauit, adeoque externo actu fidem negaſſe viſus eſt: verùm interiore actu contra fidem ni-

Digitized by Google

hil credidit, nihil etiam docuit, atque ideò hæreticus vel infidelis eſſe non potuit. Cuius rei pœnitentia paulò pòſt peracta, Pontificatu ſpontè abdicatus, martyrium ob fidem ſuſceptum, indicium euidentiſſimum præbent. Vide Bellarminum lib.4.de Rom. Pont.c.9.

Annotatio.

In hoc ergo Concilio hoc præcipuè eſt annotatione dignum, quòd Patres omnes dixerunt: *Nemo vmquã iudicauit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum: quoniam prima Sedes à nullo iudicatur.* Et rectè quidem, quia Summus Pontifex Romanus eſt ſupremus omnium Epiſcoporum, & nullam poteſtatem in terris ſupra ſe cognoſcit. Hæc Aſſertio duas partes continet: Vna, Quòd Papa eſt ſupremus omnium Epiſcoporum: Altera, Quòd nullam poteſtatem in terris ſupra ſe cognoſcit. Vtraque probatur.

Prima ſic: Concilium Nicænum I. can.6. *Eccleſia Romana*, ait, *ſemper habuit primatum.* Et Concilio Chalcedonenſi Act.16. ſic habetur: *Poſt quem lectum iudices dixerunt: Perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* Concilij Conſtantinopolitani I. ep. ad Damaſum, vt habetur apud Theodoretum lib.5.Hiſt. cap.9. fatentur Patres, Romanam Eccleſiam caput eſſe, ſe autem membra. Concilium Epheſinum I. apud Eugenium lib.1.c.4. profitetur, ſe deponere Neſtorium ex mandato Cæleſtini Papæ. Item Chalcedonenſe Act.1.2.& 3. quibus paſſim vocatur Leo I. Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex. Septima Synodus Act.2. ſic habet: *Cuius ſedes* (ſcilicet Romani Pontificis) *per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumq; Eccleſiarum Dei caput exiſtit.* Item Lateranenſe IV. cap.5. dicit: *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum.* Item Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. & habetur in c. Vbi periculum. de Elect. in 6. Item Florentinum, vbi ſic determinatur: *Definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum: & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ caput.* Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ, *Cuncta*, inquit, *per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli ius habet reſoluendi, vtpote quæ de omni Eccleſia fas habet iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.* Gregorius lib.3.epiſt.63. *Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia*, inquit, *quis eam dubitet Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubiectam.* & epiſt.69. *Neſcio quis ei* (ſcilicet Apoſtolicæ Sedi) *Epiſcopus ſubiectus non ſit.* Pelagius II. epiſt.1. *Romana Sedes, inſtituente Domino, Caput eſt omnium Eccleſiarum.* Accedant Patres. Irenæus lib.3. *Ad hanc Eccleſiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Epiphanius hæreſi 68. loquens de Vrſacio & Valente Epiſcopis, profectis ad Iulium Papam, reddituris rationem dè factis Athanaſij Epiſcopi (ad Felicem Papam, iuxta Bellarminum:) *Ob id vos prædeceſſoreſq; veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniumq; Eccleſiarum curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis.* Baſilius ep.52. in qua tribuit Pontifici Romano auctoritatem viſitandi Orientis Eccleſias. Cyrillus lib. Theſauri: *Debemus nos, vt qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici & Apoſtolicæ Sedi adhærere.* Theodoretus, qui 800. Eccleſiis præerat, Aſianus Epiſcopus, epiſt. ad Leonem ait: *Ego Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam*, &c. *Ita tenet iſta ſancta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum.* Cyprianus lib.1. epiſt.8. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna, ſuper petram Domini voce fundata: aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum Sacerdotium non poteſt; quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Optatus Mileuitanus contra Parmen. Ambroſius Tom.3. *Cùm totus mundus Dei ſit, tamen domus eius Eccleſia dicitur, cuius hodie Rector eſt Damaſus.* Hieronymus ad Damaſum de nomine hypoſtaſis: *Ego nullũ primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Auguſtinus epiſt.162. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit Principatus.* Anſelmus lib. de Incarnat. Verbi, cap.1. *Domino & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis, ſummo Pontifici Vrbano frater Anſelmus.* Hi omnes Patres probant intentum.

Sed probemus alio medio, nempe ex facto. Summus Pontifex inſtituit Epiſcopos, vt patet: deponit etiam quando neceſſe eſt. Sic ex Nicolao I. epiſt. ad Michaëlem, vbi enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Romano Pontifice depoſitos, inter quos Anthimus fuit. Et longè ante Nicolaum Cyprianus lib.3. epiſt.13. petit à Stephano Papa, vt deponat Arelatenſem Epiſcopum, & alium ſubſtituat. Theodoretus

lib.

lib.5.Hiſt.c.23.refert, Damaſum depoſuiſſe Flauianum Patriarcham Antiochenum. Sixtus III. vt patet ex Tom.1.Conciliorum, in Actis Sixti III.depoſuit Polychronium Ieroſolymitanum Patriarcham. Deponit etiam Imperatores ipſos & Reges, ſicut & ſæpiùs auditum & viſum eſt,quando ſcilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ neceſſitas ſic requirit. Vide S. Bonauenturam Opuſc. de Eccleſ.hierar.part.2.c.1.5.Patet igitur ibi, *Iam verò poſſunt*. Et de facto Zacharias Papa depoſuit Childericum Regem Galliæ.Sic Lotharius, ſic Henricus IV. Teutonicus depoſiti. Reſtituit etiam ad priſtinas ſedes: ſic Iulius I.reſtituit Athanaſium,Paulum,Marcellum,depoſitos à Synodo Orientali,vt ſcribit Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ, & Sozomenus lib.3.cap.7.Theodoretus etiam ab Epheſina II.Synodo depoſitus à Leone reſtituitur, vt habetur in Concilio Chalcedonenſi, Act.7.

Ad idem alio medio: Summus Pontifex Romanus condit leges, diſpenſat in multis quando opportunitas cogit, prohibet, ſub pœnis & cenſuris: ergo. Et vt aliquid dicam de cenſuris, ipſe excommunicat etiam ipſas Coronas,quádo neceſſitas cogit, & Eccleſiæ vtilitas requirit. Sic Innocentius I. excommunicauit Arcadium & Eudoxiam, apud Nicephorum lib.13.cap.14. Gregorius III. apud Zonaram in Leone,excommunicauit Leonem, Nicolaus I.Archiepiſcopos Colonienſem & Treuirenſem,Victor I. Aſianos, qui volebant celebrare Paſcha iuxta Iudæos. Sic apud Euſebium lib.5.c.24.Bonifacius VIII.excommunicauit Cardinales duos Columnenſes,& eos priuauit omnibus dignitatibus,honoribus,&c.

Denique hoc probatur ex Iure appellationum: quia ad Sedem Apoſtolicam omnes appellant, à Sede verò Apoſtolica nemini licet: etiam quòd appellatio fiat ad futurum Concilium ſub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ Domini; quia,vt in Apparatu demonſtratum eſt, Concilium non eſt ſupra Papam, & appellatio ſemper fit ad ſuperiorem. Ad hanc ergo Sedem Apoſtolicam, quæ ſuperiorem in terris non cognoſcit, appellant Epiſcopi: ſic in Concilio Sardicenſi Generali, in quo, vt ſcribit Athanaſius in 2. Apologia,interfuerunt 300.Epiſcopi Catholici ex triginta tribus Prouinciis totius Orbis, cum Legatis Iulij; & Magdeburgenſes Cent.4. cap.9. deſcripſerunt hanc Synodum, vt legitimam. In hoc ergo Concilio can.4. ſic habetur: *Cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit, agendum ſibi negotium in Vrbe Roma, alter Epiſcopus in eius cathedra, poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.* Item can. 7. Gelaſ. epiſt. ad Fauſtum: *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huiuſmodi examen voluere deferri: ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſancimus.* Anno 142. Marcion excommunicatus ab Epiſcopo ſuo venit Romam vt abſolueretur à Pio I. Epiphanius hæreſi 42. Fortunatus apud Cyprianum lib.1.epiſt.3. anno 252. & Felix à Cypriano depoſiti ad Concilium appellarunt;Athanaſius ad Iulium I.anno 350. Chryſoſtomus ad Innocentium poſt annos400. Flauianus ad Leonem apud Liberatum in Breuiario, cap.12.& ſic quamplures alij poſteriores ad ſanctam Sedem Romanam;& quotidie appellant, vt praxis docet.

Nec ſolum Epiſcopi & perſonæ Eccleſiaſticæ ad Papam appellare poſſunt tamquam ad ſupremum Patrem,Paſtorem & Iudicem omnium; verùm etiam & quilibet ſæcularis, quacumque dignitate fulgeat. Sic in c.2.Ad Romanam.2.q.6.cuius hæc ſunt verba: *Ad Romanam Eccleſiam ab omnibus (maximè tamen ab oppreſſis) eſt appellandũ, & concurrendum quaſi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, à ſuis oppreſſionibus releuentur.* Sic textus. At omnes appellare poſſe ad Papam, & à ſententia eius nullam eſſe appellationem, certiſſimum argumentum eſt ſummi Principatus, vt etiam Caluinus fatetur lib.4.Inſtit.c.7.§.9. Et hæc de prima parte Aſſertionis.

Secunda verò pars etiam probatur de Iure,& de facto. De Iure quidem,quia ſic præcipiunt Iura, quòd Summus Pontifex à nemine iudicetur.Sic in cap.Nemo.9.quæſt.3. cap. Si Papa. diſtinct. 40. cap. Ipſi ſunt. c.Cuncta.9.quæſt.3.vbi determinatur quòd Papa nullam poteſtatem in terris ſupra ſe cognoſcit, & à nullo niſi à Deo iudicatur. Concilium Sinueſſanum: *Prima Sedes,à nullo iudicatur.* apud Nicolaum I.epiſt. ad Michaëlem. Concilium Romanum 280.Epiſcoporum,can.vlt. *Neque ab Auguſto,neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur prima Sedes.* & paſſim in multis aliis Conciliis. Idem etiam fatentur Imperatores. Conſtantinus apud Ruffinum lib.10. Hiſt.cap.2. & Baſilius in Oratione ſua habita in fine Synodi VIII. Sic de Iure. De facto autem patet, quòd numquam Papa ab aliquo fuerit iudicatus.

Sed contra hanc ſecundam partem Aſſertionis plura obiiciunt hæretici. Primò enim ob-

obiiciunt factum: nam Imperatores ſæpè iudicauerunt & depoſuerunt Pontifices; Conſtantinus enim in exilium miſit Liberium Papam, Iuſtinianus Siluerium, Theodoricus Rex Ioannem I. in carcerem coniecit, Otho I. Ioannem XII. depoſuit, & Leonem VIII. ſubſtituit; Henricus III. Gregorium VI. depoſuit, & Clementem II. ordinari iuſſit: de quibus omnibus plenæ ſunt hiſtoriæ, præcipuè apud Othonem Friſingenſem lib. 6. cap. 23.

Reſpondeo, hæc quidem facta eſſe, ſed quo Iure, ipſi viderint: certè Liberium iniuſtè pulſum in exilium, teſtatur Athanaſius in epiſtola ad Solitariam vitam degentes: idem de Siluerio Liberatus in Breuiario, cap. 22. de Ioanne I. B. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 30. Et certum eſt, Conſtantinum & Theodoricum fuiſſe Arianos, Iuſtinianum Eutychianiſtam; & ita tyrannico modo Iure depoſuerunt Pontifices. Ab Othone I. Imperatore ſatis conſtat, bono zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam, depoſitum eſſe Ioannem XII. vt Otho Friſingenſis, vbi ſuprà, narrat, & modeſtè Imperatorem taxat. De Henrico, vt patet ex eodem Friſingenſi vbi ſuprà, c. 23. dico quòd tantùm perſuaſit Gregorio vt doceret, quia ingreſſus Simoniacè videbatur: quo cedente, electus eſt Clemens. Alij verò impiè & iniuſtè egerunt, vt verè hæretici.

Secundò obiiciunt illud Ioan. 19. Chriſtus Imperatoriam poteſtatem ſupra ſe agnouit, cùm ait Pilato: ***Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper:*** ergo & Papa.

Reſpondeo, Chriſtum ſine dubio, cùm eſſet Deus, nemini de Iure fuiſſe ſubiectum, ſed tantùm ſponte ſe Pilati iudicio propter nos ſubieciſſe, non committendo ei aliquam auctoritatem ſuper ſe, ſed eam humiliter tolerando, quam de facto, non de Iure habuit, vt patet ex Matth. 7. cùm rogatus tributum, primùm ſe ſoluere non teneri docuit; & deinde propter ſcandalum dari iuſſit, vt ſuprà diximus.

Dices: Ergo ſicut Chriſtus permiſit, vt Iudex ſæcularis ipſum iudicaret, & ſupra ſe ferret ſententiam mortis; ita videtur, quòd etiam Papa eius Vicarius poſſit permittere & concedere, vt Principes ſæculares ferant ſuper ſe iudicium & ſententiam, illiſque teneatur obedire: & multò magis videtur quòd id poſſit concedere Patribus in Concilio congregatis, & eorum ſententiæ & iudicio ſubiacere.

Reſpondeo negando ſimilitudinem: nam Pilatus de facto exercuit ſupra Chriſtum auctoritatem ſuam, non de Iure, & Chriſtus vt noſtram ſalutem operaretur, ex humilitate & patientia omnia illa tolerauit. At Papa nullo pacto poteſt id concedere, neque Imperatori, neque Patribus in Concilio congregatis. Nam in Concilio perfecto duo requiruntur: Primò, poteſtas diſcutiendi cauſam, ac diſcernendi & iudicandi quid agendum ſit. Secundò, poteſtas cogendi eum qui cecidit à cauſa, ad obtemperandum ſententiæ latæ. Prius in arbitris, vtrumque in Iudice propriè dicto inuenitur, qualis eſt Princeps. Dicimus ergo, poſſe quidem Papam ſupra ſe conſtituere veluti arbitros ipſos Patres in Concilio congregatos, vt patet in Sixto & Leone III. Symmacho & Leone IV. tamen non poſſe cogi acquieſcere ſententiæ latæ. Et probatur: Primò, Quia poteſtas Papæ ſuper omnes, eſt de Iure diuino. at in eo Papa diſpenſare non poteſt. Secundò, Nequit inferior alicui committere iudicium ſuperiori reſeruatum. Nec enim Epiſcopus committet ſuo Pœnitentiario, vt abſoluat in caſibus reſeruatis Papæ. At iudicium in cauſa Pontificis eſt reſeruatum Deo. Tertiò, Aliàs ſequeretur, Papam eſſe ſuperiorem, & non eſſe, reſpectu eiuſdem: eſſe, quia cùm ſuam alicuius iudicio committit, non deſinit eſſe Papa, & proinde ſemper ſuperior eſt: non eſſe, quia cogi poteſt, quod eſt inferioris. A Principe verò ſæculari ſolùm per vim poteſt cogi, ſicuti factum eſt pluribus Summis Pontificibus ab Imperatoribus hæreticis: nos verò loquimur de Iure.

Tertiò obiiciunt illud B. Pauli Act. 25. qui Cæſarem appellauit: ***Ad tribunal***, inquit, ***Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari:*** & infrà: ***Cæſarem appello.***

Reſpondeo, Paulum ad Cæſarem appellaſſe, quia de facto, etſi non de Iure, ipſius Iudex erat. Nam, vt conſtat ex Actibus Apoſtolorum, Paulus coactus eſt appellare Cæſarem, oppreſſus videlicet calumniis & iniuſtitia Præſidis, qui ſolum Cæſarem ſuperiorem Iudicem agnoſcebat. itaque ipſe quoque de facto ſaltem, ſi non de Iure, Cæſarem Iudicem ſupremum agnoſcere debuit: nec ſine riſu exceptus fuiſſet, ſi B. Petri ſupremi Principis ac Iudicis ſui coram Gentilibus vel Iudæis mentionem facere voluiſſet.

Inſtabis, quòd Concilia, Piſanum ſcilicet, Conſtantienſe, & Baſileenſe, determinant Concilium eſſe ſupra Papam, & eorum determinationibus Papam teneri obedire.

Reſpondeo, quòd ſolùm in cauſa ſchiſmatis hoc habet veritatem, aliàs non. Vide ſuprà in Apparatu, Prælud. v.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. ELIBERTINVM *ſeu* ELIBERITANVM *Hiſpaniæ ſub* MARCELLO I. *habitum anno* 305.

ANNO DOMINI CCCV.

HANC Synodum habitam eſſe anno Domini 305. quo Marcellus Pontifex Eccleſiæ, Conſtantius & Galerius Imperij gubernacula tenebant, quique eſt vigeſimus annus ante celebratum Concilium Nicænum, præter auctoritatem Innocentij lib.3.cap.2. huic adſcripti Canones euidenter oſtendunt. Primo enim & quibuſdam aliis ſequentibus Canonibus, fidelibus in perſecutione lapſis pœnitentia quidem conceditur, ſed ad terrẽdum alios, communio negatur. Item Can.25.agitur de illis qui adferebant literas à Confeſſoribus ſcriptas, quarum interuentu lapſi faciliùs reciperentur. Apparet igitur, Epiſcopos Hiſpaniæ eo tempore quo pax Eccleſię nondum reddita, & perſecutio nondum prorſus extincta erat, Conſtantij, non Conſtantini temporibus Eliberim conueniſſe, & contra imminentem furoris gladium, arma & ſcuta hæc præparaſſe. Conſtantinus omnes Eccleſiæ perſecutores deuicit, & tranquilliſſimam pacem eidem reddidit: nulla igitur ratio aut neceſſitas vrgebat, vt ab eodem bellum aliquod ſibi inferendum Eccleſia metueret, qui pacis & tranquillitatis redditæ auctor extiterat. Galerius tempore Conſtantij erga Chriſtianos optimè affecti, Chriſtianorum alios exilio, alios morte diriſſima in Oriente mulctauit. Tempore igitur ſupradicto, nimirum Chriſti nati 305. quo Conſtantius cum Galerio collega vltimum annum Imperij ſui agebat, hanc Synodum Prouincialem habitam eſſe, verior eſt ſententia: maximè quòd Innocentius illis verbis (quę infrà in Notis ad Canon.1. allegabimus) hæc à nobis dicta euidentiſſimo teſtimonio confirmet; illud nimirum Concilium, quo lapſis ac grauibus peccatoribus in extremo vitæ periculo pœnitentia conceditur, communio negatur, tunc habitum eſſe, quando crebris perſecutionibus Eccleſia affligeretur, eique pax nulla reddita eſſet. Si quis dicat, Innocentium non de Concilij Eliberitini, ſed potiùs Cypriani temporibus locutum fuiſſe; aliquid fortè diceret, ſi Cyprianus cum Patribus huius Concilij, de lapſis tempore perſecutionis ad Eccleſiam recipiendis, non aliter ſenſiſſet: Cyprianus enim ep.8. ad Cornelium ſcribens, exiſtimat, cum lapſis tempore perſecutionis remiſſiùs atque indulgentiùs agendum eſſe; Patres verò huius Concilij contrario modo ſentiunt. Innocentius ergo prædicto loco de his, non de Cypriani temporibus locutus eſt. Ita Baronius anno Chriſti 305.n.40.&43. Bellarminus lib.2.de Imag.cap.9. Habes cauſſam, Lector amice, cur de tempore habiti Concilij, Illuſtriſ. Cardinalis Baronij ſententiam amplectamur & ſequamur, à Garciæ Loaiſæ diligentiſſimi Conciliorum Hiſpaniæ collectoris atque interpretis doctiſſimi ſententia diſcrepemus. Hæc de tempore huius Concilij.

De eius auctoritate Scriptores mirificè variant. Quòd 1.2.6.8.12.17.18.&c. Canones lapſis communionem in fine vitæ adimentes, Nouatiano, quodque 34. Canon Vigilantio, 36. Iconomachis fauere viderentur; nonnulli etiam viri doctiſſimi hanc Synodum vel reprobatam, vel erroneam eſſe ſenſerunt. Melchior Canus lib.5. de Locis, c.4. ſcribit, Canonem 36.huius Concilij erroneum eſſe: Cardinalis Bellarminus lib. 2 de Imagin.c.9.ait hoc Concilium Prouinciale fuiſse, & minimè confirmatum, frequenter erraſse, ideò quòd lapſos, alioſque plures peccatores graues, licet pœniteant, ne quidem in mortis articulo abſolui concedat: putat enim vir ſolidiſſimè doctus, per denegatã communionem, non Euchariſtiam, ſed Sacramentalem reconciliationem & abſolutionem intelligi debere: propterea quòd Canone 69. reconciliatio & communio ſignificatu eodem accipiantur.

Baro-

Baronius, cùm ob prædictam cauſam de hoc eodem Concilio, quaſi propè Nouatiani fines attigiſſet, Tom. 1. anno Domini 56. nu. 119. & tribus ſequentibus paulò liberiùs & acriùs ſcripſiſſet, ea deinceps Tom. 2. anno Chriſti 305. num. 42. valdè mitigauit; ita enim ibidem de Patribus Concilij & lapſorum reconciliatione ſcribit: *Cùm quæ ab illis de ea re ſunt ſtatuta, ab Innocentio Romano Pontifice excuſentur, nemo ſit, qui accuſare præſumat.* Exiſtimat igitur hanc Synodum legitimam fuiſſe, atque ab omni erroris culpa liberam, addens, illius nullam, ſicut de aliis, apud antiquiores nominatim mentionem fieri, ideoq; propè antiquatam remanſiſſe, ea de cauſa, quòd hęc de lapſis conſtituta, malè fortè ab ipſis accepta, diſplicuerint. Nouatiani lapſos ſimul à communione ac pœnitentia excludebant. Patres huius Concilij eoſdem, quod frequentia lapſorũ ac traditorum eo tempore exigebat, ad deterrendum alios, à communione dumtaxat arcebant; à pœnitentia autem & peccatorum abſolutione non prohibebant: ita Baronius n. 41. & 43. Reliqui verò Canones quomodo explicandi, & ab erroris nota vindicandi ſint, infrà patebit.

C A P. I.

De his, qui poſt Baptiſmum idolis ſacrificant.

Eſt Prouincialis Synodus.

PLACVIT, vt quicumque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris, adulta ætate, ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale; nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.

A N N O T A T I O.

CONTRA hunc Canonem eſt Ancyrana Synodus cap. 6. & Nicæna I. cap. 12. & Aurelianenſis II. c. 12. vbi ſtatuitur, ſincerè pœnitentibus non eſſe in fine vitæ negandum Viaticum, etiam nõ acta legitima pœnitentia, ſi mortis periculum ſuperuenerit. Sed hæc diſcrepantia ſic ſoluitur ab Innocentio I. epiſt. 3. c. 2. *De his,* inquit, *obſeruatio prior, durior; poſterior, interueniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitùs negaretur; & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis; ne Nouatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem & durttiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiuſmodi, vel in ſupremis ſuis, permittente Saluatore noſtro,* &c. Quæ verba an intelligenda ſint de Cypriani, an Concilij Elibertini temporibus, licet aliqui priori modo ſentiant, ego tamen cum Baronio anno Chriſti 305. n. 40. & 43. & Bellarmino lib. 2. de Imag. c. 9. de tempore huius Concilij intelligo.

Præterea Bellarminus vbi ſuprà, non tantùm per Canonem 69. huius Concilij, ſed etiam per hoc idem teſtimonium Innocentij fortiſſimè vrget, Patres in hac Synodo congregatos, lapſis ſolam actionem pœnitentiæ, ſi eam peterent, iniunxiſſe; reconciliationem verò ipſam vel ad certum tempus denegaſſe. Quod quia teſte Cypriano lib. 2. ep. 4. Ambroſio lib. de Pœnit. cap. 2. Socrate lib. 4. c. 23. aut verè, aut ſaltem propè Nouatianum eſt, (is enim, vt ex prædictis Auctoribus patet, pœnitentiam concedebat, atque ad eam hortabatur; ſed reconciliationem à Deo petendam, non à Sacerdotibus impartiendam eſſe docebat) maius abſurdum incurreremus, ſi per communionem negatam, negata reconciliatio; per pœnitentiam conceſſam, ſola actio pœnoſa pœnitenti iniuncta, vt vult Bellarminus, intelligatur: ſequeretur enim, ab Innocentio id quod per ſe malum eſt, vel excuſatum, vel approbatum eſſe, dum ait: *Negata meritò communio eſt.* Hoc approbat Innocentius, vel ſaltem excuſat, quòd Patres Concilij lapſis & grauioribus peccatoribus interdixiſſe ipſam peccati veniam ac remiſſionem Bellarminus exiſtimat: neceſſariò igitur eiuſdem veniæ denegationem ab Innocentio vel excuſatam vel approbatam eſſe, concedere debet. Quòd ſi malè Patres Concilij conſtituerunt, malè idipſum Innocentius approbauit, vel excuſauit. Si dicatur, Innocentium, lapſorum frequentia, & temporis ratione excuſare hoc, quòd abſolutio & reconciliatio huiuſmodi peccatorum ad præfinitum tempus differatur

Digitized by Google

tur & extendatur: Ergo contrà dico, non debere accuſari Patres huius Concilij, qui illis temporibus, quibus lapſorum conditio, ob cauſas nobis incõpertas, auſteriora medicamenta requirebat, duriores leges ac canones de iiſdem recipiendis promulgauerint. Siue igitur per negatam communionem, Euchariſtia; ſiue reconciliatoria manuum impoſitio & Sacramentalis abſolutio, iuſta ac rationabili de cauſa ad certum tempus interdicta fuiſſe intelligatur; nouum quidem fuit tunc, & antè inuſitatum: erroneum verò cur fuerit, non intelligo. Ita meo iudicio ſentit Baronius anno 305. nu. 41. & 43.

Cap. II.

De Sacerdotibus Gentium, qui poſt Baptiſmum immolauerunt.

FLAMINES, qui poſt fidem Lauacri & regenerationis ſacrificauerint, eò quòd geminauerint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

Cap. III.

De eiſdem, ſi idolis tantùm munus dederint.

ITEM Flamines, qui non immolauerunt, ſed munus tantùm dederunt, eò quod ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit in fine eis præſtare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item ipſi, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit vlteriùs eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.

Annotatio.

ACTA *tamen legitima pœnitentia.* Illa vocabatur legitima pœnitentia, quæ erat ſecundùm Canones Pontificios; vt ex Pœnitentiali Romano Theodori & Bedæ patet. Sed mirum eſt, pœnitentiam requiri, vbi nullum eſt delictum: ſicut fugâ mortem violentam euadere, iuxta illud Chriſti apud Matth. cap. 10. *Cùm autem perſequuntur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*, illicitum non eſt; ita vexationem corporis ac vitæ, oblatis muneribus & pecunia redimere, malum non eſſe, exemplum Iaſonis aliorumq; Pauli Apoſtoli diſcipulorum Act. 17. data pecunia ſe redimentium teſtatur. Vnde rectè & veriſſimè Petrus Martyr Epiſcopus Alexandrinus ſic ait: *Hi enim qui pecuniam dederunt, vt ab omni improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt: damnum enim & iacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne ipſi animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent.* Quòd igitur hoc loco Sacerdotes vexam corporis oblatis muneribus ſub pœnali aliqua redimere prohibentur, nouum eſt, inuſitatum, & à Canonibus Petri diſſonum. Itaque cùm certum ſit, Epiſcopos huius Concilij in eo vehementiſſimè laboraſſe, vt fideles ab idololatria acrioribus minis intentatis abſterrerent, ob cauſam quamdam nobis incompertam, hanc vexæ redemptionem ſacerdotibus Eccleſiæ pro certo tempore interdixiſſe, neceſſariò dicendum eſt. Vide Baronium anno 305. num. 16. & 17. item anno 253. num. 20. & anno 305. num. 44. Vel poſſet dici, & fortaſſe magis ad mentem Canonis, quòd quia ad idola accedentes, non ſolùm ſacrificia funeſta celebrabant, verùm & munera eiſdem idolis offerebant; ideò, quia Sacerdotes à primo abſtinuerunt, quod erat grauius; non verò à ſecundo, quod erat minùs graue: & propterea Patres Concilij non tam grauem pœnam eis indixerunt.

Cap. IV.

De eiſdem quando baptizabuntur.

ITEM Flamines, ſi fuerint catechumeni, & ſe à ſacrificiis abſtinuerint, poſt triennij tempora placuit ad Baptiſmum admitti debere.

Cap. V.

Si domina per zelum ancillam occiderit.

SI QVA femina, furore zeli accenſa, flagellis verberauerit ancillã ſuam, ita vt intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eò quòd incertum ſit, voluntate an caſu occiderit: ſi voluntate, poſt ſeptem annos: ſi caſu, per quinque annorum tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd ſi infra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

Diſt. 50. Si qua femin.

Cap. VI.

Si quis per maleficium hominem interfecerit.

SI QVIS verò maleficio interficiat alterum, eò quòd ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in fine impartiendam eſſe illi communionem.

Cap.

Digitized by Google

Cap. VII.

De pœnitentibus mœchiæ, ſi rurſus peccauerint.

Si qvis fortè fidelis, poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta, acta pœnitentia, denuò fuerit fornicatus; placuit, eum nec in fine habere communionem.

Cap. VIII.

De feminis, quæ relictis viris ſuis, aliis nubunt.

Item feminæ, quæ nulla præcedente cauſa reliquerunt viros ſuos, & alteris ſe copulauerunt, nec in fine accipiant communionem.

Cap. IX.

De eiſdē, quæ adulteros maritos relinquunt.

32.q.8. Fidelis femina. Item, fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit, de ſæculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

Cap. X.

De relicta à catechumeno, ſi alterum duxerit.

Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem Lauacri admitti. Hoc & circa feminas catechumenas erit obſeruādum. Quòd ſi fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo qui vxorem inculpatam reliquit, & cùm cluerit illum ab vxore, quam ſine cauſa reliquit, placuit huiuſmodi in fine dari communionem.

Cap. XI.

De eadem, ſi grauiter ægrotauerit.

Intra quinquennij autem tempora, catechumena ſi grauiter fuerit infirmata, dandum ei Baptiſmum placuit non denegari.

Cap. XII.

De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

Mater, vel parentes, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eò quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.

Cap. XIII.

De virginibus Deo ſacratis ſi adulterauerint.

Virgines quæ ſe Deo dedicauerant, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quòd ſi ſemetipſas pœnituerint, quòd infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore vitæ ſuæ huiuſmodi feminæ egerint pœnitentiam, & abſtinuerint ſe à coitu, eò quòd lapſæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere. 27.q.1. Virgines quæ ſe.

Annotatio.

Erant hoc tempore virgines Deo ſacratæ ſpeciali dedicatione & voto, quibus nefas erat coniugio aut libidini ſeruire, ſed in cœlibatu & caſtitate ſanctè vitam traducebant: & ex Carthaginenſi Concilio III. cap. 33. in quo D. Auguſtinus ſubſcribit, patet iam tum fuiſſe harum virginum extructa Monaſteria, in quibus magna cum pietate & religione educatæ, mente ſimul & corpore eſſent virgines. Eas etiam Auditorium habuiſſe, quod nunc Locutorium dicitur, in quo coram teſtibus loquebantur, conſtat ex Concilio Cabilonenſi ſub Carolo Magno, cap. 61. in quo ſtudium Sanctimonialium legendo & cantando, & in Pſalmorum celebratione, ſiue oratione, & Canonicis Horis, vitaque communi clarè deſcribitur, aduerſus calamitoſi huius temporis peſtilentes Nouatores & caſtitatis corruptores. Concilium etiam Hiſpalenſe de cuſtodia virginum ſeuerè decreuit. Loaiſa.

Cap. XIV.

De virginibus ſæcularibus, ſi mœchatæ fuerint.

Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eas violauerunt, acceperint & tenuerint maritos, eò quòd ſolas nuptias violauerint, poſt annum ſine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel ſi alios cognouerint viros, eò quòd mœchatæ ſint, placuit per quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

CAP. XV.

De coniugio eorum qui ex Gentilitate veniunt.

PROPTER copiam puellarum, Gentilibus minimè in matrimonium dandæ ſunt virgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio reſoluatur animæ.

CAP. XVI.

De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur.

HAERETICIS qui errant ab Eccleſia Catholica, nec ipſis Catholicas dandas puellas, ſed neque Iudæis, neque Ethnicis dari placuit, eò quòd nulla poſſit eſſe ſocietas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquenniũ placet.

CAP. XVII.

De eis qui filias Sacerdotibus Gentilibus coniungunt.

SI QVI fortè Sacerdotibus idolorum filias ſuas iunxerint, placuit nec in fine eis dandam communionem.

CAP. XVIII.

De Sacerdotibus ſi mœchati fuerint.

EPISCOPI, Presbyteri, Diaconi, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint quòd ſint mœchati, placuit & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

CAP. XIX.

De Clericis negotia ſectantibus.

EPISCOPI, Presbyteri, & Diaconi, de locis ſuis negotiandi cauſa non diſcedant, nec circumeuntes prouincias, quæſtuoſas nundinas ſectentur. Sanè, ad victum ſibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant, & ſi voluerint negotiari, intra prouinciam negotientur.

CAP. XX.

De Clericis & laicis vſurariis.

D. 47. ſi quis Clericorum. SI QVIS Clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere. Si quis etiam laicus accepiſſe probatur vſuras, & promiſerit correptus ſe iam ceſſaturum, nec vlterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si verò in ea iniquitate durauerit, ab Eccleſia ſciat ſe eſſe proiiciendum.

CAP. XXI.

De his qui ad Eccleſiam tardè accedunt.

SI QVIS in ciuitate poſitus, tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit; tanto tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.

CAP. XXII.

De Catholicis in hæreſim tranſeuntibus.

SI QVIS de Catholica Eccleſia ad hæreſim tranſitum fecerit, ruſuſque ad Eccleſiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non eſſe denegandam, eò quòd cognouerit peccatum ſuum, qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari communio debet. Si verò infantes fuerint tranſducti, quòd non ſuo vitio peccauerint, incunctanter recipi debent.

CAP. XXIII.

De temporibus ieiuniorum.

IEIVNIA, ſeu abſtinentias per ſingulos menſes celebrari, exceptis diebus duorum menſium Iulij & Auguſti, ob eorumdem infirmitatem.

CAP. XXIV.

De his qui peregrè baptizantur, vt ad Clerum non veniant.

OMNES qui in peregrinatione fuerint baptizati, eò quòd eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad Clerum non eſſe promouendos in alienis prouinciis.

CAP. XXV.

De Epiſtolis communicatoriis Confeſſorum.

OMNIS qui attulerit literas Confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eò quòd ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices, Communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ.

ANNOTATIO.

IDEM cautum eſt in Concilio Arelatenſi I. cap. 9. ad retundendam Confeſſorum tumidam iactantiam: de qua Cyprianus in epiſtolis ſcripſit. Epiſtolæ commendatitiæ, quæ literæ appellantur fidelibus da-

tæ, diuerſi generis extant: complectebantur enim literas Confeſſionis; & hæ erant dignitatis & honoris, quibus in Eccleſiis magna reuerentia debebatur. Fuerunt & Communicatoriæ, vt cum plebe aliena fideles communicarent, ſine erroris periculo, quæ & Scriptura dimiſſoria dicitur VI. Generali Synodo cap. 17. Aliquando Commendatitiæ, vt in Concilio Chalcedonenſi cap. 12. Dicuntur & Formata, vt in Mileuitano c. 20. eò quòd certis notis & ſub certa forma erant ſcripta; vt conſtat ex Concilio Carthaginenſi V. cap. 7. In Formatis autem oportet eſſe ſubſcriptum ſanctum Paſchæ diem. Vocabantur & Pacificæ, & Canonicæ literæ. Atque hæc de epiſtolis, quibus fideles commendabantur. Exemplum Formatæ habes diſt. 73. cap. In nomine Patris. Hæc Garçias. Baronius anno 305. num. 48. & Bellarm. lib. 2. de Imagin. cap. 9. literas Confeſſionis appellant, quas Confeſſores, qui in perſecutione fidem confitebantur, lapſis dabant eo fine, vt habentes haſce literas ad communionem reciperentur, placuit, vt pro Confeſſoriis, Communicatoriæ, quæ ab Epiſcopis ſcribuntur, darentur.

CAP. XXVI.

Vt omni Sabbato ieiunetur.

ERROREM placuit corrigi, vt omni Sabbati die ieiuniorum ſuperpoſitionem celebremus.

ANNOTATIO.

LEGITVR apud Matth. cap. 9. & Lucam cap. 5. diſcipulos Ioannis & Phariſæos Chriſtum Dominum rogaſſe, quare diſcipuli eius non ieiunarent? quibus ipſe reſpondit: *Venient dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Hinc Romana Eccleſia, quam ſecuta eſt Hiſpana & aliæ Occidentales, ex Apoſtolorum traditione conſueuit ſexta Feria & Sabbato ieiunare: his enim diebus ablatus fuit à diſcipulis ſponſus. Verumtamen in Eccleſiis Orientalibus aliter in more poſitum fuit: nempe vt Feria quarta & ſexta ieiunaretur, vt cõſtat ex Can. 68. Apoſtolorum, & ex D. Clemente l. 5. Conſtitut. Apoſt. cap. 16. & vlt. & l. 7. cap. 24. & S. Ignatio epiſt. ad Philippenſes, & Gratiano de Conſecrat. diſt. 3. cap. Ieiunia, ex dictis S. Apollonij, qui ab Iuone dicitur Apollinarius, part. 4. cap. 32. & ex Epiphanio in Compend. Doctorum Eccleſ. & Origene in Leuit. & Cyrillo in Leuit. l. 10. & Tertulliano aduerſus Pſychic. c. 14. Anaſtaſio in lib. quem Ὁδηγὸν inſcripſit, id eſt, Viæ ducem, & S. Petro Alexandrino can. 15. Producebatur verò hoc ieiuniũ vſq; ad horam nonam, cetera verò vſque ad veſperam; vt teſtatur Tertull. aduerſus Pſychic. c. 10. Horum ieiuniorum rationem reddit D. Clemens: *Quoniam in quarta Feria iudicium cõtra Dominum prodiit; cùm Iudas, pecunia accepta, promiſit eum tradere: in Paraſceue verò, quoniam in ea Dominus crucis ſupplicium paſſus eſt.* Hæc Clemens lib. 7. cap. 24. Sabbati verò ieiunium ſeuerè interdictum à Græcis eſt, & ab omni Orientali Eccleſia. D. Ignatius teſtatur in epiſt. ad Philippenſes, quæ eſt 8. *Quicumque Dominicam aut Sabbatum ieiunauerit præter vnum Sabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Vnde Græci inſultabant Latinis, quòd contra Apoſtolicas leges Sabbato ieiunarent. Huius obſeruantiæ meminit Clemens Conſt. Apoſt. lib. 7. c. 24. & Irenæus lib. 1. cap. 20. & deinceps; Epiphanius hæreſi 41. & 42. Gregorius Nyſſenus in Oratione aduerſus eos qui ægrè ferunt reprehenſiones; Socrates Hiſtor. lib. 6. cap. 8. Anaſtaſius Nicænus, lib. Quæſt. q. 77. Quapropter Innocentius Papa in epiſt. ad Decentium cap. 4. Sabbato eſſe ieiunãdum, rationibus euidentiſſimis, vt ille ait, demonſtrat: & ſanctum Eliberitanum Concilium errorem huiuſmodi corrigendũ decreuit, vt omni Sabbato ieiunaremus, vt primi Chriſtiani noſtri ieiunauerunt. Cùm verò adhuc etiam Græcorum conſuetudo in Hiſpania perſeueraret, Lucinius nobilis Hiſpanus prouinciæ Bæticæ Hieronymum conſuluit in Bethleem commorantem, vtrùm Sabbato eſſet ieiunandum vt Romana & Hiſpaniæ Eccleſiæ obſeruabant. Cui reſcripſit Hieronymus Tom. 1. epiſt. 28. *Traditiones Eccleſiaſticas ita obſeruandas, vt à maioribus tradita ſunt; nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.* Idem Auguſtinus ad Ianuarium reſpondit epiſt. 118. ex ſententia Ambroſij dicentis Monicæ: *Cùm Romam venio, ieiuno Sabbato; cùm hîc ſum* (id eſt Mediolani) *non ieiuno.* Et huius rei affert cauſam Auguſtinus ad Caſulanum epiſt. 86. & Caſſianus Collat. 3. cap. 10. In Eccleſia Hipponenſi eadem conſuetudo viguit, vt teſtatur Auguſtinus epiſt. 86. & 118. Iiſdem ferè temporibus Decentius Egubinus Epiſcopus Innocentium Romanum Pontificem de ieiunio Sabbati conſuluit: ad quem Pontifex reſcripſit epiſt. 1. cap. 4. Romanæ Eccleſiæ & aliarum Occidentis conſuetudinem eſſe tenendam, quæ Sabbati ieiunium magnopere commẽdant. Nicephorus etiam huius conſuetudinis Romanæ Eccleſiæ meminit lib. 12. Hiſtor. cap. 34. & Gregorius VII. cap. Quia dies.

dies. de Conſ. d. 5. & Innocentius conſultus de hac re à Bracarenſi Archiepiſcopo, reſpondit, Prouinciæ conſuetudinem debere obſeruari, vt Sabbatis à carne omnes abſtinerent, infirmis & debilibus duntaxat exceptis. Refertur lib. 3. Decretal. c. Concilium. de Obſeruatione ieiuniorũ: errorque Socratis Hiſt. lib. 5. c. 21. refellendus eſt, dum ait, *Romæ in Quadrageſima ieiunare ſolitos fideles, Sabbato excepto atq; Dominica.* Hæc Garçias.

CAP. XXVII.

De Clericis, vt extraneam mulierem in domo non habeant.

EPISCOPVS, vel quilibet Clericus alius, aut ſororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantùm ſecum habeat; extraneam verè nequaquam ſecum habeat.

CAP. XXVIII.

De oblationibus eorū qui non communicant.

EPISCOPVM placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.

CAP. XXIX.

De energumenis qualiter habeantur.

ENERGVMENVM, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad Altare cum oblatione eſſe recitandum, neque permittendum, vt ſua manu in Eccleſia miniſtret.

CAP. XXX.

De his qui poſt Lauacrum mœchati fuerint, vt nec Subdiaconi fiant.

SVBDIACONEM eum ordinare non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus, eò quòd poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum non ſit promouendus. Si autem aliqui ſunt in præteritum ordinati, amoueantur.

CAP. XXXI.

De adoleſcentibus qui mœchati fuerint.

ADOLESCENTES, qui poſt fidem Lauacri ſalutaris fuerint mœchati, cùm duxerint vxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti debere.

CAP. XXXII.

De excommunicatis Preſbyteris.

SI QVIS graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu, ſed potiùs apud Epiſcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non eſt Preſbyterorum aut Diaconorum, communionem talibus præſtare debere, niſi eis iuſſerit Epiſcopus.

CAP. XXXIII.

De Epiſcopis & miniſtris, vt ab vxoribus abſtineant.

PLACVIT in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.

CAP. XXXIV.

Ne cerei in cœmeteriis incendantur.

CEREOS per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſiæ communione.

ANNOTATIO.

SED modò Eccleſia cereos per diem accendi probat, vt praxis docet. Propter hoc notandum, quòd non defuere qui candelarum vſum improbent, teſtimonio huius Concilij ducti, & Lactantij lib. 6. cap. 2. Hæreticus Vigilantius dolens hunc honorem Martyrum Reliquiis exhiberi, calumniabatur Gentilium ritum introductum in Eccleſiis, vt fulgente ſole moles cereorum accenderentur. Huic obiectioni his verbis reſpondet D. Hieronymus: *Cereos autem non clara luce accendimus, ſicut fruſtrà calumniaris, ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, vt vigilemus ad lumen; ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd ſi aliqui propter imperitiam & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certè religioſarum feminarum (de quibus verè poſſumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam) hoc pro honore Martyrum faciunt; quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quòd periret vnguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus vnguento indigebat, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur: & quicumque accendunt cereos ſecundùm fidem ſuam habent mercedem*, &c. Et poſt pauca: *Et abſque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria,*

Digitized by Google

naria, iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Hactenus D. Hieronymus. Vt ergo fideles errorem Vigilantij aduerſum cultum Martyrum deteſtarentur, & aliorum hæreticorum, cereos per diem accendere conſueuerunt, non ſolùm in cœmeteriis, verùm & in Eccleſiis; quamuis id Hieronymi ætate non erat vbique receptum. Lactantius arguit eos, qui Deo hac mente offerrent lumen, quaſi Deus egeat lumine. Concilium hoc Elibertinum agit de neophytis, qui more Gentiliū lucernas publicè accendebant: non verò de ijs, qui ad cultum & gloriam Dei lucernas & cereos publicè accendunt. Ita hunc Canonem in ſuis Notis Garçias Loaiſâ hîc interpretatur: eſtq; eius interpretatio vel ex hoc maximè probabilis, quòd Beatorum animæ, ſiue in cælo, ſiue in Purgatorio ſint, nihil accenſis cereis perturbari poſſint. Neque enim veriſimile eſt, Patres illius Concilij tam craſſa ignorantia laboraſſe, vt ſanctas animas noſtris actibus perturbari exiſtimarent. Probabile igitur eſt, quod Garçias inquit, Canonem hunc de ſpiritibus fidelium adhuc viuentium intelligendū eſſe, quorum ſpiritus ſeu mentes hac cærimonia eo tempore perturbabantur, & ſcandalum patiebantur, propter quemdam ſurreptitium ritus ſuperſtitioſi & gentilis abuſum: (nam Gentiles ad ſepulchra defunctorum faces accendere ſolitos eſſe, teſtatur Suetonius in Tiberio, c. 98.) Aut certè propterea ſcandalo inquietabantur, quòd animas Martyrum cereis accenſis iuuari putantes, in errorem inducerentur.

Prima interpretatio huius Canonis.

Verior tamen & probabilior eſt interpretatio Baronij anno Chriſti 34. num. 312. vbi per Sanctorum ſpiritus, mortuorum animas intelligit: quæ quidem non propriè, ſed metaphoricè dumtaxat perturbari & inquietari dicuntur, quòd valde diſpliceant ipſis ritus ſuperſtitioſi, quos à quibuſdam in ſui honorem aut vtilitatem vanam fieri & exerceri cognoſcunt: vel quòd carminibus magicis, aliiſve ſuperſtitionibus adhibitis, animas ſuas ritu gentilitio aduocari, ſollicitari, & inquietari doleant. Gentiles autem defunctorum animas accenſis facibus & incantationibus aduocare, &, vt illi loquuntur, ſollicitare ac inquietare conſueuiſſe, conſtat ex Plinio, lib. 28. cap. 2. vbi hæc ait? *Cur ad mentionem defunctorum teſtamur memoriam eorum à nobis non ſollicitari?* Sic ille. Quæ ergo de ritu & errore Gentilium in Sanctorum defunctorum inuocationem, ſuperſtitioſa facum accenſio, ad animas defunctorum ſollicitandas in Eccleſiam irrepſerat, à Patribus Concilij rectè eſt prohibita. Et ſicut 1. Reg. c. 28. anima Samuelis huiuſmodi ſuperſtitionibus euocata & inquietata dixit, *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* ita Patres huius Concilij locuti ſunt, qui, ne animę Sanctorum inquietentur, ſuperſtitioſam çereorum accenſionem prohibuerunt. Ita Baronius vbi ſuprà, quem ſequitur Suarez Tom. 1. diſput. 53. ſect. 1. addens ibidem, certum eſſe, ſuperſtitione, omnique illius occaſione ac periculo ceſſante, cærimoniam hanc non malam, ſed potiùs honeſtam ac religioſam eſſe, vtpote quæ ad diuinum amorem, ad fidelium animos in ſpem gloriæ & æternæ vitæ futuræ excitandos, ordinatur. Quod quidem, non ſolùm nunc, verùm & olim ad funus accenſas fuiſſe lampades & cereos, habetur apud Nyſſenum ep. ad Olympiam, Nazianzenum Orat. 2. in Iul. Chryſoſtomum Homil. 14. in Epiſt. ad Hebr. Theodoretum lib. 5. Hiſtor. cap. 36.

Secunda interpretatio Baronij probabilior.

CAP. XXXV.

Ne feminæ in cœmeteriis peruigilent.

PLACVIT prohiberi, ne feminæ in cœmeterio peruigilent; eò quòd ſæpè ſub obtentu orationis, ſcelera latenter committant.

ANNOTATIO.

IDEM noſtris temporibus, propter eamdem rationem, in Toletano Concilio I. poſt Tridentinum, decretum fuit, ſicuti ab ea ratione in Concilio Altiſiodorenſi can. 5. prohibentur. Garçias.

CAP. XXXVI.

Ne picturæ in Eccleſia fiant.

PLACVIT picturas in Eccleſia eſſe non debere: ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

ANNOTATIO.

SVPPOSITO ex Canonibus Apoſtolorum licito Imaginum vſu, videndum eſt, quare in hoc Concilio prohibeatur, ne Imagines in parietibus Eccleſiæ depingantur. Baronius Tom. 1. Annal. multis argumentis ſuſpicatur, hunc Canonem ſuppoſititium eſſe, nec à Concilio Elibertino latum: neque enim potuit, aut debuit, decem & nouem Epiſcoporum conuentus in orbis angulo cōgregatus, aliud ſtatuiſſe, quàm quod vbique locorum profiteretur Eccleſia. Bellarminus lib. 2. de Imagin. c. 9. dicit, hoc determinatum eſſe, ne ſanctæ Imagines humore parietum facilè corrumperentur, aut alia de cauſa ſplendorem & pulchritudinem amitterent. Verior reſpon-

reſponſio eſt, quòd tempore huius Concilij adhuc Gentilium in Chriſtianorum Eccleſias perſecutio ingrueret, ſiquidem Elibertinum hoc Concilium in Hiſpania ante Nicænum I. Concilium celebratum eſt ab Epiſcopis illius regionis, vt multis placet: quam ob rem, ne Sanctorum Imagines quæ in parietibus depictæ, à perſecutoribus inuentæ eſſent, & contumelia afficerentur, ibi decretum fuit, ne quod adoratur, in parietibus depingeretur, ne Gentilibus ludibrio fierent: ſed tantùm in tabulis, quæ aſportari, & in tutiorem locum reponi poſſunt, effingerentur.

CAP. XXXVII.

De energumenis baptizandis.

EOS, qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi verè fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abſtineant à communione.

CAP. XXXVIII.

Vt in neceſſitate etiam fideles baptizent.

PEREGRE nauigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem (qui Lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus) baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum, ita vt ſi ſuperuixerit, ad Epiſcopum eum perducat vt per manus impoſitionem perfici poſſit.

CAP. XXXIX.

Vt Gentilibus deſiderantibus manus imponatur.

GENTILES, ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.

CAP. XL.

Ne quod idolis datum eſt, fideles accipiant.

PLACVIT prohiberi, vt cùm rationes ſuas accipiunt poſſeſſores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non inferant. Si verò poſt interdictum fecerint, per quinquennij ſpatia temporis à communione eſſe arcendos.

CAP. XLI.

Vt prohibeant domini idola colere ſeruis.

ADMONERE placuit fideles, vt, quantum poſſunt, prohibeant, ne idola in domibus ſuis habeant. Si verò vim metuunt ſeruorum, vel ſeipſos puros conſeruent. Si non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur.

ANNOTATIO.

CONCILIVM Elibertinum Can. 1. & 41. Vide Conciliũ Carthaginenſe V. Concilium Africanum ſub Bonifacio I. can. 25. & 51. Toletanum III. can. 16. Toletanum XII. can. 11. Gregorium II. epiſt. 4. & 5. miſſa ad populum Thuringiæ, vbi eum populum laudat, quòd conſtanter idola adorare renuerit, petens vt fideliter perſeuerent: idem & ep. 6. ad Saxones, Gregorium III. epiſt. 2. ad populum Germaniæ, epiſt. 3. ad populum Baioariorum Alemanniæ. Clemens I. lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 27. *Nullum*, ait, *peccatum idololatriâ reperitur grauius, ea eſt enim contra Deum impietas.* Iuſtinus Serm. exhortatorio ad Gentes, ad calcem, & Apolog. 2. ad Anton. Pium. Id enim quoque lib. vnico De Monarchia, oſtendit, qualiter inuecta ſit in mundum idololatria, veterum Philoſophorum & Poëtarum ſcriptis: quod & facit Athanaſius Alexandrinus excellentiſſima illa Oratione, quam habuit contra idola, vbi & originem, & progreſſum, & abolitionem deſcribit. Tertullianus multis in locis, ſed præcipuè in libro de Idololatria, vbi ſic exorditur: *Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa iudicij, idololatria.* Sic etiam eam vocat Cyprianus lib. contra Demetrianum, circa medium, vbi eam dicit eſſe cauſam omnium quæ in hoc mundo patimur. Edidit quoque idem libellum Contra idola.

CAP. XLII.

De his qui ad fidem veniunt, quomodo baptizentur.

EOS, qui ad primam credulitatis fidem accedunt (ſi bonæ fuerint conuerſationis) intra biennium temporis placuit ad Baptiſmi gratiam admitti debere, niſi infirmitate compellente, coëgerit ratio, vel ſocio ſubuenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti.

CAP. XLIII.

De celebratione Pentecoſtes.

PRAVAM inſtitutionem emendari placuit iuxta auctoritatem Scripturarum, vt cuncti diem Pentecoſtes celebremus. Quod qui non fecerit, quaſi nouam hæreſim induxiſſe notetur.

CAP. XLIV.

De meretricibus paganis, ſi conuertantur.

MERETRIX quæ aliquando fuerit, & poſteà habuerit maritum, ſi poſtmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit eſſe recipiendam.

CAP. XLV.

De catechumenis, qui Eccleſiam non frequentant.

QVI aliquando fuerit catechumenus, & per infinita tempora numquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de Clero quiſquam agnouerit voluiſſe eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei Baptiſmum non negari, eò quòd in vetere homine deliquiſſe videatur.

CAP. XLVI.

De fidelibus, ſi apoſtatauerint.

SI QVIS fidelis apoſtata, per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi tamen aliquando fuerit reuerſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos placuit eum communionem accipere.

CAP. XLVII.

De vxoratis ſæpiùs mœchantibus.

SI QVIS fidelis habens vxorem, non ſemel, ſed ſæpè fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conueniendus. Quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus rurſus fuerit mœchatus, placuit vlteriùs non edere eum de communione pacis.

CAP. XLVIII.

De baptizandis, vt nihil accipiant Clerici.

1. quæſt. 1. Emendari placuit.

EMENDARI placuit, vt hi qui baptizantur (vt fieri ſolebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur. Neque pedes eorum lauandi ſunt à Sacerdotibus, vel Clericis.

ANNOTATIO.

DE huius lotionis ritu vide Ambroſium lib. 3. de Sacram. cap. 2. Quam conſuetudinem ibi ait Ambroſius Eccleſiam Romanam non habere: & vbique abrogatam ait D. Auguſtinus epiſt. 119. cap. 28. Eius etiam meminit Tertullianus lib. de Baptiſmo. Neque cenſeo in hoc Concilio interdictam, niſi tantùm ne fiat à Sacerdotibus. Garçias.

CAP. XLIX.

Ne fruges fidelium Iudæi benedicant.

ADMONERI placuit poſſeſſores, vt non patiantur fructus ſuos, quos à Deo percipiunt cum gratiarum actione, à Iudæis benedici, ne noſtram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis poſt interdictum facere vſurpauerit, penitùs ab Eccleſia abijciatur.

CAP. L.

De Chriſtianis, qui cum Iudæis veſcuntur.

SI verò aliquis Clericus ſiue fidelis fuerit, qui cum Iudæis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtinere, vt debeat emendari.

CAP. LI.

De hereticis, vt ad Clerum non promoueantur.

EX omni hæreſi, qui ad nos fidelis venerit, minimè eſt ad Clerum promouendus; vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponantur.

CAP. LII.

De his qui in Eccleſia libellos famoſos ponunt.

SI QVI inuenti fuerint libellos famoſos in Eccleſia ponere, anathematizentur. 5. quæſt. 1. Si qui inuenti.

CAP. LIII.

De Epiſcopis, qui excommunicato alieno communicant.

PLACVIT cunctis, vt ab eo Epiſcopo quis recipiat communionem, à quo abſtentus in crimine aliquo fuerit. Quòd ſi aliquis Epiſcopus præſumpſerit eum admittere, illo adhuc minimè ſciente vel conſentiente, à quo fuerat communione priuatus, ſciat ſe huiuſmodi

Digitized by Google

modi cauſas inter fratres eſſe cum ſtatus ſui periculo præſtaturum.

CAP. LIV.

De parentibus, qui fidem ſponſaliorum frangunt.

SI QVI parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennij tempore abſtineant ſe à communione. Si tamen iidem, ſponſus vel ſponſa, in illo graui crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si verò in eodem fuerint vitio, & polluerunt ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſeruetur.

CAP. LV.

De ſacerdotibus Gentilium.

SACERDOTES qui tantùm ſacrificantium coronam portant, nec ſacrificant, nec de ſuis ſumptibus aliquid idolis præſtant, placuit poſt biennium accipere communionem.

CAP. LVI.

De magiſtratibus & dominantibus.

MAGISTRATVM verò anno quo agit duumuiratum, prohibere placet, vt ſe ab Eccleſia cohibeant.

CAP. LVII.

De his qui veſtimẽta ad pompam dederint.

MATRONAE, vel earum mariti, veſtimenta ſua ad ornandam ſæculariter pompam non dent: & ſi fecerint, triennij tempore abſtineant.

CAP. LVIII.

De his qui Communicatorias literas portant.

PLACVIT vbicumque, & maximè in eo loco, in quo primæ cathedræ conſtitutus eſt Epiſcopus, vt interrogentur hi qui Communicatorias literas tradunt, an omnia rectè habeant, & ſuo teſtimonio comprobent.

CAP. LIX.

Ne fideles ad Capitolium ſacrificandi cauſa aſcendant.

PROHIBENDVM, ne quis Chriſtianus aut Gentilis ad idolum Capitolij ſacrificandi cauſa aſcendat & videat. Quòd ſi fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, poſt decem annos acta pœnitentia recipiatur.

CAP. LX.

De his, qui deſtruentes idola occiduntur.

SI QVIS idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Euangelio non eſt ſcriptum, neque inuenitur ab Apoſtolis vmquam factum, placuit in numerum eum non recipi Martyrum.

CAP. LXI.

De his qui duabus ſororibus copulantur.

SI QVIS poſt obitum vxoris ſuæ, ſororem eius duxerit, & ipſa ſit fidelis, quinquennio à communione placuit abſtinere, niſi fortè velociùs dari pacem neceſſitas coëgerit infirmitatis.

CAP. LXII.

De Auguribus & Pantomimis, ſi conuertantur.

SI Augur aut Pantomimi credere voluerint; placuit, vt priùs artibus ſuis renuntient, & tunc demum ſuſcipiantur, ita vt vlteriùs non reuertantur. Quòd ſi facere contra interdictum tentauerint, proiiciantur ab Eccleſia.

ANNOTATIO.

AVGVRVM obſeruatio à Patribus prohibetur. Hinc Clemens l.lib.7.Conſtit. Apoſtol.cap.7. *Noli augur eſſe, quoniam ducit hoc ſtudium ad idololatriam.* Et lib.8.eiuſdem, cap. 38. reijciuntur ab Eccleſiæ atriis huiuſmodi homines, nec recipiuntur, niſi pœniteant. Eadem vitanda decernit Cyprianus lib.3.contra Iudæos, ad Quirinum. De huiuſmodi auguriis, & eorum obſeruatoribus ſic Concilium Ancyranum, can.24. & allegat Gratianus cap. Qui diuinationes. 26.q.6. *Qui auguria, vel auſpicia, ſiue ſomnia, vel diuinationes quaſlibet ſecundùm morem Gentilium obſeruãt, aut in domos ſuas huiuſmodi homines introducunt, in exquirendis aliquibus arte malefica, aut vt domos ſuas luſtrent, confeſſi, quinquennio pœnitentiam agant, ſecundùm regulas antiquitus conſtitutas.* Hunc Canonem repetit & citat Concilium Pariſienſe III.lib.3. cap.2. Quod & expreſsè præcipit Concilium Carthaginenſe IV.can.8.9. & allegatur à Gratiano c.Augur.26. quæſt.5. & ibidem cap.Si quis.dicitur: *Si quis Ariolos, Aruſpices, incantatores obſeruauerit, aut phylacteriis vſus fuerit, anathema ſit.* Hinc & Alexander III. ad Gradenſem Patriarcham, & allegatur in Concilio Lateranenſi ſub eodem, part. 50. cap.6.de Presbytero, qui cum quodam infami

 mi

mi ad priuatum locum, immundos ſpiritus inuocaturus, acceſſit, ſtatuit, vt ab officio & beneficio Eccleſiaſtico iuſtè ſuſpenderetur.

CAP. LXIII.

De vxoribus, quæ filios de adulteris necãt.

SI QVA mulier per adulterium, abſente marito, conceperit, idque poſt facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam eſſe communionem, eò quòd geminauerit ſcelus.

CAP. LXIV.

De feminis quæ ſemper adulterantur.

SI QVA mulier vſque in finem mortis ſuæ cum alieno fuerit viro mœchata, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem. Si verò eum reliquerit, poſt decem annos recipi ad communionem, acta legitima pœnitentia.

CAP. LXV.

De adulteris vxoribus Clericorum.

SI CVIVS Clerici vxor fuerit mœchata, & ſciat eam maritus ſuus mœchari, & eam non ſtatim proiecerit, nec in fine accipiat communionem; ne ab eis qui exemplum bonæ conuerſationis eſſe debent, videantur magiſteria ſcelerum procedere.

CAP. LXVI.

De his qui priuignas ſuas ducunt.

SI QVIS priuignam ſuam duxerit vxorem, eò quòd ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe ei communionem.

CAP. LXVII.

De coniugio catechumenæ feminæ.

PROHIBENDVM, ne qua fidelis, vel catechumena, aut comicos, aut viros ſcenicos habeant. Quæcumque hoc fecerit, à communione arceatur.

CAP. LXVIII.

De catechumena adultera quæ filium necat.

CATECHVMENA, ſi per adulterium conceperit, & conceptum necauerit, placuit eam in fine baptizari.

CAP. LXIX.

De coniugatis in adulterium lapſis.

SI QVIS fortè habens vxorem, ſemel fuerit lapſus, placuit eum quinquennio agere debere pœnitentiam, & ſic reconciliari, niſi neceſſitas infirmitatis coëgerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa feminas obſeruandum.

ANNOTATIO.

CARDINALIS Bellarminus lib. 2. de Imag. cap. 9. ex hoc Canone probat, eodem ſenſu à Patribus huius Concilij accipi, *reconciliare* & *communionem dare*, aut certè in ipſa reconciliatione communionem includi. Solebant enim veteres Sacramentum reconciliationis ſemper cum Sacramento Euchariſtiæ coniungere: idque Tertullianus, Cyprianus, aliiq; Scriptores eiuſdem antiquitatis pro eodem accipiunt, communionem, reconciliationem, & pacem. Vide pro hoc quę annotata ſunt in primo capite huius Concilij.

CAP. LXX.

De feminis, quæ conſciis maritis adulterantur.

SI conſcio marito fuerit mœchata vxor, placuit, nec in fine dandam ei eſſe communionem. Si verò eam reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem.

CAP. LXXI.

De ſtuprantibus puerorum.

STVPRANTIBVS puerorum, nec in fine dandam eſſe communionem.

CAP. LXXII.

De viduis mœchis, ſi eumdem maritum duxerint.

SI QVA vidua fuerit mœchata, & eumdem poſteà habuerit maritum, poſt quinquennij tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam communione reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei eſſe communionem. Vel ſi fuerit ille fidelis quem acceperit, communionem non accipiat niſi poſt decem annos, acta legitima pœnitentia; niſi infirmitas coëgerit velociùs dare communionem.

CAP. LXXIII.

De delatoribus.

DELATOR ſi quis extiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec

Digitized by Google

nec in fine accipere communionem. Si leuior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennij tempora admittatur ad Baptiſmum.

CAP. LXXIV.

De falſis teſtibus.

FALSVS teſtis, prout crimen eſt, abſtinebit: ſi tamen non fuerit mortis, quod obiecit, & ſi probauerit quòd diu tacuerit, biennij tempore abſtinebit. Si autem non probauerit in conuentu Clericorum, placuit per quinquennium abſtineri.

CAP. LXXV.

De accuſantibus Sacerdotes.

SI QVIS autem Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem.

CAP. LXXVI.

De Diaconis, ſi peccaſſe probentur.

SI QVIS Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſteà fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi alius detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.

CAP. LXXVII.

De baptizatis, non confirmatis.

SI QVIS Diaconus, regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero, aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quòd ſi antè de ſæculo receſſerit, ſub fide qua quis crediderit, poterit eſſe iuſtus.

ANNOTATIO.

QVOD hîc dicitur, *Epiſcopus eos per benedictionem*, &c. intelligitur de Sacramento Confirmationis: quia à ſanctis Patribus Perfectio, Græcè Τελείωσις appellatur, ex Dionyſio lib. de Eccleſ. hierarch. & Ambroſio lib. 3. de Sacram. cap. 2. & Clemente epiſt. 4. & Melchiade Papa ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Confirmatio appellatur perfectio Baptiſmi, non ſanè quòd Baptiſmus citra Confirmationem nihil gratiæ tribuat, aut baptizati peccatum planè & perfectè non tollat; ſed quòd per Confirmationem baptizato augmentum & robur gratiæ ſuperaddatur, ad fidem in Baptiſmo ſuſceptam conſtanter profitendam. Suarez Tom. 3. diſput. 34. de Confirm. ſect. 2.

CAP. LXXVIII.

De fidelibus cum Iudæa mœchantibus.

SI QVIS fidelis habens vxorem, cum Iudæa vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit Dominicæ ſociari communioni.

CAP. LXXIX.

De his qui tabula ludunt.

SI QVIS fidelis alea, id eſt tabula luſerit, placuit eum abſtinere: & ſi emendatus ceſſauerit, poſt annum poterit communione reconciliari.

CAP. LXXX.

De libertis.

PROHIBENDVM eſt, vt liberti, quorum patroni in ſæculo fuerint, ad Clerum non proueħantur.

CAP. LXXXI.

De feminarum epiſtolis.

NE feminæ, ſuo potiùs quàm maritorum nominibus, laicis ſcribere audeant, qui fideles ſunt, vel literas alicuius pacificas ad ſuum ſolum nomen ſcriptas, accipiant.

FRAGMENTA,

quæ à GRATIANO, IVONE, *&* BVRCHARDO *ex Concilio Elibertino citantur, & in eo non extant, iuxta editionem Garſiæ.*

EX CAP. I.

DEFINITIO incauta laudabiliter ſoluenda eſt: nec eſt præuaricatio, ſed temeritatis emendatio. Grat. 22. q. 4. Definit. Iuo p. 12. c. 80. Burch. l. 12. c. 25. qui id ex Conc. Hiber. citat.

EX CAP. III.

OMNIS homo ante ſacram communionem à propria vxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut aliàs quinque, aut ſeptem, aut octo diebus. De Conſecr. d. 2. Omnis homo. Burch. ibi, lib. 5. c. 22. Iuo p. 2. cap. 32.

Nec

Nec inter Catholicos connumerabitur, qui in iſtis videlicet temporibus, Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini non communicauerit.

ANNOTATIO.

NEC *inter*. Hæc vſque ad finem abſunt ab hoc loco in Burchardo, ac Iuone.

EX EODEM CAP.

12. q. 5. Poen. Iuo p. 12. c. 81. Burch. l. 12. c. 26.

PVERI ante annos quatuordecim non cogantur iurare. Puella quoque, ſi in puerili ætate ſita, in domo patris, illo neſciente, ſe iuramento conſtrinxerit, & pater ſtatim vt audierit, contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & faciliùs emendabitur.

ANNOTATIO.

ANIMADVERTE quòd in Summa Carranzæ omnia, quæ ſequuntur, deſunt, & etiam primum fragmentum, quod incipit, *Definitio incauta*.

EX CAP. V.

Burch. l. 19. c. 75. Iuo p. 14. c. 88.

QVI in Quadrageſima aut Paſcha cognouerit vxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea, vnum annum pœniteat, aut pretium, videlicet 25. ſolidorum, ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus diuidat. Si per ebrietatem, & ſine conſuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.

EX CAP. IX.

Burch. l. 11. c. 67. Iuo p. 14. c. 115.

DECREVIT ſancta Synodus, vt Epiſcopi, ac miniſtri Epiſcoporum pro criminibus colonos flagellare cùm virgis poteſtatem habeant, propter metum aliorum; vt ipſi crimινoſi corrigantur, & vel inuiti pœnitentiã agant, ne æternaliter pereant. Si verè ſeniores ipſorum colonorũ indignè tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eoſdem colonos, ne diſtringantur, defendere præſumpſerint; ſciant ſe excommunicationis Eccleſiaſticæ ſententia feriendos.

EX CAP. LXXXV.

Burch. l. 6. c. 39. & Iuo p. 10. & 168.

SI mulier maritum ſuum cauſa fornicationis, veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit; quia dominum & ſeniorem ſuum occidit, ſæculum relinquat, & in Monaſterio pœniteat.

EX EODEM CONCILIO.

Burch. l. 19. c. 155. & Iuo p. 15. c. 151

IN tribus Quadrageſimis anni, & in die Dominico, & in quarta Feria, & in ſexta Feria, coniugales continere ſe debent, nec illis diebus copulari, quamdiu grauata fuerit vxor, id eſt, à quo die filius in vtero motum fecerit, vſque ad partum: à partu poſt 33. dies, ſi filius; ſi autem filia, poſt 56.

EX EODEM.

Iuo p. 15. c. 164.

SI mater filium ſuum ſponte occiderit, quindecim annos pœniteat, & numquam mutet niſi in die Dominico. Mulier autem paupercula ſi fecerit pro difficultate nutriendi, ſex annos pœniteat.

EX EODEM.

Burch. l. 19. c. 131.

SI verò quis Clericus vel fidelis cum Iudęis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtineri, vt debeat emendari.

EX EODEM.

Ibid. c. 133.

ADIECTVM eſt etiam, quoſdam Chriſtianos ad apoſtaſiam, (quod dici nefas eſt) tranſeuntes, & idolorum cultu ac ſacrificiorum contaminatione profanatos: quos à Chriſti Corpore & Sanguine, quo dum redempti fuerant renaſcendo, iubemus abſcindi: & ſi reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta conuerſi, his, quamdiu viuunt, agenda pœnitentia eſt, & in vltimo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda; dicente Domino: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.

Ezech. cap. 33.

EX EODEM.

Burch. l. 19. c. 134.

DE his qui apoſtatant, & raró ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſteà in infirmitate arrepti petunt communionem; placuit, non dandam eis communionem; niſi reuelauerit eorum rectam fidem, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

CON-

Digitized by Google

CONCILIVM CARTHAGINENSE I.
ſchiſmaticorum DONATISTARVM *ſub* MARCELLO *celebratum anno* CHRISTI 306.

ANNO DOMINI CCCVI.

HIC Concilium, ſeu potiùs Conciliabulum, Carthagine celebratum eſt anno 306. qui eſt Marcelli Pontificis tertius, & Conſtantini Imper. annus primus. In hoc ſchiſmatici Donatiſtę Epiſcopi ferè 70. accerſitis ex Numidia Epiſcopis aliis, aduerſus Cæcilianum, Menſurio Carthaginenſis Eccleſiæ Antiſtiti ſurrogatum, quemdam Maiorinum Pſeudoëpiſcopum creauerunt, vt inquit Auguſtinus in Breuic. coll. die 3. c. 14. & Optatus lib. 1. contra Parmen. Ipſum verò Cæcilianum falsò accuſatum, vtpote qui tempore perſecutionis ſacros Codices tradidiſſet, à Felice Aptungitano Epiſcopo traditore ordinatus eſſet, victumque Martyribus in carcere conſtitutis adferri prohibuiſſet, iniuſtè condemnarunt, omniumq; fidelium communione priuarunt. Cæcilianus verò, quantumuis tanto hoſtium numero circumſeptus eſſet, à crimine obiecto tutiſſimus, tutum ſe ſatis exiſtimauit, quòd communicatione adhuc coniunctus eſſet Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo, ex quo omnis communicatio Catholica nomen ſemper accipere conſueuit. Auguſtinus epiſt. 162.

Hoc autem ſchiſma præcipuè à Botro & Cæleſio Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopalem ſedem ambitioſè expetentibus, & ab illis ſenioribus, qui depoſita ornamenta Eccleſiæ negauerant, exortum eſt. Secundus verò Tigiſitanus Epiſcopus, Numidarum Primus hoc ſchiſma plurimùm auxit, & demum Maiorini creatio valdè ipſum ſtabiliuit. Denominatum eſt hoc ſchiſma Donatiſtarum, à Donato Carthaginenſe Epiſcopo, quem cùm pro magno haberent, & ab omni labe puriſſimum defenderent, ab hoc ſe Donatiſtas nominari patiebantur, maximè, quòd hic viribus eloquentiæ, qua pollebat, labentem errorem firmiùs ſtabiliuiſſet. A Donato illo, qui è loco dictus eſt Donatus à Caſis nigris, ſicut etiam à primis auctoribus ſuæ factionis appellari refugiebant, eò quòd illum à Melchiade, hos ab aliis Epiſcopis condemnatos eſſe conſtaret. Vide Auguſtinum de hæreſ. c. 69. Baronium anno Chriſti 306. num. 28. vſque ad 43.

CONCILIVM CARTHAGINENSE II.
ſchiſmaticorum ſub MARCELLO *habitum anno* 308.

IIDEM Donatiſtæ ſchiſmatici anno Domini 308. ſub Marcello Pontifice & Imperio Conſtātini Carthagine in Africa Concilium celebrarunt, in quo poſtquam 75. diebus acriter diſceptatum fuiſſet, ducenti ſeptuaginta Epiſcopis Donatiſtis communi conſenſu placuit, vt Traditores, etiamſi baptizari nollent, ad communionem reciperentur: atque ita vigore huius Decreti Donatus vnà cum omnibus ſuæ factionis ſectariis, Deuterio Macrinenſis Eccleſiæ, vniuerſiſque Maurorum Epiſcopis deinceps vſque ad perſecutionem Macarianam per 40. annos iugiter communicarunt. Auguſtinus ep. 48. Vt hoc Concilium penitùs ab hominum memoria deleretur, Donatiſtæ magno ſtudio curarunt. Cùm enim ſe puriſſimos & innocentiſſimos eſſe oſtentarent, nulla traditionis macula fœdatos vnquam fuiſſe, glorioſè admodum prædicarent: ac propterea aduerſus Cęcilianum eiuſque ſocios traditionis nota conſperſos, ſe iuſtitiæ ſolius amore bellum gerere iactitarent; Concilium verò hoc numeroſiſſimum ex Traditorum grege collectum, mendacia, impietatem, atque immunditiam eorum detegeret, illud ſummopere oderunt, & maximo conatu obliteratum eſſe voluerunt. Vide CCCVIII.

Baro-

Digitized by Google

Baronium anno Chriſti 308. numero 28. & 29.& Auguſtinum epiſt. 48. ad Vincentium.

CONCIL. ROMANVM *ſub* MELCHIADE *anno* 313.

ANNO DOMINI CCCXIII.

Hoc Concilium, teſte Auguſtino epiſtola 152. Romæ habitum eſt Conſtantino & Licinio tertiùm Conſulibus, anno Domini 313. qui eſt Imperij Conſtantini octauus, hanc ob cauſam: Cùm Donatiſtæ indignè ferrent, Cæcilianum Epiſcopum nihil ſchiſmaticorum omnium factionibus, Conciliis, ac contumeliis, quibus eum afficiebant, commoueri, atque vno dumtaxat vnius Apoſtolicæ Sedis præſidio ac communicatione fulciri; ſuos verò potiùs vniuerſos conatus in ſchiſmate promouendo irritos fieri, ſummo ſtudio laborant, vt Cæcilianum, quem aliter Carthaginenſis Eccleſiæ ſede exturbare non poſſent, Anulino Africæ Proconſuli, ipſique Conſtantino Imp. Cæciliani amantiſſimo ac ſtudioſiſſimo, exoſum reddant. Rogant igitur ipſum Anulinū Proconſulem, vt ſuum libellum, quem aduerſus Cæcilianum ſcripſerant, additis ad Conſtantinum in Galliis agentem promotorialibus literis, tranſmittat. Petitioni eorum Proconſul acquieſcit. Literas Proconſulis ad Imperatorē ſcriptas, ſchiſmatici ipſi vnà cum ſuo adiuncto libello in Gallias deferunt, iiſque Conſtantino Imp. oblatis, quoſdam Galliæ Epiſcopos ſuæ cauſæ iudices & arbitros conſtitui poſtulant. Imperator, quamquam principio indignum eſſe reſponderit, vt eorum, qui vice Chriſti funguntur, cauſam Iudex ſæcularis & inferior cognoſcat aut diiudicet; tamen cùm adhuc fide imbutus non eſſet, & formam Eccleſiaſticorum iudiciorum ignoraret, tres Galliæ Epiſcopos, Maternum Agrippinenſem, Rheticiū Auguſtodunenſem, & Marinum Arelatenſem, Iudices allegatæ cauſæ conſtituit, ea lege, vt citra ſcitum, conſenſum, & auctoritatem Romani Pontificis conſtituti Iudices nihil definiant. Sciebat enim ex diuinæ Legis præſcripto, in cauſa & accuſatione Epiſcoporum, abſque primariæ Sedis Antiſtite aliquid ſtatuere aut cognoſcere nefas & illicitum eſſe. Intereà dum hæc Imp. decerneret, ſecundas ab Anulino Proconſule literas accepit, quibus ille ad ſchiſma tollendum ac componendum, neceſſum eſſe iudicat, vt ſeruata legitima Iudicij forma, præſentibus accuſatoribus, Cæcilianus de traditionis crimine accuſatus, præſens ſuam ipſius cauſam defendat. Conſilium Proconſulis Imperatori placuit: qui deinde præcepit, vt præter conſtitutos Iudices tres, quidam alij Galliæ aut vicinorum locorū Epiſcopi conuocentur, & Romæ in præſentia Melchiadis Romani Pontificis cauſam definiant. Accuſato Cæciliano, ſicut & accuſantibus Donatiſtis præcipitur vt ad præſtitutum diem Romæ huic iudicio Eccleſiaſtico præſentes interſint; plures verò quàm decem accuſatores, aut Cæciliani defenſores non admittantur. De quibus ita conſtitutis, Imperator ad Melchiadem Pontificem Romanum literas futuri ibidem Romę iudicij prænuntias, quas Euſebius lib. 10. Hiſt. Eccl. recenſet, præmiſit. Cùm citati omnes in vrbem veniſſent, 6. Nonas Octob. Feria 6. illius hebdomadæ, Conſtantino & Licinio tertiùm Coſſ. anno nimirum Chriſti 313. in Laterano in domum Fauſtæ cum Melchiade 19. Epiſcopi conuenerunt, in quorum conſeſſu cauſa indicti Concilij proponitur, qua Cæcilianus à Donatiſtis accuſabatur; & contrà à Catholicis, qui ſtabant à partibus illius, defendebatur: ipſe verò Donatus à Caſis nigris ſchiſmati originem dediſſe redarguitur, & ſuorum à ſe contra Cæcilianum productorū teſtium confeſſione & teſtimonio de calumnia illata conuincitur. Pontifex igitur cum Concilio, hac inquiſitione præuia, Cæcilianum tamquam innocenter & calum-

lumnioſè accuſatum, abſoluit, eumq́ue in communione Eccleſiæ retinendum eſſe, iuſtè diiudicat. Donatum verò, eò quòd lapſos non per ſolam manus impoſitionem, ſed potiùs rebaptizando Eccleſiæ reconciliaſſet, Cæcilianum calumniatus fuiſſet, iuxta propriam confeſſionem & teſtium depoſitionẽ, iuſto iudicio condemnat, vt patet ex Optato lib. 1. contra Parmen. & ex Actis Synodi, quæ extant apud Auguſtinum in Breuic. Coll. die 3. cap. 12. A ſententia Pontificis & Concilij definitiua Donatiſtæ condemnati ad Imperatorem appellant. Pontifex ad ſchiſma tollẽdum, & ad pacem componendam, offert, vt Cæciliano Carthagine relicto, Maiorino de alio Epiſcopatu prouideretur. Illi (quod hæreticis & ſchiſmaticis in more eſt) opportunas pacis conditiones contempſerunt, ſuamq; appellationem apud Imperatorem introductam, ſedulò proſequuntur, non ſine magna ipſius Imperatoris admiratione & deteſtatione, vt videre eſt ex literis Conſtantini, quæ extant in Appendice Optati. Imperator, vt diſſentientes conciliaret, Cæcilianum cum Donatiſtis Brixiam conuocat, ipſosq́ue apud ſe ad tempus retinet, atque pacem & concordiam inter eos componere tentat: ſed Donatiſtis refragantibus, omnia fruſtrà conatus eſt: atque ita re infecta, Catholicos ſimul & Schiſmaticos in Africam redire permiſit. Hæc conditio pacis à Pontifice & Imperatore oblata, poſterioribus Donatiſtis in magna illa Collatione, circa annum Domini 411. Carthagine habita, cauillandi occaſionem præbuit; hanc enim ob cauſam Cæcilianum à Conſtantino damnatum, ipſumq́ue Melchiadem Traditorem fuiſſe aſſerebant. quàm verè vtrumq; probauerint, ex ipſis publicis Actis apud Auguſtinum in Breuiculo Collationis die 3. cap. 12. & 18. exſtantibus patet. Vide Baronium anno Chriſti 313. n. 17. vſque ad 44.

ANNOTATIO.

CIRCA illa verba, *Imperator*, &c. *cùm adhuc in fide rudis eſſet, & formam Eccleſiaſticorum iudiciorum ignoraret*, &c. ſciendum quòd laici Clericos iudicare non poſſunt. Sic determinat Stephanus I. epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos, vt allegat Gratianus cap. Clericus. 5. q. 4. Concilium Taurinenſe I. can. 3. Aquileienſe, ſub finem altercationis Ambroſij Mediolanenſis, & Palladij Ariani, vbi ſic loquitur Ambroſius: *Sacerdotes de laicis iudicare debent, non laici de Sacerdotibus*. Concilium Epaunenſe ſub Gelaſio I. can. 24. Marcellinus I. epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos Orientales, & allegat Gratianus cap. Clericus. 11. quæſt. 1. Idem omnino ſtatuit Concilium Aurelianenſe III. can. 31. & allegat Gratianus c. Laico. 2. q. 7. Concilium Aurelianenſe IV. can. 13. Eugenius II. Decreto 4. Concilium Romanum Patrum 113. ſub Nicolao II. *Cuiuſlibet*, ait, *Ordinis Clericos laici non iudicent, nec de Eccleſiis eiiciant*. Nicolaus I. ad Conſultationem Bulgarorum, & allegat Gratianus Canon. De Presbyteris. diſt. 28. Baſilius Imperator in Oratione, quam habuit ad Patres Concilij Generalis VIII. ait: *Laicis nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & Vniuerſali Synodo aduerſari: hæc enim inueſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, qui ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamine ſolui egemus.* Idem determinat Alexander III. ſcribens Salernitano Epiſcopo, & ponitur in parte 8. Concilij Lateranenſis quod celebrauit, cap. 8.

CONC. ARELATENSE I.

habitum tempore SILVESTRI *Papæ, &* CONSTANTINI *Imperatoris. & eſt Prouinciale.*

CONCILIVM hoc celebrandi cauſa hæc fuit: Donatiſtæ Romæ Concilio ſub Melchiade habito condemnati, à ſententia Epiſcoporũ ad Imperatorem appellarunt, ideò quòd de Felicis Aptũgitani Epiſcopi traditoris, Cęcilianum, vt calumniabantur, tra- ANNO DOMINI CCCXIV.

 ditorem

ditorem ordinantis cauſa & controuerſia nihil definitum eſſet. Conſtantinus Imperator antequam appellantium ſententiæ deferat, appellationem, qua ab Eccleſiaſtico iudicio ad ſæculare tribunal prouocabant, impiam & iniuſtam eſſe oſtendit, eo fine, vt temerè appellantes ad parendum & acquieſcendum inducat. Verùm cùm id, obſtante eorum contumacia & ſeditione, fruſtrà conatus eſſet, tandem, ne qua illis denegatæ iuſtitiæ prætextus aut excuſatio competeret, nouum iudicium decernit. Antequam tamen illius initium fieret, ſimulque ea omnia, quæ in cauſa Felicis Epiſcopi Aptungitani controuertebantur, (hunc enim, ſicut & Cæcilianum, de ſacris voluminibus perſecutori traditis Donatiſtæ accuſarant) vno iudicio finirentur; Proconſuli Africano Imperator demandat, vt de facto & traditione Felicis Epiſcopi diligenter inquirat, quídve inter ceteros teſtes Ingentius Scriba à Donatiſtis productus deponeret, ſedulò examinet. Quibus peractis, Proconſul Felicis innocentiam, & Donatiſtarum calumniam multis teſtimoniis confirmatam cognouit. Ipſe enim Ingentius Scriba ad calumniandum, mentiendum, & Cæciliani epiſtolam ad Felicem Epiſcopum ſcriptam falſandam mercede conductus, metu tormentorum imminentium crimen falſi ſuapte ſponte cōfeſſus eſt. Vnde quod erat iuſti Iudicis officium, Felicem à calumnia Donatiſtarum abſoluit. A qua ſententia Æliani Proconſulis cùm homines factioſi viciſſim ad Imperatorem in Galliis morantem appellarent, Proconſul per literas & Acta Proconſularia tranſmiſſa de tota cauſa eumdem Imperatorem informat, ipſum verò Ingentium Scribam carceribus mancipatum detinet, vt confeſſionem antè ſemel in Africa editam, in Gallia, ſi neceſſum fuerit, coram Imperatore & Epiſcopis Eccleſiæ viciſſim emittat, & repetat. Conſtantinus, poſtquam tertia appellatio Donatiſtarum apud ſe interpoſita eſſet, literaſque de rebus in Africa geſtis accepiſſet, à Probiano Æliani defuncti ſucceſſore per literas petit Ingentium in Galliam tranſmitti, vt temerè appellantes in omnium conſpectu refutari poſſent. Et quia negotium Eccleſiaſticum erat, neque per ſe, neque per ſuos Magiſtratus, ſed per Epiſcopos Iudices illud definiri voluit: ideoque cùm in Galliis moraretur, Arelate, quæ eſt ciuitas Galliæ, Concilium in cauſa Cæciliani habendum indixit, & ad illud plurimos Epiſcopos per literas eiuſdem argumēti ad ſingulos Metropolitanos ſcriptas conuocauit. Et ne qui ſumptuum difficultate territi venire recuſarent, pro publico viatico aſſequendo à Præſidibus Prouinciarum, Tractorias literas iiſdem dari ſcripto mandauit. De quo vide Epiſtolam Conſtantini ad Ablauium, quæ eſt in 1. Tomo Cōciliorum.

Ad petitionem igitur Imperatoris Conſtantini Arelate comparuerunt Epiſcopi, non, vt ſcribit Ado, ſexcenti, ſed ducenti dumtaxat, quorum nomina in 1. Tomo Conciliorum aſſignantur: è quorum numero Claudius & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconi, nomine Pontificis Siluestri Legationis munere fungentes, interfuerunt, & Concilio præſederunt. Quòd autem præter morem Conſtantinus Imperator adhuc catechumenus eidem interfuerit, id ipſum propter Donatiſtarum turbas ac ſeditiones arcendas petiuiſſe: Patres verò propter cauſam Concilij, qua non agebatur de fide, ſed de iudicio Cæciliani, quod facti erat, conceſſiſſe videantur.

Hi omnes prædicto loco congregati, dum ex Actis Proconſularibus, quid in Africa apud Ælianum Proconſulem in hac cauſa definitum fuerat, cognouiſſent, quídve Ingentius Scriba de ſua & aduerſariorum impoſtura confitebatur, corām ſinguli audiuiſſent, Cæcilianum innocenter ſecundò accuſatum à calumnia aduerſariorum ſchiſmaticorum

eorum Eccleſiaſtico iudicio ſecundò abſoluunt. Si autem iudicium in Africa ſub Aeliano Proconſule habitum adnumeretur, triplici conformi ſententia condemnati, nequaquam fuerãt audiendi: quia tamen Imperator futurum ſperabat, vt Imperatoriam maieſtatem veriti, ſuo iudicio acquieſcerent & obtemperarẽt, ad ſchiſma Africanæ Eccleſiæ euitandum, quartæ eorum appellationi contra ius & æquitatem deferens, cauſæ cognitionem ſuſcepit, & tandem poſt longam facti inquiſitionem, hoc quod ſuprà definitum eſt, confirmauit. Vide Baronium anno Chriſti 316. n. 61. & ſeqq. Cauſa Cæciliani abſoluta, quæ ad optimum Eccleſiæ regimen pertinere videbantur, Patres Concilij Canones ſequentes fecerunt.

PROOEMIVM.

DOMINO, & ſanctiſſimo fratri Siluestro Epiſcopo, Marinus, vel cœtus Epiſcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi. Quæ decreuimus communi Concilio, charitati tuæ ſignificamus, vt omnes ſciant quid obſeruare debeant.

CAPVT I.

DE obſeruatione Paſchæ Domini, vt vno die & tempore per totum orbem ſeruetur, & iuxta conſuetudinem, literas ad omnes tu dirigas.

CAP. II.

DE his, qui in quibuſcumque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeuerent.

CAP. III.

DE his, qui arma proiiciunt in bello, placuit, abſtinere eos à communione.

CAP. IV.

DE agitatoribus, qui fideles ſunt, placuit, eos, quamdiu agitant, à communione ſeparari.

ANNOTATIO.

CVM frequenter accideret, vt Chriſtiani, qui in Circenſibus ſpectaculis aurigæ & agitatores erant diuerſarum factionum, in legem Eccleſiaſticam peccantes, à communione Catholica exciderent, eorumque, quibus inſeruiebant, factionibus ſeſe implicarent, ac demum inter ipſos fideles pro diuerſo affectu erga aurigas, diuerſæ factiones & ſtudia orirentur, vt conſtat ex iis, quæ S. Hieronymus tradit in rebus geſtis S. Hilarionis; ad hæc omnia incommoda & pericula euitanda, S. Synodus noluit Chriſtianos in Circo agitatores agere. Baronius num. 60.

CAP. V.

DE theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agũt, à communione ſeparari.

CAP. VI.

DE his qui in infirmitate credere volunt, placuit, debere his manum imponi.

ANNOTATIO.

HÆC manuum impoſitio intelligitur de cærimonia illa, quæ in Baptiſmo adhiberi ſolet, de qua S. Auguſtinus lib. 3. de Vnico Bapt. cap. 10. loquens, ait: *Quid enim eſt aliud manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* Item illud eiuſdem Auguſtini lib. 2. de Pecc. mer. & remiſ. cap. 26. vbi ait: *Catechumenos ſecundùm quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis ſanctificari: vt iiſdem manus impoſitio reconciliatiua imponatur, nefas eſt, & planè illicitum.*

CAP. VII.

DE Præſidibus. Qui fideles ad Præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit, vt cùm promoti fuerint, literas accipiant Eccleſiaſticas Communicatorias: ita tamen, vt in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo eiuſdem loci cura de illis agatur, vt cùm cœperint contra diſciplinam publicè agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui rempublicam agere volunt.

CAP. VIII.

DE Arianis, qui propria lege ſua vtuntur, vt rebaptizentur, placuit: Si ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum. Et ſi peruiderint, in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, vt accipiant Spiritum ſanctum. De Conſecr. d. 4. de Arianis.

Digitized by Google

Quòd ſi interrogati, non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur.

ANNOTATIO.

Occasione Donatiſtarum, quoſuis ad ſe transfugas baptizatos, velut immundos & traditione pollutos rebaptizantium, hac Synodo confirmatur id quod antè ſtatutum fuit; nimirum, eorum dumtaxat Baptiſmum iterandum eſſe, qui non ea forma, qua ſolet vti Eccleſia, per expreſſam ſcilicet ſacroſanctæ Trinitatis inuocationem, baptizati eſſent.

CAP. IX.

De his qui Confeſſorum literas offerunt, placuit, vt ſublatis eis literis, alias accipiant Communicatorias.

CAP. X.

De his qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere; placuit, vt in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne, viuentibus vxobus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.

CAP. XI.

De puellis fidelibus, quæ Gentilibus iunguntur, placuit, vt aliquanto tempore à communione ſeparentur.

CAP. XII.

14. q. 4. Miniſtri qui. De miniſtris qui fœnerantur, placuit, eos, iuxta formam diuinitus datam, à communione abſtinere.

CAP. XIII.

De his qui Scripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, vt, quicumque eorum ex Actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine Cleri amoueatur. Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & de his quos ordinauerunt ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio: quorum multi ſunt, qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemptos, putant ſe ad accuſationem admitti debere, qui omnino non admittantur, niſi (vt ſuprà diximus) Actis publicis docuerint, omni ſe ſuſpicione carere.

ANNOTATIO.

Optatvs Mileu. l. 1. contra Parm. ſcribit, Donatum à Caſis nigris duplici de cauſa condemnatum fuiſſe, tum quòd rebaptizaſſet, tum quòd Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſet: ſic, vt in Eccleſiæ communionem recepti, in functione & munere Epiſcopali adhuc perſeuerarent. Quod cum Donatus ſchiſmaticus contra diſciplinam Eccleſiaſticam facere præſumpſiſſet, ne præſumptum ſcelus latiùs ſerperet, hanc regulam ſtatuerũt. Baronius prędicto anno, n. 62.

CAP. XIV.

De his qui falsò accuſant fratres ſuos, placuit, eos vſque ad exitum non communicare, ſed falſum teſtem, iuxta Scripturam, impunitum non licere eſſe. Prou. 19.

CAP. XV.

De Diaconibus, quos cognouimus multis locis offerre, placuit, minimè fieri debere.

CAP. XVI.

De his qui pro delicto ſuo à communione ſeparantur, ita placuit, vt quibuſcumque locis fuerant excluſi, eodem loco communionẽ conſequantur.

CAP. XVII.

Vt nullus Epiſcoporum alium Epiſcopum conculcet.

CAP. XVIII.

De Diaconibus vrbicis, vt non aliquid per ſe præſumant, ſed honor Presbyteris reſeruetur.

CAP. XIX.

Vt Presbyteri ſine conſcientia Epiſcoporum nihil faciant.

CAP. XX.

Vt peregrino Epiſcopo locus ſacrificandi detur.

CAP. XXI.

De his qui vſurpant ſibi, quòd ſoli debeant Epiſcopum ordinare, placuit, vt nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis. Si tamen non potuerint ſeptem, ſine tribus fratribus non audeant ordinare.

CAP. XXII.

De Presbyteris aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt,

Digitized by Google

runt, placuit, vt his locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt. Qui ſi, relictis locis ſuis, ad alium locum ſe transferre voluerint, deponantur.

CAP. XXIII.

De his qui apoſtatant, & numquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt; & poſteà infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reualuerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Hucuſque Concilium.

Prædictis omnibus abſolutis, Epiſcopi eadem munificentia ab Imperatore dimiſſi ſunt, qua ad Concilium conuocati fuerunt. Sic S. Auguſtinus ep.68. Euſebius lib.10. cap.5. & Optatus Mil. lib. contra Parm. Baronius anno 314. num.21. vſque ad 72. excluſiuè: item anno 316. num.57. & ſeqq.

CONCIL. ANCYRANVM

tempore SILVESTRI *Papæ I. celebratũ. Probatum à* LEONE IV. *diſt. 2. cap. De libellis.*

ANNO DOMINI CCCXIV.

POSTQVAM per obitum Maximini perſecutoris, ab Eccleſia omnis metus tyrannidis propulſatus eſſet, Orientales Epiſcopi hac pacis occaſione freti, ad inſtantiam lapſorum in Eccleſiæ communionem, à qua tormentorum metu exciderant, recipi petentium, auctore Vitali Antiocheno Epiſcopo, vt probabile eſt, conuocati, Ancyræ conuenerunt ideò, quòd ad eam vrbem in meditullio regionis ſitã, minoris Aſiæ Epiſcopi, Cappadoces, Pontici, Armeni, & Cilices & Syri faciliùs conuenire poſſent. Octodecim Epiſcopi, qui ferè omnes & ſinguli etiam Nicæno Concilio interfuerunt, congregati, in cauſa lapſorum, afflatu Spiritus ſancti edocti, illud idem conſtituerunt, quod ſub Deciana perſecutione Romæ Cornelius, Carthagine Cyprianus, in Ponto Gregorius, & demum ſub Diocletiani tyrannide Petrus Alexandrinus Epiſcopus in Ægypto, Epiſcopi Hiſpaniæ Eliberi, vnanimi conſenſu, quantumuis loco ac tempore ſeparati fuerint, piè ac ſanctè decreuerunt, ne ſcilicet quiſpiam lapſorũ ad Eccleſiæ communionem admittatur, qui non antè pœnitentiam delicto conuenientem egerit, & pro crimine debitè ſatisfecerit. In quem finem viginti quatuor Canones ediderunt, vnde quam quiſque pœnitentiam agere debeat, facilè cognoſcere poteſt. Duos reliquos, qui ad finem adiecti ſunt, veriſimilius eſt à Damaſo Pontifice, non à Patribus huius Concilij conſtitutos eſſe. Extat autem Canonum triplex editio, quarum primam, quæ eſt Dionyſij Exigui, iure meritoque ſequimur. Hoc Concilium à Nicæna Synodo Vniuerſali approbatum eſſe, conſtat Act.4. Concilij Florentini. Fuit autem celebratum hoc Concilium anno Pontificatus Silueſtri primo, Conſtantini Imperatoris nono, qui eſt Chriſti nati 314.

CAP. I.

PRESBYTEROS immolantes, & iterùm luctamen adeuntes, ſi hoc non per illuſionem aliquam, ſed ex veritate fecerint, vt iterùm teneri viderentur, aut tormentis ſubiici, quò facinus pati viderentur inuiti: hos ergo placuit, honorem quidem ſedis retinere, offerre autem, illis, & ſermonem ad populum facere, aut aliquibus Sacerdotalibus officiis fungi non liceat. Diſt. 50. Presbyteros, qui.

CAP. II.

DIACONI ſimiliter, qui immolauerunt, honorem quidem habeant, ceſſare verò ab omni ſacro miniſterio, ſiue à pane, ſiue à calice offerendo, vel prædicando. Quòd ſi quidam Epiſcoporum conſcij ſunt laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipſos erit poteſtas.

CAP. III.

QVI fugientes comprehenſi ſunt, vel à domeſticis traditi, vel ademptis facultatibus ſuſtinuere tormenta, aut in

Digitized by Google

in cuſtodiam truſi, proclamauerunt ſe Chriſtianos eſſe, & euſque adſtricti ſunt, vt manus eorum comprehendentes, violenter attraherent, & funeſtis ſacrificiis admouerent, aut aliquid polluti cibi per neceſſitatem ſumere cogerentur: confitentes iugiter ſe Chriſtianos eſſe, & luctum rei, quæ contigit, inceſſabiliter oſtendentes omni deiectione, & habitu, & humilitate vitæ, hos velut extra delictū conſtitutos, à communionis gratia non vetamus. Si verò prohibiti ſunt ab aliquibus, propter ampliorem cautelam, vel propter quorumdam ignorantiam, ſtatim recipiantur. Hoc autē ſimiliter & de Clericis, & de laicis ceteris obſeruari conueniet. Perquiſitum eſt autem & illud, ſi poſſunt etiam laici, qui in has neceſſitatis anguſtias inciderunt, ad Clericatus ordinem promoueri: placuit ergo & hos, tamquam qui nihil peccauerunt, ſi & præcedens eorum vita probabilis ſit, ad hoc officium prouehi.

CAP. IV.

De his qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnauerunt in idolio, quicumque eorum, cùm ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus vſi ſunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit, eos inter audientes vno anno conſtitui, ſuccumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam peruenire [a].

a.i. ad ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti, Sic Baron. anno præd. num. 87.

Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus fleuere diſcubitus, ſi compleuerunt pœnitentiā triennij temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem nōn manducauerunt, biennio ſubiecti pœnitentiæ, tertio anno ſine oblatione communicent, vt perfectionem quadriennio conſequantur. Penes autem Epiſcopos erit poteſtas, modum conuerſationis eorum probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita & poſterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

CAP. V.

De his, qui minis tantùm ceſſere pœnarum, aut priuatione facultatum territi, aut demigratione, ſacrificauerunt, & hactenus pœnitudinis negligentes, neq; conuerſi, nunc huius Concilij tempore ſemet obtulerunt, conuerſionis ſuæ conſilia capientes: placuit vſque ad magnum diem [b] eos inter audientes ſuſcipi, & poſt magnum diem triennio pœnitentiam agere, & poſtmodum duobus diebus ſine oblatione [c] communicare, & tunc demum ſex annis completis, ad perfectionis gratiam peruenire. Si verò quidam ante hanc Synodum ſuſcepti ſunt ad pœnitentiam, ex illo tempore initium eis ſexennij computetur. Si quod autem periculum, vel mortis expectatio, aut infirmitate, aut ex aliqua occaſione contigerit, his, ſub definitione ſtatuta communio non negetur.

b.i. ſancti Paſcha.

c.i. ad communicandum in orationibus publicis, nō ad Sacramētū Corporis & Sanguinis Chriſti participandum.

CAP. VI.

De his, qui feſtis diebus Gentilium, in remotis eorum locis conuiuia celebrarunt, ciboſque proprios deferentes, ibidem comederunt: placuit, poſt pœnitentiam biennij eos ſuſcipi: vtrùm verò cum oblatione, ſinguli Epiſcoporum, probantes vitam eorum & ſingulos actus, examinent.

CAP. VII.

Hi qui ſecundò & tertiò ſacrificauerunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ ſubiiciantur: duobus autem aliis ſine oblatione communicent, & ſeptimo anno perfectè recipiantur.

CAP. VIII.

Qvotqvot autem non ſolùm ipſi deuiarunt, ſed etiam inſurrexerunt, & compulerunt fratres, & cauſas præbuerunt vt cogerentur: hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud verò ſexennium pœnitentiæ ſubiiciantur acriori, & alio anno communionem ſine oblatione percipiant, vt perfectionem (expleto decen-

Digitized by Google

decennio) conſequantur. Inter hæc autem & eorum vita penſanda eſt.

CAP. IX.

DIACONI quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſũt, & dixerunt, velle ſe coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt: hi, ſi poſtmodum vxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quòd eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſteà nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt.

ANNOTATIO.

Ex hoc Canone nonnulli ſenſerunt, non eſſe Iure Diuino Diaconis, & proinde Subdiaconis præceptum, ne poſt ſuſceptos ſacros Ordines, nuptias contrahant: ſiquidem permittit Synodus eos aliquando vxores ducere. Mihi tamen non videtur ex hoc Concilio ſatis firmè concludi, cœlibatum Diaconorum & Subdiaconorum eſſe tantùm Iuris Canonici, nec id aſſerere cogit nos prædicti Concilij decretum, quoniam de more & ritu Græcorum loquitur Concilium, videlicet de vxoribus ante Diaconatum ductis: & idcircò ait: Si cùm ordinantur, dixerint, velle ſe vxores habere, id eſt, velle ſe matrimonio antè contracto vti. Et deinde cùm dicitur: Hi poſteà, ſi ad nuptias venerint, vel ſe cõtulerint; hoc eſt, ſi ad vxores, quas in matrimonium antè duxerant, acceſſerint, atque eis commiſceantur. Si ad nuptias, videlicet antè contractas venerint: id eſt, ſi nuptiis antè contractis vti voluerint. Sic hunc Canonem explicat Maior in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. & diſt. 37. quæſt. 1. Vel intelligitur, ſi ad nuptias venerint, hoc eſt, ſi nuptias contraxerint facto, non Iure, vt exponunt Archidiaconus, Turrecrem. & Gemin. in cap. Diaconi. diſt. 28. Vel certè is Canon abrogatus eſt per Canonem 6. Concilij VI. Generalis, vt ait Balſamon. Quare vera eſt communis Theologorum & Canonici Iuris Interpretum opinio, nulli poſt Diaconatum aut Subdiaconatum licere matrimonium contrahere: id non quidem Iure Diuino, ſed Canonico prohibente.

Baronius verò ait: Quòd Apoſtolica lege non Sacerdotes tantùm, ſed etiam Diaconi abſque vxore cœlibem vitam ducere, ab exordio naſcentis Eccleſię obligati fuerint, hic Canon poſt alios Apoſtolorum & Eliberitini Concilij plures, ſolidiſſimè confirmat. Quòd verò Patres Concilij permiſerint, vt Diaconi illi, qui cùm ordinarentur inuiti, conteſtatiq; fuiſſent, ſe non poſſe continentes viuere, poſt ſacrum Diaconatus ordinem ſuſceptum, vxorem ducant, non aliter ſanè conceſſum eſt; quàm quòd à ſacri muneris exercitio abſtinentes, non ampliùs cum ſacris miniſtris, ſed cum populo extra cancellos laica communione communicarent. Baronius anno 314. num. 88. Vide eumdem anno 58. num. 21.

CAP. X.

DESPONSATAS puellas, & pòſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiam ſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit. 27. q. 2. Deſponſatas puellas.

CAP. XI.

EOS, qui ante Baptiſma ſacrificauerunt idolis, & poſteà Baptiſma conſecuti ſunt: placuit ad Ordinem prouehi, eò quòd probentur abluti.

CAP. XII.

CHOREPISCOPIS non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare: ſed nec Presbyteris ciuitatis, ſine præcepto Epiſcopi, vel literis, in vnaquaque parochia aliquid imperare, nec ſine auctoritate literarum eius, in vnaquaque parochia aliquid agere.

CAP. XIII.

HI qui in Clero ſunt Presbyteri, & Diaconi, & à carnibus abſtinent, placuit, eas quidem contingere, & ita, ſi voluerint, continere. Quòd ſi intantum eas abominantur, vt nec olera, quæ cum eis coquuntur, exiſtiment comedenda, tamquam non conſentientes regulæ, ab Ordine ceſſare debebunt.

CAP. XIV.

DE his quæ pertinent ad Eccleſiam, quæcumque, cùm non eſſet Epiſcopus, Presbyteri vendiderunt, placuit, reſciſſo contractu, ad Iura Eccleſiaſtica reuocari. In iudicio autem erit Epiſcopi, ſi pretium debeat recipi, néne: quia plerumque rerum diſtractarum reditus, ampliorem ſummam pro pretio dato reddiderit.

Digitized by Google

CAP. XV.

a Vel qui cum pecoribus coitu mixti ſunt: aut more peculum cum propinquo ſanguine inceſtè commixti ſunt.

De his qui irrationabiliter verſati ſunt, ſiue verſantur, quotquot ante vigeſimum annum tale crimẽ commiſerint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingant. Diſcutiatur autem & vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterint, & ita miſericordiam conſequantur. Quòd ſi inexplebiliter his hæſere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus inſumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & vxores habentes, hoc peccato prolapſi ſunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem ſuſcipiantur orationum. In qua quinquẽnio perdurantes, tunc demum oblationis Sacramenta percipiant. Quòd ſi qui & vxores habentes, & tranſcendentes quinquageſimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam conſequantur.

CAP. XVI.

Eos qui irrationabiliter vixerint, & lepra iniuſti criminis alios polluerint, præcepit ſancta Synodus inter eos orare, qui ſpiritu periclitantur immundo.

CAP. XVII.

Si qvi Epiſcopi ordinati ſunt, nec recepti ab illa parochia in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, & vim Præſulibus earum inferre, ſeditiones aduerſus eos excitando, hos abiici placuit. Quòd ſi voluerint in Presbyterij ordine, vbi priùs fuerant, vt Presbyteri reſidere, non abijciantur propria dignitate. Si autem ſeditiones commouent: ibidem conſtitutis Epiſcopis, Presbyterij quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles.

CAP. XVIII.

17. queſt. 1. Quotquot virginitatem.

Qvotqvot virginitatem promittentes, irritam faciunt ſpõſionem, inter bigamos cenſeantur. Virgines autem, quæ conueniunt cum aliquibus tamquã ſorores, habitare prohibemus.

CAP. XIX.

Si cuius vxor adultera fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem conſequi, ſecundùm priſtinos gradus.

CAP. XX.

De mulieribus, quæ fornicantur, & partus ſuos necant; vel quæ agunt ſecum, vt vtero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio vſq; ad exitum vitæ eas ab Eccleſia remouet. Humaniùs autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus, ſecundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAP. XXI.

Qvi voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem iugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò circa vitæ exitum conſequantur.

CAP. XXII.

De homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem definitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcipit: ſecunda verò quinquennij tempus explere. Modus autem huius pœnitẽtiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, vt ſecundùm conuerſationẽ pœnitentium poſſint & extendere tardantibus, & minuere ſtudioſè feſtinãtibus.

CAP. XXIII.

Qvi diuinationes expetunt, & morem Gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas huiuſcemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennij iaceant, ſecundùm gradus pœnitentiæ definitos.

CAP. XXIV.

Qvidam ſponſam habens, ſororem eius violauit, & grauidam reddidit: poſtmodum deſponſatam ſibi duxit vxorem: illa verò quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit. Hi qui fuerunt conſcij, poſt decennem ſatisfactionem iuſſi ſunt ſuſcipi, ſecundùm gradus pœnitentiæ conſtitutos.

CON-

Digitized by Google

CONCILIVM NEOCÆSAREENSE *ſub* SILVESTRO, *& probatum à* LEONE IV. *diſt. 20. c. De libellis.*

ANNO DOMINI CCCXIV.

CVM Ancyrano Concilio ea quæ ad mores Eccleſiæ Orientalis, ac præcipuè Eccleſiaſticorũ miniſtrorum reformandos requirebantur, nondum planè ac perfectè conſtituta fuiſſent, Epiſcopi tredecim, ijdem ferè omnes qui Ancyrano interfuerunt, Neocæſareæ congregati anno Chriſti 314. hanc Synodum celebrarunt. Baronius anno 314. num. 90. Hic annus fuit Silueſtri primus, & Conſtantini Imperatoris nonus. In hac Synodo Patres ad œconomiam Eccleſiaſticam rectè inſtituendam, omniumque fidelium mores piè & ſanctè componendos, ſequentes quatuordecim Canones ediderunt. Qui quidem Canones, ſicut & Concilij Ancyrani, à Patribus Nicæni Concilij approbatos fuiſſe, patet ſeſſ. 7. Act. 4. Concilij Florentini. Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 8.

CAP. I.

De Presbyteris, quòd vxores ducere non debeant.

Canones Neocæſarienſis Concilij. D. 28. Presbyter.

PRESBYTER, ſi vxorem duxerit, ab Ordine ſuo illum deponi debere. Quòd ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abiici, & ad pœnitentiã inter laicos redigi.

CAP. III.

De muliere, quæ duobus fratribus nupſerit.

MVLIER, ſi duobus nupſerit fratribus, abiiciatur vſque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis ſuis, Sacramentis reconciliari oportet, ita tamen, vt ſi fortè ſanitatem recuperauerit, matrimonio ſoluto, ad pœnitentiam admittatur.

CAP. III.

De multinubis.

31. q. 1. De his qui frequenter.

DE his qui frequenter vxores ducunt, & de his quæ ſæpiùs nubunt, tempus quidem pœnitentiæ his conſtitutum, manifeſtum eſt; ſed conuerſatio & fides eorum tempus abbreuiat.

CAP. IV.

De concupiſcentia non conſummata.

SI QVIS concupita muliere, etiamſi concubitus eius deſiderium habeat, non autem ſubſequatur effectus; manifeſtum eſt, hunc fuiſſe per diuinam gratiam liberatum.

CAP. V.

De catechumenis peccantibus.

CATECHVMENVS, id eſt audiens, qui ingreditur in Eccleſiam, & ſtat cum catechumenis, ſi peccare fuerit viſus, figens genua, audiat verbum, vt ſe abſtineat ab illo peccato quod fecit. Quòd ſi in eo perdurat, abiici omnino debere.

CAP. VI.

De prægnantibus baptizandis.

DE prægnantibus, quòd oportet eas baptizari quando volunt. Nihil enim in hoc Sacramento commune eſt parituræ, & illi qui de eius vtero fuerit editus, quia vniuſcuiuſque in illa confeſſione libertas arbitrij declaratur.

CAP. VII.

Presbyteros in ſecundis nuptiis non debere orare.

PRESBYTERVM conuiuio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere, maximè cùm præcipiatur, ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit Presbyter, qui propter conuiuium illis conſentiat nuptiis? 31. q. 1. De his qui.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem Gloſſæ 31. q. 1. can. De his, nonnulli de ijs, qui ſimul plures vxores habere volunt, explicant. Alij eumdem intelligunt de ijs, qui ſæpiùs nuptias contrahunt ſucceſſiuè; eoſq; peccare aiunt, non contrahendo, ſed eam celebritatem adhibendo, quæ ſolùm in primis nuptiis adhiberi ſolet; ideoque pœnitentiam iniungi, non quòd ſecundas nuptias tamquam illicitas & diſſoluendas eſſe iudicent, ſed quòd indebitam ſolemnitatem & celebritatem ſuis nuptiis licitè contractis, adhiberi importunè ſollicitarint. Rectiùs verò dicitur, quòd ſicut Laodicenum can. 1. Nicænum can. 8. ſecun-

Digitized by Google

ſecundas nuptias approbant, ipſis tamen contrahentibus per Laodiceni Concilij Canonem allegatum, propter emiſſum incontinentię ſignum certi temporis pœnitentiam iniungunt; ita hoc Concilio à bigamis pœnitentiam requiri, non quòd ſecundum matrimonium contrahendo peccent, ſed quòd ſuam ipſius incontinentiam manifeſtent, & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium 1. Cor. cap. 7. inſtituta eſt, licentiùs vſurpent. Ita Baronius anno 314. num. 91. Bellarminus l. 1. de Sacram. Matr. c. 9. Quæ fuerit iſta ſolemnitas, ex Iſidoro & Ambroſio ſcribit Bellarminus lib. de Conciliis c. 8.

CAP. VIII.

Vxoris adulteræ virum, Clericum fieri non debere.

14. d. Si cuius vxorem. SI cuius vxorem adulterium commiſiſſe, cùm eſſet laicus, fuerit comprobatum, hic ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poteſt. Quòd ſi in Clericatu iam conſtituto eo, adulterauit, dato repudio, dimittere eam debet. Si verò retinere eius conſortium velit, non poteſt ſuſcepto miniſterio perfrui.

CAP. IX.

De Presbyteris corporali peccato præoccupatis.

15. d. 8. Qui admiſit. QVI admiſerit corporale peccatum, & hic poſteà Presbyter ordinatus eſt, ſi confeſſus fuerit, quòd ante ordinationem ſuam peccauerit, non quidem offerat, maneat tamen in aliis officiis, propter eius ſtudij vtilitatem. Nam cetera peccata, cenſuerunt plurimi, etiam ordinatione priuari. Quòd ſi de his non fuerit confeſſus, nec ab aliquibus poteſt manifeſtè conuinci, huic ipſi de ſe poteſtas eſt permittenda.

CAP. X.

De Diaconis ſimiliter.

Ibidem. SIMILITER & Diaconus, ſi in eodem culpæ genere fuerit inuolutus, ſeſe à miniſterio cohibeat.

CAP. XI.

Quo tempore conueniat Presbyterum ordinare.

D. 78 Presbyter ante. PRESBYTER ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis ſit probabilis vitæ, ſed obſeruet vſque ad præfinitum tempus. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt, & tunc prædicauit.

CAP. XII.

De his qui in ægritudine Baptiſma conſequuntur.

SI QVIS in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt, niſi fortè poſteà ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat. D. 57. Si quis in ægritudine.

CAP. XIII.

De Presbyteris alterius regionis.

PRESBYTERI, qui corregionales ſunt, in Eccleſia, præſentibus Epiſcopis, vel Presbyteris ciuitatis, offerre non poſſunt, nec dare panem ſanctificatum, nec calicem porrigere. Quòd ſi abſentes ſint ciuitatis Sacerdotes, & fuerint inuitati ad dandam orationem, ſoli debebunt dare. Vicarij autem Epiſcoporum (quos Græci Chorepiſcopos vocant), conſtituti ſunt quidem ad exemplum ſeptuaginta Seniorum, ſed tanquam Conſacerdotes propter ſollicitudinem, & ſtudium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

CAP. XIV.

De numero certo Diaconorum.

DIACONI ſeptem eſſe debent ſecundùm regulam, quamuis magna ſit ciuitas. Regulæ autem auctoritas iſta eſt. Quod & liber Act. Apoſtolorum inſinuat. D. 93. Diaconi ſeptẽ. Act.

CONCIL. ROMANVM I.

ſub SILVESTRO.

CONCILIVM hoc celebratum eſſe Romæ, Conſtantino & Licinio quartum Conſulatum agentibus, anno nimirum Chriſti 315. qui eſt Silueſtri ſecundus, & Conſtantini Imperatoris decimus, Acta Silueſtri, & Lex 1. de Iudæis. C. Theodoſ. his Conſulibus con- ANNO DOMINI CCCXV.

Digitized by Google

conſignata, teſtantur. In hoc Concilio in præſentia Conſtantini Imperatoris celeberrima illa diſputatio inter Iudæos & Silueſtrum habita eſt, qua ad inſtantiam Imperatoris ac matris illius Helenæ, vtrimque viri doctiſſimi conuenerunt eo fine, vt Scripturis ſimul & miraculis ſingularum partium defenſores ſuæ religionis veritatem probarent, ac manifeſtarent. De cuius euentu, Acta Silueſtri, quæ ab Adriano Romano Pontifice ad Carolum Magnum ſcribuntur, 3. epiſt. his verbis citata repeiuntur: *In ipſis exordiis Chriſtianorum, cùm ad fidem conuerteretur Imperator Conſtantinus, mater ſua Helena Augusta ad eum cum duodecim Scribis, & Phariſæis, ac Magiſtris, & Principibus Iudæorum in vrbem Romam venit, & ipſa vnà cum filio ſuo Conſtantino Auguſto, Concilium Iudæos cum Chriſtianis facere cenſuerunt. In quo præſidens S. Silueſter Papa, cum plurimis ſanctiſſimis Epiſcopis, in ampliorem ſtatum dilatantes Chriſtianorum fidem, tam per ſacram Scripturam, quàm per miracula, Domino protegente, victores effecti ſunt.* Hæc ibi. Quæ victoria iudicata eſt & declarata per Cratonem Philoſophum, & Zenophilum V.C. quos ad id delegerant. Attamen hac diſputatione confuſi Iudęi, non tantùm Chriſtianis contumelias & graues iniurias inferebant, verùm & in ipſum etiam Imperatorem ſeditionem concitabant: vnde Imperator ad iniuriã à Chriſtianorum capitibus propulſandam, allegata Lege aduerſus illos promulgata conſtituit, vt ſi cui ſuæ ſectæ deſertori Chriſtiano lapidibus, aut alio immani ſupplicio moleſti eſſent, ſtatim flammis dederentur. Vt verò rebellionem & ſeditionem eorum compeſceret, ſeditioſos auriculis eorum amputatis, corporique illorum ſigno impreſſo, velut mancipia fugitiua & verberones, per omnia loca circumducebat. Chryſoſtomus Orat. aduerſus Iudæos, Hom. 2. Baronius prædicto anno 315. num. 9. & 10.

CONCILIVM ALEXANDRINVM I. *ſub* SILVESTRO.

SYNODVM hanc celebratam fuiſſe anno Chriſti nati 315. Silueſtri Pontificis 2. Conſtantini Imperatoris 10. tradit Oroſius l. 7. c. 28. dum ait, eo tempore Arium ſuam hæreſim in vulgus ſparſiſſe, quo Criſpus & Conſtãtinus Cęſares creati ſunt, anno nimirum 315. Cauſam huic Concilio ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo indicto, & Alexandriæ centum ferè Epiſcopis præſentibus celebrato, dedit Arius eiuſdem Eccleſiæ Presbyter ambitioſus: qui cùm hactenus velut Proteus, modò Catholicis, modò ſchiſmaticis adhæreſcens, ſub diuerſis formis latuiſſet, hoc demum tempore virulentam impietatem ac blaſphemiam ſuam, quam hactenus in pectore occultam circumgeſtauit, (hanc nimirum: Filium Dei non ſine principio à Patre genitum, ſed in tempore creatum eſſe) turpiter euomuit. Ad quam reuocandam, dum illum Alexander Epiſcopus frequenter admonuiſſet; ille verò cum ſociis impietatis duodecim, quos ſeduxerat, perſeuerans, hæreſim ſuam pertinaciter defenderet; conuocato centum ferè Epiſcoporum Concilio, peruerſi atque hæretici dogmatis tenaciſſimus condemnatur, à communione Catholica reiicitur, & Presbyteratus Ordine exuitur. Baronius anno 315. num. 19. & 318. num. 42. ANNO DOMINI CCCXV.

CONCILIVM ALEXANDRINVM II. *ſub* SILVESTRO.

CONCILIVM hoc anno Domini 319. qui eſt Silueſtri 6. & Conſtantini Imp. 14. annus, Alexandriæ in Ægypto habitum eſt, cui omnes Epiſcopi, qui Alexandrino Primati parebant, vnà cum Oſio Cordubenſe Epiſcopo, qui Legationis Pontificiæ munere fungebatur, atque ideò huic CCCXIX.

Digitized by Google

huic Synodo præſidebat, interfuere. Ob quam cauſam Athanaſius Apolog. 2. hanc Synodum Generale Concilium appellauit: quòd nimirum illi per Legatum Pontifex vnà cum prædicto numero Epiſcoporum interfuerit. Cauſa primaria huius Concilij hæc fuit: Cùm Siluester Pontifex per Encyclicas ab Alexandro ſcriptas, Arianorum turbas ibi excitatas cognouiſſet, Oſium Cordubenſem Epiſcopum Legatum ſuum iſthuc ablegauit, qui ſumptis à Conſtantino Imperatore literis, quas illi communicauit, pacis & concordiæ ſuaſoriis, in Ægyptum veniens, ad Arianorum motus componendos Synodum indicit, eorumque cauſam in iudicium prædictorum Epiſcoporum deducit. Quid autem illo Concilio actum ſit, penuriâ Actorum, quæ interierunt, non conſtat. Auctore Athanaſio Apolog. 2. & Socrate lib. 3. c. 5. conſtat, quòd non modò Arianorum, ſed etiam Meletianorum ac Colluthianorum ſchiſmaticorum cauſa, impiaque Sabellij de ſacroſancta Trinitate dogmata, hoc Concilio cognita & diiudicata fuerint. Vide Baronium an. 319. num. 22. & ſeqq.

CONC. LAODICENVM *ſub* SILVESTRO.

ANNO DOMINI CCCXX. vel CCCXXI.

CONCILIVM hoc antiqua nobilitate celeberrimum, Græcorum atque Latinorum ſcriptis celebri memoria commendatum fuit. In quo ad collapſam Eccleſiæ diſciplinam reſtaurandam, auctore Nunechio Phrygiæ Metropolitano, congregati fuerunt 32. Epiſcopi, & hos quinquaginta nouem Canones ad mores ſingulorum fidelium reformandos ediderunt, vt conſtat apud Gratianum can. 11. diſt. 16. Quòd verò hoc Concilium in Syria ſub Theodoto vel Theodoſio Epiſcopo celebratum fuiſſe ſcribitur, planè falſum eſt: quia Laodiceæ in Phrygia Pacatiana celebratum eſt, vt conſtat ex ipſius Synodi titulo, qui diſertis verbis ſic habet: *Sancta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ conuenit ex diuerſis regionibus Aſiæ.* Et præterea Theodotus ſiue Theodoſius, qui fuit Epiſcopus Laodiceæ Syriæ, vt teſtatur Euſebius lib. 7. cap. vlt. fuit ſucceſſor Stephani, & habetur tertio loco ſubſcriptus inter eos Epiſcopos, qui ex Cœleſyria Magno Nicæno Concilio interfuerunt & ſubſcripſerunt. Vnde conuincitur, verum eſſe non poſſe, Synodum hanc in Phrygia celebratam, illius auctoritate indictam & conuocatam fuiſſe: ſed potiùs ex errore accidiſſe, vt cui verè Nunechius Laodicenſis Epiſcopus ac Metropolitanus præſedit, Theodotus Laodiceæ in Syria Epiſcopus præſediſſe dicatur: propterea nimirum, quòd Theodoti celebrius nomen eſſet quàm Nunechij. Vide Baronium in Append. 4. Tom.

Error Summæ Carranzæ, & Anſelmi apud Grat. c. 11. diſt. 31.

Præterea falſum eſt id quod etiam aſſeritur, Synodum hanc celebratam eſſe circa annum Domini 364. ſub Papę Liberij finalibus annis: nam fuit celebrata medio tempore inter Neocæſarenſem & Nicænam Synodum Vniuerſalem, quando Silueſter Pontificatum Eccleſiæ Catholicæ adminiſtrabat, ſub præſidio Nunechij Metropolitani. Hoc autem ſic probatur: Primò, Laodiceno Concilio Canon primus, quo bigamis pœnitentia aliqua iniungitur, implicitè allegatur, quem Neocæſarenſe Concilium tertio loco & ordine editum conſtituit: proinde hanc Synodum ante Ancyranam & Neocæſarenſem habitam fuiſſe, dici non debet. Secundò, Liber Iudith auctoritate huius Prouincialis Concilij inter Apocryphos reiicitur, quem teſte S. Hieronymo epiſt. 3. Patres Nicæni Concilij velut ſacroſanctum, in Canonem Scripturæ receperunt. Oportet igitur concedere, Laodicenſe hoc Concilium ante Nicænum celebratum fuiſſe: vel ſaltem (quod dictu inconuenientius eſt) Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos ea, quæ de Canonicis libris in Magno Oecumenico Concilio magna conſideratione

Error Summæ Carranzæ.

Digitized by Google

ratione decreta erant, conuellere, & retractare auſos fuiſſe. Tertiò, Quòd quinque Canonibus Nicæni Concilij hiſce 2.4.14.18. & 19. conſtitutum eſt, hoc idem à Patribus Laodicenæ Synodi 3.5.& 8.ſine vlla commemoratione & allegatione priorũ Conſtitutionum decretum eſſe conſtat. Quorum ſanè Epiſcopi in hac Synodo Laodiceæ iure meritoque magna cum reuerentia meminiſſent, ſicut & Neocæſareenſis, bigamis pœnitentiam Canone deſuper edito imponentis, honorificam in principio primi Canonis Laodiceni mentionem fecerunt. Itaq; hanc Synodum medio illo tempore, quod eſt inter Neocæſareenſe & Nicænum Concilium, celebratam fuiſſe, certum eſt; quo autem anno, incertum. Quòd apud Gratianum prædict. can. 11. Sexta numeretur poſt Nicænam, &c. erroneum eſt. Vide quæ habet Seuerinus Binius hîc.

Sequuntur Canones CONCILII LAODICENI *iuxta editionem* DIONYSII EXIGVI.

SANCTA Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ conuenit ex diuerſis regionibus Aſiæ, definitiones expoſuit Eccleſiaſticas, quæ ſubter annexæ ſunt.

CAP. I.

De bigamis.

DE his qui ſecundùm Eccleſiaſticam regulam liberè ac legitimè ſecundis nuptiis iuncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, vt paruo tempore tranſacto, vacent orationibus & ieiuniis, quibus etiam, iuxta indulgentiam, communionem reddi decreuimus.

ANNOTATIO.

QVOD dicit, *ſecundùm Eccleſiaſticam regulam*, intellige ſecundùm Neocæſareenſis Concilij Canonem tertio loco poſitum: cùm enim Cataphrygæ in Orientali Eccleſia diu magno cum detrimento verſati, ſecundas nuptias prorſus reiicerent, ab Epiſcopis eiuſdem Eccleſiæ optimè eædem receptæ fuerunt: ſic tamen, vt bigami non abſque pœnitentia ad communionem admitterentur. Baſilius verò epiſt.can.ad Amphiloch.cap. 14.eamdem ad trigamos & polygamos ex cauſa ampliauit. Cur verò iiſdem pœnitentia iniungenda fuerit, vide ſuprà ea quæ notauimus ad Concilium Neocæſareenſe, can.7.

CAP. II.

De his, qui pro diuerſis erratis pœnitudinem feruentius exegerunt.

DE his qui diuerſis facinoribus peccauerunt, & perſeuerantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ, conuerſionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pœnitentię tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

CAP. III.

Quòd non oporteat ad Clerum ſtatim poſt Baptiſma promoueri.

DE his, qui nuper ſunt illuminati Baptiſmate, quòd eos in Sacerdotali non conueniat ordine promoueri.

CAP. IV.

De tempore Ordinationum.

QVOD non oporteat Ordinationes ſub conſpectu audientium celebrari. *Nota quòd alia editio habet*: Non licere manus impoſitionem ſuper ordinandos, pręſẽtibus catechumenis fieri.

CAP. V.

Vt hi qui Sacrario ſeruiunt, vſuras non exigant.

QVOD non oporteat, Sacerdotes & Clericos fœnerantes vſuras, vel quæ dicuntur ſexcupla, id eſt ſummam capitis, & dimidium ſummæ percipere. Diſt.46. Non licet fœner.

CAP. VI.

De hæreticis intrantibus in Eccleſias vel Baſilicas Martyrum.

QVOD hæretici non permittendi ſint ingredi in domum Domini, in hæreſi permanentes.

CAP. VII.

De his qui ad Eccleſias ab hæreticis veniũt.

DE his qui ab hæreticis conuertuntur, id eſt Nouatianis, aut Photinianis, aut Teſſaradecatitis, ſiue baptizati

zati

Digitized by Google

zati ſint illi, ſeu catechumeni, non antè ſuſcipiantur, quàm omnes hæreſes anathematizent, & præcipuè illam, qua detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, noſtræ doceantur fidei Symbolum: & vncti ſancto Chriſmate, ſic myſteriis communicent ſacroſanctis.

ANNOTATIO.

HOC quod decernitur hîc de Nouatianis & reliquis hæreticis, an etiam de Photinianis conſtitutum fuerit, adeoq; verba hæc, *aut Photinianis*, quæ in duabus dumtaxat Editionibus, non in tertia habentur, inſerenda, vel omnino expungenda ſint, meritò dubitatur. Sed quia auctoritate Concilij Arelatenſis II. cap. 16. decretum eſt, Baptiſmum Photinianorum, quòd Filium Dei dumtaxat hominem fuiſſe aſſererent, nullum eſſe, veriorem & magis germanã editionem putamus illam, à qua prædicta verba, *aut Photinianis*, abſunt: atque ita eadem à reliquis duabus Editionibus eſſe vel expungenda, vel ſaltem velut ſubreptitia diligenter notanda. Accedit, quòd Theodoretus lib. 2. Hæret. fab. affirmat, Photinum cum Paulo Samoſateno de SS. Trinitate eadem ſenſiſſe, eadem docuiſſe. Sicut igitur ex Decreto Concilij Nicæni can. 19. ſtatutum eſt, vt Paulianiſtæ ad Eccleſiam venientes baptizentur; ita & de Photinianis ſeruatum oportuit eſſe. Et licet S. Hieronymi contra Lucifer. aliorumq; auctoritate conſtet, Arianorum Baptiſmum Eccleſiam Catholicam recipere conſueuiſſe; Baptiſmus tamen Photinianorum numquam ab ea receptus fuit: nam eorum in impugnanda Chriſti Diuinitate tanta impietas erat, vt ipſi Ariani eos, vt maximè impios, ab Eccleſia eiecerint. Vide Baronium in Append. 4. Tomi.

CAP. VIII.

De his, qui veniunt ab hæreſi Cataphrygarum.

DE his qui conuertuntur ab hæreſi, quæ dicitur Cataphrygarum, etſi in Clero, qui apud eos eſſe creditur, fuerint, & ſi maximi nominentur; hos ſub omni diligentia ab Epiſcopis Eccleſiæ vel Presbyteris inſtrui & baptizari conueniet.

ANNOTATIO.

HIC Canon neque præcedenti, neque traditioni Apoſtolicæ eſt contrarius. Cataphrygarum Baptiſmus iterari iubetur, quia non ea forma, qua Eccleſia vtitur, collatus fuerit: reliquorum verò hæreticorum, qui hanc baptizandi formam ritè obſeruabant, Baptiſma ratum ac validum eſſe, ideóque nequaquam iterandum, Eccleſia rectè diiudicauit.

CAP. IX.

De his, qui ad hæreticorum ſpeluncas cauſa orationis accedunt.

QVOD non permittantur Eccleſiaſtici ad hæreticorum cœmeteria, vel ad ea quæ ab eis Martyria appellantur, orationis cauſa vel ſanitatis accedere: ſed huiuſmodi, ſi fideles fuerint, certo tempore communione priuari; pœnitentes autem, & confitentes ſe deliquiſſe, conuenit ſuſcipi.

CAP. X.

De his, qui cum hæreticis nuptiarum copulâ iunguntur.

QVOD non oporteat indifferenter Eccleſiaſticos fœdere nuptiarum hæreticis ſuos filios filiaſq; coniungere.

CAP. XI.

Non congruere, Presbyteras in mulieribus ordinari.

QVOD non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præſidentes, in Eccleſiis ordinari. Diſt. 32. Mulieres, quæ.

ANNOTATIO.

PRESBYTERÆ hoc loco appellantur viduæ ſeniores, vt poſterior Editio declarat. Frequentiſſimè tamen Presbyteræ in Conciliis nominantur mulieres cęlibem vitam agentes illæ, quarum viri Presbyteratus Ordine initiati vel erant, vel fuerant. Ita intelligendus eſt Can. 21. Concilij Antiſiodorenſis, quo inhibetur, ne Presbytera cum ſuo Presbytero dormiat. Obſeruandum eſt etiam, quòd ſicut Presbyterarum, ita etiam Diaconiſſarum, & Epiſcoparum mentio ſatis frequens apud Scriptores reperiatur, eadem ferè ſignificatione. Vide Baronium anno 34. num. 288.

CAP. XII.

De Epiſcopalibus Ordinationibus.

VT Epiſcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumcircà ſunt, prouehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem, hi videlicet Diſt. 61. Epiſcopũ non oportet.

Digitized by Google

cet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conuerſationis exemplo.

CAP. XIII.

Iudicio multitudinis Ordinationes fieri non debere.

D.63. Non eſt permiſ. QVOD non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium prouehendi.

CAP. XIV.

Ad alias Parochias Eulogias, quæ oblatæ ſunt, minimè deſtinandas.

QVOD ſancta nullo modo, cauſâ eulogiarum tempore Paſchalis feſti, ad alias Parochias debeât deſtinare.

CAP. XV.

De his qui debeant in ambone, id eſt, in pulpito pſallere.

QVOD non oporteat ampliùs, præter eos qui regulariter Cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere.

CAP. XVI.

De Lectionibus, quæ debeant Sabbatis recenſeri.

QVOD in Sabbatis Euangelia cum aliis Scripturis legi conueniat.

CAP. XVII.

Quòd interſtitium Pſalmorum debeat in Sabbatis fieri.

a Alia Editio habet, in Proceſſionibus. QVOD in conuentu [a] fidelium nequaquam Pſalmos cõtinuare conueniat, ſed per interuallum, id eſt, per Pſalmos ſingulos recenſeri debeant Lectiones.

ANNOTATIO.

ALIA Editio habet, *in Proceſſionibus*. Et ſic hoc Canone ducemur, his & anterioribus temporibus fideles aliquando procedentes, publico conuentu preces ſuas ad Deum fundere cõſueuiſſe: quod etiamnum Eccleſia rectè facit. De horum ritu precandi, & de Proceſſionibus eſt intelligendum illud Tertulliani ad vxorem lib. 2. cap. 4. *Si procedendum erit, numquam magis familia occupatio adueniat.* Has, quòd expiationis cauſa publicè indicantur, Litanias nominatas fuiſſe, multa exempla habemus. Tempore Gregorij Thaumaturgi Neocæſareæ habitas eſſe, teſtatur Baſilius ep. 63. De his aliiſq; precandi ritibus plura vide apud Baronium in Notis ad Martyrologum Romanum, item in Annalibus anno Chriſti 58. n. 108.

CAP. XVIII.

De Precibus nona & veſpera celebrandis.

QVOD idipſum officium Precum, & nona & veſpera ſemper debeat exhiberi.

CAP. XIX.

De Precibus poſt Homilias proferendis. Et de his, quos intra Sacrarium communicare conueniat.

QVOD oporteat ſeorſum primùm poſt allocutiones Epiſcoporum, orationes ſuper catechumenos celebrari. Et poſtquam catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos qui ſunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus, tres orationes conſummari fidelium, ita vt prima quidem ſub ſilentio, ſecunda verò & tertia per exclamationes ſolitas expleantur, & ita demum pacem ſibi inuicem dabunt. Et poſteaquam dederit Epiſcopus Presbyteris oſculum pacis, tunc laici ſibi tribuent, & ita ſancta celebrabitur oblatio. Solis autem miniſterio ſacro deditis, ad altare ingredi, & communicare ibidem liceat.

ANNOTATIO.

HOC Canone confirmantur ea, quæ ſuprà in Annotationibus ad Concilium Ancyranum diximus can. 4. & ſeq. nimirum, quòd pœnitentium, alij inſtar catechumenorum à communione orationum ſimul & Sacramentorum, alij tantùm à ſola Corporis & Sanguinis participatione prohibiti fuerint, donec iniunctum pœnitentiæ tempus compleſſent.

CAP. XX.

De honore, quem Presbyteris Diaconi, & Diaconis hi qui ſunt ipſis inferiores, debeant exhibere.

QVOD non oporteat Diaconum corâm Presbytero ſedere, ſed iuſſione Presbyteri ſedeat. Similiter autem & Diaconis honor habeatur ab obſequentibus, id eſt à Subdiaconis, & omnibus Clericis. D. 93. Nõ oportet. & in Concil. Agat. c. 66.

Digitized by Google

CAP. XXI.

Quòd Subdiaconi à Diaconio, id eſt à Sacrario vel Secretario ſint remoti.

D.23. Non oportet. QVOD non oporteat, Subdiaconos habere locum in Diaconico, & Dominica vaſa contingere.

CAP. XXII.

Subdiaconos cum orariis aſſiſtere nō debere.

II. 23. Miniſtrū non oportet. QVOD non oporteat Subdiaconum vti orario, nec oſtia derelinquere.

ANNOTATIO.

ORARIVM idem eſt in antiquis Patribus quod Stola, quæ eſt veſtis ſacra, longa, non lata, cuius vſus Sacerdotibus ac Diaconis conceſſus, Subdiaconis interdictus eſt. Significat autem myſticè iugum Chriſti, & hac ſignificatione ſumitur vox iſta in Concilio Bracarenſi I. cap. 27. vbi Diaconi præcipiuntur ferre Orarium ſuper ſcapulas. Vnde aliqui putant, eſſe dictum Orarium, quòd Oratoribus ſeu Prædicatoribus Euangelij concedatur. Aliquando verò vox Orarium accipitur pro Sacerdotali veſte honeſta & talari: ſic in Concilio Moguntino ſub Carolo, c. 27. Vide Suarez Tom. 3. diſput. 82. ſect. 2.

CAP. XXIII.

Lectores Cantoreſque cum orariis agere ſuum officium non debere.

D.44 Non oportet. QVOD non oporteat Lectores, aut Cantores orariis vti, & ita legere vel pſallere.

CAP. XXIV.

Eccleſiaſtici in tabernis comedere non debēt.

QVOD non oporteat ſacro miniſterio deditos, à Presbyteris vſque ad Diaconos, & reliquum Eccleſiaſticum Ordinem, id eſt, vſque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorciſtas, & Oſtiarios, & ex numero continentium & Monachorum ingredi tabernas.

CAP. XXV.

Subdiaconi non debent benedicere, vel benedictionem tribuere.

D.93. Nō oportet. QVOD non oporteat Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.

CAP. XXVI.

Qui ab Epiſcopo ordinati non ſunt, exorcizare non poſſunt.

D.69. Nō oportet. QVOD hi, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſiis, quàm in domibus exorcizare non poſſint.

CAP. XXVII.

De conuiuiis, quæ ex agape fiunt, eſcarum partes accipi non debeant.

QVOD non oporteat ſacro miniſterio deditos Clericos, ad laicos ad Agapen vocatos, ciborum partes accipere, propterea quòd hinc Eccleſiaſtico ordini fit iniuria. D.41. Nō oportet.

ANNOTATIO.

AGAPE eſt conuiuium publicum, quod olim in Eccleſia in ſanctorum Martyrum natalitiis celebrari conſueuit, vt patet ex Gregorio, lib. 1. ep. 14. vbi dedicaturus Oratorium B. Mariæ, pro agape parari mandat. Quæ omnia in ſequenti Canone temperata ſunt. Et ideò rectè Concilij Carthaginenſis III. can. 10. eadem circumſtantia loci interdicta eſt. Baronius an. 57. num. 1. 7. & ſeqq.

CAP. XXVIII.

In Eccleſiis prandia fieri non debent.

QVOD non oporteat in domiciliis diuinis, id eſt in Eccleſiis, conuiuia, quæ vocantur Agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus ſternere. D.42. Non oportet in baſilicis.

CAP. XXIX.

Chriſtianis Sabbatizare vel Iudaizare non licet.

QVOD non oporteat Chriſtianos Iudaizare, & otiari in Sabbato, ſed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicū diem (ſi vacare voluerint) vt Chriſtiani hoc faciant. Quòd ſi reperti fuerint Iudaizare, anathema ſint à Chriſto.

CAP. XXX.

De viris cum mulieribus lauacra celebrantibus.

QVOD non oporteat ſacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem laicum Chriſtianum, lauacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud Gentes reprehenſio prima eſt. D.81. Non oportet miniſtros.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXI.

Catholicis cum hæreticis fœdera iungere non licet.

QVOD non oporteat cum hæreticis vniuerſis nuptiarum fœdera celebrare: nec eis filios dare vel filias, ſed magis accipere, ſi tamen Chriſtianos ſe fieri promittant.

CAP. XXXII.

Ab hæreticis eulogias accipere non debere.

1. quæſt. 1. Non oportet.

QVOD non oporteat ab hæreticis eulogias accipere, quia ſunt maledictiones potiùs quàm benedictiones.

CAP. XXXIII.

Cum hæreticis & ſchiſmaticis non orandũ.

QVOD non oporteat cum hæreticis aut ſchiſmaticis pariter orare.

CAP. XXXIV.

De martyribus hæreticorum.

QVOD omnem Chriſtianum non oporteat deſerere Martyrem Chriſti, & ire ad pſeudomartyres, id eſt hæreticorum, & quos ipſos conſtet hæreticos extitiſſe. Hi namque ſunt alienati à Deo. Sint igitur anathema, qui ad tales acceſſerint.

CAP. XXXV.

De his qui Angelos colunt.

QVOD non oporteat Eccleſiam Dei relinquere, & abire, atque Angelos * nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. Si quis igitur inuentus fuerit huic occultæ idololatriæ ſeruiens, ſit anathema, quia dereliquit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit.

* angulos

ANNOTATIO.

HIc Canon variè interpretatur. Prima interpretatio eſt Theodoreti ad Coloſſ. cap. 2. dicentis, hoc Canone damnari illos hæreticos, qui docebant, Angelos eſſe colendos. Quòd ſi de cultu latriæ intelligi voluerit, ſuſtineri poteſt ac debet. Nam Bellarminus lib. 1. de SS. beat. c. 20. hanc expoſitionem eiuſdem Theodoreti ſic expoſitam approbat dicens, per hunc can. Concilij non piam quamlibet Angelorum venerationem, ſed eam dumtaxat, quæ Deo propria eſt, prohiberi: Theodoretum autem ab hæreticorum calumnia defendit, & meritò. nam eumdem de Angelorum cultu & veneratione rectè & orthodoxe ſenſiſſe, dubium nullum eſt, qui ipſos Angelos non tantùm veneratur, ſed eoſdem æternæ ſalutis adminiſtros nobis à Deo conceſſos, noſtros apud Deum interceſſores ac patronos eſſe, conſtanter affirmat, vt videre eſt lib. eiuſdem Theodoreti Diuin. decret. 5. de Angelis, & in Dan. c. 4. Quia tamen, vt teſtatur Card. Baronius Annal. Tomo 1. anno Chriſti 60. neque Simon Magus, neque Cerinthus, neque quiſquam Iudæorum hæreticorum Angelos adorandos eſſe docuit, ipſe verò Theodoretus ad Coloſſ. c. 2. hæc contra hæreticos legem Iudaicam defendentes decreta ac conſtituta fuiſſe ſcripſit; iuſtam Illuſtriſſimi Cardinalis Baronij cenſuram hac in re non euadet. Poſſet alioquin pro hac ſententia dici, hunc Canonem editum fuiſſe contra hæreticos Angelicos, ſic dictos, ideò quod teſte Epiphanio hæreſi 60. & Auguſtino hæreſi 39. Angelos adorandos, cultuq; latriæ ſoli Deo debito colendos eſſe docerent. Altera, quæ magis placet, expoſitio, eſt Baronij, qui ait, hoc Canone piam ac religioſam venerationem falſorum deorum, illorum nempe, quos idololatræ Gentiles & Magi venerabantur, Chriſtianis interdictam eſſe; idque ſic probat: Primo præcedente Canone 34. veri Martyris cultus religioſus recipitur, falſorum verò martyrum ſuperſtitioſa veneratio prohibetur: dum ergo ſequente Canone ſubiungitur decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens; expreſsè patet, ſacroſanctam Synodum voluiſſe, vt veri Angeli, qui æternam ſalutem adepti ſunt, ſicut veri Martyres colantur: falſorum autem Angelorum, ſicut & pſeudomartyrum, cultus ac veneratio ſub pœna anathematis euitetur. Angeli naturæ & gratiæ donis omnes ferè Sanctos excellunt; quis ergo credat, Patres huius Synodi, Martyribus ob ſanctitatem qua donati ſunt, cultum ac venerationem adiudicaſſe; Angelicæ autem creaturæ excellentiori & ſanctiori omnem honorem ac piam obſeruantiam ademiſſe? Falſos autem angelos, quos Gentiles & Magi religioſè colebant, Genios fuiſſe ait Baronius, quorum gratia ipſi, vt ex Cenſor. de Die natali, & Macrobio in Saturnalibus conſtat, diem natalitium celebrantes, affines & amicos ſuos conuocabant, & quod ait Canon, ad angelos idololatriæ abominandæ congregationes faciebant. Quamquam probabilius eſſe iudicet, per falſos angelos intelligi debere dæmones, quos cùm illi ad magias ſuas perficiendas occultè inuocarent, à

Digitized by Google

Patribus huius Concilij idololatræ nominati ſunt; cùm verò ad impoſturas ſuas honeſto nomine velandas, profiterentur ſe Angelos inuocare, vt ait Tertullianus in Apolog. c. 23. idololatræ occulti appellantur, quòd nimium idololatriam honeſtiſſimo nomine Angelorum velatam & occultatam committerent. Vide Baronium anno Chriſti nati 60. nu. 20. & ſeqq. Aliqui verò Codices habent, *ad angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere*. Et tunc litera Canonis nullam haberet difficultatem.

CAP. XXXVI.

De his, qui incantationibus vtuntur.

26. q. 5. Nõ oportet. QVOD non oportet miniſtros altaris, aut Clericos, magos & incantatores eſſe, aut facere, quæ dicuntur phylacteria, quæ ſunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus rebus vtuntur, proiici ab Eccleſia iuſſimus.

CAP. XXXVII.

De his, qui ab hæreticis dona feriatica ſuſcipiunt.

QVOD non oportet à Iudæis vel hæreticis feriatica, quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere feriatos.

CAP. XXXVIII.

De Chriſtianis, qui Iudæorum azyma comedunt.

NON oportet à Iudæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.

CAP. XXXIX.

Non licere cum Paganis feſta celebrare.

NON oportet cum Paganis feſta celebrare, & impietatis eorum habere ſocietatem.

CAP. XL.

Epiſcopos ad Synodum vocatos, non debere contemnere.

D. 18. Nõ oportet. NON oportet vocatos Epiſcopos ad Synodum, contemnere, ſed abire debere, & aut docere aut doceri, quæ ſunt ad Eccleſiæ ceterorumque correctionem vtilia. Quòd ſi contempſerit, ſeipſum videbitur accuſaſſe, niſi fortè per infirmitatem ire non poſſit.

CAP. XLI.

Non debere Clericum ſine epiſtolis peregrinari.

NON oportet miniſtrum Altaris, vel etiam laicum, ſine Canonicis literis, id eſt Formata, alicubi proficiſci. De Cõſec. d. 5. Non oportet.

CAP. XLII.

Nullum Clericum debere ſine Epiſcopi ſui iuſſione peregrinari.

NON oportet miniſtrum Altaris vel quemlibet Clericum præter iuſſionem Epiſcopi ad peregrinandum proficiſci.

CAP. XLIII.

Vt Subdiaconi ad oſtia perſeuerent.

NON oportet miniſtros, id eſt oſtiarios, vel breui tempore ab oſtiis deeſſe, & orationi vacare.

CAP. XLIV.

Vt ad Sacrarium mulieres non introëant.

NON oportet mulieres ingredi ad Altare.

CAP. XLV.

De his qui circa mediam ſeptimanam ad Baptiſma veniunt.

NON oportet poſt duas hebdomadas Quadrageſimæ quemquam ad Baptiſmum ſuſcipi. De Cõſec. d. 4. Baptizandos.

CAP. XLVI.

De redditione fidei baptizandorum.

BAPTIZANDOS oportet fidei Symbolum dicere, & quinta Feria vltimæ ſeptimanæ, vel Epiſcopo, vel Preſbyteris reddere.

CAP. XLVII.

De his qui in ægritudine baptizantur.

QVI in ægritudine conſtituti, Baptiſmum perceperũt, facti ſani fidei Symbolum doceantur, vt nouerint qua donatione digni ſunt habiti.

CAP. XLVIII.

Vt poſt Baptiſma Chriſma detur.

OPORTET baptizatos poſt Baptiſmum ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cæleſtis regni participes fieri.

Digitized by Google

CAP. XLIX.

Oblationes offerri in Quadrageſima non oportere.

NON oportet in Quadrageſima panem offerri, niſi Sabbato & Dominica tantùm.

CAP. L.

Non licere quinta Feria Septimanæ maioris ieiunium ſolui.

De Cõſec. d. 3. Non oportet. NON oportet in Quadrageſimæ quinta Feria vltimæ hebdomadæ ieiunium diſſolui, & totam Quadrageſimam inhonorari, ſed per totos hos dies ieiunare, & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt, aridioribus vti.

CAP. LI.

Non debere in diebus ieiuniorum commemorationes Martyrum fieri.

33. quæſt. 4. Non licet. NON oportet in Quadrageſima Martyrum natalitia celebrari, ſed eorum in Sabbato ac Dominica tantùm memoriam fieri.

CAP. LII.

Non licere nuptias fieri in Quadrageſima.

33. q. 4. Non oportet. NON oportet in Quadrageſima aut nuptias, vel quælibet natalitia celebrare.

CAP. LIII.

Vt in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis.

NON oportet Chriſtianos ad nuptias euntes vel balare, vel ſaltare, ſed caſtè cœnare, vel prandere, ſicut competit Chriſtianis.

CAP. LIV.

Non licere Clericis, ludicris ſpectaculis intereſſe.

De Cõſec. d. 5. Non oportet. NON oportet miniſtros Altaris, vel quoſlibet Clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis aut in ſcenis exhibentur, intereſſe, ſed antequam Thymelici ingrediantur, ſurgere eos de conuiuio, & abire debere.

CAP. LV.

Non congruere Chriſtianis, comeſſationibus intereſſe.

D. 44 Non oportet. NON oportet miniſtros Altaris, vel quoſlibet Clericos, vel etiam laicos Chriſtianos, ex ſymbolis (quæ vulgus Comiſſalia appellat) conuiuia celebrare.

CAP. LVI.

Non licere Presbyteris, ante ingreſſum Epiſcopi, introire ad Altare.

NON oportet Presbyteros ante ingreſſum Epiſcopi ingredi Eccleſiam, & ſedere in tribunalibus, ſed cum Epiſcopo ingredi, niſi fortè aut ægrotet Epiſcopus, aut in peregrinationis commodo eum abeſſe conſtiterit. D. 95. Nõ oportet.

CAP. LVII.

Qui in agris vel poſſeſſionibus debeant ordinari.

NON debere in villis & vicis Epiſcopos ordinari, ſed Viſitatores, id eſt, qui circumeant, conſtitui. His autem qui ante hoc ordinati ſunt, nihil agere cenſemus ſine conſcientia Epiſcopi ciuitatis. Similiter etiam Presbyteri nihil ſine præcepto & conſilio Epiſcopi agant. D. 80. Non debere.

CAP. LVIII.

Oblationes offerri in domibus non oportere.

NON oportet in domibus oblationes ab Epiſcopis, ſiue Presbyteris fieri.

CAP. LIX.

Quæ pſallere vel legere in Eccleſia conueniat.

NON oportet ab idiotis Pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſiis dici, neque libros, qui ſunt extra Canonem, legere, niſi ſolos Canonicos noui & veteris Teſtamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc ſunt: Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ieſu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri 4. Paralipomenon, libri 2. Eſdræ, liber Pſalmorum numero 150. Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Iob, Eſther, 12. Prophetarum libri, id eſt, Oſee, & Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Noui Teſtamenti Euangelia quatuor, ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecundùm

cundùm Ioannem, Actus Apoſtolorum, Canonicæ epiſtolæ ſeptem, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna, Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, numero 14. ad Romanos, ad Corinthios 2. ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes vna, ad Coloſſenſes vna, ad Theſſalonicences duæ, ad Timotheum duæ; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

CONCIL. ROMANVM II. *ſub* SILVESTRO.

ANNO DOMINI CCCXXIV.

POSTQVAM Imperator iam recèns baptizatus, Eccleſiam donatiuis munificentiſſimè locupletaſſet, hoc Concilium à Silueſtro Pontifice indictum, impenſis neceſſariis piiſſimè promouit, eo fine, vt publicam quamdam gratiarum actionem pro accepto beneficio Deo ageret, & Chriſtianæ pietatis encænia primus Chriſtianus Imperator ſummo omnium gaudio celebraret. Ducenti octoginta ſex Epiſcopi à Pontifice conuocati, ab Imperatore vehiculis adducti, & liberaliſſima annona ſuſtentati, conuenerunt Romæ in Thermis Traiani, quem locum Silueſter Pontifex nuper in Titulum erexit, doniſque plurimis Imperator exornauit. Accidit id, quod ex vltimo Capitulo conſtat, Criſpo & Conſtantino tertiùm Coſſ. anno Chriſti nati 324. qui eſt Silueſtri ſecundus, & Conſtantini Imperatoris 19.

Cauſa conueniendi hæc fuit, vt Eccleſia ab hæreticorum & hoſtium incurſu libera ſeruaretur, & quæ ad diſciplinam pacemque Eccleſiaſticam conſeruandam neceſſaria erant, inſtituerentur. Ideoque primæ Actionis exordio Hippolytum Diaconum Valentinianæ hæreſis ſectatorem, Calliſtum Sabellij hæreſi maculatum, & Victorinum Epiſcopum, qui receptos ab Eccleſia Paſchales Cyclos redarguere præſumpſiſſet, damnarunt. Quæ reliquis Canonibus conſtituta ſunt, ferè omnia ad hierarchicum Clericorum ordinem ſpectant.

Quòd in hac Synodo de Ario & Ariana hæreſi, quæ Orientalem Eccleſiam annis aliquot antelapſis plurimùm exagitauit, nulla mentio fiat, ea de cauſa contigiſſe videtur, quòd Pontifex & Imperator anno ſequente, maiore cum apparatu & numero Epiſcoporum totius orbis, Concilium Oecumenicum Nicææ in Oriente, communi conſenſu congregare decreuerint, eo fine, vt vbi immortali odio & obſtinata pertinacia ab Arianis digladiatum eſſet, ibi ſanctorum Epiſcoporum cœtus ſacroſancta Dei caſtra, ad impietatem eorum oppugnandam, firmiter collocarent. Vide Baronium anno 324. num. 123. & ſeqq.

Ex hoc Concilio illi Canones hîc ponuntur, in quibus aliquid determinatur, aliis relictis: qui tamen in primo Tomo Conciliorum videri poſſunt.

CANON IV.

Vt de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant.

COMMONEO autem vobis omnibus mihi conſortibus monimentum hoc, vt de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat Pontifici ad ſui ſuſtentationem. Altera Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero. Tertia, templorum & Eccleſiarum reparationi. Quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis. Conſtituit & hunc ordinem, vt ſi quis de Clero, vel Presbyteris vniuerſi loci tranſierit (quod commune eſt) de hoc mundo, ſi neminem de ſuo genere habuerit conſortem, quidquid paupertas eius haberet, conferret Eccleſiæ, & exinde quatuor partes fierent, ſicut ſuprà dictum eſt.

CANON V.

Vt nullus Presbyter Chriſma conficiat.

CONSTITVIT etiam clara voce idem Silueſter Epiſcopus vrbis Romæ, vt nemo Presbyterorum Chriſma conficeret, dicens: Quoniam Chriſtus à Chriſmate vocatur.

C A-

CANON VI.

De numero Diaconorum Parochiarum, & Cardinalium vrbis Romæ.

Et vt Diaconi non eſſent plures per Parochiarum examen, niſi duo, & Cardinales vrbis Romæ ſeptem, ita tamen, vt dalmaticis vterentur, & palla linoſtima læua eorum tegeretur.

ANNOTATIO I.

Qvi hic appellantur Diaconi Cardinales, quòd licet diuerſis in locis agerent, vnius tamen Eccleſiæ, eiuſq; primariæ cardine continerentur; iidem Diaconi Regionarij in Vita S. Fabiani Papæ nominãtur, quòd ex officio ſinguli binis regionibus Vrbis præeſſe, pauperumque in eis degentium curam habere tenerentur. In quem finem quatuordecim Vrbis regionibus ſeptem Cardinales Diaconi præfecti ſunt, vt nimirum ſinguli binas regiones ſolicitè curantes, totius Vrbis pauperibus benè proſpectum foret. Vnde Diaconiæ erant loca ſacra, vbi Diaconi Regionarij per ſingulas Vrbis regiones reſidentes, ſtipem miniſtrabant egentibus, viduarumque, pupillorum, aliarumque miſerabilium perſonarum opportunitatibus conſulebant: erant etenim veluti quędã eleemoſynarum promptuaria. Tenebantur huiuſmodi Diaconiæ miniſtri rationem reddere de ſua adminiſtratione Summo Pontifici, niſi ab eodem eximerentur: dicebantur hi exhibere Diaconiam: idemque erat, quod pauperibus, erogando eleemoſynas, miniſtrare. Eſt de his epiſtola 24. S. Gregorij Papæ ad Ioannem lib. 9. Regiſtr. 1. Eius muneris functionem habes expreſſam in Actis S. Laurentij martyris: & ſi recentiora quæras, in Tito Diacono, cuius meminit S. Proſper in Chron. anno Domini 429.

ANNOTATIO II.

De antiquitate Cardinalium, quidam exiſtimant à S. Gregorio eos incepiſſe, alij verò à S. Silueſtri tempore, alij eam referunt ad Marcelli, nonnulli demum ad Pontiani ſæculum. Eugenius IV. in ep. ad Epiſcopum Cantuarienſem, ait, Cardinalium nomen non fuiſſe in principio naſcentis Eccleſiæ expreſſum; munus tamen & officium à B. Petro Apoſtolo & eius ſucceſſoribus euidenter inſtitutum. Onuphrius putat, Cardinales cœpiſſe à Cleti & Euariſti ętate: *Nam Cletus*, inquit, *teſte Bibliothecario ex Damaſo, Presbyteros Romæ ad viginti quinq; numerum auxit: Euariſtus verò, Apoſtolorum inſtituto, ad ſeptenarium numerum in Eccleſia Romana Diaconos redegit, & Titulos in vrbe Presbyteris diuiſit, vt vnuſquiſque ſua Parœciæ terminis & limitibus diſtingueretur.* Deinde Hyginus, teſte Damaſo, Clerum compoſuit, & Cleri gradus diſtinxit; vt alij eſſent ſuperiores, alij inferiores; alij præeſſent, contrà alij ſubeſſent: & vt ſinguli à ſeinuicem ſecreti, in ſua Vrbis regione, Titulo, vel Parœcia; confuſionis tollendæ gratia, diuina myſteria populum docentes, diligenter Sacramenta Dei omnibus ad ſe venientibus Chriſtianis conferrent: ac proindè ſingulos Presbyteros in vnoquoque Titulo, Clericos & Presbyteros conſtituit. Ait enim Anaſtaſius ex Damaſo: *Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus*: & tunc, inquit Onuphrius, Presbyterorum Cardinalium nomen effluxit, vt is ſcilicet diceretur Presbyter Cardinalis, qui ceteris Presbyteris eiuſdem Tituli præeſſet: anteà enim, cùm vnus tantùm per ſingulos Titulos Presbyter fuiſſet, Cardinalis non dicebatur, eò quòd non niſi vnus in vnoquoque Titulo Presbyter eligebatur. Poſt Hyginum Dionyſius Titulos in vrbe Romana plures fecit: ſic enim ait Damaſus: *Hic Presbyteris diuiſit Eccleſias, & cœmeteria, & Parœcias*, videlicet etiam extra Vrbem, *& Diœceſes conſtituit.* Et de Marcello teſtatur idem Damaſus, eum vigintiquinque Titulos Romæ conſtituiſſe, quaſi Diœceſes, tum ad Martyrum ſepulturam, tum ad Baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui ad Chriſti fidem & religionem conuertebantur ex Paganis, repudiatis falſis & vanis Gentilium dijs. Verùm quidquid dicat Onuphrius, ante Silueſtri tempora Cardinalium nomen non legimus.

De numero verò eorum, quamuis aliqui contendant, eos tot eſſe oportere, quot fuere Apoſtoli & Diſcipuli Domini, aut ſaltem quot Diſcipuli fuerunt: alij verò non plures creari debere, quàm eorum hactenus ſcripti Tituli vel Diaconiæ inueniuntur; in Concilio tamen Baſileenſi, ſeſſ. 23. ſtatutum eſt, ne plures Cardinales crearentur, quàm viginti quatuor. Certè ſi 24. tantùm Cardinales eligerentur, referrent illos viginti quatuor ſeniores, de quibus B. Ioannes in Apoc. c. 4. Nihilominùs frequẽtiori Doctorum ſententia receptum eſt, totum hoc ex libera Romani Pontificis voluntate pendere. Ita Franchus in cap. Vbi periculum. de Elect. in 6. Martinus Lauden. Tractat. de Cardinalibus part. 2. quæſt. 2. Albericus in Rubrica de Statu homin. Cardinalis Albanus de Cardinalib. quæſt. 41. Et licet maxima ſit negotiorum moles ac multitudo, & populorum

rum frequentia, quibus Romanus Pontifex præeſt; rectè nihilominùs is Chriſtianæ Reipublicæ conſulturus creditur, ſi numquam maiorem Cardinalium numerum habeat duobus & ſeptuaginta, qui fuit numerus Diſcipulorum Domini. Archidiaconus c. Vbi periculum. de Elect. in 6. Cardin. Clem. Ne Romani. §. Porrò. de Elect. Albericus in Rubrica. C. de Summa Trinitate; Barbatius in Tract. de Cardinalib. quæſt. 1. num. 5. Manfredus de Cardin. cap. 3. Nec certam habet auctoritatem quod quidam prodiderunt, Pontiani tempore Cardinales ducentos triginta ſex extitiſſe.

Cardinalium autem electio ad ſolum Summum Pontificem ſpectat. ſic Io. Andreas & Abbas in cap. Sanè. de Conuerſ. cõiugat. ita vt nec ipſum etiam Cardinalium Collegium, cùm eſt Eccleſia Romana ſuo Pontifice viduata, vllum Cardinalem poſſit eligere. Gloſſa in Clement. Ne Romani. verbo Poteſtatis. de Elect. Alexander in cap. Nullus. diſt. 79.

Obiicies, Cardinalium Collegium ius habere eligendi Romanum Pontificem, ergo & Cardinales creandi. Reſpondeo, non ſequi, vt ſi vnum ius habeat, & alterum quoque habeat; quia Romanus Pontifex Cardinalium creationem ſibi reſeruauit. De Generali Concilio verò reſpondent aliqui, cùm neceſſitas poſtulat, poſſe ipſum Generale Concilium vnum aut alterum Cardinalem creare. Sic Iacobatius Tract. de Concilio, lib. 6. a. 7. q. 1. & Manfredus Tract. de Cardinal. diſt. 386. Ego tamen numquam legi, vllos eſſe creatos Cardinales à Concilio Generali; nimirum, creatio Cardinalium Pontificis Summi eſt.

Cardinalium verò dignitas an ſit maior quàm Epiſcoporum, dubiæ difficultatis eſt. Non habet difficultatem vllam, An Cardinales ceteris Eccleſiarum Præſulibus honoris dignitate præſtent, more & conſuetudine Curiæ & Eccleſiæ Romanæ; hoc enim certò conſtat: ſed an Iure ipſo communi antecellant. Profectò certi Iuris eſt, Epiſcopum poteſtate Ordinis eſſe Presbytero Cardinali maiorem: item, Presbyterum eadem poteſtate eſſe Diacono Cardinali ſuperiorem: quoniam Epiſcopus in Sacramentis multa poteſt, quæ Presbyter Cardinalis non poteſt: & Presbyter poteſt ſacroſanctum Chriſti Corpus conſecrare, rem diuinam facere, & offerre pro viuis & defunctis, & alia Sacramenta miniſtrare, quæ non poteſt Diaconus Cardinalis. Certum eſt etiam, adminiſtrationis auctoritate, & dignitate honoris, Cardinales Epiſcopis longe præſtare: nam Cardinalium eſt, Romanũ Pontificem eligere, ei à conſiliis eſſe, ardua cum eo totius Eccleſiæ negotia tractare & agere; præterea, Cardinales Romanus Põtifex Fratres appellat, quorum conſilio dicit ſe hoc aut illud decernere. Cardinales item in publicis Comitiis & Conuentibus, in publicis Supplicationibus, & aliis quibuſlibet rebus primi à Romano Pontifice ſedent, primi ſuffragium & ſententiam ferunt, ſubſcribunt, ſtant, incedunt. Denique ſicut Epiſcopi ſua habent Canonicorum Collegia; ſic etiam in ipſa Romana Eccleſia, tamquam Pontificiorum quorumdam Canonicorum Collegium, eſt purpuratus & ſacer Cardinalium conuentus, qui vnà cum ipſo Pontifice vnum veluti corpus efficit, cuius caput eſt Papa, & membra ſunt ipſi Cardinales. Quare quemadmodum Presbyter, Ordinis poteſtate eſt Archidiacono ſuperior, iuriſdictione tamen, adminiſtratione, & honoris dignitate ſolet eſſe inferior: & Presbyter qui eſt Epiſcopus electus, & confirmatus, nondum tamen conſecratus, eſt Presbytero iuriſdictione ſuperior, quamuis Ordinis poteſtate par: ita etiam Cardinalis eſt Epiſcopo adminiſtratione ſuperior, ſed inferior Ordinis poteſtate. Extat apud Iacobatium vbi ſuprà, quæſt. 3. epiſtola Eugenij IV. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, vbi multis rationibus concludit, Cardinalem honoris dignitate eſſe Epiſcopo, Archiepiſcopo, & Patriarcha ſuperiorem: nam *Silueſter conſtituit, vt ſine plurimis teſtium ſententiis Cardinalis damnari non poßit; quod nullum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum habere legimus. Apoſtoli Chriſto aßidebant, qui ſimilitudinem referebant Cardinalium Pontifici aſtantium; cùm tamen Epiſcopi ſignificati ſint in Apoſtolis, per totum terrarum orbẽ ad Euangelium promulgandum miſſis. Papa Cardinales appellat ſui corporis partem. Cùm è Curia Romana Cardinalis mittitur, dicitur Legatus à latere Apoſtolico deſtinari; & in Prouincia ad quam eſt miſſus, ceteris antecellit. Qui in Cardinalem manus violentas infert, vel conſilium aut fauorem ad id præſtat, reus læſæ maieſtatis habetur, & grauiſsimis pœnis coërcetur: quibus non punitur, qui reliquos Eccleſiarum Antiſtites offendit. Conſtantinus ait: Volumus deinde, Romanæ Eccleſiæ Clericos reuerendiſsimos ſingulos habere illud ſanctum culmen potentiæ & excellentiæ, cuius ſanctiſsimi noſtri Senatus gloria adornantur Conſules, id eſt, Patritios fieri. Ceteri itidem Eccleſiæ Prælati certis Eccleſiis præſunt; at Cardinales communi totius Eccleſiæ ſaluti conſulunt, & ſtudent: reliqui certas Eccleſias regunt; Cardinales*

nales verò vnà cum Papa totius Reipublicæ Chriſtianæ negotia pertractant. Hæc ex illa epiſtola.

ANNOTATIO III.

De inſignibus Cardinalium, quis ea inſtituerit, ſciendum, quòd Innocentius IV. in Peruigilio Natalis Dominici, anno ſalutis 1244. Lugduni in Concilio Generali 13. Cardinalibus viris excellẽtiſſimis creatis, eius Ordinis inſignibus proprium inſigne pileum rubeum dedit. Auctor eſt Martinus, qui eo tempore vixit, in huius Pontificis Vita: quo ſignificabatur, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro Eccleſiaſtica libertate tuenda offerre debere, & præſertim eo tempore, quo Romana Eccleſia à Federico II. Imp. vehementer oppugnabatur. Paulus II. publico Decreto præcepit, propoſita pœna, ne quiſquam pileum rubeum, præter Cardinales geſtaret. Quibus etiam primo ſui Pontificatus anno, pannum coccinei coloris dono dedit, quo equos vel mulas ornarent, cùm equitarent.

Dubitatur: An ſine Cardinalium conſenſu poſſit Romanus Pontifex ardua Eccleſiæ negotia tractare, expedire, atque conficere, cuiuſmodi ſunt, creare Cardinales, Epiſcopos transferre, generalem legem promulgare, feuda magna concedere, Legatum à latere mittere ad Prouinciam, vel Regem, vel Principem, bellum indicere, alienare res pretioſas Eccleſiæ. De hac quæſtione Cardin. Albanus Tract. de Cardinal. q. 39. & multi Pontificij Iuris Interpretes ſenſerunt, id non poſſe facere Summum Pontificem ſine conſenſu Cardinalium. Sic Ioannes Monachus in cap. Super eo. de Hæret. in 6. Cardinalis in Conſil. 150. Archidiaconus in cap. Sicut quidam. 25. q. 1. Baldus in L. Cùm multa. C. de Sacroſ. eccleſ. Felinus in c. vlt. §. 1. de Offic. Iudic. deleg. Vnde Martinus Laud. Tract. de Cardinal. 1. q. 2. & Barbatius de Præſtantia Cardinalium, & Conſil. 40. volum. 4. aiunt, collegium Cardinalium quaſi poſſeſſionem habere, ne ſine eorum conſenſu ardua negotia expediat Romanus Pontifex. Communis & vera ſententia eſt, vt teſtatur Cardinalis Albanus loco citato, abſolutè & ſimpliciter poſſe Pontificem negotia ardua expedire ſine Cardinalium conſenſu: habet enim ſuam poteſtatem & iuriſdictionem proximè à Chriſto Domino, non ab homine: adhibet ad ſua Concilia Cardinales, ſed non eget ipſorum conſenſu, vt ratum ſit & firmum quod facit.

CANON VIII.

Vt nullus Subdiaconus ad nuptias tranſeat.

NVLLVM autem Subdiaconorum ad nuptias tranſire præcipimus, ne aliquam præuaricationem ſumpſerit.

CANON XVI.

Vt nullus Clericus vel Diaconus aut Presbyter propter cauſam ſuam intret in Curiam.

NEMO enim Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter propter cauſam ſuam quamlibet intret in Curiam: quoniam omnis Curia à cruore dicitur, & immolatio ſimulachrorum eſt. Quoniam ſi quis Clericus in Curiam introierit, anathema ſuſcipiat, numquam rediens ad matrem Eccleſiam. A communione autem non priuetur propter tempus turbidum.

CANON XVII.

Vt nullus peccantem Clericum cæde attingat.

NEMO enim quiſquam peccantem Clericum cæde attingat. Non Presbyter, non Diaconus, non Epiſcopus ſupra Clericum vel ſeruitorem Eccleſię ad cædem perducat. Sed ſi ita cauſa exigit, Clerici triduo priuetur honore, vt pœnitentes redeant ad matrem Eccleſiam.

CANON XX.

Vt nullus diiudicet primam Sedem iuſtitiæ.

NEMO enim iudicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari. Neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem Nicolaus Romanus Pontifex citaſſe viſus eſt, cùm inter alia, quibus temeritatem Michaëlis Imperatoris redarguit, ſic ait: *Conſonat huic neceſſaria ſententia S. Silueſter, & Magni Conſtantini baptizator, dicens: Neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à populo iudex iudicabitur; haud dubium, quin Eccleſiaſticus.*

PRAE-

PRAEFATOS Canones, & omnia illius Concilij decreta ſubſcripſerunt 284. Epiſcopi, & 45. Presbyteri, & 5. Diacones, & duo ſequentes, & Auguſtus Conſtantinus, & mater eius Helena. Et fixit Canonem hunc Silueſter Epiſcopus in vrbe Roma, & omnibus Epiſcopis aſperſit. Actum in Traianas Thermas 3. Kal. Iunij, Dño Conſtantino Auguſto tertio, & Priſco Conſule.

ANNOTATIO.

HIC legendum eſſe, *Criſpo & Conſtantino* III. *Coſſ.* ipſi Faſti Conſulares docent. Textum hoc loco corruptum eſſe, mirum non eſt, cùm vix vnum integrum verſum inuenias, in quem mendum non irrepſerit. Quòd initio anni 324. Criſpus à patre occiſus fuerit, huius Synodi celebratæ tempori nihil obſtat. Quibus enim Conſulibus annus aperiebatur & denominari incipiebat, iiſdem etiã vſque ad finem denominari perſeuerabat, licet defunctis, vel aliter ſe abdicãtibus, alij in locum ipſorum ſuffecti fuiſſent.

CONCILIVM NICÆNVM PRIMVM, GENERALE.

ANNO DOMINI CCCXXV.

SACROSANCTA hæc Nicæna Synodus, indicta hortatu, conſilio, & auctoritate Silueſtri Romani Pontificis, & Conſtantini Imperatoris conſenſu, opera, & auxilio congregata fuit, hac ratione: Cùm Oſius Cordubenſis ad Eccleſiæ Orientalis turbas, ſchiſmata, & ſeditiones componendas in Orientem ablegatus, hæreticorum pertinaciâ impetitus, paruũ aut nihil effeciſſet, Alexandri, Oſij, aliorumque Epiſcoporum conſilio per Silueſtrum auctoritate Pontificia, ob cauſas prædictas, Concilij Vniuerſalis celebratio decernitur. Sed quia Epiſcoporum multitudo ea, quæ ad Oecumenicam Synodum celebrandam requiritur, ſine Imperatoris munificentiſſimi ſubſidio, conſenſu & auxilio, neque congregari neque ſuſtentari poterat, Silueſtri Pontificis hortatu, & Alexandri Epiſcopi epiſtolâ, Imperator ad conſenſum & impenſas faciendas inductus, literis ad omnes totius orbis Epiſcopos ſcriptis, locum & tempus habendi Concilij deſignauit, ibique tempore conſtituto ſinguli vt adſint, rogauit. Hoc eſt, quod Ruffinus lib. 10. cap. 1. dicit, Conſtantinum ex ſententia Sacerdotum Concilium indixiſſe: & quod legimus Sexta Synodo Act. 18. Silueſtrum & Conſtantinum magnam Synodum apud Nicæam congregaſſe. Baronius an. 325. n. 13. Bellarminus lib. 1. de Concil. c. 13.

Fuit autem celebratum in Nicæa Bithyniæ. Pro quo ſciendum, quòd teſte Hilario in poſt. libro Fragmentorum, eſt altera Nicæa in Thracia, quæ antè *Vſtodizo* nominabatur; in qua Ariani ſub Conſtantio Imp. nouam fidei formulam, *conſubſtantialis* nomine omiſſo, & voce *ſimilis* doloſè ſubſtituta, ediderunt, eamque Nicænam appellari mandarunt, eo nimirum conſilio, vt vera & orthodoxa Nicænę Catholicæ fidei formula tolleretur, aut ſaltem dubia & ſuſpecta efficeretur. Vide Socratem lib. 2. cap. 29. & Baronium anno 359. num. 27. In Nicæa ergo Bithyniæ celebratum fuit hoc Concilium Primum Generale: & quamquam ſint, qui in aula Palatij Regalis Epiſcopos conueniſſe ſcribant; verius tamen eſſe exiſtimo, quod Act. 1. Concilij Chalcedonenſis narratur; videlicet in templo congregatos certo ordine & loco ſedentes, quæ erant Synodali iudicio diſcutienda & iudicanda, plenè & perfectè abſoluiſſe.

Dicitur autem Primum Concilium, non quòd numero vel ordine primum fuerit,

Digitized by Google

fuerit, ſed vt à Septima Generali Synodo, quæ Nicæna Secunda appellatur, nomine diſceptatur. Quamquam etiam non inconuenienter Primum, id eſt primarium dici poſſit: quoniam in eo de re omnium ſumma, legitimo & ordinatiſſimo iudicio, auctoritate Pontificia indicto, præſentia Legatorum Pontificiorum, Imperatoris, & Epiſcoporum ordinatè ſedentium condecorato, diſceptatum fuit.

Dicitur etiam Oecumenicum, ſeu Vniuerſale: quia tale Concilium illud eſt, cui Epiſcopi totius orbis, niſi legitimè impediantur, intereſſe poſſunt ac debent, cuique nemo alius, quàm Romanus Pontifex per ſe vel per Legatos præſidere ſolet: vnde Oecumenicum, id eſt totius orbis terræ Concilium appellatur. Accidit autem non raro, quod Nationalia, quibus Romanus Pontifex per ſe vel per Legatos ſuos interfuit, Vniuerſalia aut Generalia nominentur.

Præſides huius Concilij fuerunt, non, quod volunt hæretici, Imperator, aut Athanaſius, vel Euſtathius Antiochenus; ſed Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, Romani Pontificis Legati. Hoc apertè aſſeritur quadam Præfatione Concilij Sardicenſis. Hoc idem indicat Athanaſius epiſt. ad Solitariam vitam agentes ſcripta, qua dicit, Oſium in hoc Concilio principem fuiſſe. Nomen verò ipſius Oſij, cum Presbyterorum Viti & Vincentij nominibus ante aliorum Patriarcharum nomina ſubſcriptũ, non aliud ſanè indicat, quàm tres primo loco ſubſcriptos, eius vicem ac locum in Synodo obtinuiſſe, cui primarius ac ſupremus locus iure meritoque debetur. Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum, & Photius lib. de Septem Synodis, ſcribunt, Silueſtrum per ſuos Legatos Nicæno Concilio auctoritatem contuliſſe; quod ſanè non aliter intelligi poteſt, quàm ſacroſanctam Synodum Legatorum Pontificiorum auctoritate inchoatam, præſidio eorumdem feliciter abſolutam, ac demum confirmatione Pontificis approbatam, inter oracula Spiritus ſancti receptam, probandi ac confirmandi ea quæ fidei ſunt, legitimam vim & auctoritatem conſecutam eſſe. Vt Concilij Præſidem egerit Conſtantinus Imperator, qui, teſte Ruffino lib. 10. cap. 2. ſe Epiſcopis inferiorem, iiſque ſubiectum eſſe apertè profeſſus eſt, qui non niſi annuentibus Epiſcopis, vt ſcribit Euſebius in Vita eius, ſede humiliore ſedere auſus fuit, qui non primo, ſed vltimo loco poſt omnes alios Epiſcopos, teſte Baſilio in fine Octauæ Synodi, ſubſcripſit: vt hic, inquam, Concilij Præſes fuerit, cui prima ſedes, primaque ſubſcriptio debebatur, non eſt credibile. Et Athanaſius profectò, Oſius atque Leontius Conſtantium, quòd præſidium Synodi illegitimè ſibi vendicaſſet, non tam acriter reprehendiſſent, ſi anteà pater eius Conſtantinus in Nicæno Concilio Præſes fuiſſet. Athanaſius ep. ad Solitar. Conſtantium, quòd in Conciliis primas partes tenere vellet, redarguens, *Si*, inquit, *iudicium Epiſcoporum eſt, quid cum eo commune habet Imperator?* Ibidem refert, Oſium eidem Conſtantio ſcripſiſſe hæc: *Nec nobis in hoc genere præcipe; ſed ea potiùs à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit; nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Et non procul à fine, *Quis enim*, inquit, *videns eum, in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Vbi Conſtantium, ideò quia auſus fuit in iudicio Eccleſiaſtico præſidere, apertè Antichriſtum vocat. Suidas in Vita Leontij ſcribit, quòd cùm Conſtantium in Concilio præſidentem & loquentem videret, ad eum dixerit: *Miror quòd propria* (bella nimirum, aliaque ciuilia negotia) *negligens, te in alienis* (id eſt Eccleſiaſticis) *tam curioſum præbeas.* Hæc ſanè viri ſanctiſſimi non tanto zelo filio Arianorum patrono obieciſſent, ſi

parens eius Conſtantinus Niceno Concilio iam antè præſediſſet. Vniuerſale igitur & Oecumenicum fuiſſe oportet Magnum hoc Concilium, cui cum Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchis, reliquiſq; trecentis & amplius Epiſcopis vndequaque aduocatis, Romanus Pontifex per Legatos interfuit. Vide Bellarminum lib.1.de Concil.cap.4.5.& 19.

Ad hanc autem Synodum trecentos octodecim Epiſcopos conueniſſe, teſtatur qui eidem præſens interfuit Athanaſius epiſt.ad Iouinianum Imperatorem, & in Diſp. aduerſus Arium. Epiphanius Hæreſi 69. Hilarius libro cõtra Conſtant. Ruffin.lib.1. c.1. idem profitentur. Quam quoque ſententiam Hieronymus in Chron. Sulpitius l. 2. Theodoretus lib.1.c.7. ac demum omnes omnino Scriptores hoc tempore ſequuntur; adeò vt ſtultum planè, ne dicam temerarium ſit, hanc rem deinceps in dubium vocare: ita enim vulgata nunc eſt hæc ſententia, vt quoties huius Concilij mentio habetur, trecenti octodecim Epiſcopi recenſeantur. Hic numerus ſanctorum Patrum, auctore Ambroſio Præfat. librorum de Fide, ſacer eſt, & myſticè præfiguratus 318. militibus illis, quibus Abraham de quinq; Regibus victoriam reportauit. Quòd Euſebius lib.3. de Vita Conſtantini, Euſtachius Antiochenus epiſt.ſua, quam recitat Theodoretus lib.1.cap.8. ducentos quinquaginta dumtaxat Epiſcopos conueniſſe ſcribunt, ingens ſanè præiudicium ſententiæ communiori adferret, niſi textus Euſebij notoriè mendoſus atque corruptus, Euſtachij epiſtolam deprauatam eſſe, probabiliter argueret. Socrates lib. 1. cap. 5. verba Euſebij recitans ait, ad trecentorum numerum & amplius eò conueniſſe. Manifeſtiſſimum igitur eſt mendum Euſebij. Theodoretus lib.1. cap.7. trecentos octodecim Epiſcopos huic Concilio interfuiſſe, ex ſua ſententia nõ ſcripſiſſet, ſi Euſtachij epiſtola, quam cap.ſequente recitat, ducentos ſeptuaginta dumtaxat Patres hac Synodo conueniſſe, verè & citra mendum referret. Numerum Epiſcoporum infrà ſubſcriptorum, hoc numero longè minorem eſſe, ex immenſo atque irreparabili Nicænorum Actorum naufragio verè accidit. Ex Prouinciis Nicææ vicinioribus nullos vel ſaltem paucos; ex remotioribus Palæſtinæ, Phœnicis, Aegypti, &c. plures Epiſcopos ſubſcriptos reperiri, ingens naufragium ita manifeſtat, vt propè miraculoſum videatur, eos ibi conſcriptos haberi. Epiſcoporum qui interfuêre, alij cõfeſſionis gloria clariſſimi, alij vitæ ſanctitate celeberrimi, alij doctrina & virtutum ornamentis conſpicui extiterunt; adeò vt Marius Victorinus lib.1.aduerſus Arium, Theodoretus lib.1.c.7. verè dixerint, in hac Synodo Dei miniſtros, totius orbis lumina, Martyrumque multitudinem in vnum collectam conueniſſe. Quo ore igitur mendace, quáve virulenta lingua Sabinus Heracleæ Epiſcopus, Macedonianæ hæreſeos ſectarius, impudenter effutiuerit, hunc ſacrum ac venerandum Epiſcoporum conuentum ex indoctis, malæ vitæ, & rerum ignaris hominibus collectum fuiſſe, ſatis euidenter conſtat. Imperator hoſce omnes, & quidem nonnullos equis, quoſdam vehiculis, publicis ſumptibus adduxit; & cùm ſingulos honore Epiſcopos conueniente (Epiſcopali nimirum benedictione reuerenter ab ipſis accepta) proſecutus eſſet, iiſdem in ſingulos dies cibaria munificè admodum ſuppeditari mandauit. Euſebius in Vita Conſtantini. Baronius num.14. & ſeqq.

Quibus ordinibus ſinguli conſederint, non ſatis liquet. Complures ſedes in vtroque aulæ latere ordine diſpoſitas fuiſſe, ſinguloſque Epiſcopos vnam ex iis ſibi conuenientem occupaſſe, ipſumque Imperatorem, poſtquam per medium conſeſſum intraſſet, & ad ſummum locum veniſſet, ibique aliquamdiu

Digitized by Google

diu in medio Conuentu erectus conſtitiſſet, ſella quadam parua ex auro fabricata, ac ſummo loco in capite duorum ordinum collocata, ad nutum Epiſcoporum conſediſſe, ſcribit Euſebius l.3. de Vita Conſtantini, cap.10. Eum verò Epiſcopum, qui breui quadã Oratiuncula Imperatori gratias egit, quemque Theodoretus lib.1.cap.7. Euſtachium Antiochenum nominat, in dextero ordine primam ſedem occupaſſe, Euſebius prædicto loco apertè profitetur. Cùm ergo locus ſiniſter dexteræ partis loco, in Eccleſia ſanctior & dignior ſemper habitus fuerit; quòd imagines Petri & Pauli in Diplomatibus, B. Virginis & Ioannis Crucifixo adiunctæ, aliaque plura, de quibus Baronius hîc num.59. & Bellarminus lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 27. manifeſtè indicant (Petri enim & B. Virginis imagines velut digniores à parte læua collocãtur) manifeſtè colligitur, in hoc Niceno poſt Legatos Pontificios Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchas tali ordine & loco conſediſſe, qualis Act. 1. Chalcedonenſis Concilij deſcribitur; nimirum à læua parte, velut digniore, digniorem poſt tres Romani Pontificis Legatos à latere, Oſium, Vitum, ac Vincentium, Alexandrum Alexandrinæ Eccleſiæ Primatem ſediſſe: à dextris verò Euſtachium, tertiæ ſedis Antiochenæ Epiſcopum ac Patriarcham, primum locum obtinuiſſe, ac poſt illos ſuo ordine reliquos. Hæc Baronius num.52. vſque ad 60. Bellarminus l. 1. de Conc. c. 19. de conſeſſu Niceni Concilij contra Magdeburgenſes diſputans ait: *Itaque ſi coniectare licet, tres ordines erant in Concilio: vnus à dextris, alter à ſiniſtris, & tertius in capite aulæ totius: & quidem in hoc tertio ſedebat medius Imperator inter Epiſcopos Oſium Legatum Pontificis, & Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, necnon Vitum & Vincentium, Legatos item Apoſtolicos. Deinde ordinis eius, qui erat à dextris, ſedebat Euſtachius Epiſcopus Antiochenus. Alterius autem ordinis, qui erat à ſiniſtris, ſedebat primus Macarius Epiſcopus Ieroſolymæ. atq; hac ratione ſeruabatur ordo dignitatis inter primarios Patriarchas.* Hæc Bellarminus. Baronij ſententia mihi ob cauſas prædictas verior eſſe videtur: Lector, vtram volet, eligat. Sacroſanctum Euangelij codicem, qui Dei Iudicis perſonam repræſentaret, non minùs in hoc Concilio, quàm Epheſino & Chalcedonenſi ſede Regia in medio conſeſſus Epiſcopalis, vt cum omnium vultus intuerentur, collocatum fuiſſe, dubium non eſt. Baronius n. 60. Epiſcopis hoc ordine conſidentibus, Euſtachius Antiochenus habita ad Conſtantinum Oratione, de omnibus bonis Eccleſiæ præſtitis gratias egit, eumq; rogauit, vt fidem conſubſtantialis Trinitatis aduerſus Arium & omnes hæreticos ſartam tectamque eſſe velit. Cùm deinde Conſtantinus Imperator breuem, eamq; ob Romani Imperij maieſtatem Latino & Romano idiomate prolatam, ſubiunxit, qua Epiſcopis de conuentu & læto conſpectu gratulabatur, eoſque à ſe laudatos ad mutuam pacem ac concordiam exhortabatur.

Huius autem Concilij auctoritas in tanta veneratione fuit ſemper apud Patres, vt illud mirificè laudarint. Ab Euſebio lib.3. de Vita Conſtantini, & ſancto Auguſtino l.1. de Baptiſmo, c. 18. orbis terræ Concilium, cuius decreta ad cæleſtia mandata ſint, appellatur. Eadem alibi Verbum Domini, alibi Diuinum & ſanctiſſimum oraculum Spiritus ſancti nominatur, vtpote cuius Canones per Spiritum ſanctum ordinati fuerint. Ita Athanaſius ep. ad Epiſcopos Africanos, Leo epiſt. 53. ad Anatolium, Cyrillus 1. de Trinit. Hoc, ſicut & tria ſequentia Oecumenica ſacroſancta Cõcilia, ſe non minùs quàm quatuor Euangelia venerari affirmat S. Gregorius lib. 1. epiſt. 24. Qui huic Concilio contradicit, non eſſe Catholicum, ideoque excommunicandum, ſcribit S. Leo epiſt. 77. & 78. quod idem

Digitized by Google

epiſt.78. Baſilius aſſerit, dum ait, ſuſpectis de hæreſi decreta Nicæni Concilij proponenda eſſe, propterea nimirum, quòd hac ratione hæretici à Catholicis certiſſima nota diſcernantur, & ſingulorum fides intimè exploretur. Propter huius Concilij fidem ac decreta fortiter propugnata Athanaſius & Hilarius exilium, alij verò ſub Wandalica perſecutione tormenta & violentam mortem ſuſtinuere. Hieronymus contra Lucif. Hilarius de Synod. Victor Afric. lib. de Perſecut. Wandal. Quorum exemplo S. Ambroſius epiſt. 32. *Sequor*, inquit, *tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare*. Ne quis exiſtimet, S. Auguſtinum de Concilij huius auctoritate à prædictorum Patrum ſententia diſſenſiſſe, ideò quòd lib. 3. contra Maximinum, cap.14. ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tamquam præiudicaturus, proferre Concilium; nec ego huius, nec tu illius detineris*, &c. ſciendum eſt, dum Maximinus de fide cum S. Auguſtino diſputaturus Nicæno Concilio Ariminenſe Arianorum Conciliabulum obiiceret, ipſe verò Auguſtinus ad impugnandum hæreticum meliora argumenta in promptu haberet, adeoque cum immenſa temporis iactura, de vtriuſque Concilij auctoritate prolixè diſputare, inutile eſſe iudicaret, ait: *Neque ego Nicænum, nec tu Ariminenſe*, &c. quaſi diceret, Nolo vt hac diſputatione Conciliorũ auctoritatibus teneamur, ſed potiùs his omiſſis ad Scripturas veniamus. Vnde non vult dicere, Maximinum non teneri vllo modo auctoritate huius Synodi; ſed tantùm, hac diſputatione non teneri. Vide Bellarminum lib.2. de Conc. cap.3. & 7. item in Præfat. in lib. Concil. & lib.1. de Cleric, cap.1.

De tempore verò celebrationis huius Concilij varij variè loquuntur: nos quę veriora & probabiliora exiſtimamus, ponimus. Tenendum ergo eſt tãquam certiſſimum, hanc Synodum anno Chriſti nati 325. Conſtantini 20. Silueſtri Pontificis 12. celebratam eſſe. Prædicta enim Chriſti nati, Pontificis, Imperatoris, & Conſulum tempora coincidere, ex emendatioribus Faſtis liquidiſſimè conſtat. Anno Imperatoris Conſtantini vigeſimo hoc Concilium celebratum eſſe, Euſebius ſibi ipſi in Chronico contrarius teſtatur libro 3. cap.14. & lib.4. cap.40. & 47. Grauiter igitur aberrant, qui Euſebium ſecuti, hãc Synodum anno Chriſti nati 324. vel 328. Conſtantini Imperatoris 15. Ianuario & Iuſto Coſſ. celebratam eſſe conſtanter affirmant. Eamdem Paulino & Iuliano Conſulibus inchoatam vigeſimo anno Conſtantini Imperatoris abſolutam eſſe, communior eſt ſententia: vt ex præcedentibus manifeſtiſſimè conſtat. Quomodo igitur, quod præter Couarruuiam & Scaligerum Bellarminus aſſerit, triennio duraſſe potuit? Vno eodemque anno ſanctam Synodum 18. Kal. Iulias inchoatam, 8. Kalend. Septemb. abſolutam eſſe, vetuſtiſſima Creſconiana Collectio teſtatur his verbis: *Factum eſt Concilium apud Nicæam metropolim Bithyniæ à die 18. Kalend. Iul. quod tenuit vſque ad diem 8. Kal. Septemb. Paulino & Iuliano Conſulibus.* Non poſſunt igitur non grauiter aberrare, qui Paulino & Iuliano Conſulibus cœptum, ſub Conſulatu Ianuarij & Iuſti, poſtquam triennio duraſſet, abſolutum eſſe ſcribunt. Caſſiodoro, omnibuſque qui eum ſequuntur, exordium Conſtantini Imperatoris errandi occaſionem præbuit. Putauit ille, Conſtantinum Imperij ſceptrum, anno poſt Diocletianum 10. & Maximinũ 7. qui ſecundùm emendatiores Faſtos cum anno Chriſti 309. coincidit, cõſecutum eſſe: quod ſi verum eſſet, verè Ianuario & Iuſto Conſulibus, anno Chriſti 328. atque Conſtantini 20. ſancto Concilio finis impoſitus fuiſſet. Verùm cùm auctoritate & teſtimonio Socratis libro 1. cap.1. Caſſiodori, ſuiipſius immemoris, in Tripartita Hiſtoria, quam collegit,

git, lib.1. cap. vlt. Conſtantinum patri Conſtantio Eboraci in Britannia defuncto, 8. Kal. Auguſt. an.1. Olymp. 271 Conſtantio & Galerio ſextùm Conſulibus, anno nimirum Chriſti 306. vt ex Faſtis patet, ſucceſſiſſe manifeſtum ſit. id quod ferè omnium communior aſſerit ſententia, anno nimirum Chriſti 323. Silueſtri 12. Conſtantini Imperatoris 20. Paulino & Iuliano Conſulibus, hanc ſacroſanctam Synodum celebratam eſſe, veriſſimum eſſe conſtat. Vide Baronium anno Chriſti 306. n. 2. & 9. item anno 325. num. 1. & reliquis ſequentibus vſque ad num. 11. excluſiuè. Poſſeuinum in Apparatu ſacro, verbo *Nicænum Concilium*.

De numero Canonum Nicęni Concilij etiam eſt multiplex opinio. Græci omnes aſſerunt & tuentur, Nicæni Concilij Canones viginti tantùm fuiſſe: idque Theodoreti lib.1.c.8. & Ruffini lib.1.cap.6. ex his duos in duas alias partes diuidentis, atque ita viginti duos Canones enumerantis, auctoritate confirmant; adduntque, poſt diligentem inquiſitionem factam, in Archiuis Alexandrinæ, Antiochenæ, & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ (vt conſtat ex epiſtola & Actis Synodi Carthaginenſis Sextæ) non plures quàm viginti Canones repertos eſſe. Verius tamen eſt, plures quàm viginti à Patribus Nicæni Concilij conſtitutos fuiſſe, eorumque nonnullos naufragium paſſos eſſe. Idq; his rationibus euidenter oſtendo. Primò, Non extat canon ille, qui, vt Euſebius lib.3. de Vita Conſtantini, Athanaſius in epiſt. de Synodo Arimin. teſtantur, vnus ex præcipuis fuit, quo decretum eſt, vt Paſcha non niſi Dominico die celebraretur. Secundò, Neque extat is Canon de bigamis ab Ordinibus arcendis cōſtitutus, de quo S. Ambroſius epiſt. ad Vercell. Epiſcopum hæc ait: *Sed priùs cognoſcamus, non ſolùm hoc Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe; ſed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidiſſe: neque Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit.* Tertiò, Vbi, quæſo, inuenitur Canon de Scripturis diuinis & authenticis, cuius S. Hieronymus epiſt. 3. meminit his verbis: *Sed quia hunc librum* (Iudith) *Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe acquieui poſtulationi veſtræ?* Quartò, S. Auguſtinus epiſt. 118. allegat Canonem Nicænum, quo, ne duo Epiſcopi in eadem Eccleſia ſedeant, ſanctè & piè cauetur. Concilio Carthaginenſi III. can. 48. dicitur, à Patribus Nicæni Concilij conſtitutum fuiſſe, vt nonniſi à ieiuno Sacrificium offeratur. A Concilio Carthaginenſi VI. cap. 3. citatur ex Nicæno Canon de appellatione ad Apoſtolicam Sedem Epiſcopis conceſſa: quem ante habitum Sardicenſe Concilium ſtatutum fuiſſe, ex Theodoreto conſtat, qui de Iulio Romæ Athanaſij cauſam cognoſcente l.2.c.4. hæc ait: *Ille Eccleſiæ Canonem ſecutus, & eos iuſſit Romam venire, & diuinum Athanaſium, qui pro ſeipſo in iudicio reſponderet, vocauit.* Hoc eodem Concilio Nicæno idem Canon à Patribus ſancitus eſt, quo cautum fuit, vt res cognitæ in minori Synodo, in maiori iterùm examinari atque tractari poſſent: de quo Iulius Papa epiſt. ad Arianos hæc ait: *Epiſcopi in magna Synodo Ni[illegible]e congregata, non ſine Dei conſilio permiſerunt prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari.* Demum in fine Concilij Chalcedonenſis refert Atticus, in Nicæno Concilio Canonem quemdam editum eſſe, quique ibidem cum Annotationibus noſtris reperitur, vt Formatarum literarum certa quædam ſcribendi forma ac ratio determinaretur, quę apud Epiſcopos tantùm Catholicos ſecreta retineretur, ne vulgatam formulam impoſtor aliquis hæreticus vel ſchiſmaticus per fraudem confingens, ſe pro Catholico venditaret, & Catholicam communionem ſuffuraretur. Quæ fuerit ratio & forma ſcribendi Formatas, loco allegato patebit. Plures ergo Canones, quam

Digitized by Google

hîc reperiuntur, à ſancta Synodo conſtitutos fuiſſe, ne quidem ipſi Græci, numeri Canonũ vicenarij tenaciſſimi cuſtodes ac vindices, negare poſſunt. Huc illud etiam pertinet, quòd teſte Sozomeno lib. 3. c. 19. in fine, ex inſtituto huius Concilij, ad Hymnum glorificationis hunc, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto,* quem Apoſtoli inſtituerant, hæc quæ ſequuntur, *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum,* addita fuerint, ideò, quòd Ariani blaſphemantes dicerent Filium à Patre in tempore factum, & fuiſſe tempus quando non erat. Manifeſtum ergo ſatis eſt, quòd numerus Canonum Nicænorum, vicenarium illum à Græcis aſſertum verè exceſſerit. Fuerintne præcisè 70. vel 80. vt ex epiſtola Athanaſij ad Marcum, & Marci ad Athanaſium, Franciſcus Turrianus, & Cyziceni Interpres, Alphonſus Piſanus probant ſuis libris hac de re ſcriptis, aliis diſcutienda relinquimus. Vide Baronium an. 325. num. 156. vſque ad 180. Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontif. c. 25. Poſſeuinum in Refutat. Dauidis Chytræi, & in Apparatu ſacro.

Cauſæ verò conuocandi hoc Concilium duæ primariæ fuerunt: Vna, Vt de Chriſti Domini diuinitate blaſphema Arij ſententia in iudicium Eccleſiæ vocata diſcuteretur, & quid de ea fideles ſentire deberent, definitiuo iudicio decideretur. Altera, Vt antè ſæpiùs oppreſſa Quartadecimanorum ſecta nunc reuiuiſcens, ſemel radicitus euelleretur. Meletiani & Colluthiani, de quibus ſuis locis ſuprà, hac quidem Synodo verè condemnati fuerunt; ſed quia illi poſteà Arianis ſe coniunxerunt, velut riui ſemel in flumen immiſſi, antiquo nomine appellari deſierunt, nouoque Arianorum nomine deinceps nuncupari inceperunt. Arius fœda animi elatione, ſacrilega lingua non contentus oppugnaſſe Alexandrum, qui poſt Petri & Achillæ obitum Alexandrinam Eccleſiã ſanctiſſimè regebat, de Dei Filio iactabat in vulgus: *Erat aliquãdo, quando non erat: Ex non exſtantibus factus eſt: Non de Patris ſubſtantia genitus ex tempore, non ab æterno: Haudquaquam Deus verus de Deo, ſed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate naturaque mutabilis.* Athanaſius, Ruffinus, Socrates, &c. Præter hæc Arius librum quemdam conſcripſerat, quem Thaleiam, hoc eſt, Conuiuium & Crapulam prænotarat, quo per iocum & laſciuiam, ſiue per meretricias choreas & ſaltationes multorum ſibi animos deuincire ſtuduit, vt Athanaſius habet Orat. 2. contra Arianos. Quibus artibus ſeptuaginta Virgines Deo ſacras, vt habet Epiphanius Hæreſi 69. ſeptem Presbyteros, & Diaconos duodecim peſtilenter infecit, Euſebiumque Nicomedienſem (à quo ijdem aliàs Euſebiani nuncupati fuerunt) & alios paſtores in lupos conuertit.

Ad hanc peſtem Arij ab Eccleſia auertendam, antequam Conſtantinus Imperator aduentaſſet, priuatis collationibus Epiſcoporum impiæ aſſertiones illius aſſiduo tractatu diſcutiebantur, quidve aduerſus eas teneri deberet aut ſtatui, ſumma cum deliberatione quærebatur. Qua in re, cùm inter reliquos viros doctiſſimos Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconus, ingenio & diſſerendi peritia acutiſſimus, ſummopere laboraſſet, meritoque contendiſset, nequid ab eo, quod traditum eſt, innouaretur, ipſe præ ceteris Arij omniumque Arianorum odium atque inuidiam in ſe prouocauit. Ruffinus lib. 1. c. 5. Sozomenus lib. 1. c. 8. & 18. Poſt aduentum Conſtantini factũ eſt initium Synodi. Principio Arij & Euſebij Nicomedienſis Epiſcopi literæ recitatæ fuerunt, à quarum blaſphemia Patres ſanctiſſimi abhorrentes, aures ſuas obſtruxerunt, (Athanaſius Orat. 1. in Arium:) literaſque ipſas Euſebij blaſphemia pleniſſimas diſcerpſerunt: Theodoretus lib. 1. cap. 8. Acta illius Synodi Alexandrinæ, quæ ſub præſidio Oſij Cordubenſis Epiſcopi, anno Domini

ni 319. hanc eamdem ob cauſam celebrata eſt, eo conſilio publicabantur, vt qualis Alexandrini Concilij ſententia fuerit agnoſcerent, eique deinceps in omnibus morem gererent: Iulius epiſt. ad Athanaſium. His omnibus publicatis, cauſæ diſcuſſio cœpta eſt: monentur Ariani, vt ſuæ ſententiæ rationes edant. qui æquis poſtulatis obtemperantes, ſubitò noſtrorum impugnatione conuicti obmuteſcunt, ſuamque hæreſim deteſtantes, Catholicorum ſententiæ accedunt. Catholici autem, ne ſimulata hæreticorum palinodia decipiantur, quadam fidei formula, quam Oſius compoſuit, quamque Nicænum Symbolum appellauit, edita, Arij hæreſim condemnarunt; cui cùm omnes Catholici & plurimi hęreticorum ſubſcripſiſſent, Euſebius Nicomedienſis, Theognis Nicęæ Epiſcopus, cum tribus aliis, quos Socrates lib. 1. c. 5. recenſet, id facere recuſarunt. Quamobrem ſedibus ſuis iure meritoque ſpoliati, relegati, inque locum eorum alij ſuffecti fuerunt: paulò tamen pòſt, cùm hortatu Imperatoris, vt ex illius epiſt. ad Nicomedienſes ſcripta patet, metuque exilij ac depoſitionis ad reſipiſcendum inducti eſſent, oblato libello, palinodiam recantantes, ijs quæ de fide decreta fuerant, ſubſcripſerunt. Arius verò cum ſcriptis ſuis turpiſſimis condemnatus, & iuſſu Imperatoris in exilium relegatus, pœnitentiam ſimulans, à Patribus Concilij ea lege receptus fuit, vt ad vitandas ſeditiones Alexandrinę vrbis aditu abſtineret. Quæ cùm omnium Epiſcoporum iudicio definita eſſent, foretq; iam neceſſarium, vt ſtatim executioni mandarentur, Conſtantinus Imperator Edicto quodam publico, Arij nefaria & impia ſcripta exuri præcepit, ſic, vt pœnam capitis incurreret, quicumque vel horum aliqua occultaret. Ad Alexandrinos autem Catholicos epiſtolam ſcripſit, qua errantes reuocat, ipſos verò Orthodoxos ad conſtantiam hortatur. Baronius anno 325. num. 74. & ſeqq. vſque ad 102. Poſſeuinus in App. ſacro, verbo *Nicænum Concilium.*

SYMBOLVM NICÆNI CONCILII.

CREDIMVS in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium factorem. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei, ex Patre natum vnigenitum, id eſt ex ſubſtantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die; & aſcendit in cælos: & iterùm venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat; & quia ex ijs quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel conuertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

CANONES

Trecentorum decem & octo ſanctorũ Patrum, qui Nicææ conuenerunt, Conſulatu Paulini & Iuliani virorum clariſſimorum, anno ab Alexandro DCXXXVI. *13. Kalend. Iulij, qui eſt apud Græcos 19. dies menſis Δαίσιυ, Iunij.*

CANON I.

De eunuchis, & qui ſeipſos abſcindunt.

SI QVIS à Medicis propter languorem deſectus eſt, aut à barbaris abſciſſus; hic in Clero permaneat. Si quis autem ſeipſum ſanus abſcidit, hunc & in Clero conſtitutum abſtinere conuenit, & deinceps nullum debere talem promoueri. Sicut autem hoc claret, quòd de his qui hanc rem affectant, audentque ſemetipſos abſcindere, dictum ſit; Diſt. 55. Si quis à Medicis.

ſit; ſic eos, quos aut barbari, aut domini caſtrauerant, ſi inueniuntur aliàs digniſſimi, tales ad Clerũ ſuſcipit regula.

ANNOTATIO.

HVIVS Canonis ſanciendi cauſam dediſſe videtur Leontius, qui accuſatus de commercio cuiuſdam iuuenculæ mulieris, iuſſuſque proinde vt ab eius contubernio abſtineret, ſeipſum caſtrandum dedit, quò ita liberè eius commercio vti poſſet: & nihilominùs cùm Presbyter eſſet, depoſitus eſt, & ad Arianos defecit. Athanaſius de Fuga ſua in fine, & epiſt. ad Solitarios. Aduerſus abſciſſos igitur agens ſancta Synodus, quos neceſſitas fecit eunuchos, excepit: damnat autem qui ſuapte ſponte ſe caſtrauerunt. Vide quæ diximus in Annot. Can. 21. Apoſt. & Baronium anno 230. num. 146.

In fine huius Canonis dicitur, *Tales ad Clerum ſuſcipit regula.* Alia editio, *Admittit Canon*, vetus ſcilicet vigeſimus Apoſtolorum Canon: nam in nulla alia Synodo reperitur, ſed tantùm inter eos, qui ab Apoſtolis traditi, & à Clemente conſcripti ſunt.

CANON II.

De his qui poſt Baptiſma ſtatim ad Clerum applicantur.

Diſt. 48. Quoniam plura. QVONIAM plura aut per neceſſitatem, aut aliàs cogentibus hominibus, aduerſus Eccleſiaſticam facta ſunt regulam, vt homines ex Gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructos breui tempore, mox ad Lauacrum ſpirituale perducerent, ſimulque vt baptizati ſunt, ad Epiſcopatum vel ad Presbyterium promouerent; optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri. nam & tempore opus eſt ei qui catechizatur, & poſt Baptiſmum probatione quamplurima. manifeſta eſt enim Apoſtolica 1. Tim. 3. ſcriptura, quæ dicit: *Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat, & in laqueum diaboli.* Si verò proceſſu temporis aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur huiuſmodi, & à duobus vel tribus teſtibus arguatur; à Clero talis abſtineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quaſi contra Magnum Concilium ſe efferens, ipſe de Clericatus honore periclitabitur.

ANNOTATIO.

HOC Canone decernitur, vt Neophyti, id eſt recens baptizati, non ordinentur Epiſcopi aut Presbyteri. Huic derogatum fuit in Ambroſio & Nectario, ad ſedandos concitatos tumultus, & ob inſigniorem aliquam perſonam. Vide Baronium num. 154.

CANON III.

De ſubintroductis mulieribus.

INTERDIXIT per omnia Magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem: niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt. Diſt. 32. Interdixit.

ANNOTATIO.

OCCASIONE eadem, qua primus, etiam tertius Canon ſancitus eſſe videtur, quo vetatur, ne quis quouis prætextu apud ſe mulierem ſubinductam retineret aliã, quàm vel matrem, vel ſororem, vel amitam, vel ſuſpicione carentem, nulla vxoris mentione facta: cuius ſanè nomen ante alias fuerat exprimendum, ſi ad rogationem Paphnutij, vt referunt Socrates & Sozomenus, de ea dubitatum eſſet. Quare verius eſt, hoc Concilio ad rogationem Paphnutij non modò non liberum cuiq; relictum eſſe, vti vxoribus poſt ſuſceptos Ordines ſacros (vt mentiuntur Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 1. c. 22.) ſed illud idem hîc, ſicut & in Concilio Arelatenſi II. c. 2. expreſsè vetitum eſſe, & abſque controuerſia ab omnibus obſeruatum fuiſſe. Cuius obſeruationis teſtis eſt S. Baſilius epiſt. 17. ad Paregor. in Addit. qui huius Canonis auctoritate niſus, non permiſit, ſeptuagenariũ ſenem ſecum habitantem habere mulierem, ſed inquit: *Eijce illam ex ædibus tuis, & trade in monaſterium. Sit illa cum virginibus, tu inter viros miniſtra. Lege,* ait, *Canonem à ſanctis Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit, ne quis mulierem ſubintroductam habeat.* Vnde Hieron. epiſt. 50. in fine: *Apoſtoli, vel virgines, vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Vide Baronium anno 325. num. 148. & trib. ſeqq. item an. Dom. 58. num. 17. & 12. ſeqq. Bellarminum lib. 1. de Clericis, cap. 20. Argumenti ſexti ſolutione.

CA-

Digitized by Google

CANON IV.

Epiſcopi qualiter debeant ordinari.

Diſt. 94. Epiſcopi ab omnibus.

EPISCOPVM conuenit maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in Prouincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipſum conuenientibus, & abſentibus quoq; pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per vnamquamque Prouinciã Metropolitano tribuatur Epiſcopo.

ANNOTATIO.

CITATVR hic Canon in Synodo SS. Patrum, qui conuenerunt ad ſanctum Oecumenicum Concilium Conſtantinopolitanum, Epiſtola ad Damaſum cum hoc additamento: *Vt ſingularum Prouinciarum Antiſtites vnà cum finitimis, modò ipſis ita viſum fuerit Epiſcopis.* Vide Theodoretum lib. 5. cap. 9. Baronium num. 155.

CANON V.

De excommunicatis Clericis, vel laicis.

11. q. 3. Seruetur iſta ſententia.

DE his qui communione priuantur, ſeu ex Clero, ſeu ex laico ordine, ab Epiſcopis per vnamquamque Prouinciam, ſententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſecluſus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, benè placuit, annis ſingulis per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis Prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones. Et ſic qui ſuo peccauerint euidenter Epiſcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, vſquequò * vel in communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur, vnum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ, vt omni diſſenſione ſublata, munus offeratur Deo puriſſimum: ſecundum verò circa tempus Autumni.

* Epiſcoporũ congregationi placeat

D. 18. Habeatur ſemel.

ANNOTATIO.

IN hoc Canone conſtituitur, vt inter Epiſcopos firma rataque perduret concordia, & vt bis in anno Concilia celebrentur. De qua re vide noſtras Annotationes in Can. 38. Apoſt. Præterea in hoc Canone præcipitur, vt excommunicati ab vno Epiſcopo vbique vitentur. Scio Scotum in 4. diſt. 19. q. 1. art. 5. dixiſſe, non eſſe vbique vitandum, propter limitatã excommunicantis iuriſdictionem. Sed alienum eſt ab vſu Eccleſiæ, & Canonum præceptis: & ideò non oportet ad aliquod extremum declinare. Fatendum eſt enim, excommunicatum eſſe vbique vitandum, non quia Iure diuino ita cautum ſit; (aliàs etiam de externa & ciuili communicatione idem dicendum eſſet; quod Conar. non concedit:) nec propter ſolam iuriſdictionem particularis Epiſcopi, ſed propter inſtitutionem talis cenſuræ, quæ auctoritate totius Eccleſiæ ita facta eſt, vt à quocumque applicata fuerit, hanc vniuerſalem vim habeat, vt in hoc Canone apertè dicitur, & in cap. Sicut Apoſtoli. cum duobus ſeqq. inſinuatur. 11. q. 3. & eſt ferè aperta declaratio Innocentij III. in cap. Ad reprimendam. de Offic. Ordin. Vide Suarez Tom. 5. diſput. 7. n. 10. & Sotum in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1.

CANON VI.

De primatu Epiſcoporum Metropolitanorum.

ANTIQVA conſuetudo ſeruetur * per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, ceteraſque Prouincias, ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc Magna Synodus definiuit, Epiſcopum eſſe non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & ſecundùm Eccleſiaſticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat ſententia plurimorum.

Diſt. 65. Mos antiquus.

* quæ eſt *Initium huius Can. in Conc. Chalced. Act. 16. lectum fuit hoc modo:* Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem Aegyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ, &c.

ANNOTATIO.

CIRCA hunc Canonem aliqua ſunt notanda. Primò, ex Nicolao I. in epiſt. ad Michaëlem, Concilium Nicænum nihil ſtatuiſſe

Digitized by Google

tuiſſe circa Romanam Eccleſiam, quoniam poteſtas eius non ab hominibus, ſed à Deo eſt: ſed tantùm ex forma Romanæ Eccleſiæ conſtituiſſe ſtatum aliarum Eccleſiarum. Non enim dicit Concilium, *Habeat Romanus Epiſcopus huius vel illius regionis adminiſtrationem*; ſed ait: *Habeat Epiſcopus Alexandrinus curam Aegypti & Libyæ, quoniam Romanus Epiſcopus ita cenſuit.* vbi aperte Romana Eccleſia fit regula aliarum, & nihil circa eam propriè ſtatuitur. Itaque errant Caluinus, Illyricus, Nilus, & ceteri, qui dicunt, à Concilio Niceno certos fines aſſignatos Romano Pontifici, vt nimirum ſolùm curam gerat ſuburbanarum Eccleſiarum. Secundò eſt obſeruandum, in libris vulgatis deeſſe initium huius Canonis, quod tale eſt: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum: antiqua autem conſuetudo ſeruetur*, &c. vel vt alij legunt: *Mos autem perduret*, &c. Sic enim iſte Canon citatur in Concilio Chalcedonenſi Act. 16. à Paſchaſio Epiſcopo. Sic etiam vertit ex Græco ante annos circiter mille Dionyſius quidam Abbas, vt Alanus Copus annotauit in primo Dialogo. Quocircà in eodem Concilio Chalcedonenſi Act. 16. poſt lectum hunc Canonem ſextum Nicæni Concilij Iudices dixerunt: *Perpendimus, omnem primatum & honorem præcipuum, ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* Tertiò obſeruandum eſt, illa verba: *Quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*, quatuor modis exponi ſolere. Primò exponit Ruffinus libro 10. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6. decretum eſſe à Concilio, vt Alexandrinus Epiſcopus habeat curam Ægypti, ſicut habet Epiſcopus Romanus curam ſuburbanarum Eccleſiarum. At falſa opinio eſt: nam ſi Epiſcopus Romanus eſt primus & præcipuus Patriarcha, quomodo credibile eſt illi aſſignatam anguſtiſſimam regionem, aliis autem Patriarchis minoribus latiſſimam? Nam Antiochenus habuit totum Orientem; Alexandrinus tres ampliſſimas Prouincias, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim; Romanus autem habuiſſet tantùm ſuburbanas Eccleſias, id eſt ſex Epiſcopatus Romæ viciniſſimos. Deinde, illa particula *quoniam*, rationalis particula eſt. non eſt autem bona ratio, vt Epiſcopus Alexandrinus trium Prouinciarum curam gerat, quia Romanus Epiſcopus curam gerit ſuburbanarum Eccleſiarum. Igitur aut ratio Concilij nihil valet, aut non rectè Concilij ſententiam Ruffinus expoſuit. Denique, Concilium Nicænum, nec vt citatur in Concilio VI. Carthaginenſi, nec vt legitur in Concilio Chalcedonenſi Act. 6. nec vt habetur in proprio loco in Tomis Conciliorum, nec vt eſt apud Abbatem Dionyſium, meminit ſuburbanarum Eccleſiarum, ſed tantùm ait: *Habeat Alexandrinus Epiſcopus poteſtatem in tota Aegypto, Libya, & Pentapoli, quoniã & Epiſcopo Romano talis cõſuetudo eſt.* Itaq; mera diuinatio fuit illa Ruffini, quem ſequitur Caluinus, de ſuburbanis Eccleſiis.

Secunda expoſitio eſt Theodori Balſamonis in Explicatione horum Canonum, & Nili in ſuo libro contra Primatum, Concilium decreuiſſe, vt Epiſcopus Alexandrinus habeat curam totius Ægypti, ſicut Romanus Epiſcopus habet curam totius Occidentis. Hæc quidem ſententia liberalior eſt, ſed tamen falſa. nam Concilium, cùm ait, *Quoniam talis eſt Epiſcopo Romano conſuetudo*, reddit cauſam, vt diximus, cur debeat permanere antiquus mos in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, vt eorum locorum habeat curam Alexandrinus Epiſcopus. Non eſt tamen cauſa huius rei, quia Romanus Epiſcopus habeat curam Occidentis. Quomodo enim ſequitur, Epiſcopus Romanus habet curam Occidentis, igitur Alexandrinus debet curam gerere Ægypti, Libyæ, & Pentapolis? Cur non totius Africæ potiùs? aut cur non Ægypti tantùm? aut cur Alexandrinus, & non Carthaginenſis, aut aliquis alius iſtam curam habebit? Adde, quòd Concilium non meminit Occidentis, neque Orientis, ſed tantùm ait: *Quoniam talis Epiſcopo Romano eſt conſuetudo.*

Tertia expoſitio eſt Auctoris Summæ Conciliorum, qui ex quodam vetuſto codice putat reſtituendum; *Quoniam Metropolitano talis conſuetudo eſt*, pro eo quod habemus, *Quoniam Epiſcopo Romano talis conſuetudo eſt.* Atqui hæc nec eſt ſolida expoſitio. Exemplaria enim Nicæni Concilij nuſquam extabant pleniora & emendatiora, quàm in ſcriniis Romanorum antiquorum Pontificum, vt infrà oſtendemus, cùm agemus de Appellationibus: nam quæ in Græcia erant, concremata fuerunt ab Arianis, teſte Athanaſio in epiſtola ad omnes Orthodoxos, & ideò non mirum, ſi quæ citantur à Græcis & à Ruffino, mutila & corrupta ſunt. Porrò ex Romanę Eccleſię ſcriniis tulit hunc Canonem Paſchaſinus B. Leonis Legatus ad Conciliũ Chalcedonenſe, & in eo legimus, *Quoniã talis Epiſcopo Romano conſuetudo eſt.* Adde, quòd non eſt bona ratio, cur debeat Alexandrinus Epiſcopus tantam ditionem habere, quia ita conſueuerunt Metropolitani: nam Metropolitani non regunt niſi vnam Prouinciã; Alexandrino autem multæ Prouinciæ & multi Metropolitani ſubiiciuntur.

Andreas

Andreas Duuallius lib. de Suprema Pontif. poteſtate, quæſt. 7. annotat pro germano ſenſu huius Canonis, Romanum Pontificem præter ſummum totius orbis Pontificatum, cuius beneficio in quoslibet Patriarchas ius habet, tribus aliis dignitatibus inſtructum eſſe & decoratum. Prima, quòd ſit Epiſcopus vrbis Romæ: ſecunda, quòd Archiepiſcopus: & tertia, quòd Patriarcha. Quatenus Epiſcopus, poteſtas eius diſtrictu Romano coërcetur: vt Archiepiſcopus, latiùs ſe extendit; ſic enim vicini Epiſcopi ei ſpecialiùs quàm reliqui totius orbis ſubijciuntur: quatenus verò Patriarcha, quaſdam Prouincias, vt & reliqui Patriarchæ, ſub ſuo regimine habet, multò tamen ampliores quàm alij. In his tribus parilis illi mos eſt, iuxta antiquos Canones, cum Alexandrino & ceteris Patriarchis, prout nempe ſuis Prouinciis vt Patriarcha præeſt, & præeſſet ad modum ceterorum Patriarcharum, etiamſi ad apicem Apoſtolatus non eſſet euectus: & hoc tantùm Canon ille ſextus voluit, non autem, quòd in ſummo Pontificatu, quem à Chriſto Iure diuino accepit, æqualis ſit ceteris Patriarchis.

Verùm hæc explicatio nullo pacto recipienda eſt: nam in praxi numquam reperitur, Papam feciſſe aliquid tamquam Patriarcha, vel tamquam Archiepiſcopus, vel tamquam vrbis Romæ Epiſcopus; ſed ſemper vt Summus Pontifex; ergo hæ tres aliæ dignitates in illo fingi non debent: quia licet eminenter in eo ſit dignitas Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, atque Patriarchalis; non tamen formaliter: ſicut anima rationalis eminenter eſt vegetatiua, & ſenſitiua, ſed non formaliter. Hæc ergo explicatio potiùs eſt figmentum, & eius ſummæ poteſtatis detractio, quàm explicatio Canonis. Et prætereà hæreticorum eſt dogma, Papam eſſe ſolùm Epiſcopum Romæ, & non alibi: ergo cauenda eſt talis explicatio, tamquam hæreticis fauens.

Dices, quòd ſæpè Papa dicitur & vocatur Epiſcopus, etiam proprio ore. Annuo: ſed eſt Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ, & totius orbis, non autem ciuitatis & diœceſis Romanæ ſolùm. Denominatur benè aliquando ſic, quia denominatio fit à digniori & potiori parte: vnde ipſe & eſt Epiſcopus Romanæ diœceſis, & etiam Epiſcopos Epiſcoporum, ſicut Patriarcha Patriarcharum.

4 Vera igitur explicatio eſt, Alexandrinum debere gubernare illas Prouincias, quia Romanus Epiſcopus ita conſueuit, id eſt, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum diffinitionem conſueuit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis: ſiue conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas Prouincias gubernare. Sic intellexit hunc Canonem Nicolaus I. in epiſt. ad Michaëlem, nec apparet vlla alia probabilis expoſitio.

CANON VII.

De honore Epiſcopi Ieroſolymitani.

QVIA conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Æliæ Epiſcopus honoretur; habeat honoris conſequentiã, ſalua Metropoli propria dignitate.

ANNOTATIO.

IEROSOLYMITANA Eccleſia per annos quingentos ferè vſque ad Iuuenalem eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, Patriarchalis nomine, non re; honore, non poteſtate habita eſt; ſic vt Epiſcopus illius Eccleſiæ quarto quidem loco in Conciliis ſederit, verùm nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo inſtar aliorum Patriarcharum præfuerit. Ipſum autem Cæſareenſi Archiepiſcopo Palęſtinæ Metropolitano, & Antiocheno Patriarchæ, qui toti Orienti præſidebat, ſubiectum fuiſſe, teſtantur Hieronymus in ep. ad Pammachium, Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 24. Nihil ergo Magna Synodus Ieroſolymorum Eccleſiæ contulit, niſi vt honor, qui ex antiquo vſu ei deferri ſolebat, Iuribus & ſubiectione Metropolitani ſaluis, eidem deferatur. Idque propterea, quòd Ieroſolymitana Eccleſia mater omnium aliarum Eccleſiarum (ſic enim nominatur in epiſt. Synodali Concilij Conſtantinopolitani Oecumenici ad Damaſum, quæ extat apud Theodoretum lib. 5. cap. 9.) appellata fuerit, adeoque non immeritò ipſius ciuitatis Epiſcopus eum honorem, vt inter Apoſtolicarum Eccleſiarum Antiſtites ſederet, & in literis quoque ita nominaretur, antiquitus conſecutus fuiſſe videatur. Baronius anno præd. num. 139. Errat igitur Theodorus Balſamon non tantùm hac in re, quòd à Patribus huius Concilij Ieroſolymitanum Patriarcham Romano, Alexandrino, & Antiocheno ſuperadditum eſſe putet: verùm & in eo, quòd Cõſtantinopolitanus Patriarchatus eodem Concilio ſit inſtitutus. Quòd Conſtantinopolitanus in Conſtantinopolitano I. & Chalcedonenſi Concilio non ſolùm Patriarchatum adipiſci, ſed etiam ſecundum locum inter Patriarchales ſedes obtinere conatus fuerit, verum eſt: ante Iuſtiniani autem tempora eumdem id à Romanis

manis Pontificibus impetraſſe, nullo authentico ſcripto probari poterit. Poſt annum Domini 500. Iuſtiniani Imperatoris operâ, & Rom. Pontificum permiſſione, nullo ampliùs reclamante, Conſtantinopolitanum & Ieroſolymitanum Epiſcopum in numerum Patriarcharum relatos fuiſſe concedo. Vide Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 24.

CANON VIII.

De hæreticis reuertentibus.

DE his qui ſe nominant Catharos, id eſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & Magno Concilio, vt impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos ſcriptis conuenit profiteri; quòd Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant, & ſequantur; id eſt, & bigamis ſe communicare, & his qui in perſecutione prolapſi ſunt; erga quos & ſpatia conſtituta ſunt, & tempora definita, ita vt Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ placita ſequantur in omnibus. Vbicumque verò, ſiue in vicis, ſiue in ciuitatibus ipſi ſoli reperti fuerint ordinati, qui inueniuntur in Clero, in eodem * habitu perſeuerent. Vbi autem Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo vel Presbytero conſtituto, quidam ex illis adueniunt; certum eſt, quòd Epiſcopus Eccleſiæ habebit Epiſcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Epiſcopus, honorem * Presbyterij poſſidebit: niſi fortè placuerit Epiſcopo, nominis eum honore cenſeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, prouidebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterij locum; vt in Clero prorſus eſſe videatur: ne in vna ciuitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.

*ordine

*Presbyteri

ANNOTATIO.

A PATRIBVS Nicęni Concilij edita Synodali conſtitutione prohibitum fuiſſe, vt plures quàm vnus Epiſcopus ſit in vna ciuitate, ex Innocentij Romani Pontificis epiſtola, quæ extat apud Sozomenum lib. 8. cap. 26. apertè conſtat: qua in cauſa S. Chryſoſtomus aduerſus eos qui in locum viuentis alium Epiſcopum creaſſent, Nicænum Canonem id prohibentem citat. Auguſtinus etiam ep. 110. & alibi, ſe per ignorantiam excuſat, quòd Valerio prędeceſſore ſuo adhuc viuente, contra Nicæni Concilij Canonem, prohibentem ne duo ſint in vna ciuitate Epiſcopi, ordinatus fuerat. Verba illius hæc ſunt: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam.* Quod autem ſubiungit ibidem, B. Valerium eamdem prohibitionem ignoraſſe, his, quæ in Vita S. Auguſtini cap. 8. refert Poſſidius, planè repugnat. Ille enim ſcribit, Valerium corpore & ętate infirmum, ne ſuæ Eccleſiæ Sacerdos, Epiſcopali munere & officio, propter admirabilem doctrinam ac pietatem, digniſſimus, ab aliis ciuitatibus Epiſcopo carentibus eriperetur, ſecretis literis apud Primatem Epiſcopum ſedis Carthaginenſis egiſſe, imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque grauitatem allegaſſe, & obſecraſſe, *vt Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur. Epiſcopus, qui ſuæ cathedræ non iam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus.* Atque ita reſcripto impetraſſe, quod venerabilis ſenex exoptauit. Sunt qui præter ea quæ hîc ponuntur, hac de re ſingularem conſtitutionem, iniuria temporis & Arianorum cum multis aliis deperditam, editam fuiſſe, non citra probabilitatem coniiciunt. Vide Baronium Tom. 3. anno 395. nu. 31. & 32.

CANON IX.

De Presbyteris ſine examine conſtitutis.

SI QVI Presbyteri ſine examine ſunt prouecti, vel cùm diſcuterentur, peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contra Canones commoti, manus confeſſis imponere tentauerunt; tales regula non admittit: quia quod irreprehenſibile eſt, Catholica defendit Eccleſia. D. 81. Si quis ſine.

CANON X.

De lapſis Clericis ordinatis.

QVICVMQVE de lapſis ad ordinem Cleri promoti ſunt per ignorantiam, vel per ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præiudicat regulæ. Cogniti namque deponuntur. D. 81. Quicumq; ex his.

ANNOTATIO.

HOc & ſequenti Canone ſtatuitur, vt pro animi ardore, quo quis ſuſceperit iniunctam pœnitentiam peragere, Epiſcopus

Digitized by Google

puſilli indulgentiam præſtare poſſit, ne præſtitutum integrum tempus perſoluere teneatur. Qui hanc ob ſuorum facinorum magnitudinem ſe conſequi poſſe diffidebant, commendatitiis Sanctorum, qui fidei cauſa in carcere detenti eſſent, literis eam promereri ſtudebant. Tertull. ad Martyr. cap. 1. ſcribens, indulgentiam pacem nominans, ſic ait: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt.* Sanctus Cyprianus multis in locis teſtatur, quòd Martyres in gratiam lapſorum libellis ſupplicibus ad Epiſcopos tranſmiſſis, frequenter pro humilibus & ſincerè pœnitentibus indulgentiam obtinuerint, quandoque etiamſi pro talibus intercederent, quibus vigor ſacerdotalis ignoſcendum non eſſe iudicabat, nihil impetraſſe. Baronius ann. 58. num. 39.

CANON XI.

De his qui ſponte lapſi ſunt, qualiter debeant pœnitere.

De his qui præter neceſſitatem præuaricati ſunt, aut præter ablationem facultatum, aut prçter periculum, vel aliquid huiuſmodi (quod factum eſt ſub tyrannide Licinij) placuit Synodo, quamuis humanitate probentur indigni, tamen eis beneuolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur; & [a] ſex annis omni ſe contritione deijciant: duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent.

[a] ſeptem

ANNOTATIO.

In hoc Canone, vbi dicitur *inter audientes*, &c. catechumenos intellige, qui ad prædicationem Euangelij audiendam admiſſi, dum Miſſa fidelium & publicæ Orationes incipiebantur, ab Eccleſia expellebantur. Baronius anno 314. num. 87. Vide ſuprà in Concilio Ancyrano can. 4.

CANON XII.

De deponentibus militiæ cingulum, & non perſeuerantibus.

Qvicvmqve vocati per gratiam, primùm quidem [a] impetum monſtrauerunt, deponentes militiæ cingulum; poſtmodum verò ad proprium vomitum ſunt relapſi, ita vt quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent; hi decem annis, poſt triennij tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ conuenit explorare. Quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis conuerſionem ſuam non ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: poſtmodum verò licebit Epiſcopo de his aliquid humanius [a] cogitare. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & aditum [b] introëundi Eccleſiam ſibi arbitrati ſunt ad conuerſionem poſſe ſufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

[a] voluntatem

[a] cõſulere. [b] habitum non introëundi: *ſiue habitum* introëundi.

ANNOTATIO.

Nota, quòd non omnis militia hîc prohibetur, vt calumniantur hæretici; ſed ea dumtaxat, quæ eſt ſignum idololatriæ. Olim enim cingulum militiæ fuit res magni honoris & commodi, propter magna priuilegia militibus conceſſa: & propterea antiqui Imperatores Ethnici, perſecutionis tempore cingulum militiæ iis qui Chriſtiani erant, fidemq; negare recuſabant, vt patet apud Euſebium lib. 8. cap. 4. lib. 9. cap. 10. auferre, & exauctorare conſueuerunt. Quâ ob cauſam cùm plures Chriſtianorum militum ardore fidei cingulũ abiicerent, ſine honore potiùs quã fide viuere malentes; ac demum poſteaquam mundi & honoris tentationibus deuicti eſſent, idem cingulũ parati deinceps fidem eiurare viciſſim ambirent: Concilium iiſdem ſeueram hanc pœnitentiam impoſuit. Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 8.

CANON XIII.

De extremè laborantibus.

De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſeruabitur; ita vt ſi quis egreditur de corpore, vltimo & neceſſario Viatico minimè priuetur. Quòd ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterùm conualuerit; ſit inter eos qui communionem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi [a] communionis gratiam tribui, Epiſcopus [b] probabiliter ex oblatione dare debebit.

[a] Eucharistiæ [b] poſtquam probauerit, dare.

T Anno-

Digitized by Google

ANNOTATIO.

IN hoc Canone conſtituitur, ne pœnitentibus in extremo vitæ periculo conſtitutis, communio, quæ Viaticum appellari ſolet, denegetur. Huic Canoni primum Elibertini Concilij non obſtare, prolixè oſtendimus ſuprà in Annot. ad eumdem primum Canonem Concilij Elibertini.

CANON XIV.

De catechumenis ad idem.

* & DE catechumenis * lapſis, ſancto & Magno Concilio placuit, vt tribus annis ſint inter audientes tantùmmodò: poſt hęc autē cum catechumenis orent.

CANON XV.

Epiſcopus non transferatur de ciuitate in ciuitatem.

7. q. 1. Non oportet Epiſcopū. PROPTER multam perturbationē, & ſeditiones quę fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videtur admiſſa, ita vt de ciuitate ad ciuitatem non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus *transferatur. Si quis autem poſt definitionem ſancti & Magni Concilij tale quid agere tentauerit, & ſe huiuſcemodi negotio mancipauerit; hoc factum prorſus irritum ducatur, & reſtituatur Eccleſiæ, cuius fuit Epiſcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.

* transeat.

CANON XVI.

Eccleſiaſtici à propria Eccleſia diſcedentes, non recipiantur.

7. q. 1. Si qui verò. QVICVMQVE temerè aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam regulam, diſcedunt ab Eccleſia Presbyteri, aut Diaconi, vel quicumq; ſub regula prorſus exiſtunt; hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi; ſed omnem neceſſitatem conuenit illis imponi, vt ad ſuas Parœcias reuertantur. Quòd ſi non fecerint, oportet eos communione priuari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter inuadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentauerit, non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſſit is qui regulæ mancipatur; ordinatio huiuſmodi irrita cōprobetur.

Diſt. 71. Si quis autem fuerit.

CANON XVII.

Eccleſiaſtici vſuras non ſectentur.

QVONIAM multi ſub regula conſtituti, auaritiam & turpia lucra ſectantur, oblitique diuinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram:* mutuum dantes, centeſimas exigūt; iuſtè cenſuit ſancta & Magna Synodus, vt ſi quis inuentus fuerit poſt hāc definitionē vſuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotiū tranſigens, aut hemiolia, id eſt ſexcupla exigēs, vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratia; deiiciatur à Clero, & alienus exiſtat à regula. 14. q. 4. Quoniam multi Clerici. Pſal. 14.

CANON XVIII.

Ne Diaconi ſacram communionē porrigant.

PERVENIT ad ſanctum Magnumque Concilium, quòd in quibuſdam locis & ciuitatibus, Presbyteris gratiam ſacræ communionis Diaconi porrigāt; quod nec regula nec conſuetudo tradidit, vt ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti Corpus accipiāt. Necnon & illud innotuit, quòd quidā Diaconi ante Epiſcopos ſacra * oblata contingant. Hæc igitur omnia reſecentur; & in ſua Diaconi menſura permaneāt, ſcientes, quòd Epiſcoporū quidem miniſtri ſunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergo poſt Presbyteros gratiā ſacræ cōmunionis accipiant, aut Epiſcopo eis aut Presbytero porrigente. Sed nec ſedere in medio Presbyterorū Diaconis liceat: quia ſi hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur exiſtere. Si quis autem etiam poſt has definitiones obedire noluerit, à miniſterio ceſſare debebit. Diſt. 93. Peruenit. * Euchariſtiam

ANNOTATIO.

APVD Ruffinum lib. 10. Hiſt. c. 16. quædam pars Canonis, quæ hic nuſquam extat, reperitur, qua iubetur, vt in abſentia Presbyterorum Diaconi Euchariſtiam porrigant. Cùm itaque Canones, quos Ruffinus deſcripſit, ſint veri & authentici Canones Nicæni Concilij, vt teſtatur S. Cyrillus in epiſt. ad Concilium Carthaginenſe, quæ extat in fine Act. Concilij Africani; meritò hæc particula Canonis, quam Kemnitius ideò in dubium reuocare contendit, contra eumdem

Digitized by

dem annotanda eſt, & obſeruanda. Et præcipuè etiam propterea, vt huius Canonis & præcedentis auctoritate & ratione diſcat & agnoſcat, olim in Eccleſia Euchariſtiam extra Sacrificium in vſum infirmorum præſeruari ſolitam fuiſſe. Vide Bellarminum lib. 4. de Euch. cap. 4.

CANON XIX.

Paulianiſtæ ad Eccleſiam reuertentes, baptizentur.

1. q. 1. Si quis confugerit. DE Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt, vt baptizentur omnimodis. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in Clero, ſi quidem immaculati & irreprehenſibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ. Quòd ſi diſcuſſio incongruos eos inuenerit, abiici tales conuenit. Similiter autem & de Diaconiſſis, & omnino de his qui ſub regula verſantur, hæc forma ſeruabitur. Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodē habitu eſſe probantur, quòd non habeant manus impoſitionem, & ideò modis omnibus eas inter laicas deputari.

ANNOTATIO.

PAVLIANISTÆ, reliquiæ & ſectarij Pauli Samoſateni, de quo ſuprà in Conciliis duobus Antiochenis pluribus egimus, hi, ſi ad Eccleſiam redire contendant, rebaptizari iubentur, non vt iterato Baptiſmate abluantur; ſed quòd horum miniſterio Baptiſma ipſis collatum initio nullum fuerit, ideò quia forma eadem, qua vtitur Eccleſia, per expreſſam ſcilicet SS. Trinitatis inuocationem, non fuerit adminiſtratum. Nam in fide SS. Trinitatis, quod neceſſariò fieri debet, haud dubiè non baptizarunt, qui Chriſtum purum hominem eſſe docentes, glorioſiſſimæ Trinitatis myſteria abnegarunt. Id quod de Nouatianis tempore Stephani Pontificis contra Africanos conſtitutum fuit, huic Canoni nihil obſtat. Hi enim forma legitima baptizati antè fuerant, ideoque ipſos per iteratum Baptiſmum in Eccleſiæ communionem recipere, ſacrilegum fuiſſet, iuxta ea quæ de hac re ſuprà ſcripſimus in Annotatione ad Canonem Apoſtolorum 46. & in Concilio Africano III. & Can. 8. Concilij Laodiceni.

CANON XX.

De non flectendo genua in die Dominico.

QVONIAM ſunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes, vt omnia in vniuerſis locis conſonanter obſeruentur, placuit ſancto Concilio, ſtantes Domino vota perſoluere.

ANNOTATIO I.

DIE Dominico Quartadecimani, Reſurrectionis Dominicæ immemores, genua flectebant, non aliter quàm reliquis diebus profeſtis. Itaque horum occaſione ad decretum de celebrando Paſchate, hæc Appendix addita fuit, vt ſanctum diem Dominicum omnes æquis ritibus peragerent, memoreſque ſe cum Chriſto reſurgente à morte animæ, reſurrexiſſe in ſpem vitæ æternæ, omnes fideles die Dominico ſtantes vota perſoluerent. Baronius an. 58. num. eodem; & anno 325. num. 115.

Extat & alia Editio præfatorum Canonum, Iſidori ſcilicet Mercatoris, quam ſecutus eſt Pater Carranza in ſua Summa Conciliorum: nos Editionem Dionyſij Exigui poſuimus.

ANNOTATIO II.

EXPLETO Concilio, omnes ſubſcripſerūt, vt videre eſt in primo Tomo Conciliorum. Atque vt probaretur, fidem in hoc Concilio atteſtatam eſſe veram & integram, lubet ex Nicephoro lib. 8. Hiſt. cap. 23. miraculum in illius confirmationem à Deo optimo Maximo editum referre. *Ceterùm*, inquit, *quod in ſubſcriptione ſancti Symboli inſigne accidit miraculum, id non intempeſtiuum fuerit commemorare. Priuſquam Acta Synodi perficerentur, euenit, vt duo Epiſcopi è vita antè diſceſſerint, quàm profeſſionis fidei ſcripto annotationem ſubſcriptionemq́ ſuam appoſuiſſent. At reliqua Patrum turba ad communem ſepulturæ ac dormitionis locum venere, & ad monumentum illorum aſſiſtentes, ſcriptumq́ in manibus habentes, tamquam ad viuentes & audientes, Bonum certamen, dixerunt, diui Patres, nobiſcum decertaſtis, curſum peregiſtis, fidem ſeruaſtis. Si igitur obtinere debere id cenſetis, quod à nobis eſt actum: quoniam nunc nullo poſito obſtaculo, Trinitatis ſplendore illuſtrati, clariùs id perſpicitis, peropus eſt, vos nobiſcum libello ſubſcribere. Hæc illi dixere, & libellum obſignatum ad tumulum depoſuere, noctemq́ totam inſomnem egere. Poſtridie ad eum locum rediere, ſigna inuiolata inuenere, & libello explicato ſcriptiones illorum reliquis inſertas*

Digitized by Google

ſertas cognouere recentes adhuc in hac verba conceptas: Chryſanthus, & Maſonius, qui cum Patribus omnibus in ſancta prima Oecumenica Nicæna Synodo conſenſimus, quamuis corpore tranſlati, manu tamen propria nos quoque libello ſubſcripſimus. Cùm verò conſtet, non aliam præter dogmaticam fidem ab Apoſtolis acceptam, à Nicæna Synodo agnitam ac definitam fuiſſe, inde etiam exploratum eſt, eo miraculo non aliam, quàm dogmaticam fidem à Deo confirmatam extitiſſe.

ANNOTATIO III.

Hoc etiam eſt animaduertendum, quòd ſicut olim cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, inter eos ſatan etiam adfuit; ita in hoc eodem ſanctiſſimo Patrum conſeſſu aſtitit idem diabolus in membris ſuis hiſce, Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, Euſebio Cæſarienſi, Paulino Tyri, Theognide Nicæno, aliiſq; pluribus, quos recenſet Baronius, hæreticis; qui licet magna ex parte huic Concilio ſubſcripſiſſe legantur, tamen cùm id in gratiam Imperatoris, non tam veritatis, quàm gloriæ & dignitatis ſuæ amore fecerint, ideò abſoluta hac Synodo ſtatim præuaricati ſunt, & Arium ſecuti. Vide Baronium num. 40. & 41.

De fine CONCILII NICAENI.

ABSOLVTA Synodo, Patres Concilij per literas ad Silueſtrum Romanum Pontificem ſcriptas, conſtitutionum ſuarum, iuxta Canonem Apoſtolicum, quo, ne Decreta aliqua abſque ſententia Epiſcopi Romani in Eccleſia ſanciantur & promulgentur prohibitum eſt, vt refert Socrates lib. 2. cap. 13. confirmationem petunt & impetrant. Euſebius deinde Oratione quadam habita, Conſtantinum Imperatorem laudat; Imperator verò Epiſcopos omnes, ob inſignem victoriam contra hoſtes Eccleſiæ obtentam, munificentiſſimè excepit, eoſque ampliſſimis muneribus donauit. Clericis, virginibus, & viduis per multas prouincias certum frumenti numerum ſuppeditari mandauit: dexteros oculos Epiſcoporum in perſecutione effoſſos, piè exoſculatus eſt, certò ſibi perſuadens, ſe ſanctorum ſtigmatum exoſculatione ſacratiſſimã benedictionem conſecuturum. Tandem, quos ſummis fauoribus & ſtudiis proſecutus fuerat, admonitione pietatis & amoris pleniſſima, ad pacem & concordiã tranquillè conſeruandam, præuia, ſingulos à ſe dimiſit. Vide Baronium anno Domini 325. n. 171. & ſeqq.

CONCIL. ROMANVM III.

ſub SILVESTRO *(præſente* CONSTANTINO *Auguſto) in vrbe Roma celebratum, intra Thermas Domitianas, cum 275. Epiſcopis, qui in ipſa Synodo conuenerant, vocati à* B. SILVESTRO.

CVM Patres Concilij Nicæni conſtitutiones ſacroſanctæ Synodi ad Silueſtrum Pontificem Romæ agentem tranſmiſiſſent, eaſque Pontificia auctoritate confirmari per epiſtolam quamdam Synodicam, quæ in Actis Piſani lib. 4. reperitur, humiliter petiuiſſent: iuſtæ poſtulationi eorum Silueſter Pontifex non grauatè detulit, ſubitoq; indicta Synodo, ex Italia aliiſque vicinis Prouinciis ducentos ſeptuaginta quinque Epiſcopos conuocat, atque poſt confirmatum Nicenum Concilium, nonnulla mores fidelium concernentia decreuit, ex quibus aliqua fragmenta ſequentia ſuperſunt. Vide Baronium anno 325. ANNO DOMINI CCCXXV.

SILVESTER Epiſcopus ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis vrbis Romæ, dixit: Quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, à ſanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti & Magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub pręſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini Auguſti: anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet. *Confirmatio Nicænæ Synodi.*

ANNOTATIO.

NICÆNVM Concilium ab Apoſtolica fide confirmatum & approbatum fuiſſe, teſtatur Felix Papa Tertius, epiſtola 4. his verbis: *Domino ad B. Petrum Apoſtolum dicente:*

Digitized by Google

dicente: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: eam vocem ſequentes treceti decem & octo Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detulerunt. Silueſtri epiſtola ad Synodum reſcripta, idem firmiſſimè atteſtaretur, ſi non ob Conſulatum Conſtantij quartum, & Conſtantini octauum perperàm in ea poſitum, mendoſiſſima, & fere commentitia reputaretur. Imò ſi neutra epiſtola extaret, vel vtraque omnino vt ſpuria reiiceretur, ipſa tamen antiqua iura Eccleſiæ, vetuſtiſſima obſeruatio, traditio, & conſtitutio Apoſtolica (de qua Socrates lib. 2. cap. 13. hæc: *Canon Eccleſiaſticus vetat, ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ ſanciantur.*) ſatis manifeſtè indicarent, ſacroſanctæ Nicænæ Synodi decreta ab Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ firmitatem & robur accepiſſe. Baronius num. 171. & 172.

Nota etiam, quòd illa verba, *ſub præſentia piiſſimi Imperatoris*, ſic cõtinuanda ſunt, vt indicent, Nicænam Synodum in præſentia Conſtantini Imperatoris congregatam fuiſſe, cùm paulò poſt Romæ Acta ſimul & Conſtitutiones Nicæni Concilij per Synodum, auctore Silueſtro congregatam, confirmarentur, cumq; ipſe Imperator adhuc in Oriente moraretur. Et idem videtur animaduertendum circa titulum huius Concilij, in quo dicitur, *Præſente Conſtantino.* Nam is qui titulum hunc Concilio præfixit, in eo, quòd illud Romæ in præſentia Conſtantini Imperatoris celebratum fuiſſe apertè profitetur, plurimum à veritate aberrauit. Nam dum ſinguli Epiſcopi clariſſimis cõgiariis ac donatiuis ab Imperatore remunerati, Nicæà diſceſſiſſent, Imperatorem iſthinc Byzantium profectum, aliquamdiu in Oriente permanſiſſe, ex Nicephoro aliiſq; aſſerit Baronius num. 196. an. 325. vbi ſic ait: Hęc verba Canonis primi, *Sub præſentia piiſſimi ac venerandi Principis Conſtantini Auguſti*, cauſam errandi præbuerunt. Retulit enim illa imprudens ad verbum *anathematizamus*, quæ ad antecedens verbum *congregatum* veriſſimè referenda eſſe, ex prædictis liquidò conſtat. Tollenda eſt igitur ea interpunctio, quæ allegata verba à ſe inuicem diſiungit. Baronius num. 199. anno 325.

De PASCHAE *ſolemnitate.*

OMNIBVS Epiſcopis & Presbyteris præceptum eſt, Paſchæ obſeruantiam cuſtodire à Luna 14. vſq; ad 21. ita vt Dominicus dies coruſcet. Et dixerũt Epiſcopi: Placet. Rurſus Silueſter Epiſcopus dixit: Robuſtius duximus conſilium, (ſi placet) vt omnis Epiſcopus qui conuenit ad Concilium, fidẽ ſuam chirographo confirmet, vt deinceps rediens ad Parochiam ſuam, compaginem noſtræ ſalutationis plebi ſuæ innoteſcat, vt fide Concilij declarata, intemeratus ordo ſeruetur. Et dixerunt Epiſcopi: Placet.

ANNOTATIO.

DIEM Paſchæ celebrandum eſſe in die Dominico poſt vernale Æquinoctium, non ſolùm determinat hîc Silueſter Papa, verùm & ſequentia. Arelatenſe Concilium I. ſub Silueſtro can. 1. Antiochenum I. ſub Iulio I. can. 1. Innocentius I. epiſt. 11. ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum; Anglicanum Concilium I. can. 1. Carthaginenſe III. can. 1. Carthaginenſe IV. can. 7. & allegat Gratianus cap. Placuit. de Conſecrat. diſt. 3. Carthaginenſe IV. can. 65. & allegat Gratianus ibid. cap. Paſchæ ſolemnitas; Hipponenſe can. 1. Africanum ſub Bonifacio I. can. 18. & 40. Vnde Concilium Epheſinum I. Generale in decreto, quod allegat Concilium Chalcedonenſe Generale Act. 1. ad calcem exemplaris falſati Symboli, ſic loquitur: *Omnis, qui non celebrat ſanctum diem. Paſcha ſecundùm ſancta Eccleſia Catholica ſtatuta, anathema ſit.* Idem Concilium Chalcedonenſe ibidem confirmat & renouat, & ſæpiùs repetit. Hoc autem factum eſt propter Quartadecimanos, qui Trinitatem non venerabantur vt Catholica Eccleſia, & diem Paſchæ more Iudaico celebrabant. Vnde extat Canon Apoſtolorum 8. qui ſic habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſanctum Paſcha diem ante vernale Aequinoctium cum Iudæis celebrauerit, abiiciatur.* Concilium Aurelianenſe IV. ſub Pelagio I. can. 2. Bracarenſe II. can. 9. & allegat Gratianus cap. Placuit. d. 3. Victor I. ep. 1. ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, & reliquos, & allegat Gratianus cap. Celebritatem. diſt. 3. Denique extat Concilij Nicæni I. hæc confirmans epiſtola ad Alexandrinos, vt auctor eſt Nicephorus libro 8. c. 25. Vide etiam eumdem Nicephorum lib. 4. cap. 36. & 37. & Euſebium Cæſarienſem lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 13.

Nulli Clerico licere cauſam in publico examinare.

SILVESTER Epiſcopus, dixit, Nulli omnino Clerico licere cauſam quam-

quamlibet in publico examinare, nec vllum Clericum ante iudicem laicum ſtare. Et dixerunt Epiſcopi: Placet.

De præficiendis in Ordinibus, & proficiendis.

Vide ſup. in Conc. Rom. ſub Melch. Annot. ſub anno 313.

SI QVIS Clericatum promereri deſiderat, hoc iuſtum eſt, vt ſit Oſtiarius annum vnum, Lector annos 20. Exorciſta annos 10. Acolythus annos 5. Subdiaconus annos 5. Diaconus annos 5. Et ſi ad honorem Presbyterij accedat, & faciens in eo Ordine annos ſex, ſi fuerit omnium votiua gratia, non præmio, non inuaſione cupiditatis, nulli prorumpens* gradum, ſic ab omni Eccleſia eligatur conſecrandus Epiſcopus, nullo de membris Eccleſię* intercidente, & omni Eccleſia conueniente. Et dixerunt Epiſcopi: Placet.

*præripiẽs

*intercedente,

Vt nulli Epiſcopo liceat ſine cuncta Eccleſia, à nouiſſimo gradu vſque ad primum ordinare neophytum. Et dixerunt Epiſcopi: Placet.

Silueſter Epiſcopus dixit: A nobis incipientes moderamine lenitatis indicare, commonemus, vt nulli Epiſcopo liceat quemlibet gradum Clerici ordinare, aut conſecrare, niſi cum omni adunata Eccleſia. Si placet? Et dixerunt Epiſcopi: Placet.

CONC. GANGRENSE

celebratum tempore SILVESTRI *Papæ Primi circa annum Domini 324. in Paphlagonia, aduerſus Euſtathium Sebaſtianenſem in Armenia Epiſcopum. Et eſt Prouinciale, ſed approbatum à* LEONE IV. *d. 20. c. De libellis.*

ANNOTATIO.

ANNO DOMINI CCCXXIV. VEL CIRCITER.

CVM Euſtathius adeò monachiſmo fauiſſet, vt reliquos Chriſtianorum ordines ſperneret, & prætextu quodam ſanctitatis, Eccleſiam Dei, quæ (inſtar ſagenæ omnium piſcium genera congregantis) cunctos amplectitur, peſſumdaret, atque fermè penitùs demoliretur, adeoq; valde neceſſarium foret, vt Apoſtolica ſecuris infauſtis hiſce palmitibus ſuccidendis citò admoueretur, auctoritate Silueſtri Romani Pontificis hæc Synodus congregata fuit.

Quoto verò anno præcisè Pontificatus Silueſtri & Imperij Conſtantini celebrata fuerit, incertum eſt. Solùm ex præſentia Oſij Epiſcopi Cordubenſis, qui Synodo huic interfuiſſe legitur, certiſſimè conſtat, eam ſub Silueſtri Pontificatu & Conſtantini Imperio celebratam fuiſſe; eo nimirum tempore, quo Oſius à Silueſtro Romano Pontifice Legatus in Orientem miſſus eſt, vt omnem labantem Eccleſiarum ſtatum componeret. Vide Baronium anno 361. num. 44.

Epiſtola Proœmialis CONCILII *ad Sacerdotes in Armenia conſtitutos, in qua de cauſa & ratione congregandi Concilium agitur.*

QVONIAM conueniens ſancta Synodus Epiſcoporum in Eccleſia Gangrenſi, propter quaſdam Eccleſiaſticas & neceſſarias cauſas inquirendas, & ea quæ ſecundùm Euſtathium geſta ſunt, dignoſcenda, inuenit multa fieri indecenter ab his, qui eumdem Euſtathium ſecuti ſunt; neceſſariò ſtatuit, palàm omnibus Actis amputare vniuerſa quæ ab eodem malè commiſſa ſunt. Declaratum eſt enim, hos eoſdem nuptias accuſare, & docere, quòd nullus in coniugali poſitus gradu, ſpem habeat apud Deum. Vnde factum eſt, vt multæ mulieres eos ſecutæ, relictis propriis viris, & viri, vxoribus deſtitutis, vinculum coniugale diſſoluerent, continentiam profitentes: quam cùm retinere non poſſent, adulterium cõmiſerunt. Inuenti ſunt enim, diſceſſiones ac ſeparationes à Dominicis conſtitutis in Eccleſiis Dei docere, id eſt, traditiones Eccleſiaſticas, & ea quæ in Eccleſiis aguntur, debere contemni, priuatiſque conuenticulis inſtitutis ad imitationem eorum, quæ in domo Dei aguntur, omnia præſumere celebrare. Adhuc etiam veſtibus communibus ſpretis, nouos etiam & inſolitos habitus aſſumpſiſſe: Primitias quoque fructuum, & oblationes eorum, quas veterum inſtitutio Eccleſiis tribuit, ſibimet vindicaſſe, id eſt, propriæ ratiocinatione doctrinæ, tamquam Sanctis, ſibi eas offerri debere, apud ſe & inter ſe diſpenſandas:

ſandas: Seruos à dominis recedentes, per hunc inuſitatum religionis morem, dominos contempſiſſe: Mulieres quoque, præter conſuetudinem & ſui ſexus ornatum, hinc ſe iuſtificari credentes, virilem habitum ſuſcepiſſe, pluresque earum, occaſione religionis, tonſas, genuini decoris comas penitus amputaſſe: Ieiunia, quæ in Eccleſia prædicantur, contemnenda aſſeruiſse: Nonnullos eorum etiam cibos carnium tamquam illicitos reputaſſe: In domibus coniugatorum, nec orationes quidem debere celebrari, perſuaſiſſe in tantum, vt eaſdem fieri vetent, & oblationibus quę in domibus factæ fuerint, minimè communicandum eſſe decernant: Presbyteros verò, qui matrimonia contraxerunt, ſperni debere dicunt, nec Sacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi: Loca ſanctorum Martyrum, vel Baſilicas contemnere, & omnes, qui illuc conueniunt, reprehendere: Diuites fideles, qui non omnibus renuntiant quæ poſſident, ſpem apud Deum non habere: & multa alia, quæ enumerare nulli poſſibile eſt, ſingulos quoque eorum pro ſuo arbitrio conſtituere. Vnumquemque enim eorum, tales inſtitutiones ab Eccleſiaſtico canone recedẽtes, tamquam proprias leges ſibimet condidiſſe. Sed nec communis his omnibus & vna ſententia eſt. Singuli enim, prout videtur & libet, ad accuſationem Eccleſiæ nitendo, tamquam rector non ſit, vel addunt decreta, vel minuunt. Propterea ergo coactum eſt hoc Concilium, in Gangrenſi Eccleſia habitum, vt Canones iſtos exponeret, quibus probantur memorati extra Eccleſiam eſſe. Quòd ſi per pœnitentiam condemnauerint omnia hæc, quæ malè ſenſerunt, tamquam à ſe non benè prolata, acceptabiles fiant: atque ideò ſingula quæ debeant condemnare, Synodus credidit exponenda. Quòd ſi quis renuerit hæc, quæ hodie conſtituta ſunt, tamquam hæreticus, & anathematizatus, & damnatus abiiciatur. Et erit non ſolùm incommunicatus, verùm etiam & ab Eccleſia habeatur extorris, donec deprecetur Epiſcopum, & de vniuerſis, quæ penes eos detecta atq; deprehenſa ſunt, prodiderit, quid horum ſuſceperit obſeruandum.

CAPITVLA CONCILII GANGRENSIS.

CAP. I.

De his, qui nuptias execrantur.

SI QVIS vituperat nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem ac religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſtimat, velut quæ in regnum Dei introire non poſſit, anathema ſit. Diſt. 31. Si quis vituperat. D. 30. Si quis nuptias.

ANNOTATIO.

QVI matrimonium diuina auctoritate inſtitutum atque approbatum, velut malum quoddam abominabile execrantur, optimo iure ab Eccleſia excommunicantur. Vnde Euſtathius, antiquarum hæreſum ſuſcitator, optimo iure Apoſtolica ſecuri, ab Eccleſiæ vnione præſcinditur. Nota hìc, quòd Gratianus Diſt. 31. hunc Canonem, quem ibi loco octauo ponit, in titulo eiuſdem Canonis ad Sacerdotum coniugia tantùm reſtringit; additque, Manichæorum causâ eum à Patribus Concilij conſtitutum fuiſſe: quorum primum non tantùm vtrique Latinæ, ſed etiam Græcæ originali editioni repugnat. Quibus ſimpliciter condemnatur, quod Euſtathius de matrimonio docebat; nimirum, quòd nemini Chriſtianorum conceſſum fuerit liberis generandis & educandis operam dare; vt patet ex epiſtola Synodali ad Armenos.

CAP. II.

De his qui carnes manducantes damnant.

SI QVIS carnem edentem, præter ſanguinem, & idolis immolatum, & ſuffocatum, cum religione & fide condemnat, velut ſpem propter huiuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit. Diſt. 30. Si quis carnẽ.

ANNOTATIO.

NOTA quòd Catholici certis diebus ab eſu carnium abſtinent, non quòd carnem in ſe, tamquam malam aliquam Dei mali creaturam, inſtar Saturnini, Ebionis, Marcionis, Manichæi, & aliorum hæreſiar-

charum, abominentur; ſed vt refractaria & rebellis hominis caro cibis lautioribus atque ſolidioribus, quales ſunt pecorum & auium carnes, rectæ rationis imperio ſe non inuitè ſubmittat. Quod verò additur, *præter ſanguinem, & idolis immolatum, & ſuffocatum*, indicat, per multos annos ſeruatum in Eccleſia præceptum hoc, vt Chriſtiani neque ſanguine, neque ſuffocatis veſcerentur. Idem conſtat ex Tertulliano in Apolog. cap. 9. Quamobrem verò hæc ab Apoſtolis lege quadam poſitiua præcepta fuerint, vide Annotationes Conc. Ieroſolymitani, verbo *Ab immolatis*.

CAP. III.

Non debere ſeruum occaſione religionis dominum contemnere.

17. q. 4. Si quis alienum. SI QVIS ſeruum prætextu diuini cultus doceat dominum contemnere proprium, vt diſcedat ab eius obſequio, nec ei cum beneuolentia, & omni honore deſeruiat, anathema ſit.

ANNOTATIO.

INFIDELES, non obſtante infidelitate, aliiſve criminibus ſuis, ſunt veri domini rerũ ſuarum, vt patet exemplo Nabuchodonoſoris, Dan. 2. cui, licet infidelis eſſet, Deus cæli regnum, fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit, &c. ideò iuſtè ponitur hic Canon. Iniuſtum igitur conſulit, qui ſeruo fideli conſilio auctor eſt, vt infidelem dominum nullo alio quàm religionis prætextu deſerat aut contemnat. Sicut igitur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. inter alios VViclefi condemnatur articulus 15. hic, Quòd nullus eſt dominus ciuilis, dum eſt in peccato mortali; ita æquiſſimo iure conuenienter hoc Canone damnantur & excommunicantur, qui ſolius religionis prætextu contra præceptum Pauli ad Epheſ. cap. 6. dominorum ſuorum poteſtatibus ſe exemptos eſſe arbitrantur.

CAP. IV.

De oblatione Preſbyteri coniugati.

D. 28. Si quis diſcernit. QVICVMQVE diſcernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quòd non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.

ANNOTATIO.

EVSTATHIANI ita abhorrebant nuptias, vt etiam Preſbyteros qui vxores habuerant, ferre non poſſent, etiamſi viuentibus adhuc maritali conſortio non cohabitarent. Vnde quàm ineptè hic Canon ad cælibatum Clericorum impugnandũ ab hæreticis vſurpetur, nemo non videt: ſiquidem in eo agitur tantùm de Preſbytero qui vxorem habuit; habentis autem vxorem nulla mentio fit. Bellarm. lib. 2. de Conc. c. 8. & lib. 1. de Cler. cap. 21.

Circa verbum illud, ***miniſtrante***, nota quòd Socrates lib. 2. cap. 43. Zonaras, & Poſſeuinus in Apparatu ſacro, verbo *Gangrenſe*, Canonem quartum his verbis citant: *Si quis exiſtimat de Presbytero, qui vxorem duxerit, quòd eo ſacrificante non oporteat ipſius oblationi vel ſacrificio communicare, anathema eſto.* Hæreticis verò hunc Canonem obiicientibus, pro *ſacrificante*, vox hæc *miniſtrante* magis arriſit: nimirum, vt incruentum Eccleſiæ Chriſti Sacrificium longè ab hominum mentibus ablegarent. Poſſeuinus in Apparatu ſacro, verbo *Gangrenſe*.

CAP. V.

Orationes in Eccleſia factas non debere contemni.

SI QVIS docet, domum Dei contemptibilem eſſe & conuentus qui in eà celebrantur, anathema ſit. D. 30. Si quis docet.

ANNOTATIO.

TEMPLA, & loca deputata ad ſacrificandum & orandum, nullius prorſus vtilitatis eſſe, cum Euſtathianis, teſte Damaſceno Hæreſi 80. Meſſaliani docuerunt. Fratricelli autem, ſeu pſeudo-Apoſtolici, teſte Turrecremata lib. 4. de Eccleſ. c. 37. impudentiſſimè aiebant, Eccleſiam non plus valere ad orandum, quàm ſtabulum equorum aut porcorum. Idem ferè VViclef, VValdenſes, & Anabaptiſtæ noſtri temporis aſtruunt. Hanc ergo veſaniam his duobus Canonibus rectè condemnatam eſſe, multa loca Scripturæ teſtantur. 1. Paralip. 28. Deus Dauidi tamquam minùs ad id idoneo prohibuit ædificare templum, propter ſanguinem ab ipſo fuſum: pòſt verò quàm eſſet à Salomone ædificatum, illud multis priuilegiis ornauit: 2. Par. c. 7. Ex eo Chriſtus Dominus Mat. 21. ementes & vendentes eiecit. In templo ordinariè docuit, non ſanè alia de cauſa, quàm vt exemplo ſuo oſtendat, opus pium eſſe, & Deo gratiſſimum, vt fideles verbum Dei audituri, & Sacramenta percepturi, vno certo loco conueniant, vnius paſtoris vocem omnes ſimul audiant, vno loco congregati preces ſuas vnanimi voce & corde ad Deum fundant. Vide Bellarminum lib. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 1. & 4.

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolorum temporibus Chriſtianos erexiſſe Eccleſias, publicas nimirum domos diuino cultui dicatas, à priuatorum inhabitatione liberas, patet 1. Cor. 11. & 14. vbi Paulus ait: *Conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Sanctus Ignatius, qui iiſdem Apoſtolorum temporibus Eccleſiam Antiochenam regebat, ad Magneſianos ſcribens, hæc habet: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite: ſit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſtum Ieſum, quo nihil præſtantius eſt. Omnes velut vnus quiſpiam ad templum Dei concurrite,* &c. Vide Baronium an. 57. n. 98. & 99. item anno 211. vbi pulchrè oſtendit, quomodo illud Cæcilij Gentilis Rhetoris in Dialogo Octauium interlocutorem quærentis, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra?* hæc, inquam, quomodo intelligenda ſint, prædicto loco Baronius pulchrè oſtendit.

CAP. VI.

Non debere extra Eccleſiam congregari.

Diſt. 30. Si quis extra Eccleſ. SI QVIS extra Eccleſiam ſeorſum conuentus celebrat, & deſpiciens Eccleſiam, ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit vſurpare, non conueniente Presbytero, iuxta decretum Epiſcopi, anathema ſit.

CAP. VII.

De fructibus in Eccleſiam dandis.

SI QVIS oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius cui huiuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit.

CAP. VIII.

De his quæ in vſus pauperum conferuntur.

SI QVIS dederit vel acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.

ANNOTATIO.

CANONES ſeptimus & octauus ſanciti ſunt aduerſus Euſtathianos, qui eleëmoſynis quotidianis, vt refert Epiphanius Hæreſi 40. erogandis & accipiendis, Petri illius Palæſtinæ, qui fuerat Eutacti magiſter, inſtituta ſectantes, populo perſuaſerunt, vt quas vellent pauperibus eleëmoſynas conferre, ſibi velut iuſtis ac debitis earũ diſpenſatoribus ad erogandum & diſtribuendum eas traderent. Quæ inſtituta hæreticorum cùm Apoſtolorum doctrinæ ac conſtitutioni repugnent, vt conſtat ex Canone Apoſt. 39. optimo iure ab Eccleſia proſcinduntur. Vnde liquidum eſt, Gratianum can. Illud. diſtinct. 30. errare, cùm exiſtimat, quòd Euſtathiani Manichæorum ſectarij extiterint. Illi enim eleëmoſynas facere cõſueuerunt, quas Manichæi ex legis ſuæ præſcripto fieri, & in pauperes erogari vetabant: non negamus interim multa fuiſſe, quibus iidem cum Manichęis participarent. Baronius anno 361. n. 54.

CAP. IX.

De his qui in virginitate perſiſtunt.

Diſt. 30. Si quis vel virg. QVICVMQVE virginitatem cuſtodiens, aut continentię ſtudens, velut horreſcens, nuptias temerat, nec propter hoc, quòd bonum & ſanctum eſt, nomen virginitatis aſſumit, anathema ſit.

ANNOTATIO.

HVIVS Canonis editioni priſcæ Gratianus can. 5. diſt. 3. addiderat *in coniugio*, ſic inquiens: *Quicumque virginitatem vel continentiam profeſſus in coniugio.* Sed hoc addidit ſine fide & auctoritate Græcæ ſimul atque vtriuſque Latinæ editionis, vt patet ex Can. Quicumque. diſt. 31. Virgula igitur cenſoria Gratianus hoc loco non immeritò eſt notatus.

CAP. X.

De ſuperbientibus pro virginitate.

SI QVIS ex his, qui virginitatem propter Dominum ſeruant, extollitur aduerſum coniugatos, anathema ſit.

CAP. XI.

Ne quis Agapen fratrum contemnat.

Diſt. 42. Si quis deſpicit. SI QVIS deſpicit eos, qui fideliter agapas, id eſt conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſcemodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema ſit.

CAP. XII.

De his qui palliis vtuntur.

SI QVIS virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc habere ſe iuſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia

Digitized by Google

charum, abominentur; ſed vt refractaria & rebellis hominis caro cibis lautioribus atque ſolidioribus, quales ſunt pecorum & auium carnes, rectæ rationis imperio ſe non inuitè ſubmittat. Quod verò additur, *præter ſanguinem, & idolis immolatum, & ſuffocatum*, indicat, per multos annos ſeruatum in Eccleſia præceptum hoc, vt Chriſtiani neque ſanguine, neque ſuffocatis veſcerentur. Idem conſtat ex Tertulliano in Apolog. cap. 9. Quamobrem verò hæc ab Apoſtolis lege quadam poſitiua præcepta fuerint, vide Annotationes Conc. Ieroſolymitani, verbo *Ab immolatis*.

Cap. III.

Non debere ſeruum occaſione religionis dominum contemnere.

17. q. 4. Si quis alienum.

SI QVIS ſeruum prætextu diuini cultus doceat dominum contemnere proprium, vt diſcedat ab eius obſequio, nec ei cum beneuolentia, & omni honore deſeruiat, anathema ſit.

Annotatio.

INFIDELES, non obſtante infidelitate, aliiſve criminibus ſuis, ſunt veri domini rerũ ſuarum, vt patet exemplo Nabuchodonoſoris, Dan. 2. cui, licet infidelis eſſet, Deus cæli regnum, fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit, &c. ideò iuſtè ponitur hic Canon. Iniuſtum igitur conſulit, qui ſeruo fideli conſilio auctor eſt, vt infidelem dominum nullo alio quàm religionis prætextu deſerat aut contemnat. Sicut igitur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. inter alios VViclefi condemnatur articulus 159. hic, Quòd nullus eſt dominus ciuilis, dum eſt in peccato mortali; ita æquiſſimo iure conuenienter hoc Canone damnantur & excommunicantur, qui ſolius religionis prætextu contra præceptum Pauli ad Epheſ. cap. 6. dominorum ſuorum poteſtatibus ſe exemptos eſſe arbitrantur.

Cap. IV.

De oblatione Presbyteri coniugati.

D. 28. Si quis diſcernit.

QVICVMQVE diſcernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quòd non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.

Annotatio.

EVSTATHIANI ita abhorrebant nuptias, vt etiam Presbyteros qui vxores habuerant, ferre non poſſent, etiamſi viuentibus adhuc maritali conſortio non cohabitarent. Vnde quàm ineptè hic Canon ad cælibatum Clericorum impugnandũ ab hæreticis vſurpetur, nemo non videt: ſiquidem in eo agitur tantùm de Presbytero qui vxorem habuit; habentis autem vxorem nulla mentio fit. Bellarm. lib. 2. de Conc. c. 8. & lib. 1. de Cler. cap. 21.

Circa verbum illud, *miniſtrante*, nota quòd Socrates lib. 2. cap. 43. Zonaras, & Poſſeuinus in Apparatu ſacro, verbo *Gangrenſe*, Canonem quartum his verbis citant: *Si quis exiſtimat de Presbytero, qui vxorem duxerit, quòd eo ſacrificante non oporteat ipſius oblationi vel ſacrificio communicare, anathema eſto.* Hæreticis verò hunc Canonem obiicientibus, pro *ſacrificante*, vox hæc *miniſtrante* magis arriſit: nimirum, vt incruentum Eccleſiæ Chriſti Sacrificium longè ab hominum mentibus ablegarent. Poſſeuinus in Apparatu ſacro, verbo *Gangrenſe*.

Cap. V.

Orationes in Eccleſia factas non debere contemni.

SI QVIS docet, domum Dei contemptibilem eſſe & conuentus qui in ea celebrantur, anathema ſit. D. 30. Si quis docet.

Annotatio.

TEMPLA, & loca deputata ad ſacrificandum & orandum, nullius prorſus vtilitatis eſſe, cum Euſtathianis, teſte Damaſceno Hæreſi 80. Meſſaliani docuerunt. Fratricelli autem, ſeu pſeudo-Apoſtolici, teſte Turrecremata lib. 4. de Eccleſ. c. 37. impudentiſſimè aiebant, Eccleſiam non plus valere ad orandum, quàm ſtabulum equorum aut porcorum. Idem ferè VViclef, VValdenſes, & Anabaptiſtæ noſtri temporis aſtruunt. Hanc ergo veſaniam his duobus Canonibus rectè condemnatam eſſe, multa loca Scripturæ teſtantur. 1. Paralip. 28. Deus Dauidi tamquam minùs ad id idoneo prohibuit ædificare templum, propter ſanguinem ab ipſo fuſum: pòſt verò quàm eſſet à Salomone ædificatum, illud multis priuilegiis ornauit: 2. Par. c. 7. Ex eo Chriſtus Dominus Mat. 21. ementes & vendentes eiecit. In templo ordinariè docuit, non ſanè alia de cauſa, quàm vt exemplo ſuo oſtendat, opus pium eſſe, & Deo gratiſſimum, vt fideles verbum Dei audituri, & Sacramenta percepturi, vno certo loco conueniant, vnius paſtoris vocem omnes ſimul audiant, vno loco congregati preces ſuas vnanimi voce & corde ad Deum fundant. Vide Bellarminum lib. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 1. & 4.

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolorum temporibus Chriſtianos erexiſſe Eccleſias, publicas nimirum domos diuino cultui dicatas, à priuatorum inhabitatione liberas, patet 1. Cor. 11. & 14. vbi Paulus ait: *Conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Sanctus Ignatius, qui iiſdem Apoſtolorum temporibus Eccleſiam Antiochenam regebat, ad Magneſianos ſcribens, hæc habet: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite: ſit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſtum Ieſum, quo nihil præſtantius eſt. Omnes velut vnus quiſpiam ad templum Dei concurrite,* &c. Vide Baronium an. 57. n. 98. & 99. item anno 211. vbi pulchrè oſtendit, quomodo illud Cæcilij Gentilis Rhetoris in Dialogo Octauium interlocutorem quærentis, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra?* hæc, inquam, quomodo intelligenda ſint, prædicto loco Baronius pulchrè oſtendit.

CAP. VI.

Non debere extra Eccleſiam congregari.

Diſt. 30. Si quis extra Eccleſ.

SI QVIS extra Eccleſiam ſeorſum conuentus celebrat, & deſpiciens Eccleſiam, ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit vſurpare, non conueniente Presbytero, iuxta decretum Epiſcopi, anathema ſit.

CAP. VII.

De fructibus in Eccleſiam dandis.

SI QVIS oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius cui huiuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit.

CAP. VIII.

De his quæ in vſus pauperum conferuntur.

SI QVIS dederit vel acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.

ANNOTATIO.

CANONES ſeptimus & octauus ſanciti ſunt aduerſus Euſtathianos, qui eleëmoſynis quotidianis, vt refert Epiphanius Hæreſi 40. erogandis & accipiendis, Petri illius Palæſtinæ, qui fuerat Eutacti magiſter, inſtituta ſectantes, populo perſuaſerunt, vt quas vellent pauperibus eleëmoſynas conferre, ſibi velut iuſtis ac debitis earū diſpenſatoribus ad erogandum & diſtribuendum eas traderent. Quæ inſtituta hæreticorum cùm Apoſtolorum doctrinæ ac conſtitutioni repugnent, vt conſtat ex Canone Apoſt. 39. optimo iure ab Eccleſia proſcinduntur. Vnde liquidum eſt, Gratianum can. Illud. diſtinct. 30. errare, cùm exiſtimat, quòd Euſtathiani Manichæorum ſectarij extiterint. Illi enim eleëmoſynas facere cōſueuerunt, quas Manichæi ex legis ſuæ præſcripto fieri, & in pauperes erogari vetabant: non negamus interim multa fuiſſe, quibus iidem cum Manicheis participarent. Baronius anno 361. n. 54.

CAP. IX.

De his qui in virginitate perſiſtunt.

QVICVMQVE virginitatem cuſtodiens, aut continentię ſtudens, velut horreſcens, nuptias temerat, nec propter hoc, quòd bonum & ſanctum eſt, nomen virginitatis aſſumit, anathema ſit.

Diſt. 30. Si quis vel virg.

ANNOTATIO.

HVIVS Canonis editioni priſcæ Gratianus can. 5. diſt. 3. addiderat *in coniugio,* ſic inquiens: *Quicumque virginitatem vel continentiam profeſſus in coniugio.* Sed hoc addidit ſine fide & auctoritate Græcæ ſimul atque vtriuſque Latinæ editionis, vt patet ex Can. Quicumque. diſt. 31. Virgula igitur cenſoria Gratianus hoc loco non immeritò eſt notatus.

CAP. X.

De ſuperbientibus pro virginitate.

SI QVIS ex his, qui virginitatem propter Dominum ſeruant, extollitur aduerſum coniugatos, anathema ſit.

CAP. XI.

Ne quis Agapen fratrum contemnat.

SI QVIS deſpicit eos, qui fideliter agapas, id eſt conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſcemodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema ſit.

Diſt. 42. Si quis deſpicit.

CAP. XII.

De his qui palliis vtuntur.

SI QVIS virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc habere ſe iuſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia

Digitized by Google

rentia birris & aliis communibus & ſolitis vtuntur, anathema ſit.

ANNOTATIO.

PALLIVM eſt indumentum, quod apud Græcos ſapientiæ ſtudioſi induere ſolebant. Birrus verò, ſiue Birrum, eſt breue indumentum Clericorum, humeros tantùm & brachia eorum tegens. Theodorus Balſamon & Zonaras 12. Canonem hunc interpretantes, birrum, id eſt ſericum, dixere; ſed prior interpretatio, quæ eſt Baronij Tom. 2. anno 261. n. 41. & ſeqq. mihi magis placet. Hoc igitur Canone monaſtica vita, vſuſque pallij non condemnantur, ſed cùm Euſtathiani Monachi palliati incedentes, reliquos Monachos vel Clericos, qui birris dumtaxat vtebantur, damnarent, eorum occaſione conſtitutum eſt, vt anathematis ſententia percellantur, qui monaſticam vitam profitentes, aut palliati incedentes, alios præ ſe contemnerent. Vide Baronium anno 197. num. 8. item anno 261. num. 43.

CAP. XIII.

Ne mulieres virilem habitum vſurpent.

Diſt. 30. Si qua mulier. SI QVA mulier propter cōtinentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictum virilem ſumit, anathema ſit.

CAP. XIV.

Mulier à viro non diſcedat.

Ibidem. SI QVA mulier, virum proprium relinquens, diſcedere voluerit, nuptias execrans, anathema ſit.

CAP. XV.

Mulier filios ſuos non derelinquat.

Diſt. 30. Si quis dereliquit. SI QVIS filios ſuos relinquens non eos nutrit, & quod ad ſe pertinet, non ad pietatem diuini cultus informat, ſed per occaſionem continentiæ negligit, anathema ſit.

CAP. XVI.

Filij reuerentiam parentibus impendant.

Diſt. 30. Si qui filij. QVICVMQVE filij à parentibus, prætextu diuini cultus, abſcedunt, nec debitam reuerentiam dependunt illis, qui diuinum cultum ſibi proculdubiò præferunt, anathema ſit.

CAP. XVII.

Mulier non tondeat crines.

Diſt. 30. Quæcumque mulier. SI QVA mulier, propter diuinum cultum (vt æſtimat) crines attondeat, quos ei Deus ad ſubiectionis materiam tribuit, tamquam præceptum diſſoluens obedientiæ, anathema ſit.

CAP. XVIII.

In die Dominico non ieiunandum.

SI QVIS tamquam hoc continentiæ conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit, aut in eiuſdem diei contemptum, anathema ſit. Diſt. 30. Si quis tamquam.

CAP. XIX.

Ieiunia Eccleſiæ non contemnenda.

SI QVIS eorum, qui in propoſito ſunt continentiæ, præter neceſſitatem corporalem, & ſuperbiens, ieiunia communia totius Eccleſiæ putauerit contemnenda, perfectam in ſua ſcientia vendicans rationem, anathema ſit.

ANNOTATIO.

HIC Canon contra Euſtathianos, quos poſteà Bogomilici ſectati ſunt, poſitus eſt, qui docebant ac ſtatuebant, peracto certo quodam ieiunio, ad eam ſe perfectæ vitæ rationem perueniſſe, vt poſteà omnia ſibi eſſent indifferentia, nulliſque præceptis obligarentur, ſed ſoluti omnino, ac ſi ne peccare quidem poſſent.

CAP. XX.

Baſilicæ, & oblationes ibi factæ non ſpernendæ.

SI QVIS per ſuperbiam, tamquam perfectum ſe exiſtimans, conuentus, qui per loca & Baſilicas ſanctorum Martyrum fiunt, accuſauerit; vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriáſque Sanctorum contemnendas putauerit, anathema ſit. Diſt. 30. Si quis per ſuperbiam.

ANNOTATIO.

SANCTORVM Martyrum cultum & inuocationem improbandam, atque Eccleſias extructas in memoriam eorum contemnendas eſſe, Euſtathiani ab Eunomio, Eunomius à Manichæis, omni ſcelerum impuritate pollutis hęreſiarchis mutuati fuerant. Quod cùm viri huius ſæculi doctiſſimi & ſanctiſſimi orationibus de hac re inſtitutis grauiter oppugnarint, & Deus ipſe idem miraculis plurimis refutauerit; rectè à Patribus huius Concilij anathematizantur, quotquot collectas, quæ fiunt in Martyrum Memoriis, execrabantur. Nam ſi tuam in primis ſalutem

Digitized by Google

tem, quam curatam optares, precibus ſuis & interceſſionibus apud Deum promouere poſſint & velint; quis alius, niſi impius, auxilium eorum implorandum eſſe negabit? Ex eo, quòd miſeriam noſtram reuelatione Dei cognoſcant, Deiq; amicitia ſingulari fruantur, nemò facultatem intercedendi pro nobis, ipſis adimere poteſt: quòd autem à charitate perfecta, qua Deum & proximos ſuos etiamnum ardentiſſimè diligunt, non velle eos ſalutem noſtram procurare, credi non debet. *Si ergo*, inquit Hieronymus lib. contra Vigilantium, c. 3. *Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Vide plura apud Bellarminum de Sanct. beatitud. lib. 1. cap. 11. & ſeqq.

Et ſubſcripſerunt ſexdecim Epiſcopi.

Diſt. 30. Hac aut. HAEC autem ſcripſimus, non qui in Eccleſia Dei ſecundùm Scripturas ſanctum propoſitum continentiæ eligunt, vituperantes; ſed eos qui abutuntur propoſito in ſuperbiam, & extolluntur aduerſus ſimpliciores, abſcindimus, & damnamus eos, qui aduerſum Scripturas & Eccleſiaſticas regulas, noua introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum caſtitate & religione ſuſcipitur, approbamus, & renuntiationem ſæcularium negotiorũ cum humilitate recipimus, & nuptiarum caſtum vinculum honoramus, & diuitias cum iuſtitia & operibus bonis non ſpernimus, & habitum ſimplicem ac veſtem viliorem, pro corporis diligentia infucatum, laudamus, ſicut etiam ſolutas ac fractas in veſtibus proceſſiones reprobamus. Et domos Dei honoramus, & conuentus qui in his fiunt, tamquam ſanctos & vtiles ſuſcipimus, pietatem in priuatis domibus non claudentes, ſed omnem locum in nomine Dei ædificatum, honoramus, & congregationem in eadem Eccleſia factam pro vtilitate communi, recipimus. Et bona opera, quæ ſupra vires in fratres pauperes exercentur, ſecundùm Eccleſiaſticas traditiones beatificamus, & omnia, quæ per ſanctas Scripturas & per Apoſtolos ſunt tradita, in Eccleſia celebrari exoptamus.

CONCILIVM VEL POTIVS CONCILIABVLVM TYRIVM,

ſub SILVESTRO *anno* 335. *in cauſa* ATHANASII *habitum.*

NON immeritò hoc, quod Tyri celebratum eſt, Concilij nomen indignum, Conciliabulum & malignantium conuentum tres potiſſimùm ob cauſas nominauimus. Quarum prima eſt, Quia ab Imperatore, præter munus & officium eius, indictum fuerit in ciuitate Tyri, contra eum, quem malitioſè à Meletianis, Arianis, & Euſebianis accuſatum innocentiſſimum eſſe cognouerat, cuiuſque innocentiam literis ad Alexandrum ſcriptis probauerat: adeoque non tam facilè neque tam breuiter, quartò aut ſæpiùs conuictis hæreticis nefariis deferre debuerat. Altera eſt, Quòd ad eorumdem inſtantiam Imperator ad Concilium illos dumtaxat Epiſcopos conuocauerit, quos nefarij hæreſiarchæ deſignauerant, quodque adeò in eadem cauſa iiſdem accuſandi & iudicandi munus conceſſum eſſe voluerit: ipſumque innocentem Athanaſium citauerit, vt à nefariis hæreticis non tam iudicaretur, quàm condemnaretur. Athanaſius huic quantumuis illegitimo Conuentui, cum quadraginta ſeptem Ægypti Epiſcopis Catholicis ac Confeſſoribus ſe præſentem exhibuit, ne cauſæ ſuæ diffidere videretur, & aduerſariis ampliùs ſæuiendi cauſam præberet: néve demum inuitus, quòd Imperator euocans commotus fuerat, cogeretur. Tertia cauſa illegitimi Conuentus eſt, Quòd Præſidem illius ageret Dionyſius Comes, cum militari manu adſtaret Speculator, appareret Commentarienſis: quodque ſub prætextu

ANNO DOMINI CCCXXXV.

Conciliabulum hoc reprobari ſin ſſe probatur.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

textu comprimendi tumultus, & imperandi, cùm opus eſſet, ſilentij, coërcendęque procaciæ inſolentium, præſidio militum reuerà innocentia expugnaretur, & cum ea innocentes opprimerentur, & denuò hoſtibus Athanaſij ad fidem Catholicam oppugnandam aditus adaperiretur.

Nomina autem Epiſcoporum, tum aduerſantium, tum etiam cauſæ Athanaſij fauentium, fusè traduntur à Cardinale Baronio Tom. 3. Annal. anno Chriſti 335.

Hunc autem Conuentum malignantium collectum fuiſſe anno Chriſti nati 335. probatur Primò auctoritate Euſebij, dum lib. 4. cap. 11. Vitæ Conſtantini ait, ipſis tricennalibus, id eſt, trigeſimo anno Imperij Conſtantini, qui cum prædicto anno Chriſti coincidit, Tyri Epiſcopos conueniſſe, vt diſcordiæ inter Aegyptios ortæ componerentur. Secundò, idem probatur ex epiſtola Eccleſiæ Mareoticæ in Aegypto, dum Tyri Synodus ageretur, Conſtantio & Albino Conſulibus data, quorum Conſulatus iuxta Faſtos emendatiores cum anno Chriſti 335. & Silueſtri 22. Conſtantini Imperatoris 30. concurrit.

Cauſæ verò habiti Concilij, fuerunt variæ calumniæ Athanaſio obiectæ: quarum prima fuit, Quòd illegitimè electus eſſet. Secunda, Quòd Philumeno cuidam Imperatoris hoſti magnam pecuniæ quantitatem miſiſſet. Tertia, Quòd Arſenium Epiſcopum interfecerit. Quarta, Quòd meretriculæ cuidam vim intulerit. A quibus omnibus Athanaſius ſe purgauit, ſuamque innocentiam in omnibus oſtendit. Quæ fusè habes apud Baronium anno Chriſti. 335. per totum.

De hoc Concilio ſeu Conciliabulo nil aliud reperitur, quàm epiſtolæ diuerſorum ad Concilium, vel ſaltem in cauſa huius Concilij ſcriptæ, quas diligentiſſimè collegit, & in vnum poſuit Binius in hoc eodem Concilio.

CONCILIVM SEV POTIVS CONCILIABVLVM IEROSOLYMITANVM

EVSEBIANORVM, *in cauſa* ARII *reſtituendi, anno* 335. *celebratum.*

CAVSA celebrandi hoc Conciliabulum fuit, quia Euſebiani perſuaſerant Conſtantino, Arium de fide Orthodoxa rectè & Catholicè ſentire: vnde cùm Epiſcopi ijdem, qui Tyri fuerant ad dedicandam Eccleſiam ab Imperatore recèns erectam conueniſſent, vocatum ad ſe Arium cum ſua quam obtulerat fidei confeſſione ambigua, & in ſpecie Catholica, ad Epiſcopos Ieroſolymis congregatos remittit, mandans, vt illi confeſſionem oblatam examinent, & ſi Arius rectè ſentiret ac crederet, probarent, eumque non tantùm reciperent, ſed etiam Alexandrinam Eccleſiam & vrbem, à cuius aditu iuſſu Nicęni Concilij abſtinere debebat, ipſi reſtituerent. Peracta igitur templi dedicatione, cœtuque dimiſſo, conuenientes, Arium eiuſque fidem probant, recipiunt, & Alexandriam reſtituunt. Vide Baronium anno 335. nu. 42. 46. 54. ANNO DOMINI CCCXXXV.

Athanaſius verò interim, quaſi minatus fuiſſet, ſe impediturum ne quid frumenti Alexandriâ Conſtantinopolim deueheretur, nouâ calumniâ exagitatus, ac de nouo crimine læſæ maieſtatis per falſos ac ſubornatos Euſebianæ factionis teſtes cõuictus, ab Imperatore, inaudita parte, magno omnium Catholicorum luctu ac mœrore in Galliam relegabatur: quem Maximinus Epiſcopus non vt profugum vel exulem, ſed vt Confeſſorem de impietate triumphantem Treueris excepit, eumque vt egregium fidei athletam magno in honore habuit. Vnde, quod aiunt, ipſum in puteo latitantem Symbolum conſcripſiſſe, fabuloſum eſſe conſtat. Poſt relegatum Athanaſium, Ariani de Ario Alexandrinæ vrbi reſtituendo ſuppli-

ſupplicantes, eius reſtitutionem impetrarunt quidem, verùm ille quantumuis libris Euſebianorum & Imperatoris communitus fuiſſet, ab Alexandrinis ciuibus, eò quòd à Catholica fide alienus eſſet, vrbis ipſius aditu prohibitus, Conſtantinopolim rediit: ibique in Conuentu malignantium, occaſione Marcelli Ancyrani congregato, ſeſe Imperatori ſiſtens, de fide interrogatus, verbo & ſcripto fidem Catholicam per ſummam ſimulationem iuratus profitetur. Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dum eum contra Imperatoris mandatum in Eccleſiæ communionem recipere nollet, violenterq; ingerendum metueret, ipſe vnà cum plebe ieiunij & orationum ſtudio inſiſtens, à Chriſto impietatis Arianæ vindice impetrauit; quòd dum Arius magno faſtu Euſebianorum ad Eccleſiam deducebatur, exonerandi aluum neceſſitate ad locum ſecretiorem declinare compulſus, vnà cum excrementis viſcera diuino miraculo effundens, miſerè interierit. Ad hunc modum Ariana hæreſi diuinitus condemnata, plurimi ex iis, qui antè decepti erant, conuerſi ſunt: ingens timor & exanimatio Euſebianæ factioni incuſſa eſt: fama rei per vniuerſum ferè orbem diuulgata. Imperator tanto prodigio commotus, Arianos & Euſebianos, quos hactenus Nicænæ fidei acerrimos defenſores, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ fideliſſimos cuſtodes, ipſorum dolis, fraudibus ac ſimulata pietate malè perſuaſus exiſtimauit, planè deteſtatus eſt: & Athanaſium, quem calumniis Arianorum circumuentum temerè in exilium relegauerat, ipſe, prout conſtituerat, ab exilio reuocaſſet, ſi non morte præuentus fuiſſet. Hæc ex Athanaſio, Ruffino, Socrate, & Sozomeno, Baronius anno 336. nu. 2.3. & 4. & multis ſeqq.

CONCILIVM SEV CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOL.

occaſione MARCELLI ANCYRANI *celebratum ab* ARIANIS.

CVM Ariani in Concilio Nicæno Marcellum Ancyranum in Galatia Epiſcopum, ſuæ factioni infenſiſſimum aduerſarium ſenſiſſent, ipſeque vocatus ad Encænia Ieroſolymitanæ Eccleſiæ cum Euſebianis communicare nollet, ad Imperatorem eumdem detulerunt. Huius auctoritate deinde ad Synodum Conſtãtinopolitanam anno Chriſti 336. celebratam, dicturus cauſam conuocatus, comparuit cum propinquioribus Epiſcopis ferè omnibus Euſebianis, Euſebius Nicomedienſis, Euſebius Cæſarienſis, Theognis Patrophilus, Vrſacius & Valens Arianorum anteſignani, vt Athanaſium ſede ſua, modo quo ſuprà diximus, exturbarent, illuc conuenerãt. Vbi cùm Athanaſium per nouam calumniam in exilium expuliſſent, viribus omnibus laborarunt, vt Marcellus, alter fidei Catholicæ defenſor acerrimus, eadem ſententia percelleretur. Itaque poſt multas calumnias, eum crimine hæreſeos falsò inſimulatum, quaſi contra Aſterium ſcribens cum Paulo Samoſateno ſentiret, Chriſtumque purum hominem eſſe doceret, condemnarunt, & Epiſcopatu abdicatum, in exilium eiecerunt. Deinde hac re pro voto ſuo egregiè peracta, Arium ob infidelitatis & hæreſis ſuſpicionem ab Alexandrinis reiectum, rectè & Orthodoxè ſentire, Ariani iudicant. Iuratò eamdem fidem profeſſus, in Eccleſiæ communionem recipi ab Imperatore iubetur: idque deinde, quod ſuprà dixi, miraculosè contigit. Hæc ex Ruffino, Epiphanio Hæreſi 73. Athan. Apol. 2. de Synodis, & epiſt. ad Solitarios, Baronius anno 336. num. 27.

ANNO DOMINI CCCXXXVII.

SYNODVS ROMANA

habita à IVLIO *Papa* I. *& reliquis centum & ſexdecim Orthodoxis Epiſcopis.*

ANNO DOMINI CCCXXXVII. SYNODVS hæc à Iulio Papa ipſo ſui Pontificatus exordio cõuocata eſt duas potiſſimùm ob cauſas; quarum Prima eſt, vt certæ fidei confeſſionem ederet, ipſamque Synodum ſuo quoque calculo confirmaret. Altera eſt, quòd Arianam hæreſim antè condemnatam, ſua etiam ſententia excommunicari ac proſcribi voluerit.

De tempore verò, quo hæc Synodus congregata eſt, inter varias opiniones, Baronij ſententiam ſequimur, quòd nimirum Feliciano & Titiano Coſſ. anno Chriſti nati 337. Iulij Pontificis primo, primo item Imperij Conſtantini, Conſtantij, & Conſtantis, celebrata fuerit. De hac autem Synodo nihil aliud habetur, niſi confeſſio fidei Catholicæ, quæ ad longum ponitur à Binio.

CONC. ALEXANDRINVM

ex Catholicis Epiſcopis Alexandrinæ Eccleſiæ in cauſa ATHANASII.

CCCXXXIX. CVM Conſtantinus Imperator voluntatem patris defuncti executus, Athanaſium biennio exulantem, Eccleſię ſuæ reſtituiſſet, reditum illius Ariani indignè admodum ferentes, veteribus calumniis tres alias nouiter excogitatas addiderunt. Primum, Quod reditus illius omni populo ingratus fuiſſet, cædeſque plurimorum concitaſſet. Secundò, Quòd à Synodo damnatus, abſque Synodali decreto temerè & contra Canones Sedem recipere præſumpſiſſet. Tertiò, Quòd frumentum ex liberalitate Imperatoris Ægypti ac Libyæ viduis exhiberi ſolitum ſurripuiſſet. His commentis inſtructi, ad Iulium Romanũ Pontificem, ſicut etiam ad Occidentalis Imperij Imperatores Conſtantium & Conſtantem, Legatos quoſdam ex ſuis ablegarunt, qui ſpuria illa Acta Tyri ſecum deferentes, eaque Iulio Pontifici offerentes, peterent, vt Athanaſij condemnatio Tyri facta, rata ac firma haberetur. Quod cùm Orthodoxi Epiſcopi Alexandrinæ Eccleſiæ reſciuiſſent, ſubitò congregati, accuſationes Arianorum nouas ſimul ac veteres, ad examen & iudicium vocarunt: dum accuſationes eorum calumniis pleniſſimas eſſe animaduertiſſent, vtiliſſimum fore iudicarunt, vt ad Legatos Arianorum refutandos, ſuos ipſi etiam ablegarent, eoſque Synodali epiſtola aduerſus omnes Euſebianorum accuſationes, tam veteres Tyri productas, quàm etiam nouas ab iiſdem recèns excogitatas, ſcripta, inſtruxerunt & confirmarũt. Quos cùm eodem tempore ſimul Romæ & apud Imperatorem cum Arianis præſentes eſſe contigiſset, mendaciis Arianorum vtrobique refutatis, de hoſte proſtrato ac deuicto, apud Imperatorem & Pontificem glorioſè admodum triumpharunt. Ad pudorem, quo ſuffundebantur aduerſarij, minuendum, ad Concilium aliud ſubitò prouocarunt. Hæc Baronius anno 339.

CONC. ANTIOCHENVM I.

ſub IVLIO *Papa* I. *celebratum, in quo* ARIANI ATHANASIVM *depoſuerunt, atque* GREGORIVM CAPPADOCEM *ſubſtituerunt.*

CVM Iulius Pontifex anno Chriſti 340. Concilium, quod Arianorum Legati, per Alexandrinæ Synodi deputatos conuicti, ad cauſam Athanaſij ab exilio reuocati latiùs diſcutiendam, Romæ indici ac celebrari petiuerant, indixiſſet, eoſque ad præfinitum terminum citaſſet, iamque Athanaſius vltra annum eorum aduentum præſtolatus fuiſſet, vt honeſto prætextu indictum Romæ Conuentũ ſubterfugerent, auctore Conſtantio procurarunt, vt Antiochiæ nobiliſſimi illius templi, quod à Conſtantino Magno inceptum, quodque ſub Conſtantio CCCXLI.

poſt-

poſtmodum abſolutum, præ ſui excellentia, Dominicũ aureum appellatum fuit, encænia & dedicatio celebraretur. Callidum Imperatoris inuentum placuit: conuocantur à Conſtantino per literas Epiſcopi, teſte Athanaſio lib. de Synodis, nonaginta; vel quod habet Hilarius lib. de Synodis, nonaginta ſeptem; quamquam Sozomenus lib. 3. c. 5. nonaginta nouem conuocatos ac congregatos fuiſſe ſcribat. Ex his triginta ſex Ariani erant: verùm, quam occultam in pectore gerebant hæreſim ac fraudem, mirificè admodum tegebant. Ne enim viderentur non Catholici, huius Conuentus principio Arianum nomen publicis ſcriptis auerſati ſunt: atque extrinſecus inſignes ſeſe fidei ac morum vindices iactitarunt, eo ipſo quòd Euſtathium ob adulterium & Sabellij hæreſim condemnatum, Epiſcopatu depoſuiſſent. Mirum igitur videri non debet, quòd cum Arianis Catholici conuenerint, ſimul in ſacris Encæniorum ſolemnitatibus communicarint, ſimulque in vno eodemque Concilio conſederint.

Peracta igitur templi dedicati celebritate, in eodem Epiſcoporum Conuentu cauſa Athanaſij in iudicium deducta eſt: poſt repetitas eas calumnias, quæ in Tyrio Conuentu propoſitæ ac refutatæ fuerant, accuſatur, quòd contra Canones ab exilio reuocatus, & priſtinæ Alexandrinæ Eccleſiæ reſtitutus ſit. nam Epiſcopatu amotum, non aliter quàm per Concilium reſtitui oportere aiebant: hoc modo cùm Athanaſius reſtitutus non fuiſſet, Euſebianorum calculo dumtaxat diiudicatum eſt, eum iuſtè depoſitum à ſede Alexandrina, cui non legitimè reſtitutus eſſet, deturbandum, aliumque in eius locum ſubrogandum eſſe. Huic decreto, quantumuis Epiſcopi Catholici maioris numeri voto ſuo contradicerent; tamen Conſtantij Imperatoris nutu, fauore, ac voluntate, illud ſartum tectumque habitum eſt, quod Euſebiani numero pauciores conſtituerant. Poſt multa de ſubrogando in locum eius alio Epiſcopo, ex ſententia Euſebij Nicomedienſis olim, nunc Conſtantinopolitani, Euſebius Emiſſenus, homo nondum ſacris initiatus, quem S. Hieronymi Chronicon Arianę factionis ſigniferum appellat, *ad ſedem Eccleſiæ Alexandrinæ* (hæc Sozom. lib. 3. c. 5.) *capeſſendam deſignatus eſt: nam putabat, illum tum propter piæ vitæ inſtitutionem, tum propter ſingularem in dicendo facultatem, animos Aegyptiorum à beneuolentia, qua Athanaſium complectebantur, facilè auocaturum. At vbi Epiſcopatum capeſſere recuſauit, ratione ſecum inita, quòd paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanaſij ſubrogatum, Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopatus Gregorio tributus eſt:* homini nimirum Ariano, peregrino Cappadoci, quem Philagrius & Arſacius Præfecti magna Catholicorum ſtrage anno Chriſti 342. introduxerunt, Sardicenſis Concilij Patres depoſuerunt: quem denique populus Alexandrinæ Eccleſiæ decimo menſe poſt habitum Sardicenſe Concilium occiderunt. His rebus contra Athanaſium Nicęnæ fidei acerrimum defenſorem ita peractis, vt Nicænæ fidei Symbolum euertant, nomenque *Conſubſtantialitatis* inde callidè, vafrè, & quaſi per cuniculos expungāt, ſe Arium deteſtari, ac procul ab eius ſententia abhorrere, fidei confeſſione conſcripta profitentur, vt videre eſt apud Sozomenum vbi ſuprà, & apud Binium hîc.

Circa Canones verò viginti quinque huius Concilij & hîc infrà poſitos, ſciendum quòd ab antiquis reiecti fuerunt, eò quòd ab Euſebianis inſtituti eſſent, vt infrà patebit in Annotatione can. 12. Horum nonnulli antiqua fidei dogmata fideique Nicęnæ decreta confirmant: nonnulli verò, tamquam Orthodoxæ fidei & bonis moribus ab Eccleſia receptis contrarij, exploduntur. Cùm Apoſtolica & antiqua lege ac conſuetudine hactenus obſeruatum

 eſſet,

eſſet, vt Epiſcopi quauis iniuria affecti, ad Apoſtolicæ Sedis iudicium appellarent, non citra fraudem hîc conſtitutum eſt, ne Epiſcopus à Concilio depoſitus, ad ſedem priſtinam aliter quàm à maioris numeri Epiſcoporum Concilio ac ſententia abſolutus redire præſumeret: Athanaſius Euſebianorum Synodali ſententia condemnatus fuerat, vt docerent, eum iuſtè ac legitimè reſtitutum fuiſſe, qui Romani Pontificis ſententia abſolutus, & Imperatoris decreto reuocatus fuerat, talem ſcilicet Canonem excudiſſe oportuit, vt hæreſeos Arianæ, & Nicænæ fidei contemptæ ſuſpicionem, quam iuſtè incurrerant, aliquo modo declinarent, ipſo ingreſſu Canonem illum poſuerunt, quo Nicæni Concilij Canonis de Paſchatis tempore inſtituti, ſe vindices exhibuerunt.

Ad nomina ſubſcriptorum Epiſcoporum etiam addiderunt inſignem illum Iacobum Niſibitam Epiſcopum, de quo hæc Binius ſcribit: Conſtantinus Magnus admirabili ſanctitate huius Epiſcopi in Nicæno Concilio cognita, Conſtantio filio hoc in mandatis dedit, vt hunc Epiſcopum non tantùm viuentem coleret & obſeruaret, ſed eius quoque cadauer honore proſequeretur; ac proinde non abhorreret à fide, quam ſciebat ab eodem ſancto Epiſcopo prædicari. Quod ſi non ſatis fuit, vt ſe Conſtantius in fide Catholica contineret, debuiſſet vtique propterea fauiſſe Catholicis, quòd precibus Iacobi Niſibitæ à Perſarum vi & tyrannide non ſemel miraculosè liberatus fuerit. Theodoretus lib. 2. cap. 30. ſcribit, quòd cùm Sapor Rex Perſarum Niſibin vrbem obſediſſet, muros magna ex parte deieciſſet, iamque ad expugnandam vrbem aditum præparaſſet; diuinus ille vir Iacobus ſuę precationis virtute, non ſolùm militum aliorumq; incolarum animos confirmauerit; verùm etiam murum denuò extruxerit, & machinis oppoſitis hoſtes irruentes repulerit. *Eodem tempore*, ait Theodoretus, *Ephraim vir ſanè admirabilis orat Iacobum, vt conſcendat mænia, barbaros conſpiciat, & execrationis tela in eos coniiciat. Cuius poſtulationi obſecutus ſanctus vir, in quamdam turrim aſcendit; ac cùm videret ingentem eorum multitudinem, non aliud eſt illis imprecatus, quàm vt ſciniphes ac culices in eos immitterentur, vt minutarum beſtiarum morſu, eius potentiam, qui ipſis Romanis auxilium tulerat, agnoſcerent.*

Contrà verò, eorum qui Arianæ factionis anteſignani erant, Euſebij Nicomedienſis olim, iam Conſtantinopolitani, Ararij Epiſcopi Cæſarienſis, Maris Chalcedonenſis, Patrophili Scythopolitani, Theognis Nicæni, aliorũque famoſiſſimorum Arianorum nomina omiſerunt, aut ſaltem dolosè ſuppreſſerunt, Epiſtolamque verborum lenocinio fictam ſuo Conciliabulo præfixerunt. Vnde accidit, vt Canonum Collectores hos Canones velut ab Orthodoxis editos collegerint, Eccleſiæ legendos ediderint, atque duos ex iis Patres Concilij Chalcedonenſis abſque titulo Antiocheni Concilij citauerint; non aliter ſanè, quàm vt ea, quæ ſecundùm Eccleſiaſticam diſciplinam antiquitus traditam, ab eis in Synodo depoſita eſſe videbantur, ab ipſis tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicarent.

Quòd Gratianus can. 11. diſt. 16. hanc Synodum inter Concilia à Catholicis habita recenſeat, graui errore lapſus eſt: poterat enim intellexiſſe, non à Catholicis, ſed ab Euſebianis & Arianis hoc Concilium collectum fuiſſe, cui Euſebium Arianæ factionis in Palæſtina Epiſcopum velut Præſidem interfuiſſe ſcribit. Vide Baronium anno 341. num. 29. 32. 34. & 37. Et eodem errore lapſus videtur Carranza, qui in fine huius Concilij ſic ait: Probatum eſt Concilium Antiochenum in Sexta Synodo Generali Conſtantinopoli in Trullo celebrata, vt ex ſecundo Canone Editionis Græcæ conſtat, & per Dionyſium Papam, vt patet per Euſebium

bium l.7.c.24. & 25. in Hiſt. Eccl. hæc ille. Sed tam à Carranza, quàm ab aliis quibuſdam confunditur hoc Concilium cum aliis in Antiochia celebratis, vt optimè Bellarminus perpendit: ſex enim fuerunt Concilia Antiochena. Primum & Secundum contra Paulum Samoſatenum, tempore Dionyſij Papę, circa annum 266. & 272. Vide Euſebium lib. 7. Hiſtor. cap. 23. 24. 25. & 26. Tertium Arianorum tempore Iulij Primi, an. 340. & eſt hoc pręſens. Quartum eſt Macedonianorum pro ſua hæreſi, anno 367. tempore Liberij Papæ: Hieronymus in Chronico. Quintum eſt Catholicum Prouinciale Epiſcoporum 30. cuius Canones 25. habentur in Tomo primo Conciliorum. Videtur fuiſſe tempore Iouiniani & Liberij. Vide Sozomenum lib. 6. cap. 4. Sextum eſt inſertum Act. 14. Concilij Chalcedonenſis. Hoc autem vocatur Primum Antiochenum, quia apud hæreticos cenſetur Generale. His omnibus ſic annotatis, ſequuntur Canones huius Concilij Antiocheni.

CANON I.

Paſcha celebrandum eſſe iuxta Concilium Nicænum.

OMNES qui auſi fuerint diſſoluere diffinitionem ſancti & Magni Concilij, quod apud Nicęam cõgregatum eſt ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini, de ſalutifera ſolemnitate ſacratiſſimi Paſchæ, excommunicandos & de Eccleſia pellendos eſſe cenſemus, ſi tamen contentioſiùs aduerſus ea, quæ benè ſunt decreta, perſtiterint. Et hæc quidem de laicis dicta ſint. Si quis autem eorum, qui præeſſe noſcuntur Eccleſiæ, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, poſt hanc definitionem tentauerit, ad ſubuerſionem populorum, Eccleſiarumque perturbationem, ſeorſum colligere, & cum Iudæis Paſcha celebrare: Sancta Synodus hunc alienum iam hinc ab Eccleſia iudicauit, quòd non ſolùm ſibi, ſed & plurimis cauſa corruptionis & perturbationis extiterit. Nec ſolùm tales à miniſterio remouet, ſed etiam illos, qui poſt damnationem huiuſmodi communicare tentauerint: damnatos autem, omni quoque extrinſecus honore priuari, quem ſancta regula & Sacerdotium Dei promeruit.

ANNOTATIO.

HIC Canon ſtatutus eſſe videtur ab Euſebianis, partim vt maculam illam de Nicæna Synodo contempta ſibi inuſtam, hoc dolo prorſus eluerét; partim etiam, quia hoc tempore Audæus hæreſiarcha docebat, corporeum & humana forma præditum Deum eſſe, qui hominem ad imaginem ſuam condidiſſet. Item non ampliùs more Orthodoxorum, ſed ex conſuetudine Iudæorum Paſcha celebrandum eſſe decimaquarta luna; quantumuis Patres Nicæni Concilij contrariũ ſtatuiſſent. Ex Epiphanio Hæreſi 70. Baronio an. 341. n. 38. & ſeqq.

CANON II.

Non licere cum excommunicatis communicare.

OMNES qui ingrediuntur Eccleſiam Dei, & Scripturas ſacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, ſed pro quadam intemperantia ſe à perceptione ſanctæ communionis auertunt, hi de Eccleſia remoueantur, quamdiu per confeſſionem pœnitentiæ fructus oſtendant, & precibus indulgentiam conſequantur. Cum excommunicatis autem non licere communicare, nec cum his qui per domos conueniunt, deuitantes orationes Eccleſiæ, ſimul orandum eſt: ab alia quoque Eccleſia non ſuſcipiendum, qui in alia minimè congregatur. Si quis autem de Epiſcopis aut Presbyteris, vel Diaconis, ſeu quilibet ex Clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iſte priuetur communione tamquam qui regulam confundat Eccleſiæ.

ANNOTATIO.

PROBABILE eſt, id contra Audæanos conſtitutum fuiſſe, de quibus hæc Epiphanius Hæreſi 70. *Ceterùm, quod grauiſſimum ac*

Digitized by Google

ac horrendiſſimum eſt, non faciunt preces cum aliquo, etiam ſi probatus videatur, & nihil habeat quod accuſari mereatur, &c. Theodoretus lib. 4. Hæretic. fabul. *Prætexunt*, inquit, *ſe fugere Eccleſiæ communionem propter fœneratores, & eos qui mulieribus cohabitant.*

Circa verba illa, *quamdiu per confeſſionem pœnitẽtiæ fructus oſtendant*, nota, quòd cùm Audæani (qui, quòd Deum corporeum, hominiq; ſimilem eſſe docerent, poſteà Anthropomorphitæ nuncupati fuere) peccatoribus peccata remitterent, nulla ſatisfactione Sacramentali impoſita, vt prædicto loco atteſtatur Theodoretus, Euſebiani hoc Canone decreuerunt id, quod docet Eccleſia Catholica; nimirum, quòd per ſimplicem confeſſionem peccata non dimittantur, ſi digna ſatisfactio præſcripta non impleatur. Baron. num. 44.

CANON III.

Non debere Clericum ad Eccleſiam migrantem ibi perſeuerare.

7.q.1. Si quis Preſbyter. SI QVIS Preſbyter, aut Diaconus, aut omnino quilibet ex Clero, Parochiam propriam deſerens, ad aliam properauerit, vel omnino demigrans, in alia Parochia per multa tempora nititur immorari, vlteriùs ibidem non miniſtret, maximè ſi vocanti ſuo Epiſcopo, & regredi ad propriam Parochiam commonenti obedire contempſerit. Quòd ſi in hac indiſciplinatione perdurat, à miniſterio modis omnibus remoueatur, ita vt nequaquam locum reſtitutionis inueniat. Si verò pro hac cauſa damnatum alter Epiſcopus ſuſcipiat, hic etiam à communi arceatur Synodo, velut qui Eccleſiaſtica conſtituta diſſoluat.

ANNOTATIO.

IDEM conſtituitur Can. 20. Concilij Chalcedonenſis, & Can. 71. Concilij Aquiſgranenſis. Concilij Nicæni Can. 16. iam antè idem decretum fuerat.

CANON IV.

Non licere Epiſcopo, vel Clerico, ſi exauctoratus fuerit, miniſtrare.

11.q.4. Si quis Epiſcopus. SI QVIS Epiſcopus damnatus à Synodo, vel Preſbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere, ſiue Epiſcopus iuxta præcedentem conſuetudinem, ſiue Preſbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed communicantes ei omnes abiici de Eccleſia, & maximè, ſi poſteaquam didicerit aduerſum memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentauerit.

ANNOTATIO.

IDEM conſtitutum eſt Concilij Aquiſgranenſis cap. 47. & epiſt. 8. Nicolai Papæ.

CANON V.

Ne Clerici, contempto Epiſcopo, ſeorſum ſe colligant.

SI QVIS Preſbyter, aut Diaconus, Epiſcopum proprium contemnens, ſe ab Eccleſia ſequeſtrauit, & ſeorſum colligens, altare conſtituit, & commonenti Epiſcopo non acquieuerit, nec conſentire vel obedire voluerit ſemel & iterùm conuocanti; hic damnetur omnimodò, nec vltrà remedium cõſequatur, quia ſuam recipere non poteſt dignitatem. Quòd ſi Eccleſiam conturbare & ſollicitare perſiſtat, tamquam ſeditioſus per poteſtates exteràs opprimatur.

ANNOTATIO.

HIC Canon ad verbum recitatur Act. 4. Concilij Chalcedonenſis, eſtque Apoſtolicæ doctrinæ conueniens: ab exordio enim naſcentis Eccleſiæ obſeruatum fuit, vt omnes fideles ad vnum altare accederent, vnumque panem participarent. Ab Euſebianis hunc Canonem ideò conſtitutum fuiſſe putamus, quod cùm Euſtathium Antiochenum Epiſcopum quaſi adulterum & Sabellianiſmi ſectatorem amouiſſent, & Euphronium quemdam Ario fauẽtem ſubſtituiſſent; Catholici, quos illi ignominiæ cauſa Euſtathianos nominabant, Ariani Antiſtitis communionem, vt rem execrabilem deteſtati, ſeorſum ab eo conuentus egerint, nulloq; modo adigi potuerint, vt cum Arianis & Euſebianis communicarent. Quod idem accidit Alexandriæ, cùm illuc Gregorius in locum Athanaſij intruſus fuiſſet. Fideles enim illius Eccleſiæ, tanta conſtantia Ariani & intruſi illegitimi Præſulis communionem ſubterfugerunt, vt nulla vi militum nulliſque tormentis ad eius communionem com-

compelli potuerint. Canonem igitur hunc Apoſtolico iure ad ſchiſmaticos & ſeditioſos coërcendos, vtiliter conſtitutum, Euſebiani ad vexandos Catholicos Synodali hac conſtitutione renouarunt, & in prauum vſum conuerterunt. Vnde quod hoc Canone ſecundùm Eccleſiaſticam antiquitus traditam diſciplinam ab iis hoc loco diſpoſitum fuit, à Patribus Chalcedonenſis Concilij (cuius 4. Actione, ſuppreſſo Antiocheni Concilij nomine, integre recitatur) non planè abiectum; ſed ab Arianis, tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicatum fuit. Vide Baronium anno 341. nu. 35. & 36.

CANON VI.

De excommunicatis.

11. q. 3. Si quis à proprio.

SI QVIS à proprio Epiſcopo communione priuatus eſt, non antè ſuſcipiatur ab aliis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo, aut certè ad Synodum, quę congregatur, occurrens pro ſe ſatiſfaciat, & perſuadens Concilio, ſententiam ſuſcipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laicos, & Presbyteros, & Diaconos, omneſque qui ſub regula eſſe monſtrantur.

CANON VII.

De peregrinis.

D. 71. Nullus abſque.

NVLLVS peregrinorum ſine Pacificis, id eſt Commendatitiis, ſuſcipiatur epiſtolis.

CANON VIII.

Vt epiſtolæ à ſolo fiant Chorepiſcopo.

PRESBYTERI qui ſunt in agris, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt: ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos literas deſtinabunt. Chorepiſcopi autem, qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſunt Pacificas, id eſt generales epiſtolas.

CANON IX.

De Metropolitanis Epiſcopis.

6. q. 3. Per ſingulas.

PER ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius Prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere, concurrant. Vnde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Epiſcopos agere, ſecundùm antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantùm, quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubiectas. Vnuſquiſq; enim Epiſcopus habeat ſuæ Parochiæ poteſtatem, vt regat iuxta reuerentiam ſingulis competentem, & prouidentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub eius eſt poteſtate, ita vt Presbyteros & Diaconos ordinet, & ſingula ſuo iudicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum, nec Metropolitanus ſine ceterorum gerat conſilio Sacerdotum.

CANON X.

De Chorepiſcopis.

QVI in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamuis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & vt Epiſcopi conſecrati ſint; tamen ſanctæ Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant, vt gubernent ſibi ſubiectas Eccleſias, earumq; moderamine curaque contenti ſint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter ciuitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubiectus eſt. Si quis autem tranſgredi ſtatuta tentauerit, depoſitus, quo vtebatur honore priuetur. Chorepiſcopum verò ciuitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubiectus eſt.

CANON XI.

De Epiſcopis vel Clericis adeuntibus Imperatorem.

SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut quilibet regulæ ſubiectus Eccleſiæ, præter Concilium & literas Epiſcoporum Prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari & abiici oportere non ſolùm à communione, verùm & ab honore cuius particeps videtur exiſtere, quia venerandi Principis auribus moleſtiam tentauit inferre contra leges Eccleſiæ. Si igitur adire Principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu & conſilio Metropolitani, & ceterorum — 21. q. 8. Si quis Epiſcopus.

Digitized by Google

rum Epiſcoporum, qui in eadem Prouincia commorantur, qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.

CANON XII.

De damnatis Epiſcopis aut Clericis, adeuntibus Imperatorem.

10.q.3. Si quis à proprio. SI QVIS à proprio Epiſcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad maius Epiſcoporum conuerti Concilium, & quæ putauerint habere iuſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones ac iudicia præſtolentur. Si verò hæc paruipendentes moleſti fuerint Imperatori; hos nulla venia dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitùs opperiri diiudicamus.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem aduerſus Athanaſium conſtitutum fuiſſe, hinc conſtat, quòd quem illi Concilio Tyrio condemnauerant, & Sede Alexandrina per ſententiam depoſuerant, ac demum auxilio Imperatoris Conſtantini Magni relegarant, ſolus Imp. Conſtantinus Iunior, citra alterius Concilij maioris numeri Epiſcoporum ſententiam ac decretum, ab exilio reuocaſſet, & priſtinæ Sedi Alexandrinæ reſtituiſſet. Hic eſt ille Canon, quem aduerſarij S. Chryſoſtomo obiecerunt, quemque ille ab Arianis ſancitum, meritoque per Sardicenſe Concilium planè ſublatum eſſe reſpondit. Concilio aduerſariorum deponebatur Chryſoſtomus: alia quadam Synodo Catholicorum indicta abſoluebatur. Quam abſolutionem dum aduerſarij nullius momenti eſſe inſtarent, vtpote quæ contra Antiocheni Concilij Canonem 12. decreta fuiſſet, defenſores Chryſoſtomi libera voce dixerunt id, quod ſuprà dixi; nimirum, obiectum Canonem ab Arianis ſancitum, & per Sardicenſe Concilium, quo cuiuis Epiſcopo à quouis Concilio depoſito, libera facultas Romanum Pontificem adeundi & interpellandi poteſtas conceditur, planè abrogatum eſſe. Vide Socratem lib. 6. c. 16. & Innocentium Romanum in epiſtola ad Clericos Conſtantinopolitanos. Aduertat ergo Lector, qua auctoritate Gratianus, Carranza, & aliqui alij hanc Euſebianorum Synodum in numerum Orthodoxorum Conciliorum retulerint. Vide Baronium 341. n. 29. 30. & 31.

CANON XIII.

Ne Epiſcopi in aliena Prouincia Ordinationes efficiant.

NVLLVS Epiſcopus ex alia Prouincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterij aliquos in Eccleſiis ordinare, licet conſenſum videantur præbere nonnulli, niſi literis tam Metropolitani, quàm ceterorum qui cum eo ſunt Epiſcoporum rogatus adueniat, & ſic ad actionem Ordinationis accedat. Si verò, nullo vocante, inordinato amore deproperet ſuper aliquibus Ordinationibus, & Eccleſiaſticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem, quæ ab eo geruntur, exiſtant: ipſe verò incompoſiti motus ſui, & irrationabilis audaciæ ſubeat vltionem, ex hoc iam damnatus à ſancto Concilio. 9.q.2. Nullus Epiſcopum.

CANON XIV.

De Epiſcopis accuſatis.

SI QVIS Epiſcopus de certis criminibus iudicetur, & contingat de eo comprouinciales Epiſcopos diſſidere, cùm iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æſtimatur, pro totius huius ambiguitatis abſolutione ſanctæ Synodo placuit, vt Metropolitanus Epiſcopus à vicina Prouincia Iudices alios conuocet, qui controuerſiam tollant, vt per eos ſimul, & per comprouinciales Epiſcopos, quod iuſtum viſum fuerit, approbetur. 6.q.4. Si quis Epiſcopus.

CANON XV.

Ad idem.

SI QVIS Epiſcopus de certis criminibus accuſatus, condemnetur ab omnibus Epiſcopis eiuſdem Prouinciæ, cunctique conſonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum Prouinciæ manere ſententiam. 6.q.4. Si quis Epiſcopus.

CANON XVI.

De Epiſcopis vacantibus.

SI QVIS Epiſcopus vacans, in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedemque peruadat abſque integro perfectoque Con- D. 96. Si quis Epiſcopus.

Concilio, hic abiiciatur neceſſe eſt, & ſi cunctus populus quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud eſt, vbi interfuerit Metropolitanus Antiſtes.

CANON XVII.

De Epiſcopis, qui cùm ad Epiſcopatum conuocantur, euitant.

Diſt. 92. Si quis Epiſcopus per manus.

SI QVIS Epiſcopus per manus impoſitionem Epiſcopatum acceperit, & præeſſe populo conſtitutus, miniſterium ſubire neglexerit, nec acquieuerit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione priuari, donec ſuſceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreuerit eiuſdem Prouinciæ Synodus Sacerdotum.

ANNOTATIO.

CANON 16. & 17. hic poſiti, ad verbum in Concilio Chalcedonenſi Act. 4. & 11. abſque titulo Antiocheni Concilij recitantur ex alio quodam codice in Synodo approbato, in quo nonageſimus ſextus nonageſimo quinto, decimus ſeptimus nonageſimo ſexto numero conſignatus erat: adeò vt planè hinc appareat, eos non ex ipſo Antiocheni Concilij codice; ſed ex quadam iam antè facta collectione, communi maiorum auctoritate probata, editos fuiſſe. Baronius num. 34.

CANON XVIII.

Ad idem.

Diſt. 92. Si quis Epiſcopus ordinatus.

SI QVIS Epiſcopus ordinatus ad Parochiam minimè, cui eſt electus, acceſſerit, non ſuo vitio, ſed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam cauſam, non tamen eius vitio perpetratam, hic & honoris ſit & miniſterij particeps, dummodò nil moleſtus Eccleſiæ rebus exiſtat, vbi miniſtrare cognoſcitur. Quem etiam obſeruare conueniet, quidquid Synodus perfecta Prouinciæ, quod viſum fuerit, iudicando decreuerit.

CANON XIX.

Non licere Epiſcopum ordinari ſine conſilio Metropolitani.

Diſt. 65. Epiſcopus non eſt.

EPISCOPVS præter Synodum, & præſentiam Metropolitani, nullatenus ordinetur.

CANON XX.

Vt bis in anno Synodus celebretur.

PROPTER vtilitates Eccleſiaſticas, & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controuerſiamq; recipiunt, optimè placuit, vt per ſingulas quaſque Prouincias Epiſcoporum Concilia celebrentur. Diſt. 18. Propter.

CANON XXI.

Ne Epiſcopus de vna Parochia in aliam tranſeat.

EPISCOPVS ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec ſponte ſua prorſus inſiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Epiſcopis neceſſitate compulſus: maneat autem in Eccleſia, quam primitus à Deo ſortitus eſt; nec inde tranſmigret, ſecundùm priſtinum de hac re terminum conſtitutum. 7. q. 1. Epiſcopum.

CANON XXII.

Epiſcopum non debere in alienam irruere ciuitatem.

EPISCOPVS alienam ciuitatem, quæ non eſt illi ſubiecta, non adeat, nec ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet, ſuper Ordinationē cuiuſquam, nec conſtituat Presbyteros aut Diaconos alteri ſubiectos Epiſcopo, niſi fortè cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentauerit, irrita ſit eius Ordinatio, & ipſe coërceatur à Synodo. 9. q. 2. Epiſcopum nō debere.

CANON XXIII.

Epiſcopo non licere ſucceſſorem ſibi conſtituere.

EPISCOPO non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quòd ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe huiuſcemodi, eſt conſtitutum. Seruetur autem Ius Eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri niſi cum Synodo & iudicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent, eum, qui dignus extiterit, promouere. 8. q. 1. Epiſcopo non liceat.

CANON XXIV.

De rebus ad Eccleſiam pertinentibus.

QVAE ſunt Eccleſiæ, ſub omni ſollicitudine, & conſcientia bona, & fide 9. q. 1. Quæcumque res.

Digitized by Google

de quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat iudicatque, ſeruentur: quæ etiam diſpenſanda ſunt iudicio & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ in Eccleſia congregantur. Manifeſta verò ſint, quæ pertinere videntur ad Eccleſiam, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipſum ſunt, ita vt agnoſcant, nec ignorent quæ ſunt Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat. Vt ſi contigerit Epiſcopum migrare de ſæculo, certis exiſtentibus rebus quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec, quæ propria probantur Epiſcopi, ſub occaſione rerum peruadantur Eccleſiæ. Iuſtum namque & acceptum eſt coram Deo & hominibus, vt ſua Epiſcopus, quibus voluerit, derelinquat; & quæ Eccleſiæ ſunt, eidem conſeruentur Eccleſiæ; vt nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ, & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, & ipſe poſt obitum maledictionibus ingrauetur.

CANON XXV.

Vt Epiſcopus diſpenſandi res Eccleſiaſticas habeat poteſtatem.

12. q. 1. Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum.

EPISCOPVS Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatē, ad diſpenſandum, erga omnes qui indigent, cum ſumma reuerentia & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget, tam in his, quàm in fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis vſibus profuturis, ita vt in nullo qualibet occaſione fraudentur, iuxta ſanctum
1. Tim. 6. Apoſtolum ſic dicentem: Habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus. Quòd ſi contentus iſtis minimè fuerit, conuertat autem res Eccleſiæ in ſuos vſus domeſticos, & eius commoda vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conſcientia Diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus filiiſque committat, vt per huiuſmodi perſonas occultè ceteræ lædantur Eccleſiæ, Synodo Prouinciæ pœnas iſte perſoluat. Si autem & aliter accuſetur Epiſcopus, aut Presbyteri qui cum ipſo ſunt, quòd ea quæ pertinent ad Eccleſiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Eccleſiaſtica facultate ſibimet vſurpent, ita vt ex hoc affligantur quidem pauperes, criminatori verò & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quàm hi qui diſpenſant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi, ſancta Synodo id quod condecet approbante. Et ſubſcripſerunt 30. Epiſcopi, qui in eodem Concilio conuenerunt.

CONC. ROMANVM II.

ſub IVLIO *in cauſa* ATHANASII, *aliorumque Epiſcoporum.*

CVM Ariani per Alexandrinæ Eccleſiæ Legatos Romæ coram Iulio Pontifice conuicti, ad Concilium appellaſſent, Pontifex eorum appellationi deferens, hanc Synodum Romæ celebrandam indixit: cumque querelæ aduerſus Arianos aliunde accumularentur, ipſos cum Athanaſio per literas debitè citatos, certo atque præfixo termino præſentes adeſſe mandauit. Athanaſius Pontificis mandato obtemperans, tempore quo oportebat maturè præſtò fuit. Ariani verò poſt futiles & inanes excuſationes, Encæniorum Antiochenæ Eccleſiæ celebritatem prętexentes, non modò contumaciter ſe abſentarunt; verùm etiam Conciliabulo quodam, de quo ſuprà, ibidem celebrato, Athanaſium Epiſcopatu & ſede Alexandrina amouerunt, inque eius locum Gregorium Cappadocem Arianum ſubrogarunt. Intereà Athanaſius Romæ Ægyptiorum Monachorum inſtitutionem, & admirabilem vitam Magni Antonij adhuc viuentis à ſe deſcriptam promulgauit, & ad imitandam & conſectandam vitam monaſticā, omnibus hominibus reuerendam, ex Romanis feminis nobiliſſimas plurimas induxit: S. Hieronymus ep. 16. ad Principiam. Publicam etiam ibidem Catho-

ANNO DOMINI CCCXLII CCCXLI.

Digitized by Google

Catholicæ fidei profeſſionē, quæ Symbolum Athanaſij appellatur, Latino ſermone coram Pontifice eiq; aſſidentibus recitauit. Hanc Pontifex ab ipſo cognitam atque ſuſceptam, vnà cum Actis Synodi in ampliſſimo Romanæ Eccleſiæ Archiuo collocari mandauit. Cùm iam Athanaſius Romæ vltra annum & ſex menſes aduentum Euſebianorum expectaſſet, ne diutiùs, quàm par erat, ab Eccleſia abeſſet, cauſa illius in iudicium 50. Epiſcoporum deducta eſt: quia cùm Actis Tyriis & Mareoticis (quę nocturno tempore fugientes Arianorum Legati turpiter conuicti, vt patet ex epiſt. 4. Iulij Romani, reliquerant) diligenter peruiſis, accuſantium calumniam deprehendiſſent, Athanaſium calumnioſè accuſatum abſoluerunt, in communionem Eccleſiæ receperunt, cumque literis Communicatoriis ad ſuos redeuntem dimiſerunt. Id quidem Iulius epiſt. 4. quam ad Euſebianos ex III. Romano Concilio poſt cladem Alexandrinam ſcripſit, teſtatur his verbis: *Cùm igitur iſtiuſmodi allegarentur, & tot teſtes pro Athanaſio ſtarent, & ipſe tam iuſta pro ſe adferret: quid quæſo nos oportuit facere? An non quod Eccleſiaſtici Canonis eſt? hominemque proinde non condemnaremus; ſed potiùs acciperemus, eumque pro Epiſcopo, quemadmodum eſt, haberemus*, &c. Hoc ſecundum eſt iudicium, quo ipſe Athanaſius à calumniis ſibi ab Euſebianorum malitia illatis publicè abſolutus eſt. Qua de re initio ſuæ Apologiæ ſecundæ hæc ipſe ſcribens, ait: *Preſbyter enim Vitus, plures Epiſcopos quàm quinquaginta ad Concilium adduxit, vbi & noſtra defenſio recepta fuit, noſque digni habiti ſumus communione & agape.* Ibidem hæc: *Quod ad nos attinet, nullo iudicio opus eſt. Iudicatum eſt enim non ſemel ſecundùm nos, ſed ſæpiùs & ſæpiùs: primùm quidem in noſtra Prouincia, cùm ad id coiſſent propemodum centum Epiſcopi: ſecundùm Romæ, nobis ceteriſque aduerſariis Euſebij ad eius criminoſas literas iudicio comparentibus. Fuerunt autem in eo conſeſſu pluſquam quinquaginta Epiſcopi.* De cognita hoc eodem Concilio cauſa Marcelli Ancyrani Epiſcopi, qui, vt in Conciliabulo Conſtantinopolitano ſub Marco videre eſt, ob Samoſatenianam hæreſim ab Euſebianis ſede ſua deturbatus, & in exilium relegatus, Romanum Pontificem appellans, Romam (teſte Athanaſio) profectus eſt, hæc Iulius Pontifex prædicta epiſt. 4. *De Marcello autem, poſtquam de illo quoque vt impio in Chriſtum perſcripſiſtis, vobis ſtudui ſignificare, eum cùm huc veniſſet, affirmaſſe falſa eſſe, quæ de ſe literis veſtris ſcripta eſſent. Sed tamen cùm à nobis poſtularetur, vt de fide diceret, tanta cum fiducia per ſe reſpondit, vt nemo non perciperet, eum nihil à veritate proferre alienum; ſed eadem pietate, qua Eccleſia de Domino ac Saluatore noſtro ſentire: neque iam tantummodò, ſed etiam olim huius ſententiæ ſe fuiſſe confirmabat*, &c. Quòd verò non Athanaſij tantùm atque Marcelli, ſed & aliorum quamplurium, querelas de illata ſibi ab Arianis vi & iniuria afferentium, cauſæ hac Synodo diſcuſſæ fuerint, ſubditur his verbis: *Non ſolùm Athanaſius & Marcellus Epiſcopi, cum querimoniis de illatis iniuriis, ſed & plurimi alij Epiſcopi ex Thracia, Cæleſyria, Phœnicia, Palæſtina huc conuenere: Preſbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus Epiſcopis ibi congregatis inter reliqua dicta ſua conqueſti ſunt, vim & iniurias Eccleſiis illatas eſſe, ſuaſque Eccleſias eadem quæ Alexandrina paſſas eſſe.* Id ſanè non citra probabilitatem intelligi poſſet de Euſtathio Antiocheno Epiſcopo, quem ſede Antiochena deturbatum (ideò quòd in matrem Conſtátij Principis contumelioſè locutus fuiſſet, atque Sabellianæ hæreſeos ſectator, mulierculæ cuidam ſtuprum intuliſſet) in exilium relegauerant, anno nimirum Chriſti 340. quo poſt Synodum hanc Romæ indictam, Paulum Conſtantinopoli Alexandro in Epiſcopatu ſuffe-

ctum,

ctum, Euſebius Nicomedienſis olim Antiſtes, Conſtantinopolitanæ ſedis inuaſor deiecit. Ita tres acerrimos Nicænæ fidei defenſores ab Arianis ſedibus ſuis amotos, legitima iudicij forma obſeruata abſolui, ſedibus ſuis reſtitui, intruſos exinde amoueri, neceſſum erat. Vide Baronium anno Chriſti 340. n.12. & ſeqq. item 341. n.46. & ſeqq.

CONCIL. ROMANVM III. *ſub* IVLIO.

ANNO DOMINI CCCXLII.

CONCILIVM hoc celebratum eſt Romæ anno Domini 342. poſt cladem illam Alexandrinam, qua Gregorius in locum Athanaſij ab Euſebianis Antiochena Synodo ſuffectus, magna Chriſtianorum calamitate & templorum incendio in vrbem introductus eſt, quóve cladem Alexandrinam præuiſam fugiens, Romam reuerſus, ibique deinceps triennio commoratus eſt: cumque Elpidius & Philoxenus, ab Euſebianis in Oriente hucuſque detenti, cum literis ex Antiocheno Conciliabulo ad Iulium acerbiſſimè & contumelioſè ſcriptis, tandē dimiſſi fuerunt. Qui vbi prædicto anno Romam veniſſent, obtuliſſentque Pontifici Arianorum literas, quibus de Athanaſio abſoluto, de termini ad cōparendum præfixi anguſtia, de iudicio Romani Pontificis & Concilij illegitimè vſurpato, deque aliis pluribus conquerebantur. Pontifex hac Synodo comprouincialium ſecundùm Apoſtolicam conſtitutionem congregata, literas eorum, aliter quàm ſtatuerat, legi & publicari demandauit, quídve calumniatoribus reſpondendum videretur, inquiſiuit. Placuit autem omnibus ibidem congregatis, vt per epiſtolam à Iulio omnium nomine ſcripta, calumniæ Euſebianorum refutentur, iniuriæ depellantur, & iuſta Athanaſij, Marcelli, & aliorum factæ Synodales abſolutione defendantur.

Hanc verò Synodum à priore Romana diuerſam non eſſe arbitrantes, idcò quòd Athanaſij, aliorumque abſolutiones ſubſequente epiſtola poſt cladem Alexandrinam enarrentur, grauiter errant. id enim factum eſt per anticipationem, qua ſolent quandoq; propter rerum affinitatem priùs enarrari ea, quæ poſteriùs acciderunt. Anno 341. Romana Synodo prædictos Epiſcopos abſolutos; alia quadam anno 342. celebrata, Euſebianorum literas expoſtulatorias perlectas; ac demum mandato Synodi, per reſcriptum Iulij ad Synodum ſequente anno 343. Romæ cōngregandam, vocatos fuiſſe, mirum eſſe non debet: cùm non tantùm lege Apoſtolica, de qua in Can. Apoſt. ſuprà egimus; verùm etiam Antiocheno Euſebianorum Conciliabulo conſtitutum fuerit, vt bis in anno Concilia Epiſcoporum ſaltem comprouincialium celebrentur. Vide Baronium anno 341. num.47. anno.342. n.28. & 34.

CONC. ANTIOCHENVM II. *ab* ARIANIS *celebratum ſub* IVLIO.

HANC Synodum ab Arianis anno tertio poſt Antiochenam in Encęniis celebratam, habitam fuiſſe Antiochiæ anno Chriſti 344. atq; in ea prioribus fidei formulis reiectis, aliam ceteris prolixiorem, & ad Occidentales Epiſcopos, quos nulla adhuc Arianæ perfidiæ labecula contaminarat, decipiendos conuenientiorem edidiſſe, eamq; in Occidentem nullo cum fructu tranſmiſiſſe, poſt Athanaſium Sozomenus lib.1. cap.20. apertè indicat. CCCXLIV. *Epiſcopi enim Occidentis eam non receperunt: reſponderuntque ſe decretis Nicæni Concilij velle acquieſcere: & præter illa nihil ampliùs curioſè inquirendum curarūt.* Sic Sozomenus, quem ſecutus eſt Socrates lib.2. c.15. Prædicto autem tempore hanc Synodum habitam fuiſſe, etiam manifeſtè colligitur ex Athanaſio de Synodis, cùm ait: *Rurſum quaſi iſtorum pænitētia laborarent,* (nempe de editis quatuor fidei regulis) *pænitentes, poſt triennium iterùm in conſeſſum veniunt.* Vt ergo

Digitized by Google

ergo Orientales Epiſcopi eam, qua laborabant, Arianæ hæreſeos ſuſpicionem eluerent, & ab Ariano contagio ſe procul abhorrere ſignificarent, probatum in Magna Nicæna Synodo nomen *conſubſtantialitatis* delerent, ipſumq; vocabulum prædictum crebris validiſque arietum ictibus quatientes, omnem ſimul cum eo fidem Orthodoxam proſternerent, ſicque Arij impietatem diu dolo ſuppreſſam erigerent, aliam fidei Formam, qua Ariana hæreſis ſpecie tenus condemnatur, omneſque eius poſitiones ſimplicioribus deſtrui videntur, ediderunt; editamque per Eudoxium, Martyrium, Macedonium, & Demophilum ad Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopos tranſmiſerunt. Quo autem euentu, ſequenti Concilio conſtabit. Vide Baronium anno 344. nu. 1.2.3.4. Vide etiam Binium, qui hîc ponit fusè prædictam Formulam.

CONC. MEDIOLANENSE I.

ſub IVLIO *à* CATHOLICIS *celebratum.*

ANNO DOMINI CCCXLIV. CVM Eudoxius, Martyrius, Macedonius, & Demophilus Orientalium Legati prædicto Concilio Antiocheno deſignati, iuxta Formulam fidei, quam velut Catholicam & Orthodoxam venditabant, ſibi atque omnibus Orientalibus, velut Orthodoxis & Catholicis Epiſcopis, communionem Romanæ Eccleſiæ impertiri petiuiſſent, Orthodoxi Patres in hoc Conuentu Mediolani congregati, ante omnia oblatam fidei Formulam examinantes, ipſam ob nouitatem, & nomen *conſubſtantialitatis* omiſſum, reiecerunt; ideò maximè, quòd ad abluendam labem ex Arianæ hæreſeos ſuſpicione contractam, & ad communionem Eccleſiæ Catholicæ impetrãdam, ſatis fuiſſet, Catholicæ fidei Nicænum Symbolum profiteri, ipſumq; ſuo chirographo conſignatum, quod fecerant antehac alij, Romam miſiſſe. Cùm igitur fraude eorum cognita, Orthodoxi Epiſcopi Arij ſententias condemnare vellent, Legati, qui hactenus & verbis & ſcriptis ſe id facturos eſſe præ ſe tulerant, continuò reſilierunt, ſimulq; ſuam & aliorum impoſturam detexerunt. Ad fidem Verbi diuini, Deo Patri conſubſtantialis, per occultos meatus & cuniculos euertendam, non ſatis hominibus perfidis ac turbulentis fuit, quòd Athanaſium falſis criminibus afflictis circumueniſſent, ipſumque cum pluribus aliis fidei defenſoribus ſedibus exturbaſſent; ſed oportebat etiam apud Occidentales hoc ad fraudem & impoſturam adiicere, vt crebris de fide Catholica Conciliis celebratis, velut mole quadam vnicum Nicænum obruerent, ſtatutamque in ea vnicam fidei Catholicæ profeſſionem toto orbe receptam, Formulis aliis à ſe frequenter commutatis, eliminarent. Rem hoc Concilio geſtam Liberius Pontifex in ea epiſtola, quam ad Conſtantium ſcripſit, quæque in Tomo 9. Bibliothecæ SS. Patrum, & apud Binium habetur, tractat. Vide Baronium anno 344. n. 45. & 46.

Digitized by Google

CONCILIVM SARDICENSE GENERALE,

Quod eſt NICÆNI Appendix.

ANNO DOMINI CCCXLVII.

CIRCA hoc Concilium ſciendum, quòd Iulius Pontifex Romanus, ait Sozomenus lib.3. c. 9. cùm litteris apud Epiſcopos Orientis, de rebus propter quas ſcripſiſſet, nihil proficeret, neque Arianos frequentiſſimè ad Romana Concilia vocatos, ad comparendum inducere poſſet, hanc Vniuerſalem Synodum Sardicæ celebrandam indixit: à qua, ne Arianis Concilia detrectantibus, impunè abeſſe liceret, Epiſcopos quoſdam ad Conſtātem Mediolani agentem ablegauit, qui peterent, vt Imperator literis ad fratrem Conſtantium ſcriptis impetraret, ne Ariani, quod hactenus fecerant, iudicium Eccleſiæ & Vniuerſalis Concilij ſubterfugerent. *Poſt triennium*, nimirum commorationis Romæ Magni Athanaſij, *quarto denique anno literis iuſſit*, inquit Athanaſius Apologiâ ad Conſtantium, *vt ad ſe venirem (agebat autem per id tempus Conſtans Mediolani.) Sciſcitabar quid cauſæ eſſet cur euocaret: quippe ignarus omniū, teſtis eſt mihi Deus. Comperiebam autem, quoſdam Epiſcopos, qui eò profecti erant, precibus ab eo poſtulaſſe, vt tuæ pietati de Synodo facienda ſcriberet. Cùm igitur veniſſem Mediolanum, expertus ſum illius mirificam humanitatem; dum & me ſuis oculis dignatur, verbiſq; indicat, ſe ad te de celebrando Concilio literas miſiſſe.* Hæc Athanaſius. Ex eo quod ait Socrates lib.2. c.16. quoſdam Epiſcopos ad hoc Concilium non veniſſe propter præſentem corporis infirmitatem: alios verò cauſatos anguſtiam temporis à Iulio pręſtituti, neceſſarium deducitur argumentum, quòd Iulius Pontifex Romanus hanc Synodum indixerit; Arianiſque debito modo Sardicam citatis certum comparendi terminum præfixerit ac definiuerit. Vide Baronium anno 346.n.3.& 5.

De hoc Concilio Bellarminus c. 7. lib.1.de Conciliis & Eccleſia, ſcribit, partim confirmatum, partim reprobatum eſſe: quia ex 376. Epiſcopis Sardicę congregatis, pars maior fidem Catholicam & Orthodoxam Nicæni Concilij confirmauerit, & ea quæ Nicæna Synodo obſcuriùs conſtituta erant, explicauerit: ex iiſdem verò ſeptuaginta ſex reliqui Orientales Epiſcopi Arianam fidem ſcripſerint, nouamque à quatuor ſuprà poſitis fidei Formulis diuerſam, iterùm ediderint ac promulgarint. Verius eſt quod lib.2. de Rom. Pont. c.21. & 25. ipſe Bellarminus, & poſt eum Cardinalis Baronius anno 347. nu. 62. tradunt, Sardicenſium Conciliorum duo fuiſſe, vnum legitimum ex Orthodoxis dumtaxat Epiſcopis 376. congregatum: alterum ſpurium & illegitimū, ab Arianis Philippopoli celebratum, ementito nomine Sardicenſe appellatum. Illud Catholicum Vniuerſale, totoque orbe iure receptum; hoc autem poſterius, Arianorum dumtaxat malignantium conuentum, illegitimum atque ideò meritò reprobatum fuiſſe. Duas ob cauſas Sardicenſe Concilium ab Auguſtino aliiſque Orthodoxis Patribus velut illegitimum ac ſpurium reie-

Digitized by Google

reiectum fuit; quarum vna eſt, quòd Marcellum Ancyranum Epiſcopum, (quem non ſolius Acacij Ariani, ſed etiam Baſilij epiſt. 52. in eum conſcriptæ teſtimonio, Samoſatenianæ hæreſeos ſectatorem fuiſſe manifeſtò conſtaret) ab omni hæreſeos labe expurgatum abſoluiſſet. Sed cùm Epiphanius Hæreſi 72. anno poſt obitum illius ſecundo ſcripſerit, Marcellũ de hęreſi infamatum, Romæ coram Iulio Pontifice fidei confeſſionem edidiſſe, eademq; præmiſſa in communionem Eccleſiæ Catholicæ receptum fuiſſe, euidenter patet, id quod huic Concilio ex parte Marcelli iniuſtè abſoluti obiicitur, verè calumnioſum eſſe. Altera cauſa huius Concilij ab Auguſtino, Alypio, aliiſque quibuſdam Orthodoxis reprobati eſt, quòd Ariani cum ſuis, Sardicam per fugã elapſi, Philippis in Thracia Conciliabulum, Sardicenſis Concilij nomine condecoratum, celebrarint, illudque patrocinio Conſtantij Imperatoris, velut vnum ac legitimum Sardicenſe Concilium omnibus in locis promulgari curarint. Vnde hoc callidè & per impoſturam hæreticorum effectum eſt, vt S. Auguſtinus, Alypius, aliiq; plures Catholici, ignorantes duo Sardicenſia Concilia, alterum legitimum, alterum verò illegitimum habitum fuiſſe, vtrumque velut impium deteſtati fuerint.

Sed dices: Cùm Sardicenſi Concilio, vnà cum Grato Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopo, triginta quinq; alij aliarum Eccleſiarum in Africa Præſules interfuerint, ipſumque Concilium Carthaginenſe I. eiuſdem Sardicenſis Concilij nominatim meminerit; qua ratione accidere potuit, vt Auguſtinum, alioſque Africanæ Eccleſiæ Epiſcopos, legitimum Sardicenſe Concilium præterierit?

Reſpondeo, In hac tanta rerum ambage nihil æquius exiſtimari poſſe, niſi quòd ex tot tantiſque inuaſionibus atque graſſationibus, à Donatiſtis aduerſus Catholicos ſæpè conflatis, Sardicenſes Canones iacturam paſſi fuerint, aut ſaltem caſu quodam nobis planè incomperto exciderint. Primo Carthaginenſi Concilio hæc ignorantia vinci non potuit, cùm eodem tempore idem Carthaginenſe Concilium vel malitia Arianorum, vel Catholicorum prouidentia occultatum, à poſteris Africanæ Eccleſiæ Epiſcopis citra culpam ignoratum fuerit. Primum Carthaginenſe, ſi extitiſſet, Sardicenſis Concilij notitiam reduxiſſet, atque adeò ea controuerſia, quæ de iure appellandi inter Epiſcopos quoſdam Romanos & Africanæ Eccleſiæ Epiſcopos circa tempora Concilij Carthaginenſis Sexti exorta fuerat, quæque ferè vniuerſam Africanam Eccleſiam in maximum ſchiſmatis periculum induxerat, faciliimo negotio componi potuiſſet. Vide Baronium anno 347. n. 55. vſque ad 98.

Verùm, cùm ex præcedentibus conſtet, Sardicenſe Concilium ſacroſanctam fuiſſe Synodum Oecumenicam, totoq; orbe receptam, meritò quiſpiam dubitauerit, cur ad Vniuerſalia & Oecumenica approbata numerum non addat? Inter Vniuerſalia approbata Concilia, Nicænum conſtituitur primum, Conſtantinopolitanum ſecundum, Epheſinum tertium. Ex iis quæ ſuprà diximus videbatur Sardicenſe ſecundum, Conſtantinopolitanum tertium, Epheſinum quartum, Chalcedonenſe quintum eſſe conſtituendum. Sed dicendum eſt, Sardicenſe Concilium cum Nicæno vnum idemq; cenſeri; tum quia vtrique ferè iidem Patres interfuerint, aliudque nihil, quod in aliis Conciliis factum eſt, conſtituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmarint, illius Canones dumtaxat explicarint, aut ſaltem corroborauerint: tum etiam, quòd Canones vtriuſque Concilij, Sardicenſis nimirum & Nicæni, in Romana Bibliotheca, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionyſius ante mille annos è

Græco conuertit, quodque etiamnum adhuc Atrebati in Monaſterio Vedaſti extat, ita coniuncti habeantur, quaſi vnius Concilij Canones fuerint. Vnde ſicut Conſtantinopolitanum Symbolum paſſim vocatur Nicænum, quia eſt explicatio Nicæni; ita tres Canones Sardicenſis Concilij, Zoſimus, Bonifacius, Cælestinus Pontifices in ſuis epiſtolis, Patreſque Concilij Carthaginenſis VI. Nicænos appellarunt; propterea maximè, quòd Sardicenſis Concilij Canones verè nihil aliud ſint, quàm Nicænorum Canonum explicatio vel confirmatio. Canon ſextus Concilij Nicæni, præcipiens antiquas conſuetudines Eccleſiæ obſeruari, implicitè id, quod iam anterioribus ſæculis aliquot obſeruatum fuit, cõſtituerat: nimirum vt Epiſcopis, ab Epiſcoporum ſententia ad Romanum Pontificem appellantibus, non grauatè deferatur. Cùm itaque Athanaſius Euſebianorum iudicio condemnatus, ad Iulium Romanum Pontificem appellaſſet; eamque velut illegitimam & iniuſtam ipſi calumniarentur, quaſi à Concilio multorum Epiſcoporum condemnatus, non niſi ad Concilium maioris numeri Epiſcoporum appellare debuerit: Patres huius Concilij hanc ob rem de iure appellãdi ea conſtituerunt, quę infrà can. 4. 7. &c. ſtatuta reperiuntur. Quæ cùm implicitè, modo quo ſuprà dixi, in Nicæno conſtituta fuerint, Nicæni Canones non incongruè nominati leguntur. Vide Baronium anno 347. n. 99. item 419. num. 70. 88. & 89. Bellarminum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25.

Circa numerum Epiſcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, in primis non eſt audiendus Gratianus, qui in Can. 11. diſt. 16. dicit, ſexaginta tantùm Epiſcopos huic Concilio interfuiſſe: cùm Athanaſius, qui Concilio ipſi interfuit, in epiſtola ad Solitarios dixerit, conueniſſe ex Oriente & Occidente Antiſtites numero plus minus trecentos: & in exordio ſuæ Apologiæ 2. affirmat, ſuam innocentiam pluſquam trecentos Epiſcopos exploratam habuiſſe & probaſſe: & paulò infrà ait, huic Synodo ſubſcripſiſſe in vniuerſum trecentos quadraginta quatuor Epiſcopos. Hoc autem certum eſt, omnes, quotquot in hac Synodo congregati fuerunt Epiſcopi, Catholicos fuiſſe: & Archidamus & Philoxenus Presbyteri, teſte Athanaſio, Pontificiæ Legationis munere fungentes, his omnibus præſederunt.

De tempore verò, quo celebratum fuit hoc Concilium, Socrates lib. 2. c. 15. ſic loquitur: *Vndecimo anno poſt mortem patris duorum Auguſtorum, Ruffino & Euſebio Conſulibus, Concilium Sardicenſe coactum eſt.* Hoc idem affirmat Sozomenus lib. 3. cap. 11. in fine. Vnde conſtat, hanc Synodum anno Chriſti 347. Iulij Pontificis 11. Æra 385. Conſtantij & Conſtantis anno etiã vndecimo celebratam fuiſſe. Nam iuxta veriorem temporum ſupputationem, prædictorum Conſulum, Pontificum, Imperatorũ, & Chriſti nati chronologiæ coincidunt. Mendaciſſima igitur eſt inſcriptio Surianæ Editioni incerto Auctore præfixa, hæc: *Anno ſexto Conſtantij Imp. Leontio & Saluſtio Conſulibus, Aera 381. Sardicenſis Synodus congregata eſt.* Non enim prædictis Auctoribus tantùm, & rerum geſtarum commemorationi repugnat; verùm etiam ſibi ipſi nequaquam conſtat. Si, quod habet, Saluſtio & Leontio Conſulibus coacta fuit; Conſtantio 8. non 6. Æra 382. non 381. habitam fuiſſe, neceſſum foret. Baronius anno 347. num. 1.

Sequuntur CANONES CONCILII SARDICENSIS.

CAP. I.

De Epiſcopis, qui ciuitates mutauerint.

OSIVS Epiſcopus dixit: Non minùs mala conſuetudo, quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ſua ciuitate ad aliam tranſire ciuitatem. Manifeſta Diſt. 1. Mala conſuetudo.

ſta

ſta eſt enim cauſa, qua hoc facere tentant, cùm nullus in hac re inuentus ſit Epiſcopus, qui de maiori ciuitate ad minorem tranſiret. Vnde apparet, auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, & vt dominationẽ agant. Si omnibus placet, huiuſmodi pernicies ſæuiùs & auſteriùs vindicetur, vt nec laicam communionem habeat, qui talis eſt? Reſponderunt vniuerſi: Placet.

ANNOTATIO.

OCCASIONE Euſebij Nicomedienſis, qui poſt duas ſedes mutatas, ſe Conſtantinopolim transferri curauerat, aliorumque etiam Epiſcoporum, qui humanæ gloriæ libidine incitati, è minoribus ad maiores ſedes prouehi laborauerant: ideoque Athanaſio & Euſtathio Antiochenis Primatibus eiiciendis ac deturbandis, ex ambitione calumniam intulerant: hac, inquam, occaſione grauiùs hîc, quàm Nicæni Concilij Canone 15. conſtitutum fuerat, ne Epiſcopi eas, in quibus ordinati ſunt ſedes aliò transferant, aut immutent. Nicæna Synodus Can. 15. iuſſit eoſdem, licet inuitos, in priſtinam ſedem reduci: à Patribus huius Concilij conſtitutum fuit, ne laica communione etiam in fine vitæ impartirentur. Baronius anno 347. nu. 46.

CAP. II.

De eiſdem Epiſcopis.

OSIVS Epiſcopus dixit: Etiam ſi talis aliquis extiterit temerarius, vt fortaſſis talem excuſationem afferens, aſſeueret, quòd à populis literas acceperit: cùm manifeſtum ſit, potuiſſe plures præmio & mercede corrumpi, eos qui ſinceram fidem non habent, vt damnarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum. Omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror: ita vt nec laicam in fine communionem talis accipiat. Si verò omnibus placet, ſtatuite. Synodus reſpondit: Placet.

CAP. III.

De Epiſcopo adiudicato.

c. 9. 4. Oſius Epiſcopus. OSIVS Epiſcopus dixit: Illud quoque neceſſariò adiiciendum eſt, vt Epiſcopi de ſua Prouincia ad aliam Prouinciam, in qua non ſunt Epiſcopi, non tranſeant, niſi fortè à fratribus ſuis inuitati, ne videamur ianuam claudere charitatis. Quòd ſi in aliqua Prouincia aliquis Epiſcopus contra fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, vnus de duobus ex alia Prouincia aduocet Epiſcopum cognitorem. Quòd ſi aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in alia cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterùm Concilium renouetur, ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo; & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: Placet.

ANNOTATIO.

CIRCA illa verba, *Quòd ſi aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit*, ſciendum quòd hoc Canone tertio, ſicut etiam quarto & ſeptimo, declaratur, expedire vt ordinariè Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam prouocantibus & appellantibus deferatur: Iure diuino non tantum permiſſum erat, vt Epiſcopi iniuriam paſſi ad ſummum Eccleſiæ & Romani Pontificis tribunal prouocarent; verùm etiam frequenter ante hæc tempora de facto obſeruatum, vt tam Presbyterorum quàm Epiſcoporum appellationes ad Apoſtolicam Sedem admitterentur: adeò vt veriſſimum ſit, quod ſcribit S. Leo epiſt. 89. ad Epiſcopos Galliæ, hanc eſſe antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem. Ad Pium I. Marcion; ad Cornelium, Fortunatus & Felix in Africia; ad Stephanum Pontificem, Baſilides in Hiſpania depoſitus, appellarũt. Athanaſius, vt ſuprà in Romanis Conciliis dictum eſt, ad Iulium Pontificem prouocans, per eum ab Arianorum calumnia & depoſitionis ſententia abſolutus fuit. Vnde manifeſtum eſt, quòd Patres huius Concilij de iure & appellandi poteſtate nihil nouiter conceſſerint; ſed tantùm declararint, vſum & exercitium poteſtatis, de quo non ſine cauſa ipſi antè dubitauerant, nunc Eccleſiæ vniuerſali omnino expedire: partim, ne, ſi omnium appellationes ſine diſcrimine cauſæ admitterentur, nullus litigandi finis eſſet; partim, ne ſi omnis appellandi poteſtas adimeretur, inferiores iudices Epiſcopi tunc verè tyrannidis occaſionem adipiſcerentur.

by Google

Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 21. & 25. vbi ex iure illo, quo ex quauis parte orbis Chriſtiani ad Romanum Pontificem prouocatur, primatum Romanæ Eccleſiæ contra hæreticos noſtri temporis optimè confirmat. Ex tribus illis Canonibus Nicæni Concilij, quos Zoſimus Papa per Legatos ab Africanis executioni mandari petiuit, primarius eſt hic Canon Sardicenſis Concilij tertius, quartus, & ſeptimus, quo declaratur, vt Epiſcopi ad Romanum Pontificem appellantes admittantur & audiantur. Secundum & tertiũ infrà recenſebimus c. 8. 9. & c. & 17. Quare hi Canones Nicæni nominentur à prædictis Pontificibus, ſuprà diximus. His omnibus quæ can. 3. 4. & 7. de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem renouata fuere, Arianos cauſam & occaſionem dediſſe, extra dubium. Quàm indignè tulerint Athanaſium, Marcellũ, Aſclepam, Paulum, alioſque ſedibus ſuis deturbatos, per Iulium abſolutos, ac priſtinæ ſedi reſtitutos fuiſſe, ex dictis patet. Quòd pendente cauſa Athanaſij coram Iulio Pontifice Romano, Euſebiani non expectata ſententia Pontificis, in locum Athanaſij Gregorium Cappadocem intruſerint, ſuggerente Gaudentio Epiſcopo, additum eſt decretum, quod habetur Can. 4. ne in locum damnati aliquem ſufficere liceat, dum ille, qui ad Romanum Pontificem appellaſſet, eius ſententiam expectaret. Baronius num. 48.

Cap. IV.

De Epiſcopis depoſitis.

GAVDENTIVS Epiſcopus dixit: Addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, vt cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma; alter Epiſcopus in eius cathedra, poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.

Cap. V.

Quando quis debeat à vicinis Prouinciæ Epiſcopis ordinari.

Diſt. 65. c. fin. OSIVS Epiſcopus dixit: Si contigerit in vna Prouincia, in qua plurimi fuerint Epiſcopi, vnum fortè remanere Epiſcopum, ille verò per negligentiam noluerit ordinare Epiſcopum, & populi conuenerint; Epiſcopi vicinæ Prouinciæ debent illum priùs conuenire Epiſcopum qui in ea Prouincia moratur, & oſtendere, quòd populi petant ſibi rectorem. Et hoc iuſtum eſſe, vt & ipſe veniat, & cum ipſo ordinent Epiſcopũ. Quòd ſi conuentus literis tacuerit & diſſimulauerit, nihilque reſcripſerit, ſatisfaciendum eſſe populis, vt veniant ex vicina Prouincia Epiſcopi, & ordinent Epiſcopum.

Cap. VI.

De non ordinandis Epiſcopis per vicos.

LICENTIA verò danda non eſt ordinandi Epiſcopum aut in vico aliquo, aut in modica ciuitate, cui ſufficit vnus Presbyter: quia non eſt neceſſe ibi Epiſcopum fieri, ne vileſcat nomen Epiſcopi, & auctoritas. Non debent illi ex alia Prouincia inuitati facere Epiſcopum, niſi aut in his ciuitatibus, quæ Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua talis, aut tam populoſa eſt ciuitas, quæ mereatur habere Epiſcopum. Si hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: Placet.

Annotatio.

Hoc decretum ea de cauſa ſancitum eſt, quòd Ariani Iſchyram, ad extruendas Athanaſio calumnias, Epiſcopatus pollicitatione inductum, poſt condemnationem Athanaſij in Tyrio Conciliabulo Epiſcopum ſuiipſius vici creauerant. Baronius num. 49.

Cap. VII.

De Epiſcopis accuſatis.

OSIVS Epiſcopus dixit: Placuit autem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit vt renouetur iudiciũ vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterùm audiri, deprecatione ſua 11. q. 9. Si quis Epiſcopus.

ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.

CAP. VIII.

Vt Epiſcopi paſſim ad Comitatũ non pergant.

OSIVS Epiſcopus dixit: Importunitates, & nimia frequentia, & iniuſtæ petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel gratiam, vel fiduciam, dum quidam non ceſſant ad Comitatum ire Epiſcopi, & maximè Afri, qui (ſicuti cognouimus) ſanctiſſimi fratris & Coëpiſcopi noſtri Grati ſalutaria conſilia ſpernunt atque contemnunt, vt non ſolùm ad Comitatum multas & diuerſas Eccleſiæ non profuturas perferant cauſas, neque vt fieri ſolet aut oportet, vt aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis ſubueniatur: ſed & dignitates ſæculares & adminiſtrationes quibuſdam poſtulant. Hæc itaque prauitas olim non ſolùm murmurationes, ſed & ſcandala excitat. Honeſtum eſt autem, vt Epiſcopi interceſſionem his præſtent, qui iniqua vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus expolietur; ſi tamen iſthæc nomina iuſtam habeant cauſam aut petitionem. Si vobis ergo, fratres chariſſimi, placet, decernite, ne Epiſcopi ad Comitatum * accedant, niſi fortè hi, qui religioſi Imperatoris literis vel inuitati vel euocati fuerint. Sed quoniam ſæpè contingit, vt ad miſericordiam Eccleſiæ confugiant, qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel inſulis damnantur, aut certè quamcumque ſententiam ſuſcipiunt, ſubueniendum eſt his, & ſine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite, ſi vobis placet. Vniuerſi dixerunt: Placet, & conſtituatur.

* *Id eſt, ad* Curiam, vel aulam Imperatoriam.

ANNOTATIO I.

HIC Canon dicitur Nicænus, quòd Nicæni alicuius decreti confirmatio ſit, aut interpretatio; vel quia omiſſo titulo Sardicenſis Concilij ab Arianis diffamati, cum Nicænis Canonibus à Collectore coniunctus fuerit.

CAP. IX.

De Diaconis ad Comitatum dirigendis.

OSIVS Epiſcopus dixit: Hoc quoque prouidentia veſtra tractare debet, quia decreuiſtis, ne Epiſcoporum improbitas nitatur, vt ad Comitatum pergant. Quicumque ergo (quales ſuperiùs memorauimus) preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum ſuum mittant: quia perſona miniſtri inuidioſa non eſt, & quæ impetrauerit, celeriùs poterit referre. Et hoc conſequens eſſe videtur, vt de qualibet Prouincia Epiſcopi ad eum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum preces mittant, qui in Metropoli conſiſtit, vt ille & Diaconum eius, & ſupplicationes deſtinet, tribuens Commendatitias epiſtolas pari ratione ad fratres & Coëpiſcopos noſtros, qui in illo tempore in his regionibus & vrbibus morantur, in quibus felix & beatus Auguſtus rempublicã gubernat. Si verò habeat Epiſcopus amicos in Palatio, qui cupit aliquid (quod tamen honeſtum eſt) impetrare, non prohibetur per Diaconum ſuum rogare ac ſignificare his, quos ſcit benignam interceſſionem ſibi abſenti poſſe præſtare.

CAP. X.

Quòd ſit eundum ad Comitatum pro pupillis, & viduis.

SI verò Romam venerint, (ſicut dictũ eſt) ſanctiſſimo fratri & Coëpiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ preces, quas habent, tradant, vt & ipſe priùs examinet, ſi honeſtæ & iuſtæ ſunt, & præſtet diligentiam atque ſollicitudinem, vt ad Comitatum perferantur. Vniuerſi dixerunt, placere ſibi, & honeſtum eſſe conſilium.

Alypius Epiſcopus dixit: Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui

Digitized by Google

cauſas non iniquas habent, ſuſceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid rationis. Nunc verò cũ ea poſtulent præcipuè, quę ſine inuidia hominũ, & ſine reprehenſione eſſe non poſſunt, non neceſſe eſt, eos ire ad Comitatum.

CAP. XI.

Quòd Epiſcopi euntes ad Comitatum ſollicitè diſcutiant.

GAVDENTIVS Epiſcopus dixit: Ea quæ ſalubriter præmonuiſtis, conuenientia & æſtimatione omnium, & Deo placitura & hominibus, tenere hanc firmitatem poſſunt, ſi metus huic ſententiæ coniungatur. Scimus enim & ipſi, ſæpiſſimè propter paucorum impudentiam religioſum Sacerdotale nomen fuiſſe reprehenſum. Si igitur aliquis contra omnium ſententiam niſus, voluerit ambitioni magis placere quàm Deo, is debet ſcire, cauſis redditis, honorem dignitatemq; ſe amiſſurum. Quod ita demum compleri poterit, ſi vnuſquiſque noſtrûm, qui in Canali conſtitutus eſt, cùm progredientem Epiſcopum viderit, inquirat tranſitum eius, cauſas videat, quò tendat agnoſcat: & ſi quidem eum inuenerit ire ad Comitatum, requirat & illud quod ſuperiùs comprehenſum eſt, ne fortè inuitatus eſt, vt ei facultas eundi permittatur. Si verò (vt ſuperiùs memorauit ſanctitas veſtra) propter deſideria & ambitiones ad Comitatum pergat, neque in literis eius ſcribatur, neq; in communionem recipiatur. Si vobis placet, omnium ſententiâ confirmari debet. Vniuerſi dixerunt, hoc honeſtum eſſe, & placere ſibi hanc conſtitutionem.

CAP. XII.

OSIVS Epiſcopus dixit: Sed & moderatio neceſſaria eſt, dilectiſſimi fratres, ne adhuc aliqui, neſcientes quid decretum ſit in Synodo, ſubitò veniant ad ciuitates eas quæ in Canali ſunt. Debet ergo Epiſcopus ciuitatis ipſius admonere eum, & inſtruere, vt ex eo loco Diaconum ſuum mittat. Admonitus ipſe tamen redeat in Parochiam ſuam.

ANNOTATIO.

EPISCOPI in Canalio conſtituti dicebantur, qui ſedes habebant in curſu publico, via ſcilicet, qua equi publicè per ſtationes ſingulas ad iter agendum diſpoſiti erant. Baronius num. 53.

CAP. XIII.

Vt ne ex laico quilibet Epiſcopus ordinetur.

OSIVS Epiſcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, vt diligentiſſimè tractetis, ſi fortè aut diues, aut Scholaſticus de foro, aut ex Adminiſtratore Epiſcopus fuerit poſtulatus, vt non priùs ordinetur, niſi antè & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per ſingulos gradus (ſi dignus fuerit) aſcendat ad culmen Epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari, qua fide ſit, quáve modeſtia, qua grauitate & verecundia: & ſi dignus fuerit probatus, diuino Sacerdotio illuſtretur: quia conueniens non eſt, nec ratio vel diſciplina patitur, vt temerè & leuiter ordinetur aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus eſt, maximè cùm & Magiſter gentium, beatus Apoſtolus, ne hoc fieret, denuntiaſſe & prohibuiſſe videatur: ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Vniuerſi dixerunt, placère ſibi hæc.

Diſt. 61. Oſius Epiſcopus. 1. Tim. 3.

CAP. XIV.

Vt Epiſcopus in aliena Prouincia non immoretur.

OSIVS Epiſcopus dixit: Et hoc quoque ſtatuere debetis, vt Epiſcopus, ſi ex alia ciuitate cùm venerit ad aliam ciuitatem, vel ex Prouincia ſua ad aliam Prouinciam, & ambitioni magis quàm deuotioni ſeruiens, voluerit in aliena ciuitate multo tempore reſidere (fortè enim euenit, Epiſcopum loci non eſſe tam inſtructum, neque tam doctum) is verò, qui aduenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere ſermonem, vt dehoneſtet & deformet illius perſonam, ita vt ex hac occaſione

ſione

Digitized by Google

ſione non dubitet relinquere aſſignatam ſibi Eccleſiam, & tranſeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia, & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutiùs reſideat, pernicioſum eſt. Hoc ergo ne fiat, prouidendum eſt. Memini autem, ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, vt ſi quis laicus in ea, in qua commoratur ciuitate, tres Dominicos dies, id eſt, per tres ſeptimanas, non celebraſſet conuentum, communione priuaretur. Si ergo hæc circa laicos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopo nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam grauis neceſſitas quæ detineat, vt ampliùs à ſupraſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua. Vniuerſi dixerunt, ſibi placere.

De reſidentia Epiſcoporum in ſua Eccleſia.

CAP. XV.

Epiſcopo non licet à ſua Eccleſia plus tribus hebdomadis eſſe.

OSIVS Epiſcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet, ſunt quidam fratres & Coëpiſcopi noſtri, qui non eam ciuitatem poſſident, in qua videntur Epiſcopi eſſe conſtituti, vel certè, quòd paruam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere cognoſcuntur, vel affectionem proximorum, quibus indulgeant, hactenus permitti eis oportet, vt accedant ad poſſeſſiones ſuas, & diſponant vel ordinent fructum laboris ſui, vt poſt tres Dominicos, id eſt poſt tres hebdomadas, ſi morari neceſſe eſt, in ſuis potiùs fundis morentur. Aut ſi eſt proxima ciuitas, in qua eſt Presbyter, ne ſine Eccleſia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat, vt neque res eius domeſticæ per abſentiam eius detrimentum ſuſtineant, & non, frequenter veniendo ad ciuitatem in qua Epiſcopus moratur, ſuſpicionem iactantiæ & ambitionis euadat. Vniuerſi dixerunt, placere ſibi.

CAP. XVI.

De Clericorum excommunicatione.

OSIVS Epiſcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, vt ſiue Diaconus, ſiue Presbyter, ſiue quis Clericorum ab Epiſcopo ſuo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem confugit, eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abiectum; non oportet vt ei communionem indulgeat. Quòd ſi fecerit, ſciat ſe, conuocatis Epiſcopis, cauſas eſſe dicturum. Vniuerſi dixerunt: Hoc ſtatutum & pacem ſeruabit, & concordiam cuſtodiet.

CAP. XVII.

De excommunicatis apud vicinos Epiſcopos audiendos.

OSIVS Epiſcopus dixit: Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si Epiſcopus quis fortè iracundus (quod eſſe non debet) citò & aſperè commoueatur aduerſus Presbyterum ſiue Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit; prouidendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat poteſtatem is, qui abiectus eſt, vt Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa eius audiatur, ac diligentiùs tractetur; quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui aut iuſtè aut iniuſtè eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium diſcutiatur, vt vel probetur ſententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus alius debet præſumere, vt eum communioni ſociet. Hi verò, qui conueniunt ad audiendum, ſi viderint Clericorum eſſe faſtidium & ſuperbiam, quia iam non decet vt Epiſcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, ſeuerioribus verbis eos caſtigent, vt obediant honeſta præcipienti Epiſcopo: quia ſicut ille Clericis ſincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.

11. q. 3. Si forte.

ANNOTATIO.

CLERICVS ab Epiſcopo ſuo Communione iniuſtè priuatus, permittitur finitimorum Epiſcoporum iudicium implorare,

re, & ad eorum ſedem appellare. Can. 22. Concilij Mileuitani idem quod hic, præcipitur Presbyteris & Clericis minoribus; vt ſcilicet ſuas cauſas apud vicinos Epiſcopos terminari permittant, & ad Sedem Apoſtolicam vlteriùs non appellent. An & quomodo Apiarij Presbyteri Africani ad Romanum Pontificem prouocantis appellatio recepta fuerit, dicemus infrà in Concilio Carthaginenſi Sexto. Vide Bellarminum lib. de Rom. Pont. cap. 24.

CAP. XVIII.

De non ſollicitandis Clericis alienis.

IANVARIVS Epiſcopus dixit: Illud quoque ſtatuat charitas veſtra, vt nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi ciuitatis miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare. Vniuerſi dixerunt: Placet; quia ex his contentionibus ſolet naſci diſcordia, & ideò prohibet omnium ſententia, ne quis hoc facere audeat.

CAP. XIX.

Non licere Epiſcopo alterius Clericum in ſua Eccleſia ordinare.

OSIVS Epiſcopus dixit: Et hoc vniuerſi conſtituimus, vt quicumque ex alia Parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſine voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio eius. Quicumque autem hoc vſurpauerit, à fratribus & Coëpiſcopis noſtris & admoneri debet, & corrigi.

CAP. XX.

Vt extranei Clerici apud Theſſalonicam non tardent.

AETIVS Epiſcopus dixit: Non ignoratis, quãta & qualis ſit Theſſalonicenſium ciuitas. Sæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi, & non ſunt contenti breui tempore morari; ſed aut reſident ibi, aut certè vix poſt longa ſpatia ad ſua redire coguntur. Vniuerſi dixerunt: Ea tempora, quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos, & circa has perſonas, obſeruari debent.

ANNOTATIO.

CVR hìc conſtitutum fuerit, ne Clerici extranei diu morarentur Theſſalonicæ in Oriente, cauſam hanc eſſe putamus: Vicarius Romani Pontificis ſedebat Theſſalonicæ, vt patet ex epiſtola 84. Leonis, qua ſcribens ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, facit eum per Orientem Romani Pontificis Vicarium, ſicut eius prędeceſſores fuerant Vicarij ſuorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum. Vt hunc ſpectarent, Theſſalonicam ex tota Græcia Clerici confluebant, ibique diutiùs, quàm oportebat, hærebant. Vicarium Pontificis appello, cui in longinquas & remotiores Prouincias amandato Pontifex Romanus, reſeruatis ſibi cauſis maioribus, iudicandi & regendi Eccleſias illas, vicem ſuam aut ordinariè, aut ſaltem ad tempus delegauit. Ex quo ſanè Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 20. aptiſſimè concludit, ſummum totius Eccleſiæ iudicium ad Sedem Apoſtolicam pertinere: ipſumque Romanum Pontificem demandatam ſibi à Chriſto totius Eccleſiæ monarchiam optimo iure ſemper in Eccleſia vſurpaſſe. Sicut enim ex eo, quòd ad Prouincias gubernandas mittuntur Proreges, iiſdemque cum reſeruatione maiorum cauſarum iudicia deleguntur, prædictarum Prouinciarum ſubiectio; ipſius verò Regis poteſtas, iuriſdictio, & dominium rectè colligitur; ita quoque ex eo, quòd Apoſtolica Sedes Vicarios habebat in omnibus ferè longinquis regionibus, vel vices ſuas ad tempus alicui committebat, grauioribus negotiis ſibi reſeruatis, rectè inferimus, ad Apoſtolicam Sedem totius Eccleſiæ regimen ac iudicium pertinere. Bellarminus vbi ſuprà.

CAP. XXI.

De ſuſcipiendis his, qui perſecutionem patiuntur.

OSIVS Epiſcopus dixit: Suggerente fratre & Coëpiſcopo noſtro Olympio, etiam hoc placuit, vt ſi aliquis vim perpeſſus eſt, & iniquè expulſus pro diſciplina, & Catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis, effugiens pericula, innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire poſſit, aut iniuria eius remedium acceperit: quia durum eſt, eum qui perſecutionem patitur, non recipi. Etiam & larga beneuolentia & humanitas eſt ei exhibenda. Omnis Synodus dixit: Vniuerſa quæ conſtituta ſunt, Catholica Eccleſia in vniuerſo orbe diffuſa cuſtodiat.

Et

Et ſubſcripſerunt, qui conuenerant, omnes Epiſcopi diuerſarum Prouinciarum.

ANNOTATIO.

SVMMA Carranzæ hîc dicit, quòd Epiſcopi fuerunt 121. Sed nos ſuprà ex probatiſſimis teſtimoniis concluſimus, fuiſſe trecentos ſeptuaginta ſex, Catholicos omnes & Orthodoxos. Nomina verò omnium Epiſcoporum in primo Tomo Conciliorum recenſentur, inter quos vnus eſt Arius; qui vtique Orthodoxus & Catholicus fuit: nam vt ſæpè diximus, hæreticorum nemo ad Concilium venit. Et fortaſſe is fuit, cum quo Athanaſius Laodiceæ in Syria anno Chriſti 338. diſputaſſe ſcribitur, & ante habitam diſputationem fortaſſe Arianum conuertit.

CONCILIABVLVM SARDICENSE
à SEMIARIANIS *habitum* PHILIPPOPOLI *in Thracia.*

ANNO DOMINI CCCXLVII.

SEMIARIANI Sardicâ per fugam elapſi, ideò quòd in legitimo Sardicenſi Concilio iuſta iudicij forma conſtituto, de futura victoria nihil ſibi pollicerentur, in vrbe Philippi, quę eſt in Thracia, anno Chriſti 347. vel ſaltem 348. ſeorſim conuenerunt, ibique inſtar canum petram eam, à qua læſi fuerant, fruſtrà mordentium, in Iulium Romanum Pontificem, Oſium Cordubẽſem, Maximum Treuirenſem, alioſque Orthodoxæ fidei Epiſcopos, quòd cum Athanaſio, Paulo, Marcello & Aſclepa ſuo iudicio condemnatis communicaſſent, anathematis ſententiam pronuntiarunt, eamque ſubitò per literas Encyclicas ad diuerſos Epiſcopos ſcriptas (exemplar earum, quas ad Donatum Carthaginenſem miſerunt, ex Bibliotheca Pithœi extat apud Baronium To. 3. anno Chriſti 347. nu. 80.) promulgatam denuntiarunt. Poſt quatuor fidei Regulas Antiocheno Conuenticulo in Encæniis celebrato editas, hoc eodem malignantium congreſſu quintam perfidiæ Formulam, ementito Sardicenſis Concilij nomine inſignitam fabricarunt; in qua Arij poſitionibus quibuſdam damnatis (vnde teſte Epiphanio Hęreſi 75. Semiariani nominari meruerunt) nomen *conſubſtantialitatis* Filij cum Patre omittentes, hoc callidè ſuo more egerunt, vt inſtar ludionum in ſcena, ſuo vultui alia forma & perſona ſuperinducta, Arij hoſtes & Catholicæ fidei propugnatores viderentur; atque ita vniuerſam Eccleſiam deciperent: eoſdem intus Arium incluſum habuiſſe, monſtrum illud deforme quod de neganda Spiritus ſancti Diuinitate iam conceperant, poſteà verò pepererunt, manifeſtè ſatis oſtendit.

Acta Conuenticuli paucis complexus eſt Socrates lib. 2. cap. 16. ſic dicens: *Epiſcopi Orientales confeſtim decedunt: cumque ventum eſſet ad vrbem Philippi, quæ eſt in Thracia, priuatim inter ipſos Concilium conſtituêre: de cetero apertè verbum Conſubſtantiale anathemate damnare, opinionemque quòd Filius Patris diſſimilis eſſet, per literas ſcriptas vbique diſſeminare cœperunt.* Paulò prolixiùs ea Sozomenus lib. 3. c. 10. his verbis: *Separatim per ſe in vnum coacti Acta contraria ſanxerunt. Quare Epiſcopi Orientis, decretis ſuis quæ de Athanaſio, Paulo, Marcello & Aſclepa ediderant, ſtabilitis; primùm omnium Iulium Epiſcopum Romanum, quòd primus omnium cum iſtis communicauerat; deinde Oſium confeſſorem, cùm propter eamdem cauſam, tum propterea, quòd amicus fuerat Paulino & Euſtathio, qui Eccleſiæ Antiochenæ Antiſtites fuiſſent, deinde Maximinum Treueris Epiſcopum, quòd primus cum Paulo communicauerat, & eius Conſtantinopolim reuerſionis auctor extiterat, & Epiſcopis ex Oriente in Galliam profectis Eccleſiæ communionem interdixerat, abdicarunt. Præter iſtos abdicarunt etiam Protogenem Epiſcopum Sardicenſem, & Gaudentium: alterum quidem, quòd Marcelli ſuſceperat patrocinium, quem antè ſuffragio condemnauerat: Gaudentium autem, quòd contrario ſtudio ducebatur quàm Cyriacus, cui ſucceſſerat, & magni facie-*

faciebat eos quos ille abdicauerat. Hæc cùm decreuiſſent, omnibus Epiſcopis per literas ſignificarunt ad eum finem, vt iſtos neque in communionem admitterent, neque ſcriberent ad eos, neque literas ab illo ſcriptas reciperent. De Deo autem eo modo ſentire iubebãt, quo Formula fidei epiſtolæ ſubiuncta præſcriberet: quæ vt nullam verbi Conſubſtantialis fecit mentionem; ſic illis communione Eccleſiæ interdixit, qui dicerent tres Deos eſſe, aut Chriſtum non eſſe Deum, aut Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, eumdem eſſe, aut Filium ingenitum, aut tempus ſæculúmve fuiſſe quando non erat.

CONCILIVM CARTHAGINENSE I.

tempore IVLII *Papæ* I.

ANNO DOMINI CCCXLVIII.

CAVSA congregandi hoc Concilium fuit Africana illa Legatio Conſtantis Imperatoris, qua Paulum & Macarium, ad conciliandam Africanam Eccleſiam, ſchiſmate Donatiſtarum conuulſam, in Africam ablegauit. Nam poſt abſolutum Sardicenſe Concilium Gratus Carthaginenſis Epiſcopus Catholicus cum triginta Africanis collegis Epiſcopis in Africam reuerſurus, Conſtãti Imperatori, religionis, pacis & concordiæ amantiſſimo, ſtatum Africanæ Eccleſiæ exponit, quòd duo Donati, alter Carthaginenſis, alter Bagaienſis, Epiſcopi ſchiſmatici, homines factioſiſſimi, diro & implacabili ſchiſmate tẽpore Diocletiani exorto, Africanam Eccleſiam proſcidiſſent, & grauiſſimè etiamnum inquietarent, quodque per Circumcelliones ſectæ ſuæ defenſores, Præfectis Prouinciarum reſiſtere auderent, per nundinas, villas, vicoſque circumuagantes, ſeſe publicæ iuſtitiæ vindices iactitarent, eoq; prætextu ſeruos ad pileum vocarent, oppreſſoſq; ære alieno à creditoribus liberarent, minacibus literis ad eos ſcriptis mortem minantes, niſi eorum debita expungerent, atque chirographa, quibus adſtricti tenebantur, delerent. Addidit, quantumuis ſchiſmatis auctores præ nimia pertinacia omnes pacis conditiones repudiarent, populum tamen oblatis concordiæ, pacis & vnionis cõditionibus facilè conſenſurum, ſi modò Legati ab Imperatore miſſi, collatis beneficiis eumdem ad vnitatem amplectendam prouocauerint. Tandem à Conſtante Imp. obnixè admodum petiuit, vt memor paterni affectus in rem Chriſtianam, Africanæ Eccleſiæ grauiſſimis calamitatibus exagitatæ, ſuo ſubſidio ſuccurrere non dedignaretur. Imperator iuſtæ petitioni libenter annuens, Paulum & Macarium, viros ex multis aliis ampliſſimis maximeque piis ſelectiſſimos, in Africam ablegat, hac conditione, vt munificentiam Imperatoris ad pauperum omnium inopiam ſubleuandam exteriùs prætendentes, populum collatis beneficiis & muneribus deuinctum, & ab imbuta ferocia auocatum, ad ineundam cum fratribus concordiam prouocent & inducant. Legati (quos Vnitatis operarios Optatus appellat) in Africam profecti, commiſſæ Legationis officium fideliter exequuntur. Principio ipſos Donatiſtarum Epiſcopos ad concordiam inuitarunt, qui modò nõ conſenſerunt, ſed potiùs magno conatu iiſdem pro viribus reſiſtere tentarunt. Carthaginenſis enim Donatus contumeliis Imperatori illatis, per totam Africam ad homines ſuæ partis (ita ſuæ factionis ſectarios Donatiſtas nominabat) nuntios præcurſores præmiſit, qui ad piam hanc ſanctamque vnitatem impediendam, monerent, ne oblatam ab Imperatore eleëmoſynam acciperent: ſiquidem nefas foret & illicitum, à peccatoribus, (quales eſſent Conſtans Imperator eiuſque Legati, ideò quòd à ſua parte alienæ communicationis eſſent) eleëmoſynam accipere: alter verò Bagaienſis Donatus armatis Circumcellionibus reſiſtere obniſus, cauſam dedit,

dedit, vt Legati ad vim & iniuriam, ſi quam Circumcelliones inferre conarentur, propulſandam,& ad theſauros, quos pauperibus erogarent defendendos, à Siluestro Comite milites armatos poſtularent: è quorum numero duo pluréſve à Circumcellionibus vexati, iniuriam ſibi illatam apud alios deponentes, eos omnes commouerunt, vt turbam Circumcellionum, ipſis etiam Præpoſitis reluctantibus, aggrederentur, atque ex ijs quoſdam occiderent, ceteros autem ferè omnes cum Donatiſtis Clericis fugarent. Hac occaſione Donatus Carthaginenſis Epiſcopus ſchiſmaticus cum aliis quibuſdam captus, velut malorum omnium fons & auctor iure relegatus & ab vrbe expulſus fuit, vtinam per Iulianum Apoſtatam numquam reſtitutus! Ita Legatio hæc, etſi non in ipſis Epiſcopis Donatiſtarum, ſaltem in populo optatum finem conſecuta, occaſionem præbuit Catholicę Eccleſiæ in Africa Epiſcopis, vt poſt ſchiſmaticos Epiſcopos exturbatos, poſt plebem Catholicæ Eccleſiæ vnitati ac communioni reſtitutam, Concilio indicto conuenirent, Deo gratias agerent, quęque ab iiſdem ſchiſmaticis in Chriſtiana diſciplina corrupta fuerant, reſtituere ac reformare laborarent. Hæc ex Optati Mileuitani lib.3. Baronius anno 348.num.16 & ſeqq.

Fuit autem celebratum hoc Concilium, non vt dicit Carranza, tempore Silueſtri I. Papæ, ſed tempore Iulij Papæ I. anno nimirum ſui Pontificatus 12. vel 13. qui eſt Chriſti 348. vel 349. Conſtantis 12. vel 13. vt rectè colligit Binius hîc. Fuiſſe autem celebratam hanc Synodum poſt Sardicenſe Concilium, euidentiſſimè colligitur ex cap.5. Carthaginenſis I. vbi Sardicenſis antè habiti fit mentio nominatim. Ante verò Conſtantis Imperatoris necem, quæ contigit anno Chriſti 350. qui eſt Iulij & Conſtantis 14. habitam fuiſſe, Africana Legatio manifeſtiſſimè indicat. Tempore igitur intermedio, quod inter Concilium Sardicenſe anno Chriſti 347. Iulij & Conſtantis 11. celebratũ, atque inter obitum Conſtantis anno Chriſti 350. Iulij 14. occiſi, intermedium eſt, hanc Synodum congregatam fuiſſe oportuit; anno nimirum Chriſti, Pontificis, & Imperatoris eodem, quo ſuprà dixi.

Et vocatur Primum Concilium hoc, non quòd nullum aliud Concilium Carthagine ante hæc tempora celebratum fuerit, cùm ne quidem ſub ethnicis Imperatoribus & perſecutoribus Eccleſiæ, Carthagine Concilia celebrari desierint; ſed quia inter Orthodoxa & approbata Concilia Carthagine habita, ea quæ etiamnum exiſtant, primum ſit & antiquiſſimũ hoc Carthaginenſe Concilium poſt exturbatos ſchiſmaticos in Africa celebratum. Baronius an. 347. num.42. Benè verum eſt, quòd Concilium hoc eſt Prouinciale, probatum tamen à Leone IV. diſt.20. c. De libellis.

CONCILII I. CARTHAGINENSIS *exordium.*

CVM Gratus Epiſcopus Carthaginenſis in Concilio vnà cum collegis ſuis conſediſſet, & qui ex diuerſis Prouinciis Africanis ad Carthaginem conuenerunt, Felice Baiaenſi, Fortunatiano Raptano, Creſcente Vagenſi, Vindiciano Lacobricenſi, Abundantio Adrumetino, Priuato Vegeſilitano, Gaudentio Tuſdritano, Patricio Sincenſi, Quieto Vticenſi, Rumulo Tebeſtenſi, & ceteris, quorum manus continentur, idem Gratus Epiſcopus dixit: Gratias Deo omnipotenti, & Chriſto Ieſu, qui dedit malis ſchiſmatibus finem, & reſpexit Eccleſiam ſuam, vt in eius gremium erigeret vniuerſa membra diſperſa, qui imperauit religioſiſſimo Conſtantino Imperatori, vt votum gereret vnitatis, & mitteret miniſtros ſancti operis famulos Dei Paulum & Macarium. Dei ergo nutu congregati ad vnitatem, vt per diuerſas prouincias Concilia celebremus, & vniuerſæ

uerſæ Prouinciæ Africæ hodierna die, Concilium gratia Dei Carthaginem veniret: vnde conſiderantibus vobis cum mea mediocritate, tractentur tituli neceſſarij, de quibus neceſſe eſt, nos, memores præceptorum diuinorum, & magiſterij diuinarum Scripturarum, contemplantes vnitatis tempus, id de ſingulis definire, quòd nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore vnitatis aliquid duriſſimum ſtatuamus.

ANNOTATIO.

In hac Præfatione, vbi dicitur, *Religioſiſſimo Conſtantino Imperatori, Conſtanti* legendum eſſe, putat Cardinalis Baronius anno 348.n.43. tum quòd Conſtantinus concordiam & vnitatem Africanæ Eccleſiæ frequenter quidem tentarit, nihil autem effecerit, vt ex Romano ſub Melchiade, & Arelatenſi I. ſub Siluestro habitis deſuper Conciliis patet; tum etiam, quòd Legatio Macarij eius collegæ, ipſaque Macariana tempora, ſub Conſtante Auguſto contigiſſe, Optatus & Auguſtinus inculcent. Baronius num. 16.

CAP. I.

Ne Baptiſmus reiteretur.

Gratus Epiſcopus Carthaginenſis, qui præſidebat in Concilio, dixit: Ergo ſi vobis placet, conſideremus primùm titulum rebaptizationis. Vnde ſanctitatem veſtram poſtulo, vt mentis veſtræ placita producatis. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Abſit. Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à ſincera fide & Catholica diſciplina, rebaptizari.

CAP. II.

De Martyrum ſepulchris, & honorificentia, & vt nemo ſemetipſum interficiat, aut morti tradat.

Martyrum dignitatē nemo profanus infamet, neque ad paſſiua corpora, quæ ſepulturæ tantùm propter miſericordiam Eccleſiaſticam commendari mandatum eſt, redigat, vt aut inſania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati diſiunctos, non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrentur, Martyrum nomine appellet. At ſi quis ad iniuriam Martyrum, claritati eorum adiungat infamiam, placet, eos, ſi laici ſint, ad pœnitentiam redigi; ſi autem ſunt Clerici, poſt commonitionem & poſt cognitionem, honore priuari. Vniuerſi dixerunt: Rectè ſtabilit ſanctitas veſtra. Hoc & ſingulis Conciliis ſtatutum eſt.

ANNOTATIO.

Donatistarum operâ execrandum illud atque nefandum ſcelus inter ipſos ſchiſmaticos coaluerat, vt gloriâ Martyrum illecti, ſeipſos præcipitio necarent, mortémque voluntariam vel ipſi oppeterent, vel conductis ſuis interfectoribus ſibi ipſis inferri procurarent, ideò ſanè, vt apud ſuæ ſectæ homines titulo Martyrum, & honore illis congruo frequentarentur: Optatus lib. 3. Quo facto cùm nihil pernicioſius Reipublicæ Chriſtianæ accidere poſſet, ne voluntarium ſuiipſius homicidium deinceps impunè committatur, hac ſanctione hoc ſcelus patrantibus, tam laicis quàm Clericis grauiſſima pœna meritò indicta fuit.

CAP. III.

Vt Clerici & ſanctimoniales feminæ cum extraneis viris vel feminis non habitent.

Gratus Epiſcopus dixit: Et illud præcipuè, ſi videtur veſtræ dilectioni, cauendum eſt, vt Paſtoris cura, quantum debet & poteſt regularis prouidentia, præmoneat, vt nullis liceat, ab affectu abſtinentibus carnali, apud extraneas pariter commorari. Occaſiones enim amputandæ ſunt peccatorum, & tollendæ omnes ſuſpiciones, quibus ſubtilitas diaboli ſub prætextu charitatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire conſueuit. Nullus igitur nullaque ſanctimoniæ & virginitati deſeruiens, propter blaſphemiam Eccleſiæ, ſi vobis placet, in vna domo cum extraneis penitùs commorari debent. Vniuerſi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, hæc vitare debent. Et non ſolùm non habitare ſimul, ſed nec habere ad ſe aliquem acceſſum. Hoc ergo & lex iubet, & ſanctitas veſtra commendat, vt in ſingulis Conciliis ſtatutum eſt. Gratus Epiſco-

Epiſcopus dixit: Ergo perſuaſio interdum prudentes ſolet arcere à peccatis, dum imprudentes debet metus huiuſcemodi conſtringere, ſi ſanum conſilium reſpuunt, & ſalutare mandatum. Si ergo laici ſunt, poſt commonitionem, ſi contempſerint, à communione ſeparentur. Vniuerſi dixerunt: Placet.

CAP. IV.

Vt Clerici cum viduis vel aliis extraneis perſonis non commorentur.

GRATVS Epiſcopus dixit: Etſi infinita ſunt, quæ, lege præſcripta, proficientia ſunt diſciplinæ, & vnuſquiſque noſtrûm tractatu aſſiduo & commonitione frequenti, per ſingulas quaſque ſpecies proficientes ad diſciplinam poterit populos inuitare, tamen aliqua ex eis propter blaſphemias ſuggerenda ſunt à nobis, & in Concilio ſtatuenda. Si videtur vobis, pari ſententia teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nulla ſecum germanitate coniuncti ſunt. Vniuerſi dixerunt: Iuxta viduos & viduas eadem lex maneat & ſententia.

CAP. V.

Vt Clerici vel laici in alterius Eccleſia non ordinentur.

PRIVATVS Epiſcopus Vegeſelitanus dixit: Suggero ſanctitati veſtræ, vt ſtatuatis, non licere Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine literis Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere, nec laicum vſurpare ſibi de plebe aliena, vt eum ordinet ſine conſcientia eius Epiſcopi, de cuius plebe eſt. Gratus Epiſcopus dixit: Hæc obſeruantia pacem cuſtodit: nam & memini, in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum, vt nemo alterius plebis hominem vſurpet. Sed ſi fortè erit neceſſarius, petat à collega ſuo, & per conſenſum habeat.

CAP. VI.

Vt Clerici actus ſecularium vel procurationes non ſuſcipiant.

NECASIVS Epiſcopus Culuſitanus dixit: Credo placere ſuggeſtionem meam ſanctitati veſtræ, & diſplicere vobis, vt qui ſeruiunt Deo, & annexi ſunt Clero,* non accedant ad actus ſeu adminiſtrationem vel procurationem domorum. Gratus Epiſcopus dixit: Et Apoſtolorum ſtatuta ſunt, quæ dicunt: *Nemo militans Deo, ingerit ſe negotiis ſæcularibus.* Proinde aut Clerici ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſine officio Clericorum. Vniuerſi dixerunt: Hoc obſeruemus.

*non concurrant

2. Tim. 2.

CAP. VII.

Vt Clerici vel laici in Eccleſia aliena non communicent ſine literis ſui Epiſcopi.

CASIANVS Vſulenſis Epiſcopus dixit: Statuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſque Clericus vel laicus non communicet in aliena plebe ſine literis Epiſcopi ſui. Gratus Epiſcopus dixit: Niſi hoc obſeruatum fuerit, communio fiet paſſim. Nam ſi cum literis receptus fuerit, & concordia inter Epiſcopos ſeruatur, & nemo ſubtilis, alterius fugiens communionem, ad alterum latenter accedit. Vniuerſi dixerunt: Omnibus prouides, & Clero & laicis conſulis.

CAP. VIII.

Vt implicati negotiis alienis, ante redditam rationem Clerici non ordinentur.

MAGNVS Epiſcopus Aſtyagenſis dixit: Quid dilectioni veſtræ videtur? Procuratores, & actores, etiã per ſe tutores pupillorum, ſi debeant ordinari? Gratus Epiſcopus dixit: Si poſt depoſita vniuerſa, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipſorum fuerint probati in omnibus, debent & cum laude, Cleri (ſi poſtulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum, ab aliquo ſine conſideratione fuerint ordinati, Eccleſia infamatur. Vniuerſi dixerunt: Rectè omnia ſtatuit ſanctitas veſtra; ideoque ita eſt & noſtra iſta quoque ſententia.

CAP. IX.

Laici Clericos actores vel ratiocinatores ſibi non conſtituant.

METVS Caunenſis Epiſcopus dixit: Rectè ſtatutum eſt, vt obnoxij alienis negotiis non ordinentur. Tamen

Digitized by Google

dimiſſi, & gratias referre debent, & à Clericorum iniuria temperare. Et ipſis non liceat Clericos noſtros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. Gratus Epiſcopus dixit: Nulli dubium eſt, quòd omnes vel domini, vel procuratores, vel quicumq; præſunt, cùm audierunt ſaluberrima inſtituta Concilij, & ſibi eſſe conſultum, nec impeditum, propriam debebunt temperare iniuriam in Clericis noſtris. Quòd ſi iniuria Conſtitutionis Imperatoriç Clericos inquietandos putauerint, ſi defenſio Eccleſiaſtica nos non deridet, pudor publicus vindicabitur. Vniuerſi dixerunt: Saluberrimæ profeſſiones debuerunt à tanto concedi Concilio.

CAP. X.

Ne Epiſcopus alterius Epiſcopi plebes vel fines vſurpet.

FELIX Epiſcopus Baianenſis dixit: Nullus debet collegæ ſuo facere iniuriam. Multi enim transſcendunt ſua, & vſurpant aliena, ipſis inuitis. Gratus Epiſcopus dixit: Auaritiæ cupiditatem, radicem omnium malorum eſſe, nemo eſt qui dubitet. Proinde inhibendũ eſt, ne quis alienos fines vſurpet, aut transſcendat Epiſcopum collegam ſuum, aut vſurpet alterius plebes, ſine eius petitu: quia inde cetera mala omnia generantur. Vniuerſi dixerunt: Placet, placet.

CAP. XI.

De Clericis contumacibus, & de numero iudicantium Presbyterorum & Diaconorum.

ELPIDOPHORVS Cuiziatanus Epiſcopus dixit: Statuat ſanctitas veſtra, vt Clerici, qui ſuperbi vel contumaces ſunt, coërceantur, vt qui minores maioribus irrogarunt iniurias, metum habeant. Gratus Epiſcopus dixit: Manifeſtum eſt, illum non eſſe Dei, qui humilitatem contemnit, ſed diaboli, qui ſuperbiæ inuentor & princeps eſt. Vnde ſi quis tumidus vel contumelioſus extiterit in maiorem natu, vel aliquam cauſam habuerit, à tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt, arguatur: Presbyter, à ſex: ſi Epiſcopus, à duodecim conſacerdotibus audiatur. Vniuerſi dixerunt: Contemptus debet contumaciæ & ſuperbiæ in omnibus frangi: cauſa verò pro perſonis à ſtatuto numero audiatur.

CAP. XII.

Vt pacta inter Epiſcopos inita cuſtodiatur.

ANTIGONVS Epiſcopus Madurenſis dixit: Grauem iniuriam patior, & credo, dolere ſanctitatem veſtram contumeliam meam, & computare communem iniuriam. Optantius, cùm ſe repræſentaret, pactum mecum habuit, & diuiſimus plebes. Manuſcriptiones noſtræ tenentur epittacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & vſurpat populos, vt illum patrem, me vitricum nominent. Gratus Epiſcopus dixit: Factum hoc dolendum eſt, vt in ſe illiciat populorum imperitorum animas contra diſciplinam, contra Euangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam ſi ſibi id poſſe contingere arbitraretur, numquam profectò in fratrem aliquis deliquiſſet. Vnde aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conuentus, ſi ſe non cohibuerit, Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam. Vniuerſi dixerunt: Pax ſeruetur, pacta cuſtodiantur.

CAP. XIII.

Vt non liceat Clericis fœnerari.

ABVNDANTIVS Epiſcopus Adrumetinus dixit: In noſtro Concilio ſtatutum eſt, vt non liceat Clericis fœnerari. Quòd ſi & ſanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præſenti Placito deſignetur. Gratus Epiſcopus dixit: Nouellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis, formam accipient. Ceterùm, de quibus apertiſſimè diuina Scriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potiùs exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. Vniuerſi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo cõtra Euangelia facit ſine periculo.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XIV.

Vt laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici verò honore priuentur.

Gratvs Epiſcopus dixit: Iuxta ſtatuta Concilij, & meæ mediocritatis ſententiam, placet facere rerum omnium concluſionem. Vniuerſi tituli deſignati & digeſti, teneant ſententias ſuas. Sanè credo vos retinere, multis Conciliis à patribus noſtris & traditionem temerariam eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam, quas res etiam noſtro Concilio credo iam terminum accepiſſe. Reliqua verò, quæ vel facta, vel dicta, ſuperiùs comprehenſa ſunt, vel ab aliis Conciliis conſcripta, quæ ſecundùm legem inueniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, ſi laicus eſt, communione; ſi Clericus eſt, honore priuetur. Vniuerſi dixerunt: Placet, placet. Gratus Epiſcopus dixit: Supereſt iam, vt placita omnium noſtrûm, quæ ad conſenſum veſtrum ſunt ſcripta, veſtra quoq; ſubſcriptione firmetis. Vniuerſi dixerunt: Et conſenſiſſe nos, Concilij huius ſcripta teſtantur, & ſubſcriptione noſtra conſenſus declarabitur noſter. Et ſubſcripſerunt.

CONC. MEDIOLANENSE II. SVB IVLIO.

ANNO DOMINI CCCL. Anno Chriſti 350. cùm adhuc Conſtans Imperator in humanis eſſet, Mediolani Epiſcoporum celebris conuentus agebatur, cui cum pluribus aliis Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ Presbyteri interfuerunt. Hoc conuentu Vrſacius & Valens, quaſi à ſua ipſorum conſcientia flagellati, præmiſſis ad Athanaſium literis Pacificis & Communicatoriis, pœnitentiam egerunt, confitentes, omnia quæ vel dixiſſent vel feciſſent cõtra Athanaſium, falſa eſſe, & nihil aliud quàm calumniam. Neque id ſimpliciter egerunt, ſed ita, vt Arianam fidem anathemate execrarentur, ſuamque pœnitentiam ſcripto promulgarent. Quod negotium cùm grauius eſſet, quàm vt hoc Mediolanenſi conuentu, licet eidem Romanæ Eccleſiæ Presbyteri intereſſent, abſoluere liceret: néve contra antiquum Eccleſiæ Catholicæ morem, alibi quàm Romæ coram ipſo Pontifice, hæreſiarchæ hæreſim ſuam abiuraturi, ad communionem Eccleſiæ reciperentur, eoſdem ad Iulium Romanum Pontificem miſerunt, vt coram ipſo poſt oblatum pœnitentiæ ſuæ libellum, vniuerſa Romana Eccleſia ſpectante, exomologeſim agerent. Quibus peractis, non ſolùm venia donati, & in gratiam Eccleſiæque communionem recepti fuere, ſed etiam Encyclicis illis literis Athanaſij Pacificis & Communicatoriis, quas Alexandriam reuerſus miſerat ad omnes extra Paleſtinã Epiſcopos, cum multis aliis Epiſcopis ſubſcripſerunt. Hæc ex epiſtola Synodali ſanctorũ Patrum Ariminẽſis Concilij, & ex epiſtola Oſij Cordubenſis ad Conſtantium ſcripta, Baronius an. 350. n. 18. & ſeqq.

CONCILIVM IEROSOLYMITANVM.

Cavsa Concilij congregati hęc eſt: Athanaſium iudicio Sardicenſis Concilij abſolutum, Aquileiæ exulantem, Conſtantius Orientis Imperator metu admonentis fratris inductus, ad ſedem Alexandrinam tranquillè poſſidendam pluribus literis benignè admodum inuitauerat: ſed accidit, dum adhuc in itinere eſſet, vt à nefando crudelique tyranno Magnentio Conſtans Imperator, Orthodoxæ fidei columna, exulumque Epiſcoporum magnus defenſor ac patronus, innocentiſſimè occideretur. Qua occaſione Ariani nouam calumniam in Athanaſium commenti, quaſi ad Magnentium tyrãnum aduerſus Conſtantium literas ſcripſiſſet, eum à reditu & ingreſſu vrbis, minando & terrendo prohibere conati fuerunt: verùm poſt fraudem ac malitiam eorum cognitam, CCCL.

nitam, acceptis denuò ab Imperatore literis, benè animatus Ieroſolymã vſq; progreditur. Quò cùm veniſſet, Maximus Ieroſolymitanus Epiſcopus ibidẽ Synodũ coëgit, in qua Epiſcopi illi, qui olim ſententiæ in Athanaſium ſubſcripſerant, delictum ſuum deteſtati atque confeſſi, eam, quam poſtularunt communionẽ, & reconciliationem præſẽtis Athanaſij impetrarũt. Hęc ex Athanaſij Apol. 2. Baron. an. 350. n. 1. vſq; ad 15.

CONC. AGRIPPINENSE, *ſeu* COLONIENSE,

tempore IVLII *Papæ* I. *celebratum contra* EVPHRATAM, *qui negabat Chriſtum Deum.*

ANNO DOMINI CCCLII.

CAVSA indictę Synodi iſta erat, vt Euphrata cum Photino hęreſiarcha Diuinitatem Chriſti negans, ſede Epiſcopali deponeretur, aliuſque in locum eius ſubrogaretur. Photinum hæreſiarcham, patriâ Ancyranum, Sirmiẽſem Epiſcopum docuiſſe, Filium Dei hominem tantùm eſſe, teſtatur Epiphanius Hęreſi 71. Euphratam verò eamdem hæreſim ſectatum fuiſſe, Acta huius Synodi apertè indicant. Vnde quod à quibuſdam ſcribitur, Euphrata auctore Arianam hæreſim Coloniæ propagatam, ideoq; Synodali ſententia condemnatum, Epiſcopatu abdicatum eſſe, cum hiſtoria & Actis non conuenit; niſi dicas, Arianos, tenentes Filium Dei creaturam eſſe, occultè eamdem cum Photino hæreſim docuiſſe: atque ita Euphratam Photinum ſectando, Arianæ factionis ſectarium dici poſſe. Baron. an. 352. n. 4. & 5.

Acta CONCILII AGRIPPINENSIS.

POST Conſulatum Amantij & Albini, 4. Idus Maias, cùm conſediſſent Epiſcopi in Agrippinenſiũ ciuitate, & recitata fuiſſet epiſtola plebis Agrippinẽſium, & omnium caſtrorum Germaniæ ſecundæ, de nomine Euphratæ, qui Chriſtum Deum negauit, Maximinus Epiſcopus dixit: Quia voluntas Dei Patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti voluit nos, iuxta poſtulatum fratrum, ad hoc Agrippinenſe oppidum cõuenire, propter perditum & blaſphemum Euphratam, quem omnis mundus iam ore Domini cognouit eſſe damnatum, qui in Spiritum ſanctum eatenus blaſphemauit, quòd Chriſtum negat, hanc medioctitas mea ſententiam fert, ſicut Dei & Domini noſtri Saluatoris ore prolata eſt, dicentis: Omnia peccata, & blaſphemiæ remittuntur hominibus: qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque hîc, neque in futuro, ſed reus erit æterno iudicio. Ideò Epiſcopum eum, manifeſtum eſt, eſſe non poſſe. Quam quidem ſententiam ceteri Epiſcopi vnanimiter confirmarunt, vt fusè habetur apud Binium. Matth. 12.

In fine autem huius Concilij ponderanda ſunt verba vltima, quæ ex Epiſtola Diopeti Epiſcopi Aurelianorum deſumpta ſunt, ſcilicet: *Neceſſe eſt vt ipſe veterator, qui tantum molitus eſt ſcelus, cæleſti plaga feriatur.* Vbi habes, quòd excommunicatio dicitur cæleſtis plaga, & propterea valdè metuenda.

CONCILIVM VASENSE *ſub* IVLIO.

NOTA, quòd tria Vaſione ſiue Vaſatis in Gallia Narbonẽſi habita fuerunt Concilia. Primum ſub Conſtantio Imp. & Nectario Vienenſi, vt teſtatur Ado Vienenſis in Chronico. Secũdum ſub Conſulatu Dioſcori, anno Domini 442. qui eſt Leonis 3. & Theodoſij 35. Tertium, ſub Conſulatu Decij Iunioris, anno nimirũ Chriſti 463. vel, quod ex ſubſcriptione Cæſarij Epiſcopi, verius puto, circa annũ Domini 524. nam ante hæc tẽpora Cęſarius Abbas duntaxat, non Epiſcopus fuerat. Horum Conciliorum Canones ita confuſi exiſtunt, vt qui quótve ſingulorũ ſint, certò cognoſci nequeat. Ego verò cur tres hîc ſubiectos inde huc tranſtulerim, dicam in Annot. eorumdem Canonum.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ergo Primum Concilium Vaſenſe celebratũ eſt ſub Iulio: nam Ado Vienenſis in Chronico aſſerit, hanc Synodum celebratam eſſe tempore Maximini Treuirenſis Epiſcopi adhuc ſuperſtitis: quia Paulinus eiuſdem ſedis Epiſcopus initio Põtificatus Liberij Maximino ſucceſſit, ac paulò pòſt ab Arianis relegatus, in exilio martyrio occubuit.

CANON I.

Qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.

11. q. 2. Qui oblationes.

QVI oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, vt infideles, ſunt ab Eccleſia reiiciendi: quia vſque ad inanitionem fidei peruenire certum eſt hanc diuinæ pietatis exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conſolatu alimoniæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales, quaſi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei, habendi ſunt. Vnde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit, congruente ſententia, qua ait: *Amico quidpiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium.*

ANNOTATIO.

HIC Canon eſt quartus Concilij Vaſenſis Secundi: quia verò trium Conciliorum Vaſenſium diuerſis temporibus celebratorum Canones confuſi exiſtunt, hunc Primo Concilio reſtituimus, ideò quòd in Concilio Arelatenſi II. nominatim citetur can. 28. his verbis: *Secundùm conſtitutionem Synodi Vaſenſis, qui oblationem fidelium ſuppreſſerit, aut negauerit, ab Eccleſia, cui fraudem fecit, excludatur.* Baronius an. 314. num. 50. & 325. num. 17.

CANON II.

Vt in omnibus Miſſis, ſiue matutinis, ſiue Quadrageſimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus *dicatur; & vt nomen Papæ vrbis Romæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.*

ET in omnibus Miſſis, ſiue matutinis, ſiue Quadrageſimalibus, ſiue in illis, quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Miſſas publicas dici debeat: quia tam dulcis & deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſſet dici, faſtidium non poteſt generare. Et hoc nobis iuſtum viſum eſt, vt nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem de canendo Triſagio in Primo Vaſenſi Concilio contra doctrinam Arij ſtatutum fuiſſe, affirmat Baronius anno 442. in fine, ideò ſcilicet, vt in omnibus diuinis myſteriis laudes ſanctiſſimæ Trinitatis occinerentur.

CANON III.

Vt propter hæreticorum incredulitatem, poſt Gloria Patri, *etiam*, Sicut erat in principio, *&c. ſemper dicatur.*

ET quia non ſolùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore fuiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat in principio*, &c. dicitur, etiam & nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum decreuimus.

ANNOTATIO.

CVM Ariani blaſphemantes dicerent, Filium à Patre in tempore factum, & fuiſſe tempus quando non erat: placuit Nicæni Concilij Patribus, ad antiquum glorificationis Hymnum hunc, *Gloria Patri, & Filio*, &c. illam appendicem adiicere, qua dicitur: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Quæ appendix cùm ab hoc Vaſenſis Concilij Canone recepta fuerit, concedi debet, eumdem eſſe illius Vaſenſis Synodi, quæ temporibus Iulij Pontificis & Conſtantij Imperatoris celebrata fuit, paulò poſt Concilium Nicænum. Baronius anno Chriſti 325. nu. 176. & 177. item anno 442. in fine, & anno 463. num. 14.

CONCILIVM ROMANVM SVB LIBERIO.

ANNO DOMINI CCCLII.

HABITVM eſt hoc Concilium Romæ, initio Pontificatus Liberij, anno Chriſti 352. hanc ob cauſam: Ariani, dum mortem Iulij, & ſuffectionem Liberij cognouiſſent, collectis ſuæ communionis Epiſcopis, Concilium habent in Oriente, ex quo dant literas ad Liberium, quibus Catholicæ vnitatis communionem ab eo expoſcunt, atque Athanaſio noua crimina impingunt. Primum hoc, Quòd poſt Maximinum Treuirenſem & Seruatium Tungrenſem Legatos Magnentij, Alexandriæ hoſpitio ſuo exceptos, aduerſus Conſtantium Imperatorem ad Magnentium tyrannum ſcripſiſſet. Secundum, Quòd anno Chriſti 350. Alexandriam reuerſus, Baſilicam ibidem à Conſtantio extructam, citra ipſius ſcitum ac iuſſum conſecrare, atque in ea ſacram Synaxim celebrare auſus fuiſſet. Tertiũ, Quòd per literas ab Imperatore in Italiam euocatus, venire recuſaſſet.

Ad has calumnias in Athanaſium excogitatas abſtergendas, Catholici, ex conſeſſu 75. Epiſcoporum Ægyptiorum, pro defenſione Athanaſij, ad eumdem Liberium literas huius argumenti reddiderunt; quòd per Legatos Magnentij Catholicos, ad Magnentium Athanaſius nihil literarum reſcripſerit. Maximinum cum Seruatio ab Athanaſio hoſpitio exceptos fuiſſe, tum quòd à Maximino tempore primi ſui exilij Treuiris optimè habitus fuerit; tum etiam, quòd vtrumq; in Sardicenſi Concilio contra Arianorum calumnias ſui defenſorem fuiſſe agnouerit. Dominicum Imperatoris, Athanaſium non (quod calumniabantur Ariani) conſecraſſe, ſed ſaltem ad petitionem populi, cuius multitudinem Eccleſia non capiebat, in eadem ſacram Synaxim celebraſſe, atque in ea pro ſalute Imperatoris preces ad Deum effudiſſe. Demum ab Imperatore in Italiam euocatum non veniſſe, quia Imperator ad commentitias & doloſas Arianorum literas, nomine Athanaſij Saluum-conductum in Italiam veniendi expetentes, reſponderit, eoque reſponſo veniendi poteſtatem conceſſerit, nullamque neceſſitatem accedendi iniunxerit. Hæc ex Apològia Athanaſij ad Conſtantium. Vtrimque igitur his literis acceptis, Liberius Pontifex Romę Concilium Epiſcoporum coëgit, in quo recitatis partis vtriuſque literis, viſum eſt, Arianis id quod à Liberio poſtulabant, negandum eſſe. Ne tamen eiuſmodi occaſione Conſtantius Imperator (cuius voluntate cuncta iſta fieri ſentiebant omnes qui in eadem Synodo cum Liberio erant) in Romanam Eccleſiam graſſandi anſam arriperet; illud ibi ab ijs tunc decretum fuit, vt Legatio de cogendo Aquileiæ Concilio ad ipſum Conſtantium mitteretur. Deputati ſunt Vincentius & Marcellus Campanię Epiſcopi. Verùm, cùm Magnentianum bellum impedimento eſſet, quò minùs hæc pertractari poſſent, ad annum ſequentem, poſt expugnatum tyrannum, Legatio dilata fuit. Quis effectus fuerit Legationis, vide in ſequenti Conciliabulo Arelatenſi. Hæc ex epiſtola Liberij ad Oſium & Conſtantinum, Baronius anno 352. n. 11.

CONCILIABVLVM ARELATENSE ARIANORVM *ſub* LIBERIO.

CVM poſt deuictum Magnẽtium anno Chriſti 353. audiſſet Conſtantius, non ex Arianorũ ſententia eueniſſe, vt à Liberio Papa ipſi ijdem Ariani in communionem acciperentur, atque Athanaſius damnaretur, in furorem exarſit: & vt ab omnibus Epiſcopis Athanaſius condemnaretur, teſte Sulpitio lib. 2. publico edicto mandauit. A quo furore vt eum Liberius placaret, atque perſecutionem cum Athanaſio vniuerſæ Eccleſiæ imminentem ante- CCCLIII.

uerte-

Digitized by Google

uerteret, Legationem præcedente Romano Concilio decretam ad Conſtantiũ Arelate agentem ablegat. Qui cùm poſt expetitũ coram Imperatore Concilium ab Arianis, quorum complures ibidem inuenerant, ſollicitati fuiſſent, vt Athanaſij condemnationi ſubſcriberent, reſponderunt, ſe id facturos, modò antè Arij hæreſim condemnarent. Hac igitur occaſione *itur in Concilium,* (verba ſunt Liberij in epiſtola ad Conſtantium:) *accipiunt cum deliberatione reſponſa: Arij doctrinam ſe damnare non poſſe: Athanaſium, quod ſolùm exigebant, communione eſſe priuandum.* Seuerus lib. 2. *Petebatur,* inquit, *vt priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogerentur, de fide potius diſceptarent, & tum demum de re cognoſcendum, cùm de perſona iudicium conſtitiſſet. Sed Valens, ſociique eius, priùs Athanaſij damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non auſi,* &c.

Poſtquam igitur hæc per decretum ſtatuiſſent, principio Vincentium primarium Sedis Apoſtolicæ Legatum importunitate ſua, atque Conſtantij imperio per vim & contumelias inducunt, vt coactus tandem & deceptus, Athanaſij damnationi ſubſcribat. Quod *cùm ille per vim,* vt inquit Athanaſius Apologia ad Conſtantium, *coactus præſtitiſſet,* ſuo exemplo Fortunatianum Aquileiæ & Herminum Theſſalonicæ ad idem facinus patrandum commouit. Ex eodem hoc Arianorũm Conuenticulo, ideò quòd Athanaſij condemnationem deteſtarentur, vnà cum Paulino Treuirenſi Epiſcopo in exilium miſſum eſſe Rhodianum, nec non Lucium Annæum Epiſcopum Moguntinum relegatum in Phrygiam, & ſecundo anno exilij ſui, qui eſt Chriſti 354. Arianorum inſidiis ſtrangulatum, atque in locum eius ab Orthodoxis Maximum ſubrogatum eſſe, Acta eiuſdem Maximi, quæ Trithemius collegit, ſæpè atteſtantur. Hæc ex prædictis Auctoribus Baronius anno 353. num. 15. vſque ad 23.

CONCIL. VNIVERSALE MEDIOLANENSE, *ac reprobatum, in cauſa* ATHANASII *ſub* LIBERIO *habitum.*

HOc eſt illud Concilium, quod occaſione promulgati ab Imperatore edicti de ſubſcribẽdo ſub pœna exilij condemnationi Athanaſij, à Liberio Pontifice ad auertendam ab Eccleſia imminentem perſecutionem duabus Legationibus ſuprà habitis, fuerat expetitum, & ab Imperatore Conſtantio eo conſilio ac intentione conceſſum, vt trecentos & ampliùs Occidentis Epiſcopos Catholicos vno loco congregatos, ad condemnandum innocentem Athanaſium per vim compelleret: nolentes verò ſedibus ſuis exturbatos relegaret. De hoc Conciliabulo, æterno ſilentio & obliuione digno, præter Synodalem epiſtolam ad Euſebium Vercellenſem ſcriptam, nihil extat. ANNO DOMINI CCCLV.

Fuit autem hoc Concilium Oecumenicum & Vniuerſale, quòd permiſſu Conſtantij Imperatoris à Liberio Pontifice eſt indictum. Ad hoc (Orientalibus ferè omnibus morbo vel itineris longitudine impeditis, pauci tamen præſentes fuerunt) Lucifer Epiſcopus Calaritanus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus Sedis Apoſtolicæ Legati, cum Occidentalibus Epiſcopis trecentis & ampliùs conuenerunt, Arletione & Lolliano Conſulibus, anno nimirum Chriſti 355. qui eſt Liberij Pontificis quartus, & Conſtantij Imperatoris 19. Scribit enim Seuerus lib. 2. exilia Epiſcoporum ex eodem Concilio irrogata, prædictis Conſulibus contigiſſe. Tyrannidem Conciliabuli Euſebius Vercellenſis præuidens, eidem intereſſe recuſauit; per Synodicas tamen ab Arianis, nomine totius Synodi conſcriptas, perque epiſtolam Legatorum Pontificiorum, vt veniret, rogatus fuit.

Reprobatum fuiſſe Conciliũ, Actorum, quę apud Hilarium, Athanaſium, & Se-

Digitized by Google

& Seuerum ſuperſunt fragmenta, euidenter atteſtantur. Cùm enim huic Conuentui ab Eccleſia ad Palatium tranſlato, vnà cum ſatellitio adhuc cruentus innoxiorum ſanguine præſideret hæreticus Imperator, cumque in eo Arianis omnia concederentur; Catholicis autem Epiſcopis, ſuffragiis eorum vetitis, interciſis, ac vilipenſis, omnia negarentur, parati aſtarent Commentarienſes, atque expediti lictores, ſancirentur non Canones, ſed Epiſcoporum degradationes: ſcriberentur ac ſubſcriberentur exiliorum ſententiæ: cùm deniq; in eodem Ariana procacia, Orthodoxorum conſtantiam, & in dicendo libertatem per vim opprimens, nihil non auderet, quis non illi præfixum Concilij nomen iure ademerit, idque tyrannicam potiùs cõſultationem, diaboli ſynagogam, conuentum malignantium, coniurationem Arianorum, factionem ſceleratorum, conſpirationem impiorum, ac demum publicorum latronum violentam graſſationem appellauerit?

Acta Conciliabuli ab Hilario ad Conſtantium, Seuero lib. 2. Hiſt. Athanaſio epiſtola ad Solitar. deſcripta; hîc ſummatim recenſita, hæc ſunt: Inchoato Concilio in abſentia Imperatoris adhuc catechumeni, (quippe cui legitimo Concilio intereſſe non liceret) conuenerant ferè Catholici Epiſcopi, ſe omnia, quæ poſtularent Ariani, facturos eſſe, ſi Nicænæ fidei priores ſubſcriberent: quod cùm Valens & Vrſacius Arianæ hæreſis principes, ac nebulones relapſi, fieri poſſe negarent, & paulò pòſt epiſtolam Imperatoris omni prauitate & falſitate refertam in Eccleſia legendam propoſuiſſent, populus magno cum clamore eam, quaſi veritati contrariam, eſt auerſatus. Vnde illi veriti populum, ab Eccleſia in Palatium tranſeuntes, Concilium in ſæculare iudicium commutarunt. In quo dum Valens & Vrſacius Athanaſij nouas calumnias, ſuprà in Summa Romani Concilij recenſitas, atque adeò nouam condemnationem proponerent; illi verò tamquam infames relapſi, ac fœdifragi, à Catholicis non audirentur, impius Imperator aſſurgens, *Ego*, inquit, *Athanaſij accuſator ſum, meo nomine illis credite.* Lucifero autem, Euſebio, Dionyſio, aliiſve Athanaſij defenſoribus magna audacia & libertate reſpondentibus, reum abſentem, ac non auditum, iniuſtè damnari; concitatior in Athanaſium factus, edictoque promulgato Athanaſium damnari, ſede ſua deiici & exturbari, eius defenſores omnes relegari iubet: ac demum data Arianis poteſtate, quiduis in Athanaſium pro arbitratu ſuo conſtituere permittit. Lata ſententia, ad ſubſcribendum condemnationi ſollicitantur omnes Epiſcopi Catholici. Plurimi, qui ipſius condemnatione bellum Eccleſiæ ſopitum fore ſperabant, obtemperantes, ſubſcripſerunt, cumque Arianis communicarunt. Legati autem Apoſtolici, Dionyſius Mediolanenſis, Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, ne cõdemnatione Athanaſij, fidem quoque Nicænam damnare viderentur, ſubſcribere recuſantes, poſt Hilarium Diaconum virgis cæſum, poſtq; ſubſcriptum nomen Dionyſij, arte quadam & induſtria Euſebij, è tabella expunctum, omnes in longinquas & diuerſas regiones relegati fuerunt. Poſt hęc Notarij & Palatini per prouincias emiſſi, Epiſcopos omnes in Eccleſiis ſuis commorantes, ad parendum ſententiæ coëgerunt: niſi facerent, vincula, contumelias, exilia, bonorumque omnium direptiones expectarent.

His auditis, Liberius Pontifex epiſtolam Encyclicam ad Epiſcopos exules miſit, qua gloriam eorum laudans, conqueritur, ſe cum ipſis eſſe non poſſe. Cogitantes ſecum Ariani, ſe breui omnes ſuperaturos, ſi in ſuam ſententiam Liberium Romæ Epiſcopum pertrahere poſſent, Conſtantium Imperatorem ad eum alliciendum & trahendum impellunt. Is igitur Euſebium Spadonem

Præ-

Præfectum cubiculi cum donis & literis ad eum mittit, vt per dona blandiendo, per literas minando, ſubſcriptionem Pontificis extorqueret. Quæ omnia cùm (donis & muneribus ab ipſo Pontifice contemptis) Eunuchus fruſtrà egiſſet, Leontius Vrbis Præfectus, metu populi amore Liberij flagrantis, medio noctis eum furtim abducere coactus fuit. Mediolanum cùm veniſſet, Conſtantius poſt dialogum cum eodem habitum, eumdem in exilium, quod præelegerat, in Thraciam deportari mandauit. Quos autem illi Conſtantius & Imperatrix in ſumptus exilij obtulerant mille aureos, cum hac exprobratione remiſit: *Tu Eccleſias orbis terræ expilaſti, & iam mihi vt damnato & egenti affers eleemoſynam? abi primùm, & Chriſtianus ipſe fias.* In locum relegati Pontificis Felicem Diaconum Liberij, Catholicum ſchiſmaticum Pontificem Ariani ſuffecerunt: cuius communionem, licet fidem Nicænam integrè ſeruaret, vniuerſus populus Catholicus cum Clero Romano vſque ad lapſum Liberij vitauit: vtpote quòd ſchiſmaticus eſſet, ab Arianis intruſus, eorumque communione pollutus. Eiecto in exilium Liberio Papa, furorem ſuum Ariani conuertunt in Oſium Cordubenſem Epiſcopum, gloriâ confeſſionis iam ante ſexaginta annos illuſtrem, & tunc propè centenarium. Qui à Conſtantio euocatus, Imperatorem magnis rationibus conterritum à ſententia deduxit, atque ita in patriam & Eccleſiam ſuam rediit. Rurſum cum ad ſe accerſit Imperator, & cùm ad ſubſcriptionem in Athanaſium impellere nequiret, pro exilio, integro anno illum Sirmij detinet.

His Epiſcoporum relegationibus & exturbationibus Imperator necdum contentus, impulſu Arianorum ad Rectores Prouinciarum ſcribit, vt omnes Orthodoxos Clericos & populos, qui Arianorum communionem deteſtabantur, ad communicandum cum illis impellerent. Quam vim impiam, Hilarius ex coniugato recenter factus Epiſcopus Pictauienſis, vitam deinceps cœlibem agens, oblato libello ſupplici, qui inter eius Opera & apud Baronium extat, deprecatur. Hoc eius petitioni in Gallia indulgendum eſſe cenſebat, ne Gallias, quas ſciebat eſſe Catholicas, ob inuaſionem barbarorum nutantes, à ſe alienaret. Hæc ex prædictis Auctoribus Baronius anno 355. per totum.

CONCILIABVLVM BYTERRENSE.

CVM Epiſcopi famâ celeberrimi ob fidem Catholicam in exilium acti eſſent, iamq; ſatis Arianorum perſecutio aduerſus Eccleſiam Catholicam declarata eſſet, Hilarius & Epiſcopi Gallicani in vnum cõuenientes, edito decreto, ſe mutuo conſenſu à communione Saturnini, Valentis & Vrſacij ſepararunt; addentes, excommunicationis ſententiâ feriendos eſſe, qui ad vitandam eorum communionem admoniti, ſententiæ Epiſcoporum Catholicorum non obtemperarent. Quod cùm inter alios Arianos Saturninus Arelatenſis Epiſcopus iniquo animo ferret, indignum iudicans ſe ab Epiſcopis ſuæ Prouinciæ communicatione excludi, & anathemati traditum ab omnibus euitari, fauore Conſtantij egit, vt in ſua Diœceſi prope Arelatem Byterris Concilium cogeretur, ad quod vi Præſidum, Catholici Epiſcopi venire compellerentur. Hoc Conuentu coacto, S. Hilarius timens, ne Ariani, quod aliàs ante hæc fecerant, ſimulatè ſub mentito *ſubſtantiæ* nomine, ſimplicitatem plurimorum Orthodoxorum Epiſcoporum circumuenirent, libellum legendum obtulit, quo Arianorum latebræ, eorumque doloſæ inſidiæ ac blaſphemæ hæreſes omnibus innoteſcerent. Sed ne hæc ab Hilario ingeſta legerentur reſiſtentes, tandem ipſum Hilarium, ex ciue Pictauienſi coniugato Epiſcopum, quarto anno ante Seleucienſe

ANNO DOMINI CCCLVI.

ciènſe Conciliabulum, teſte Seuero, ſub Conſulatu Euſebij & Hypatij habitum, relegarunt, anno Liberij quinto, qui eſt Conſtantij vigeſimus, & Chriſti Domini 356. Seleucienſe Concilium anno Chriſti 359. celebratum fuiſſe, infrà dicemus. Hæc ex Hilarij libello ad Conſtantium Baronius anno 356. numer. 105. & ſeqq.

CONCIL. SIRMIENSE OECVMENICVM,
& ex parte reprobatum.

ANNO DOMINI CCCLVII.

HANC Synodum Sirmij celebratam eſſe anno Chriſti 357. qui eſt 6. Liberij, & 21. Conſtantij, Socratis lib. 2. cap. 24. & Sozomeni lib. 4. cap. 5. teſtimonio & auctoritate probatur. Scribunt enim, hanc Synodum habitam fuiſſe eo tempore, quo Oſius Cordubenſis Epiſcopus ad ſubſcribendum Athanaſij condemnationi & Sirmienſi profeſſioni fidei coactus fuit. Cùm igitur teſtimonio Athanaſij epiſt. ad Solit. poſt relegatum anno Chriſti 355. Liberium, in fine eiuſdem anni ad ſubſcribendum accerſitus, integro anno Sirmij pro exilio detentus fuerit, neceſſe eſt affirmare, hoc Concilium, cuius impiæ profeſſioni per vim & metum ſubſcripſit, prædicto tempore celebratum fuiſſe. Secundò, Aſſertione S. Hilarij de Synodis in principio conſtat, Synodum Sirmienſem celebratam eſſe poſt triennium, ex quo Saturnino Epiſcopo Arelatenſi Ariano, à Catholicis Galliarum Epiſcopis communio negata eſt: quod cùm factum fuiſſe conſtet ante triennium, quando Conſtantius expugnato Magnentio Arelate moraretur; concedere oportet, hanc Synodum prædicto anno 357. collectam fuiſſe. Denique ipſe Sozomenus lib. 4. cap. 5. atteſtatur, hoc Concilium habitum fuiſſe Sirmij, præſente Conſtantio Imperatore. Cùm igitur auctore Ammiano conſtet, eum hoc tempore Sirmij conſediſſe; planè dicendum eſt, anno ſupradicto hanc Synodum congregatam fuiſſe.

Cauſa Concilij conuocati hæc eſt: Cùm Photinus, teſte Epiphanio Hæreſi 71. Sardicenſi Concilio damnatus, pro more hæreticorum ad Imperatorem appellaſſet, iterumque audiri poſtulaſſet, vt Ariani Catholicum nomē affectantes, ſe pios Catholicos, & hæreticis aduerſarios oſtentarent, Photinum in iudicium vocant, eiuſq; de Filio Dei ſententiam in Concilio auctoritate Imperatoris indicto diſcutiunt. Et quamuis reverà Ariani à Photinianis parum aut nihil differrent, cùm, quod rectè Lucifer Conſtantio exprobrando obiicit, Ariani Filium Dei creaturam aſſerentes, cum Photino Diuinitatem illi ademerint; vt tamen ſpecie tenus, quod ſcribit Gregorius Nazianzenus in laudem Athanaſij, ſe Catholicos exhiberent, Photinum per ſimulationem & veteratoriè dumtaxat condemnarunt: éditaque aduerſus eum fidei quadam Formula à Marco Arethuſio Græcè compoſita, Photini hæreſim condemnarunt. Huic primæ Formulæ vigintiſeptem anathematiſmos contra Photinianos & Arianos inſeruerunt. In hac Filium cum Patre eiuſdem ſubſtantiæ eſſe confeſſi fuerunt, vt Catholici viderentur. Hanc Catholicæ veritati conſentientem, ideoque ab Hilario explicatam fuiſſe, ipſe Hilarius apertè teſtatur: quæ ſi nomine *conſubſtantialitatis* non caruiſſet, nullo modo culpari potuiſſet. Liberius Romanus Pontifex, Athanaſio, Hilario & Hieronymo atteſtantibus, per vim & minas ſollicitatus, huic primæ fidei Formulæ ſubſcripſit, Athanaſium condemnauit, & cum Arianis communicauit, idque per literas ad Valentem alióſve ſcriptas ſignificans, ab exilio liberari, Sedique ſuæ reſtitui petiit. Itaque contra fidei confeſſionem ac iuſtitiæ legem peccans, adeoque turpiſſimam ſibi morum & vitæ maculam inurens, Arianorum com- *Liberij Papa lapſus.*

Digitized by Google

communione pollutus, quamquam infidelis & hæreticus non eſſet, à communione Catholicorum excidit.

Poſtquam autem hæc veteratoriè per ſummam ſimulationem egiſſent, Semiarianis illis, quibus ad proſternendum hæreſiarcham pugnacem vſi fuerant, procul eiectis, qualéſnam eſſent, larua depoſita, palàm prodidere. Nam vt Dei Filius non Deus ex Deo, ſed creatura ex nihilo, vel ſaltem ex creatura genitus eſſe credatur, ſecundam fidei Formulam ac confeſſionem Latino ſermone conſcriptam, à Marco Arethuſio Epiſcopo Græcè tranſlatam ediderunt, qua nomen *ſubſtantiæ* prorſus abdicarunt; decernentes, ne voces *ſubſtantiæ* & *ὁμιόου*, quarum nulla mentio fit in Scriptura, in ſermonibus vſurparentur. Vtque impietati à ſe conſcriptæ auctoritatem adderent, Athanaſio, Socrate & Sozomeno teſtantibus, Oſium Cordubēſem Epiſcopum, Sirmij, loco exilij ab Imperatore detentum, multarum Synodorum auctorem & principem, multis Legationibus & publicis actionibus functum, non ad ſcribendum, quod vitiosè & corruptè præ ſe fert titulus huius Formulæ apud Hilarium; ſed potiùs ad ſubſcribendum ſollicitarunt: qui dum aliquamdiu id facere recuſaſſet, vir imbecillis, propè centenarius ſenio confractus, tandem per vim, tormenta & plagas inductus (prô ſcelus!) ignominiosè ſubſcripſit, luctuque & horrore immenſo fidelibus incuſſo, turpiùs, quàm antè Origenes & Tertullianus, lapſus fuit, meritóque illa pœna, quam Iſidorus Hiſpalenſis ipſi affixit, puniendus, niſi paulò pòſt, de vi & iniuria ſibi illata proteſtatus, Arianorum hæreſi condemnata, eorumque communione fidelibus interdicta pœnitentiam egiſſet, atq; ita Dei vindicis iram anteuertiſſet. *Tantam*, inquit Athanaſius ad Solitar. *vim intulit ſeni, quem Sirmij pro exilio detinebat, & ita eum arctè tenuit, vt afflictus attrituſque malis, tandem ægrè; cum Vrſacio & Valente communicaret; ſed tamen vt contra Athanaſium non ſubſcriberet. Verùm ne ita quidem eam rem pro leui habuit: moriturus enim* (poſt biennium circiter aut annum) *quaſi in teſtamento ſuo eorum vim proteſtatus eſt, & Arianam hæreſim condemnauit, vetuitque eam à quocumq; probari ac recipi.* Item de Oſio Apologia 2. in fine ait: *Vis illa & Conſtantij Tyranni poteſtas, multæque contumeliæ & interminationes ſatis oſtēdunt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe, ſed ſenij imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe.* Poſt hæc contigit, quod ferè miraculoſum eſt, vt dum Oſius fidem negaret, hoſtes fidei Semiariani eamdem confiterentur, dumq; ille impiam Arianorum confeſſionem approbando diuinam ſubſtantiam in Filio Dei ablegaret, Semiariani Ancyræ in Galatia conuenientes, eamdem reſtituerent, atque per edictum publicum Imperatoris Conſtantij, prædicari, recipi & approbari efficerent. Cùm enim ſuas, quas Ancyræ conſtituerant, duodecim fidei regulas Sirmianæ ſecundæ confeſſioni planè contrarias conſtituiſſent, eaſque per Legatos ad Imperatorem tranſmiſiſſent, Imperator publico Edicto promulgato, ſecundam Sirmianam confeſſionem tamquam blaſphemam abdicauit, nouamque, qua Filius Dei per omnia ſimilis eſſe prædicaretur, edi ac ſubſcribi mandauit. Cumq; ad Concilium Ariminenſe profecturi, Sirmium, vbi Imperator agebat, Orientales omnes aduenißent, tertiam illam Sirmianam fidei Formulã anno 359. vt infrà dicemus, compoſuerunt. *Cui cùm Valens*, inquit Epiphanius Hæreſi 73. *ſubſcripſiſſet, & in ſubſcriptione appoſuiſſet,* FILIVM SIMILEM PATRI, *& nō appoſuiſſet* PER OMNIA, *& oſtendiſſet quomodo aſſenſus eſſet præmiſſis, aut ſimilitudine vocis intellexißet, annotauit hunc pius Rex, & coëgit ipſum addere,* PER OMNIA. Hæc ex Epiphanio, Hilario, Athanaſio, Socrate, &c. Baronius anno 357.

De auctoritate verò huius Concilij

Z

Bellar-

Bellarminus lib. 1. de Conciliis, cap. 7. Oecumenicum fuiſſe ait, cui præter Orientales, trecenti & ampliùs ex Occidente Epiſcopi interfuerunt. Ex parte reprobatum eſſe ſcribit, quia ſentētiam condemnatoriam in Photinum hîc pronuntiatam omnes Orthodoxi approbarunt. Poſſet idem confirmari per hoc, quòd primam Sirmianam fidei Confeſſionem, vtpote quæ nullam manifeſtam hæreſim contineat, velut Catholicam Hilarius interpretatus fuerit: ego tamen Baronium ſecutus, Conciliabulum potiùs, quàm vlla ex parte probatum Concilium fuiſſe, verius eſſe putarem; tum quòd manifeſtum ſit, in prima Formula fidei, quæ Catholica eſſe indicatur, nomen *conſubſtantialis* ad fidem Nicænam explodendam omiſſum eſſe, eamq; veteratoriè & per ſummam ſimulationem editam fuiſſe: tum etiam, quòd Liberij communionem Catholici euitarint, ideò maximè, quòd fidei Confeſſioni primæ, quæ videbatur Catholica, ſubſcribens, Arianorum communione pollutus ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ meritò exciderit.

Huius verò Concilij, ſeu Conciliabuli, præter tres fidei Formulas, quæ apud Binium reperiuntur, nihil extat.

CONCIL. ANCYRANVM SEMIARIANORVM.

ANNO DOMINI CCCLVIII.

EPISCOPI Orientales ſecundam illam ac perfidam Sirmianam confeſſionem fidei deteſtati, Sirmio recedentes in Aſiam migrarūt, atque Ancyræ in Galatia anno Domini 358. conuenerunt, ibique ablegatum à Filio Dei *ſubſtantiæ* nomen reſtituentes, impia ſtatuta ſecundæ Confeſſionis ac Formulæ planè condemnarunt, Filiumque Dei, ſecundùm ſubſtantiam Patri per omnia ſimilem eſſe aſſeruerunt. Vnde, vt fidem ſuam profiterentur, duodecim regulas ac definitiones fidei ſecundæ Sirmienſi planè contrarias, quas recenſet Hilarius lib. de Synodis, expreſſerunt, eaſque per Legatos ad Conſtantium Imperatorem Sirmij morantem miſerunt. Quas cùm ille accepiſſet, Orientales verò omnes ad Ariminenſe Concilium profecturi, opportunè Sirmium, vbi Imperator agebat, reuertiſſent, poſt ſecūdam Sirmienſem Confeſſionem publico edicto reprobatam, iuſſu Imperatoris ibidem 11. Kalend. Iunias nocte illuceſcentis ſacri diei Pentecoſtes, tertiam Sirmienſem fidei Formulam compoſuerunt; eamque ſua ſubſcriptione munitam, atque Ariminum aſportatam, ibidem in Concilio Ariminenſi recitarunt. Ita Latro cruci adiudicatus, Chriſtum cōfitetur; quem Petrus in periculo conſtitutus abnegauit. Vide Baron. anno 357.

Dicuntur autem hi qui ad hoc Concilium conuenerunt, Semiariani, quia nomen Arij deteſtati, diuinam in Filio Dei ſubſtantiam vtcumq; ſpecietenus confitebantur: quia tamen vocem *conſubſtantialitatis* non recipiebant, Nicænumque Symbolum explodebant, Semiariani nominabantur. Horum erat illa fidei Profeſſio, quæ Antiochiæ in Encæniis, Sardicæ & Sirmij primo & tertio loco edita fuit, quæque hîc Ancyræ declarata fuit.

CONCIL. ARIMINENSE OECVMENICVM ET VNIVERSALE

approbatum, EVSEBIO & HYPATIO *Coſſ. habitum, in quo 400. Epiſcopi, omnes ferè Catholici, Arianis confeſſionibus reiectis,* NICAENAM *fidem confirmarunt.*

SIRMIENSI Synodo abſoluta, cùm Ariani, non tam inter ſe pace aſtricti, quàm maiore diſcordia diuiſi eſſent, ſtatuerat Imperator, Diacono & Cereali Coſſ. anno Chriſti 358. ad eoſdem inter ſe conciliandos, Nicomediæ Concilium congregare: verùm vrbis illius prodigioſo interitu impeditus, Eubio & Hypatio Coſſ. anno Chriſti 359. ad eaſdem fidei controuerſias componendas CCCLIX.

nendas, Oecumenicam Synodum indixit, eamque in duas diuiſit, ſtatuens, vt Occidentales Arimini, Orientales Seleuciæ in Iſauria conuenirent: eo nimirum fraudulento Arianorum conſilio, vt Orthodoxi loco diuiſi, animis & votis inter ſe diuiderentur; & quia facilius eſſe putarent, paucioribus, quàm ſimul omnibus imponere.

Eſt autem maximopere aduertendum, duo Concilia, Ariminenſis Synodi nomine inſignita reperiri: vnum legitimum & germanum, Arimini verè habitum, in quo Ariana confeſſione Sirmij edita, omnium Patrum conſenſu exploſa, Nicæna fides cunctorum ſuffragio ſtabilita fuit: quóve Ariani cum Vrſacio & Valente, ſociiſque eorum præſentibus, communi Patrum ſententia condemnati fuere. Alterum ſpurium eſt & illegitimum, alibi veriùs quàm Arimini habitum; ſed hoc nomine appellatum. Prius Catholicum eſt, & ſumma laude dignum: poſterius verò Arianorum Conciliabulum fuit, meritoque à Bellarmino inter reprobata reiectum. Sicut igitur ad obſcurandam gloriam & auctoritatem duorum Vniuerſalium Conciliorum Catholicorum, Nicæni & Sardicenſis, Ariani alibi eiuſdem nominis Synodos coëgerunt; ita ad abolendam hanc priorem ritè vereque peractam Ariminenſem Synodum Catholicã & Orthodoxam, aliam alibi celebrarunt, quam, priore abrogata, Ariminenſem nominarunt, & ſummis laudibus extulerunt. Vnde ſicut Sardicenſe ab Auguſtino aliiſve doctis viris planè reiectum fuit, quòd ignorarent, duplicis generis Sardicenſia reperiri; ita etiam fortaſſe accidit, vt Bellarminus lib.1.cap.6. nulla facta diſtinctione Ariminenſis legitimi ab illegitimo, illud inter reprobata enumerarit. Hæc ex Athanaſio lib.de Synodis, Ambroſio epiſt. 32. Baronius an. 359. num.49. 50. & 51.

In hoc Concilio conuenerunt quadringenti Epiſcopi, quibus omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat: ſed repudiatis fiſcalibus, propriis ſumptibus viuere maluerunt. Ex his, iuxta Athanaſium lib.de Synodis, quinquaginta, iuxta Seuerum, octoginta tantùm Ariani; reliqui omnes Catholicæ fidei defenſores fuerunt.

Congregatis verò ſic Epiſcopis, factum eſt initium Concilij. Principio legebatur epiſtola, qua, teſte Sozomeno lib.4. cap.16. Imperator petebat, vt primùm ambigua in fide ab Epiſcopis deciderentur, deinde cauſæ Epiſcoporum cognoſcerentur, Actaq; tandem Concilij vniuerſa ad ſe per decem Legatos vtriuſque partis referrentur. Cùm deinde cœptum eſt agi de fide, poſtularunt Ariani, vt antiquatis fidei Formulis omnibus aliis anterioribus, Sirmiana fidei confeſſio tertia, Sirmij edita, à Conſtantio approbata, & per Valentem hîc recitata, retineretur, idque propterea in primis, quòd in ea Filius Patri per omnia ſimilis eſſe diceretur. Verùm, cùm in eadem nomina *ſubſtantiæ* & *conſubſtantialitatis* doloſè ſuppreſſiſſent, vt ſcilicet his vocibus abdicatis, Nicænam fidem euerterent, & ad Arianam blaſphemiam aditum patefacerent, fraude & improbitate cognita, Patres Orthodoxi nihil de Orientalibus, ſicut per literas Imperator petiuerat, ſtatuentes, Arianam hæreſim cum ſuis ſectatoribus damnarunt, atque reiectis aliis fidei Formulis, vnicum dumtaxat Nicænum fidei Symbolum comprobarunt. Sententiam Concilij apud Athanaſium & Hilarium extantem, infrà ſubiiciemus.

His à Synodo Catholica definitis, decem Legati Catholici ad Imperatorem cum epiſtola Synodica mittuntur, vt ab ijs de rebus in Concilio geſtis informetur. Ab Arianis totidem ablegati Catholicos anteuertentes, falſis ſuis relationibus aures Imperatoris præoccuparunt, idque ſuo more effecerunt, vt neque Catholici Legati apud Comitatum, neque Patres Concilij ante expeditionem contra barbaros tentatam,

Digitized by Google

Arimino diſcedere permiſſi fuerint. Abeundi licentiam per literas reſponſorias ad eum reſcriptas illi quidem poſtularunt, nihil tamen impetrarunt, ideò quòd ab expeditione barbarica reuerſus, conſtituiſſet, omnes omnino Catholicos Arimini congregatos per vim & tormenta adigere, vt eam, quam Ariani alibi ſub nomine Ariminenſis Concilij Formulã fidei vulgaturi erant, omnes ſubſcriptione ſua firmarent. Vide in ſequenti Conciliabulo. Hæc ex Athanaſio, Socrate, Sozomeno, Hilario, Baronius an.359.num.5.& ſeqq.

Epiſtola CONSTANTII *ad Synodum Ariminenſem.*

Extat apud Hilarium Frag.lib.2. p.44.

VICTOR Conſtantius Maximus triumphator ſemper Auguſtus. Continet priora inſtituta, Venerabiles, ſanctimoniam legis rebus Eccleſiaſticis niti: ſatis ſuperque perſpeximus literis ad noſtram prudentiam datis, iiſdem oportere operam dare; cùm profectò & Epiſcoporum id officio congruat, & ſalus omnium longè lateque populorum hoc fundamine roboretur. Sed res admonuit, inſtituta rurſus exiſtere. Non enim aliquis definita geminari ſuperfluum iudicabit, cùm rebus conſueuerit admonitio augere cumulum diligentiæ. His ita ſe habentibus, de fide atque vnitate tractari debere cognoſcat ſinceritas veſtra, & operam dari, vt Eccleſiaſticis rebus ordo competens præbeatur. Diſcurret namque cunctorum poſteritas vbique populorum, & concordia fida ſeruabitur, cùm penitùs amputatis *nec huiuſmodi quæſtionibus cunctis ſectando commouerit, res iſta non debet ita intentionem animi propagare. Non enim de Orientalibus Epiſcopis in Concilio veſtro patitur ratio aliquid definiri. Proinde ſuper his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoſcit grauitas veſtra, tractare debebitis, & completis celeriter vniuerſis, conſentiente conſenſu, decem mittere ad Comitatum meum, vt prudentiæ veſtræ prioribus literis intimauimus. Prædicti enim poterunt omnibus, quæ eiſdem Orientalibus propoſuerint, reſpondere, vel tractare de fide, vt exitu competenti omnis quæſtio terminetur, & ambiguitas ſopiatur. Quæ cùm ita ſint, aduerſus Orientales nihil ſtatuere vos oportet, aut ſi aliquid volueritis contra eoſdem prædictis abſentibus definire, id quod fuerit vſurpatum, irrito euaneſcet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui noſtra ſtatuta teſtantur iam nunc robur & copiam denegari. Quæ cùm ita ſint, moderatione religionis venerabilibus Antiſtitibus conſentanea debetis veneranda perficere, vt id quod religio poſtulat, explicetur, & quod audiri prohibet ratio, nullus vſurpet. Diuinitas vos ſeruet per multos annos, Parentes. K. dat.6. Kal. Iunias, Euſebio & Hypatio Coſſ.

Definitio Catholica CONCILII ARIMINENSIS *apud Hilarium extans, hæc eſt.*

INCIPIT Definitio Catholica habita ab omnibus Catholicis Epiſcopis, priuſquam per terrenam poteſtatem territi, hæreticorum conſortio ſociarentur in Concilio Ariminenſi. Extat apud Hilarium Frag.lib.4. p.45.&46.

Si credimus placere omnibus poſſe Catholicis, Symbolo accepto nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum recognouimus: nec à fide receſſuros, quam per Prophetas à Deo Patre per Chriſtum Dominum noſtrum, docente S.Spiritu, & in Euangeliis, & in Apoſtolis omnibus ſuſcepimus, vt per traditionem Patrum ſecundùm ſucceſſionem Apoſtolorum vſque ad Tractatum apud Nicæam habitum contra hæreſim, quæ tunc temporis exſurrexerat, poſitum nunc vſque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui poſſe manifeſtum eſt. Placet ergo nihil nouum fieri: *ſubſtantiæ* quoque nomen, & rem à multis ſanctis Scripturis inſinuatam mentibus noſtris, obti-

obtinere debere ſui firmitatem. Quam rem cum ſuo nomine Eccleſia Catholica, cum doctrina Deifica ſemper confiteri & profiteri conſueuit. Subdit Auctor: Huic definitioni omnes in vnum Catholici conſpirantes ſubſcripſerunt.

Damnatio ARIANAE *hæreſeos apud Hilarium extans.*

Extat apud Hilar. lib. poſt. de Synod. Arimin.

DAMNATIO blaſphemiæ Arij, & expoſitio integræ & Catholicæ fidei, quam Catholici in Tractatu Ariminenſi firmauerunt, & manu ſua ſubſcripſerunt.

Blaſphemiæ Arij, licet antehac fuerint damnatæ, latebant tamen occultæ, quia eum blaſphemaſſe ignorabatur. Verùm, fauente Deo, procuratum eſt, vt conſtitutis nobis apud Ariminum, eius peſtifera hęreſis repeteretur. Et ideò ſimul cum eius blaſphemiis omnes quoque hæreſes, quæ antehac exſurrexerunt contra Catholicam & Apoſtolicam traditionem, ſicut iam dudum damnatæ ſunt præteritis Conciliis & diuerſis in locis, nos quoque damnamus & anathematizamus eos, qui dicunt, Filium Dei nullis extantibus, & de alia ſubſtantia, & non de Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero.

Et ſi qui Patrem & Filium duos Deos, hoc eſt, non nota duo principia dixerit, & non Patris & Filij vnam Deitatem profiteatur, anathema ſit.

Si quis Filium Dei creaturam vel facturam dixerit, anathema ſit.

Si quis Deum Patrem ipſum de Maria natum, eumdemque Patrem & Filium dixerit, anathema ſit.

Si quis Filium Dei de Maria initium ſumpſiſſe dixerit, vel fuiſſe tempus quando non erat Filius, anathema ſit.

Si quis Filium Dei non verè inenarrabiliter de Deo Patre natum, ſed adoptiuum Filium dixerit, anathema ſit.

Si quis Filium Dei aut temporalem, aut hominem ſolùm, & non ante omnia ſæcula de Deo Patre natum profiteatur, anathema ſit.

Si quis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam perſonam, aut tres ſubſtantias diuiſas dixerit, & non perfectæ Trinitatis vnam Deitatem profiteatur, anathema ſit.

Si quis Filium Dei eſſe ante omnia quidem ſæcula, & non ante omne omnino tempus dixerit, vt ei tempus aſſignet, anathema ſit.

Si quis creata omnia non per Verbum, ſed ſine eo, vel ante eum facta dixerit, anathema ſit.

Si quæ autem aliæ blaſphemiæ Arij vel cuiuſlibet repertæ fuerint, ſimiliter anathematizamus.

Epiſtola Synodica per Legatos ad CONSTANTIVM *tranſmiſſa, hæc eſt:*

Extat apud Athanaſ. de Synod.

DEI iuſſui, tuoque piè edicto parentes, quæ olim dogmatibus tradita ita eſſe, vt tradita ſunt, noſtris ſuffragiis ſtabilienda iudicauimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentem poſitis ciuitatibus in vnum conuenimus, vt fides Catholicæ Eccleſiæ cognoſceretur, & qui alterius opinionis eſſent, manifeſti fierent. Ibique poſt longam deliberationem optima viſa eſt ea fides, quæ hactenus vſque à priſcis temporibus perdurauit, quam & Prophetæ, & Euangeliſtæ, & Apoſtoli per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum prædicarunt, qui eſt tui Imperij cuſtos, & tuæ valetudinis defenſor. Statutum eſt igitur, vt eam retinentes coleremus, & colentes vſque ad finem conſeruaremus. Indecens enim & nefarium, aliquid ex rectè & iuſtè decretis, & ex Nicææ publicè cum Illuſtr. Principe Conſtantino patre tuo per accuratam deliberationem conſtitutis immutare velle, in quibus tanta doctrina eſt & prudentia, vt ea vbique deprædicata ad omnium aures animoſque peruenerit, quæ ſola hoſtis & interfectrix Arianæ hæreſeos, & per quam non illa, ſed & reliquæ hæreſes ſublatæ ſunt: in qua certè & addere aliquid, temerarium eſt; & auferre, periculoſum: quorum ſi alterum fiat,

 erit

Digitized by Google

erit hoſtibus quidlibet agendi libera facultas.

Atque ea de cauſa Vrſacius & Valens, iam pridem ſocij & adſtipulatores Ariani dogmatis, à noſtra communione, ſententiâ datâ, ſegregati fuere, &c. Reliqua fuſè extant apud Biniũ.

CONCILIABVLVM ARIMINENSE.

ANNO DOMINI CCCLIX.

CVM vtriuſque partis Legati ad Comitatum veniſſet, explicaturi quid Arimini definitum aut geſtum eſſet, Ariani Catholicis præuentis, Concilium falsò inſimulare cœperunt. Imperator verò grauiter propterea commotus, quòd Formulam fidei, quæ ſe præſente Sirmij confirmata fuiſſet, reiecíſſent; Legatos Catholicos contempſit, eoſque longa mora fatigatos neglexit, iubens eos Hadrianopoli, Epiſcopos ceteros Arimini per hiemem expectare, donec ab expeditione, quam contra barbaros parabat, reuerteretur. Intereà Ariani Epiſcopi, qui Nicææ Thraciæ iuſſu Imperatoris nouam fidei Formulam ex eiuſdem Conſtantij ſententia ſub Nicæno nomine vulgatam ediderunt, & ad perfidiam hanc ſubſcriptione ſua approbandam, non tantùm Legatos Hadrianopoli, & Epiſcopos reliquos Arimini detentos; verùm etiam præter Liberium Pontificem, Seruatium Tungrenſem, alioſque decem & octo Epiſcopos fortiter reſiſtentes, omnes pænè totius orbis Antiſtites metu exilij & tormentorum per vim induxerunt: adeò quòd, auctore Hieronymo Dialogo contra Lucif. totus pęnè orbis Arianum ſe eſſe miratus, tunc verè ingemuerit.

Hæc Arimini poſt legitimam Synodum multis antè menſibus abſolutam contigerunt, in illo Arianorum Conuentu, quo nomine *conſubſtantialitatis* abdicato, Chriſtus ex praua Arianorum conſequentia creatura aſſerebatur: quo Liberius recuſans ſubſcribere, per Valentem relegatus eſt: quo deniq; Gaudentius Ariminenſis Epiſcopus per milites fuſtibus & lapidibus appetitus, glorioſo martyrio occubuit. Hunc Conuentum illi veram Ariminenſem Synodum nominarunt, ſummiſq; præconiis extulerunt, vt eiuſdem nominis Concilium Orthodoxum & legitimum vel abolerent, vel ſaltem, quod etiam tempore Sardicenſis Concilij fecerant, eius gloriam obſcurarent. Vide Baronium anno 359. n. 27. 32. & ſeqq.

CONCILIABVLVM SELEVCIENSE

in quo à SEMIARIANIS ACACIANI *damnantur.*

SYNODVS hæc celebrata eſt Seleuciæ eodem tempore, quo Arimini in Occidente. In qua circiter centum ſexaginta Epiſcopi cõuenerunt, partim Acaciani, id eſt Aëtianorum conſortes, Chriſtum omnis cum Patre ſubſtantiæ expertem impiè tradentes: partim Semiariani, diuinæ cum Patre ſubſtantiæ ſuo quodam ſenſu aſſertores. Ad eamdem etiam S. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, iam quartum annum agens in exilio in Phrygia, diuino planè conſilio euocatus fuit. Miſſi ſunt ab Imperatore duo Comites, qui Synodo intereſſent. Antequam in cõſeſſum iretur, Hilarij fides (quem, ſicut omnes alios Conſubſtantialitatis aſſertores Catholicos, Sabellianum nominauerant) explorata fuit. Deinde quatuor dierum ſeſſionibus quatuor, Semiariani Formulam fidei in Encæniis Antiochiæ conſtitutam, retinendam eſſe ac ſubſcribendam definierunt. Acaciani verò contra eam vrgebant, à qua voces *ſubſtantiæ* ac *conſubſtantialitatis*, tamquam à Scripturis alienæ abeſſent. Qua ratione cùm prædicto tempore de fide contendiſſent, tandem à Semiarianis Acaciani vel Ariani condemnati fuerunt. Abſentibus à Synodo excommunicatis, reliquos omnes Arianos ſedibus ſuis abdicarunt. Damnati ad Imperatorem Conſtantinopolim

lim reuerſum appellarunt, nouamque Synodum ibidem congregari pro voto impetrarunt, vt in ſequenti Conciliabulo patet. Hæc ex Socrate lib. 2. c.31. & 32. Athanaſio de Synodis, Seuero libro 1. Baronius anno 359.n.61.& ſeqq.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT.

in quo nouâ fidei Formulâ promulgatâ, SEMIARIANI *ab* ACACIANIS *&* ARIANIS *condemnantur.*

ANNO DOMINI CCCLIX.

CONCILIABVLVM hoc Conſtantinopoli celebratum eſt præſente Conſtantio, eo tempore, quo Epiſcopi Arimini congregati, illic adhuc detenti erant: noua enim illa fidei Profeſſio Conſtantinopoli ſcripta, teſte Athanaſio de Synodis, miſſa eſt ad eos qui Arimini conuenerant, vt eidem omnes vel ſubſcriberent, vel in exilium relegarentur. Conuocati ſunt ex proxima tantùm Prouincia, vt tradit Socrates lib.2. cap. 33. Epiſcopi Bithyniæ numero quinquaginta. Nouam, eamque nonam à Nicæno Concilio fidei Profeſſionem ediderunt, in qua non modò vox *ſubſtantiæ*, ſed etiam *hypoſtaſis* vel *ſubſiſtentiæ* impiè abolita fuit. Quam cùm Semiariani deteſtarentur, mutua illis gratia viciſſim reddita, eoſdem condemnarunt, ſedibuſq; priuatos in exilium relegarunt. Vt viderentur Catholici, ſuæ hæreſeos auctorem Aëtium condemnarunt, vt ſcilicet, Deo ita volente, ſuo ipſius iudicio condemnati, excuſationis prætextum nullum haberent. Quòd Siluanus & Eleuſius Semiariani, vocis *conſubſtantialitatis* inimici, eo tempore quo Acaciana impietas inualeſcebat, defenſores facti fuerint, eamque teſte Theodoreto lib.2.cap.27. ad ſui relegationem vſque contra Arianos propugnauerint, propè miraculum eſſe arbitramur. Tanta enim eſt veritas Orthodoxæ fidei, vt quandoque inimici noſtri iudices ſint æquiſſimi. Intereà dum hæc agerentur, Arimino alia fidei Formula Conſtantinopolim adfertur, cui omnes Epiſcopi, etiam Orientales Seleucienſis Synodi, iuſſu Conſtantij ſubſcripſerunt, adeò vt iidem Epiſcopi, eodem propè tempore, duplici fidei diuerſæ, Conſtantinopolitanæ & Ariminenſi, ſubſcripſerint. Harum alteram in Oriente, alteram in Occidente Imperator obſeruari voluit. Hæc latiùs apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum, & Baronium anno 359.nu.79.& ſeqq.

CONCILIABVLVM ANTIOCHENVM,

quo ab ARIANIS MELETIVS *Epiſcopus Antiochenus ſede deponitur.*

HOC Conciliabulum habitum eſt Antiochiæ, anno Conſtantij, vt teſtatur in Chronico Hieronymus, 24. qui eſt Chriſti 360. CCCLX.
Cauſa habiti Concilij iſta primaria fuit, vt Acaciani & Ariani declararent, Meletium Antiochenum Epiſcopum ſede ſua iuſtè deiectum, eiq; Euzoïum, ſuę factionis ſectarium impuriſſimum, æquiſſimo iudicio ſubſtitutum eſſe. Cùm enim Meletius teſte Sozomeno lib.4.cap. 27.ab Eudoxianis & Acacianis poſt aliorum Semiarianorum depoſitionem in ſedem Antiochenam introductus, pręter ſpem & opinionem eorum, Dei nutu ac ſingulari prouidentia, Nicæni Concilij fidem publicè tanto zelo & Orthodoxæ religionis ardore prædicaret, vt dum ipſius concionãtis os Archidiaconus manu obſtrueret, digitos ille primò tres, deinde vnum proferens, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate doceret: iuſſuſque ab Imperatore recantare palinodiam, recuſaret: eiuſdem Conſtantij Imperatoris mandato depoſitus, in exilium cõtra pacta aſſecurationis data, & apud Euſebium Samoſatenum velut ſequeſtrum depoſita, eiectus fuit. Ariani itaque metuentes ne decreti illius conſcripti teſtimonio coarguerentur, perſuadent Conſtantio, vt per nuntium ab Euſebio decretum reddat. Ad quod facien-

ciendum cùm ille neque verbis neque minis ab Imperatore induci potuiſſet, reſpondiſſetque ſe commune decretum communi conſenſu acceptum, numquam redditurum, niſi omnes, qui ſuæ fidei illud commiſerunt, in vnum conuenirent. Hac itaque occaſione Acaciani Antiochiæ conuenientes, approbata Meletij iniuſta depoſitione ac relegatione, nouam rurſus fidem, eamq; omnium deterrimam, Conſtantio & Acacio auctoribus condiderunt, qua Filium Patri ſubſtantiâ & voluntate diſſimilem, atque ex nihilo ortum eſſe ſtatuerunt, ſicut Ario ab initio placuerat. Et hic tandem finis magnæ tragœdiæ, ab Arianis poſt Nicænum Cõcilium per triginta & ampliùs annorum ſpatia confectæ: cuius tot fuerunt actus, quot celebrata Concilia. Quorum vltimo funeſtum illud, quod primùm in eorum animis inſedit, Dei Filium (prô ſcelus!) ſubſtantia & voluntate Patri eſſe diſſimilem infeliciter cõcluſum eſt. Nam eo tempore, quo Conſtantius Filio Dei Diuinitatem ademit, non ſine prodigio eidem Imperium abripitur; cùm in Galliis Iulianus à militibus aliàs acclamatus Imperator eligitur, & quantumlibet inuitus, imperare cogitur. Anno enim ſequenti procul omni dubio Conſtantius cum Orientali Imperio vita exutus fuiſſet, niſi eum mors citiùs confeciſſet. Hæc ex Theodoreto, Epiphanio, Sozomeno & Ammiano, Baron. anno 360. n. 45. & ſeqq.

CONC. ALEXANDRINVM *de* LAPSIS *recipiendis, ſub* LIBERIO *approbatum.*

ANNO DOMINI CCCLXII.

CONCILIVM hoc congregandi hæc cauſa fuit: Cùm poſt occiſum Georgium Cappadocem, Alexandrinæ ſedis inuaſorem, Athanaſius à tertio exilio, & quinquennalibus latebris, anno Iuliani ſecundo, qui eſt Chriſti 362. Alexandriam reuerſus, magnoq́ue omnium gaudio & applauſu exceptus fuiſſet, hortatu & auctoritate Liberij Pontificis Concilium indixit: tum vt Eccleſiam ſuam ab Arianæ hæreſeos inquinamentis ac ſordibus expurget: tum vt inter eos, qui diſſidebãt, pacem conciliet, atque tyrannide oppreſſos liberet; adeoque ſtatum Catholicæ Eccleſię, dira multorum annorum perſecutione collapſum, reſtituat atque reformet. Pontificis Legatione functuri, Euſebius Vercellenſis & Lucifer Calaritanus Epiſcopi præſtò fuerũt, quod partim ex epiſtola Athanaſij ad Liberium, partim ex rebus ab vtroque geſtis colligitur. Cum his Ægypti aliarumq; Eccleſiarum Epiſcopi ad Concilium conuocati conuenerunt; eò libentiùs, vt ſimul reducem ab exilio Athanaſium inuiſerent.

Exemplo Antiocheni & Nicæni Concilij, Paulum Samoſatenum, alioſq́ue Epiſcopos ad pœnitentiam citra priſtinæ dignitatis iacturam admittentium, magna etiam conſilij maturitate à Patribus in hac Synodo conſtitutum fuit: Primò, Vt Epiſcopi per ignorantiam vel tormenta in hæreſim lapſi, cùm ad Catholicam Eccleſiam reuerterentur, in eodem honoris gradu, quo inſigniti fuiſſent, reciperentur. Sin verò hæreſeos auctores fuiſſent, præuia pœnitentia, ablatis honoribus, laica communione impertirentur. S. Hieronymus Tom. 2. aduerſus Lucifer. *Acta Concilij.*

Secundò, Aduerſus Eunomium, Macedonium, & Semiarianos, Spiritus ſancti Diuinitatem negantes, nec non recèns emergentem hęreſim, quæ poſteà dicta eſt Apollinaris, perfectam Chriſti incarnationem diminuentem, animam nimirum ab humanitate Chriſti detrahentem. Socrates lib. 3. cap. 4. & 5.

Tertiò, Controuerſia illa grauis & periculoſa de nominandis in ſacroſancta Trinitate ſuppoſitis inter Græcos & Latinos exorta feliciter admodum ſopita fuit, hoc modo: Græci, qui tres hypoſtaſes dicebant, videbantur Latinis

nis tres οὐσίας ſiue eſſentias cum Ario dicere, eò *quòd tota Græcorum profanorum ſchola diſcrimen inter hypoſtaſim & vſiam ignorabat,* teſte Hieronymo ep. 57. Latini verò, qui reiecto nomine hypoſtaſis, perſonas dicebant, Græcis videbantur diſtinctionem non realem, ſed tantùm ratione muneris ſiue officij inter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum agnoſcere: eò quòd perſonę vocabulum ad auctoritatem officij ſignificandam accommodari ſolet. Ob quam verborum contentionem *eò res adducta eſt,* inquit Naziãzenus Orat. de Laud. Athan. ſub finem, *vt periculum eſſet, ne orbis terrarum fines* (id eſt Orientalis & Occidentalis Eccleſia) *vnà cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraherentur & abrumperentur.* Effecit itaque Athanaſius, vt depoſita tandem controuerſia nominum, Græci Perſonæ vocabulũ pro Hypoſtaſi vſurparent; & viciſſim Latini Hypoſtaſim pro Perſona dicerent. Et quamquam S. Auguſtino lib. 5. de Trin. c. 8. & 9. Latiniſque poſteris hæc conciliatio deinceps diſplicuiſſe videatur; tamen S. Hieronymus ep. 57. apud Damaſum impetrauit, vt huius de nomine dumtaxat controuerſiæ conciliatio admitteretur. Deinceps verò apud poſteros communi vſu in Eccleſia receptũ fuit, vt quamquam olim pro eſſentia & ſubſiſtentia vox Hypoſtaſis vſurpata fuerit; nunc idem in diuinis, & creaturis rationabilibus ſignificet Gręcè Hypoſtaſis, quod Latinè Perſona. Ita S. Bonauentura, S. Thomas, & reliqui communiter.

Quartò, hac eadem Synodo Alexandrina declaratum eſt, Profeſſionem illam fidei ab Arianis titulo Sardicenſis Concilij promulgatam, ſpuriam & ſurreptitiam eſſe, atque ad Nicænam confeſſionem in Sardicenſi Concilio nihil additum fuiſſe: adeoq; Appendicem illam Synodali epiſtolæ Sardicenſi apud Theodoretum falsò additam fuiſſe.

Tandem cùm Athanaſius per reſcriptum, Liberium Romanũ Pontificem de omnibus in hac Synodo geſtis certiorem reddidiſſet, de iiſdem priùs ad Antiochenos, pòſt ad Orientales vniuerſos, miſſa eſt Synodica epiſtola. Vide Baronium an. 362. n. 176. & ſeqq.

CONC. PARISIENSE.

HOC Concilium vnum eſt ex his frequentibus Conciliis anno Domini 362. poſt Hilarium ab exilio reuerſum in Gallia habitis; quibus teſtimonio Seueri lib. 2. Orientalium error aduerſus Nicænam fidei profeſſionem in diuerſis Synodis comprobatus vnà cum ſuis auctoribus, nomen *conſubſtantialitatis* in Filio Dei proſcribentibus, penitùs condemnatur. Quid in hoc reliquiſve Galliæ Conciliis ſub Hilario hoc tempore celebratis actum fuerit, ex Synodali epiſtola Concilij apud Pariſios (mendoſè & corruptè, quod habet inſcriptio, Fariſeam ciuitatem) congregati, colligere licet, quæ extat apud Binium hîc. ANNO DOMINI CCCLXII.

CONCILIVM ALEXANDRINVM II. ORTHODOXORVM *ſub Pontificatu* LIBERII.

POSTQVAM Athanaſius audiuiſſet, Iulianum, quem & citò deſiturum diuino oraculo pręmonitus ſenſerat, defunctum, exuleſque Epiſcopos à Iouiniano per edictum reuocatos eſſe, literaſque Imperatoris, fidem doceri petentis, accepiſſet, citra omnem moram primarios Ægypti, Thebaidis, ac Libyæ Epiſcopos Orthodoxos ſibi ſubditos ad hanc Synodum Alexandrinam conuocauit. Qua deliberatione præuia, cum conſilio decretum eſt, vt ſcriptum Catholicæ fidei libellum eueſtigiò ad nouum Imperatorem mitterent, ne ille (quod Conſtantio accidit) ab hæreticis præoccupatus, in impietatem tranſuerſus penitùs ageretur. Athanaſius itaque, vt periculum anteuertat, omni celeritate procurat, ſcriptumque in Synodo eiuſmodi libellum ad Imperatorem mittit. *Quo perle-* CCCLXIII.

cto,

Digitized by Google

tutúmve fuerit, Sozomenus lib. 8. c. 7. enarrat his verbis: *Decernunt, Acta Conſtantinopoli, operâ ac ſtudio Eudoxij & Acacij cum ſuis ſancita, abroganda eſſe.* Et paulò infrà: *Porrò Formulam fidei in conſecratione Eccleſiæ Antiochenæ editam, & Seleuciæ omnium Epiſcoporum conſenſu confirmatam in omnibus Eccleſiis tenendam. Quin etiam, vt ij, qui ab ijs, qui Filium Patri diſſimilem aſſeuerabant, abdicati eſſent, ſuas ipſorum ſedes, vtpote Eccleſiis per nefas eiecti, denuò reciperent.* Socrates lib. 4. cap. 4. eadem breuiùs enarrans, inquit: *Rurſus contra Acacium & Eudoxium, vtpote iure abdicatos, tulere ſententiam.* Ex ijs, quæ paulò pòſt ſubiungit, Eleuſium Cyzici Epiſcopum, dogma illud, quod à Macedonio eius auctore nomen inuenit, quódque in Lampſaceno Concilio multò euidentiùs omnibus patefactum fuit, propugnaſſe; illudque Concilium cauſam fuiſſe, cur Helleſpontus tanta Macedonianorum frequentia abundaret: ex eo ſanè manifeſtiſſimum fit, hoc eodem Conciliabulo Spiritus ſancti Diuinitatis negationem, à Semiarianis, ex ſententia Macedonij, additam fuiſſe.

His peractis, Statuta Synodi per Euſtathium Sebaſtenum, Theophilum & Siluanum Legationis munere functuros, Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopis, ac præcipuè Liberio Romano Pontifici per Synodicas ſignificarunt. Vt verò eiuſdem Pontificis atque Catholicæ & Orthodoxæ Eccleſiæ communionem aucuparentur, ſedes ſuas, quibus iuſtè priuati erant, recipere poſſent; ſimulantes ſe Catholicos, fideíque Nicænæ obſeruantiſſimos eſſe, fidei ſuæ libellum, quem recitat Socrates lib. 4. c. 11. Pontifici offerunt. Quod cùm feciſſent, non tantùm Communicatorias à Pontifice aliiſque Epiſcopis literas impetrarunt; ſed etiam alias acceperunt, quibus auctoritate Apoſtolica præcipiebatur, vt ijdem, qui antè ſedibus ſuis expoliati fuerant, poſt habitam Catholicæ fidei Profeſſionem ſuis Eccleſiis reſtituerentur. His impetratis, quid egerint, dicemus in ſequentibus Conciliis. Epiſtola Liberij Pacifica eſt vndecima inter epiſtolas eiuſdem Liberij, quam vide apud Binium.

CONCILIVM IN SICILIA.

EVSTATHIVS Sebaſtenus, ceterique Legati Lampſaceni in Siciliam profecti fuerunt, vbi Concilio Epiſcoporũ Siculorum conuocato, coram illis ſimiliter fidem Conſubſtantialitatis ſe ſeruare confitentur, fideique Formulam in Nicæno Concilio confirmatam, ratam faciunt. Ita Socrates lib. 4. c. 11. addens, quòd cùm Profeſſionem fidei per literas Communicatorias à Pontifice acceptas confirmaſſent, Pontificiis epiſtolis ſuas eiuſdem argumenti ad Orientales ſcriptas addiderint. Tanta enim erat Romani Pontificis auctoritas, vt quos ille communione Catholica dignatus fuerat, quantumuis de fide maximè ſuſpecti eſſent, nemo eos recipere detrectaret. Baronius anno 365. num. 16. ANNO DOMINI CCCLXV.

ILLYRICA SYNODVS.

HAEC Synodus occaſione Euſtathij, Theophili, & Siluani Pontificis Legati congregata fuit. Euſtathius cum ſuis in Illyricum profectus, poſt fidem Catholicam ibi prædicatam, literaſque Communicatorias aliorum acceptas, horum etiam communione impertiri ſollicitat. Liberius Pontifex propter confeſſionẽ fidei à Legatis Orientalibus emiſſam, ſperans vniuerſum orbem Christianum ſub vna fide Catholica & Nicęnę fidei profeſſione redigendum, prædictis Orientalibus, Elpidium Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Legatum adiungit: qui antequam in Orientem abiret, vniuerſam Occidentalem Eccleſiam de fide Catholica Orientalium ad Eccleſiam redeuntium, certiorem redderet. Epiſcopi igitur in Illyrico hac occaſione conuenientes, principio fidem Nicænam CCCLXV.

nam

nam, paucis exceptis, omnes confeſſi fuerunt; atque ea de re per Elpidium ad Orientales Synodicam ſcripſerunt: cui Valens Imperator ſuas addidit. Epiſcopi Italiæ Illyricis, quod fidem Nicænam recepiſſent, per literas gratulati fuerunt. Baronius anno 365. n.17. & ſeqq. Extat Epiſtola Synodalis apud Theodoretum lib. 4. c.8. malè poſt ordinationem Ambroſij collocata; Baronium anno 365, nu.18.19.20. Vide etiam Binium hîc.

CONCIL. TYANENSE CATHOLICORVM.

ANNO DOMINI CCCLXV.

SYNODVS hæc eo tempore à Catholicis celebrata fuit Tyanæ ciuitate, quo Legati Orientalium ex Occidente diſcedentes in Orientem venerunt, anno nimirum Chriſti 365. Euſtathius Epiſcopus Sebaſtiæ cum aliis collegis ad eam ſe conferens, Liberij Pontificis, aliorumque Occidentalium Epiſcoporum Communicatoriis Epiſtolis oſtenſis, ad Profeſſionem fidei Nicænæ ſe obtulit, ſimulque iuxta mandatum, & ſpeciales literas Romani Pontificis hac de re ſcriptas, in ſedem ſuam reſtitui petiit. Epiſcopi verò omnes Tyanæ congregati, primæ Sedis maieſtatem & auctoritatem veriti, non modò eum Catholica communione dignati fuerunt; ſed etiam in ſedem, à qua Acacianorum ſententiâ deiectus fuerat, reſtituerunt. Receptus, ſedique priſtinæ reſtitutus, relapſus eſt: quia fortaſſe *omnia hæc ſimulatè tantùm actitauerit, Nicænamque confeſſionem ad decipiendum, laruæ dumtaxat loco vſurpauerit*, vt dicit S. Baſilius ep.74. ad Orientales ſcripta. Baſilius verò, qui dum quæreretur ad Epiſcopatum Cæſarienſem, improuiſa fuga ſibi conſuluit, creatoq; Euſebio ſibi parum æquo, vnà cum Gregorio Nazianzeno ſiluas Ponti petiit, cùm in ſolitudine agens, Euſebium Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ad cuius ſimultatem fugiendam ſe in ſolitudinem receperat, audiuiſſet, opportunum ſibi viſum eſt, ad eamdem Tyanenſem Synodum literas dare, quibus ſignificaret, nihil antiquius apud ſe eſſe, quàm pacem cum omnibus exoptare. Quibus literis in Synodo perlectis, effectum eſt, vt Euſebius Baſilium pacem rogantem ſuſciperet: reuerſus ad Eccleſiam Cæſarienſem eum ex eremo acceſſiuit, & amiciſſimè fouit. Baronius anno 365. numero 28. & 29.

CONCILIABVLVM ARIANORVM IN CARIA.

VALENS Imperator hactenus Catholicus, in procinctu Gothico propter Procopij tyrannidem anno Imperij ſui tertio, qui eſt Chriſti 366. feliciter debellatam, bono conſilio ſalutarem Baptiſmum expetens, vxoris Arianæ blanditiis, peſſimo conſilio ad Arianos tranſierat, & ab Eudoxio Arianorum nequiſſimo baptizatus, ab eodem iuramento obſtrictus fuerat, vt in impio ſuſcepto dogmate perſeueret, & diuerſa ſentientes vbique Eccleſiis exigat. Cùm itaque impulſu Eudoxij Conſtantinopolitani iniquo furore non tantùm Catholicos, ſed etiam Nouatianos, Macedonianos, & Semiarianos exagitaret & perſequeretur, Ariani eam occaſionem captantes, nouas Synodos indicere & congregare cœperunt. De hoc eorumdem Conuenticulo hæc ſcribit Sozomenus lib.6. cap.12. *Cùm autem iam Concilium Tarſi cogeretur, circiter triginta quatuor Epiſcopi Aſiani in Caria, quæ eſt regio Aſiæ, in vnum congregati, ſtudium in Eccleſiæ concordia ſtabilienda poſitum, probabant illi quidem, ſed tamen vocabulum Conſubſtantialis reiiciebant, conſtanterque affirmabant, Formulam fidei Antiochiæ & Seleuciæ editam, tenendam eſſe: quippe quæ etiam à Luciano martyre antè edita habebatur, & non ſine multorum tum periculorum tum laborum ſuſceptione, ab his, qui ipſos ætate anteibant, confirmata. Imperator verò impulſu Eudoxij, Concilium, quod* ccclxvi.

in

in Cilicia futurum expectabatur, partim literis, partim minis diremit. Vide Baronium anno 366. num. 25.

CONCILIABVLVM SINGEDVNIANVM ARIANORVM *in* MYSIA.

ANNO DOMINI CCLXVI. ANNO Chriſti 366. Valens & Vrſacius Arianorum fæces, vnà cum collegis ſuæ perfidię, aduerſus Semiarianos Singeduni in Myſia Conciliabulum habuerunt, quo Semiarianos ad Formulam Ariminenſem & Conſtantinopolitanam, qua Filius Patri tantùm abſolutè ſimilis eſſe dicitur, approbandum inducere tentarunt; atque in eum finem ad Germinium Semiarianum epiſtolam ipſi ſcripſerunt, ab eoque reſponſoriam acceperunt. Vtramque ex libro 1. Fragmentorum S. Hilarij exhibet Baronius anno Chriſti 366. num. 26. & 27.

CONC. ROMANVM I. *ſub* DAMASO, *in quo* VRSACIVS *&* VALENS *Ariani damnati ſunt.*

CCLXVII. IN hac Synodo Romæ ſub Damaſi Pontificatus initio celebrata, Valens, Vrſacius, ceterique manifeſtò Ariani damnati, totique orbi terrarum per literas Pontificis denuntiati fuerunt. Sic Athanaſius ſcribit ad Epiſcopos Africanos. Hanc verò Synodum ante damnationem Auxentij Romæ coactam fuiſſe, ex verbis eiuſdem Athanaſij præcedentibus manifeſtè patet: nam prædictâ epiſtolâ de Auxentio multa locutus, ſcripſit, ſe mirari, cur ſtudio & opera Damaſi Papæ, cui de Auxentij hæreſibus plura ſcripſiſſet, hæreſiarcha nondum ex Eccleſia eiectus & depoſitus fuerit. Illo igitur tempore, quo Athanaſius Pontificem de Auxentio condemnando per literas admonuerat, hanc in cauſa Vrſacij, Valentis, aliorumq; Arianorum coactam fuiſſe, ex verbis Athanaſij patet. ſic enim ait: *Gratiam habemus, & illius,* (Damaſi) *pietati, & ceteris qui Romæ conuenerunt, quòd Vrſacio & Valente cum ſocijs ſuis eiuſdem ſententiæ eiectis, concordiam Eccleſiæ conſeruarint.*

CONCIL. ROMANVM II. *ſub* DAMASO, *in quo* AVXENTIVS *Mediolanenſium Epiſcopus Arianus deponitur, &* VRSICINVS *ſchiſmaticus damnatur.*

POST relegatum auctoritate CCCLXIX.
Conſtátij Imperatoris & Mediolanenſis Conciliabuli Dionyſium, ſubſtituitur Auxentius, homo ne Romanæ quidem linguæ, ſed tantùm hæreſeos peritus, ingenio vafer, ſerpens veternoſus & callidus, hæreſim ſuam Mediolanenſibus ciuibus peroſam, Ariique nomen ipſis execrabile callidè occultans, adeò vt ab Euſebio Vercellenſi aliiſque Catholicis Epiſcopis exagitatus, Imperatoris edictum pro ſe extorſerit. Quod cùm Hilarius ferendum non putaret, deceptumque Imperatorem doleret, Mediolanum, vbi agebat Imperator, profectus eſt, vt coram Imperatore Auxentij fraudes & dolos detegeret. Sed cùm ille ſe contra denuntiationem Hilarij Catholicum eſſe reſpondiſſet, Hilarius, vt turbarum auctor, Edicto Imperatoris iuſſus eſt Mediolano diſcedere. Hac de re, poſt Encyclicam ad omnes fideles decimo anno poſt Ariminenſe Concilium ſcriptam (hanc Hieronymus Libellũ contra Auxentium nominat) Hilarius meritò conqueſtus, omnes fideles adhortatur, ne Auxentio communicent. Intereà Auxentius communione ignorantis populi, & Imperatoris patrocinio fretus, dictis factiſque in Euſebium Vercellenſem, Philaſtrianum, Brixianum, alióſve Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos, quos ſibi aduerſarios paſſus fuerat, inſultabat, Formulamque fidei Ariminenſem Nicææ in Thracia conſtitutam Illyricis Epiſcopis promulgabat. Damaſus igitur Romanus Pontifex per Athanaſij aliorúmque Ægypti Epiſcoporum, de damnando & deponendo

Digitized by Google

Auxentio Synodalem epiſtolam admonitus, Romæ Concilium hoc congregauit, atque ne latiùs ſerperet letale virus, quod lento tabo proximos quoſdam in Illyrico Epiſcopos infecerat, nonaginta Epiſcopos ex Italia & Gallia conuocauit, qui loco prædicto, anno Chriſti 369. qui eſt Pontificatus Damaſi 3. & Imperij Valentiniani & Valentis ſextus, congregati, Auxentium Mediolanenſis Eccleſiæ inuaſorem Arianum condemnarunt, Epiſcopatu depoſuerunt, atque ſub pœna anathematis vitari decreuerunt. Ad Illyrici Epiſcopos, quos ille magna ex parte ſeduxerat, Synodalem miſerunt epiſtolam, qua Auxentium Pontificia & Synodali ſententia condemnatum & excommunicatum deuitare, & ſub pœna excommunicationis & depoſitionis ad Catholicam veritatem redire monentur. Decreta huius Concilij confirmantur, teſte Athanaſio ad Epict. *Diuerſis Conciliis per Galliam, Hiſpanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo Conuentu fuere, iſtos lucifugas, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arij ſunt ſapiunt, Auxentium dico Mediolanenſem, Vrſacium, Valentem, & Caium Pannonem communi calculo, vnius Spiritus incitatu anathemate percuſſerunt.* Auxentius quamquam Synodali iudicio hoc anno condemnatus eſſet, non tamen ante 374. annum Chriſti ſede Mediolanenſi exturbari potuit, ideò quòd Imperator per ſummam nequiſſimi hominis ſimulationem deceptus, illi de hæreſis infamia calumniam inferri exiſtimaret. Niſi enim eum ſumma Imperatoris ſuffulſiſſet auctoritas, quo pacto ipſe tot Conciliis damnatus, & à populo Mediolanenſi vt hæreticus derelictus, ſubſiſtere potuiſſet? Eumdem inuitis quoque magiſtratibus hanc ſedem vſque ad obitum detinuiſſe, ex eo exploratum videri poteſt, quòd Ambroſius à Probo ad eam Prouinciam adminiſtrandam miſſus, agens Mediolani, eum, quem execrabatur, pati coactus fuerit. Poſt quinquennium Auxentio è viuis ſublato, Ambroſius, cui Probus Præfecturam adminiſtraturo dixerat: *Vade, age non vt Iudex, ſed vt Epiſcopus*, Ambroſius diu multumque reluctatus in Epiſcopatu Mediolanenſi ſuffectus fuit. In hac eadem Synodo Vrſicinum ſchiſmaticum, crebriùs in Damaſum ſtudia renouantem, rurſus damnatum fuiſſe, conſtat ex epiſtola Valentiniani Imperatoris apud Baronium anno prædicto.

CONCIL. ROMANVM III.

ſub DAMASO, *in quo* APOLLINARISTARVM *hæreſis damnata fuit.*

HANC Synodum ante annum Domini 373. qui eſt Damaſi ſeptimus, Valentiniani & Valentis decimus, non fuiſſe celebratam, duæ rationes euincunt. Vna, quòd teſte Sozomeno, huic Concilio interfuerit Petrus Alexandrinus, Athanaſij anno 372. defuncti ſucceſſor, qui ex perſecutione Arianorum poſt Lucij iniquiſſimi Ariani ingreſſum concitata, non niſi prope finem anni 372. Romam venerat. Altera, quòd tertia Legatio Baſilij ad Damaſum, hæreſim Apollinariſtarum damnari petêris, anno Chriſti 372. contigerit, quódve ante hæc tempora non tantùm Baſilius & Gregorius Nazianzenus; ſed etiam Damaſus atque Hieronymus Apollinarem hæreſeos auctorem, virum pium atque eruditum exiſtimauerint, cumque eo vſque ad præſens tempus literarum conſuetudine communicarint. Poſtquam verò Pontifex per epiſtolã Baſilij 74. quam Legatio tertia Romam attulerat, Apollinaris hæreſim cognouiſſet, probabile eſt, hoc anno ſtatim ſine mora aduerſum eum Synodum coëgiſſe, eumque cum ſuæ hæreſeos ſectatoribus condemnaſſe & excommunicaſſe, ne habita cum hæreſiarcha per literas communio, Pontificem in ſuſpicionem mutuę ſocietatis cum Apollinari induceret. Vide Baronium anno præd. num. 1. ANNO DOMINI CCCLXXIII

Cauſa verò huius Romæ celebrati Con-

Concilij, hæc eſt: Vitalis in Chriſto carnem & mentem fuiſſe, doloſè confeſſus (per mentem enim, Diuinitatẽ Chriſti intelligebat) in communionem Catholicam ſuſceptus fuerat. Sed cùm fraus & dolus impoſtoris hæretici animaduerſa fuiſſet, *Damaſus* (ait Gregorius Nazianzenus epiſt.2. ad Hellen.) *cùm poſteà rectiùs edoctus fuiſſet, ſimulque in priſtinis ipſos expoſitionibus perſtare audiſſet, eos ab Eccleſiæ cœtu abdicauit, fideíque libellum* (oblatum ſcilicet antè Romæ) *cum anathematiſmo deleuit.* Ita igitur hoc Concilio cũ ipſa hæreſi hæreſis auctor Apollinaris, Vitalis & Timotheus eiuſdem diſcipuli ac ſectarij meritò condemnati. Qua de re hæc Sozomenus lib.6.cap.25. *Hanc quidem Apollinaris hæreſim apud multos ſerpere Damaſus Epiſcopus Romanus & Petrus Epiſcopus Alexandrinus certiores facti, primi omnium Concilio Romæ conuocato eamdem alienam eſſe ab Eccleſia Catholica pronuntiarunt.* Apollinarem cum Timotheo eius diſcipulo, hac Synodo condemnatum fuiſſe, Damaſus Epiſcopis Orientalibus, per literas ad eos ſcriptas, & à Theodoreto lib.2. cap. 22. relatas, ſignificauit. Anathematiſmi illi, quos hæc Synodus non tantùm aduerſus hæreſim Apollinaris, ſed etiam contra alias ingruentes hæreſes Arij, Sabellij, Macedonij, Eunomij & Photini edidit, hîc ſubiunguntur.

Qui ſacroſanctam Nicænam fidem violarant, ſiue viuentes eſſent, ſiue defuncti, omnes hac eadem Synodo, teſte Iuſtiniano Imperatore in epiſtola ad Ioannem Romanum Pontificem, excommunicati fuerunt. *Quidam,* inquit, *ex ipſis, qui in Nicæna ſancta Synodo conuenerunt, & expoſita ab ea fidei Defintioni vel Symbolo ſubſcripſerunt, quoniam poſteà contraria ſapientes apparuerunt, alij quidem viui, alij autem poſt mortem anathematizati ſunt à Damaſo ſanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ,* &c. Millenariorum antiqua hæreſis per Apollinarem reſtaurata, in ipſo ita condemnata fuit; vt poſthac omnino conticuerit, nec ampliùs audita fuerit. Vide Baronium anno 373. num.1. vſque ad 14.

Contra Apollinarem & contra eius falſa dogmata S. Gregorius Nazianzenus decem infraſcriptos anathematiſmos conſtituit.

Si quis S. Mariam Deiparam non credit, extra Diuinitatem eſt.

Si quis Chriſtum per Virginem tamquam per canalem decurriſſe ac deffluxiſſe, ac non in ea diuino modo, quia abſque viri opera; humano, quia procreationis lege formatum eſſe dixerit, in ſimili impietate verſatur.

Si quis creatum hominem fuiſſe, Deumque poſteà ſubiiſſe pronuntiauerit, damnatione obnoxius eſt.

Si quis duos Filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem vnum eumdemque induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promiſſa eſt.

Si quis Diuinitatem in eo velut in Propheta per gratiam operatam fuiſſe, ac non ſecundùm eſſentiam connexam fuiſſe atque connecti dixerit, diuino afflatu careat, imò contrario impleatur.

Si quis cruci affixũ non adoret, anathema ſit, atque in eorum, qui Deum interemerunt, numerum adſcribatur.

Si quis eum ex operibus perfectionem aſſecutum fuiſſe, aut poſt baptiſmum, vel reſurrectionem à mortuis, in Filium adoptatum fuiſſe dixerit, quemadmodum quos Græci Deos adſcriptitios inducunt, anathema ſit. Neque enim id quod cœpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus eſt: tametſi hæc de eo idcircò dicantur, quòd paulatim hominibus innotuerit.

Si quis ſanctam carnem nunc exutam & abiectam, Diuinitatemque corpore ſpoliatam eſſe, non autem cum aſſumpta parte & eſſe & venturã eſſe dixerit, præſentiæ illius gloriã non cernat.

Si quis carnem è cælo deſcendiſſe, & non hinc atque à nobis eſſe dixerit, anathema ſit.

Google

Si quis in hominem mente carentem ſperet, amens profectò eſt, nec dignus qui totus ſalute donetur.

Præterea ex epiſtola illa Athanaſij, quam aduerſus errores Apollinaris ſcripſit ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, conſtat, eumdem hæreſiarcham aſſeruiſſe, carnem Chriſti de cælis deſcendentem Verbo coęqualem eſſe, Verbumq; ſic carnem factum, vt in ipſam carnem mutatum fuerit. Hos errores primus omnium Athanaſius impugnans, non tantùm prædictam epiſtolam, ſed etiam egregios illos Commentarios de Chriſti incarnatione & ſalutari eiuſdem aduentu editos conſcripſit. S. Hieronymus epiſtola 82. ad Oceanum, eumdem cum Tertullianiſtis de origine animarum ſenſiſſe, eas ex traduce generari, atq; inſtar corporum ex corporibus, ex animabus animas pariter propagari. De eodem quoque Theodoretus lib. 4. Hæret. fabul. habet, quòd non tantùm diuinarum perſonarum proprietates, verùm etiam ipſas perſonas inſtar Sabellij confuderit. Sunt & alia, quæ Apollinaris impiè ſenſit, de quibus vide Auctores apud Baronium anno 349. num. 25. & 26. item 373. num. 15.

Profeſſio fidei, & anathematiſmi aduerſus APOLLINARIS, ARII, SABELLII, MACEDONII, EVNOMII, *&* PHOTINI *hæreſes, ex epiſtola, quam ſcripſit* DAMASVS PAVLINO *Epiſcopo Antiocheno.*

Extat apud Binium.

QVIA poſt Concilium Nicænum is error inoleuit, vt quidam ore ſacrilego auderent dicere, Spiritum ſanctum factum eſſe per Filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre & Filio vnius poteſtatis eſſe atque ſubſtantiæ. Anathematizamus quoque eos, qui Sabellij ſequuntur errorem, eumdem dicentes Patrem eſſe, quem & Filium. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet ſermone diſſimili, Filium & Spiritum ſanctum aſſerũt eſſe creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arij ſtirpe venientes, non perfidiam mutauerunt, ſed nomen. Anathematizamus Photinum, qui Ebionis hæreſim inſtaurans, Dominum Ieſum Chriſtum tantùm ex Maria virgine confitetur. Anathematizamus eos, qui duos Filios aſſerunt, vnum ante ſæcula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali & intelligibili, dicunt, Dei Verbum in humana carne verſatum, cùm ipſe Filius ſit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in ſuo corpore fuerit, ſed noſtram, id eſt, rationalem & intelligibilem ſine peccato animam ſuſceperit atque ſaluauerit. Anathematizamus eos, qui Verbum Dei Filium extenſione aut collectione, & à Patre ſeparatum, in ſubſtantiuum, & finem habiturum eſſe contendunt: eos autem, qui ab Eccleſiis ad Eccleſias migrauerint, tamdiu à noſtra communione alienos habemus, donec ad eas redierint ciuitates, in quibus primitus ſunt conſtituti. Quòd ſi quis alius, alio tranſmigrante, in locum viuentis ordinatus eſt, tamdiu vacet Sacerdotij dignitate qui ſuã deſeruit ciuitatem, donec ſucceſſor eius quieſcat in Domino.

Si quis non dixerit ſemper Patrem, ſemper Filium, ſemper Spiritum ſanctum eſſe, anathema ſit. Si quis non dixerit, Filium natum de Patre, id eſt, de ſubſtantia diuina ipſius, anathema ſit. Si quis non dixerit, Deum verum Filium Dei, ſicut Deum verum Patrem eius, & omnia poſſe, & omnia noſſe, & Patri æqualem, anathema ſit. Si quis dixerit, quòd in carne conſtitutus Filius Dei, cùm eſſet in terra, in cælis cum Patre non erat, anathema ſit. Si quis dixerit, quòd in paſſione crucis dolorem ſuſtinuit Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat in forma ſerui, quam ſibi acceperat, ſicut ait Scriptu-

Scriptura, anathema ſit. Si quis non dixerit, excruciatum carne Dei Filium, & carne mortem guſtaſſe, fuiſſeq; primogenitum ex mortuis, quatenus vita eſt viuificus Deus, anathema ſit. Si quis non dixerit, quòd in carne, quã aſſumpſit, ſedet ad dexteram Patris, in qua venturus eſt iudicare viuos & mortuos, anathema ſit. Si quis non dixerit, Spiritum ſanctum de Patre eſſe verè ac propriè, ſicut & Filium, de diuina ſubſtantia, & Deum Dei Verbum, anathema ſit. Si quis non dixerit, omnia poſſe Spiritum ſanctum, omnia noſſe, vbique eſſe, ſicut Patrem & Filium, anathema ſit. Si quis dixerit, Spiritum ſanctum facturam, aut per Filium factum, anathema ſit. Si quis non dixerit, omnia per Filium poſteà incarnatum, & Spiritum ſanctum, Patrem feciſſe, id eſt viſibilia & inuiſibilia, anathema ſit. Si quis non dixerit Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam Diuinitatem, poteſtatem, maieſtatem, potentiam, vnam gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam voluntatem, ac veritatem, anathema ſit. Si quis tres perſonas non dixerit veras, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, æquales, ſemper viuentes, omnia continentes viſibilia & inuiſibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia ſaluantes, anathema ſit. Si quis non dixerit, Spiritum ſanctum adorandum ab omni creatura, ſicut & Filium & Patrem, anathema ſit. Si quis de Patre & Filio benè ſenſerit, de Spiritu autem ſancto nõ rectè habuerit, hæreticus eſt: quia omnes hæretici de Filio Dei & de Spiritu ſancto malè ſentientes, in Iudæorum atque Gentilium perfidia inueniuntur. Quòd ſi quis partiatur, Deum Patrem dicens, & Deum Filium eius, & Deum Spiritum ſanctum Deos dici, & non Deum, propter vnam Diuinitatem & potentiam, quam credimus eſſe & ſcimus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Deum verum; ſubtrahens autem Filium & Spiritum ſanctum, ita ſolum exiſtimet Deum Patrem dici, aut credi vnum Deum, anathema ſit. Nomen enim Deorum & Angelis & Sanctis omnibus à Deo eſt impoſitum & donatum. De Patre autem, & Filio, & Spiritu ſancto, propter vnam & æqualem Diuinitatem, non nomen Deorum, ſed Dei nobis oſtenditur atque indicatur, vt credamus, quia in Patre & Filio & Spiritu ſancto ſolùm baptizamur, & non in Archangelorum nominibus, & Angelorum, quo modo hæretici, aut Iudæi, aut etiam Gentiles, dementes. Hæc eſt ergo ſalus Chriſtianorum, vt credentes Trinitati, id eſt Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & in eam baptizati, veram ſolamq; vnam Diuinitaté, potentiam, maieſtatem, & ſubſtãtiam eiuſdem ſine dubio credamus.

CONCILIVM VALENTINVM GALLIÆ

ſub DAMASO *Papa* I. *eſtque Prouinciale.*

CONCILIVM hoc celebratum fuit Valentiæ in Gallia anno Domini 374. Æra 413. ſub Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, Gratiano tertiò & Equitio Conſulibus, ſub die 4. Idus Iulij. Ad hoc Concilium conuenerunt 30. Epiſcopi, inter quos primum locum tenuit Fœgadius ille, ad quem S. Ambroſius 55. epiſtolam ſcripſiſſe legitur. Cauſam habiti Concilij ſtatuti Canones eam fuiſſe indicant, vt Eccleſiæ Gallicanæ mores quidam deprauati emendentur. ANNO DOMINI CCCLXXIV.

CAP. I.

De digamis non conſecrandis.

DE hoc primo Canone nihil hîc ponimus, quia eſt idem cum Can. 17. Canonum Apoſtolorum. Vide ibi Textum & Annotationem.

CAP. II.

De puellis quæ ſe Deo vouerunt.

DE puellis verò quæ ſe Deo vouerunt, ſi ad terrenas nuptias ſpontè

Digitized by Google

tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt pœnitentia his non ſtatim detur: & cùm data tamen fuerit, niſi plenè ſatisfecerint Deo, in quantum ratio popoſcerit, earumdem communio differatur.

CAP. III.

De his, qui poſt ſanctum Lauacrum ſacrificiis dæmonum ſe polluerunt.

CIRCA eorum verò perſonas, qui ſe poſt vnum & ſanctum Lauacrum vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lauatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſeruādam, vt his iuxta Synodum Nicænam, ſatiſfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel ſolatij ianua deſperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam vſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diues miſericordiâ eſt, vt nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

Nicæna Synod. can. 11.

Sap. 1.

CAP. IV.

Sacerdos deponatur, ſi de ſe crimen confitetur.

NEC illud, fratres, ſcribere alienum ab Eccleſiæ vtilitate cenſuimus, vt ſciretis, quicumque ſub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterij, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmouendos, reos ſcilicet vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolui poteſt is, qui in ſeipſum dixerit, quod dictum in alios puniretur: cùm omnis, qui ſibi fuerit mortis cauſa, maior homicida eſt. Diuina pietas vos in æternum cuſtodiat, dilectiſſimi fratres.

DECRETVM SIVE STATVTVM VNVM dicti Concilij Valentini, iuxta Decretum Gratiani, vel Iuonis.

Niſi vt meliora proſpiciat, rem Eccleſiæ Epiſcopo diſtrahere non liceat.

IRRITA erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ, abſque collaudatione & ſubſcriptione Sacerdotum.

ANNOTATIO.

HOC decretum reperitur in Decretis Concilij Carthaginenſis IV. cap. 32.

ALIVD DECRETVM VALENTINVM.

Non niſi à propriis Epiſcopis Presbyteri Chriſma petant.

PRESBYTERI, qui Diœceſanas Eccleſias regunt, non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuo, non per iuniorem Clericum, ſed per ſeipſos, aut per illum qui eiuſdem Ordinis ſit, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant.

De cōſecr. diſtinct. 4. Presbyteri qui.

CONC. ANTIOCHENVM

in cauſa ſchiſmatis ANTIOCHENI, *ſub* DAMASO.

GREGORIVS Nyſſenus in epiſt. ad Olympium Monachum, de vita obituque S. Macrinæ ſororis, ſcribit, Orthodoxos Orientales Epiſcopos, per Edictum Valentis ab exilio relaxatos, ſuiſq; Eccleſiis ſanctione Gratiani Imperatoris reſtitutos, nono menſe poſt obitum S. Baſilij Antiochiæ conueniſſe, vt proſtratæ Orientali Eccleſiæ paribus votis ac ſuffragiis conſulerent, & auxilium ferrent. *Poſt hanc iacturam* (nempe obitus S. Baſilij Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ) *nonus menſis*, inquit, *aut paulò ampliùs, cùm Epiſcoporum Concilium indictum eſt Antiochiæ, cui nos item interfuimus*. Cùm igitur auctoritate eiuſdem Gregorij & Hieronymi certum ſit, Baſilium in exordio anni 378. ipſis nimirum Kalend. Ianuarij, vita defunctum eſſe, hoc Antiochenum Concilium anno præcedente, menſe Septembri, celebratum fuiſſe, neceſſariò eſt concedendum. Vide Baronium num. 35.

ANNO DOMINI CCCLXXVII.

Cauſa verò congregandi tale Concilium fuit, quòd Antiochena Eccleſia à tempore obitus Iuliani Apoſtatæ, diro ac periculoſo admodum ſchiſmate exagitata fuit. Principio enim tres Epiſcopi

Digitized by Google

pi erant in vna ciuitate, nempe Meletius, ab Arianis; Euzoïus, in locum Meletij depoſiti; & Paulinus à Lucifero Calaritano Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato inſtitutus. Cum Meletio communicabant Catholici, illi dumtaxat, qui ab Arianis baptizati fuerāt. Alij verò Catholici Euſtathiani, qui fidem Catholicam perpetuò ſeruarant, quòd Meletius ab Epiſcopis Arianis Epiſcopus creatus fuerat, quodque eiuſdem fautores Catholici ab Arianis baptizati eſſent, eum fugientes, cum Paulino à Lucifero Calaritano Epiſcopo & Legato Sedis Apoſtolicæ inſtituto, ideò quòd is nulla vnquam vel tenui ſuſpicione pollutæ fidei Catholicæ laboraſſet, ſed eam potiùs magna laude inter tot tantaque diſcrimina propugnaſſet, communicarunt. Aliarum verò Eccleſiarum Epiſcopi, alij Meletio, alij Paulino fauebant. Illius electionem Baſilius, huius verò inſtitutionem, poſt Alexandrinum Concilium ſub Liberio habitum, approbauit Damaſus, eamque cauſæ & electioni Meletianæ prætulit.

Cùm igitur hoc ſchiſmate Antiochena Eccleſia per annos quindecim exagitata, vniuerſam propè Eccleſiam in periculum ſchiſmatis induxiſſet, iámque Euzoïo Ariano per mortem ſublato, ea, quæ maioris erat periculi, Catholicorum dumtaxat diſcordia reſtaret, atque neutra pars alteri cederet, hac Synodo indicta, illud remedium eſt excogitatum, vt inter vtramque partem tranſigeretur hac ratione: vt cùm alteruter, Paulinus vel Meletius, prior ex hac vita decederet, qui ſuperſtes eſſet, in locum demortui, nullo alio creato Epiſcopo ſucceſſore, ſolus illius Eccleſiæ Antiſtes remaneret. Ad quod præſtandum iureiurando adegerunt ſex primores Eccleſiæ illius Presbyteros, qui propinquiores ad eum gradū conſequendum eſſe viderentur. Quod cùm vtrique parti placuiſſet, ſchiſma Antiochenæ Eccleſiæ ſublatum fuit. Ita Socrates lib. 5. cap. 5. Sozomenus lib. 5. c. 3. Theodoretus poſt obitum Meletij, Flauiani ſchiſmatici, qui contra præſtitum iuramentum in locum defuncti ſuffectus erat, partes ſectatus, in gratiam illius, res in hoc Concilio geſtas, aliter quàm ſe habent, narrauit, & contra aduerſarium eius Paulinum malè congeſſit. Cuius rei manifeſtum ſatis indicium præbet illa epiſtola Synodalis, quam Damaſus ad Paulinum ſcripſit, in qua ille pro *Paulino Antiocheno*, ſcripſit, *Paulinum Theſſalonicenſem.*

In hoc eodem Concilio rectam fidei regulam recognitam fuiſſe, apparet ex epiſtola Synodica Concilij Conſtantienſis apud Binium. Præthereà etiam, ad viſitandas Orientis Eccleſias, eáſque ſubleuandas, & in fide Catholica confirmandas, decretæ ſunt complures Legationes, illique qui præclarioris nominis Synodo intererant, electi ſunt, Gregorius Nyſſenus, Euſebius Samoſatenus, Gregorius Nazianzenus, atque Meletius Antiochenus, qui ad ruinas Eccleſiæ reſtaurandas profecti, amotis Arianis, Catholicos vbique locorum ſubſtituerunt. Vide Baronium anno 374. num. 35. vſque ad 55.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. I. GENERALE II.

In quo centum & quinquaginta Patres conuenerunt: FLAVIO EVCHERIO, & FLAVIO EVAGRIO *viris clariſſimis Coſſ. ſept. Idus Iulias.*

ANNOTATIO.

ANNO DOMINI CCCLXXXI.

CIRCA hanc inſcriptionem annotanda ſunt plura. Primò, quòd Concilium hoc fuit Oecumenicum ſeu Vniuerſale: Damaſus enim Pontifex hanc Synodum in ijs quę fidei ſunt approbaturus, ſic eam nominat, quia in ea id quod Occidens ac demum vniuerſa Eccleſia cum Romano Pontifice de Spiritus ſancti Diuinitate ſentiendum eſſe docebant, paribus votis, vnaq; ſententia, omnes etiam Orientales ediderunt. Secundò, Quòd hæc Synodus à Papa Damaſo confirmata fuit, vt tradit Photius lib. de Septem Synodis. Id autem intelligendum eſt ex D. Gregorio lib. 6. epiſt. 125. de ijs dumtaxat, quæ ad Macedonianæ & Eunomianæ hęreſeos condemnationem, fideique Nicænæ confirmationem ſpectant. Canones enim huius Synodi, Romana Eccleſia ſemper hactenus reſpuit, eaque tantùm quæ de fide conſtituta ſunt, ſumma auctoritate amplexata fuit. Baronius anno 381. n. 31. 38. 48. & 51. Tertiò, Quòd hæc Synodus auctoritate Damaſi Papæ, ac ſenioris Theodoſij fauore fuit congregata: & hoc eſt quod aiunt Patres Sextæ Synodi Act. 18. Theodoſium ac Damaſum per Secundam Synodum obſtitiſſe Macedonio, ſicut Silueſter & Conſtantinus congregato Nicæno Concilio Ario obſtiterunt. Cùm itaque ex ſupradictis conſter, Primam Synodum à Silueſtro indictam, à Conſtantino promotam fuiſſe; concedendum eſt, hanc quoque Secundam Vniuerſalem Synodum auctoritate Sedis Pontificiæ indictam, & auxilio Imperatoris congregatam eſſe. Cardinalis Baronius addit, peruetuſtum codicem in Vaticana aliiſve quibuſdam Bibliothecis extare, in quibus hæc ſcripta leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonij & Eunomij Damaſus confirmari præcepit etiam in ſancta Synodo Secunda, quæ præcepto & auctoritate eius apud Conſtantinopolim celebrata eſt.* Quartò, Quòd de Præſide huius Concilij apertè non conſtat quiſnam fuerit. Nam Imperatorem à Concilio abfuiſſe, nihilque aliud egiſſe, quàm quòd literas Romani Pontificis ad Epiſcopos tranſmiſerit, eoſque ad Concilium inuitarit, Synodales epiſtolę, quarum altera ad Damaſum Pontificem, altera ad Imperatorem de rebus in Synodo geſtis, ſcripta eſt, manifeſtè indicant. Damaſum Pontificem neque per ſe, neque per ſuos Legatos eidem præfuiſſe, fatemur. Nectarius in locũ Gregorij ſeipſum abdicantis nondum ſuffectus fuerat. Itaque vel Gregorium Nazianzenum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, vel Meletium Antiochenum eidem præſediſſe oportuit. Quintò & vltimò, Quòd hoc eodem anno Conſtantinopoli duo Conuentus Epiſcoporũ habiti fuerunt: Prior, quo Maximo abdicato, Gregorius Nazianzenus in eius locum ſubſtitutus fuit. Poſterior, cuius initium factum eſt menſe Maij, in quo Macedonius alijque hæretici condemnati fuerunt. Vide Binium.

CANONES CONC. CONSTANTIN. I.

CANON I.

Vt ea, quæ apud Nicæam ſtatuta ſunt, immota permaneant.

CVSTODIENDAM eſſe fidem 318. Patrum, qui apud Nicæam Bithynię conuenerũt, ad anathematizandam omnem hæreſim, ſpecialiter Eunomianorum, & Arianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum, & Apollinianorum.

Google

CANON II.

Epiſcopi ſuam Diœceſim gubernent, nec ad alias accedant.

9. q. 2. Epiſcopi, qui extra.
EPISCOPI, qui extra Diœceſim ſunt, ad Eccleſias quæ extra terminos earum ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias ſecũdùm regulas conſtitutas. Alexandriæ quidem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſeruatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi, Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curam: Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thraciæ.

CANON III.

Non inuitatos Epiſcopos, vltra Diœceſim propriam accedere non debere.

9. q. 2. Non inuitati Epiſcopi.
NON inuitati Epiſcopi, vltra Diœceſim accedere non debent, ſuper ordinandis aliquibus, vel quibuſcumque diſponendis Eccleſiaſticis cauſis, ſeruata regula, quæ ſuperſcripta eſt, de vnaquaque Diœceſi. Manifeſtum namque eſt, quòd per ſingulas quaſque Prouincias, Prouincialis Synodus adminiſtrare & gubernare omnia debeat, ſecundùm ea quæ ſunt in Nicæa definita. Nic. Syn. c. 5.

CANON IV.

De Eccleſiis apud Barbaros poſitis.

ECCLESIAS autem Dei, quæ ſunt in Barbaricis gentibus conſtitutæ, regere atque adminiſtrare oportet ſecundùm conſuetudinem, quam à patribus obtinuiſſe dignoſcitur.

CANON V.

De honore Conſtantinopolitani Epiſcopi.

D. 22. Cõſtantinopolitanæ ciuitatis.
CONSTANTINOPOLITANAE ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propter quòd ſit noua Roma.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem ab Eccleſia Romana minimè receptum fuiſſe, conſtat primùm ex Gregorij epiſtola 123. lib. 6. Deinde etiam id vel hinc manifeſtum eſt, quòd cùm Anatolius Conſtantinopolitanus in Chalcedonenſi Concilio, non tantùm Patriarchatum adipiſci, verùm etiam ſecundum locum inter Patriarchas occupare conatus eſſet, Leonem Pontificem acerrimum ſibi aduerſarium expertus fuerit: epiſt. 51. Vnde licet Epiſcopi Conſtantinopolitani, Imperatorum potentia freti, ob dignitatem Regiæ vrbis, ſecundum locum Sedium Patriarchalium ſibi vſurparint, multiſque commentitiis Canonibus Sextæ & Octauæ Synodi confirmarint; tamen numquam à Romana Eccleſia id approbatum fuit. Pacis & tranquillitatis cauſâ tempore Iuſtiniani Imperatoris ita permiſſum eſt, vt nemo amplius contradixerit. Id declarat Innocentius III. cap. Antiqua. de Priuil. Cardinalis Baronius non leuibus coniecturis putat hunc Canonem ſurreptitium eſſe. Vide an. 381. n. 35. & 36. Vide etiam Binij Notas, vbi eædem repetuntur.

CANON VI.

De Maximo Cynico Philoſopho.

DE Maximo Cynico Philoſopho, propter indiſciplinationis eius doctrinam, quæ Conſtantinopoli orta eſt, ſtatutum eſt, vt neque Maximus fuiſſe, aut etiam eſſe putetur Epiſcopus, neque hi, qui ab eo ſunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant; omnibus ſcilicet, quæ circa eum vel ab eo geſta ſunt, in irritum reuocatis.

ANNOTATIO.

DE Maximo Cynico, quis fuerit, quibúſve dolis Conſtantinopolitanum Epiſcopatum adeptus, vide Baronium an. 379. & 380.

CANON VII.

De Libello Occidentalium.

DE Libello Occidentalium, etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ vnam Patris & Filij & Spiritus ſancti Deitatem confitentur.

ANNOTATIO.

PER hoc Volumen ſeu Libellum Occidentalium, intelligit Canon illam fidei Profeſſionem, ſiue anathematiſmos illos, quos per epiſtolam ex Concilio Romano ad Paulinum tranſmiſit. Reliqui duo Canones ambo in editione Theodori Balſamonis, & Lib. Synod. Conſtitutionum extantes, diuerſæ quidem ſunt tranſlationis, ſed eiuſdem ſententiæ. Prior de accuſationibus, poſterior con-

Digitized by Google

conſtitutus fuit, quo modo ab hęreſi redeuntes recipiendi forent: nimirum baptizandos eſſe, qui legitima forma ab Eccleſia recepta non fuiſſent antè baptizati.

CANON VIII.
De accuſationibus.

QVONIAM multi Eccleſiaſticum ordinem confundere & ſubuertere volentes, inimicè & ſycophanticè aduerſus Orthodoxos Epiſcopos, qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes quaſdam confingunt, nihil aliud quàm Sacerdotum bonam exiſtimationem contaminare, & in pace degentium populorum tumultus concitare conantes: ea de cauſa placuit ſanctæ Synodo Epiſcoporum, qui Conſtantinopoli conuenerunt, nec ſine diſcuſſione admittere accuſatores; nec omnibus, eorum qui Eccleſias adminiſtrant, accuſationes permittere, nec omnes excludere: ſed ſi quis propriam quidem querelam, id eſt priuatam, intendat Epiſcopo, vt detrimento aliquo vel iniuria aliqua ab ipſo affectus, in eiuſmodi accuſationibus nec accuſatoris perſonam, nec religionem examinari. Oportet enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum, qui ſibi iniuriam factam eſſe dicit, cuiuſcumque ſit religionis, ius ſuum conſequi. Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intenditur; tunc examinari perſonas accuſatorum: vt primùm quidem hæreticis non liceat Orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Eccleſia abdicati ſunt, & qui ſunt poſteà à nobis anathematizati: ad hæc autem & eos, qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præſeferunt, auulſi autem ſunt & abſciſſi, & aduerſus Canonicos noſtros Epiſcopos congregationē faciunt. Prætereà autem, & ſi aliqui eorum ab Eccleſia ob aliquas cauſas priùs condemnati & eiecti, vel excommunicati fuerint, ſiue ex Clero, ſiue ex laicorum ordine, nec eis licere Epiſcopū accuſare, priuſquam proprium crimen abſterſerint. Similiter autem & eos, qui priùs rei facti accuſatique ſunt, non priùs ad Epiſcopi vel aliorum Clericorum accuſationem admitti, quàm ſe obiectorum ſibi criminum inſontes oſtenderint. Sed ſi nonnulli nec hæretici nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accuſati, dicant autem ſe habere aliquas aduerſus Epiſcopum criminationes; eos iubet ſancta Synodus primùm quidem apud Prouinciæ Epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina Epiſcopi, qui aliquarum rerum accuſatur. Quòd ſi euenerit, vt Prouinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad maiorem Synodum Diœceſis illius Epiſcoporum pro hac cauſa conuocatorum, & accuſationem non priùs intendere, quàm æquale periculum ſibi ſtatuant, ſi quidē in rebus examinandis accuſatum Epiſcopum calumniari conuicti fuerint. Si quis autem ijs, quæ, vt priùs declaratum eſt, decreta fuerunt, contemptis, auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſæcularium Principū iudicia, vel Vniuerſalem Synodum perturbare, neglectis Diœceſis Epiſcopis; eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, vt qui Canonibus iniuriam fecerit, & Eccleſiaſticum ordinem euerterit.

CANON IX.
De recipiendis qui ab hæreſi redeunt.

EOS qui rectæ fidei adiiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis ſeruantur, recipimus, ſecundùm ſubiectā hîc conſequentiā & conſuetudinem. Arianos quidē, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nouatianos, qui dicūt ſeipſos Catharos, & Ariſteros, (hoc eſt, mūdos, vel ſiniſtros,) & Teſſaradecatitas, ſiue Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit vt ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia; & ſignatos, ſiue vnctos primùm ſancto chriſmate & frontem, & oculos,

Digitized by Google

oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus: Signaculū doni Spiritus ſancti. Atqui Eunomianos, qui in vnā demerſionem baptizantur; & Montaniſtas, qui hîc dicūtur Phryges; & Sabellianos, qui eumdem eſſe Patrem & Filium opinantur, vtrumq; ſimul confundentes, & alia grauia & indigna faciunt; & alias omnes hæreſes: quoniam hîc multi ſunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt; quicumque ex his rectæ fidei adſcribi volunt, vt Græcos admittimus: & primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo catechumenos, deinde tertio exorcizamus ſiue adiuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando; & ſic eos catechizamus ſiue initiamus, & curamus, vt longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas; & tunc eos baptizamus.

SYMBOLVM *eiuſdem* CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.

CREDIMVS in vnum Deum, Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium conditorem. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homouſion Patri, hoc eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt, quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt ex Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus ac ſepultus: & tertia die reſurrexit ſecundùm Scripturas: aſcendit in cælos, ſedet ad dexteram Patris: inde venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos; cuius regni non erit finis. Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum & viuificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

ANNOTATIO.

HOC Symbolum Orientales in ſua ad Damaſum Synodica appellant Libellum fidei: traduntque illud à Gregorio Nyſſeno Epiſcopo lib. 12. ſcriptum fuiſſe. Idem reperitur apud Latinos, diuerſa tamen tranſlatione, & cum illo additamento FILIOQVE: quod auctoritate Leonis Pontificis, ad confutandos hæreticos Priſcillianiſtas, ab Hiſpanis Epiſcopis Symbolo ſuperadditum fuit, eique ſemper inhæſit. VViſigothi profitentes fidem Catholicam, non modò illud receperunt, ſed etiā Iudæos ad Chriſtianam fidem venientes ſub eiuſdem Symboli confeſſione recipiendos eſſe, ſuis Legibus ſanciuerunt. Idem additamentum à Francis acceptum, & tenaciùs retentum fuiſſe, patet ex Symbolo fidei ſub Carolo Magno in Arelatenſi Concilio recitato. Et quod mirum eſt, cum augmento Symboli Conſtantinopolitani, aucta eſt Eccleſia. Sub huius enim confeſſione, Gothi, VViſigothi, aliæque barbaræ nationes, quæ Hiſpanias occuparunt, ex Arianis factæ ſunt Catholicæ: Franci verò, qui ſibi Gallias vendicabant, ſub eiuſdem Symboli confeſſione facti ſunt Chriſtiani. Contrà verò, omnium gentium infeliciſſimi Orientales ſchiſmatici, ex quo eiuſdē Symboli additamentum penitùs reſpuerunt, ſub Turcico iugo acerbiſſima ſeruitute premuntur, atque Eccleſiis, bonis, ac liberis ſpoliati, aſſiduè incaſsùm gemunt. Romana Eccleſia antiquitatis tenaciſſima, idem quidem cum prædictis Eccleſiis credidit ac docuit, vt conſtat ex illa Profeſſione fidei, quā Damaſus ex Concilio Romano ad Paulum tranſmiſit; & ex Leonis epiſt. 93. cap. 1. tamen antequam prædictum additamentum in Symbolum inferret, diutiſſimè cunctata fuit. Scribit Magiſter Sententiarum diſt. 1. Leonem III. à Carolo Magno rogatum, vt verba prædicta ad Symbolum adderentur, non modò id facere penitùs recuſaſſe, verùm etiam illud ipſum abſque eo additamento in argentea tabula exaratum, in Altari poſt corpus S. Pauli perpetuò cuſtodiri voluiſſe, ne quibuſlibet liberum eſſet, aliquid ad ſanctum Symbolum ſuperaddere.

Nota pro additamento ad Symbolum FILIOQVE.

Poſt-

Poſtquam autem Hiſpani, Franci, aliiq; omnes Boreales populi offenderentur, & periculum ſchiſmatis oriretur, quòd Romana Eccleſia eam doctrinam publicè confiteri nollet, quam ad probandos Catholicos, & conſtituendos hæreticos, Magnus Leo ante tot ſæcula Hiſpaniarum Epiſcopis tradidiſſet; placuit tandē Benedicto, Septimo huius nominis Romano Pontifici, vt idem Symbolum cum hoc eodem additamento Romæ in Eccleſia cantaretur: idque ad petitionem Henrici Imperatoris. De quo hæc Berno Abbas Augienſis de Rebus ad Miſſam ſpectantibus: *Cùm Romanorum Presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur non poſt Euangelium (vt in aliis Eccleſiis fiebat) Symbolum canerent; me, ait ipſe, aſſiſtente audiui, eos eiuſmodi reſponſum reddere: quòd Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando vlla hæreſeos fæce infecta: ſed ſecundùm doctrinā ſancti Petri in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideò magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpiùs cantando frequentare, qui aliquando vlla hæreſi potuerunt maculari. At Imperator Domino Benedicto perſuaſit, vt ad publicam Miſſam decantarent.* Vide Baronium anno 447. n. 22. Grauiter itaque aberrant, qui putant ex Damaſi Papæ Decreto profectum, vt hoc Symbolum in Occidente inter Miſſarum ſolemnia decantetur. Nam auctoritate Ruffini in expoſitione Symboli, qui his temporibus ſcribebat, liquet, nullum aliud Romanam Eccleſiam in ſacris ritibus nouiſſe, quàm Symbolum Apoſtolicum. Tantum abeſt, vt id Damaſo tribui poſſit, vt Toletanum III. Concilium profiteatur, ſe laudabilem illum vſum ab Orientali Eccleſia accepturum; ideò quòd Occidentalis Eccleſia hac conſuetune careret.

De hoc additamento loquens S. Bonauentura in 1. Sentent. diſt. 11. art. 1. quæſt. 1. & in 1. p. q. 36. art. 2. ſic reſpondet ad obiecta Græcorum: *Vel poteſt dici, ſicut dicit Anſelmus lib. de Proceſſ. Spiritus ſancti, tom. 3. quod nouum* (ſcilicet Symbolum) *edidimus, quod quidem facere potuimus, quia Romana Eccleſia plenitudinem poteſtatis à Petro Apoſtolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum ſententia, nec interdictum ponere nec arctare potuit, nec ei præiudicare, nec ligare eam ad aliquid.* Quibus verbis reſpondet Seraphicus Doctor ad Græcos, obiectantes quòd in excommunicationem incidimus nos Latini, tale additum Symbolo Conſtantinopolitano facientes. Plura ad idem vide ipſum ſanctum Doctorem ibidem.

CONCIL. AQVILEIENSE,

tempore DAMASI *Papæ* I. *celebratum, in quo à triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis Epiſcopis, præſentibus Gallorum & Afrorum Legatis,* PALLADIVS *&* SECVNDIANVS *Epiſcopi Ariani, cum* ATTALO *quodam Presbytero, damnātur. Eſt Prouinciale.*

CVM Ariani patrocinio Iuſtinæ Auguſtæ, Valentiniani Senioris Imperatoris coniugis freti, Ambroſio reluctante, fruſtrà Arianum quemdam in ſedem Sirmienſem intrudere conati fuiſſent, Gratianum Imperatorem anno Chriſti 380. Sirmium venientem, duo Arianæ hæreſeos ſectatores, Palladius & Secundianus Epiſcopi, apud eum conquerentes, ſe iniuſtè de Ariana hæreſi infamari, conſtanter interpellarunt, vt ad ſui purgationem Vniuerſale Concilium indici curaret. Quòd cùm importunis ſollicitationibus extorſiſſent, ſanctus Ambroſius continuò interceſſit, probroſum & indignum aſſerens, vt propter duos curioſos hæreticos, totius Catholici orbis Epiſcopi, cum Eccleſiarum ſuarum detrimento ac periculo conuocentur. Acquieſcens itaque Imperator monitis & conſiliis Ambroſij, Concilium Aquileiæ, menſe Septembri anni ſequentis indixit: ad quod finitimi tantùm Epiſcopi conuenirent: & cui Gallos & Africanos per ſuos Legatos intereſſe ſufficeret. Baronius anno 380. num. 19. Statuto igitur tempore aduentante, Gratianus, licet inuitus, de cogenda Synodo Aquileiæ, Syagrio & Eucherio Conſulibus, anno nimirum Chriſti 381. ad cōprouinciales Italiæ Epiſcopos literas dedit: cum reliquis autem externarum Prouinciarum Epiſcopis ea vſus eſt modeſtia, vt neminem cogeret; ſed cuiuſque arbitrio relinqueret aduentum: præcepit autem, vt venientes publicis expenſis deducerentur. Orientalibus quoque à Præfectis Italiæ literis ſignificatum

ANNO DOMINI CCCLXXXI.

Digitized by Google

catum eſt, vt ſi vellent, conueniendi liberam poteſtatem haberent: ſed cùm illi hoc anno Conſtantinopoli conueniſſent, id ad prædictas hæreſes refutandas ſatis eſſe viſum fuit, cùm non niſi Oecumenicis Conciliis vnà ſimul Orientales & Occidentales conuenire, Eccleſiaſticæ conſuetudinis eſſet. Baronius 381. num. 81.

Acta Concilij mutila extant. Summa eorumdem ex Synodalibus literis cognoſci poteſt, quæ extant apud Binium. Sententia verò damnationis ſub hac forma pronuntiata eſt ab Epiſcopo Conſtantio:

Palladium Arij diſcipulum, cuius impietates iam olim damnatæ ſunt à Patribus noſtris in Concilio Nicæno, & nunc hodie probatæ cùm recenſerentur à Palladio ſingulæ, quia non cõfuſus eſt, dum Dei Filium à Deo Patre eſſe alienum, cùm creaturam confitetur, cum tempore dicit, Dominum & Deum verum negat, ſolum Patrem eſſe ſempiternum & immortalem; in ſempiternum cenſeo eſſe damnandum, & vlteriùs Sacerdotem dici non poſſe, nec inter Epiſcopos deputari.

CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM

duodecim Epiſcoporum, ſub DAMASO *contra* PRISCILLIANISTAS *celebratum. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI CCCLXXXI.

CONCILIVM hoc, ait Loayſa, fuit aliud ab eo, in quo primò damnata eſt hereſis Priſcilliani; quod prolixè deſcribitur à Sulpitio lib. 2. Hiſt. prope finem. Sentit autem ſic, vt opinor, tum quòd ſuo iudicio idem Valerius huic & Eliberitano Concilio ſubſcripſerit; tum etiam, quòd hoc Æra 418. id eſt, anno Domini 380. illud verò Sulpitij, longo tempore poſt hoc celebratum fuerit. Sed quia Decreta huius Synodi eam hæreſim condemnant, quam Sulpitius, auctore Priſcilliano, in Hiſpania propagatam ac condemnatam eſſe deſcribit. Ideò Baronium ſecutus, hunc eumdem conuentum eſſe puto, quem Seuerus deſcribit; qui inter cetera ſic ait: *At tum* (intellige cùm per Synodalem ſententiam condemnati eſſent) *Inſtantius, Saluianus, & Priſcillianus Romam profecti, vt apud Damaſum Vrbis ea tempeſtate Epiſcopum obiecta purgarent.* Et infrà: *Hi vbi Romam peruenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum æquè ſibi Ambroſium aduerſantem repererunt.*

Cauſæ verò cur ad annum Damaſi 15. qui eſt Chriſti 381. Gratiani Imperatoris 15. hanc Synodum referamus, duæ ſunt. Vna, quòd eo tempore, quo habebatur Concilium Aquileienſe, Hiſpania ob Priſcillianum hæreſiarcham maxima tempeſtate iactata, ne quidem per Legatos Aquileienſi Concilio, inſtar Gallicarum & Africanarum Prouinciarum intereſſe potuerit. Altera eſt, quòd per Epiphanium Gnoſtici ad octoginta Epiſcopos denuntiati, poſt 373. annum Chriſti ex Ægypto expulſi, circa hæc tempora, teſte Sulpitio, in Hiſpaniam venerint, ibiq; per Marcum quemdam, Priſcillianum ſuo veneno infecerint. Grauiſſimè igitur aberrauit hactenus Collector Cõciliorum, quem ſecutus eſt Carranza in ſua Summa, qui hunc Synodum ad tempora Hormiſdæ Pontificis antè retulerat.

Sequuntur CANONES.

CANON I.

Vt feminæ fideles à virorum alienorum cœtibus ſeparentur.

LVCIVS Epiſcopus legit: Vt mulieres omnes Eccleſiæ Catholicæ & fideles à virorũ alienorum lectione & cœtibus ſeparentur: vel ad ipſas legentes aliæ, ſtudio vel docendi vel diſcendi conueniant. Quoniam hoc Apoſtolus iubet. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, anathema futuros, qui hanc Concilij ſententiam non obſeruauerint.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

Ex Seuero & Hieronymo conſtat, à Priſcilliano atque collegis deceptas eſſe feminas nobiles plurimas, & ſub ſpecie pietatis & diſciplinæ eſſe ſeductas. Ad quæ pericula auertenda, Patres hunc Canonem ſtatuerunt. Nam in hæreſi Priſcilliani, vt Sulpitius eſt auctor, mulier Agape, mollis & impudica, magiſtræ nomen ſibi vſurpauit, parteſque illius erroris mirificè geſſit: vnde fortè aliæ infectæ, ſimili docendi ſtudio tenebantur. Quem errorem radicitus extirpandum Concilium curauit.

CANON II.

Vt diebus Dominicis nullus ieiunet, nec diebus Quadrageſimæ ab Eccleſia ſe abſentet.

Item legit: Ne quis ieiunet die Dominica, cauſa temporis aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis: vt de Quadrageſimarum diebus ab Eccleſiis non deſint, nec habitent tabula cubiculorum, ac montium, qui in his ſuſpicionibus perſeuerant: ſed exemplum & pręceptum cuſtodiant Sacerdotum, & ad alienas villas agendorum conuentuum cauſa non conueniant. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Anathema ſit, qui hoc commiſerit.

CANON III.

Vt qui Euchariſtiam in Eccleſia accipit, & ibi eam non conſumit, anathematizetur.

Item legit: Euchariſtiæ gratiam, ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

ANNOTATIO.

Priscillianistæ, vt laterent, conuenientes ad Eccleſiam, ſic accipiebant Euchariſtiam, vt eam non comederent. Hanc igitur ob cauſam contra eos hic Canon promulgatus fuit.

CANON IV.

Vt tribus hebdomadis, quæ ſunt ante Epiphaniam, ab Eccleſia nemo recedat.

Item legit: Viginti & vno die, quo à 16. Kalend. Ianuarij vſque in diem Epiphaniæ, quæ eſt 8. Idus Ianuarij, cõtinuis diebus, nulli liceat de Eccleſia ſe abſentare, nec latere in domibus, nec ſecedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, ſed concurrere ad Eccleſiam. Quod qui non obſeruauerit, his decretis anathema ſit in perpetuum. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Anathema ſit.

ANNOTATIO.

Sanctus Leo epiſt. 93. tradit, eoſdem Priſcillianiſtas tempore Natalis Domini conſueuiſſe ieiunare, ideò quòd non crederent Chriſtum verè humanam carnem aſſumpſiſſe: hac igitur occaſione Patres Concilij hunc Canonem edidiſſe, non eſt dubitandum.

CANON V.

Vt qui à ſuis Epiſcopis communione priuantur, ab aliis non recipiantur.

Item lectum eſt, vt hi, qui per diſciplinam aut ſententiam Epiſcopi ab Eccleſia fuerint ſeparati, ab aliis Epiſcopis non ſint recipiendi. Quòd ſi ſcientes Epiſcopi fecerint, dictum eſt: Qui hoc commiſerit, non habeat communionem.

ANNOTATIO.

Auctoritate Seueri conſtat, in hac Synodo conſtitutum fuiſſe, vt Priſcillianiſtas hæreticos Synodali iudicio condemnatos, nemo ſub periculo anathematis in communionem reciperet. Idem hoc Canone ſtatutum fuiſſe conſtat. Dubium igitur nullum eſt, hunc Conuentum eumdem fuiſſe, quem Seuerus deſcribit.

CANON VI.

Vt Clericus, qui propter luxum Monachus voluerit eſſe, excommunicetur.

Item legit: Si quis de Clericis propter luxum vanitatemque præſumptam de officio ſponte diſceſſerit, ac velut obſeruatorem legis Monachum videri voluerit eſſe magis quàm Clericum, ita de Eccleſia repellendum, vt niſi rogando atque obſecrando plurimis temporibus ſatisfecerit, non recipiatur. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Ita fiat.

ANNOTATIO.

Contra eam ſanctitatem, quam Priſcillianus eiúſve ſectatores, teſte Sulpitio, in

Digitized by Google

in habitu affectabant, hic Canon conſtitutus fuit.

CANON VII.

Vt Doctoris ſibi nomen non vſurpet, cui conceſſum non eſt.

ITEM lectum eſt: Ne quis Doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundùm quod ſcriptum eſt. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

CANON VIII.

Vt ante quadraginta annos Sanctimoniales Virgines non velentur.

ITEM lectum eſt: Non velandas eſſe Virgines, quæ ſe Deo vouerint, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam Sacerdos comprobauerit. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

ANNOTATIO.

CONCILIVM Carthaginenſe III. Can. 4. *Item placuit, vt ante annos 25. ætatis, nec Diaconi ordinentur, nec Virgines conſecrentur.* & in 4. cap. 11. de eorum ordinatione & veſtitu. Et in Decretis Zoſimi Papæ c. 26. *Virgines velari poſſunt ab Epiſcopo infra annos 25. ſi neceßitas vrget.* Et quòd ei non obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum. Tridentino Concilio ætas emittendi profeſſionem eſt immutata, ſeſſ. 25.

CONC. ROMANVM IV. SVB DAMASO.

ANNO DOMINI CCCLXXXII.

CVM Damaſus de rebus in Synodo Conſtantinopolitana geſtis nuntium accepiſſet, & inter alia in contumeliam Paulini, Flauianum Meletio ſucceſſorem deſignatum eſſe intellexiſſet, Concilium Generale Romæ celebrandum indixit; idque fauore & patrocinio Gratiani & Theodoſij Imperatorum congregari & conuocari impetrauit. Præter Paulinum, Epiphanium & Acholium Theſſalonicenſem ex Oriente nemo adfuit: omnes quidem literis Damaſi, quas ad illos tranſmiſit Imperator, vocati fuerunt; ſed aſtuto conſilio Conſtantinopoli indicta Synodo conuenientes, ne ſuas Eccleſias Paſtoribus deſtitutas, hæretici præ foribus eorum excubantes incurſarent, miſſis iſthinc Romam Legatis hâc ob rem excuſari petiuerunt; literaſque Synodicas earum rerum, quæ præcedente Conſtantinopolitano Concilio geſtæ fuiſſent, ad Concilium Romanum tranſmiſerunt. His literis Synodalibus acceptis, Legatiſque eorum auditis, quid Romæ factum fuerit, non conſtat: Acta enim perierunt. Confeſſio fidei ad Paulinum ſcripta, non, quod exiſtimat Theodoretus, ex hac, ſed in Romana Synodo III. ſcripta fuit: ipſe enim Paulinus huic interfuit. Hac Synodo enim Paulino ſedem Antiochenam adiudicatam eſſe, ex Euagrij poſt obitum Pauli ſurrogatione colligere licet: ne totus Oriens ab vnitate Eccleſiæ ſe præſcinderet, ab excommunicatione Flauiani ceſſatum eſt, & ſchiſma Antiochenæ Eccleſiæ ad tempus certum toleratum fuit. Damaſus ſubodoratus, affectatam ab Orientalibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarchalem ſedem ac dignitatem, etſi nihil hac de re in ſua ad Concilium Synodica meminerit, Canonem in Collectione Creſconiana & Vaticana aliiſve antiquis codicibus, poſt anathematiſmos ſuprà deſcriptos extantem, edidiſſe videtur, hunc: *Poſt has omnes Propheticas & Euangelicas & Apoſtolicas, quas ſuperiùs deprompſimus, Scripturas, quibus Eccleſia Catholica per gratiam Dei fundata eſt; etiam intimandum putauimus, quòd quamuis per orbem Catholicæ diffuſæ Eccleſiæ quaſi vnus thalamus Chriſti ſit; ſancta tamen Romana Eccleſia nonnullis Synodicis cõſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt. Sed & Euangelica voce Domini Saluatoris noſtri Primatum obtinuit: Tu es Petrus,* Matth. 16. *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumq; ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Addita eſt etiam ſocietas beatißimi Pauli*

li Apoſtoli, vaſis electionis, qui non diuerſo (ſicut heretici garriunt) ſed vno tempore, vno eodemque die glorioſa morte cum Petro in vrbe Roma ſub Ceſare Nerone agonizãs, coronatus eſt, & pariter ſupradictam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, aliiſque omnibus in vniuerſo mundo ſua præſentia atq; verẽdo triumpho prætulerunt. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliud huiuſmodi. Secunda autem ſedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo atque Euangeliſta conſecrata eſt: ipſeq; in Aegyptum directus à Petro Apoſtolo, verbum veritatis prædicauit, & glorioſum conſummauit martyrium. Tertia autem ſedes eſt apud Antiochiam beatiſſimi Apoſtoli Petri, quæ habetur honorabilis, eò quòd illam primitus quàm Romam veniſſet, habitauerit, & illic primùm nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exorditum eſt.

In Actis Damaſi, quæ in Eccleſia recitari ſolebant, habentur Decreta Romani Concilij hæc:

Vt decimæ atque primitiæ à fidelibus dentur; qui detrectant, anathemate feriantur. Qui fœnori vacant, eadem ſententia plectendos eſſe. Qui in Eccleſia vanis ſermonibus operam dant, ab ea eiici præcipiuntur. Omnes maleficos, ſacrilegos, augures, aliiſve ſuperſtitionibus vacantes excommunicandos eſſe. Feminas illas, quæ à dæmone illuſæ, putant ſe noctu ſuper animalia ferri, atque cum Herodiade circumuagari, eadem ſententia plectendas eſſe.

Ex præſcripto Nicæni Canonis, vt ibi ponitur, ne diebus Ferſtis, ante tertiam horam Miſſæ canerentur: aliis verò diebus à media quarta vſque ad nonam facere liceret, additumque Decretum, quo iubetur in fine cuiuſque Pſalmi apponi, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Vide Baronium anno 382. num. 1. 2. 3. 17. 18. 19. & 20.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. II. SVB DAMASO.

EPISCOPI Orientales à Pontifice & Imperatore ad Concilium Generale Romæ indictum per literas vocati, Conſtantinopoli conuenerunt, ibique Concilium hoc coëgerunt, ſemel atque iterùm poſt alios Orientales etiam Gregorio Nazianzeno citato; idque eo fine, vt iuſtis quibuſdam prætextibus declinarent Romanam Synodum; in qua de Flauiani electione aduerſus Paulinum perperàm facta rationem reddere debuiſſent; deque Canonibus à ſe ſancitis, num rectè conſtituti eſſent, iudicandi fuiſſent. Statim cùm conueniſſent, ad Concilium Romæ congregatum Legatos miſerunt, qui iuſta de cauſa Orientales abſentes excuſarent; addiderunt iiſdem, vt anno ſuperiore in Concilio Conſtantinopolitano Vniuerſali geſta intelligerent, epiſtolam Synodicam, quæ apud Binium extat. ANNO DOMINI CCCLXXXIII.

SYNODVS SYDÆ *habita aduerſus* MASSILIANOS, *ſub* DAMASO.

HIS temporibus aduerſus Maſſilianos Sydæ congregatam eſſe Synodum, Photius in Bibliotheca ait his verbis: *Legimus Synodum Sydæ factam aduerſus hæreſim Maſſilianorum, id eſt Euchaitarum, vel Adelphiorum. Præfuit Synodo Amphilochius Epiſcopus Iconij, cum Epiſcopis 25. Ex Synodo ibi eſt Synodica ad Flauianum Antiochenum Epiſcopum, qui ea de cauſa etiam aliam Synodum habuit. In eo Concilio Sydæ habito, Adelphius licet pœnitentiam polliceretur, non eſt admiſſus, quamuis hæreſim deteſtari videretur; quoniam non ex corde pœnitentia & renuntiatio facta eſſet.* Vide Baronium anno 383. numer. 39. CCCLXXXIII.

CONC. BVRDEGALENSE *aduerſus* PRISCILLIANVM, *ſub* SIRICIO.

ANNO DOMINI CCCLXXXV. CVM Priſcillianus Cæſarauguſtano Concilio dānatus, Gratiani reſcripto reſtitutus fuiſſet, Ithacius apud Maximum Imperatorem eumdem viciſſim citra proteſtationem de hæreſi aliiſve criminibus accuſauit, mortiſque ſupplicio dignum denuntiauit. Maximus Imperator his accuſationibus permotus, hanc Burdegalenſem Synodum indici, atque Priſcillianum cum Inſtantio ad eam citari & adduci mandauit. Vbi cauſam dixiſſent, Inſtantius Epiſcopatu indignus pronuntiatus eſt. Priſcillianus ſe damnandum intelligens, ad Principem prouocauit. Cùm iudices appellationi malè detuliſſent, eamque contra ius & conſtitutiones Eccleſiæ admiſiſſent, Treuiris hæreſiarcha auditus, bis conuictus, tandem cum quibuſdam aliis, iuſſu Maximi, gladio occiſus eſt. Hæc ex Seuero lib. 2. & Proſperi Chronico Baronius an. 385. num. 22. 23. & 24.

CONCIL. ROMANVM SVB SIRICIO.

CCCLXXXVI ANNO Chriſti 386. ipſo menſe Ianuarij, Romæ in Baſilica S. Petri celebratum eſt Concilium octoginta Epiſcoporum, ad collapſam diſciplinam in Africana Eccleſia reſtaurandam. In Synodo nihil decretum, quod non Apoſtolicis aut Nicænis Canonibus antè conſtitutum fuerat. Vnde Concilium, quod nominatur Carthaginenſe, cœlibatum ſacrorum Miniſtrorum non ex lege Siricij, ſed Apoſtolica auctoritate inſtitutum ſibi vendicat. Quos in Synodi epiſtola Siricius Pontifex Montenſes appellat, Donatiſtas fuiſſe ſciendum eſt: ſic dictos, quòd in montibus agere & conuenire ſolerent. Innouatæ conſtitutiones huius Concilij, in Concilio Teleptenſi, ſub Honorio Imperatore in Africa celebrato, recitatæ fuerunt. Vide Baronium anno 386. num. 2. & 3.

CONCIL. TREVIRENSE, *in quo* ITHACIVS *ab irregularitate, quam iuſtè incurrerat, iniuſtè abſoluitur.*

CAVSA habiti Treuiris in Gallia Concilij, hæc eſt: Ithacius, teſte Iſidoro de Viris illuſtribus, cap. 2. Hiſpaniæ Epiſcopus, cognomento & eloquio clarus, acerrimus Priſcillianorum hoſtis, apud Imperij perduellem, ac Gratiani interfectorem Maximum hoc procurauerat, vt Priſcillianus eiúſve ſectatores hæretici, non tantùm compeſcerentur, ſed vt de iiſdem etiam capitis vitæque ſupplicium ſumeretur, atque de reliquiis eorum in Hiſpania per ferrum & flammam exturbandis mandatum edidiſſet. Quod cùm à manſuetudine Chriſtiana, qua exemplo Chriſti in primis Epiſcopi ac Sacerdotes imbuti eſſe debebant, plurimùm abhorreret, Theognoſtus, aliique Catholicæ cōmunionis Epiſcopi, Ithacium cum ſociis, velut ſanguinarium ac crudelem, Sacerdotio indignum excommunicarunt: non quidem ideò, quòd aduerſus hęreticos auxilium Principis implorаſſet (hoc enim S. Auguſtinus alijque ſæpiùs feciſſe leguntur) ſed quòd importuniùs ac ſæuiùs agens, in eoſdem pœnam capitis procuraſſet, ſolitamque proteſtationem non interpoſuiſſet, qua ſe delinquentium incorrigibilium correctionem ſic expetere declararet, vt tamen à ſanguinis pœna abſtineretur. Ithacius verò Maximi Imperatoris patrocinio fretus, decimoſexto anno ante obitum S. Martini, qui eſt Chriſti 386. Treuiris Synodum congregati impetrauit, quæ eum velut innocentem abſoluit, nullaque culpa teneri pronuntiauit. Præſides ſanguinolenti, aduentu S. Martini Epiſcopi, qui duorum Comitum Gratiani fautorum reconciliationem, & decretam in Hiſpania inquiſitionem periculoſam deprecaturus veniebat, valdè turbati (metuebant

tuebant enim morte Priſcilliani, vel abſolutione Ithacij nihil fore actum, ſi in vrbem admitteretur) rogarunt Imperatorem, vrbis acceſſu Epiſcopum prohiberi; nocturno tempore vrbem ingreſſus, Imperatorem adiit: qui cùm poſt diuturna colloquia de duobus Comitibus illis, pro quorum vita precatum venerat, ſupplicium ſumi mandaſſet, vir ſanctus & clarus miraculis cum Ithacianis ſe communicaturum ſpopondit, ſi Imperator innocentũ vitæ parceret. Maximus omnia indulget, & S. Martinus Felicem Ithacianę factionis Epiſcopum ordinando, cum ipſo aliiſve eius conſortibus communicat; ſatius exiſtimans ad horam cedere, quàm his non conſulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Vt verò communionem illam ſubſcriptione firmaret, nequaquam induci potuit. Cùm hanc ob rem poſtero die plurimùm doleret, aſtitit ei Angelus dicens: *Meritò Martine compungeris; ſed aliter exire nequiſti. Repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurras.* Itaque ab illo tempore ſatis cauit cum illa Ithacianæ partis communione miſceri. Ceterùm cùm quoſdam ex energumenis tardiùs, quàm ſolebat, & gratia minore curaret; ſubinde nobis cum lacrymis fatebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto temporis neceſſitate, non ſpiritu miſcuiſſet, detrimentum virtutis ſentire. Sexdecim poſteà vixit annos, nullam Synodum adiit. Hæc ex Seuero Dialog. lib. 3. Vide Baroniũ an. 386. n. 25. & ſeq.

S. Martinus quare cum Ithacianis communicarit.

Martinus ab Angelo ad conſtantiam excitatur.

CAPVANA SYNODVS *in cauſa* ANTIOCHENAE *diſſenſionis &* BONOSI *hæretici, celebrata ſub* SIRICIO.

ANNO DOMINI CCCLXXXIX.

POSTQVAM Paulinus, quem Lucifer Calaritanus Antiochiæ contra Meletium Antiochenæ Sedis Epiſcopum deſignauerat, anno 389. obiiſſet, auditores illius contra Flauianum Meletij ſucceſſorem, Euagrium in locum Paulini ſurrogarunt, ortamque ante aliquot annos diſcordiam continuarunt. Pontifex, & cum eo ferè Occidentales vniuerſi, contra Flauianum, ſicut antè Paulino, ita nunc Euagrij partibus ſteterunt, atque Imperatorem contra Flauianum per literas animarunt. Quibus ille permotus, circa hæc tempora proculdubiò (certus enim annus ignoratur) in hac cauſa Capuæ Synodum indixit. Flauianus ad eam vocatus non venit, ſed per literas ab Imperatore petiuit, hoc eius auctoritate procurari, vt Occidentales Epiſcopi patiantur in Oriente Concilium celebrari, in quo cauſam ſuam ipſe coràm agere poſſit. Qui autem Capuæ conuenerant, ad ſchiſma totius Eccleſiæ auertendum, conſtituerunt, vt tam Flauiani quàm Euagrij fautores ad communionem Catholicam admittantur, modò Catholicæ fidei aſſertores eſſe inueniantur. Præterea, vt diſſenſiones periculoſiſſimæ omnino ſedarentur, Theophilo Alexandrino vnà cum aliis Ægypti Epiſcopis cognitionem cauſæ ac diſſenſionis inter Flauianum & Euagrium demandarunt; tum quòd ille principalioris ſedis in Oriente Antiſtes eſſet; tum etiam quòd à neutrius partibus ſtaret. Præſcripta eſt arbitro limitata conditio hæc, vt ſuam à ſe prolatam ſententiam Romanæ Eccleſiæ auctoritate confirmandam ac comprobandam offerret. Quod iudiciũ Theophili cùm Flauianus, vt conſtat ex epiſt. 78. Ambroſij refugiſſet, cauſa Bonoſi cuiuſdam in Macedonia Epiſcopi hæretici, negantis illibatam Dei genitricis Mariæ virginitatem poſt partum, in iudicium deducta eſt. Synodus cognitionem cauſæ Anyſio Theſſalonicenſi, cum Epiſcopis ipſi ſubiectis delegauit. Quod videre eſt ex epiſt. 79. apud Ambroſium. Ab Anyſio autem Epiſcopo Theſſalonicenſi, Bonoſum (à quo Bonoſiani, ad hæreſes Photini ſuam addentes) damnatum, eorumque, quos ordinaſſet, communione priuatum eſſe, teſta-

teſtatur Innocentius Papa epiſt. 22. c. 5.

Hac eadem Capuenſi Synodo conſtitutum fuit, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Epiſcoporum tranſlationes. Hæc ex 78. & 79. epiſt. Ambroſij Baronius anno 389. n. 67. 72. 73. & 74.

CONCILIVM ARELATENSE II.

tempore SIRICII *Papæ; & eſt Prouinciale.*

ccclxxxix. SYNODVM hanc tempore Silueſtri, quod habent vetuſtiores Conciliorum editiones, quas etiam ſecutus eſt Carranza, coactã fuiſſe, nequaquam ſuſtineri poteſt. Primùm quidem, Quòd Vaſenſis Concilij, quod circa finem Pontificatus Iulij habitum fuit, mentionem faciat. Secundò, Quòd prędamnatam in Concilio Sirmienſi, anno Chriſti 357. ſub Liberio, Photini hæreſim hæc Synodus Arelatenſis iterato iudicio condemnet. Tertiò demum, Quòd Canon 17. Bonoſiacorum meminerit, quorum ante Pontificatum Siricij nulla vſquam memoria reperitur. Cùm igitur ex Annotationibus Capuenſis Concilij manifeſtum ſit, tempore Siricij Pontificis mandato eiuſdem Concilij, Bonoſum hęreſiarcham ab Anyſio Theſſalonicenſi Epiſcopo damnatum eſſe, ad hæc tempora Siricij hanc Synodum Arelatenſem II. referendam eſſe putaui, vt rationes præfatæ conuincunt.

CAP. I.

De neophytis Clericis non ordinandis.

ORDINARI ad Diaconatus vel Sacerdotij officium, neophytum non debere.

CAP. II.

Ne coniugati ad Sacerdotium prouehantur.

Diſt. 28. Aſſumi aliquem. ASSVMI aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio, non oportet.

CAP. III.

Ne Clericus in ſolatio extraneam habeat mulierem.

SI QVIS de Clericis à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam, ſecum vxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem (ſi ſeparare ſe noluerit) pœna percellat. (Tertius Canon in Concilio Nicæno.)

CAP. IV.

Ne Clericus in ſecreto intromittat puellam.

NVLLVS Diaconus, vel Presbyter, vel Epiſcopus, ad cellarij ſecretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam. (Ex cap. 4. Nicæn. Syn.)

CAP. V.

Vt Epiſcopus cùm ordinatur, cum conſenſu Metropolitani, tres eum ordinent Epiſcopi.

CANON quintus hic ſubiicetur, eò quòd nihil diuerſum complectatur à Canone 4. Concilij Nicæni.

CAP. VI.

Ne Epiſcopus ordinetur ſine conſenſu Metropolitani.

ILLVD autem ante omnia clareat, eum, qui ſine conſcientia Metropolitani conſtitutus fuerit Epiſcopus, iuxta Magnam Synodum eſſe Epiſcopum non debere. (Ex 6. cap. Nic. Syn.)

CAP. VII.

De his, qui ſeipſos abſcindunt.

SI QVI ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcindunt, ad Clerum peruenire non poſſint. (Ex 1. c. Nicæn. Syn. Diſt. 55. Ne qui ſe carnali.)

CAP. VIII.

De his, qui excommunicatos alterius ſuſcipiunt.

SI QVIS excommunicatum alterius, ſiue Clericum, ſiue ſæcularem, recipere poſt interdictum præſumpſerit, nouerit ſe reum fraternitatis factum, cauſam in Concilio redditurum. (Ex cap. 8. Nic. Syn.)

CAP. IX.

Vt Nouatiani in communionem non recipiantur.

NOVATIANVM in communionem recipi non debere, niſi ſuſceptâ pœni- (Ex eod.)

Digitized by Google

pœnitentiâ incredulitatis, præteritum damnet errorem.

CAP. X.

De his, qui in perſecutione præuaricati ſunt.

De his, qui in perſecutione præuaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, vt quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter diſcommunicantes, ita vt communionem inter pœnitentes non præſumant. In poteſtate tamen vel arbitrio ſit Epiſcopi, vt ſi eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.

ANNOTATIO.

Hic Canon eſt idem planè cum eo, qui in Nicæno Concilio vndecimũ locum ſortitus eſt: ſic etiam aliàs pluries hîc repetuntur Canones eiuſdem Concilij Nicæni.

CAP. XI.

De his, qui pœnis victi, ſacrificare coguntur.

Ex c. 11. Con. Nic. SI QVI verò dolore victi & pondere perſecutionis, negare & ſacrificare compulſi ſunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione ſuſpenſi.

CAP. XII.

De excedentibus vitam in pœnitentia poſitis.

Ex 12 c. Nic. Syn. De his, qui in pœnitentia poſiti, vitam exceſſerunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo, quòd honorauit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.

CANONEM 13. hîc prætermiſimus, ne 15. & 17. ex Concilio Nicæno otioſè repetere videremur.

CANON 14. eſt à nobis ſublatus, cùm in Nicæna Synodo 18. loco idem relatus ſit.

CAP. XV.

Ne Diaconus coram Preſbytero ſedeat, vel Euchariſtiam tradat.

Ex c. 14. eiuſdem. IN Secretario Diaconis inter Presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumant. Quòd ſi fecerint, ab officio Diaconatus abſcedant.

CAP. XVI.

Photiniani & Paulianiſtæ baptizentur.

PHOTINIANOS, ſiue Paulianiſtas, ſecundùm Patrum ſtatuta, baptizari oportet. Ex c. 19. eiuſdem.

CAP. XVII.

Vt hæretici baptizati recipiantur.

BONOSIACOS autem, ex eodem errore venientes, (quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt) dum interrogati, fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.

CAP. XVIII.

Vt Metropolitani arbitrio Synodus congregetur.

AD Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodum congregandã (ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, ſub ſancti Martini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque Conuentum) ſi quis commonitus, infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat.

CAP. XIX.

Ne Epiſcopi diſcedant ante peractam Synodum.

SI QVIS autem adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam diſſoluatur Concilium, crediderit deſerendum, alienum ſe à fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus. Diſt. 18. Si quis aut.

CAP. XX.

De aurigis fidelibus.

DE agitatoribus, ſiue theatricis, qui fideles ſunt, placuit, eos quamdiu agunt, à communione ſeparari. Idem habetur in Conc. Arelat. 1. c. 4.

CAP. XXI.

Si poſt acceptam pœnitentiam quis nupſerit.

POENITENTES, quæ defuncto viro, alij nubere præſumpſerint, vel ſuſpecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in pœnitentia poſito placuit obſeruari.

CAP.

CAP. XXII.

Vt pœnitentia coniugatis ex conſenſu detur.

33.qu.4. Pœnitentiam. POENITENTIAM coniugatis non niſi ex conſenſu dandam.

CAP. XXIII.

De Sacerdotibus, qui idololatriam non eruerunt.

SI in alicuius Epiſcopi territorio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes, vel ſaxa venerentur, ſi hæc eruere neglexerint, ſacrilegij ſe eſſe reum cognoſcat. Dominus autem vel ordinator rei ipſius, ſi admonitus emendare noluerit, communione priuetur.

CAP. XXIV.

De accuſatoribus fratrum.

20.q.1.Eos qui. EOS, qui falſa fratribus capitula obiecisse conuicti fuerint, placuit vſque ad exitum non communicare, ſicut Magna Synodus antè conſtituit, niſi digna ſatisfactione pœnituerint.

ANNOTATIO.

EX hoc cap. claret, plures eſſe Nicænæ Synodi Conſtitutiones, quàm viginti, cùm iſta non ſit de illarum numero. Idem in Arelatenſi Concilio I.c.14. ſub aliis verbis.

CAP. XXV.

De apoſtatis, ſi non reuertuntur.

HI, qui poſt ſanctam Religionis Profeſſionem apoſtatant, & ad ſæculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitùs non accipiant. Quos etiam iubemus ad Clericatus officium non admitti. Et quicumque ille ſit, poſt pœnitentiam, ſæcularem habitum non preſumat. Quòd ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur.

CAPITA *hæc ſequentia in exemplaribus vetuſtis non habentur, nec habent titulos.*

CAP. XXVI.

DE his, quos Clericatui ipſa vitæ gratia ſuggeſſit, ſi fortè interrupta & duplicata matrimonia inciderint, non vltra Subdiaconatum Eccleſiaſticas capiant dignitates. Quòd ſi facti forſitan ſunt, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio.

CAP. XXVII.

PROFESSAS viduas, ſi in * cohibenda perſiſterint, cum raptoribus eſſe damnandas.

* cohabitando

CAP. XXVIII.

SECVNDVM conſtitutionem Synodi Vaſenſis, qui oblationem fidelium ſuppreſſerit, aut negauerit, ab Eccleſia, cui fraudem fecit, excludatur.

CAP. XXIX.

SI QVIS Epiſcopus ſuæ ſententiæ non aquieſcit, Synodi legibus audiendum.

CAP. XXX.

SECVNDVM inſtituta ſeniorum, ſi à communione ſacerdotali fuerit auctoritate ſuſpenſus Epiſcopus, hunc non ſolùm à Clericorum, ſed etiam à totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi, donec reſipiſcens, ad ſanitatem redire feſtinet.

CAP. XXXI.

HI, qui publicis inter ſe odiis exardeſcunt, ab Eccleſiaſticis conuentibus ſunt remouendi, donec ad pacem recurrant.

CAP. XXXII.

SI expoſitus ante Eccleſiam, cuiuſcumque fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat epiſtolam. Et ſi is qui collectus eſt, intra decem dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sanè qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida, Eccleſiaſtica diſtributione damnabitur, ſicut Patrum ſanxit auctoritas.

CAP. XXXIII.

DE puellis quæ ſe vouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, ſi poſt viginti & quinque annos ætatis, ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt cum his, cum quibus ſe obligauerint, communione priuentur, ita vt eis poſtulantibus, pœnitentia non negetur, cuius pœnitentiæ communio multo tempore differatur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIV.

SI QVIS famulorum, cuiuſlibet conditionis aut generis, quaſi ad exacerbandam domini diſcretionem, ſe diabolico repletus furore percuſſerit, ipſe tantùm ſanguinis ſui reus erit, neque ad dominum ſceleris alieni inuidia pertinebit.

CAP. XXXV.

PLACVIT, in ordinatione Epiſcopi hunc ordinem cuſtodiri; vt primo loco venalitate, vel ambitione ſubmota, ab Epiſcopis nec nominentur, de quibus Clerici vel laici ciues erga vnum eligendi habeant poteſtatem.

CAP. XXXVI.

SI QVIS ſæcularium, amore Religionis ſe ad quemcumque Sacerdotum crediderit conferendum, ipſe ſibi eum, quem erudiendi gratia ſuſcepit, vindicabit.

CAP. XXXVII.

HOC etiam placuit cuſtodiri, vt nihil contra Magnam Synodũ Metropolitani exiſtiment vindicandum.

CONC. MEDIOLANENSE

quo IOVINIANVS *condemnatus fuit, ſub* SIRICIO *Papa.*

ANNO DOMINI CCCXC. CVM Iouinianus hæreſiarcha, poſt octo annorum latebras, anno Chriſti 390. qui eſt Siricij Pontificis 6. & Theodoſij Imperatoris 12. annus, poſt cladem Theſſalonicenſem, teſte Ambroſio epiſt. 28. Mediolano, vbi ſub habitu monaſtico & Catholico nomine latuerat, eiectus, Romæ plures ſermone ſcriptiſque à ſe Commentariis ſeduxiſſet, idque Pammachij cuiuſdam nobiliſſimi Senatoris, ardentiſſimi & doctiſſimi Catholicæ fidei propugnatoris opera, ſtudio, ac diligentia Siricio Pontifici innotuiſſet, coacto ſtatim auctoritate Pontificis Romani Eccleſiæ Presbyterio, Iouinianus hæreſiarcha, cum Heluidio, aliiſque ſectatoribus collegis damnatur. De qua re, vt Mediolanenſis Eccleſia, vnde exierat, certior fieret, literas de rebus omnibus in cauſa Iouiniani Romæ geſtis, ad eamdem Eccleſiam ſcribit, eaſque per tres Legatos Presbyteros iſtuc deferri procurat. (epiſtola Pontificis extat apud Binium.) Cùm Mediolanum veniſſent, indicta eſt Synodus ex Gallia, aliiſve vicinis Prouinciis. Epiſcopi, quorum nomina Synodalis epiſtola ſubſcripta refert, conuocati conuenerunt. Poſt lectam Siricij epiſtolam, & cauſæ cognitionem, ea, quam Siricius contra Iouinianum, eiuſve collegas protulerat Romæ ſententiam, Synodico hoc Patrum decreto confirmata fuit. Vide Baronium anno 390. num. 35. 36. & ſeqq.

Dogmata Iouiniani ſanctus Hieronymus ſic deſcribit: *Dicit, virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent ceteris operibus, eiuſdem eſſe meriti. Nititur approbare, eos, qui plena fide in Baptiſmate renati ſunt, à diabolo non poſſe ſubuerti. Tertium proponit, inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione ſumptionẽ eorum, nullam eſſe diſtantiam. Quartum, quod & extremum eſt, eſſe omnium, qui ſuum Baptiſma ſeruauerunt, vnam in regno cœlorum remunerationem.* Hæc Hieronymus libro 2. contra Iouinianum. Sed longiùs progreſſus, Deiparam Mariam deſiiſſe virginem eſſe, cùm Chriſtum peperit, affirmauit. Cum Manichæis negauit, Filium Dei veram carnem aſſumpſiſſe. Hæc ex Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo Baronius an. 382. n. 29. & ſeqq.

CONC. NOVATIANORVM

ANGARIS *celebratum ſub* SIRICIO.

SOCRATES lib. 5. cap. 20. refert, CCCXCI. hoc Nouatianorum Conuentu, Canonem conſtitutum fuiſſe de feſto Paſchatis: *quem ἀδιάφορον, id eſt indifferentem vocabant, docebantque diſſenſionem de feſto Paſchatis non ſatis iuſtam cauſam fuiſſe, cur Eccleſia dirimeretur: neque eos qui in Pazo coacti fuiſſent, præiudicium generali Canoni feciſſe.* Licuiſſe cuilibet, abſque diſpendio Catholicæ veritatis, Paſcha celebrare die qua

qua vellet, deinceps ſubiungit, vt ſcilicet Epiſcopos Nouatianos ſchiſmaticos & hæreticos, Nouatianus Scriptor contra conſcientiam & veritatem defendat. Vide Baronium anno 391. numero 17.18.19.

CONCILIVM HIPPONENSE

in AFRICA *celebratum, ſub* SIRICIO.

ANNO DOMINI CCCXCIII. Hoc Concilium celebratum eſſe anno Chriſti 393. Pontificatus Siricij 9. Imperatoris Theodoſij 15. colligitur ex principio Africani Concilij, vbi hæc verba leguntur: *Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio ſemper Auguſto tertium & Abundantio viro clariſſimo Coſſ. octauo Idus Octobris, Hippone regio, in Secretario Baſilicæ Pacis.* Horum Conſulatum cum prædicta Chriſti, Pontificis, & Imperatoris Chronologia coincidere, Faſtos Conſulares intuenti patebit.

Ob quam cauſam habitum fuerit, Patres Carthaginenſis Concilij initio Breuiarij his verbis indicant: *Ea quæ in Concilio Hipponenſi iamdudum maturata ſunt, & legitimè ad corrigendam diſciplinam ſalubriter geſta & ſtatuta noſcuntur, effrenata temeritate quoſdam minimè cuſtodire.* Quod quidem adeò efficaciter præſtiterunt, vt cetera Concilia poſteà in Africa celebrata, ex Hipponenſi, tamquam archetypo quodam, complura mutuata fuerint.

Decreto Concilij Carthaginenſis, Cæſario & Attico Conſulibus, anno Chriſti 397. celebrati, ex 40. Canonibus & vno, confectum eſt quoddam Breuiarium, quo eorumdem, vt faciliùs innoteſcerent, breuis Summa deſcripta eſt. Ipſi verò Canones Carthaginenſi Tertio intexti habentur: quo loco, quóve ordine, marginales notæ ſingulis Summis appoſitæ, indicant.

Huius Concilij Hipponenſis meminit Poſſidius in Vita S. Auguſtini, c.7. quæve in eo fuerint partes S. Auguſtini, ità deſcribit: *Per idem tempus coram Epiſcopis hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone agebant, de Fide & Symbolo Preſbyter adhuc Auguſtinus diſputauit.* Sic ille. Et quidem cum omnium laude & admiratione tanta, vt quem omnes Epiſcopum cuperent, Valerius, ne ſuæ Eccleſiæ eriperetur, poſtularit, & impetrauerit, anno Chriſti 394. ſibi adhuc viuenti in Epiſcopatu ſurrogari. Poſſidius vbi ſuprà, cap.8. Cui totius Africanæ Prouinciæ Epiſcopi omnes interfuerunt, iure meritoque alibi Generale, alibi Plenarium Concilium appellatur: licet verè tantum Prouinciale fuerit. Vide Baronium anno 393. num.33.& 34.

CONCILII HIPPONENSIS ABBREVIATIONES factæ in Concilio Carthaginenſi III. infrà poſt Canones eiuſdem Concilij poſitæ habentur.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

in quo cauſa duorum EPISCOPORVM *eumdem* BOSTIENSEM *Epiſcopatum ſibi vendicantium definita fuit.*

Ob controuerſiam duorum Epiſcoporum, Agapij & Gebapij, eumdem Boſtienſem Epiſcopatum ſibi vendicare ſatagentium, cum multis aliis Eccleſiæ Orientalis Epiſcopis, duos Patriarchas, Alexandrinum nimirum & Antiochenum, conueniſſe, probabile non eſt. Sed potiùs illud maiore fide aſſeri poſſe videtur, quòd ad dedicandam nouam Baſilicam Apoſtolorum Petri & Pauli nomine, à Ruffino Præfecto Prætorio erectam, conuocati & congregati, poſt ſacra ſolemnia ex more expleta, prædictam controuerſiam inter nominatos ſuprà Epiſcopos obortam, iudicio ſuo definiuerunt, eo modo, quo Acta à Theodoro Balſamone enarrata declarant, nimirum, ex ſententia Theophili Alexandrini deciſum fuiſſe, non aliter, quàm Synodali iudicio, cui Epiſcopi ferè vniuerſi interſint, Epiſcopum CCCXCIV.

pum deponi poſſe aut licere. Vide Baronium an. 394. num. 25. & ſeqq.

CONC. ADRVMETINVM IN AFRICA.

ANNO DOMINI CCCXCIV. ARCADIO tertiùm & Honorio ſecundùm Conſulibus, anno nimirum Chriſti 394. Adrumeti in Africa hanc Synodum celebratam, atque ad eam ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo Legationem miſſam fuiſſe, patet initio Concilij Africani, vbi hæc ſcripta leguntur: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio 3. & Honorio 2. Auguſt. Conſulibus, 6. Kalendarum Iuliarum Carthagine. In hoc Concilio Legati directi ſunt Epiſcopi Proconſulares ad Concilium Adrumetinum.*

Quæ verò in hac Synodo conſtituta fuerint, non apparet; ideò quòd diuerſorum Conciliorum Canones in vnum collecti, ſimul ſub vno titulo Concilij Africani, admixti habeantur. Vide Baronium anno 394. num. 32.

CONC. CAVERNENSE DONATISTARVM, *in quo* MAXIMIANISTAE PRIMIANISTAS *cum ſuo auctore* PRIMIANO *condemnarunt.*

CCCXCIV. APVD Cauernas Suſis, qui eſt locus Carthagini propinquus, Arcadio 3. & Honorio 2. Conſulibus, anno nimirum Chriſti 394. ex Maximianiſtis conuenerunt 53. Epiſcopi, qui poſt aliquantulam cognitionem cauſę, Primianum cum ſuis ſectatoribus iam ante Cebarſuſſi à centum & ampliùs Epiſcopis Maximianiſtis prædamnatum, iterata ſententia condemnarunt. Primianus Parmeniano defuncto ſuffectus erat: aduerſus hunc poſteà ab aliis Donatiſtis creatus eſt Maximianus Diaconus, ſicque maximum inter eos ſchiſma conflatum eſt. Fautores Primiani, Primianiſtæ; Maximiani, Maximianiſtæ: ſicut etiam alij à Claudio, Claudianiſtæ; à Rogato, Rogatiſtæ appellati fuere. Ita qui Donatiſtæ antè à Donato nominabantur; deinceps in partes & varias factiones, more hæreticorum omnium diuiſi, ab auctoribus ſchiſmatum nomine nuncupati fuere. Vt ſcilicet manifeſtè oſtendant, ſe, qui non à Chriſto; ſed vel ab auctoribus, vel dogmatibus ſuæ hæreſeos denominantur, non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti Synagogam eſſe. Hieronymus contra Luciferianos in fine. Hæc ex Auguſtini Comment. in Pſal. 36. item ex 3. & 4. lib. contra Creſconium, Baronius an. 394. n. 33. & ſeqq.

CONCILIABVLVM BAGAIENSE PRIMIANISTARVM *contra* MAXIMIANVM.

BAGAI ciuitate Numidiæ trecenti & decem Epiſcopi, à Primiano Carthaginenſi Epiſcopo Donatiſta aduerſariæ factionis vocati, conuenerunt: vbi conſidentes, examinata cauſa ipſius Primiani qui aderat, & Maximiani itidem Epiſcopi Carthaginenſis abſentis, aliorumq; eidem communione coniunctorum, in Maximianiſtas, eam, quam recitat Auguſtinus contra Creſconium lib. 3. c. 53. damnationis ſententiam protulerunt. Vide Baronium an. 394. n. 43. & 44. CCCXCIV.

CONC. TAVRINATENSE, *circa tempora* SIRICII *Papæ, & paulò poſt obitum S.* AMBROSII *Epiſcopi Mediolanenſis celebratum. Eſtq; Prouinciale.*

CONCILIVM hoc ſub Pontificatu Siricij adhuc viuentis, & paulò poſt obitũ S. Ambroſij Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopi, habitum fuiſſe, verba Canonis 5. circa finem, manifeſtò indicant. Cùm itaque Cæſario & Attico Conſulibus, teſte Marcell. in Chronico, Ambroſius defunctus fuerit, iiſdemque Conſulibus Simplicianus eidem ſuffectus eſſe reperiatur, CCCXCVII.

Can.

Can. 48. Concilij Carthaginenſis III. demum etiam non vltra ſequentem annum Siricius Pontifex ſuperſtes fuerit, hanc Synodum præciſè decimo Kalend. Octob. anno Chriſti 397. qui eſt Siricij pænultimus, Arcadij & Honorij Imperatorum 3. celebratam fuiſſe, neceſſariò eſt concedendum.

Acta Concilii. In hoc Concilio, principio duæ epiſtolæ, in cauſa communicationis cum Felice Ithacianæ factionis Epiſcopo, à Siricio & Ambroſio ad Taurinenſem Synodum ſcriptæ, lectæ fuerunt. Extant epiſtolæ apud Binium. Deinde, altercationes inter Arelatenſẽ & Viennenſem Epiſcopos de primatu certantes, ſedatæ ſunt. Illi enim ciuitati primam dignitatem adiudicarunt, quæ ſe eius Prouinciæ Metropolim eſſe oſtenderet. Tertiò declaratum fuit, Narbonenſis Eccleſiæ primam ſedem eſſe apud Maſſilienſes; atque Proculum eiuſdem ſedis Epiſcopum, Metropolitanum Epiſcopum habendum eſſe. Huius Concilij Capitũ Summa hęc eſt.

I. Vt qui comprobauerit ſuam ciuitatem Metropolim fuiſſe, teneat primatum.

II. Vt Epiſcopi, qui contra ſtatuta faciunt, honore priuentur.

III. Vt laici, qui Clericis crimen intendunt, puniantur.

IV. Clericus, qui per ſuam culpam ab Epiſcopo ſuo excommunicatur, arbitrio eiuſdem Epiſcopi reſtitui poteſt, in cuius poteſtate fuit abiectio.

V. Qui ab hæreticis ſeparari voluerint, ab Eccleſia Catholica recipiantur, iuxta literas venerabilis memoriæ Ambroſij Epiſcopi, vel Romanæ Eccleſiæ Sacerdotis.

ANNOTATIO.

LITERAS Pacificas, quarum communicatione hæretici vel etiam ſchiſmatici in communionem Eccleſiæ recipiebantur, dare & impertiri, Romano Pontifici ex officio ordinario; Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ex eiuſdem Pontificis delegatione competebat, vt probat Baronius anno 405. num. 55. & ſeq. Vnde grauiter errat, qui ex hoc loco Mediolanenſis Epiſcopi & Romani Pontificis parem eamdemque poteſtatem eſſe exiſtimat.

VI. Vt alterius Clericum non promoueat alter, nec abiectum recipiat.

VII. Qui contra interdictum ſunt ordinati, vel in miniſterio genuerunt filios, ad maiores Ordinum gradus aſcendere non permittantur.

CONCILIVM CARTHAGINENSE

nomine Secundum, ordine temporis, inter Carthaginenſia extantia, verè poſtremum. (Circa tempora Cæleſtini Papæ.) Probatum à Leone IV. Ca. De libellis. d. 20.

HOC Concilium verè poſt omnia Carthaginenſia celebratum fuiſſe, non modò ex Canonibus, verumetiam Epiſcoporum præſentium nominibus euidentiſſimè probatur. *ANNO DOMINI CCCXCVII.* Si, quod habent Acta Concilij, Valentinus Numidiæ Primas, Xantippi ſucceſſor huic Concilio interfuerit, poſt Mileuitanum, adeoque poſt quinque ſaltem anteriora, hoc cui Genedius præfuit, quodq; Secundum appellatur, habitum fuiſſe oportet. Nam Mileuitano Concilio Xantippus Numidiæ Primas Valentini anteceſſor interfuit. Illud igitur, in quo Valentinus Epiſcopalem ſententiam deciſiuam dixiſſe ſcribitur, ante Mileuitanum ſub Innocentio, multò minùs ante tria Carthaginenſia ſub Siricio & Anaſtaſio celebrata, habitum fuiſſe, ſuſtineri non poteſt. Valentinus Numidiæ Primas, initio Actorũ Carthaginenſis VI. & in literis Synodalibus ad Bonifacium & Cæleſtinum Pontificem ſcriptis, nominatim recenſetur. Xantippi igitur non anteceſſorem, ſed potiùs ſucceſſorem fuiſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Secundò, Anterioribus Carthaginenſibus omnibus Aurelium Epiſcopum præfuiſſe, ex Actis eorumdem Conciliorum apertè conſtat. In hoc cum Aurelio Carthaginenſe Epiſcopo Genedius Carthaginenſis re & nomine Epiſcopus præſedit, quod ille literis ſuis Carthagine celebrandum indixit, in quo primo loco ſedens, primam ſententiam pronuntiauit. Dubium itaque nullum eſt, quin Aurelius poſt ſex aut ſeptem Concilia Carthagine habita, poſt multos in Eccleſia Carthaginenſe exantlatos labores, Epiſcopatu ſe abdicarit, atque ad imitationem Valerij Hippone

Digitized by Google

pone S. Auguſtinum ſuſtinentis, in Genedium munus Epiſcopale Carthaginenſis Eccleſiæ tranſtulerit: ſicque auctoritate Genedij Carthaginenſis hoc Concilium poſtremo loco Carthagine habitum fuerit. Nam inauditum eſt, vt alius quàm Carthaginenſis Epiſcopus Carthagine Concilium indixerit, per literas conuocarit, atque in eo primo loco ſedens, primam ſententiam pronuntiauerit. Quòd Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus interfuiſſe, & ſententiam ſuam dixiſſe ſcribitur, honoris cauſa accidit. Tertiò, Sub Pontificatu Cæleſtini poſt Africanum, adeòque poſt omnia Carthaginenſia Concilia hanc Synodum Carthaginenſem, quæ ſub præſidio Genedij habita eſt, celebratam fuiſſe, ſecundus & tertius Canon huius Concilij, in quibus Africani Concilij anno primo Cæleſtini Pontificis celebrati Canones, decimus nimirum & vigeſimus ſeptimus, citati reperiuntur, manifeſtiſſimè teſtantur. Quartò demum, Ex addita ad ſecundum Canonem huius Concilij antiqua lectione habetur expreſſum, quòd Fauſtinus Epiſcopus Potentinus in Piceno, Legatus à latere à Bonifacio Papa miſſus, in hoc Concilio ſententiam dixerit. Siue igitur in Africa hucuſque perſeuerauerit, ſiue iterùm à Cæleſtino miſſus fuerit; ex præſentia illius colligitur, hanc Synodum Carthaginenſem ſub Pontificatu Cæleſtini, poſt Africanum, aliaque omnia Carthaginenſia Concilia habitam & congregatam fuiſſe. Hæc ex Baronij Appendice ad Tom. 5. anno 397.

Sequitur CONCILIVM.

GLORIOSISSIMO Imperatore Valentiniano Auguſto 4. & Theodoſio viris clariſſimis Conſulibus 14. Kalend. Iunij, Carthagine in Baſilica Perpetua reſtituta, cùm Genedius Epiſcopus vnà cum Victore Abderitano, & alio Victore Pupputanenſis, & ceteris Coëpiſcopis ſuis Prouinciarum diuerſarum conſediſſet, Genedius Epiſcopus dixit:

ANNOTATIO.

IN nota Conſulum Collector manifeſtè errat: nuſquam enim Valentinianus Auguſtus cum Theodoſio, ſed cum Neoterio anno Chriſti 390. Conſulatum geſſiſſe reperitur. Nec eſt quòd dici poſſit, pro Neoterio librariorum vitio Theodoſium ſcriptum fuiſſe: ſiquidem Alyppius, qui in hac Synodo Tagaſtenſis Epiſcopus nominatur, Valentiniano Auguſto 4. & Neoterio Conſulibus, tantùm adhuc Presbyter exiſtens, non niſi quatuor annis poſt prædictorum Conſulatum Epiſcopus ordinatus fuerit, vt patet apud Baronium an. 394. Verius eſt, librariorum vitio ordinē Conſulum inuerſum fuiſſe, vt loco Theodoſij Iunioris 11. & Valentiniani, qui poſt Caſtinum & Victorem, anno 2. Cæleſtini Papæ abſoluto, Conſulatum geſſerunt, poſuerint Conſules Valentinianum & Theodoſium, addiderintq; IV. tamquam notam numeri, quę deſignabat Theodoſium Iuniorem. Baronius loco citato.

CAP. I.

VT Trinitas & credatur, & prædicetur.

CAP. II.

Vt caſtitas à Sacerdotibus cuſtodiatur.

ITA placuit, & condecet, ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continētes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Diſt. 84. Cùm in præterito, & d. 31. Epiſcopos.

CAP. III.

Vt Chriſma à Presbyteris non fiat.

VT Chriſma & conſecratio puellarū, & reconciliatio pœnitentium, à Presbyteris non fiant. Cauſa 26. q. 9. Si iubet Sanctitas.

CAP. IV.

Vt Presbyter iuſſus ab Epiſcopo ſuo pœnitentem reconciliet.

PLACVIT vniuerſis Epiſcopis, vt Presbyter periclitantem pœnitentem, de præcepto Epiſcopi abſentis reconciliet. Cauſa 26. quæſt. 6. Aurelius Epiſcopus.

CAP. V.

De Diœceſibus.

PLACET, vt Diœceſes, quæ numquam Epiſcopos acceperunt, non habeant;

habeant; & illa Diœceſis, quæ aliquando habuit, habeat proprium Epiſcopum. Cauſa 8.q.1. Felix.

CAP. VI.

De his, qui non debent Clericos accuſare.

PLACET, vt qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem aduerſus maiores natu non habeat accuſandi.

CAP. VII.

Vt nemo excommunicatũ alterius ſuſcipiat.

PLACEAT, vt qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, ſi ab aliquo Epiſcopo, vel Presbytero, vel Clerico, fuerint in cõmunione ſuſcepti, etiã ipſe pari cum eis crimine teneatur obnoxius. Cauſa 11.q.3. Qui meritò.

CAP. VIII.

Vt ſi Preſbyter excommunicatus ſacrificauerit, anathematizetur.

2.q.7. Si Presbyter. PLACET, vt ſi Presbyter excommunicatus, aut correctus à ſuo Epiſcopo, ſacrificare præſumpſerit, anathematizetur.

CAP. IX.

Ne Preſbyter inconſulto Epiſcopo celebret.

QVISQVIS Presbyter, præſente & inconſulto Epiſcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.

CAP. X.

Quot debeant iudicare Sacerdotem.

PLACET, vt cauſa criminalis Epiſcopi à 12. Epiſcopis audiatur; cauſa Presbyteri, à ſex; cauſa verò Diaconi, à tribus cum proprio Epiſcopo. Cauſa 15. q.7. c. Felix, & 3.q.9. Suggero ſecundùm ſtatuta.

CAP. XI.

Vt nullus Parochiam alienam præſumat inuadere.

PLACET, ſecundùm diuinæ legis & ſancti Euangelij auctoritatem, vt nemo noſtrûm alienos limites transgrediatur.

CAP. XII.

Vt nullus ordinetur Epiſcopus, ſine conſultu Metropolitani.

1. Diſt. 1. Placet omnibus. PLACET omnibus, vt inconſulto Primate cuiuſlibet Prouinciæ, nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, in quocumque loco ſine eius præcepto Epiſcopum ordinare. Si autem neceſſitas fuerit, tres Epiſcopi, in quocumque loco ſint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Epiſcopum.

CAP. XIII.

Vt nemo contra ſubſcriptionem veniat.

GENEDIVS Epiſcopus Præſes Concilij dixit: Omnia ergo, quæ à veſtro cœtu ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri. Et qui contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit, ipſe ſe ab hoc cœtu ſeparabit. Et ſubſcripſerunt omnes.

CONC. CARTHAGINENSE

nomine Tertium, ordine temporis; inter ea verò, quæ poſt Nicænum extant, Secundum. Circa tempora SIRICII *Papæ. Probatum à* LEONE IV. *d.20. cap. De libellis.*

CONCILII huius celebrandi ratio, cauſa & neceſſitas quæ fuerit, conſtitutiones illius manifeſtè oſtendunt. ANNO DOMINI CCCXCVII Ex pluribus Carthaginenſibus Synodis diuerſo tempore celebratis, hanc, quæ ab antiquo Collectore tertia nominatur, collectam, adeoque non ſimpliciter vnam eſſe, Can. 19. 30. 47. & 48. euidenter arguunt: quod in Annotationibus eorumdem Canonum indicabimus.

De tempore verò, quo hæc Synodus celebrata eſt, ſciendum, quòd dum in ea dicitur, *Cæſario & Attico Conſulibus*, ſequitur, quòd anno Chriſti 397. qui eſt Siricij Pontificis tertius decimus, Arcadij & Honorij Imperatorum tertius, ea congregata fuerit. Confirmat hanc rationem temporum Canon 48. Cùm enim ex eo manifeſtum ſit, Siricium Pontificem adhuc vixiſſe: Ambroſio autem defuncto, Simplicianum in Mediolanenſi Eccleſia ſucceſſiſſe, non alio tempore, quàm prædicto anno Chriſti, & Conſulatu hæc Synodus haberi potuit. Nam anno præcedente Ambroſius adhuc in viuis fuit. Anni ſequentis

 initio

Digitized by Google

initio Siricius Romanæ Eccleſiæ Pontifex in viuis eſſe deſiit. Supereſt igitur, vt Kal. Septembribus celebrata, hoc anno, qui prædicta Conſulum nota eſt inſignitus, habita fuiſſe concedatur.

Sequuntur CAPITA CONCILII CARTHAGINENSIS III.

CAP. I.

Prouinciales Epiſcopi de Paſcha ſuum inquirant Primatem.

PLACVIT ergo in principio, propter errorem qui ſæpè ſolet oboriri, vt omnes Africanæ Prouinciæ Epiſcopi obſeruationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere.

CAP. II.

Per ſingulos annos Concilium fiat.

SIMILITER placuit, vt propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſępè veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis Concilium conuocetur. Ad quod omnes Prouinciæ, quæ primas ſedes habent, de Conciliis ſuis ternos Legatos mittant, vt & minùs inuidioſi minuſque hoſpitibus ſumptuoſi conuentus plena poſſit eſſe auctoritas. De Tripoli autem, propter inopiam Epiſcoporum, vnus Epiſcopus veniat.

CAP. III.

Epiſcopus priuſquam ordinetur, Canones agnoſcat.

Diſt. 38. Placuit. ITEM placuit, vt ordinandis Epiſcopis vel Clericis, priùs ab Ordinatoribus ſuis Decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra Statuta Concilij feciſſe aſſerant.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem ex ſuggeſtione S. Auguſtini editum fuiſſe, teſtatur Poſſidius in Vita eiuſdem, cap. 8. his verbis: *Vnde etiam ſategit, vt Concilius conſtitueretur Epiſcoporum, ab Ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda.* Idq; ideò ſollicitè curaſſe videtur, ne accideret aliis, quod ſibi contra Nicænum Canonem ignoranter ordinato accidiſſe dolebat. Baronius 395. num. 33.

CAP. IV.

Vt Leuitæ & Virgines ante 25. annos non conſecrentur.

ITEM placuit, vt ante viginti quinque annos ętatis nec Diaconi ordinentur, nec Virgines conſecrentur. Et vt Lectores populum non ſalutent. Diſt. 77. Placuit. & 20. q. 1. Placuit.

CAP. V.

Vt Sacramentum catechumenis non præbeatur.

ITEM placuit, vt etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.

ANNOTATIO.

SICVT Paſchalibus diebus de Eulogiis, aut fermentato pane communicare, Can. 14. Concilij Laodiceni fidelibus interdictum; contrà verò Sacramenta in Baptiſmate ſuſcepta vſurpare, permiſſum fuit; ita conſtituitur hîc, ne intra Paſchales dies catechumeni inferioris ordinis ad participandas Eulogias publicas, quę aliàs Sacramentum & Fermentum appellantur, admittantur: ſalis autem ſacramentum, quo exordio ſui Catechiſmi ad ſalutem conditi erant, accipere liceat. Vnde per Sacramentum hoc loco non Euchariſtia ſacra, de qua expreſſo nomine ſequenti Canone agitur; ſed quidquid myſticum eſt, & ſacrum ſignum, accipi debet.

CAP. VI.

Ne liceat mortuis Baptiſmum nec Euchariſtiam dare.

ITEM placuit, vt corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt enim à Domino: Accipite, & edite. Cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere. Cauendũ eſt etiam, ne mortuos baptizari poſſe, fratrum infirmitas credat, quibus nec Euchariſtiam dari licitum eſt.

CAP. VII.

Epiſcopus accuſatus vbi vel infra quod tempus examinetur.

AVRELIVS Epiſcopus dixit: Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad Primatem Prouinciæ ipſius cauſam 4. q. 1. Quiſquis.
deferat

deferat accuſator. Nec à communione ſuſpendatur, cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam Primatis literis euocatus, minimè occurrerit, hoc eſt, intra ſpatium menſis ex ea die, qua eum literas accepiſſe conſtiterit. Quòd ſi aliquas veras neceſſitatis cauſas probauerit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem, integram habeat facultatem. Verùm poſt menſem ſecundum tamdiu non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad Concilium Vniuerſale anniuerſarium occurrere voluerit, vt vel ibi cauſa eius terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe iudicetur. Tempore ſanè quo non communicat, nec in ſua plebe communicet. Accuſator autem eius ſi numquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, à communione non remoueatur. Si verò aliquando defuerit, ſubtrahens ſe, reſtituto in communionem Epiſcopo, ipſe remoueatur; ita tamen, vt nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere non noluiſſe, ſed nō potuiſſe, probauerit. Illud verò placuit, vt cùm agere cœperit in Epiſcoporum iudicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad accuſandum vel agendum non admittatur, niſi proprias cauſas, non tamen Eccléſiaſticas, dicere voluerit.

4.q.4. Illud verò placuit.

CAP. VIII.

De Preſbyteris & Diaconibus, quanti Epiſcopi eos audiant.

11. queſt. 6. Si autem Presbyteri vel.

SI autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id eſt, in Presbyteri nomine quinque, in Diaconi duobus, Epiſcopi ipſorũ cauſas diſcutiant, eadem dierum & dilationum, & à communione remotionum, & diſcuſſione perſonarum, inter accuſatores, & eos qui accuſantur, forma ſeruata. Reliquorum autem cauſas, etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat & finiat.

CAP. IX.

Clerici publica iudicia non appellent.

11. qu. 1. Placuit vt quiſquis Epiſcoporum.

ITEM placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cùm in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio ſæculari poſcit auxilium, cùm priuatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri atque ibi determinari præcipiat. 1. Cor. 6.

CAP. X.

Si ab Eccleſiaſticis Iudicibus ad maiores etiam Eccleſiaſticos prouocatum fuerit, non obeſſe prioribus, diuerſas ſententias proferentibus.

2. qu. 6. Placuit.

HOC etiam placuit, vt ſi à quibuſcumque Iudicibus Eccleſiaſticis ad alios Iudices Eccleſiaſticos, vbi eſt maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obſit, quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicaſſe, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauari. Sanè ſi ex cõſenſu partium Iudices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quàm conſtitutum eſt, non liceat prouocari.

2. q. 6. Sanè ſi ex.

CAP. XI.

Filij Clericorum ad ſpectacula non accedant.

VT filij Epiſcoporum, vel Clericorum, ſpectacula ſæcularia non exhibeant, ſed nec ſpectent; quandoquidem à ſpectaculo & omnes laici prohibeantur. Semper enim Chriſtianis omnibus hoc interdictum eſt, vt vbi blaſphemi ſunt, non accedant.

CAP. XII.

Clericorũ matrimoniis infideles non ſocietur.

ITEM placuit, vt filij vel filiæ Epiſcoporum, vel quorũlibet Clericorum, gentiـ

Digitized by Google

gentibus, vel hæreticis, aut ſchiſmaticis matrimonio non iungantur.

CAP. XIII.

Clerici de rebus ſuis nihil infidelibus conferant.

VT Epiſcopi, vel Clerici, in eos qui Catholici Chriſtiani non ſunt, etiam ſi conſanguinei fuerint, nec per donationes, nec per teſtamentum rerum ſuarum aliquid conferant.

CAP. XIV.

Clerici filios ſuos à ſua poteſtate exire non ſinãt, niſi ætate & moribus cõprobatos.

VT Epiſcopi, vel Clerici ſuos filios à ſua poteſtate per emancipationem exire non ſinant, niſi de moribus eorum fuerint & ætate ſecuri, vt poſſint ad eos iam propria pertinere peccata.

CAP. XV.

Clerici non ſint conductores, neque negotiatores.

21. queſt. 3. Placuit. ITEM placuit, vt Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici, non ſint conductores, neque procuratores, neq; vllo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant: quia reſpicere debeant,
2. Tim. 2. ſcriptum eſſe, *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

ANNOTATIO.

IDEM Can. 15. ſic in vetuſtis quibuſdam libris legitur: *Vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones non ſint conductores aut procuratores priuatorum, neque vllo negotio tali victum quærant, quo eos peregrinari, vel ab Eccleſiaſticis officiis auocari neceſſe ſit.*

CAP. XVI.

Clerici non ſint vſurarij.

14. q. 4. Nullus Clericorũ. VT nullus Clericorum amplius recipiat, quàm cuiquam accommodauerit: ſi pecuniam accipiat, ſpeciem eamdem, quantam dederit, accipiat; & quidquid aliud tantum, quantum dederit, accipiat.

CAP. XVII.

Cum Clericis extraneæ feminæ non cohabitent.

Diſt. 81. Cum omnibus. VT cum omnibus omnino Clericis extraneæ feminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, auiæ, materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum, & quæcumque ex familia, domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant: vel ſi filij eorum, iam ordinatis parentibus, vxores acceperint, aut ſeruis non habentibus in domo, quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit.

CAP. XVIII.

Clerici non ordinentur, niſi omnes, qui cum eis ſunt, fideles exiſtant.

VT Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priuſquam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint. Concil. Afric. cap. 3.

CAP. XIX.

Clerici cùm ad pubertatem venerint, aut coniugium, aut caſtitatem profiteantur.

PLACVIT, vt Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. D. 32. Lectores cùm ad.

CAP. XX.

Plebes alienas alius Epiſcopus non vſurpet.

PLACVIT, vt à nullo Epiſcopo vſurpentur plebes alienæ, nec aliquis Epiſcoporum ſupergrediatur in Diœceſi ſuum collegam. 7. q. 1. Placuit, vt à nullo.

CAP. XXI.

Nullus Epiſcopus alienum Clericum audeat retinere, vel ordinare.

VT Clericum alienum, niſi concedente eius Epiſcopo, nemo audeat vel retinere vel promouere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nomen, etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarij retinent. D. 71. Clericum alienum.

CAP. XXII.

Nullus Clericus ordinetur, niſi fuerit probabilis.

VT nullus ordinetur Clericus, niſi probatus vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. Diſt. 24. Nullus Clericorũ.

CAP. XXIII.

De Precibus & Orationibus.

VT nemo in Precibus, vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cùm altari aſſiſtitur, ſemper ad

ad Patrem dirigatur Oratio. Et quicumque ſibi preces aliunde deſcribit, non eis vtatur, niſi priùs eas cum inſtructioribus fratribus contulerit.

Cap. XXIV.

In Sacrificio tantùm panis & calix offeratur.

Conc. Afr. c.4. de Cõſecr. d.2. In Sacramento.

VT in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quàm de vuis & frumentis.

Annotatio.

HOC cap. 24. in vetuſtis codicibus ita habetur: ***Vt in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò, ſeu mel & lac, quod vno die ſolemniſſimè pro infantis myſterio ſolet offerri, quamuis in Altari offeratur, ſuam tamen habent propriam benedictionem, vt à Sacramento Dominici Corporis aut Sanguinis diſtinguantur, nec amplius de primitiis offeratur, quàm de vuis & frumentis.***

Cap. XXV.

Ne Clerici, vel continentes, ad viduas vel virgines ſoli habeant acceſſum.

Conc. Afr. c.5. d.81. Clerici, vel cont.

VT Clerici, vel continentes, ad viduas vel virgines, niſi iuſſu vel permiſſu Epiſcoporum, aut Presbyterorum, non accedant. Et hoc non ſoli faciant, ſed cum Clericis, vel cum his, cum quibus Epiſcopus iuſſerit vel Presbyter. Nec ipſi Epiſcopi aut Presbyteri ſoli habeant acceſſum ad huiuſmodi feminas, niſi aut Clerici præſentes ſint, aut graues aliqui Chriſtiani.

Cap. XXVI.

Primæ Sedis Epiſcopus, Princeps Sacerdotum non appelletur.

VT primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm Primæ Sedis Epiſcopus.

Annotatio.

CVM hoc Concilium Nationale fuerit, non Vniuerſæ, ſed tantùm Africanæ Eccleſiæ leges tuliſſe potuit. Itaque hoc Canone non prohibuit, neque potuit prohibere, ne Romanus Pontifex diceretur Sacerdotum Princeps, vel Summus Sacerdos; ſed tantùm ne ita appellaretur vllus Metropolitanus Africæ. Ita Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 8. ad 9. Optima reſponſio eſt Baronij hæc; quòd ſicut Chriſtus Matth. 20. his verbis, ***Reges gentium dominantur eorum***, &c. ***non ſic erit inter vos***, &c. Eccleſiaſticam Hierarchiam nequaquam confundere; ſed mẽtis dumtaxat tumorem curare, & Prę̨ſidum ſuperbiam amputare voluit; ita Africana Eccleſia inter communia Epiſcoporum nomina ea reſpui mandauit, quæ ſuperbiam & arrogantiam, Chriſtiana Prę̨fectura indignã, præ ſe ferebant, qualia nomina erant, Princeps Sacerdotum, & Summus Sacerdos: nomen autem Primatis, quo Metropolitanus Carthaginenſis Mauritaniæ & Numidiæ appellabantur, quantumuis maius eſſet, retineri voluit, quia vox illa minùs faſtuoſa videretur. His itaq; nominibus interdictis, non poteſtatis aut decentis tituli quidquam ſublatum voluit; ſed nominum dumtaxat arrogantiam eliminatam optauit. Fuiſſe autem hoc tempore communi vſu in Eccleſia receptum, vt omnes Epiſcopi Summi Pontifices & Summi Sacerdotes dicerentur, ideò quòd Epiſcopatus ſummum Sacerdotium eſſet; item vt Metropolitani multis Epiſcopis præſidentes, Principes Epiſcoporum appellarentur, ex Epiſtolis Ambroſij ad Felicem, Zozimi Papæ ad Heſychium, Gelaſij ad Epiſcopos Lucaniæ, ex Can. 3. Concilij Aurelianenſis I. Can. 6. Concilij Agathenſis probat Baronius in Notis Martyrol. die 19. April. item anno 317. num. 50. Ea quæ diſtinct. 99. in Decreto Gratiani ſubiiciuntur, his verbis: ***Vniuerſalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur***, ſunt Gratiani. Quod ſchola imperitorum Centuriatorum ignorans, Canonem hunc magno præconio extulit; quaſi Africana Eccleſia inferior, ſuperiori Romanæ leges præſcribere potuerit, & non potiùs eidem obtemperare debuerit. Siricium epiſtola ad Africanos ſcripta, ſub pœnã excommunicationis, decreta Romani Concilij obſeruari præcepiſſe certum eſt; Africanam Romanæ ſimile quid prę̨ſcripſiſſe, hactenus nondum probatum fuit. Vide Baronium anno prædicto, num. 48.

Cap. XXVII.

Vt Clerici tabernas non ingrediantur.

VT Clerici edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. D.44. Clerici.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

Quòd Epiſcopus ſine licentia non debet peregrinari.

ITEM placuit vt Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo, ſiue cuiuſcumque Prouinciæ Primate, vt ab Epiſcopo præcipuè poſſint ſumere Formatam, vel commendationem.

CAP. XXIX.

Vt Miſſa à ieiunis celebretur.

VT Sacramenta Altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo Cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore, defunctorum ſiue Epiſcoporum, ſeu Clericorum, ſiue ceterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, iam pranſi inueniantur.

CAP. XXX.

Vt nullus in Eccleſia conuinetur.

D.49.q.1. Nulli Epiſcopi. VT nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſia conuiuentur, niſi fortè tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiuſmodi conuiuiis, quantum fieri poteſt, prohibeantur.

CAP. XXXI.

De pœnitentia, quomodo danda ſit pœnitentibus.

26.qu.7. Pœnitentibus. VT pœnitentibus ſecundùm peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernãtur.

CAP. XXXII.

De modo reconciliandi pœnitentes.

26. qu. 9. Presbyter. VT Presbyteri, inconſulto Epiſcopo, non reconcilient pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cuiuſcumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt; quod vniuerſam Eccleſiam commouerit, antè ob fidem manus eis imponatur.

CAP. XXXIII.

De cuſtodia ſacrarum Virginum.

26.q.6. VT Virgines ſacræ, ſi parentibus, à quibus cuſtodiebantur, priuatæ fuerint, Epiſcopi prouidentia, vel Presbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, in Monaſterio Virginum vel grauioribus feminis commendentur, vt ſimul habitantes, inuicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagantes Eccleſiæ lędant opinionẽ.

CAP. XXXIV.

De baptizandis ægrotis.

VT ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt. De Cõſec. diſt. 4 Aegrotantes.

CAP. XXXV.

Ne hiſtrionibus cõuerſis pœnitẽtia negetur.

VT ſcenicis atque hiſtrionibus, ceteriſque huiuſmodi perſonis, vel apoſtaticis conuerſis, vel reuerſis ad dominum, gratia vel reconciliatio non negetur. De Cõſec. d. 2. Scenicis.

CAP. XXXVI.

Vt Presbyter Chriſma non conficiat.

VT Presbyter, inconſulto Epiſcopo Virgines non conſacret, Chriſma verò numquam conficiat. 26. qu. 6. Presbyter inconſulto Epiſcopo.

CAP. XXXVII.

Ne Clerici in aliena ciuitate immorentur.

VT Clerici in aliena ciuitate non immorentur, niſi cauſas eorum iuſtas Epiſcopi loci, vel Presbyteri locorum peruiderint.

CAP. XXXVIII.

Vt non liceat fieri tranſlationes Epiſcoporum.

PLACVIT, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, quòd non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum. De Cõſec. d. 4 Nõ licet fieri.

CAP. XXXIX.

Vt non præſumant duo Epiſcopi ordinare Pontificem.

VT non minùs quàm tres Epiſcopi, qui fuerint Metropolitano directi, ſufficiant ad Epiſcopum ordinandum.

CAP. XL.

De electione Epiſcopi, ſi contradictores habeat.

DVM Epiſcopus eligitur, ſi contradictores habeat, quinque Sacerdotes conueniant. D. 23. Illud ſtatuendum eſt.

CAP.

CAP. XLI.

De Epiſcopis conuenientibus ad Concilium.

VT per ſingulos annos conuenientes Epiſcopi ad Concilium, etiam de Paſchali ſolemnitate à Primate ſuo informentur.

CAP. XLII.

16. q. 1. Multis Conciliis. VT non accipiat alienum Epiſcopum plebs, quæ in Diœceſi ſemper ſubiacuit.

CAP. XLIII.

VT qui plebe ſua contempta, ad Concilium venire detrectant, & plebem & honorem amittant.

CAP. XLIV.

VT Clericum alienum nullum ſibi præripiat Epiſcopus, præter eius arbitrium, cuius fuerit Clericus.

CAP. XLV.

VT Epiſcopus, qui plures habet Clericos, ei qui eget, ad ordinandum* poſtulatus, largiatur.

CAP. XLVI.

VT Epiſcopus in Diœceſi factus, ſolùm etiam plebem teneat, qua extitit ordinatus.

CVP. XLVII.

Vt præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur.

ITEM placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ieſu Naue, Iudicũ, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob vnus, Pſalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Eſther, Eſdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Noui autem Teſtamenti viginti ſeptem: Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apoſtolorum liber vnus, Pauli Epiſtolæ tredecim, eiuſdem ad Hebræos vna, Petri Apoſtoli duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iudæ Apoſtoli vna, & Iacobi vna, Apocalypſis Ioannis liber vnus, qui ſunt viginti ſeptem. Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis, pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda. Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem alterius cuiuſdã Concilij Carthaginenſis, Bonifacij tempore habiti, eſſe, verba ipſius Canonis infrà in fine poſita, manifeſtè declarant. Veriſſimum itaq; eſt id, quod ſuprà notauimus, hac Synodo Canones aliarum plurium Synodorum coagmentatos fuiſſe, adeoq; non ſimpliciter vnum Concilium eſſe. Quòd auctoritate huius Canonis libri Tobiæ, Iudith, Baruch, Sapientiæ, &c. in numerum Sacrorum librorum referantur, & Apocryphorum numero eximantur, Laodiceni Concilij Canoni vltimo nihil obſtat aut repugnat. Hoc enim eos dumtaxat, de quibus nulla in Eccleſia dubitatio erat, in Canonem retulit; ceteros verò, de quibus dubitabatur, omiſit. Et ſicut deinceps auctoritate Nicæni Concilij liber Iudith in Canonem receptus fuit, ita poſt aliquot tempora Patres Concilij Carthaginenſis reliquos, de quibus anteà dubitabatur, re magis diſcuſſa, in numerum Sacrorum librorum retulerunt; quodque hactenus de eorumdem auctoritate controuerſum fuerat, definiuerunt. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 8. ad 10.

CAP. XLVIII.

De baptizatis à Donatiſtis.

DE Donatiſtis placuit, vt conſulamus fratres & conſacerdotes noſtros, Siricium & Simplicianum, de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eoſdem; ne quod ſuo non fecerunt iudicio, cùm ad Eccleſiam Dei ſalubri propoſito fuerint conuerſi, parentum illos error impediat, ne prouehantur ſacri Altaris miniſtri, &c. Afr. 15. 1. q. 4. Placuit, vt de infantibus.

ANNOTATIO.

IN Oriente ſimul & Occidente, temporis vſu peſſima illa conſuetudo inoleuerat, qua fideles quamplurimi vſque ad prouectiorem ætatem Baptiſmum differrent, vt conſtat ex Ambroſio Serm. de Sanctis. Hanc in Occidente Ambroſius, in Oriente Baſilius,

Digitized by Google

lius, Gregorius Nazianzenus & Nyſſenus extirpare & euellere plurimùm conati fuerunt, vt conſtat ex ipſorum Orationibus de Baptiſmo editis. Quapropter de baptizatis in infantia, de his quæ ambigua videbantur, ad Siricium Papam, & Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum Ambroſij ſucceſſorem, hanc Conſultationem miſerunt. Ad illum quidem, quòd ſcirent, eum Eccleſiæ Catholicæ præſidere Epiſcopum atque Doctorem: ad hunc autem, ob egregiam, totoque orbe ſpectatam ſcientiam. Ceterùm Simplicianus benè conſcius, quantus Doctor eſſet in Africa Auguſtinus, datis ad eum literis de quibuſdam perdifficilibus diuinæ Scripturæ quæſtionibus, eumdem pulſat, & duorum librorum ſcriptionem ad ſe miſſorum ab eodem extorquet. Hinc probauimus ſuprà, Ambroſium huius Concilij tempore defunctum, atque adeò præallegatis Conſulibus hanc Synodum celebratam eſſe. Vide Baronium anno 397. num. 25. & 55.

Cap. XLIX.

De his, qui poſiti in Eccleſiaſtico gradu aliquid acquirunt.

12. q. 3. Placuit, vt Epiſcopi.

PLACVIT, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus vel Clericatus ſui agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquam rerum diuinarum inuaſionis crimine teneantur obnoxij, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel ſucceſſione cognationis venerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit. Quòd ſi à ſuo propoſito retrorſum exorbitauerint, honore Eccleſiaſtico indigni, tamquam reprobi iudicentur.

Annotatio.

MEMORIA dignum eſt, quod à Patribus hoc Canone ſancitum fuit: nimirum, vt quæ Epiſcopus aut Clericus ex paupere ditior factus ex bonis Eccleſiæ emiſſet, eadem Eccleſiæ cederent, eidemque illa in quemlibet quouis titulo transferendi facultas non eſſet. Occaſio ſanciendi hoc, fuit: Cùm reddita pace, Eccleſia vbique bonis affiueret, complures ex ijs, qui eidem miniſtrabant, pietatem in quæſtum conuertentes, ſtudio ſanctitatis & cura pauperum abiectis, diuitias colligendi ardore dumtaxat flagrabant. De quibus hæc Hieronymus ep. 2. ad Nepotianum: *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quàm fuerant ſæculares, & Clerici, qui poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerunt: vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Et paulò pòſt: *Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quamdam peſtem fuge.* Cùm itaque hæc, vt ait S. Hieronymus, Eccleſia ingemiſceret, optimè à ſanctis Patribus huius Canonis ſanctione ſtatutum eſt, vt Eccleſia ipſa ſibi vendicet, quæ Clericus ex rebus Eccleſiæ bona quæſiuit. Baronius num. 53.

Cap. L.

Vt geſta Concilij confirmentur.

AVRELIVS Epiſcopus dixit: Quoniam igitur vniuerſa arbitror fuiſſe tractata, ſi omnia cum animo veſtro conuenerunt, ſermone veſtro cuncta roborate. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Omnibus hæc placuerunt, & hac noſtra ſubſcriptione firmamus. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & relecto ſubſcripſi. Epigonius Epiſcopus Bullenſis Regien. ſubſcripſi. Auguſtinus Epiſcopus plebis Hippone ſubſcripſi. Similiter & omnes Epiſcopi quadraginta quatuor ſubſcripſerunt.

CAPITVLA *numero quinque ex* GRATIANO *& alijs deſumpta, quæ ſcribuntur eſſe vel alicuius Concilij Carthaginenſis, vel Africani: verumtamen non ſatis certum eſt, an ſint Concilij Primi, vel Secundi, vel Tertij,* &c.

Primvm.

Non eſt aliquid exigendum ab his, qui infantes ſuos ad baptizandum adducunt.

PLACVIT, vt vnuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc faciat, vt hi qui infantes ſuos ad Baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo voto offerunt, ab eis ſuſcipiatur. Si verò per neceſſitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant, nullum eis pignus violenter trahatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos à Baptiſmo retrahunt. Quidam verò, dum

1. q. 1. Placuit, vt vnuſquiſque.

Digitized by Google

dum differuntur, ſi ſine gratia Baptiſmi de hac vita receſſerint, neceſſe eſt, vt ab illis eorum perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes, à Baptiſmi gratia ſe ſubtraxerunt.

SECVNDVM.

Eccleſiaſticarum rerum precariæ qualiter fieri debeant.

10. q. 2. De precariis. DE precariis, quæ à rectoribus Eccleſiarum irrationabiliter fiebant, ſuoſque ſucceſſores pœna graui obligabant, vt facta ipſorum nequiuiſſent diſſoluere, præcipimus, vt nemo ſucceſſor in anteceſſoris ſui pœna ſit obligatus, ſed ſuæ prouidentiæ ſit conceſſum, vt ſi anteceſſor eius res Eccleſiæ irrationabiliter diſtribuit, ab eo ad ius Eccleſiæ eiuſdem reuocentur.

TERTIVM.

De his, qui Clericũ falſo crimine impetunt.

2. q. 1. Si quis Epiſcopum. SI QVIS Epiſcopum, aut Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, niſi in fine dandam ei communionem.

QVARTVM.

De Clericis ſcurris. Ex Cod. ſexdecim librorum, lib. 2. c. 30.

SI QVIS Clericus aut Monachus verba ſcurrilia, ioculatoria, riſumq́; mouentia loquitur, acerrimè corripiatur.

QVINTVM.

De præuaricatoribus diuinarum legum. Ex eod. Cod. lib. 15. cap. 4.

VT laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici honore priuentur.

CANONES CONCILII CARTHAGIN. *habiti ſub die Iduum Auguſtarum, circa tempora* SIRICII *Papæ,* ATTICO *&* CAESARIO *Conſulibus, & epiſtola* AVRELII *&* MVZONII *ad Epiſcopos.*

DILECTISSIMIS fratribus & Coëpiſcopis, &c. Aurelius, Muzonius, &c. Eccleſiaſticæ vtilitatis cauſa dum in Carthaginenſi vrbe conueniremus in vnum, à pleriſque ſuggeſtum eſt, ea quæ in Concilio Hipponenſi iamdudum maturata ſunt, & legitimè ad corrigendam diſciplinam ſalubriter geſta & ſtatuta noſcuntur, effrenata temeritate quoſdam minimè cuſtodire. Ad huiuſmodi verò excuſandos exceſſus, illud ab aliquibus prætendi, quòd ea quæ iamdudum legibus ſtatuta ſunt, ignorantes prætermiſerint. Ob quam rem hæc communi Concilio per vniuerſam Prouinciam Byzacenam, in notitiam cunctis deducenda cenſuimus, vt in his quiſquis de cetero temerator extiterit, ſciat, ſe ſtatus ſui operatum fuiſſe iacturam. Breuem verò ſtatutorum (in quo omnia videntur eſſe complexa, & quædam diligentiùs cuſtodita) huic epiſtolæ ſubdi fecimus, vt compendio, quæ decreta ſunt, recenſentes, ſolicitiùs obſeruare curemus. Optamus vos, fratres, in Deo ſemper benè valere, &c.

STATVTA CONCILII HIPPONENSIS *breuiata, & quædam eorum in Concilio Carthaginenſi cum Byzacenis Epiſcopis collata, & diligentiùs pertractata hæc ſunt.*

NICÆNI Concilij Profeſſio fidei hic relinquitur, quia poteſt videri ſuprà in Concilio Nicæno.

Sequuntur Abbreuiationes CONCILII HIPPONENSIS *facta in Concilio Carthaginenſi* III.

1. PLACVIT etiam propter errorem, qui ſæpè ſolet oboriri, vt omnes Africanæ Prouinciæ obſeruationem diei Paſchalis ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere. In Carthag. c. 1.
2. Vt Lectores populum non ſalutent. Cap. 2.
3. Vt Clerici inſtructi promoueantur. Cap. 3.
4. Vt Sacramenta catechumenis non dentur. Cap. 4.
5. Vt corporibus defunctis Euchariſtia non detur. Cap. 5.
6. Vt per ſingulos annos Concilium conuocetur. Cap. 6.
7. Si Epiſcopus accuſatus fuerit, ad Primatem Prouinciæ cauſam ſuam referat. Cap. 7.

8. Epi-

Digitized by Google

Cap. 8. 8. Epiſcopus accuſatus, ſi ad Concilium anniuerſarium non venerit, ſententiam damnationis ſuæ tuliſſe iudicetur.

Cap. 9. 9. Presbyter, ſi accuſatus fuerit, cum quinque collegis ex vicinis Epiſco-

Cap. 10. 10. pis, cauſa ſua diſcutiatur; Diaconus cum duobus.

Cap. 11. 11. Epiſcopo aut Clerico ſi fuerit crimen inſtitutum.

Cap. 12. 12. Vt Iudices Eccleſiaſtici ad alios Iudices cauſam non prouocent.

Cap. 13. 13. Vt filij Clericorum ſpectacula non exhibeant.

Cap. 14. 14. Vt filij Epiſcoporum hæreticis non coniungantur.

Cap. 15. 15. Vt Epiſcopi & Clerici filios ſuos non eijciant.

Cap. 16. 16. Vt Epiſcopi & Clerici nihil conferant rerum ſuarum, niſi Catholicis.

Cap. 17. 17. Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus non ſint conductores.

Cap. 18. 18. Vt Clerici cum extraneis feminis non habitent.

Cap. 19. 19. De ſacris gradibus.

Cap. 20. 20. De Lectoribus.

Cap. 21. 21. Vt Clericum alienum nemo retineat.

Cap. 22. 22. Vt Clericus non ordinetur, antequam probatus ſit.

Cap. 23. 23. Vt in Precibus nec Pater pro Filio, nec Filius pro Patre nominetur.

Cap. 24. 24. Vt nullus Clericus amplius accipiat quàm dedit.

Cap. 25. 25. In Sacramentis aliud non offeratur, quàm panis & vinum aquâ mixtum.

Cap. 26. 26. Vt Epiſcopi, Presbyteri, aut Clerici, ad viduas vel virgines ſoli non accedant.

Cap. 27. 27. Vt primæ Sedis Epiſcopus Princeps Sacerdotum non appelletur.

Cap. 28. 28. Clerici in tabernis nec manducent nec bibant.

Cap. 29. 29. Vt Epiſcopus trans mare non proficiſcatur.

Cap. 30. 30. Vt à ieiunis Altaris Sacramenta celebrentur.

Cap. 31. 31. Vt in Eccleſia neque Epiſcopus vel Clerici conuiuentur.

32. Vt Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem. Cap. 32.

33. Vt virgines grauioribus feminis commendentur. Cap. 33.

34. Vt ægrotantes baptizentur. Cap. 34.

35. Vt reuerſis recõciliatio non negetur. Cap. 35.

36. Vt Presbyter Chriſma non conficiat. Cap. 36.

37. Vt in aliena ciuitate Clerici non morentur. Cap. 37.

38. Scripturæ Canonicæ in Eccleſia legendæ, quæ ſint, & præter quas aliæ non legantur. Cap. 38.

39. Vt Epiſcopus minùs quàm à tribus Epiſcopis non ordinetur. Cap. 39.

40. De his, qui in nullo teſtimonio ſe baptizatos nouerunt, vt baptizentur. Cap. 40.

41. Vt Donatiſtæ in numero laicorum recipiantur. Cap. 41.

CONC. CARTHAGINENSE

nomine & temporis ordine Quartum, habitum ab Epiſcopis 214. Æra 436. ſub ANASTASIO, *qui hoc anno Pontificatum iniuit, & eſt Prouinciale, probatum à* LEONE III.

CONCILIVM celebrandi occaſio hæc fuit: Gildone tyranno, qui Africam turbabat, ſublato, cunctiſque iam pacatis, copioſo Epiſcoporum numero ad ſacra Comitia Carthagine celebranda, facultas conceſſa fuit. In his ſumma diligentia de Eccleſiaſtica diſciplina in integrum reſtituenda laborarunt. Primò ea quæ Epiſcopos, deinde quæ inferioris ordinis Clericos concernunt, conſilio ſaluberrimo inſtituerunt, vel potiùs reſtituerunt; adeò vt hoc Concilium Eccleſiaſticæ diſciplinæ ad priſtinam conſuetudinem reuocatæ, quaſi promptuarium ſemper meritoque apud poſteros habitum fuerit. Centum & quatuor Canones edidit: horum pauci contra nouas Origeniſtarum hæreſes emergentes, nouiter conſtituti fuerunt: potiſſima pars diſciplinam Eccleſiaſticam antiquitus traditam, receptam, & obſeruatam, Africanis motibus pauliſper laxatam, in priſtinam

ANNO DOMINI CCCXCVIII

Digitized by Google

ſtinam conſuetudinem reuocat. In titulo Can. 17. diſt. 93. apud Anſelmum additum fuiſſe reperitur, quòd Zoſimus Papa huic per Vicarios interfuerit. Verùm Acta Concilij Carthaginenſis VI. huic ſententiæ omnino repugnant: nam c. 2. & 3. eiuſdem Concilij conſtat, quòd Zoſimus Papa Fauſtinum Potentinæ Eccleſiæ Epiſcopum, Philippum & Aſellum Legatos miſerit: Cùm itaque inter hanc & illam Sextam, viginti circiter annorum interuallum ſit, Zoſimus verò in Sede Pontificia biennio non ſederit; nequaquam id, quod apud Anſelmum in titulo prędicti Canonis ſuperadditum eſt, ſuſtineri poteſt. Hæc ex Baronio, anno 398. num. 67.

ANNOTATIO.

CIRCA id verò quòd dicitur, *Aera 436.* animaduertendum, quòd ſi ab ea viginti annos ſuſtuleris, remanent trecenti nonaginta octo anni, in quem Conſulatus quartus Honorij & Eutychiani coincidit. Veriſſima itaque eſt ſupputatio Baronij, aſſerentis, hanc Synodum celebratam fuiſſe anno Chriſti 398. Arcadij & Honorij Imperatorum quarto, Anaſtaſij primo. Prędictis Conſulibus hoc Concilium coactum fuiſſe, ipſa Acta Synodalia in principio manifeſtè indicant. Menſe Nouembri, adeóq; poſt illud, quod appellatur Carthaginenſe V. hác Synodum celebratam fuiſſe, eorumdem Actorum initium teſtatur; ita enim exordiuntur: *Augusto Honorio quartùm & Eutychiano Cõſulibus, ſexto Idus Nouembris.* Cùm igitur Synodus Carthaginẽſis Quinta nomine, iiſdem Conſulibus in Maio iam antè verè congregata fuerit; dubium eſſe nequit, hanc illa temporis ordine poſteriorem: atque adeò illam tertio, hanc quarto temporis ordine celebratam eſſe.

CAP. I.

Qualiter Epiſcopi debeant ordinari.

D. 23. Qui Epiſcopus. QVI Epiſcopus ordinandus eſt, anteà examinetur, ſi naturâ ſit prudens, ſi docilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis cauens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in Scripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus exercitatus: & ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctũ, &c. Quærendum etiam ab eo, ſi noui & veteris Teſtamenti, id eſt Legis, & Prophetarum, & Apoſtolorum, vnum eumdemq; credat auctorem & Deum. Si diabolus non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus.

ANNOTATIO.

ORIGENISTARVM, Cæleſtij, aliorumque hæreticorum nouæ aut ſaltem reſuſcitatæ hæreſes, huic conſtitutioni, qua Epiſcopi recèns ordinandi præuio examine fidem profiteri iubentur, cauſam dederunt: ideò quòd qui ad alios docendos deliguntur, probatæ ſpectatæq; ſcientię eſſe deberent. Hunc priſtinum morem à Clemente VIII. in Eccleſia reſtitutum eſſe, & à Paulo V. vſque ad hæc noſtra tempora continuatum, eoſq; qui ordinandi ſunt Epiſcopi, vnà cum aliquot delectis ad hoc Cardinalibus, adhibitis ſimul, qui in Vrbe ſunt, doctiſſimis Theologis, & Canonici Iuris conſultiſſimis, diligenti atque improuiſo examine probari: atque ita nunc non niſi benè diſerto ad Epiſcopatum patere, ſcribit Baronius anno 398. num. 69. & nos in Pontificatu Pauli Quinti idem perſpeximus.

CAP. II.

Qualiter conſecrentur Epiſcopi.

EPISCOPVS cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput & ceruicem eius, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tãgant. D. 23. Epiſcopus dũ ordinatur.

CAP. III.

Qualiter Presbyteri ordinentur.

PRESBYTER cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, manum ſuper caput eius tenẽte, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. Ibid. Presbyter.

CAP. IV.

Quomodo Diaconi conſtituantur.

DIACONVS cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat: quia non Ibidem Diaconus.

ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

CAP. V.

Quomodo Subdiaconi ordinentur.

Ibid. Subdiaconus.

SVBDIACONVS cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi, vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.

CAP. VI.

Qualiter Acolythi ordinentur.

Ibid. Acolythus.

ACOLYTHVS cùm ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat ceriferarium cum cereo, vt ſciat, ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & vrceolum vacuum, ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti.

CAP. VII.

Qualiter Exorciſtæ conſtituantur.

Ibid. Exorciſta.

EXORCISTA, cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum.

CAP. VIII.

Qualiter Lectores fiant.

Ibid. Lector.

LECTOR cùm ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans eius fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſt hæc, ſpectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto Lector verbi Dei, habiturus, ſi fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum eis qui verbum Dei miniſtrauerunt.

CAP. IX.

Qualiter Oſtiarij ordinentur.

Ibidem. Oſtiarius.

OSTIARIVS cùm ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat cõuerſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi, tradat ei Epiſcopus claues Eccleſiæ de Altario, dicens: Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.

CAP. X.

Qualiter Pſalmiſtæ.

PSALMISTA, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola iuſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero: Vide, vt quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes. Ibidem. Pſalmiſta.

CAP. XI.

Qualiter Virgines Sanctimoniales.

SANCTIMONIALIS Virgo, cùm ad conſecrationem ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Ibidem. Sanctimoniales.

CAP. XII.

Qualiter viduæ ad Baptiſterium ordinentur.

VIDVAE, vel Sanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructę ſint ad officium, vt poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tẽpore quo baptizãdæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpõdeant, & qualiter accepto Baptiſmate viuant.

CAP. XIII.

Qualiter ſponſi & ſponſæ benedicantur.

SPONSVS & ſponſa, cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis vel paranymphis offerantur. Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reuerentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant. Diſt. 23. & 30. q. 5. Sponſus.

ANNOTATIO.

QVOD inquit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino:* hoc idẽ hac ſanctione conſtituitur. In Domino enim nubere, nihil aliud eſt, quàm ſecundùm leges & ritus Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis traditos matrimonium contrahere. Ritus ab Apoſtolis inſtituti, ab vniuerſa Eccleſia recepti, hi ſunt potiſſimi: Primus, Vt contrahatur in præſentia Sacerdotis. *Decet verò,* inquit Ignatius epiſtola 2. ad Polycarpum, *vt & ducentes vxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio coniungantur; vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiſcentiam*

coiſſe

Digitized by Google

coiiſſe videantur. Secundus, Vt per Sacerdotes in Eccleſia proclamentur. Tertius, Vt in confœderatione matrimonij Sacrificium Miſſæ offeratur. Quartus, Vt à paranymphis ad Eccleſiam ducantur. Quintus, Vt contrahentes matrimonium, Euchariſtiam percipiant, eorumdemq; manus, interuentu oſculi & velationis coniungantur. De quibus poſt Euariſtum in epiſt. ſua hæc Tertullianus ad vxorem lib. 2. in fine: *Vnde ſufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio* (Miſſæ Sacrificium) *& obſignatum angeli* (id eſt Sacerdotes) *renuntiant.* Item de Velat. Virg. cap. 11. in fine: *Ad deſponſationem velantur; quia & corpore & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt, per oſculum & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritu*, &c. Quo autem loco à Chriſtianis occultæ nuptiæ haberentur, idem Tertullianus lib. de Pudicit. declarat his verbis: *Penes nos occultæ quoque coniunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Ex his videas, non eſſe nouum, quod à S. Tridentino Concilio ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 1. eſt nuper potiùs reſtitutum, quàm inſtitutum, vt nec ſine explorato per Parochum partium conſenſu, nec clandeſtinè; ſed in facie Eccleſiæ ſacra nuptiarum fœdera contrahantur. Vide Baronium Tom. 1. an. 57. num. 47. 48. 49. & 50.

CAP. XIV.

De cellula Sacerdotis.

VT Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat. (D. 41. Epiſcopus vilem.)

CAP. XV.

De victu & habitu Epiſcopi.

VT Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem, fide & vitæ meritis quærat. (Ibidem.)

CAP. XVI.

Vt Epiſcopus libros Gentilium non legat.

VT Epiſcopus Gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore. (D. 37. Epiſcopus Gentilium.)

CAP. XVII.

Vt Epiſcopus indigentium curam per Preſbyteros agat.

VT Epiſcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum non per ſeipſum, ſed per Archipreſbyterum aut Archidiaconum agat. (D. 88. Epiſcopus. 14. q. 1. Epiſcopus.)

CAP. XVIII.

VT Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat. (D. 88. Epiſcopus nullam rei.)

CAP. XIX.

Vt Epiſcopus pro rebus ſæcularibus non litiget.

VT Epiſcopus prouocatus pro rebus tranſitoriis non litiget. (D. 18. Epiſcopus ad Synodum.)

CAP. XX.

Vt Epiſcopus tantùm diuinis vacet.

VT Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet, ſed vt lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet. (D. 24. Epiſcopus ſine.)

CAP. XXI.

Vt Epiſcopus ægrotans pro ſe Legatum ad Synodum mittat.

VT Epiſcopus ad Synodum ire non tardet, ſi non ſine ſatis graui neceſſitate inhibeatur, ſic tamen, vt in ſua perſona Legatum mittat, ſuſcepturus, ſalua fidei veritate, quidquid Synodus ſtatuerit.

CAP. XXII.

Ne Epiſcopus Clericos inſtituat ſine teſtimonio plebis.

VT Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita vt ciuium aſſenſum, & conuenientiam, & teſtimonium quærat.

CAP. XXIII.

Vt Epiſcopus cauſas audiat, præſentibus Clericis.

VT Epiſcopus nullius cauſam audiat, abſque præſentia Clericorum ſuorum, alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur. (15. qu. 7. Nullius cauſa.)

CAP. XXIV.

Vt nemo diſcedat, quando Epiſcopus verbum facit.

SACERDOTE verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. (De Cõſec. d. 1. Sacerdote.)

Digitized by Google

Cap. XXV.

De diſcordantibus Epiſcopis.

D.95. Diſſidentes. DISSIDENTES Epiſcopos, ſi non timor Dei, Synodus reconciliet.

Cap. XXVI.

Vt Epiſcopus diſſidentes concordare compellat.

Ibidem. Studendũ eſt. STVDENDVM eſt Epiſcopis, vt diſſidentes fratres, ſiue Clericos, ſiue laicos, ad pacem magis quàm ad iudicium cohortentur.

Cap. XXVII.

De Epiſcopo non transferendo.

7.q.1.Epiſcopus de loco. VT Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem, per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis Clericus. Sanè ſi id vtilitas Eccleſiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo Clericorum & laicorum Epiſcopis porrecto, in præſentia Synodi transferatur, nihilominùs alio in loco eius Epiſcopo ſubrogato. Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alij Clerici, conceſſione ſuorum Epiſcoporum, poſſunt ad alias Eccleſias tranſmigrare.

Cap. XXVIII.

De damnatione Epiſcoporum.

11.q.3. Irritam eſſe. IRRITAM eſſe iniuſtam damnationem Epiſcoporum, & idcircò à Synodo retractandam.

Cap. XXIX.

De Epiſcopo, qui alicui crimen obiecerit.

6.q.1.Epiſcopus. EPISCOPVS ſi Clerico vel laico crimen impoſuerit, deducatur ad probationem in Synodum.

Cap. XXX.

Quòd irrita ſit ſententia Epiſcopi in abſentem.

3.q.9. Caueant. CAVEANT Iudices Eccleſiæ, ne, abſente eo cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit; imò & cauſam in Synodo pro facto dabunt.

Cap. XXXI.

Qualiter res Eccleſiæ ab Epiſcopo habeantur.

12.q.2. Sine exceptione. VT Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis non tamquam propriis vtatur.

Cap. XXXII.

De irritis diſtractionibus Epiſcoporum.

IRRITA erit donatio Epiſcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ, abſque conniuentia & ſubſcriptione Clericorum. Ibidem.

Cap. XXXIII.

De receptione Epiſcoporum.

EPISCOPI, vel Presbyteri, ſi cauſa viſendæ Eccleſiæ alterius Epiſcopi ad Eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitentur. 7.q.1.Epiſcopi.

Cap. XXXIV.

De primatu conſeſſus Presbyterorum cum Epiſcopo.

VT Epiſcopus, in quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur. D.95.Epiſcopus in quolibet.

Annotatio.

IN Romana Eccleſia, teſte Hieronymo epiſt.58. ad Euagrium, receptum fuit, vt coram Epiſcopis Diaconi ſtent, Presbyteri ſedeant. Verba Hieronymi hæc ſunt: ***Ceterùm etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi, licet paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim.*** Itaque Romanæ Eccleſiæ conſuetudini conuenientiſſimè ſtatutum fuit hac ſanctione, ne Epiſcopus Presbyterũ apud ſe ſtare patiatur. Quòd Can.1. Concilij Romani II. ſub Silueſtro celebrati, Preſbyteri cum Diaconis à tergo ſedentium Epiſcoporum ſteti ſſe narrantur, id modeſtiæ cauſa, iſta dumtaxat vice contigiſſe, oſtendit Binius in Notis eiuſdem Capituli. Vide Baronium anno 324. num.125.

Cap. XXXV.

De conſeſſu Presbyterorum in Eccleſia.

VT Epiſcopus in Eccleſia, in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat: intra domum verò collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat. D.95.Epiſcopus in Eccleſia.

Cap. XXXVI.

Presbyteri ab Epiſcopo Chriſma petant.

PRESBYTERI, qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuis, nec per iuniorem Clericum, ſed omni anno, aut per ſcipſos, aut per illum qui Sacrarium tenet, Diſt.95. Presbyteri.

ante

ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant.

CAP. XXXVII.

De obedientia Diaconorum.

Diſt. 93. Diacon. DIACONVS ita ſe Presbyteri, vt Epiſcopi, miniſtrum eſſe cognoſcat.

CAP. XXXVIII.

Ibid. Præſente. DIACONVS præſente Presbytero, Euchariſtiã Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.

CAP. XXXIX.

Quando debeat Diaconus ſedere.

Ibid. Diaconus. DIACONVS quolibet loco, iubente Presbytero, ſedeat.

CAP. XL.

VT Diaconus in conuentu Presbyterorum interrogatus, loquatur.

CAP. XLI.

Quando Diaconus Alba vti debeat.

VT Diaconus tempore oblationis tantùm, vel Lectionis, Alba induatur.

CAP. XLII.

De Clericis, qui pro fide tentati ſunt.

CLERICVM inter tentationes officio ſuo incubantem, gradibus ſublimandum.

CAP. XLIII.

De his, qui pro fide perſecutiones paſſi ſunt.

CHRISTIANVM Catholicum, qui pro Catholica fide, & pro Eccleſiaſtica re, & Chriſtiana Religione tribulationes patitur, honore omni à Sacerdotibus honorandum. Etiam & per Diaconum ei victus adminiſtretur.

CAP. XLIV.

De tonſura Clericorum.

CLERICVS nec comam nutriat, nec barbam.

ANNOTATIO.

QVÆDAM exemplaria habent additamentum hoc, *ſed radant, vel tondeant.* Nutriendam non eſſe, communi Codicum omnium lectioni concordat. Hic Canon cum quibuſdam aliis ſequentibus à ſancta Synodo editus eſſe videtur, propter Euchitarum & Maſſalianorum hæreticorum ſectatios. Hi enim manibus operandum eſſe negantes, intonſi prolixam comam ac barbam alebant. Muliebrem comam circumferentes vagari conſueuiſſe, teſtatur Epiphanius Hæreſi 80. S. Auguſtinus de Opere Monachorum, cap. 31. eos facetè depingens, inter alia hæc ſcribit: *Et hoc quò pertinet, quæſo, tam apertè contra præcepta Apoſtoli conari? an ita vacandum eſt, vt nec tonſores operentur? An quia Euangelicas volucres imitari ſe dicunt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint?* Baronius an. 398. num. 74.

CAP. XLV.

De habitu Clericorum.

CLERICVS Profeſſionem ſuam, & in habitu & in inceſſu probet: & ideò nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat. Diſt. 41. Clericus Profeſſ.

CAP. XLVI.

De continentia Clericorum.

CLERICVS cum extraneis mulieribus non habitet.

CAP. XLVII.

De inceſſu Clericorum.

CLERICVS per plateas & andronas, niſi certa & maxima officij ſui neceſſitate, non ambulet.

CAP. XLVIII.

Clerici ad nundinas non vadant.

CLERICVS, qui non pro emendo aliquid, in nundinis vel in foro deambulat, ab officio ſuo degradetur. Diſt. 91. Clericus.

CAP. XLIX.

De vigiliis Clericorum.

CLERICVS, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis priuatus, excommunicetur.

CAP. L.

De Clericis ab officio continentibus.

CLERICVM, inter tentationes ab officio ſuo declinantem, vel negligentiùs agentem, ab officio ſuo remouendum. Ibid. Clericus.

CAP. LI.

Clerici artificio victum quærant.

CLERICVS, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.

CAP. LII.

Quomodo Clerici debeant victum quærere.

CLERICVS victum & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque officij ſui detrimento præparet.

Digitized by Google

CAP. LIII.

Clerici artificiola & literas diſcant.

OMNES Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola & literas diſcant.

ANNOTATIO.

PRO Can. 51. 52. & 53. ſciendum, quòd Maſſaliani in Africa hoc tempore docebant, non licere Religioſis operari, & pro victu laborare, ſed debere eos in Dei prouidentia confidere, & ex alienis laboribus viuere. Ita Epiphanius Hæreſi 80. Auguſtinus lib. 2. Retractat. cap. 21. Quod dogma cùm exemplo & doctrinæ Apoſtolorum omnino repugnet, ad errorem illum verbo & opere refellendum, conuenienter conſtitutū fuit, vt ad imitationem Apoſtolorum victum & veſtitum labore manuum ſuarum ſibi acquirerent. Vide etiam Clementem lib. 2. Conſtit. c. 67. Ignatium epiſt. 7. ad Tarſenſ. Iuſtinum Martyrem de Vita Chriſtiana, Epiphanium Hæreſi 80. Vnde Clericis & Monachis opera & exercitia manuum non tantùm non interdicta, ſed etiam ad fugandum otium, & carnis tentationes, ad vitam, ſi aliter non poſſit, ſuſtentandam, aliiſve quibuſdam caſibus imperata fuerunt. De quibus vide Bellarminum lib. 2. de Clericis, c. 41. & 42. Baronium an. 52. num. 15. 16. & anno 398. num. 70.

CAP. LIV.

De Clericis inuidis.

Diſt. 46. Clericus. CLERICVS, inuidens fratrum profectibus, donec in vitio eſt, non promoueatur.

CAP. LV.

De Clericis accuſatoribus.

Ibid. Accuſatores. VT Epiſcopus accuſatores fratrum excommunicet. Et ſi emendauerint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum.

CAP. LVI.

De Clericis adulatoribus.

Ibid. Clericus quid. CLERICVS, qui adulationi & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.

CAP. LVII.

De Clericis maledicis.

CLERICVS maledicus, maximè in Sacerdotibus, cogatur ad poſtulandam veniam. Si noluerit, degradetur, nec vnquam ad officium abſque ſatiſfactione reuocetur.

CAP. LVIII.

De Clericis frequenter litigantibus.

CLERICI, qui frequenter litigat, & ad cauſandum facilis eſt, teſtimonium nemo abſque grandi examine recipiat.

CAP. LIX.

De Clericis diſcordantibus.

DISCORDANTES Clericos Epiſcopus, vel ratione vel poteſtate ad concordiam trahat, inobedientes Synodus per audientiam damnet. Diſt. 90. Diſcordantes.

CAP. LX.

De Clericis turpiloquis.

CLERICVM ſcurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum.

CAP. LXI.

De Clericis iurantibus.

CLERICVM, per creaturas iurantem, acerrimè obiurgandum. Si perſtiterit in vitio, excommunicandum.

CAP. LXII.

De Clericis inter epulas cantantibus.

CLERICVM inter epulas cantantem, ſupradictæ ſententiæ ſeueritate coërcendum. 21. q. 1. Clericum.

CAP. LXIII.

De Clericis ieiunia polluentibus.

CLERICVM, qui tempore indicti ieiunij, abſque ineuitabili neceſſitate ieiuniū rumpit, minorem habendum.

CAP. LXIV.

De his, qui Dominico die ieiunant.

QVI Dominico die ſtudioſè ieiunat, non credatur Catholicus. 76. q. 7. Sacerdos.

CAP. LXV.

De Paſcha ſuo tempore celebrando.

PASCHAE ſolemnitas vno die & tempore celebranda.

CAP. LXVI.

Quādo Clericus recurrere debet ad Synodū.

CLERICVS, qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem iniuſtam putat, recurrat ad Synodum.

CAP. LXVII.

Seditionarij non fiant Clerici.

SEDITIONARIOS numquam ordinandos Clericos, ſicut nec vſurarios, nec iniuriarum ſuarum vltores. Diſt. 4. Seditionarios.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXVIII.

Ex pœnitentibus ordinatus Clericus deponatur.

Ex pœnitentibus (quamuis ſit bonus) Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit, deponatur à Clero, quia ſe Ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem. Si autem ſciens Epiſcopus ordinauerit talem, etiam ipſe ab Epiſcopatus ſui ordinandi dumtaxat poteſtate priuetur.

CAP. LXIX.

Epiſcopus viduæ maritum ad Clerum promouens, deponatur.

SIMILI ſententiæ ſubiacebit Epiſcopus, ſi ſciens ordinauerit Clericum eum, qui viduam aut repudiatam vxorem habuit, aut ſecundam.

CAP. LXX.

Clericus hæreticorum conuiuia fugiat.

11. q. 3. Clericus. CLERICVS hæreticorum aut ſchiſmaticorum tam conuiuia quàm ſodalitates euitet æqualiter.

CAP. LXXI.

De hæreticorum cœtu.

QVOD hæreticorum cœtus, non Eccleſia, ſed Conciliabulum ſit.

CAP. LXXII.

Nihil fiat cum hæreticis.

CVM hæreticis nec orandum, nec pſallendum.

CAP. LXXIII.

De communicantibus cum excommunicatis.

11. q. 3. Qui communicauerit. QVI communicauerit vel orauerit cum excommunicato, ſiue Clericus, ſiue laicus, excommunicetur.

CAP. LXXIV.

De pœnitentium lege.

VT Sacerdos pœnitentiam imploranti, abſque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat.

CAP. LXXV.

De negligentioribus pœnitentibus.

26. q. 7. Sacerdos. VT negligentiores pœnitentes tardiùs reconcilientur.

CAP. LXXVI.

De poſcentibus pœnitentiam ſi poſteà obmuteſcant.

IS, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimoniũ qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionẽ, & infundatur ori eius Euchariſtia. Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probauerit. 26. q. 6. Is, qui.

CAP. LXXVII.

De pœnitentibus infirmis.

POENITENTES, qui in infirmitate ſunt, Viaticum accipiant. 26. q. 6. Is, qui.

CAP. LXXVIII.

De eiſdem ſi poſt Viaticum ſuperuiuant.

POENITENTES, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.

ANNOTATIO.

SENTENTIA Canonis hæc eſt: Qui ob vitæ periculum priuatim à Sacerdotibus abſoluuntur, nondum completa actione publicæ pœnitentiæ, ij, ſi ſuperuixerint, redeant ad ordinem pœnitentium, & cum illis manus impoſitionem ſuis temporibus percipiant, & niſi id fecerint, non exiſtiment ſe abſolutos à vinculo excommunicationis, vel à pœna temporali, quæ ipſis à Sacerdote præſcripta fuerit. Hos à culpa abſolutos fuiſſe, dubitari non poteſt, cùm Viaticum Euchariſtiæ perceperint, quod Eccleſia numquam diſtribuere ſolet, niſi illis dumtaxat, quos à culpa letali liberos eſſe credit. Vnde per manus impoſitionem Patres Concilij hoc & ſequente Canone 80. accipiunt actionem illam pœnitentiæ, quà pœnitentibus frequenter reconciliatiua manus imponebatur, quæque olim inter alios publicæ pœnitentiæ ritus, in Eccleſia frequentata fuit. Vide Bellarminum lib. 1. de Pœnit. c. 15.

Digitized by Google

CAP. LXXIX.

De pœnitentibus, ſi caſu aliquo moriantur.

26.q.7.Sacerdos, qui pœnitentiam.

POENITENTES, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.

CAP. LXXX.

De manus impoſitione ſuper pœnitentes.

Ibid.

OMNI tempore ieiunij, manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.

CAP. LXXXI.

Vt pœnitentes mortuos ſepeliant.

MORTVOS pœnitentes Eccleſiæ afferant, & ſepeliant.

CAP. LXXXII.

Vt pœnitentes genua flectant.

POENITENTES etiam diebus remiſſionis genua flectant.

CAP. LXXXIII.

De ſenibus honorandis.

PAVPERES, & ſenes Eccleſiæ, plus ceteris honorandi ſunt.

CAP. LXXXIV.

Vſque ad Miſſam catechumenorum nullus Eccleſiam ingredi prohibeatur.

De Cõſec. d.1. Epiſcopus nullum.

VT Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue Gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad Miſſam catechumenorum.

ANNOTATIO.

HOC Canone confirmantur ea, quæ ſuprà in Annotat. Concilij Ancyrani diximus de catechumenis vſque ad prædicationem Euangelij incluſiuè in Eccleſiam admiſſis, poſteà verò excluſis, dum Miſſa fidelium, & publicæ Orationes incipiebantur. Vnde factum, quòd S. Auguſtinus ad populum concionatus, pro diuerſa audientium conditione hæc monens ſuos aptare conſueuerat. Interdum Manichæos, Arianos, Donatiſtas, interdum Gentiles, ſæpè etiam Iudæos exagitauerit. Quod ad dubiorum quorumdam locorum S. Auguſtini interpretationem, notatu dignum eſſe putaui.

CAP. LXXXV.

De baptizandis.

BAPTIZANDI nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati Baptiſmum percipiant. De Conſecr. d.4. Baptizandi.

ANNOTATIO.

INTELLIGE de manus impoſitione cærimoniali ad Baptiſmum, quæ ad quamdam catechumeni ſanctificationem in Baptiſmo adhiberi ſolet. De qua S. Auguſtinus lib. 2. de Peccator. merit. & remiſſ. cap. 26. hæc: *Catechumenos ſecundùm modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem, manus impoſitione ſanctificari.*

CAP. LXXXVI.

Nuper baptizati, caſtè viuant.

NEOPHYTI aliquamdiu à lautioribus epulis, & ſpectaculis, vel coniugibus, abſtineant. De Conſ. d.5. Neophyti.

CAP. LXXXVII.

De Catholicis, qui apud infideles cauſam proponunt.

CATHOLICVS, qui cauſam ſuam, ſiue iuſtam ſiue iniuſtam, ad iudicium alterius fidei Iudicis prouocat, excommunicetur. 2.q.6. Catholicus.

CAP. LXXXVIII.

De his qui Miſſam prætermittunt.

QVI die ſolemni, prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conuentu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur. De Conſ. d.1. Qui die.

CAP. LXXXIX.

De his qui Iudaicis ſuperſtitionibus ſeruiunt.

AVGVRIIS vel incantationibus ſeruientem, à conuentu Eccleſiæ ſeparandum. Similiter & ſuperſtitionibus Iudaicis vel feriis inhærentem. 26.q.5. Auguriis.

CAP. XC.

De energumenis.

OMNI die Exorciſtæ energumenis manus imponant. De Conſ. d.5. Omni die.

CAP. XCI.

De eiſdem.

PAVIMENTA domorum Dei energumeni verrant.

CAP.

CAP. XCII.

De victu energumenorum.

ENERGVMENIS, in domo Dei aſſidentibus, victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.

CAP. XCIII.

De oblationibus diſcordantium.

Diſt. 90. Oblationes. OBLATIONES diſſidentium fratrum, neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur.

CAP. XCIV.

De oblationibus opprimentium pauperes.

Ibidem. EORVM qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus refutanda.

CAP. XCV.

De his, qui oblationes defunctorum defraudant.

QVI oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

ANNOTATIO.

CVM comeſſationes iſtas, in Eccleſiis in ſepulchris ſanctorum Martyrum, & in Memoriis defunctorum cum quodam abuſu exhiberi ſolitas, ex Auguſtini conſilio, vt patet ex eius epiſt. 64. Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus ſuſtuliſſet, & vt oblationibus piis conſuleretur animabus defunctorũ, oblationes, quæ ad ſepulchra ferebantur, in pauperes erogari iuſſiſſet, atque ex eo accidiſſet, vt populus ab omni frequentatione piorum officiorum pro defunctis ceſſaret; ad præſtandas oblationes, quæ ſtatim pro defunctis in pauperes erogarentur, hac lege Eccleſiaſtica populum compellere, Patres huius Concilij neceſſarium ac religioſum eſſe iudicarunt. Vnde manifeſtum eſt, quàm iniuſtè atque impiè recentiores hæretici calumnientur, qui oblationes à populo pro defunctorum animabus præſtandas, à maioribus ad lucrum Clericorum Eccleſiis miniſtrantium excogitatas eſſe tradunt. Vide Baronium anno 391. num. 43.

CAP. XCVI.

De accuſatore & accuſato.

3. quæſt. 7. Quærenda eſt. QVAERENDVM in iudicio, cuius ſit conuerſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur.

CAP. XCVII.

De eo qui religioſis feminis præficitur.

QVI religioſis feminis præponendus eſt, ab Epiſcopo loci probetur. 18 qu. 2. Qui.

CAP. XCVIII.

Laicus præſentibus Clericis non doceat.

LAICVS, præſentibus Clericis, niſi ipſis rogantibus, docere non audeat.

CAP. XCIX.

Mulieres publicè non doceant.

MVLIER, quamuis docta & ſancta, viros in conuentu docere non præſumat. D. 23. Mulier.

ANNOTATIO.

INTELLIGE, Sacerdotibus aut Clericis præſentibus, vt patet Can. præced. vel etiam extra caſum neceſſitatis, vt citant & exponunt hunc Canonem Petrus Lombardus 4. lib. Sent. diſt. 6. Gratianus can. Mulier. diſtinct. 4. de Conſecrat. Sicut enim Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 14. & 1. Timoth. cap. 2. prohibet, ne mulieres extra caſum neceſſitatis loquantur & doceant; in caſu neceſſitatis autem docere & loqui permittit: ita Patres huius Concilij permittentes mulieres in caſu neceſſitatis baptizare, ne extra caſum neceſſitatis, aliiſve Clericis præſentibus id facere præſumant, rectè prohibent. Ita Bellarminus lib. 1. de Baptiſmo, cap. 7. Cùm itaque mulieribus extra caſum neceſſitatis baptizandi poteſtas hac conſtitutione Patrum ſit interdicta, optimo iure id, quod Concilio Florentino definitum eſt, contra Caluinum etiam hinc inferimus, non Clericis dumtaxat, ſed etiam laicis; non viris tantùm, ſed etiam feminis conceſſum eſſe, vt in caſu neceſſitatis citra ſolemnitates ab Eccleſia præſcriptas, Baptiſmatis Sacramentum licitè & validè adminiſtrare poſſint. Vide S. Thomam 3. p. q. 67. ar. 4. ad 1. Suarez ibidem.

CAP. C.

Vt mulieres non baptizent.

MVLIER baptizare non præſumat.

CAP. CI.

De viduis infirmis.

VIDVAE adoleſcentes, quæ corpore debiles ſunt, ſumptu Eccleſiæ, cuius viduæ ſunt, ſuſtententur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. CII.

Ne Clerici viduarum familiaritati aſſocientur.

AD reatum Epiſcopi pertinet, vel Presbyteri qui Parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis cauſa, adoleſcentiores viduæ, vel Sanctimoniales, Clericorum familiaritatibus ſubiiciantur.

CAP. CIII.

De viduis, quæ Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentantur.

VIDVAE, quæ ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, tam aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, vt meritis & orationibus ſuis Eccleſiam adiuuent.

CAP. CIV.

De viduis profeſſis continentiam præuaricantibus.

SICVT bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia & præceptione cuſtodiendum eſt. Vt ſi quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à viro relictæ, ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſteà verò ad nuptias ſæculares tranſierint, ſecundùm Apoſtolum, damnationem habebunt, (1.Tim.5.) quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerũt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris ſuis obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem, quam Deo ſponte, non coactæ obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fecerint? Quæ etſi violentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac poſteà delectatione carnis atque libidinis permanere in coniugio, raptori vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperiùs comprehenſæ tenbuntur obnoxiæ. De talibus ait Apoſtolus: *Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* (1.Tim.5.) Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ, ſubſcripſi. Donatianus Talabricenſis primæ ſedis, ſubſcripſi. Auguſtinus Hipponæ Regienſis, ſubſcripſi. Similiter omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt.

CONC. CARTHAGINENSE

nomine Quintum, ordine verò temporis III. *ab Epiſcopis ſeptuaginta tribus circa tempora* ANASTASII *Papæ, poſt Conſulatum* CAESARII *&* ATTICI, *6. Kalend. Junij habitum. Æra* 438. *Eſtque Prouinciale. Probatum à* LEONE IV. *d. 20. cap. De libellis.*

CONCILIVM hoc celebratum eſt ad diſciplinam Africanæ Eccleſiæ reſtaurandam, & mores eiuſdem corruptos reformandos, vt ſingulorum Canonum titulos intuenti patet. (ANNO DOMINI CCCXCVIII.) Concilium Carthaginenſe nomine Secundum, verè inter omnia alia poſtremum eſt; adeoque poſt illam Synodum ſub Conſulatu Cæſarij & Attici Carthagine habitam, hæc tertio ordine celebrata fuit, vt temporis ratio vtrobique ſuperaddita demonſtrat. Vtraque quidem habita eſt anno eodem, ſed diuerſis menſibus: illa menſe Nouembri, hæc 6. Kal. Iunij. Nos, ne Concilia apud Auctores hoc nomine & ordine antiquo allegata Lectori confuſionem adferant, nomen ordinemq; antiquum retinere voluimus, ſatis fore iudicantes, ſi Collectoris errorem in Annotationibus oſtenderimus.

Tempus verò huius Concilij fuit anno Pontificatus Anaſtaſij primo, qui eſt Arcadij & Honorij Imperatorum 4. & Chriſti nati 398. Annus enim ille, qui poſt Conſulatum Cæſarij & Attici inſcribitur, cum prædictis temporibus coincidit. Baronius anno 398.

ANNOTATIO.

ADDIDIT verò idem Baronius huic Concilio, *poſt Conſulatum Cæſarij & Attici,*

Digitized by Google

Attici, ex ſcripto codice: & meritò, antè enim quàm Honorius Imperator Edictum de reliquiis idololatriæ tollendis promulgaſſet, hanc Synodum celebratam fuiſſe cõſtat. Nam ad petitionem Legatorum, quos inter alias cauſas Patres Concilij ad Imperatorem ablegauerunt, de reliquiis idololatriæ extirpandis Edictum Imperatoris extorſerunt.

Circa aſſignationem Æræ 438. ſciendum, quòd ſicut aliis pleriſq; in locis, ita hic etiam mendoſus numerus Æræ trigeſimæ octauæ inhæret. Nam ſi triginta octo, quibus Æræ computatio Chronologiam nati Chriſti excedit, ab ea demas, remanebunt anni 400. Vnde ſequeretur, hanc Synodum anno 400. habitam fuiſſe, quam 398. celebratam eſſe, ex præcedentibus patet.

Cap. I.

2. q. 4. Statutum eſt. De Clericis ad teſtimonium non pulſandis.

Cap. II.

21. q. 5. Si quis quilibet. De Clericis pro crimine ſuo damnatis, vt à quolibet nõ defenſentur.

Cap. III.

Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus ſe contineant.

Afr. c. 37. D. 84. Cũ de quorũdam. Praeterea, cùm de quorumdam Clericorum, quamuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ſecundùm propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio. Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundùm vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere.

Annotatio.

Id quod dicitur in hoc Canone, *ſecundùm propria ſtatuta*, intelligitur, ſecundùm legem in prioribus Carthaginenſibus Conciliis conditam. Quædam alia lectio melior habet *ſecundùm priora ſtatuta*. Græci hæc verba malè intelligentes, verterunt κατὰ τὰς ἰδίας ὅρους. Hac tranſlatione noſtri temporis hæretici, cælibatum Clericorum impugnant, quaſi huius Canonis auctoritate, Clerici ab vxoribus in ordine tantùm vicis ſuæ abſtinere deberent: reliquis verò temporibus iiſdem maritali conſortio cohabitare liceret. Quàm ineptè, nemo non videt. Siquidem præter hoc, quòd maior ſit auctoritas Latinæ editionis, quàm Græcè tranſlationis, prædicta verba exponi poſſent, *ſecundùm proprias regulas, ac leges*. ὅρος enim non tantùm ſignificat *terminum*, ſed etiam *regulam*, ac *præceptum*. Hoc Concilio omnem vſum vxorum ſacris hominibus prohiberi, ex S. Auguſtino lib. 2. de Adulterinis coniugiis, qui huic Concilio interfuit, liquidiſſime patet. Vide Bellarminum lib. 1. de Clericis, cap. 21.

Cap. IV.

De rebus Eccleſiæ ſine conſilio Metropolitani non alienandis.

Cap. V.

Nullus Epiſcopus, relicta cathedra, in Diœceſi reſideat.

Placvit, vt nemini ſit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferre; vel in re propria diutiùs, quàm oportet, conſtitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere. 7. qu. 1. Placuit.

Cap. VI.

De his qui nullo teſtimonio ſe baptizatos nouerunt.

Placvit de infantibus, quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere; abſque vllo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari. Hinc enim Legati Maurorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt. Similiter & de Eccleſiis (quoties ſuper earum conſecratione hæſitatur) agendum eſt; id eſt, vt ſine vlla trepidatione conſecrentur. De Cõſec. D. 4. Placuit de.

Cap. VII.

De tempore Paſchali, & Concilij.

Cap. VIII.

De interceſſoribus, ne cathedram morientis Epiſcopi diu retineant, ſed intra annum Sacerdotẽ prouideant. 7. quæſt. 1. Conſtitutum eſt.

Cap. IX.

De defenſore Eccleſiarum.

Ab Imperatoribus vniuerſis viſum eſt poſtulandum, propter afflictionem 23 qu. 5. Ab Imperatoribus.

Digitized by Google

nem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, vt defenſores eis aduerſus potentias diuitum cum Epiſcoporum prouiſione delegentur.

CAP. X.

D.18. Placuit, vt. VT Epiſcopi ad diem Concilij occurrant.

CAP. XI.

D.50. Cõfirmandũ eſt. VT lapſis Sacerdotibus manus, ſicut laicis, non imponatur.

CAP. XII.

11. qu. 3. Rurſus conſtitutũ eſt. DE Clericis excommunicatis, quamdiu eis aſſerere liceat innocentiam ſuam.

CAP. XIII.

D. 58. Si quis de alterius. DE Clericis, vel Monachis, ab alio Epiſcopo ordinatis.

CAP. XIV.

De Baſilicis, quæ ſine Martyrum reliquiis dedicatæ ſunt.

De Cõſec. d. 1. Placuit altaria. ITEM placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros aut vias, tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt (ſi fieri poteſt) euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneātur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbique conſtituuntur altaria, omnimodè reprobentur.

CAP. XV.

De idololatriis deſtruendis.

ITEM placuit ab Imperatoribus glorioſiſſimis peti, vt reliquiæ idololatriæ non ſolùm in ſimulachris, ſed in quibuſcumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodò deleantur.

ANNOTATIO.

HIC Canon à Patribus huius Concilij editus fuit hac occaſione: Gentiles, vt cultores idolorum ſuorum in officio continerent, ex diuinis oraculis & reſponſis acceptis, iactitabant fore, vt in fine anni 365. à paſſione Chriſti, qui eſt nati Saluatoris 398. Chriſtiana religio planè extirparetur, finemque vltimum acciperet. Vt ergo vanitas & ſtultitia Ethnicorum, falſitas oraculorum Gentilium toti mundi innoteſceret, atque adeò ipſi radicitus euellerentur, qui Chriſtianam religionem extinctam exoptabant, per deputatam ad Comitatum Legationem petiuerunt, reliquias idololatriæ extirpari. Arcadius & Honorius petitionem æquam eſſe iudicantes, promulgatis Edictis per Orientem & Occidentem Manlio Theodoro Conſule, anno nimirum Chriſti 399. omnes idololatriæ reliquias ſuſtulerunt, ſimulachra fregerunt, ſacrificia Gentium prohibuerunt, eorumque templa funditus euerterunt: verùm cùm clariſſima ædificia omnino euerſa, vrbibus immenſam deformitatem adderēt, poſterioribus Edictis reſcripſere, vt omni gentilitate ſublata, publicorum operum ornamenta ſeruarentur. Vide Baronium anno 399. num. 18. 20. & 21. & n. 54. & ſeqq.

SYNOD. ALEXANDRINA SVB ANASTASIO *in qua* ORIGENISTAE *damnantur.*

CAVSAM habiti Concilij exponam à primo initio. Melania Romanorum nobiliſſima, quæ tempore perſecutionis Valentis quinq; millia Monachorum occultarat, triduoque panibus ſuis ſuſtentauerat, relegatos magno fidei ardore proſecuta eſt, vt de ſuis facultatibus iiſdem vitæ ſubſidia miniſtraret. Quibus ab exilio reuocatis, ipſa Monaſterium Ieroſolymis ſibi conſtruxit, in quo præter 50. Virgines ſecum habitantes, 27. annis ſanctos eo peregrinos Epiſcopos, Monachos & Virgines ex voto ſuſcepit & fouit. Qua occaſione accidit, vt ipſa cum Ruffino à cæco, ſed erudito & magni nominis viro, Didymo Alexandrino, Operum Origenis nimio admiratore, erroribus eiuſdem Origenis imbuti fuerint, eiuſque Periar-

ANNO DOMINI CCCXCIX.

Digitized by Google

Periarchon, (verum multarum hæreſeon promptuarium,) tamquam magnum theſaurũ non modò ipſi reciperent, verùm etiam toto terrarum orbe vulgari deſiderarent. Poſt 25. igitur annos abſentiæ in Ægypto & Palæſtina exactos, magna ſanctitatis fama Romam reuertentes, particulamque Crucis ſecum adferentes, Origenis errores, magna fraude vulgatis Periarchon libris circumtectos, Romanæ Eccleſiæ obtrudere moliuntur. Sed fraudem Melaniæ feminæ, Deus per feminam Marcellam detexit. Detecta fraude, ipſum Periarchon ſua opera in Latinum conuerſum eſſe, ſeque cum Origene ſentire, negarunt: & vt ſe Catholicos eſſe ſimularent, Communicatorias literas à Siricio Pontifice impetrarunt, & ab Vrbe viciſſim receſſerunt. Interim Pammachius & Oceanus viri clariſſimi atque doctiſſimi multa improbantes in eo libro Periarchon, quem Latinè verſum, & quaſi emendatũ Romæ Melania & Ruffinus vulgauerant, Hieronymum Ieroſolymis agentem per epiſt. 64. rogant, vt Periarchon Origenis Latinè integrè edat, Auctoris etiam errores ſimul & Interpretis in eo notet. Quod cùm vir ſanctus doctiſſimè præſtitiſſet, opus à ſe abſolutum, anno Chriſti 399. ad eoſdem Romam miſit, Præfatione appoſita, qua omnes qui in eo libro ſunt errores Origenis, omnibus manifeſtos redderet, ac dolum pariter prioris Interpretis aperiret, demum etiam à ſuſpicione hæreſeos Origeniſtarum, quam per laudes Ruffini Interpretis incurriſſe potuerat, ſeſe expurgaret. Hac occaſione, Ruffini & Melaniæ ſectatores in S. Hieronymum commoti, turbaſque ac rumores excitantes, Theophilo Alexandrinæ Sedis Epiſcopo cauſam dederunt, vt indicta Synodo Alexandriæ celebranda, errores Origenis cognoſcerentur. Anno itaque Chriſti 399. qui eſt Anaſtaſij 2. Arcadij & Honorij 5. hac occaſione in vnum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi conuenientes, Origenem eiuſque ſectatores condemnant, atque Synodicam epiſtolam ad Anaſtaſium Romanum Pontificem, Conſtantinopolitanum Epiphanium, Cypri, alióſve Epiſcopos ac Monachos tranſmiſerunt: intereà Theophilus per ſe ſuóſque Legatos, Origenis ſectatores ex Ægypto & Palæſtina expulit. Expulſi Conſtantinopolim ad Chryſoſtomum profecti, ibidem de iniuriis, ſibi velut hominibus Catholicis & innocentibus à Theophilo illatis, conqueſti fuerunt, eiuſque auxilium implorarunt: ille benignè exceptos communione tantùm peregrina, id eſt orationis, non Sacramentorum dignatus, reconciliandi eos Theophilo negotium ſuſcepit. Epiphanius Conſtantinopolim ſecutus à Chryſoſtomo eos damnari & expelli volebat. Chryſoſtomus contrà, qui ſe calumniam paſſos eſſe dicebant, & ſpeciem pietatis præſeferebant, abſque Synodo damnare & expellere non audebat. Qua ex cauſa Epiphanius Chryſoſtomo infenſus communionem eius vitauit. Hęc Sozomenus, Socrates, & Palladius, Origeniſtarum fautores prolixè; Hieronymus ep. 67. 73. 78. Baronius anno 399. num. 36. & ſeqq.

CONCIL. AFRICANVM I. SVB ANASTASIO.

CVM Gildonem tyrannum potentiſſimum ſeptuaginta millibus militum Africam deuaſtantem, Maſcezil parua militari manu, quinque millium ſcilicet, in ſomno admonente eum Ambroſio, Deoque auxiliante feliciſſimè fudiſſet & profugaſſet, fratremque germanus frater pro ſuo merito ſtrangulari mandaſſet, rei proſperæ inſolentia Maſcezil victor elatus, poſthabito ſanctorum conſortio, quorum ope ac monitu, Deo militans vicerat, Eccleſiæ immunitatem violare auſus, fugientes ad Eccleſiam ab ea extraxit, atque paulò pòſt pœnas ſacrilego dignas, Deo vindici perſoluit, vt teſtantur Oroſius & Zoſimus lib. 5. ANNO DOMINI CCCXCIX.

Ee Hac

Hac occaſione Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi, anno 399. quinto Kal. Maias Carthagine Synodo conuocata ac celebrata, Legatos deputarunt, qui ad Imperatorem profecti, Edictum exorarent & impetrarent, ne quis quocumque reatu inuolutos ab Eccleſia abſtrahere auderet, ſi ad eam confugiſſent. Et dubium non eſt, quin hæc Legatio ab Imperatore obtinuerit, quod Honorius Imperator ad Sapidianum Vicarium Africæ pro Africana Eccleſia reſcripſit his verbis: *Si Eccleſiæ venerabilis priuilegia cuiuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta; commiſſum quinque librarum auri (ſicut etiam priùs conſtitutum eſt) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Eccleſias vel Clericos per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab huiuſmodi hominibus fuerit contra leges impetratum; huius ſanctionis auctoritate vacuamus. Data 7. Kalen. Iul. Brixiæ, Theodoro V. C. Conſule.*

Extat l. 34. de Epiſc. & Cler. C. Theodoſ. Baronius an. 399. n. vlt.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLIT. SVB ANASTASIO.

ANNO DOMINI CCCC.

ANNO Domini 400. Anaſtaſij 3. Arcadij & Honorij 6. Conſtantinopoli Eccleſiaſticarum neceſſitatum gratiâ viginti duo Aſiæ Epiſcopi conuenerunt, & hanc Synodum ibidem celebrarunt: in qua ab Euſebio Valentinianopolitano Epiſcopo accuſatus eſt Antoninus Epheſi Epiſcopus de multis, & maximè de Simoniacis Ordinationibus: de quibus Palladius in Vita Chryſoſtomi.

Hoc autem iudicium cùm ob teſtium abſentiam agi non potuiſſet, mortuo interim Epheſi Epiſcopo, ad petitionem Cleri Epheſini cum Ioanne Chryſoſtomo ſeptuaginta Epiſcopi Aſiæ Epheſum conuenerunt, ibique in locum demortui Epiſcopi Epheſini Heraclidem Diaconum elegerunt, & iudicium defuncti Conſtantinopoli inchoatum hîc abſoluerunt, ſexque Epiſcopos per Simoniam ab ipſo ordinatos depoſuerunt. Hæc Palladius in Vita Chryſoſtomi, Socrates lib. 6. c. 10. Sozomenus lib. 8. c. 6. Vide Baronium anno 400. num. 73. & ſeqq.

CONC. TOLETANVM I.

nouemdecim Epiſcoporum, tempore ANASTASII, HONORII, *&* ARCADII, STILICONE *Conſule habitum, Aera* 438. *anno Domini* 400. PATRONO *Epiſcopo præſidente, ſub die ſeptimo Idus Septembr. Eſt Prouinciale, ſed confirmatum videtur auctoritate* LEONIS *Papæ diſt.* 20. *c. De libellis.*

INTER ea quæ nunc extant, cccc.
Concilium hoc Primum eſt, & celebratum fuit ſub Anaſtaſio Pontifice, anno Domini 400. Anaſtaſij Pontificatus tertio, Arcadij & Honorij 7. Cùm enim in Actis huius Concilij S. Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi adhuc viuentis expreſſa mentio habeatur, poſt annum Domini 400. non potuit hæc Synodus celebrata fuiſſe. Nam anno 401. Venerium, Simpliciani ſucceſſorem, eidem Mediolanenſi Eccleſiæ ſuffectum fuiſſe, conſtat ex Legatione illa Afrorum, quæ Vincentio & Friuilta Conſulibus contigit prędicto anno Domini 401. de qua agemus infrà in Annot. Concilij Africani II. Toletana Synodus II. habita eſt circa tempora Ioannis II. poſteriores poſterioribus temporibus. Vnde Ambroſius Morales, qui ex antiquo ſcripto Codice edidit Acta Synodi Toletanæ, vir cum primis doctus, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus rerum Hiſpanicarum optimè meritus, & poſt eum Garçias Loayſa opinantur, hanc, quam ſub Anaſtaſio celebratam eſſe confitentur, eamdē eſſe cum ea Toletana, ad quam Innocentius ſcripſit epiſt. 23. quæ habetur apud Binium: idque ſenſerunt ideò, quod putarint, eodem anno primi Conſulatus Stiliconis Toletanum Concilium celebratum, defunctoque Anaſtaſio Innocentium ſubrogatum fuiſſe. Sed cùm verius ſit, Anaſtaſium biennio poſt

poſt Conſulatum primum Stiliconis, obitumque Simpliciani Mediolanenſis, vſque ad annum Salutis 402. ſuperuixiſſe, dubium non eſt, illam Synodum, ad quam Innocentius Anaſtaſij ſucceſſor epiſtolam Decretalem dedit, non ſub Anaſtaſio, ſed Innocentio habitam, adeoque ab hac Toletana diuerſam fuiſſe: niſi dicas, quod inſolitum eſt, hoc Prouinciale Concilium in annum ſequentem propagatum fuiſſe. Hęc ſententia magis confirmatur, quòd Innocentius exordio epiſtolæ ſuæ fatetur, ſe frequenter nimiumque de ſchiſmate Hiſpanię componẽdo ſollicitum fuiſſe; atque adeò non initio, ſed poſt aliquot annos ſedis ſuæ hanc epiſtolam ſcripſiſſe. Quodſi ita eſt, has duas Toletanas diuerſas Synodos eſſe, concedere oportet. Licet in vtraque de perperàm factis Ordinationibus actum foret; non tamen inde benè inferretur, eaſdem Synodos fuiſſe. Nam & longè ante Primum Toletanum Concilium de iiſdem tractatum eſt à Siricio Papa in literis ab eo datis ad Hunerium Tarraconenſem Epiſcopum: diu enim multumque corrupta Ordinationum diſciplina, Hiſpaniarum Eccleſias exagitauit; adeò vt huius Concilij tempore vlcus in ſchiſma eruperit. Hæc Baronius anno 405. num. 43. & 44.

CONCILII PRÆFATIO.

CONSIDENTIBVS Presbyteris, aſtantibus Diaconis, & ceteris qui intererant Concilio congregato; Patronus Epiſcopus dixit: Quoniam ſinguli cœpimus in Eccleſiis noſtris facere diuerſa, & inde tanta ſcandala ſunt, quæ vſque ad ſchiſma perueniunt, ſi placet, communi Concilio decernamus, quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis Clericis ſit ſequendum. Mihi autem placet, conſtituta primitus Nicæni Concilij perpetuò eſſe ſeruanda, nec ab his eſſe recedendum. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Hoc nobis placet, ita vt ſi quis, cognitis geſtis Nicæni Concilij, aliud quàm ſtatutum eſt, facere præſumpſerit, & non in eo perſeuerandum putauerit, hic excommunicatus habeatur, niſi per correctionem fratrum emendauerit errorem.

ANNOTATIO.

IBI, *Quoniam ſinguli.* Hinc patet quod ſuprà dixi, corruptelam diſciplinæ Eccleſiaſticæ in ſacris Ordinibus conferendis diu multumque Hiſpaniarum Eccleſias exagitaſſe: adeò vt tempore huius Concilij vlcus in ſchiſma eruperit. Ex quibus etiam poteſt intelligi, longè poſt Primum Concilium Toletanum, aliud eſſe celebratum ſub Innocentio, cùm iam longè lateq; tunc obortum ſchiſma diffuſum, magis magiſque Hiſpaniarum Eccleſias infeſtaret. Baronius vbi ſuprà num. 44.

Item ibi: *Conſtituta primitus Concilij Nicæni perpetuò eſſe ſeruanda, neque ab ijs eſſe recedendum.* D. Ambroſius in epiſt. 32. ad Valentinianum Iuniorem ſcribens, *Sequor,* inquit, *tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare.* Idem Baſilius epiſt. 78. & Leo Pontifex in ep. 78. ad Leonem Imperatorem, *Non ſunt,* inquit, *omnino inter Catholicos computandi, qui diffinitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel ſancti Chalcedonenſis Concilij regulas non ſequuntur.* Quod illi ſancti Patres de Nicænę Synodo, & aliis Vniuerſalibus & Oecumenicis Conciliis dixerunt, idem nobis dicere licet & credere de ſancto & venerabili Concilio Tridentino, in quo Spiritus ſanctus, ſicuti in Nicæno, lucem & veritatem Patribus ad reuincendas hæreſes contulit. Garçias.

CAP. I.

DE Presbyteris & Diaconis, ſi poſt Ordinationem filios genuerint, ad altiorem gradum non aſcendant.

CAP. II.

Pœnitens, ſi neceſſitas cogat, Lector aut Oſtiarius fiat.

ITEM placuit, vt pœnitentes non admittantur ad Clerum, niſi tantùm ſi neceſſitas aut vſus exegerit; & tunc inter Oſtiarios deputentur, vel inter Lectores, ita vt Euangelia aut Epiſtolam non legant. Si qui autem ordinati ſunt Diaconi, inter Subdiaconos habeantur, ita vt manum non imponant, nec ſacra contingant. Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homi- D. 50. Placuit.

Digitized by Google

homicidio, aut pro diuerſis criminibus grauiſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus Altario.

CAP. III.

Qui viduas acceperint, Diaconi non fiant.

ITEM conſtituit ſancta Synodus, vt Lector fidelis, ſi viduam alterius vxorem acceperit, ampliùs nihil ſit, ſed ſemper Lector habeatur, aut fortè Subdiaconus.

CAP. IV.

Subdiaconus, ſi defuncta vxore aliam duxerit, Oſtiarius fiat.

SVBDIACONVS autem, defuncta vxore, ſi vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Oſtiarios, vel Lectores, ita vt Euangelium & Epiſtolam non legat: propterea, ne qui Eccleſiæ ſeruierit, publicis officiis ſeruire videatur. Qui verò tertiam (quod nec dicendum eſt) acceperit, abſtentus biennio, poſteà inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.

CAP. V.

De Clericis ad Eccleſiam non venientibus.

PRESBYTER, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra ciuitatem fuerit, vel in loco in quo Eccleſia eſt, aut caſtella, aut vici ſunt, aut villæ, ſi ad Eccleſiam aut ad Sacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus, per ſatisfactionem, veniam ab Epiſcopo noluit promereri.

CAP. VI.

Religioſa puella virorum familiaritatem non habeat.

ITEMQVE puella Dei nec familiaritatem habeat cum Confeſſore, aut cum quolibet laico ſanguinis alieni, aut conuiuium ſola adeat, niſi vbi ſit ſeniorum aut honeſtorum, aut viduarum honeſtarumq; frequentia, vbi honeſtè Confeſſor quilibet, cum plurimorum teſtimonio teſtium, conuiuio intereſſe poſſit. Cum Lectoribus autem in ipſorum domibus non admittendas penitùs, nec videndas, niſi fortè conſanguinea ſoror ſit, vel vterina.

CAP. VII.

De Clerico, cuius vxor peccauerit.

PLACVIT, vt ſi quorumcumq; Clericorum vxores peccauerint (ne fortè licentiam peccandi plus habeant) accipiant mariti earum hanc poteſtatem (præter necem) cuſtodiendi, ligandi in domo ſua, ad ieiunia ſalutaria, nõ mortifera, eas cogentes: ita vt inuicem ſibi Clerici pauperes auxilium ferant, ſi ſeruitia fortè non habent. Cum vxoribus autem ipſis, quæ peccauerint, nec cibos ſumant, niſi fortè ad timorem Dei acta pœnitentia reuertantur. 31.qu.2. Placuit vt ſi.

CAP. VIII.

De his qui poſt Baptiſmum militauerint.

SI QVIS poſt Baptiſmum militauerit, & chlamydem ſumpſerit, aut cingulum, ad necandos fideles, etiam ſi grauia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit, Diaconij non accipiat dignitatem.

CAP. IX.

De Profeſſis, vel viduis, abſente Sacerdote.

NVLLA Profeſſa, vel vidua, abſente Epiſcopo vel Presbytero, in domo ſua Antiphonas cum Confeſſore vel ſeruo ſuo faciat. Lucernarium verò niſi in Eccleſia non legatur, aut ſi legatur in villa, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.

ANNOTATIO.

LVCERNARIVM antiquis dicebatur pars prima veſpertini Officij, quæ nunc Veſperæ dicuntur: id conſtat ex Iſidoro, in Regula Monachorum, cap. 6. *In veſpertinis*, inquit, *Officiis, primò Lucernarium, deinde Pſalmi duo, Reſponſorius vnus, & Laudes, Hymnus atque Oratio dicenda eſt.* Hæc Iſidorus. Continebat verò veſpertinum Officium quatuor Pſalmos, vt ex regula D. Benedicti liquet, c. 17. *Veſpertina autẽ ſynaxis*, inquit, *quatuor Pſalmis cum Antiphonis terminatur.* Quia verò duo priores in lucernarum accenſione, & gratiarum actione veſpertini luminis legebantur, inde illa prima pars veſpertini Officij Lucernarium appellabatur. Poſt veſpertinum autem Officium, Completorium Iſidorus ibidem ponit, & lib. 1. de Eccleſiaſticis Officiis. Ex his itaq; patet, Lucernarium ad

Digitized by Google

ad noſtras Veſperas pertinere: vt etiam probatur ex Concilio Emeritenſi,c.2.his verbis: *Veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, priùs dicitur veſpertinum,quàm* * *ſonum in diebus Feſtis.* Lucernarium itaque dicitur à lucernis accenſis; nam veſpertinum Officium eo tempore antiquitus fieri conſueuit, vt eſſet diuini Officij finis, & diei, vt teſtatur idem Iſidorus lib.de Eccleſ. Offic. c. De veſpertinis. *Veſpertinum diuini finis Officij,diurnæ & alternæ lucis occaſus eſt.* Et infra: *Veſpertinum enim nominatur à ſidere, quod Veſper vocatur, & decedente ſole exoritur.* Et lib. Etymol.6.c.vlt.*Veſpertinum Officium eſt in noctis initio, vocatum à ſtella Veſpere, quæ ſurgit oriente nocte.* Diuus etiam Hieronymus in Explicatione Pſal. 119. *Hora tertia oramus, hora ſexta oramus, nona Lucernariũ facimus:* vbi nonam pro vltima poſuit. Idem Auguſtinus in Regul.2. Diuus autem Benedictus in Regul. c.41. totum Eccleſiaſticum Officium luce diei concludendum præſcripſit. *Veſpera,* inquit, *ſic agatur, vt lumine lucernæ reficientes non indigeant, ſed luce adhuc diei omnia conſummentur.* Baſilius Lucernarium fieri lib.de Spiritu ſancto,c.29.in exortu Luciferi docet. *Viſum,* ait, *eſt patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed mox vt apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus: populus tamen antiquam profert vocem: neque quiquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Hactenus Baſilius. Ex quibus ſanctorum Patrum teſtimoniis efficitur quod quærebamus; nempe, Lucernarium ad noſtras Veſperas pertinere, atque ita dictum à lucernarum accenſione. Quare verò prohibeatur Lucernarium in villa legi,niſi præſente Epiſcopo,Preſbytero, vel Diacono, colligi licet ex Iſidoro in Regula c.6. *Poſt Veſpertinum, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus diuinæ lectionis quæſtionibus diſputare; conferendo piè ac ſalubriter, tamquam meditando diſputandoq́; immorari,quouſque Completorij tempus poſſit occurrere.* Eumdem morem in Cypro & Cæſarea Cappadociæ obſeruatum tradit Nicephorus lib.12.c.34.Eccleſiaſt.Hiſt.*Cùm ſimiliter,*inquit,*in Cypro & Cæſarea Cappadocum,in Sabbato & in Dominico die, veſperi, poſt lucernarum accenſionem, Epiſcopi & Preſbyteri ſacras Scripturas populo exponant.* Cùm igitur poſt Lucernarium ſtatim Scripturæ interpretatio ſubiungi ſolita ſit, & id munus Epiſcopo in primis,atque Preſbytero, vel ijs deficientibus Diacono incumbat, meritò à Patribus cautum eſt,non niſi aliquo eorum præſente,Lucernarium fieri oportere. Garçias.

CAP. X.

Ne Clericus fiat ſine conſenſu domini, aut patroni.

CLERICOS, ſiquidem obligati ſint, vel pro æquatione,vel de genere alicuius domus, non ordinandos,niſi probatæ vitæ fuerint, & patroni conſenſus acceſſerit.

CAP. XI.

De potentibus,quæ pauperem expoliant.

SI QVIS de potentibus Clericum,aut quemlibet pauperem, aut Religioſum expoliauerit, & mandauerit eum ad ſe venire Epiſcopus vt audiatur,& is contempſerit,inuicem mox ſcripta percurrant per omnes Prouinciæ Epiſcopos,& quoſcumque adire potuerint, vt excommunicatus habeatur ipſe, donec obediat, & reddat aliena. 24. q.3. Si quis de.

CAP. XII.

Ne Clericus ab Epiſcopo recedat.

ITEM vt liberum nulli Clerico ſit diſcedere ab Epiſcopo ſuo,& alteri Epiſcopo communicare, niſi fortè ei,quem Epiſcopus alius libenter habeat de hæreticorum ſchiſmate diſcedentem,& ad fidem Catholicam reuertentem. Si qui autem de Catholicis diſceſſerint, & in communione eorum,vel palàm vel occultè cum eis (qui vel excommunicati ſunt,vel per ſententiam iam notati) fuerint inuenti, habeant illorum, ad quos ire voluerint, etiam in damnatione conſortium.

CAP. XIII.

De his, qui Eccleſiam intrant.

DE his qui intrant in Eccleſiam, & deprehenduntur numquam communicare, admoneantur. Quòd ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant.Si cõmunicant, non ſemper abſtineantur. Si non fecerint, abſtineantur. De Conſ. Diſt. 2. Hi qui intrant.

CAP. XIV.

De accipientibus Euchariſtiam.

SI QVIS autem acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

ANTIQVVS Eccleſiæ mos fuit, dari fidelibus Euchariſtiam in manus. Nicephorus lib. 12. c. 41. miraculum de muliere, quæ, accepta communione, panem ſupponit, tradit. Eſt etiam apud Euſebium lib. 7. cap. 33. & 34. Eccleſ. Hiſt. & in Concilio Antiſſiodorenſi, cap. 36. & apud Balſamonem ſuper Canones Sextæ Synodi, cap. 36. Idem Dionyſius Alexandrinus ep. 5. ad Sixtum Papam, quæ extat apud Nicephorum lib. 6. cap. 19. Idem Cyprianus in ſerm. de Lapſis. Quomodo verò in manu accipiebant, explicat Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. *Siniſtram*, inquit, *veluti ſedem quamdam ſubiiciens dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concaua manu ſuſcipiebat Corpus Chriſti.* Poſteà verò propter fraudes impiorum hominum cautum eſt, vt in os mittatur. Id conſtat ex Concilio Rothomagenſi, cap. 2. Et hoc tempore, non ante, qui accedebat ad communionem, manus in formam crucis figurabat: ex Synodo VI. in Trullo, c. 102. Idem Damaſcenus lib. 4. Orthod. fidei c. 14. Garcias.

CAP. XV.

De excommunicatis à Sacerdote.

11. q. 3. Si quis laicus. SI QVIS laicus abſtinetur, ad hunc vel ad domum eius, vel Clericorum vel Religioſorum nullus accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, à Clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehenſus, etiam ipſe abſtineatur. Sed hoc pertineat ad eos Clericos, qui eius ſunt Epiſcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abſtinetur, ſiue laico quolibet, ſiue Clerico.

CAP. XVI.

De pœnitentia Deuotæ, ſi adultera fuerit.

27. q. 1. Deuotam. DEVOTAM peccantem, non recipiendam in Eccleſiam, niſi peccare deſierit; & ſi deſinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priuſquam autem in Eccleſiam admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit, habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc ipſo viuente marito caſtè viuere cœperit, aut poſtquam ipſe deceſſerit.

CAP. XVII.

De vxorato concubinam habente.

SI QVIS habens vxorem fidelem, ſi concubinã habeat, non communicet. Ceterùm is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantũ vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) ſit coniunctione cõtentus. Aliàs verò viuens abiiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam reuertatur. Diſt. 34. Is qui.

ANNOTATIO.

PER concubinam hoc loco intellige vxorem ſine dote, & extra ſolemnitatem, interuentu conſenſus mutui perpetuò conuiuendi ductam. Hoc modo Gen. 25. Agar & Cetura dicuntur concubinæ Abrahæ, quæ tamen veræ vxores fuerunt, vt patet Gen. 16. de Agar, & Gen. 25. de Cetura. Iuſtinianus Nouell. 18. c. 5. quaſdam concubinas comparat vxoribus, quæ ſine dotalium tabularum ſolemnitate ductæ fuerant. Ad quod genus concubinarum referendum eſt quod ſcribit B. Auguſtinus de Bono coniugali, & refertur Can. Solet. 32. q. 2. in quibus hæc tria erant neceſſaria: Primum, vt vterque eſſet ſolutus: Secundum, vt daretur mutua fides, quòd alteri non iungerentur, neque à procreatione prolis abhorrerent: Tertium, vt vſque ad mortem in ea vitæ coniunctione manere proponerent. Hunc contractum nuptias & connubium dici poſſe, S. Auguſtinus concedit: hoc connubio alicui iunctam, vxorem appellare non audet; quia non interuenerunt dotalia inſtrumenta, de Iure Ciuili & Canonico requiſita, ad hoc, vt ſit legitima vxor. Can. Aliter. 30. q. 5. Item prædicta Nouella 18. Huiuſmodi igitur mulieres, cùm non eſſent vxores, vocabantur concubinæ. Ob prædicta tria, ac præcipuè, quòd in affectu maritali permanere ſtatuerent, permittebatur ipſis communicare, habebanturque tamquam vxores minùs ſolemniter ductæ. Hoc eſt quod Gratianus ad finem Can. Omnibus. diſt. 34. ait: *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis vnita eſt, & coniugali affectu adſciſcitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat.* Vide Bellarminum lib. 3. de Concil. cap. 8. ad 11. obiectionem. Baronium an. 305. num. 59.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

De vidua Epiſcopi, ſi maritum acceperit.

SI qua vidua Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religioſa, cum ea conuiuium ſumat, numquam communicet, morienti tantùm ei Sacramentum ſubueniat.

CAP. XIX.

Si filia Sacerdotis Religioſa peccauerit.

EPISCOPI, ſiue Presbyteri, ſiue Diaconi filia, ſi Deuota fuerit, & peccauerit, & maritum duxerit, ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à cõmunione habeantur alieni: pater verò cauſas in Concilio nouerit ſe præſtaturum. Mulier autem non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem (viuente eo) ſeceſſerit, & pœnituerit, nullo modo, niſi vitæ deficiens, accipiat communionem.

CAP. XX.

Nullus præter Epiſcopum Chriſma cõficiat.

QVAMVIS pæne vbique cuſtodiatur, vt abſque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis vel Prouinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum, Chriſma conficere, & per Diœceſim deſtinare: ita vt de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur aut Subdiaconi, vt confeſtim Chriſma ab Epiſcopo deſtinatum, ad diem Paſchæ poſſint ad tempus deferre. Epiſcopo ſanè certum eſt quòd omni tempore licet Chriſma cõficere, ſine conſcientia autem Epiſcopi nihil penitùs Presbyteri agere præſumant. Statutum verò eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente verò non, niſi ab ipſo fuerit præceptum. Huiuſmodi conſtitutionem meminerit ſemper Archidiaconus, vel præſentibus vel abſentibus Epiſcopis ſuggerendam, vt eam & Epiſcopi cuſtodiant, & Presbyteri non relinquant.

ANNOTATIO.

HÆC vltima verba Canonis intelligenda ſunt, non de Sacramentali Vnctione Chriſmatis in fronte, ſed de vnctione cęrimoniali, quæ in ſolemni Baptiſmo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc cærimonialem vnctionem olim Presbyteris interdictam, non niſi cum licentia Epiſcopi ab iiſdem vſurpatam fuiſſe, expreſſis verbis teſtatur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. p. 7. cap. 3. Innocentius I. epiſt. cap. 3. hunc Canonem videtur ampliare, vt liceat Presbyteris, tam præſente quàm abſente Epiſcopo hanc vnctionem cærimonialem vſurpare. verba illius hæc ſunt: *Siue extra Epiſcopum, ſiue præſente Epiſcopo baptizent.* Quamquam, quod dicit, *præſente Epiſcopo*, rectè etiam de eius licentia intelligi poſſit. Vide Suarez To. 3. de Sacram. Confirm. diſp. 34. ſect. 2.

CAP. XXI.

De Regulis fidei Catholicæ.

REGVLAE fidei contra omnes hęreſes, maximè contra Priſcillianiſtas, quas Epiſcopi Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitani, & Bætici fecerunt, & ex præcepto Papæ Leonis ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ tranſmiſerunt. Ipſi etiam ſupraſcripta viginti Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano.

ANNOTATIO.

QVID de Regula fidei hoc loco poſita ſentiendum ſit, ſciendum, quòd ſerpẽte in Hiſpania hæreſi Priſcilliana, à Marco Aegyptio intra Hiſpanias illata, Leo Papa ſanctiſſimus, qui à Petro non quadrageſimus, ſed quadrageſimus quintus, vt Annales Romani tradunt, extitit, Turibium Notarium cum epiſtola ad Synodum Gallæciæ miſit, in qua beatus Pontifex, dogmatis impietate commotus, multa aduerſus impiam ſectam ſanctè & doctè decreuit: quam Concilium ſuſcipiens, Priſcilliani figmenta ex auctoritate beatiſſimi Leonis damnauit. Eodem tempore idem Pontifex alterum Concilium in Hiſpania ferè Nationale, ex Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Bæticis Epiſcopis indixit, in quo hæc Regula fidei aduerſus Priſcillianum eſt edita, tranſmiſſaq; Balconio Metropolitano Gallæciæ, qui tunc etiam Concilium, Turibio inſtante, agebat. Quam Regulam, vt ortho-

Digitized by Google

doxam,& à Romano Põtifice approbatam, Concilium Gallæciæ ſuſcepit, quod & Celenſe appellatur; fortè, quia vſitatum eſt C pro G poni,vt Gaſpar,Caſpar; Gaius,Caius; Galba,Calba; ſic Celenſe,pro Galenſe. Hęc verò duo Concilia à noſtris celebrata ad huius hæreſis extirpationem,nõ extant; tantùm Regula fidei ſeruata eſt: in multis aliis Conciliis cùm ageretur de hac hęreſi reuincenda,iterùm acclamata & propoſita; vt in hoc Primo Toletano, & Primo Bracarenſi. Epiſtola Leonis ſcripta eſt ad Turibium Notarium: vel fortè fuit inſtructio data Turibio,vt in Hiſpania hæreſim Priſcilliani iugularet. Ex ipſius auctoritate poſteà creatus Epiſcopus Aſturicenſis, libros edidit Leoni dicatos,aduerſus Priſcillianum,vt ex epiſtola Montani ad Turibium Epiſcopum Palentinum patet. Neque hæc Synodus Secunda Toletana eſt appellanda,cùm illa Prima Nationalis Synodus, potiùs Tarraconenſis quàm Toletana fuerit. Verùm pullulante iterùm hęreſi Priſcilliana,in hac Prima Synodo Toletana, Æra 435. iterùm eadem Regulâ fidei veluti gladio probatiſſimo confoditur, reprimitur, & extirpatur, ſicut in Bracarenſi I. Aera 568. Hæc de Regula fidei aduerſus Priſcillianum à Patribus Hiſpaniæ ex auctoritate Romani Pontificis Leonis edita. Garçias.

Baronius anno 447.num.15. & ſeqq. iuſſu S.Leonis duo Concilia habita fuiſſe exiſtimat: Vnum Toleti, in quo Carthaginenſis, Luſitaniæ, & Bæticæ Epiſcopi conuenerunt; quiq; de rebus in Synodo geſtis (teſte Lucretio) ad Balconium eius Prouinciæ Primatem Bracarenſem Epiſcopum literas dederunt,quæque conſtituerant iiſdem cõmunicarunt. Alterum in Gallæcia ſub Balconio in municipio Celenenſi apud Lucenſem vrbem,cui vnà cum Balconio,Gallęciæ Prouinciæ Epiſcopi interfuerunt; idq; ideò, quòd Gallæci ſub Sueuorum Rege Rechila tunc regnante; reliquæ autem Hiſpaniarum Prouinciæ, Theodorico, eiuſq; filio Toriſmando,Gothorum Regibus parerent. Quia tamen vna conueniendi cauſa & auctoritas extitit,in vnam eamdemq; ſententiam conuenerunt,duo hæc Concilia vno eodemque tempore celebrata, in vnum poſteà conflata fuerunt. Regula autem fidei vtrobique approbata, cum Toletano Primo, Collectoris errore coniuncta fuit. Baronius anno 447. Bellarminus lib.2.de Conciliis,c.8. ad 11. idem de hac Regula huic Concilio ſurreptitiè ſuperaddita ſentit,ac ſcribit.

Aſſertio fidei eiuſdem CONCILII *contra* PRISCILLIANISTAS.

CREDIMVS in vnum verum Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum, viſibilium & inuiſibilium factorem, per quem omnia facta ſunt, in cælo & in terra, vnum Deum, & vnam eſſentiæ diuinæ ſubſtantiæ Trinitatem. Patrem autem non eſſe Filium ipſum, ſed habere Filium, qui Pater non ſit: Filium non eſſe Patrem, ſed Filium Dei de Patris eſſe natura. Spiritum quoq; eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed à Patre Filioq; procedens. Pater eſt, cuius vox hæc audita eſt de cęlis; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Filius eſt, qui ait: Ego à Patre exiui,& à Deo veni in hunc mundum. Paracletus eſt Spiritus, de quo Filius ait: Niſi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet. Hanc Trinitatem, perſonis diſtinctam, ſubſtãtiâ vnitam, virtute & poteſtate & maieſtate inuiſibilem, indifferentem. Præter hanc, nullam credimus diuinam eſſe naturam, vel Angeli, vel ſpiritus, vel virtutis alicuius, quæ Deus credatur. Hunc ergo Filium Dei, Deum natum à Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe vterum virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem ſine virili generatum ſemine, ſuſcepiſſe, duabus dumtaxat naturis, id eſt, Deitatis & carnis, in vnam conuenientibus omnino perſonam, id eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nec imaginarium corpus aut phantaſmatis alicuius in eo fuiſſe, ſed ſolidum atque verum. Hunc & eſuriſſe, & ſitiſſe, & doluiſſe, & fleuiſſe, & omnes corporis iniurias pertuliſſe. Poſtremò, à Iudæis crucifixum, & ſepultum, & tertia die reſurrexiſſe. Conuerſatum poſtmodum cum diſcipulis ſuis, & quadrageſima poſt reſurrectionem

nem die ad cælum aſcendiſſe. Hunc Filium hominis, etiam Filium Dei; & Filium Dei, etiam hominis Filium appellamus. Reſurrectionem verò futuram humanę credimus carnis, animam autem hominis non diuinæ eſſe ſubſtantiæ, aut Dei Patris, ſed creaturam dicimus Dei voluntate creatam. Si quis autem dixerit, aut crediderit, à Deo omnipotente mundum hunc factum non fuiſſe, atq; omnia eius inſtrumenta, anathema ſit. Si quis dixerit, atque crediderit, Deum Patrem eumdem eſſe Filium, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Filium eumdem eſſe Patrem, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Paracletum eſſe vel Patrem, vel Filium, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, carnem tantùm ſine anima à Filio Dei fuiſſe ſuſceptam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Chriſtum innaſcibilem eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem naſcibilem eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem Chriſti conuertibilem fuiſſe vel paſſibilem, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum eſſe priſcæ Legis, alterum Euangeliorum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, ab altero Deo mũdum factum fuiſſe, & non ab eo de quo ſcriptum eſt, In pricipio creauit Deus cælum & terram, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, corpora humana non reſurgere poſt mortem, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei eſſe ſubſtantiam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas, præter quas Eccleſia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel eſſe venerandas, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatis & carnis vnam in Chriſto eſſe naturam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, eſſe aliquid, quod ſe extra diuinam Trinitatem poſſit extendere, anathema ſit. Si quis Aſtrologiæ vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, coniugia hominum, quæ ſecundùm Legem diuinam licet habere, execrabilia eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, carnes auium, ſeu pecudum, quæ ad eſcam datæ ſunt, non tantùm pro caſtigatione hominum abſtinendas, ſed execrandas eſſe, anathema ſit. Si quis in errore Priſcilliani ſectam ſequitur, vel profitetur, vt aliud in ſalubri Baptiſmo contra Sedem S. Petri faciat, anathema ſit.

Explicit Regula fidei Catholicæ aduerſus Priſcillianiſtas. Patronus Epiſcopus ſubſcripſi. Marcellus Epiſcopus ſubſcripſi. Aphrodiſius Epiſcopus ſubſcripſi. Subſcripſerunt & alij Epiſcopi, qui interfuerunt Concilio.

CONC. AFRICANVM II.

ſub ANASTASIO *anno Chriſti* 401. *poſt Conſulatum* STILICONIS, 14. *Kalend. Iulias celebratum, in quo ad* ANASTASIVM *Romanum Pontificem, &* VENERIVM *Mediolanenſem Epiſcopum Legatio decreta fuit.*

HAEC Synodus celebrata poſt primum Conſulatum Stiliconis, quando adhuc Anaſtaſius Pontifex in viuis ſupereſſet, ad annum Domini 401. qui eſt Anaſtaſij 4. Arcadij & Honorij 7. eſt referenda. Poſteriore enim Conſulatu Stiliconis, qui in annum Domini 407. incidit, Anaſtaſius, cuius hîc fit mentio, è vita migrarat. Cauſa habiti Concilij fuit, vt decernerentur Legati, qui ab Anaſtaſio Romanæ, à Venerio Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopo peterent, vt Africanæ Eccleſiæ clericorum inopia laboranti ſuccurrerent. Vtrumque Africanæ Eccleſię petitioni acquieuiſſe, ex coniecturis colligit Baronius anno prædicto, nu. 7. His peractis, triginta duo Canones de Eccleſiaſtica diſciplina hoc aliiſque præcedentibus Conciliis Africanis conſtituti, in hac Synodo confirmati, vel ſaltem iterùm promulgati fuerunt. ANNO DOMINI CCCCI.

CONC.

Digitized by Google

CONC. AFRICANVM III.

ſub ANASTASIO, *anno Chriſti* 401. VINCENTIO *&* FLAVITO *Coſſ. Idibus Septembris habitum, de* DONATISTIS *Eccleſiæ reconciliandis.*

ANNO DOMINI CCCCI.

CAVSA habiti Concilij hæc eſt: Anaſtaſius Pontifex de vniuerſali Eccleſia ex officio iure meritoque ſollicitus, ſciens Africanam Eccleſiam ex Donatiſtarum ſchiſmate magnopere laceratam, de vnitate ardentiore ſtudio procuranda ad Aurelium Carthaginenſem, alioſq; aliarum Prouinciarum in Africa Epiſcopos literas dederat. Cuius admonitionem iidem plurimi facientes, Generale Concilium Idibus Septembris anno 401. Carthagine celebrandum indixerunt. Statuto tempore conuenientes, ne, qui ſepoſita ſeueritate leuiter cum ipſis agere decreuerant, rationibus, ſi foret neceſſarium, deſtituti viderentur, illud in primis excogitarunt, vt ab Africanarum Prouinciarum Præfectis & Iudicibus, Primianiſtarum contra Maximianiſtas res geſtas, in publica monumenta relatas, conſequerentur, eo fine, vt ex propriis Actis manifeſti erroris conuinci poſſent; vtque etiam quæ ipſi contra Maximianiſtas ſæpiùs perpetraſſent, fruſtrà Catholicis obiici intelligerent. Secundò decretum eſt, vt quò faciliùs ad pacem & vnitatem Eccleſiæ ſchiſmatici redeant, ab Anaſtaſio Pontifice aliíſve tranſmarinæ Eccleſiæ Epiſcopis pro bono pacis indulgeri ac permitti petatur, vt Donatiſtæ ad Eccleſiam Catholicam redire volentes, in iiſdem Ordinibus apud ſuos antè ſuſceptis (ſi hoc recipiens Epiſcopus conducere exiſtimat) perſeuerare poſſint. Hoc ipſum Anaſtaſium Pontificem indulſiſſe, certum illud eſt argumentũ, quòd conſtet ex Auguſtino contra Creſcon. lib. 2. cap. 11. & 12. Africanos Epiſcopos ea poteſtate ſibi proculdubiò conceſſa vſos fuiſſe. Tertiò ex ſuggeſtione S. Auguſtini decretum, vt ad faciliùs conciliandos Donatiſtas Legati mittantur, qui literas à Carthaginenſi Epiſcopo omnium nomine ſcriptas, ſecum aſportarent, eo fine, vt qui ad bonum pacis cum Maximianiſtis coniunctionem ineundam eſſe decreto Vniuerſalis Concilij decreuerant, ſcirent, id propter totius orbis Chriſtiani pacem & concordiam ineundam, magis ſolicitè à ſe præſtari ac fieri debere. His peractis, XIV. Canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam rectè inſtituendam, & ex antiquioribus regulis reformandam, partim hoc partim aliis præcedentibus Conciliis conſtituti, in hac Synodo promulgati reperiuntur. Baronius anno 401. n. 9. & ſeqq.

Sequuntur CONCILIA *ſub* INNOCENTIO *Papa* I. *celebrata.*

CONC. MILEVITANVM I.

Generale ſub INNOCENTIO *Kal. ptemb. anno Chriſti* 402. *habitum.*

IN hac Synodo poſt confirmata Synodalia decreta, diuerſorum Epiſcoporum cauſæ in medium allatæ ſunt. CCCCII.
Creſconij Villaregienſis Epiſcopi cauſam ante omnes alias in iudicium deductam eſſe, conſtat; ſed quid in ea decretum ac conſtitutum fuerit, non apparet. Poſt hanc tractata fuit cauſa Quod-vult-Dei Centurienſis Epiſcopi, de qua illud à Patribus definitum, quod Canon hic, & ſub titulo de Iudiciis in Decretalium libro ſecundo editus, habet. Tertiò lectus eſt libellus Maximiani Vagienſis Epiſcopi, qui cùm ex Donatiſtarum ſchiſmate ad Eccleſiam Catholicam conuerſus, nõ pacificè à populo reciperetur, bono pacis conſulens, ſignificabat ſe ſuæ ſedi renuntiare: rogans etiam, vt ad benè conſulendum paci Eccleſiaſticæ, alius in locum ſuum ſubrogetur. Cauſa igitur diligenter examinata, Patres ſpontaneã & honorificam illius propter bonum pacis factam abdicationem admiſerunt,

runt, atque fratrem ipſius Caſtiorum, ad quem S. Auguſtini & Alypij literæ hoc anno cum laude Maximiani deſcriptæ extant, in eius locum ſubrogarunt. Ad hanc Synodum ſpectare videtur, quod ſcribit S. Auguſtinus epiſtol.236. ad Xantippum de Presbytero quodam, qui cùm ob ieiunij Natalis Domini violationem, officio ſuo per Auguſtinum meritò priuatus fuiſſet, ad Synodum appellauit, eamque cauſam ſex delegatis Iudicibus Epiſcopis committi impetrauit. Cùm de primatu Numidiæ inter Xantippum Conſtantinæ, & Victorinum alterius ciuitatis in Numidia diſceptatum eſſet, vt conſtat in Præfatione Concilij Carthaginenſis VI. & 217. epiſt. Auguſtini ad Victorinum, in hoc Concilio primatus Numidiæ Xantippo ſedique Conſtantinæ adiudicatus fuit. Vnde Iuſtinianus Imperator lib. 2. Cod. de Offic. Præf. Prætor. Afric. Conſtantinam ciuitatem primam ſedem Numidiæ appellat. De hac Synodo intelligendum eſt illud Auguſtini epiſt. 168. ad Euſebium, qua negat, ſui muneris eſſe, parricidium à filio quodam Catholico ad Donatiſtas transfuga matri intentatum, ad Mileuitanam Synodum deferre: maximè cùm res in aliena Diœceſi geſta, ob imminens periculum, ad Magiſtratum delata eſſet. Baronius anno 402. nu. 58. & ſeqq.

Sciendum adhuc, quòd ſub Innocentio Pontifice duo ſunt habita Concilia Mileui in Numidia: Vnum ſub primatu Xantippi, Arcadio & Honorio v. Coſſ. anno Domini 402. qui eſt Innocentij primus; in quo poſt paucula decreta Synodalia confirmata, Creſconij, Quod-vult-Dei, Maximiani, & Xantippi cauſæ tractatæ fuerunt. Alterum habitum eſt ſub Siluano Numidiæ Primate, Theodoſio VII. & Palladio Coſſ. anno Domini 416. qui eſt Innocentij 15. in quo vnanimi conſenſu Pelagiana hæreſis, tempore Mileuitani primi necdum exorta, cōdemnata fuit. Librariorum vitio, vel potiùs Collectorum incuriâ accidit, vt duo hæc Mileuitana vnum idemque Concilium eſſe arbitrati, ſimul in vnum conflauerint, & ex duobus vnum fecerint. Cauſam erroris accepiſſe videntur, primùm à loco ipſo, quòd ſcilicet vtrumque Mileuitanum diceretur. Secundò, quòd vtrumque Generale Concilium fuerit. Tertiò, quòd ſub vno eodemque Romano Pontifice Innocentio ambę Synodi collectæ eſſe noſcantur. Denique, quòd vtrique eadem Præfatio, quæ huius dumtaxat propria, & ſurreptitiè in ſecundam tranſlata eſt, præfixa habeatur. Baronius anno 402. nu. 54. & 55. item 416. nu. 2. & 3.

SYNODVS AD QVERCVM *habita anno* 403. *in cauſa* CHRYSOSTOMI *&* PHOTII.

CAVSA habitæ Synodi hæc eſt: Theophilus ad dicendam cauſam de criminibus illi ab Origeniſtis impoſitis Conſtantinopolim euocatus, cunctanter venit: verùm in itinere collegit Epiſcopos, quibus ad Chryſoſtomi depoſitionem abuteretur, propterea quòd Chryſoſtomus Origeniſtarum fautor eſſe videretur. Cùm igitur Conſtantinopolim perueniſſet, in ſuburbio per tres hebdomadas ſubſiſtens, ex reo ſubitò factus actor & Iudex, conſilio ſuo patefacto, omnes variis de cauſis Chryſoſtomo infenſos Epiſcopos, Clericos, Monachos, viros, fœminas, ipſam quoque Imperatricem Eudoxiam excitat ad accuſationes in eum intendendas, quas ipſe in Synodo diiudicandas ſuſcepit. Facta citatione Chryſoſtomi, quadraginta Epiſcopi Conſtantinopoli congregati, eius nomine reſponderūt. *Ne ſoluas*, inquiunt, *Nicænos Canones, cauſaſque citra tuos terminos ne cognoſcas, ipſe potiùs tranſi ad nos in benè inſtitutam ciuitatem, qui plures ſumus ex diuerſis Prouinciis, in quibus & ſeptem Metropolitæ, & vos triginta ſex tantùm ex vna Prouincia:* ANNO DOMINI CCCCIII.

nem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, vt defenſores eis aduerſus potentias diuitum cum Epiſcoporum prouiſione delegentur.

CAP. X.

D.18. Placuit,vt. VT Epiſcopi ad diem Concilij occurrant.

CAP. XI.

D.50. Cõfirmandũ eſt. VT lapſis Sacerdotibus manus, ſicut laicis, non imponatur.

CAP. XII.

11.qu.3. Rurſus conſtitutũ eſt. DE Clericis excommunicatis, quamdiu eis aſſerere liceat innocentiam ſuam.

CAP. XIII.

D.58. Si quis de alterius. DE Clericis, vel Monachis, ab alio Epiſcopo ordinatis.

CAP. XIV.

De Baſilicis, quæ ſine Martyrum reliquiis dedicatæ ſunt.

De Cõſec. d.1. Placuit altaria. ITEM placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros aut vias, tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt (ſi fieri poteſt) euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneãtur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbique conſtituuntur altaria, omnimodè reprobentur.

CAP. XV.

De idololatriis deſtruendis.

ITEM placuit ab Imperatoribus glorioſiſſimis peti, vt reliquiæ idololatriæ non ſolùm in ſimulachris, ſed in quibuſcumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimodò deleantur.

ANNOTATIO.

HIC Canon à Patribus huius Concilij editus fuit hac occaſione: Gentiles, vt cultores idolorum ſuorum in officio continerent, ex diuinis oraculis & reſponſis acceptis, iactitabant fore, vt in fine anni 365. à paſſione Chriſti, qui eſt nati Saluatoris 398. Chriſtiana religio planè extirparetur, finemque vltimum acciperet. Vt ergo vanitas & ſtultitia Ethnicorum, falſitas oraculorum Gentilium toti mundi innoteſceret, atque adeò ipſi radicitus euellerentur, qui Chriſtianam religionem extinctam exoptabant, per deputatam ad Comitatum Legationem petiuerunt, reliquias idololatriæ extirpari. Arcadius & Honorius petitionem æquam eſſe iudicantes, promulgatis Edictis per Orientem & Occidentem Manlio Theodoro Conſule, anno nimirum Chriſti 399. omnes idololatriæ reliquias ſuſtulerunt, ſimulachra fregerunt, ſacrificia Gentium prohibuerunt, eorumque templa funditus euerterunt: verùm cùm clariſſima ædificia omnino euerſa, vrbibus immenſam deformitatem adderẽt, poſterioribus Edictis reſcripſere, vt omni gentilitate ſublata, publicorum operum ornamenta ſeruarentur. Vide Baronium anno 399. num. 18. 20. & 21. & n. 54. & ſeqq.

SYNOD. ALEXANDRINA SVB ANASTASIO

in qua ORIGENISTAE *damnantur.*

CAVSAM habiti Concilij exponam à primo initio. Melania Romanorum nobiliſſima, quæ tempore perſecutionis Valentis quinq; millia Monachorum occultarat, triduoque panibus ſuis ſuſtentauerat, relegatos magno fidei ardore proſecuta eſt, vt de ſuis facultatibus iiſdem vitæ ſubſidia miniſtraret. Quibus ab exilio reuocatis, ipſa Monaſterium Ieroſolymis ſibi conſtruxit, in quo præter 50. Virgines ſecum habitantes, 27. annis ſanctos eo peregrinos Epiſcopos, Monachos & Virgines ex voto ſuſcepit & fouit. Qua occaſione accidit, vt ipſa cum Ruffino à cæco, ſed erudito & magni nominis viro, Didymo Alexandrino, Operum Origenis nimio admiratore, erroribus eiuſdem Origenis imbuti fuerint, eiuſque ANNO DOMINI CCCXCIX.

Periar-

Digitized by Google

Periarchon, (verum multarum hæreſeon promptuarium,) tamquam magnum theſaurũ non modò ipſi reciperent, verùm etiam toto terrarum orbe vulgari deſiderarent. Poſt 25. igitur annos abſentiæ in Ægypto & Palæſtina exactos, magna ſanctitatis fama Romam reuertentes, particulamque Crucis ſecum adferentes, Origenis errores, magna fraude vulgatis Periarchon libris circumtectos, Romanæ Eccleſiæ obtrudere moliuntur. Sed fraudem Melaniæ feminæ, Deus per feminam Marcellam detexit. Detecta fraude, ipſum Periarchon ſua opera in Latinum conuerſum eſſe, ſeque cum Origene ſentire, negarunt: & vt ſe Catholicos eſſe ſimularent, Communicatorias literas à Siricio Pontifice impetrarunt, & ab Vrbe viciſſim receſſerunt. Interim Pammachius & Oceanus viri clariſſimi atque doctiſſimi multa improbantes in eo libro Periarchon, quem Latinè verſum, & quaſi emendatũ Romæ Melania & Ruffinus vulgauerant, Hieronymum Ieroſolymis agentem per epiſt. 64. rogant, vt Periarchon Origenis Latinè integrè edat, Auctoris etiam errores ſimul & Interpretis in eo notet. Quod cùm vir ſanctus doctiſſimè præſtitiſſet, opus à ſe abſolutum, anno Chriſti 399. ad eoſdem Romam miſit, Præfatione appoſita, qua omnes qui in eo libro ſunt errores Origenis, omnibus manifeſtos redderet, ac dolum pariter prioris Interpretis aperiret, demum etiam à ſuſpicione hæreſeos Origeniſtarum, quam per laudes Ruffini Interpretis incurriſſe potuerat, ſeſe expurgaret. Hac occaſione, Ruffini & Melaniæ ſectatores in S. Hieronymum commoti, turbaſque ac rumores excitantes, Theophilo Alexandrinæ Sedis Epiſcopo cauſam dederunt, vt indicta Synodo Alexandriæ celebranda, errores Origenis cognoſcerentur. Anno itaque Chriſti 399. qui eſt Anaſtaſij 2. Arcadij & Honorij 5. hac occaſione in vnum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi conuenientes, Origenem eiuſque ſectatores condemnant, atque Synodicam epiſtolam ad Anaſtaſium Romanum Pontificem, Conſtantinopolitanum Epiphanium, Cypri, alióſve Epiſcopos ac Monachos tranſmiſerunt: intereà Theophilus per ſe ſuoſque Legatos, Origenis ſectatores ex Ægypto & Palæſtina expulit. Expulſi Conſtantinopolim ad Chryſoſtomum profecti, ibidem de iniuriis, ſibi velut hominibus Catholicis & innocentibus à Theophilo illatis, conqueſti fuerunt, eiuſque auxilium implorarunt: ille benignè exceptos communione tantùm peregrina, id eſt orationis, non Sacramentorum dignatus, reconciliandi eos Theophilo negotium ſuſcepit. Epiphanius Conſtantinopolim ſecutus à Chryſoſtomo eos damnari & expelli volebat. Chryſoſtomus contrà, qui ſe calumniam paſſos eſſe dicebant, & ſpeciem pietatis præſeferebant, abſque Synodo damnare & expellere non audebat. Qua ex cauſa Epiphanius Chryſoſtomo infenſus, communionem eius vitauit. Hęc Sozomenus, Socrates, & Palladius, Origeniſtarum fautores prolixè; Hieronymus ep. 67. 73. 78. Baronius anno 399. num. 36. & ſeqq.

CONCIL. AFRICANVM I. SVB ANASTASIO.

CVM Gildonem tyrannum potentiſſimum ſeptuaginta millibus militum Africam deuaſtantem, Maſcezil parua militari manu, quinque millium ſcilicet, in ſomno admonente eum Ambroſio, Deoque auxiliante feliciſſimè fudiſſet & profugaſſet, fratremque germanus frater pro ſuo merito ſtrangulari mandaſſet, rei proſperæ inſolentia Maſcezil victor elatus, poſthabito ſanctorum conſortio, quorum ope ac monitu, Deo militans vicerat, Eccleſiæ immunitatem violare auſus, fugientes ad Eccleſiam ab ea extraxit, atque paulò pòſt pœnas ſacrilego dignas, Deo vindici perſoluit, vt teſtantur Oroſius & Zoſimus lib. 5. ANNO DOMINI CCCXCIX.

Digitized by Google

Hac occaſione Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi, anno 399. quinto Kal. Maias Carthagine Synodo conuocata ac celebrata, Legatos deputarunt, qui ad Imperatorem profecti, Edictum exorarent & impetrarent, ne quis quocumque reatu inuolutos ab Eccleſia abſtrahere auderet, ſi ad eam confugiſſent. Et dubium non eſt, quin hæc Legatio ab Imperatore obtinuerit, quod Honorius Imperator ad Sapidianum Vicarium Africæ pro Africana Eccleſia reſcripſit his verbis: *Si Eccleſiæ venerabilis priuilegia cuiuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta; commiſſum quinque librarum auri (ſicut etiam priùs conſtitutum eſt) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Eccleſias vel Clericos per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab huiuſmodi hominibus fuerit contra leges impetratum; huius ſanctionis auctoritate vacuamus. Data 7. Kalen. Iul. Brixiæ, Theodoro V. C. Conſule.*

Extat l. 34. de Epiſc. & Cler. C. Theodoſ. Baronius an. 399. n. vlt.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLIT. SVB ANASTASIO.

ANNO DOMINI CCCC.

ANNO Domini 400. Anaſtaſij 3. Arcadij & Honorij 6. Conſtantinopoli Eccleſiaſticarum neceſſitatum gratiâ viginti duo Aſiæ Epiſcopi conuenerunt, & hanc Synodum ibidem celebrarunt: in qua ab Euſebio Valentinianopolitano Epiſcopo accuſatus eſt Antoninus Epheſi Epiſcopus de multis, & maximè de Simoniacis Ordinationibus: de quibus Palladius in Vita Chryſoſtomi.

Hoc autem iudicium cùm ob teſtium abſentiam agi non potuiſſet, mortuo interim Epheſi Epiſcopo, ad petitionem Cleri Epheſini cum Ioanne Chryſoſtomo ſeptuaginta Epiſcopi Aſiæ Epheſum conuenerunt, ibíque in locum demortui Epiſcopi Epheſini Heraclidem Diaconum elegerunt, & iudicium defuncti Conſtantinopoli inchoatum hîc abſoluerunt, ſexque Epiſcopos per Simoniam ab ipſo ordinatos depoſuerunt. Hæc Palladius in Vita Chryſoſtomi, Socrates lib. 6. c. 10. Sozomenus lib. 8. c. 6. Vide Baronium anno 400. num. 73. & ſeqq.

CONC. TOLETANVM I.

nouemdecim Epiſcoporum, tempore ANASTASII, HONORII, *&* ARCADII, STILICONE *Conſule habitum, Aera 438. anno Domini* 400. PATRONO *Epiſcopo præſidente, ſub die ſeptimo Idus Septembr. Eſt Prouinciale, ſed confirmatum videtur auctoritate* LEONIS *Papæ diſt. 20. c. De libellis.*

INTER ea quæ nunc extant, cccc. Concilium hoc Primum eſt, & celebratum fuit ſub Anaſtaſio Pontifice, anno Domini 400. Anaſtaſij Pontificatus tertio, Arcadij & Honorij 7. Cùm enim in Actis huius Concilij S. Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi adhuc viuentis expreſſa mentio habeatur, poſt annum Domini 400. non potuit hæc Synodus celebrata fuiſſe. Nam anno 401. Venerium, Simpliciani ſucceſſorem, eidem Mediolanenſi Eccleſiæ ſuffectum fuiſſe, conſtat ex Legatione illa Afrorum, quæ Vincentio & Friuilta Conſulibus contigit prędicto anno Domini 401. de qua agemus infrà in Annot. Concilij Africani II. Toletana Synodus II. habita eſt circa tempora Ioannis II. poſteriores poſterioribus temporibus. Vnde Ambroſius Morales, qui ex antiquo ſcripto Codice edidit Acta Synodi Toletanæ, vir cum primis doctus, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus rerum Hiſpanicarum optimè meritus, & poſt eum Garçias Loayſa opinantur, hanc, quam ſub Anaſtaſio celebratam eſſe confitentur, eamdẽ eſſe cum ea Toletana, ad quam Innocentius ſcripſit epiſt. 23. quæ habetur apud Binium: idque ſenſerunt ideò, quod putarint, eodem anno primi Conſulatus Stiliconis Toletanum Concilium celebratum, defunctóque Anaſtaſio Innocentium ſubrogatum fuiſſe. Sed cùm veriùs ſit, Anaſtaſium biennio poſt

Digitized by Google

poſt Conſulatum primum Stiliconis, obitumque Simpliciani Mediolanenſis, vſque ad annum Salutis 402. ſuperuixiſſe, dubium non eſt, illam Synodum, ad quam Innocentius Anaſtaſij ſucceſſor epiſtolam Decretalem dedit, non ſub Anaſtaſio, ſed Innocentio habitam, adeoque ab hac Toletana diuerſam fuiſſe: niſi dicas, quod inſolitum eſt, hoc Prouinciale Concilium in annum ſequentem propagatum fuiſſe. Hęc ſententia magis confirmatur, quòd Innocentius exordio epiſtolæ ſuæ fatetur, ſe frequenter nimiumque de ſchiſmate Hiſpanię componẽdo ſollicitum fuiſſe; atque adeò non initio, ſed poſt aliquot annos ſedis ſuæ hanc epiſtolam ſcripſiſſe. Quodſi ita eſt, has duas Toletanas diuerſas Synodos eſſe, concedere oportet. Licet in vtraque de perperàm factis Ordinationibus actum foret; non tamen inde benè inferretur, eaſdem Synodos fuiſſe. Nam & longè ante Primum Toletanum Concilium de iiſdem tractatum eſt à Siricio Papa in literis ab eo datis ad Hunerium Tarraconenſem Epiſcopum: diu enim multumque corrupta Ordinationum diſciplina, Hiſpaniarum Eccleſias exagitauit; adeò vt huius Concilij tempore vlcus in ſchiſma eruperit. Hæc Baronius anno 405. num. 43. & 44.

Concilii praefatio.

Considentibus Presbyteris, aſtantibus Diaconis, & ceteris qui intererant Concilio congregato; Patronus Epiſcopus dixit: Quoniam ſinguli cœpimus in Eccleſiis noſtris facere diuerſa, & inde tanta ſcandala ſunt, quæ vſque ad ſchiſma perueniunt, ſi placet, communi Concilio decernamus, quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis Clericis ſit ſequendum. Mihi autem placet, conſtituta primitus Nicæni Concilij perpetuò eſſe ſeruanda, nec ab his eſſe recedendum. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Hoc nobis placet, ita vt ſi quis, cognitis geſtis Nicæni Concilij, aliud quàm ſtatutum eſt, facere præſumpſerit, & non in eo perſeuerandum putauerit, hic excommunicatus habeatur, niſi per correctionem fratrum emendauerit errorem.

Annotatio.

Ibi, *Quoniam ſinguli.* Hinc patet quod ſuprà dixi, corruptelam diſciplinæ Eccleſiaſticæ in ſacris Ordinibus conferendis diu multumque Hiſpaniarum Eccleſias exagitaſſe: adeò vt tempore huius Concilij vlcus in ſchiſma eruperit. Ex quibus etiam poteſt intelligi, longè poſt Primum Concilium Toletanum, aliud eſſe celebratum ſub Innocentio, cùm iam longè lateq; tunc obortum ſchiſma diffuſum, magis magiſque Hiſpaniarum Eccleſias infeſtaret. Baronius vbi ſuprà num. 44.

Item ibi: *Conſtituta primitus Concilij Nicani perpetuò eſſe ſeruanda, neque ab ijs eſſe recedendum.* D. Ambroſius in epiſt. 32. ad Valentinianum Iuniorem ſcribens, *Sequor*, inquit, *tractatum Nicani Concilij, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare.* Idem Baſilius epiſt. 78. & Leo Pontifex in ep. 78. ad Leonem Imperatorem, *Non ſunt*, inquit, *omnino inter Catholicos computandi, qui diffinitiones venerabilis Synodi Nicana, vel ſancti Chalcedonenſis Concilij regulas non ſequuntur.* Quod illi ſancti Patres de Nicænę Synodo, & alijs Vniuerſalibus & Oecumenicis Conciliis dixerunt, idem nobis dicere licet & credere de ſancto & venerabili Concilio Tridentino, in quo Spiritus ſanctus, ſicuti in Nicæno, lucem & veritatem Patribus ad reuincendas hæreſes contulit. Garçias.

Cap. I.

De Presbyteris & Diaconis, ſi poſt Ordinationem filios genuerint, ad altiorem gradum non aſcendant.

Cap. II.

Pœnitens, ſi neceſſitas cogat, Lector aut Oſtiarius fiat.

Item placuit, vt pœnitentes non admittantur ad Clerum, niſi tantùm ſi D. 50. Placuit.
neceſſitas aut vſus exegerit; & tunc inter Oſtiarios deputentur, vel inter Lectores, ita vt Euangelia aut Epiſtolam non legant. Si qui autem ordinati ſunt Diaconi, inter Subdiaconos habeantur, ita vt manum non imponant, nec ſacra contingant. Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro

Digitized by Google

homicidio, aut pro diuerſis criminibus grauiſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus Altario.

CAP. III.

Qui viduas acceperint, Diaconi non fiant.

ITEM conſtituit ſancta Synodus, vt Lector fidelis, ſi viduam alterius vxorem acceperit, ampliùs nihil ſit, ſed ſemper Lector habeatur, aut fortè Subdiaconus.

CAP. IV.

Subdiaconus, ſi defuncta vxore aliam duxerit, Oſtiarius fiat.

SVBDIACONVS autem, defuncta vxore, ſi vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Oſtiarios, vel Lectores, ita vt Euangelium & Epiſtolam non legat: propterea, ne qui Eccleſiæ ſeruierit, publicis officiis ſeruire videatur. Qui verò tertiam (quod nec dicendum eſt) acceperit, abſtentus biennio, poſteà inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.

CAP. V.

De Clericis ad Eccleſiam non venientibus.

PRESBYTER, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra ciuitatem fuerit, vel in loco in quo Eccleſia eſt, aut caſtella, aut vici ſunt, aut villæ, ſi ad Eccleſiam aut ad Sacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus, per ſatisfactionem, veniam ab Epiſcopo noluit promereri.

CAP. VI.

Religioſa puella virorum familiaritatem non habeat.

ITEMQVE puella Dei nec familiaritatem habeat cum Confeſſore, aut cum quolibet laico ſanguinis alieni, aut conuiuium ſola adeat, niſi vbi ſit ſeniorum aut honeſtorum, aut viduarum honeſtarumq; frequentia, vbi honeſtè Confeſſor quilibet, cum plurimorum teſtimonio teſtium, conuiuio intereſſe poſſit. Cum Lectoribus autem in ipſorum domibus non admittendas penitùs, nec videndas, niſi fortè conſanguinea ſoror ſit, vel vterina.

CAP. VII.

De Clerico, cuius vxor peccauerit.

PLACVIT, vt ſi quorumcumq; Clericorum vxores peccauerint (ne fortè licentiam peccandi plus habeant) accipiant mariti earum hanc poteſtatem (præter necem) cuſtodiendi, ligandi in domo ſua, ad ieiunia ſalutaria, nō mortifera, eas cogentes: ita vt inuicem ſibi Clerici pauperes auxilium ferant, ſi ſeruitia fortè non habent. Cum vxoribus autem ipſis, quæ peccauerint, nec cibos ſumant, niſi fortè ad timorem Dei acta pœnitentia reuertantur. 33. qu. 2. Placuit vt ſi.

CAP. VIII.

De his qui poſt Baptiſmum militauerint.

SI QVIS poſt Baptiſmum militauerit, & chlamydem ſumpſerit, aut cingulum, ad necandos fideles, etiam ſi grauia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit, Diaconij non accipiat dignitatem.

CAP. IX.

De Profeſſis, vel viduis, abſente Sacerdote.

NVLLA Profeſſa, vel vidua, abſente Epiſcopo vel Presbytero, in domo ſua Antiphonas cum Confeſſore vel ſeruo ſuo faciat. Lucernarium verò niſi in Eccleſia non legatur, aut ſi legatur in villa, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.

ANNOTATIO.

LVCERNARIVM antiquis dicebatur pars prima veſpertini Officij, quæ nunc Veſperæ dicuntur: id conſtat ex Iſidoro, in Regula Monachorum, cap. 6. *In veſpertinis*, inquit, *Officiis, primò Lucernarium, deinde Pſalmi duo, Reſponſorius vnus, & Laudes, Hymnus atque Oratio dicenda eſt.* Hæc Iſidorus. Continebat verò veſpertinum Officium quatuor Pſalmos, vt ex regula D. Benedicti liquet, c. 17. *Veſpertina autē ſynaxis*, inquit, *quatuor Pſalmis cum Antiphonis terminatur.* Quia verò duo priores in lucernarum accenſione, & gratiarum actione veſpertini luminis legebantur, inde illa prima pars veſpertini Officij Lucernarium appellabatur. Poſt veſpertinum autem Officium, Completorium Iſidorus ibidem ponit, & lib. 1. de Eccleſiaſticis Officijs. Ex his itaq; patet, Lucernarium ad

ad noſtras Veſperas pertinere: vt etiam probatur ex Concilio Emeritenſi,c.2.his verbis: *Veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, prius dicitur veſpertinum,quàm* * *ſonum in diebus Feſtis.* Lucernarium itaque dicitur à lucernis accenſis; nam veſpertinum Officium eo tempore antiquitus fieri conſueuit, vt eſſet diuini Officij finis, & diei, vt teſtatur idem Iſidorus lib.de Eccleſ. Offic. c. De veſpertinis. *Veſpertinum diuini finis Officij, diurnæ & alternæ lucis occaſus eſt.* Et infra: *Veſpertinum enim nominatur à ſidere, quod Veſper vocatur, & decedente ſole exoritur.* Et lib. Etymol.6.c.vlt. *Veſpertinum Officium eſt in noctis initio, vocatum à ſtella Veſpere, quæ ſurgit oriente nocte.* Diuus etiam Hieronymus in Explicatione Pſal. 119. *Hora tertia oramus, hora ſexta oramus, nona Lucernariũ facimus:* vbi nonam pro vltima poſuit. Idem Auguſtinus in Regul.2. Diuus autem Benedictus in Regul. c.41. totum Eccleſiaſticum Officium luce diei concludendum præſcripſit. *Veſpera,* inquit, *ſic agatur, vt lumine lucernæ reficientes non indigeant, ſed luce adhuc diei omnia conſummentur.* Baſilius Lucernarium fieri lib.de Spiritu ſancto,c.29.in exortu Luciferi docet. *Viſum,* ait, *eſt patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed mox vt apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus: populus tamen antiquam profert vocem: neque quiquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Hactenus Baſilius. Ex quibus ſanctorum Patrum teſtimoniis efficitur quod quærebamus; nempe, Lucernarium ad noſtras Veſperas pertinere, atque ita dictum à lucernarum accenſione. Quare verò prohibeatur Lucernarium in villa legi,niſi præſente Epiſcopo,Preſbytero, vel Diacono, colligi licet ex Iſidoro in Regula c.6. *Poſt Veſpertinum, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus diuinæ lectionis quæſtionibus diſputare; conferendo piè ac ſalubriter, tamquam meditando diſputandoq; immorari,quouſque Completarij tempus poſſit occurrere.* Eumdem morem in Cypro & Cæſarea Cappadociæ obſeruatum tradit Nicephorus lib. 12.c.34.Eccleſiaſt.Hiſt. *Cùm ſimiliter,* inquit, *in Cypro & Cæſarea Cappadocum,in Sabbato & in Dominico die, veſperi, poſt lucernarum accenſionem, Epiſcopi & Preſbyteri ſacras Scripturas populo exponant.* Cùm igitur poſt Lucernarium ſtatim Scripturæ interpretatio ſubiungi ſolita ſit, & id munus Epiſcopo in primis,atque Preſbytero, vel iis deficientibus Diacono incumbat, meritò à Patribus cautum eſt,non niſi aliquo eorum præſente,Lucernarium fieri oportere. Garçias.

CAP. X.

Ne Clericus fiat ſine conſenſu domini, aut patroni.

CLERICOS, ſiquidem obligati ſint, vel pro æquatione,vel de genere alicuius domus, non ordinandos,niſi probatæ vitæ fuerint, & patroni conſenſus acceſſerit.

CAP. XI.

De potentibus, quæ pauperem expoliant.

SI QVIS de potentibus Clericum,aut quemlibet pauperem, aut Religioſum expoliauerit, & mandauerit eum ad ſe venire Epiſcopus vt audiatur,& is contempſerit,inuicem mox ſcripta percurrant per omnes Prouinciæ Epiſcopos,& quoſcumque adire potuerint, vt excommunicatus habeatur ipſe, donec obediat, & reddat aliena. 24. q.3. Si quis de.

CAP. XII.

Ne Clericus ab Epiſcopo recedat.

ITEM vt liberum nulli Clerico ſit diſcedere ab Epiſcopo ſuo,& alteri Epiſcopo communicare, niſi fortè ei,quem Epiſcopus alius libenter habeat de hæreticorum ſchiſmate diſcedentem,& ad fidem Catholicam reuertentem. Si qui autem de Catholicis diſceſſerint, & in communione eorum,vel palàm vel occultè cum eis (qui vel excommunicati ſunt,vel per ſententiam iam notati) fuerint inuenti, habeant illorum, ad quos ire voluerint, etiam in damnatione conſortium.

CAP. XIII.

De his, qui Eccleſiam intrant.

DE his qui intrant in Eccleſiam, & deprehenduntur numquam communicare, admoneantur. Quòd ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant.Si cõmunicant, non ſemper abſtineantur. Si non fecerint, abſtineantur. De Conſ. Diſt. 2. Hi qui intrant.

CAP. XIV.

De accipientibus Euchariſtiam.

SI QVIS autem acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.

ANNOTATIO.

ANTIQVVS Eccleſiæ mos fuit, dari fidelibus Euchariſtiam in manus. Nicephorus lib. 12. c. 41. miraculum de muliere, quæ, accepta communione, panem ſupponit, tradit. Eſt etiam apud Euſebium lib. 7. cap. 33. & 34. Eccleſ. Hiſt. & in Concilio Antiſiodorenſi, cap. 36. & apud Balſamonem ſuper Canones Sextæ Synodi, cap. 36. Idem Dionyſius Alexandrinus ep. 5. ad Sixtum Papam, quæ extat apud Nicephorum lib. 6. cap. 19. Idem Cyprianus in ſerm. de Lapſis. Quomodo verò in manu accipiebant, explicat Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. *Siniſtram*, inquit, *veluti ſedem quamdam ſubiiciens dextera, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concaua manu ſuſcipiebat Corpus Chriſti.* Poſteà verò propter fraudes impiorum hominum cautum eſt, vt in os mittatur. Id conſtat ex Concilio Rothomagenſi, cap. 2. Et hoc tempore, non ante, qui accedebat ad communionem, manus in formam crucis figurabat: ex Synodo VI. in Trullo, c. 102. Idem Damaſcenus lib. 4. Orthod. fidei c. 14. Garçias.

CAP. XV.

De excommunicatis à Sacerdote.

11. q. 3. Si quis laicus. SI QVIS laicus abſtinetur, ad hunc vel ad domum eius, vel Clericorum vel Religioſorum nullus accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, à Clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehenſus, etiam ipſe abſtineatur. Sed hoc pertineat ad eos Clericos, qui eius ſunt Epiſcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abſtinetur, ſiue laico quolibet, ſiue Clerico.

CAP. XVI.

De pœnitentia Deuotæ, ſi adultera fuerit.

27. q. 1. Deuotam. DEVOTAM peccantem, non recipiendam in Eccleſiam, niſi peccare deſierit; & ſi deſinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priuſquam autem in Eccleſiam admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit, habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc ipſo viuente marito caſtè viuere cœperit, aut poſtquam ipſe deceſſerit.

CAP. XVII.

De vxorato concubinam habente.

SI QVIS habens vxorem fidelem, ſi concubinã habeat, non communicet. Ceterùm is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantũ vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) ſit coniunctione cõtentus. Aliàs verò viuens abiiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam reuertatur. Diſt. 34. Is qui.

ANNOTATIO.

PER concubinam hoc loco intellige vxorem ſine dote, & extra ſolemnitatem, interuentu conſenſus mutui perpetuò conuiuendi ductam. Hoc modo Gen. 25. Agar & Cetura dicuntur concubinæ Abrahæ, quæ tamen veræ vxores fuerunt, vt patet Gen. 16. de Agar, & Gen. 25. de Cetura. Iuſtinianus Nouell. 18. c. 5. quaſdam concubinas comparat vxoribus, quæ ſine dotalium tabularum ſolemnitate ductæ fuerant. Ad quod genus concubinarum referendum eſt quod ſcribit B. Auguſtinus de Bono coniugali, & refertur Can. Solet. 32. q. 2. in quibus hæc tria erant neceſſaria: Primum, vt vterque eſſet ſolutus: Secundum, vt daretur mutua fides, quòd alteri non iungerentur, neque à procreatione prolis abhorrerent: Tertium, vt vſque ad mortem in ea vitæ coniunctione manere proponerent. Hunc contractum nuptias & connubium dici poſſe, S. Auguſtinus concedit: hoc connubio alicui iunctam, vxorem appellare non audet; quia non interuenerunt dotalia inſtrumenta, de Iure Ciuili & Canonico requiſita, ad hoc, vt ſit legitima vxor. Can. Aliter. 30. q. 5. Item prædicta Nouella 18. Huiuſmodi igitur mulieres, cùm non eſſent vxores, vocabantur concubinæ. Ob prædicta tria, ac præcipuè, quòd in affectu maritali permanere ſtatuerent, permittebatur ipſis communicare, habebanturque tamquam vxores minùs ſolemniter ductæ. Hoc eſt quod Gratianus ad finem Can. Omnibus. diſt. 34. ait: *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis vnita eſt, & coniugali affectu adſciſcitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat.* Vide Bellarminum lib. 3. de Concil. cap. 8. ad 11. obiectionem. Baronium an. 305. num. 59.

CAP.

CAP. XVIII.

De vidua Epiſcopi, ſi maritum acceperit.

SI qua vidua Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religioſa, cum ea conuiuium ſumat, numquam communicet, morienti tantùm ei Sacramentum ſubueniat.

CAP. XIX.

Si filia Sacerdotis Religioſa peccauerit.

EPISCOPI, ſiue Presbyteri, ſiue Diaconi filia, ſi Deuota fuerit, & peccauerit, & maritum duxerit, ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à cõmunione habeantur alieni: pater verò cauſas in Concilio nouerit ſe præſtaturum. Mulier autem non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem (viuente eo) receſſerit, & pœnituerit, nullo modo, niſi vitæ deficiens, accipiat communionem.

CAP. XX.

Nullus præter Epiſcopum Chriſma cõficiat.

QVAMVIS pæne vbique cuſtodiatur, vt abſque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis vel Prouinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum, Chriſma conficere, & per Diœceſim deſtinare: ita vt de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur aut Subdiaconi, vt confeſtim Chriſma ab Epiſcopo deſtinatum, ad diem Paſchæ poſſint ad tempus deferre. Epiſcopo ſanè certum eſt quòd omni tempore licet Chriſma cõficere, ſine conſcientia autem Epiſcopi nihil penitùs Presbyteri agere præſumant. Statutum verò eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente verò non, niſi ab ipſo fuerit præceptum. Huiuſmodi conſtitutionem meminerit ſemper Archidiaconus, vel præſentibus vel abſentibus Epiſcopis ſuggerendam, vt eam & Epiſcopi cuſtodiant, & Presbyteri non relinquant.

ANNOTATIO.

HÆC vltima verba Canonis intelligenda ſunt, non de Sacramentali Vnctione Chriſmatis in fronte, ſed de vnctione cęrimoniali, quæ in ſolemni Baptiſmo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc cærimonialem vnctionem olim Presbyteris interdictam, non niſi cum licentia Epiſcopi ab iiſdem vſurpatam fuiſſe, expreſſis verbis teſtatur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. p.7. cap. 3. Innocentius I. epiſt. cap. 3. hunc Canonem videtur ampliare, vt liceat Presbyteris, tam præſente quàm abſente Epiſcopo hanc vnctionem cærimonialem vſurpare. verba illius hæc ſunt: *Siue extra Epiſcopum, ſiue præſente Epiſcopo baptizent.* Quamquam, quod dicit, *præſente Epiſcopo*, rectè etiam de eius licentia intelligi poſſit. Vide Suarez To. 3. de Sacram. Confirm. diſp. 34. ſect. 2.

CAP. XXI.

De Regulis fidei Catholicæ.

REGVLAE fidei contra omnes hęreſes, maximè contra Priſcillianiſtas, quas Epiſcopi Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitani, & Bætici fecerunt, & ex præcepto Papæ Leonis ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ tranſmiſerunt. Ipſi etiam ſupraſcripta viginti Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano.

ANNOTATIO.

QVID de Regula fidei hoc loco poſita ſentiendum ſit, ſciendum, quòd ſerpẽte in Hiſpania hæreſi Priſcilliana, à Marco Aegyptio intra Hiſpanias illata, Leo Papa ſanctiſſimus, qui à Petro non quadrageſimus, ſed quadrageſimus quintus, vt Annales Romani tradunt, extitit, Turibium Notarium cum epiſtola ad Synodum Gallæciæ miſit, in qua beatus Pontifex, dogmatis impietate commotus, multa aduerſus impiam ſectam ſanctè & doctè decreuit: quam Concilium ſuſcipiens, Priſcilliani figmenta ex auctoritate beatiſſimi Leonis damnauit. Eodem tempore idem Pontifex alterum Concilium in Hiſpania ferè Nationale, ex Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Bæticis Epiſcopis indixit, in quo hæc Regula fidei aduerſus Priſcillianum eſt edita, tranſmiſſaq; Balconio Metropolitano Gallæciæ, qui tunc etiam Concilium, Turibio inſtante, agebat. Quam Regulam, vt ortho-

doxam,& à Romano Pôtifice approbatam, Concilium Gallæciæ ſuſcepit, quod & Celenſe appellatur; fortè, quia vſitatum eſt C pro G poni, vt Gaſpar, Caſpar; Gaius, Caius; Galba, Calba; ſic Celenſe, pro Galenſe. Hęc verò duo Concilia à noſtris celebrata ad huius hæreſis extirpationem, nô extant; tantùm Regula fidei ſeruata eſt: in multis aliis Conciliis cùm ageretur de hac hęreſi reuincenda, iterùm acclamata & propoſita; vt in hoc Primo Toletano, & Primo Bracarenſi. Epiſtola Leonis ſcripta eſt ad Turibium Notarium: vel fortè fuit inſtructio data Turibio, vt in Hiſpania hæreſim Priſcilliani iugularet. Ex ipſius auctoritate poſteà creatus Epiſcopus Aſturicenſis, libros edidit Leoni dicatos, aduerſus Priſcillianum, vt ex epiſtola Montani ad Turibium Epiſcopum Palentinum patet. Neque hæc Synodus Secunda Toletana eſt appellanda, cùm illa Prima Nationalis Synodus, potiùs Tarraconenſis quàm Toletana fuerit. Verùm pullulante iterùm hęreſi Priſcilliana, in hac Prima Synodo Toletana, Æra 435. iterùm eadem Regulâ fidei veluti gladio probatiſſimo confoditur, reprimitur, & extirpatur, ſicut in Bracarenſi I. Aera 568. Hæc de Regula fidei aduerſus Priſcillianum à Patribus Hiſpaniæ ex auctoritate Romani Pontificis Leonis edita. Garçias.

Baronius anno 447. num. 15. & ſeqq. iuſſu S. Leonis duo Concilia habita fuiſſe exiſtimat: Vnum Toleti, in quo Carthaginenſis, Luſitaniæ, & Bæticæ Epiſcopi conuenerunt; quiq; de rebus in Synodo geſtis (teſte Lucretio) ad Balconium eius Prouinciæ Primatem Bracarenſem Epiſcopum literas dederunt, quæque conſtituerant iiſdem cômunicarunt. Alterum in Gallæcia ſub Balconio in municipio Celenenſi apud Lucenſem vrbem, cui vnà cum Balconio, Gallęciæ Prouinciæ Epiſcopi interfuerunt; idq; ideò, quòd Gallæci ſub Sueuorum Rege Rechila tunc regnante; reliquæ autem Hiſpaniarum Prouinciæ, Theodorico, eiuſq; filio Toriſmando, Gothorum Regibus parerent. Quia tamen vna conueniendi cauſa & auctoritas extitit, in vnam eamdemq; ſententiam conuenerunt, duo hæc Concilia vno eodemque tempore celebrata, in vnum poſteà conflata fuerunt. Regula autem fidei vtrobique approbata, cum Toletano Primo, Collectoris errore coniuncta fuit. Baronius anno 447. Bellarminus lib. 2. de Conciliis, c. 8. ad 11. idem de hac Regula huic Concilio ſurreptitiè ſuperaddita ſentit, ac ſcribit.

Aſſertio fidei eiuſdem CONCILII *contra* PRISCILLIANISTAS.

CREDIMVS in vnum verum Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum, viſibilium & inuiſibilium factorem, per quem omnia facta ſunt, in cælo & in terra, vnum Deum, & vnam eſſentiæ diuinæ ſubſtantiæ Trinitatem. Patrem autem non eſſe Filium ipſum, ſed habere Filium, qui Pater non ſit: Filium non eſſe Patrem, ſed Filium Dei de Patris eſſe natura. Spiritum quoq; eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed à Patre Filioq; procedens. Pater eſt, cuius vox hæc audita eſt de cęlis; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Filius eſt, qui ait: Ego à Patre exiui, & à Deo veni in hunc mundum. Paracletus eſt Spiritus, de quo Filius ait: Niſi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet. Hanc Trinitatem, perſonis diſtinctam, ſubſtãtiâ vnitam, virtute & poteſtate & maieſtate inuiſibilem, indifferentem. Præter hanc, nullam credimus diuinam eſſe naturam, vel Angeli, vel ſpiritus, vel virtutis alicuius, quæ Deus credatur. Hunc ergo Filium Dei, Deum natum à Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe vterum virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem ſine virili generatum ſemine, ſuſcepiſſe, duabus dumtaxat naturis, id eſt, Deitatis & carnis, in vnam conuenientibus omnino perſonam, id eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nec imaginarium corpus aut phantaſmatis alicuius in eo fuiſſe, ſed ſolidum atque verum. Hunc & eſuriſſe, & ſitiſſe, & doluiſſe, & fleuiſſe, & omnes corporis iniurias pertuliſſe. Poſtremò, à Iudæis crucifixum, & ſepultum, & tertia die reſurrexiſſe. Conuerſatum poſtmodum cum diſcipulis ſuis, & quadrageſima poſt reſurrectionem

nem die ad cælum aſcendiſſe. Hunc Filium hominis, etiam Filium Dei; & Filium Dei, etiam hominis Filium appellamus. Reſurrectionem verò futuram humanę credimus carnis, animam autem hominis non diuinæ eſſe ſubſtantiæ, aut Dei Patris, ſed creaturam dicimus Dei voluntate creatam. Si quis autem dixerit, aut crediderit, à Deo omnipotente mundum hunc factum non fuiſſe, atq; omnia eius inſtrumenta, anathema ſit. Si quis dixerit, atque crediderit, Deum Patrem eumdem eſſe Filium, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Filium eumdem eſſe Patrem, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Paracletum eſſe vel Patrem, vel Filium, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, carnem tantùm ſine anima à Filio Dei fuiſſe ſuſceptam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Chriſtum innaſcibilem eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem naſcibilem eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem Chriſti conuertibilem fuiſſe vel paſſibilem, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum eſſe priſcæ Legis, alterum Euangeliorum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, ab altero Deo mūdum factum fuiſſe, & non ab eo de quo ſcriptum eſt, In principio creauit Deus cælum & terram, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, corpora humana non reſurgere poſt mortem, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei eſſe ſubſtantiam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas, præter quas Eccleſia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel eſſe venerandas, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatis & carnis vnam in Chriſto eſſe naturam, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, eſſe aliquid, quod ſe extra diuinam Trinitatem poſſit extendere, anathema ſit. Si quis Aſtrologiæ vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, coniugia hominum, quæ ſecundùm Legem diuinam licet habere, execrabilia eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, carnes auium, ſeu pecudum, quæ ad eſcam datæ ſunt, non tantùm pro caſtigatione hominum abſtinendas, ſed execrandas eſſe, anathema ſit. Si quis in errore Priſcilliani ſectam ſequitur, vel profitetur, vt aliud in ſalubri Baptiſmo contra Sedem S. Petri faciat, anathema ſit.

Explicit Regula fidei Catholicæ aduerſus Priſcillianiſtas. Patronus Epiſcopus ſubſcripſi. Marcellus Epiſcopus ſubſcripſi. Aphrodiſius Epiſcopus ſubſcripſi. Subſcripſerunt & alij Epiſcopi, qui interfuerunt Concilio.

CONC. AFRICANVM II.

ſub ANASTASIO *anno Chriſti* 401. *poſt Conſulatum* STILICONIS, 14. *Kalend. Iulias celebratum, in quo ad* ANASTASIVM *Romanum Pontificem, &* VENERIVM *Mediolanenſem Epiſcopum Legatio decreta fuit.*

HAEC Synodus celebrata poſt primum Conſulatum Stiliconis, quando adhuc Anaſtaſius Pontifex in viuis ſupereſſet, ad annum Domini 401. qui eſt Anaſtaſij 4. Arcadij & Honorij 7. eſt referenda. Poſteriore enim Conſulatu Stiliconis, qui in annum Domini 407. incidit, Anaſtaſius, cuius hîc fit mentio, è vita migrarat. Cauſa habiti Concilij fuit, vt decernerentur Legati, qui ab Anaſtaſio Romanæ, à Venerio Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopo peterent, vt Africanæ Eccleſiæ clericorum inopia laboranti ſuccurrerent. Vtrumque Africanæ Eccleſię petitioni acquieuiſſe, ex coniecturis colligit Baronius anno prædicto, nu. 7. His peractis, triginta duo Canones de Eccleſiaſtica diſciplina hoc aliiſque præcedentibus Conciliis Africanis conſtituti, in hac Synodo confirmati, vel ſaltem iterùm promulgati fuerunt.

ANNO DOMINI CCCCI.

CONC.

runt, atque fratrem ipſius Caſtiorum, ad quem S. Auguſtini & Alypij literæ hoc anno cum laude Maximiani deſcriptæ extant, in eius locum ſubrogarunt. Ad hanc Synodum ſpectare videtur, quod ſcribit S. Auguſtinus epiſtol. 236. ad Xantippum de Presbytero quodam, qui cùm ob ieiunij Natalis Domini violationem, officio ſuo per Auguſtinum meritò priuatus fuiſſet, ad Synodum appellauit, ſuamque cauſam ſex delegatis Iudicibus Epiſcopis committi impetrauit. Cùm de primatu Numidiæ inter Xantippum Conſtantinæ, & Victorinum alterius ciuitatis in Numidia diſceptatum eſſet, vt conſtat in Præfatione Concilij Carthaginenſis VI. & 217. epiſt. Auguſtini ad Victorinum, in hoc Cõcilio primatus Numidiæ Xantippo ſediq́ue Conſtantinæ adiudicatus fuit. Vnde Iuſtinianus Imperator lib. 1. Cod. de Offic. Præf. Prætor. Afric. Conſtantinam ciuitatem primam ſedem Numidiæ appellat. De hac Synodo intelligendum eſt illud Auguſtini epiſt. 168. ad Euſebium, qua negat, ſui muneris eſſe, parricidium à filio quodam Catholico ad Donatiſtas transfuga matri intentatum, ad Mileuitanam Synodum deferre: maximè cùm res in aliena Diœceſi geſta, ob imminens periculum, ad Magiſtratum delata eſſet. Baronius anno 402. nu. 58. & ſeqq.

Sciendum adhuc, quòd ſub Innocentio Pontifice duo ſunt habita Concilia Mileui in Numidia: Vnum ſub primatu Xantippi, Arcadio & Honorio v. Coſſ. anno Domini 402. qui eſt Innocentij primus; in quo poſt paucula decreta Synodalia confirmata, Creſconij, Quod-vult-Dei, Maximiani, & Xantippi cauſæ tractatæ fuerunt. Alterum habitum eſt ſub Siluano Numidiæ Primate, Theodoſio VII. & Palladio Coſſ. anno Domini 416. qui eſt Innocentij 15. in quo vnanimi conſenſu Pelagiana hæreſis, tempore Mileuitani primi necdum exorta, cõdemnata fuit. Librariorum vitio, vel potiùs Collectorum incuriâ accidit, vt duo hæc Mileuitana vnum idemque Concilium eſſe arbitrati, ſimul in vnum conflauerint, & ex duobus vnum fecerint. Cauſam erroris accepiſſe videntur, primùm à loco ipſo, quòd ſcilicet vtrumque Mileuitanum diceretur. Secundò, quòd vtrumque Generale Concilium fuerit. Tertiò, quòd ſub vno eodemq́ue Romano Pontifice Innocentio ambę Synodi collectæ eſſe noſcantur. Denique, quòd vtrique eadem Præfatio, quæ huius dumtaxat propria, & ſurreptitiè in ſecundam tranſlata eſt, præfixa habeatur. Baronius anno 402. nu. 54. & 55. item 416. nu. 2. & 3.

SYNODVS AD QVERCVM *habita anno 403. in cauſa* CHRYSOSTOMI *&* PHOTII.

CAVSA habitæ Synodi hæc eſt: Theophilus ad dicendam cauſam de criminibus illi ab Origeniſtis impoſitis Conſtantinopolim euocatus, cunctanter venit: verùm in itinere collegit Epiſcopos, quibus ad Chryſoſtomi depoſitionem abuteretur, propterea quòd Chryſoſtomus Origeniſtarum fautor eſſe videretur. Cùm igitur Conſtantinopolim perueniſſet, in ſuburbio per tres hebdomadas ſubſiſtens, ex reo ſubitò factus actor & Iudex, conſilio ſuo patefacto, omnes variis de cauſis Chryſoſtomo infenſos Epiſcopos, Clericos, Monachos, viros, feminas, ipſam quoque Imperatricem Eudoxiam excitat ad accuſationes in eum intendendas, quas ipſe in Synodo diiudicandas ſuſcepit. Facta citatione Chryſoſtomi, quadraginta Epiſcopi Conſtantinopoli congregati, eius nomine reſponderũt. ANNO DOMINI CCCCIII. *Ne ſoluas*, inquiunt, *Nicænos Canones, cauſaſque citra tuos terminos ne cognoſcas, ipſe potiùs tranſi ad nos in benè inſtitutam ciuitatem, qui plures ſumus ex diuerſis Prouinciis, in quibus & ſeptem Metropolitæ, & vos triginta ſex tantùm ex vna Prouincia:*

uincia: habemus enim contra te libellos capitum 70. apertas & nefarias actiones cõtinentes, &c. Ipſe verò Ioannes Chryſoſtomus reſpondit: *Abijcite de medio veſtrûm apertos inimicos meos, & de loco non cõtẽdam, in quo oportet me iudicari.* Cùm quartò citatus, quartò ſic reſpondiſſet, ad extremum, ad Synodum Oecumenicam prouocauit. At illi, nulla habita ratione appellationis, ſententiam depoſitionis in eum tulerunt, relationemque ad Imperatorem miſerunt: *Quoniam accuſatus*, inquiunt, *Ioannes quorumdam criminum, conſciuſque, ad ea diluenda occurrere noluit: huiuſmodi verò deponunt Leges, id quod & paſſus eſt. Continent autem libelli & læſæ Maieſtatis crimen. Iubeat hunc pietas veſtra expelli, vel inuitum, daturum tanti criminis pœnas. Nobis enim iſta non licet inquirere.* Miſſo igitur tertio die poſt abdicationem cum militibus Comite, circa veſperum, ne tumultus fieret, ſe ad nauim perducendum præbuit. Abductione eius cognita, magna populi ſeditio concitatur, vt etiam alieniores ab eo ad innocẽtis eiecti commiſerationem commouerentur. Qua cauſa, & quòd terræmotus ea nocte factus, terrorem Imperatrici incuſſiſſet, pluribus nuntiis vno poſt alium miſſis Imperator eum reuocat, & magno populi applauſu accipitur. Reſtitutus petit ab Imperatore ſuam cauſam in legitima Synodo tractari; quam Theophilus futuram timens, cum ſuis fugam arripuit: per literas Imperatoris vocatus, prætexens plebis furorem, eiuſque timorem, venire contempſit. Hæc ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Palladio, & maximè ex epiſt. ipſiuſmet Chryſoſtomi ad Innocentium Baronius an. 403. nu. 1. vſque ad 32. incluſiuè.

Locus autem Synodi *Ad Quercum* dictus, fuit ſuburbium Chalcedonis, quod à Ruffino Conſulari iam cognomen habet, dicitur *Ruffini ſuburbium*, in quo & Regia eſt, & ampla Eccleſia, quam ipſe Ruffinus in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli extruxit, & Apoſtolæum ex his appellauit. Hunc locum Epiſcopi aduerſarij conſultò delegerunt, ne ſcilicet vim populi ſuo paſtori addictiſſimi experirentur. Baronius prædicto loco ex Palladio & Sozomeno.

CONCIL. AFRICANVM I.

Generale ſub INNOCENTIO *de reconciliandis* DONATISTIS, *celebratum Carthagine anno 403. octauo Kal. Septembris.*

PRAECEDENTE Concilio Africano inter alia decreta fuit Legatio ad Romanum Pontificem pro aſſequenda indulgentia, qua Donatiſtis ad Eccleſiam Catholicam redeuntibus liceret retinere eamdem dignitatem, quam apud ſuos accepiſſent. Legati itaque Roma reuerſi, in hoc Concilio, coram omnibus Carthagine ſignificarunt, quæ ab ipſo Romano Pontifice Anaſtaſio obtinuiſſent: quod Aurelius in Præfatione inſinuare videtur his verbis: *Iam dudum enim*, &c. Pro reconciliãdis Donatiſtis decretum, debere vnumquemque in ſua ciuitate Donatiſtarum Præpoſitos conuenire, vnumque collegam ſibi vicinum adiungere, propterea quòd (teſte Auguſtino contra Creſconium lib. 3. cap. 45.) Donatiſtę laici ab Epiſcopis Catholicis conuenti reſponderent, de fide cum Epiſcopis ſuis agi debere, ſeque noſtram collationem vehementer optare. Forma conuentionis certa præſcripta eſt, & publicata Can. 59. qua Donatiſtas Catholici conuenire deberent. Sed quæ hæc ſubſecuta fuerint, Auguſtinus prędicto loco ſubdit his verbis: *Factum eſt, conuenti ſunt, recuſarunt; quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum eſt demonſtrare.* Extat conuentio duorum, Auguſtini, Proculianum Hipponenſem Epiſcopum Donatiſtarum: & Poſſidij, Criſpinum Calamenſem cõuenientis. Sed quo illi ſupercilio & ſuperbia reſponderint, dici ANNO DOMINI CCCCIII.

non

non poteſt. Non cōtenti verbis atrocibus & minacibus egiſſe, Criſpinus quidem Poſſidio inſidias per ſuos tetendit: pòſt apertè inſecutus, obſedit, lapidationem fecit, ignem domui iniecit, expugnauit, Epiſcopum contumeliis affecit. Ex his, quid alij fecerint, coniici poteſt. Vide Baronium an. 403. num. 35. 37. & ſeqq.

CONC. AFRICANVM II.

ſub INNOCENTIO *anno* 404. *ſexto Kal. Iulias habitum Carthagine, in quo contra* DONATISTAS *ad* HONORIVM *Imperatorē Legatio decreta fuit.*

ANNO DOMINI CCCCIV. CONCILIVM hoc celebratum eſt Carthagine anno 404. hanc ob cauſam: Donatiſtæ ad pacem & concordiam amicè inuitati, fraternam communionem non tantùm contempſerunt, verumetiam conuenientes ſe Epiſcopos Catholicos armata manu exagitarunt. Vt huic malo remedium quæreretur, decreta eſt Legatio ad Honorium Imperatorem, vt is ſua auctoritate interpoſita, Donatiſtarum furorem coërceat & compeſcat. Legatis in Synodo deſignatis, in ſcriptis data eſt admonitio, quæ Commonitorium dicitur; vnde quid agendum foret, cognoſcerent. Vt autem ſecuritati Catholicorum intereà conſulerent, Iudices ad ſui patrocinium per literas ſollicitarunt, Legatis Commendatitias ad Romanos, alioſque Epiſcopos illius loci vbi Imperator moraretur ſcriptas, addiderunt. Baronius anno 404. num. 123.

CONC. AFRICANVM III.

ſub INNOCENTIO *anno* 405.

CCCCV. CONCILIVM hoc propter hanc cauſam congregatum eſt: Antequam Legati præcedenti Africano Concilio deputati, Imperatorem conueniſſent, priuatæ Epiſcoporum, & inter alias Maximiani Bagaienſis Epiſcopi querelæ præcucurrerant. Vt ergo Donatiſtarum furor & ſæuitia coërceretur, Honorius Imperator diuerſas Sanctiones adiecit, quibus mulctam aurariam decem librarum iiſdem perſoluendam impoſuit, teſtamento aut donatione aliquid accipere prohibuit, emptionis & venditionis contractu interdixit, ac demum recuſantes redire ad vnitatem Eccleſię, relegari mandauit. Harum legum ſeueritate & timore plurimi ad Eccleſiam reuerſi fuerunt, idque magno totius Africanæ Eccleſiæ gaudio: Auguſtinus ep. 48. 50. & 68. Quam ob cauſam Stilicone ſecundùm & Arthemio Conſulibus, anno nimirum Chriſti 405. Innocentij 4. Carthagine conuenientes nihil aliud decreuerunt, quàm vt per Legationem ad Comitatum ablegatam, Imperatori de illis, qui relicto ſchiſmate ad Catholicam Eccleſiam rediiſſent, gratiæ agerentur. Baronius anno 405. num. 54.

TOLETANA SYNODVS SVB INNOCENTIO.

HAEC eſt illa Synodus Toletana, in qua de Ordinationibus perperàm factis actum fuit, & ad quam Innocentius epiſtolam 23. ſcripſit, quæ apud Binium extat. Hanc ab illa priore ſub Anaſtaſio habita diuerſam eſſe, optimè probat Binius. CCCCVI.

CONC. AFRICANVM IV.

ſub INNOCENTIO, HONORIO *ſeptimùm &* THEODOSIO *ſecundum Coſſ. anno Domini* 407.

HOC Concilium, vt ex annotatis Conſulibus liquet, habitum fuit Carthagine anno ſalutis noſtræ 407. qui eſt Innocētij 6. Arcadij & Honorij 13. Inter alia ſtatuta ibidem decreta eſt Legatio ad Honorium Imperatorem pro defenſione rerum Eccleſiaſticarum aduerſus Donatiſtas atque Paganos: ſancitumque, vt ad Comitatum euntes, Formatas acciperent ad Romanum Pontificem; à quo aliam quęrerent Formatam ad Imperatorem: ideò ſanè, ne hæretici Catholico nomine velarentur. Nam illi tantùm, teſte Optato, manifeſti Catholici habebantur, CCCCVII.

Digitized by Google

tur, quos cum Romano Pontifice communicare, Formatæ ab eo acceptæ teſtabantur. Præceptum eſt etiam, vt Formatis dies Paſchæ illius anni apponatur: & ſi propter nondum diuulgatum diem Paſchæ is definitè non ſciretur, decretum eſt apponi diem anni præteriti, ſcilicet, *poſt diem Paſchæ anni præteriti:* vt euenire ſolet, cùm in publicis ſcriptis, Poſt Conſulatum, quid factum ſit ſcribitur.

Circa cauſã verò Chryſoſtomi ſciendum, quòd Romanus Pontifex in cauſa S. Ioannis Chryſoſtomi aduerſus Theophilum Alexandrinum, & in omnes alios Epiſcopos, qui cum illo aduerſus eumdem Chryſoſtomum conſpirarant, mirum in modũ commotus fuit, adeò vt miſſas ab illis Epiſtolas accipere noluerit. De hac diſſenſione Theodorus Diaconus apud Palladium hæc ſcribit: *Eſt autem Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem vſque Orientalibus Epiſcopis, maximeque Theophilo, donec Dominus Vniuerſalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ita geſſerunt.* Publico itaque Decreto Legatis Romam miſſis mandatum eſt, vt Africanam Eccleſiam, per literas ad Innocentium ſcriptas, Romanæ Eccleſiæ reconcilient. Baronius anno 407. num. 4. & 5.

CONCILIVM AFRICANVM V. ET VI.

ſub INNOCENTIO, *anno* 408.

ANNO DOMINI CCCCVIII. POST Stiliconem, Occidentalis Imperij perduellem ac proditorem, ab Heraclio anno Chriſti 408. interfectũ, in Africa Gentiles & Donatiſtæ falſa rumore iactabant, nequaquam ex voluntate Honorij Imperatoris, ſed opera dumtaxat Stiliconis leges contra ſe latas extitiſſe: adeoq; earumdem auctoritatem vnà cum ipſo Stilicone extinctam eſſe. Viciſſim itaq; in Catholicos inſurrexerunt, plurimoſque etiam Epiſcopos necauerunt. Hac occaſione Carthagine duobus Conciliis duæ Legationes ad Imperatorem decretæ fuerunt, quæque per Stiliconem in hæreticos & Gentiles ſtatuta erant, Honorius per Legatos & Auguſtini epiſtolam ſollicitatus, ex ſua ſententia multis Reſcriptis confirmauit, & amplificauit. Baronius anno 408. n. 18.

CONC. AFRICANVM VII.

ſub INNOCENTIO *anno Chriſti* 409. *habitũ.*

IN hoc Concilio confirmantur ea, quę in præcedentibus definita ſunt. CCCCIX.

CONC. AFRICANVM VIII.

Carthagine ſub INNOCENTIO *habitum, anno Chriſti* 410.

CVM Attalus Tyrannus inuaſiſſet Imperium, & iam Africam eſſet tentaturus, accidit anno Chriſti 410. Innocentij Pontificis nono, vt Heracliani in Africa Comitis, vel Macrobij in ea Proconſulis conſilio, leges aduerſus Donatiſtas datæ ſilerent: etenim vniuerſa Africana Prouincia in diſcrimine poſita videbatur, ſi tot legibus exagitati & exaſperati Donatiſtæ pro partibus Attali dimicarent. Quamobrem elicitum fuit ab Honorio Imperatore Reſcriptum, quo iidem ſinerentur, eam quam vellent religionem amplecti: ſicque res tranſacta fuit. Cùm autem Attalo exauctorato, periculum illud ceſſaſſet; Epiſcopi Africani, quòd viderent Honorij Reſcriptum in magnum Chriſtianę Religionis diſpendium vergere, collecto Carthagine Epiſcoporum conuentu, vnâ omnium ſententiâ decreuerunt, mittendam eſſe ad Imperatorem Honorium Legationem, quam quatuor Epiſcopi ad hoc munus electi ornarent: rogarentque Imperatorem, vt Edictum pro Donatiſtis latum reuocaret. Et hoc eſt, quod in huius Synodi Præfatione ſic habetur: *Lex data eſt, vt libero cultu quis Chriſtianitatem acciperet.* Hæc ex præſcripto Honorij Imperatoris, quod extat lib. 51. De hæret. Cod. Theod. manifeſtè colliguntur. Vide Baronium anno 410. n. 47. 48. & 49. CCCCX.

SYN-

Digitized by Google

SYNODVS PTOLEMENSIS *in* LIBYA, *auctore* SYNESIO *Ptolemaidis Epiſcopo congregata, ſub* INNOCENTIO *Papa, anno Chriſti* 411.

ANNO DOMINI CCCCXI. ANNO ſalutis 411. Innocentij decimo, Honorio & Theodoſio Imperatore celebrata eſt Synodus Ptolemaïde in Pentapoli Ægypti. Cauſa habiti Concilij ibidem, hæc interceſſit: Andronicus Prouinciæ Præfectus multa crudelia in ſubditos, atque irreligioſa & impia aduerſus Eccleſiam perpetrarat, quibus in Synodo propoſitis atq; probatis, communi omnium ſententia diræ excommunicationis pœna mulctatur. Baronius anno 411. nu. 53.

CONCIL. CIRTENSE *in cauſa* DONATISTARVM *ſub* INNOCENTIO *anno* 412.

CCCCXII. HOC Concilium habitum eſt Cirtæ in Numidia menſe Iunio, anno ſalutis 412. qui eſt Innocentij vndecimus. Cauſa habiti Concilij iſta fuit, quòd Donatiſtæ collatione victi & confutati atrociùs graſſarentur, & verbis ſimul ac ſcriptis plura mendacia ſpargerent, quaſi noſtri Iudicem corrupiſſent, ſuæ factionis hominibus autem ne quidem loqui permiſſum fuiſſet. Vt his ergo mendaciis occurrerent, hoc loco Siluanus Numidiæ Primas, S. Auguſtinus, aliíve plures eius Prouinciæ Epiſcopi conuenerunt, acturi & conſulturi de communi modo, quo Donatiſtis calumniantibus, ſuiſque mendaciis collationem habitam irritare conantibus reſiſtendum foret. Quid verò inter eos tranſactum ſit, & communi ſententia decreuerint, licet Acta ipſa perierint, Synodalis epiſtola inde ad Donatiſtas laicos ſcripta refert. Extat apud Auguſtinum ep. 152. De qua illud admonendum putamus, quòd in fine ipſius octauus, pro nono Conſulatu Honorij, mendosè poſitus ſit. Baronius anno 412. n. 9. & 14.

CONCILIABVLVM DONATISTARVM *in* AFRICA *ſub* INNOCENTIO I. *anno* 414.

CVM Honorius Imperator in Africa anno Chriſti 414. lege quadam promulgata, Donatiſtas inteſtabiles, infames, hereditatis adeundæ incapaces, exilio ac relegatione dignos fore declaraſſet, legiſque executionem Dulcitio demandaſſet, triginta Donatiſtarum Epiſcopi ſtatim in Concilium conuenerunt; atq; in eo decreuerunt, Eccleſias nequaquam deſerendas eſſe: deportatos in exilium nō obtemperare: ſed voluntaria ſuiipſius nece vnumquemq; vim Præfectorum anteuertere debere; ideò, quòd ita futurum arbitrarentur, vt vel ſui tamquam Martyres colerentur: vel ſaltem commiſeratione Iudicum talia exhorrentium, in ſuis ipſorum Eccleſiis tolerarentur. Plures id fecerunt: adeò vt plurium nece voluntaria perterritus Dulcitius, quid ſibi agendum foret, Auguſtinum conſuluerit. Ex Epiſtola ad Dulcitium ſcripta apparet, eum reſpondiſſe, præſtare, vt per mortem etiam paucorum voluntariam, plures ſeruarentur. Hæc ex Auguſtino lib. 1. contra Gaudentium, cap. 19. 37. 38. Baronius anno prædicto, num. 5. & ſeqq. CCCCXIV.

SYNODVS *in* MACEDONIA *Prouincialis ſub* INNOCENTIO I. *anno* 414.

EX hac, pro confirmatione rerum geſtarum miſſa eſt Legatio ad Innocentium Papam per Vitalem Archidiaconum. Idque actum eſt anno Chriſti 414. Nam epiſtola Innocentij, quam ad Epiſcopos Macedoniæ reddidit, Conſtantio Conſule ſcripta fuit. CCCCXIV.

CONCILIVM DIOSPOLITANVM

14. Epiſcoporum, in quo PELAGIVS, *poſt hæreſes ſuo iudicio damnatas, fideique Catholicæ Profeſſionem emiſſam, abſolutus fuit, ſub* INNOCENTIO *Papa* I. *anno Chriſti* 415.

ANNO DOMINI CCCCXV.

HANC Synodum Dioſpoli congregatam S. Hieronymus epiſt. 79. miſerabilem Synodum vocat, tum quòd ea, quæ hîc Pelagius geſſiſſe dicitur, doloſè egerit: tum etiam, quòd verè miſerabilis fuerit ipſi Pelagio iſta Synodus, in qua ſuam ipſius hæreſim, cuius intrinſecus obſtinatus aſſertor erat, condemnare coactus fuerit. Acta huius Concilij Innocentius nequaquam probare ac confirmare voluit. Baronius anno 415. nu. 19. & 20.

Errores PELAGII *ab ipſo in* CONCILIO *condemnati.*

PRIMÒ quòd diceret, Adam mortalem factum, qui ſiue peccaſſet, ſiue non, mortuus eſſet.

Secundò, Quòd peccatum ipſius ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.

Tertiò, Quòd infantes nuper nati, in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante præuaricationem.

Quartò, Quòd per mortem vel præuaricationem Adæ, non omne genus humanum moriatur, & quòd non per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat.

Quintò, Infantes, etiam ſi non baptizentur, vitam æternam habere poſſunt.

Sextò, Diuites baptizatos, niſi omnibus renuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei.

Septimò, Gratiam Dei, atque adiutorium non ad ſingulos actus donari, ſed de libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina.

Octauò, Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.

Nonò, Filios Dei non poſſe vocari, niſi omni modo abſque omni peccato fuerint effecti.

Decimò, Nō eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere.

Vndecimò, Victoriam noſtram non eſſe ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio.

Duodecimò, Quòd petentibus veniam non detur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.

Hæc omnia Pelagius ſic anathematizauit (quod ſatis Geſta ipſa teſtantur) vt nihil ad ea quoquo modo defendenda diſputationis attulerit. Vnde fit conſequens, vt quiſquis ſequitur Epiſcopalis auctoritatem iudicij, & in ipſius Pelagij confeſſione tenere debeat, quæ tenuit Catholica Eccleſia.

Sequitur Catholica PELAGII *Confeſſio, poſt recenſita ex libello aduerſariorum Capita in eum obiecta, quæ omnia confutauit.*

PRIMÒ, Quòd Adam, niſi peccaſſet, non fuiſſet moriturus.

Secundò, Quòd peccatum eius non ipſum ſolum læſerit, ſed & genus humanum.

Tertiò, Quòd infantes nuper nati, non ſint in illo ſtatu, in quo Adam fuit ante præuaricationem.

Quartò, Vt ad ipſos etiam pertineat, quod breuiter ait Apoſtolus: Per vnum 1. Cor. 15. hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Quintò, Quòd infantes non baptizati, non ſolùm regnum cælorum, verùm etiam vitam æternam non habere poſſint.

Sextò, Vt confiteatur, diuites baptizatos,

zatos,

zatos, etiam ſi diuitiis ſuis non careant, & ſint talis, quales ad Timotheum deſcribit Apoſtolus, dicens: Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum ſuarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundáter ad fruendum: diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam: non eos à regno Dei poſſe priuari.

1.Tim.6.

Septimò, Vt fateatur, gratiam Dei & adiutorium etiam ad ſingulos actus dari, eamque non dari ſecundùm merita noſtra.

Octauò, Vt reverà ſit gratia, id eſt gratis data per eius miſericordiam, qui dixit: Miſereor cuius miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſertus fuero.

Rom.9.

Nonò, Vt fateatur, filios Dei vocari poſſe illos, qui quotidie dicunt: Dimitte nobis debita noſtra: quod vtiq; non veraciter dicerent, ſi eſſent omnino abſque peccato.

Decimò, Vt fateatur eſſe liberum arbitrium, etiamſi diuino indigeat adiutorio.

Vndecimò, Vt fateatur, quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex adiutorio Dei prouenire victoriam: non enim aliter verum eſt quod Apoſtolus ait: Non volentis, non currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

Rom.9.

Duodecimò, Vt fateatur, ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non ſecundùm merita eorum: quemadmodum etiam ipſam pœnitentiã donum Dei dixit Apoſtolus, vbi ait: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Hæc omnia ſimpliciter, ſine vllis fateatur ambagibus.

2.Tim.2.

Si quis contra auctoritatem Catholicam, & ipſius Pelagij expreſſa Eccleſiaſticis Geſtis verba conſentit, atque in illa, quæ his ſunt contraria, veraciter credit, anathema eſſe tenendum eſt, niſi quæ illis contraria ſunt, fido corde teneantur, & aperta confeſſione promantur.

CONCILIVM CARTHAGINENSE

in quo à 37. Epiſcopis PELAGIVS *&* CAELESTIVS *hæretici*, THEODOSIO *ſeptimùm &* PALLADIO *Coſſ. anno 416. damnati fuerunt ſub* INNOCENTIO *Papa* I.

Acta omnia exciderunt.

QVA occaſione hæc Synodus Carthagine in Africa celebrata ſit, quídve in ea actum fuerit, ex Synodali epiſtola, quæ inter B. Auguſtini epiſtolas eſt 90. cognoſcere licet: nimirum, quòd cùm ex Oroſij Presbyteri relatu, literiſque S. Hieronymi ad Auguſtinum redditis, aliorumq; Epiſcoporum Galliæ intellexiſſent, Pelagium à Patribus Dioſpolitani Concilij in Palæſtina, eò quòd hæreſim ſuam fraudulenter dumtaxat condemnaſſet, Catholicæ communioni redditum eſſe; omnino neceſſarium fore exiſtimarunt, vt Concilio deſuper indicto Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi congregentur, cauſa Pelagij & Cæleſtij Synodali Epiſcoporum iudicio iterùm examinetur: tum quòd Dioſpolitanæ Synodi Patres ſuo Decreto reſcidiſſe viderentur ea, quæ ipſi iam ante quinquénium aduerſus Cęleſtium ſtatuiſſent: tum etiam, quòd Pelagius à prædictis Patribus in communionem Eccleſiæ receptus, cum magno periculo fidelium, vt Catholicus cum fidelibus conuerſaretur. Initio conſeſſus epiſtolæ Herothis & Lazari Epiſcoporum in Gallia exhibitæ & perlectæ fuerunt. Poſt cauſam Pelagij & Cęleſtij propoſitam, pro meliore informatione Acta Eccleſiaſtica ante quinquenniũ aduerſus Cæleſtium Pelagij anteſignanum Carthagine confecta, edi, & publicè legi mandatum fuit. Quibus diligenter inſpectis & examinatis, vtriuſq; damnatio ibidem pro-

ANNO DOMINI CCCCXVI.

proclamata eſt, niſi parati eſſent, ſuas ipſorum hereſes damnare. Quibus peractis, per Synodicam ab Innocentio Actorum ſuorum confirmationem petiuerunt, addentes, vt ſi induci non poſſet ad damnandũ hominem, quem Palæſtina Synodus tamquam Catholicum abſoluiſſet, ſaltem hæreſes eius damnare non recuſaret. Canones quoſdam hoc Concilio editos fuiſſe, S. Proſper de Ingrat. indicat carminibus iſtis, quibus Africanorum Conuentum incompatabili quodam zelo aduerſus Pelagianam hæreſim accenſus deſcribit. Vide Baronium anno 416. numero 4.5.6.7.8.

Hoc Concilium Carthagine paulò ante Mileuitanum coactum fuiſſe, Synodica Concilij Mileuitani II. indicat his verbis: *Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis Prouinciæ Coëpiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam quam beatus illuſtras, hac de cauſa ſcripſiſſe comperimus.*

CONC. MILEVITANVM II.

contra PELAGIVM *&* CAELESTIVM, 60. *Epiſcoporum: Theodoſio ſeptimùm &* PALLADIO *Coſſ. celebratum ſub* INNOCENTIO I. *anno Domini* 416.

ANNO DOMINI CCCCXVI.

DVM Patres huius Concilij Pelagianam hæreſim octo Canonibus aduerſus eam editis vnanimi conſenſu condemnaſſent, Synodicam ad Innocentium Romanum Pontificem per eumdem Iulium Legatum, quem Concilium Carthagienſe cum literis Synodalibus Romam miſerat, dederunt. Quinque Epiſcopi hi, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Euodius & Poſſidius, ſuas priuatas familiares literas addiderunt; quibus illum admonuerunt, ne, quod iactitabant Pelagiani, cum iiſdem Romæ degentibus communicaret, aut ſaltem conniueret: idque priuatis iiſdemque familiaribus literis præſtiterunt, ne verenda Patris retegere viderentur. Quas verò Innocentius reddiderit, quomodo ſe iiſdem expurgarit, omnemque ſuſpicionem è cordibus Africanorum Epiſcoporum ſuſtulerit, patet ex epiſtolis ad Concilium Mileuitanum & quinque Epiſcopos redditis, quæ extant apud Binium. Quare autem hoc Concilium dicatur Secundum, iam dictum eſt ſuprà in Primo Concilio Mileuitano ſub anno 402.

Sequitur CONCILIVM.

GLORIOSISSIMIS Imperatoribus Arcadio & Honorio Auguſtis, viris clariſſimis Conſulibus, 6. Kal. Sept. in ciuitate Mileuitana, in Secretario Baſilicæ, cùm Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginis in Concilio Vniuerſali conſediſſet, aſtantibus Diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit: Quoniam Eccleſiæ ſanctæ vnum eſt corpus, omniumque membrorum caput eſt vnum, factum eſt, volente Domino, ac noſtram infirmitatem iuuante, vt ad hanc Eccleſiam conueniremus, dilectionis & fraternitatis gratia inuitati. Vnde quæſo charitatem veſtram, quia ita credendum eſt, quòd noſter acceſſus ad vos nec ſuperfluus, nec inſuauis eſt cunctis, ideoque pariter quædam de cauſis fidei, vnde nunc quæſtio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu ſanctiſſimo primitus tractentur: deinde ſubſequantur & aliqua, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſaria exiſtũt.

CAP. I.

Contra Pelagianos, qui dicunt, etiam ſine peccato mori potuiſſe Adam.

PLACVIT ergo omnibus Epiſcopis qui fuerunt in hac ſancta Synodo, conſtituere hæc, quæ in præſenti Concilio definita ſunt: vt quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt, ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.

CAP.

CAP. II.

Quòd omnes in peccatorum remiſſione veraciter baptizentur.

De Conſ. diſt. 4. Placuit. ITEM placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat; aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur; vnde fit conſequens, vt in eis forma Baptiſmatis, In remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit. Rom. 5. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

CAP. III.

Quod gratia Dei non ſolùm peccata dimittit, ſed etiam adiuuat, ne committantur.

De Conſ. d. 4. Placuit. ITEM placuit, vt quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ iam commiſſa ſunt, non etiam adiutorium, vt non committantur, anathema ſit.

CAP. IV.

Quòd per gratiam Dei ſciamus quid facere debeamus, & diligere vt faciamus.

De Conſ. d. 4 Quiſquis dixerit. ITEM quiſquis dixerit, eamdem gratiam Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus, *Scientia inflat, charitas verò ædificat*; valdè impium eſt, vt credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificat, non habere; cùm ſit vtrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamûs, & diligere vt faciamus: vt ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. 1. Cor. 8. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt, *Qui docet hominem ſcientiam*; ita etiam ſcriptum eſt, *Charitas ex Deo eſt.* Pſal. 93. Ioan. 4.

CAP. V.

Quòd gratia Dei præſtet, vt lex impleatur, non (ſicut ait Pelagius) facilè, quaſi ſine gratia Dei difficiliùs poſſit impleri.

De Conſ. d. 4. Placuit. ITEM placuit, vt quicumque dixerit, ideò nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitriũ, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tamquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere diuina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me difficiliùs poteſtis facere; ſed ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15.

CAP. VI.

Quòd iuxta ſententiam Ioannis Euangeliſtæ nemo ſit qui eſſe poſſit ſine peccato.

ITEM placuit, quod ait ſanctus Ioannes Apoſtolus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; quiſquis ſic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia veritas eſt, anathema ſit. 1. Ioan. 1. Sequitur enim Apoſtolus, & adiungit: *Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus: qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ibid. Vbi ſatis apparet, hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, noſipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. Sed cùm ait, *Noſipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt*; ſatis oſtendit, eum qui ſe dixerit non

Digitized by Google

non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.

CAP. VII.

Quòd vnicuique etiam iuſto dicere oporteat, Dimitte nobis debita noſtra.

ITEM placuit, vt quicumque dixerit, in Oratione Dominica ideò dicere ſanctos, *Dimitte nobis debita noſtra*, vt non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis iam neceſſaria iſta petitio; ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores: & ideò non dicere vnumquemque ſanctorum, *Dimitte mihi debita mea*; ſed, *Dimitte nobis debita noſtra*, vt hoc pro aliis potiùs quàm pro ſe iuſtus petere intelligatur, anathema ſit. Sanctus enim & iuſtus erat Apoſtolus Iacobus, cùm dicebat; *In multis enim offendimus omnes.* Iac. 3. Nam quare additum eſt *omnes*, niſi vt iſta ſententia conueniret & Pſalmo vbi legitur: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens?* Pſal. 142. Et in oratione ſapientiſſimi Salamonis: *Non eſt homo, qui non peccet.* Eccl. 7. & in libro Iob: *In manu omnis hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam.* Iob 37. Vnde etiam Daniel ſanctus & iuſtus, cùm in oratione pluraliter diceret, *Peccauimus, iniquitatem fecimus*, Dan. 9. & cetera, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſteà dixit: *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei* Ibid. Domino Deo noſtro noluit dicere, peccata noſtra, ſed populi ſui dixit, & ſua, quia futuros iſtos, qui tam malè intelligunt, tamquam Propheta præuidit.

CAP. VIII.

Quòd à ſanctis veraciter dicitur, Dimitte nobis debita noſtra.

ITEM placuit, vt quicumque verba ipſa Dominicæ Orationis, vbi dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra,* Matth. 6. ita volunt à ſanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur debita non habere? Hucuſque de fide contra Pelagianos, nunc Regulæ tractentur Eccleſiaſticæ.

CAP. IX.

Quòd ad communes cauſas Eccleſiæ, Generale Concilium congregari oporteat; in priuatis verò cauſis, ſpeciale vniuſcuiuſque Prouinciæ.

PLACVIT, vt non ſit vltrà fatigandis fratribus anniuerſaria neceſſitas, ſed Regulæ Eccleſiaſticæ. quoties exegerit cauſa communis, id eſt, totius Africæ, vndecumque ad hanc ſedem pro Concilio datę literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Prouincia, vbi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis Prouinciis iudicentur.

CAP. X.

Vt epiſtolas ad Concilium euocandum Metropolitanus ſubſcribat, & dirigat.

PLACVIT etiam peti, vt omnium Epiſcoporum epiſtolis omnibus, de Concilio dandis, ſanctitas tua ſola ſubſcribat.

CAP. XI.

Vt de hæreticis & infidelibus quidquid in Concilio cõſtituitur, à Principe impetretur.

PLACVIT & illud aduerſus hæreticos, vel paganos, vel eorum ſuperſtitiones, vt Legati miſſi de hoc glorioſo Concilio, quidquid vtile prouiderint, à glorioſiſſimis Principibus impetrent.

CAP. XII.

Vt Preces & Orationes compoſitæ, niſi probatæ fuerint in Concilio, non dicantur.

PLACVIT etiam & illud, vt Preces, vel Orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſiue Præfationes, ſiue Commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Vt poſteriores anterioribus Epiſcopis non præferantur.

PALENTINVS Epiſcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ veſtræ, proſequar ea quæ neceſſaria ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Scimus enim, ſic inuiolatè permanſiſſe Eccleſiaſticam diſciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus ſuis ſe aliquando auderet anteponere, ſed officiis legitimis id ſemper exhibitum eſt prioribus, quod ab inſequentibus rationabiliter ſemper acciperetur. Hunc ordinem iubeat ſanctitas veſtra meliùs veſtris interlocutionibus roborare. Aurelius Epiſcopus dixit: Non decuerat quidem vt hæc repeteremus, niſi fortè exiſterent inconſideratæ mentes quorumdam, quæ & hæc ſtatuenda noſtros acuerent ſenſus. Sed & communis hæc cauſa eſt, quam inſinuauit frater & Coëpiſcopus noſter, vt vnuſquiſque noſtrûm ordinem ſibi decretum à Deo cognoſcat, & poſteriores anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant. Qua de re oportet eos, qui putauerint ſpretis maioribus aliquid præſumendum, competenter eſſe ab omni Concilio coërcendos. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Hic ordo & à patribus & à maioribus eſt ſeruatus, & à nobis, Deo propitio, ſeruabitur, ſaluo etiam iure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

CAP. XIV.

Vt Epiſcopi pro tempore conſecrationis ſuæ literas ab Ordinatoribus habeant.

DEINDE placuit, vt quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinantur, literas accipiant ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes Cõſulem, & diem, vt nulla altercatio de poſterioribus vel anterioribus oriatur.

CAP. XV.

Vbi primùm quis legerit, ibi permaneat Clericus.

Diſt. 71. Placuit, vt. ITEM placuit, vt quicumque in Eccleſia vel ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad Clericatum non teneatur.

CAP. XVI.

Vt pro cauſis Eccleſiarum Executores vel Aduocati à Principe poſtulentur.

PLACVIT præterea, vt Executoribus in omnibus iuſtis deſideriis impertiatur. Placuit etiam, vt petatur à glorioſiſſimis Imperatoribus, vt iubeant Iudicibus dare petitos ſibi defenſores Scholaſticos, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſarum Eccleſiaſticarum, more Sacerdotum Prouinciæ, vt ijdem ipſi, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum (quoties neceſſitas flagitauerit) vel ad obſiſtendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda, ingredi Iudicum ſecretaria.

CAP. XVII.

Vt neque dimiſſus neque dimiſſa alteri coniungantur.

PLACVIT, vt ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, alteri coniungantur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem Imperialem petendam promulgari. 32. qu. 7. Placuit, vt. 1. Cor. 7.

ANNOTATIO.

PATRES huius Concilij legem Imperialem deſiderarunt, non qua declararetur, nouum coniugium poſt diuortium vtroque adhuc coniuge viuente illicitum eſſe, (id enim ex Euangelio & Apoſtolo conſtare, ipſimet Patres hic affirmant:) ſed qua à poteſtate temporali ſeuerè etiam punirentur, qui crimen illud admitterent. Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 17. obiect. 10.

CAP. XVIII.

De his qui in ſua Prouincia non communicant, alibi non communicent.

PLACVIT, vt quicumque non communicat in Prouincia propria, & in aliis Prouinciis vel tranſmarinis partibus ad communicandum obrepſerit, iacturam communionis vel Clericatus excipiat.

CAP.

CAP. XIX.

De Clericis, qui apud Principem ſæculare iudicium aut Synodale impleuerint.

11 qu. 1. Placuit, vt quicũque. PLACVIT, vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorũ publicorum petit, honore proprio priuetur. Si autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.

CAP. XX.

Vt ſine Formatis nemo ad Comitatum proficiſcatur, & qualiter Formatæ fiant.

PLACVIT, vt quicumque Clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad Comitatum ire voluerit, Formatam ab Epiſcopo ſuo accipiat. Quòd ſi ſine Formata voluerit pergere, à communione remoueatur. Quòd ſi alicubi ei repentina neceſſitas orta fuerit ad Comitatum pergendi, alleget apud Epiſcopum loci eius ipſam neceſſitatem, & de hoc ſcripta eiuſdem Epiſcopi deferat. Formatæ autem, quæ à Primatibus, vel à quibuſcumque Epiſcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ. Quòd ſi adhuc eiuſdem anni Paſchæ dies incerta eſt, ille præcedens adiungatur, quomodo ſolet, Poſt Conſulatum, in publicis geſtis adſcribi.

CAP. XXI.

De Epiſcopis, qui quod repetere poterant, prætermiſſa Synodo inuaſerunt.

16. q. 6. Placuit, vt. ITEM placuit, vt quicumque Epiſcopi, quaſcumque Eccleſias vel plebes, quas ad ſuam cathedram æſtimant pertinere, non ita repetierint, vt cauſas ſuas, Epiſcopis iudicantibus, agant, ſed alio retinente irruerint, ſiue volentibus ſiue nolentibus plebibus, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur. Et quicumque iam hoc fecerint, ſi nondum eſt inter Epiſcopos finita contentio, ſed adhuc inde contendunt, ille diſcedat, quem conſtiterit, prætermiſſis iudiciis Eccleſiaſticis, irruiſſe. Nec ſibi quiſque blandiatur, ſi à Primate, vt retineat, literas impetrauerit: ſed ſiue habeat literas, ſiue non habeat, conueniat eum qui tenet, & eius literas accipiat, vt eum appareat pacificè tenuiſſe Eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem ille aliquam quæſtionem retulerit, per Epiſcopos Iudices cauſa finiatur, ſiue quos eis Primates dederint, ſiue quos ipſi vicinos ex conſultu Primatis delegerint.

CAP. XXII.

De Clericis, qui de iudicio Epiſcoporum ſuorum conqueruntur.

ITEM placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos, quidquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quòd ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur. 2. q. 6 Placuit, vt Presbyteri.

ANNOTATIO.

QVOD ſuprà Can. 17. Concilij Sardicenſis vtiliter conſtitutum fuit, vt Presbyterorum & minorum Clericorum cauſæ apud vicinos Epiſcopos terminentur, iiſque ad Sedem Apoſtolicam appellantibus non deferatur; idem hoc loco à Patribus alterius cuiuſdam Africani Concilij confirmatum eſt. De Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam appellantibus nihil hîc conſtitutum fuit. S. Auguſtinus, qui plurimis Africanis Conciliis interfuit, epiſt. 162. teſtatur, Africanis vltra mare ad Romanum Pontificem appellare conceſſum, Clericis verò minoribus idem prohibitum fuiſſe. Cùm itaque hic Canon non de Epiſcopis, ſed tantùm de Presbyteris & minoribus Clericis loquatur, Gratian. 2. q. 6. hunc Canonem citans, non ſatis conuenienter eidem hanc limitationem addidit: *Niſi fortè Romanam Sedem appellauerint.* quaſi Africani trans mare appellantes, aliò quàm ad Romanum Pontificem appellare conſueuiſſent. Dices: Si Clericis inferioris Ordinis ab Epiſcoporum ſuorum ſententia ad Sedem Apoſtolicam appellare prohibitum fuit, quo iure Romani Pontifices Apiarium Presbyterum ex Africa appellantem ſuſceperunt, & quod referunt Africani Patres in epiſt. ad Bonifacium & Cæleſtinum, in gradum ſuum reſtitui fecerunt? Reſpondeo, Licet ipſis Clericis ab Epiſcopis ſuæ Prouinciæ appellare prohibitum fuerit; non

Digitized by Google

non tamen prohibitum fuit, neque etiam prohiberi potuit Summo Pontifici, ne, ſi vellet, eos admitteret. Præterea, Romani Pontifices appellationem Apiarij non tam admiſerunt, quàm eius querelas audierunt, & Africanis mandarunt, vt eius cauſam diligenter cognoſcerent, & fideliter iudicarent. Vide Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 24. obiect. 3.

CAP. XXIII.

De his, qui apud hæreticos pœnitentiam acceperunt.

PLACVIT, vt quicumque conuerſus ab hæreticis, dixerit ſe apud eos pœnitentiam accipere, vnuſquiſque Catholicus Epiſcopus requirat, vbi & ob quam cauſam apud eoſdem hæreticos pœnitentiam ſuſceperit, vt cùm documentis certis hoc ipſum approbauerit, ſibi pro qualitate peccati, ſicut eidem Epiſcopo Catholico viſum fuerit, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernat.

CAP. XXIV.

De Epiſcopis negligentibus aduerſus hæreticos.

16. q. 3. Placuit vt. ITEM placuit, vt quicumque negligunt loca ad ſuam cathedram pertinentia in Catholicam vnitatem lucrari, conueniantur à diligentibus vicinis Epiſcopis, vt id agere non morentur. Quòd ſi intra ſex menſes à die conuentionis, non hoc fecerint: qui potuerint ea lucrari, ad ipſum pertineant, ita ſanè, vt (ſi ille, ad quem pertinuiſſe videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, impunè vt ibi ſint, & ſuam diligentiam fuiſſe præuentam, vt eo modo eius cura ſolertior vitaretur, cùm hoc Iudices Epiſcopi cognouerint) ſuæ cathedræ loca reſtituant. Sanè, ſi Epiſcopi, inter quos cauſa verſatur, diuerſarum ſunt Prouinciarum, ille Primas det Iudices, in cuius Prouincia eſt locus de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos Iudices elegerint, aut duo eligantur, aut tres. Quòd ſi tres elegerint, aut omnium ſententiam ſequantur, aut
2. q. 6. A Iudicibus. duorum. A Iudicibus autem, quos communis conſenſus elegerit, non liceat prouocari. Et quiſquis probatus 2. q. 6. Quiſquis.
fuerit pro contumacia nolle obtemperare Iudicibus, cùm hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det literas, vt nullus ei communicet Epiſcoporum, donec obtemperet.

CAP. XXV.

Vnde ſuprà.

SI in matricibus cathedris Epiſcopus negligens fuerit aduerſus hæreticos, conueniatur à vicinis Epiſcopis diligentibus, & ei ſua negligentia demonſtretur, vt ſe excuſare non poſſit. Quòd ſi ex die, quo conuenitur, intra ſex menſes, ſi in eius Prouincia executio fuerit, & non eos ad vnitatem Catholicam conuertendos curauerit, non ei communicetur, donec impleat. Si autem executor ad loca non venerit, non adſcribatur Epiſcopo. Si autem probatum fuerit, eum de communione illorum fuiſſe mentitum, dicendo, eos communicaſſe, quos (eo ſciente) non communicaſſe conſtiterit, etiam Epiſcopatum amittat.

CAP. XXVI.

De Virginibus, quæ infra 25. annos neceſſitate cogente velantur.

ITEM placuit, vt quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur: vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) velauerit Virginem, ſeu velauit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.

CAP. XXVII.

De Epiſcopis qui poſt Acta Carthaginenſis Synodi retenti ſunt ad reliqua peragenda.

ITEM placuit, ne diutiùs vniuerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati ſunt, tenerentur, ab vniuerſo Concilio ternos Iudices de ſingulis Prouinciis eligi. Et electi ſunt de Prouincia Car-

Digitized by Google

Carthaginenſi, Vincentius, Fortunatianus, & Clarus: de Prouincia Numidiæ, Alypius, Auguſtinus, & Reſtitutus: de Prouincia Byzacena, cum ſancto ſene Donatiano Primate Creſconius, Iocūdus, & Æmilianus: de Mauritania Sitifenſi, Seuerianus, Aſiaticus, & Donatus: de Prouincia Tripolitana, Plautius, qui (ex more) Legatus vnus eſt miſſus, qui omnes cum ſancto ſene Aurelio vniuerſa cognoſcant. A quo petiit vniuerſum Concilium, vt cunctis ſiue geſtis quæ confecta iam ſunt, ſiue epiſtolis ipſe ſubſcribat. Et ſubſcripſerunt; Aurelius Epiſcopus Eccleſię Carthaginenſis huic Decreto conſenſi, & perlecto ſubſcripſi. Donatianus Telepienſis primæ Sedis ſubſcripſi. Auguſtinus Hipponæ Regienſis ſubſcripſi. Similiter & omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt.

CONCIL. AFRICANVM *ſub* ZOZIMO *anno Chriſti* 418.

ANNO DOMINI CCCCXVIII.

CONCILII huius habiti cauſa hæc eſt: Cùm Africani epiſtolas Zoſimi de Celeſtio & Pelagio de fide Catholica benè ſentientis accepiſſent, ad Synodum Carthagine indictam Patres ducenti & quatuordecim, vel ſeptemdecim, vt alibi Proſper ſcribit, conuenerunt, Honorio duodecimùm, & Theodoſio octauùm Conſulibus, anno Chriſti 418. veris initio.

In hac Synodo, ne quid ab aduerſariis obiici poſſet, profeſſi ſunt Patres, ſe Decretum Innocentij Papæ conſectari atque amplecti, quod circa finem vitæ illius ab ipſo promulgatum fuit: idque ideò, vt vno quaſi ictu valido vtrumque hæreticū, Celeſtium & Pelagium, confodere, eorumque errores prorſus extinguere poſſent. Hanc conſtitutionem ſuam ipſos per literas Zoſimo indicaſſe, teſtatur S. Proſper aduerſus Collatorem: *Errauerunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in epiſtola, quam ſuis Conſtitutionibus protulerunt, ita Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem B. Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus, in Pelagium atque Celeſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de Beatiſſimi Petri Sede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, &c.* His literis Patres Concilij in Africa addiderūt libellum Paulini Diaconi aduerſus Celeſtium ſcriptum, quo continebantur omnia capita, de quibus Celeſtius interrogandus eſſet: eo fine, vt appareret, hæreticúſne eſſet, an omnino, quod profitebatur, Catholicus. Zoſimus quidem ſimulantes conatus eſt lucrari: ſed quando eos ſtrictius examen fidei ſubterfugere animaduertiſſet, hoc egit, quod in cauſa Pelagij & Celeſtij deinceps actum fuiſſe deſcribit breuiter in Chronico S. Proſper, his verbis: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta prolata ſunt: quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Baronius anno 418. nu. 1. 3. 4. 7. 16. &c.

Textus CONCILII *ſic incipit:*

GLORIOSISSIMIS Imperatoribus, Honorio duodecimùm & Theodoſio octauùm Aug. Coſſ. Kal. Maijs, Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti, cùm Aurelius Epiſcopus in Vniuerſali Concilio conſediſſet, adſtantibus Diaconibus, placuit omnibus Epiſcopis, quorum nomina & ſubſcriptiones inditę ſunt, in ſancta Synodo Carthaginenſis Eccleſiæ cōſtitutis, vt quicumq; dixerit, Adam primum hominem, &c. vt infrà in Concilio ſub Bonifacio, cap. 76. vſque ad 94. incluſiuè.

CONC. TELEPTENSE, *mendoſè* TELENSE *appellatum, ſub* ZOSIMO *Papa.*

IN hoc Concilio nihil aliud actum reperitur, niſi quòd ad definitionem cauſæ, de qua controuerſia agitabatur, iuſſa eſt recitari CCCCXVIII.

ri Decretalis epiſtola Siricij Romani Pontificis ad Africanos Epiſcopos data. Vnde quanta Africanæ Eccleſiæ erga Romanum Pontificem obſeruantia fuerit, nemo non intelligit. Quid præterea in hac Synodo actum ſit, non apparet. Celebratum eſt autem hoc Concilium anno Chriſti 418. Zoſimi Pontificis ſecundo, Honorij Imperatoris 24. & Theodoſij 11. nam hic annus primus eſt poſt Conſulatum Honorij vndecimum, & Conſtantij ſecundum. Baronius anno 418. nu. 31.

CONC. CARTHAGINENSE

nomine Sextum, ordine temporis Quintum, tempore ZOSIMI, BONIFACII, *&* CAELESTINI, *de modo proſequendæ appellationis ad Sedem Apoſtolicam, celebratum præſentibus Romanæ Sedis aliarúmve Eccleſiarum Legatis viginti duobus. Eſtque Prouinciale.*

ANNO DOMINI CCCCXIX.

CAVSA habiti Concilij hęc eſt: Cùm à ſententia Africanorum ad Sedem Apoſtolicã Presbyteris & Epiſcopis appellantibus, Romani Pontifices, prout antiquitus conſueuerant, iure meritoque detuliſſent, ad proſequendam appellationem, cauſæ cognitionem quandoque Epiſcopis Africanis delegarunt: quandoque teſtes transmarinos Romam citari, atq; ibidem examinari mandarunt: frequenter etiam Legatos à latere in Africam ablegarunt, qui militum comitatu, & Magiſtratuum apparitura freti, refractarios & repugnantes iuſtis ſententiis coërcerent, quodque iuſtè definitum videri poterat, impleri cogerent. Africani autem Epiſcopi iudicium Sedis Apoſtolicæ (quod pro confirmandis à ſe latis ſententiis, iiſque contra impugnantes defendendis, eos imploraſſe frequenter ex ſupradictis conſtat) nequaquã ſubterfugientes, duos poſteriores iudicandi & proſequendi appellationum modos, tamquam inconuenientes, & nimis difficiles, arguerunt. Interim Zoſimus Pontifex Apiarij & Celeſtij appellationibus deferens, Fauſtinum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, Philippum & Aſellum Presbyteros in Africam ablegauit, iiſque quatuor mandata, Nicæni Concilij auctoritate firmata, communicauit. Caput primum, De appellationibus Epiſcoporum ex Can. 7. Concilij Sardicenſis, ſub nomine Cõcilij Nicæni recitatur hîc Can. 3. Secundum, Ne ad Comitatum Epiſcopi importunè nauigent, nihil præterea habet, quàm quòd ſummatim in epiſtola ad Bonifacium continetur. De tertio autem & quarto Capite ex Canone 17. Sardicenſis Concilij agitur hîc Can. 6.

Hæc cùm in Conuentu Patrum recitarentur, adductique Canones Nicæni Concilij in Africanis exemplaribus non inuenirentur; accidit, quòd in cauſa proſequendæ appellationis & Apiarij Presbyteri, Africani Epiſcopi defuncto Zoſimo, ad eius ſucceſſorem ſcripſerunt his verbis: *Literis noſtris ad eumdem venerabilis memoriæ Zoſimum Epiſcopum datis, inſinuari curauimus, vt ea ſeruari ſine vlla eius iniuria ſineremus, vſque ad inquiſitionem ſtatutorum Cõcilij Nicæni.* Et paulò ſuprà in principio epiſtolæ: *Ille,* nempe Zoſimus, *ſi adhuc eſſet in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum, Domine frater. Apiarius Presbyter (de cuius ordinatione & excommunicatione fuerat exortum non ſolùm Sircenſi, verùm etiam toti Africanæ Eccleſiæ non leue ſcandalum) de omnibus erratis ſuis veniam petens, communioni eſt reſtitutus. Prior autem Coëpiſcopus noſter Sircenſis Vrbanus, quod in eo corrigendum viſum eſt, ſine vlla dubitatione correxit,* &c.

Rebus ſic ſtantibus, & Concilio Africano, quouſque de Nicæni Canonibus exactior inquiſitio fieret, adhuc pendente, miſſi ſunt Legati in Orientem ad Atticum Conſtantinopolitanũ, & ad Cyrillum Alexandrinum, pro fideliſſimis Nicæni Concilij Canonum exem-

exemplaribus. Antequam autem Legati redirent, Bonifacium mori, & in eius locum Cæleſtinum ſuffici contigit. Cùm itaque poſt explorata Græcorum exemplaria in iis Canones à Zoſimo citatos non reperiſſent, non (quod hodie Nouatores hæretici faciunt) Zoſimum de impoſtura, dolo malo ac fallacia arguerunt, neque ob eam cauſam Romanæ Eccleſiæ Iuribus derogandum eſſe putarunt; ſed potiùs ſubmiſſo animo rogarũt, vt Romani Pontifices maiore cautela, iudicioque maturiore, atq; adeò diuerſo modo, quàm hactenus factum, querelas ex Africa allatas ſuſciperent, & proſequi demandarent, vt vbi negotia ſunt exorta, ibi ob difficultatem proſecutionis tranſmarini iudicij per delegatos Apoſtolicæ Sedis Commiſſarios Epiſcopos in Africa terminentur ac finiantur: Legatiſque de latere cum potentibus executoribus deinceps non mittantur. Hæc ex epiſt. Synodali ad Cæleſtinum Pontificem. Quiſquis hac occaſione exiſtimat ſchiſma conflatum, atque Africanam Eccleſiam à communione Romanæ Eccleſiæ, vſque tempora Bonifacij II. centum propè annis planè diuiſam permanſiſſe, longiſſimè à veritatis tramite aberrat. Nam apertiſſimum eſt, communionem Africanæ Eccleſiæ à Bonifacio, Cæleſtino, aliiſve eorum ſucceſſoribus permultis, ne quidem ad vnius diei ſpatium, aut horæ vnius momentum interciſam fuiſſe. Impoſtorem itaque & mendaciorum frigidum concinnatorem, callidumque veteratorem fuiſſe oportuit, quòd epiſtolam illam plurimis mendaciis ſcatentem, nomine Bonifacij Secundi ad Eulalium aliquem Alexandrinum Epiſcopum, tempore Iuſtini Imperatoris mendaciter ſcriptã excogitauit; vt ſcilicet agmina ſanctorum Africanorum Martyrum & Confeſſorum, (qui pro fide Catholica, in perſecutione Wandalica, magna gloria certantes, atque agonem ſumma patientia conſummantes, martyrij & confeſſionis palmam conſecuti ſunt) Albo Catholicæ Eccleſiæ expungerent. Nam ſi integro ab hinc ſæculo, nempe à Bonifacio I. vſque ad Bonifacium II. Africana Eccleſia in ſchiſmate perſeuerauit, nihil eſt, vt intereà aliquis legitima corona martyrij impartiri, vel in aliquo Confeſſionis præmio munerari potuerit: cùm, Cypriani ac Auguſtini Africanorum Epiſcoporum ſententia, certum exploratumq; ſit, nullam poſſe eſſe ſchiſmaticorum coronam & præmium, quæ non dantur niſi illis, qui in Eccleſiæ Catholicæ ſtadio legitimè certarint. Hæc Baronius anno 419. n. 59. & ſeqq. vſq; ad 94.

ANNOTATIO.

CIRCA id quod dicitur in titulo, *de modo proſequendæ appellationis*, ſciendũ, quòd in hoc Concilio non ipſum ius appellandi ad Sedem Apoſtolicam, ſed tantummodò proſequendæ appellationis per Legatos à latere controuerſum fuiſſe, vnicum, quod Dei nutu circa hæc tempora contigit, Antonij Faſſalenſis Epiſcopi exemplum teſtatur. Hic cùm ob enormia quædam ſcelera, agente contra eum S. Auguſtino, ab Africanis Epiſcopis, munere, officio & miniſtratione Epiſcopali priuatus, honori verò & Epiſcopali ordini ac titulo relictus fuiſſet (Auguſtino, qui his Conciliis interfuerat, epiſt. 261. editionis Plantinianæ Tom. 2. atteſtante) ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem, acceptis à Primate Numidiæ literis Commendatitiis appellans, dixit: *Aut in mea cathedra ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.* Bonifacius acceptis literis in commendationem Antonij à Primate Numidiæ ſcriptis, magna cautela, quod S. Auguſtinus laudat, pro eodem reſcripſit, eo temperamento adhibito, ſi nulla videlicet ſurreptio interceſſiſſet. Nam in literis hæc appoſuit: *Si ordinem rerum nobis fideliter indicauit*, &c. Bonifacio interim defuncto, contigit eamdem cauſam ad Cæleſtinum eius ſucceſſorem integrè deuolui; addita Faſſalenſium querela, quod S. Auguſtinus perditiſſimum hominem illis Epiſcopum dediſſet. Cùm itaque hoc rerum ſtatu aduerſarius iactaret fore, vt Cæleſtinus Pontifex Legatos militum comitatu ſtipatos mitteret, qui inuitis etiam & rebellantibus Faſſalenſibus, Antonium in ſedẽ ſuam & Epiſcopatus adminiſtrationem reſtituerent,

ret, S. Auguſtinus epiſt. præd. 261. ad Cæleſtinum Pontificem ſcripta, poſt alia ad finē hæc precatur: *Accipe*, inquit, *nunc, quæ poſt eius ſanctæ memoriæ viri* (nempe Bonifacij Papæ) *in Africa literas geſta ſunt, & ſubueni hominibus opem tuam in Chriſti miſericordia multò auidiùs quàm ille poſcentibus, à cuius inquietudine deſiderant liberari. Iudicia quippe illis, & publicas poteſtates, & militares impetus, tamquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam ſiue ipſe, ſiue rumores creberrimi comminantur: vt miſeri homines Chriſtiani Catholici grauiora formident à Catholico Epiſcopo, quàm cùm eſſent hæretici, à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti Sanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres.* Hoc eſt, quod Patres Africani ad eumdem Cæleſtinum Pontificem ex Carthaginenſi Concilio ſcripſerunt his verbis: *Executores etiam Clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typum ſæculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Vnde ſatis perſpicuum eſt, quòd ſicut Auguſtinus, ita & reliquos Africanos Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis iudicium, quod pro confirmādis à ſe latis ſententiis, defendendiſq; contra impugnantes implorabant, non refugiſſe; executionem etiam iudicij non denegaſſe; ſed tantùm modum iudicandi & exequendi cum militibus, & Magiſtratuum apparitura, exhorruiſſe. Quid quòd S. Auguſtinus prædicta epiſt. 261. ad Cæleſtinum Pontificem Antonio reſpondens, oſtendit frequentiſſimè accidiſſe, vt Epiſcopi Africani Epiſcopatus adminiſtratione in Africa priuati, poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, eamdem condemnationis ſententiam impetrarint? *Exiſtat*, inquit, *exēplo, ipſa Sede Apoſtolica iudicante, vel aliorum* (Africanorum & Orientalium, &c.) *iudicia firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopali priuatos honore, nec relictos omnimodò impunitos: quæ, vt à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus Prouinciæ Cæſareenſis Epiſcopus: Aut ad primatum locus, ſicut cæteris, & mihi patere debuit; aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius eiuſdem Prouinciæ Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priſcus fuit, nuſquam niſi in Diœceſi eius ab alio communicabatur Epiſcopo: clamet, inquam: Aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius eiuſdem Prouinciæ Laurentius Epiſcopus, & prorſus huius vocibus clamet: Aut in cathedra, cui ordinatus ſum, ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui. Sed quis iſta vituperet, niſi qui parum attendit, nec inulta omnia relinquenda, nec vno modo omnia vindicanda?* Vnde quam frequenter Africani Epiſcopi Sedem Apoſtolicam appellarint, quamque imperitè & ſubdolè inſultantes iactent hæretici, Zoſimum Papam ius appellandi ab Africana Eccleſia ſuffurari conatum eſſe, nemo non videt. Accedit, quòd in ipſo Commonitorio Zoſimi Papæ, vbi agitur de primo mandato, Canon ſeptimus Concilij Sardicenſis, ſub nomine Concilij Nicæni citatus, hoc quod diximus, euidenter oſtendat [illegible]nam in illo decernitur, quòd Romanus Pontifex, ſi velit, duplici modo poſſit appellantis iuſtitiæ ſubuenire: Vno modo, per literas, ſcribendo Epiſcopis finitimæ regionis, vt diligenter de cauſa inquirant atque definiant: Altero modo, per Legatos à latere in Africam miſſos, qui præſentes cum Epiſcopis cauſam appellantium audiant & iudicent. Si itaq; Africana Eccleſia penitus denegaſſet ius appellandi, & non tantùm modum proſequendę appellationis poſteriorem, non ille Canon ſeptimus, ſed eiuſdem Concilij Canon quartus & quintus citandus fuiſſet: nam his duobus Canonibus tantùm de iure appellandi agitur. Plura hac de re vide apud Baronium anno 419. nu. 49. vſque ad 90. incluſiuè.

Hoc autem Concilium dicitur fuiſſe Prouinciale, quia licet in eo fuerint Apoſtolicæ Sedis Legati, nihilominùs, quia tales non ad præſidendum, ſed tantùm ad quædam nomine Romanæ Eccleſiæ cum Africanis tractanda miſſi erant, & in eo Primas eius loci Aurelius præſedit, quod quidem in Prouincialibus fieri ſolet. Bellarminus libro 1. de Concil. cap. 20.

Duo dubia occurrunt circa hoc Concilium: Vnum eſt, quia in hoc Concilio fit mentio de Sardicenſi Concilio: & nihilominùs Patres Concilij huius videntur illud Concilium planè ignoraſſe, cùm in epiſtola ad Cæleſtinum, verſus finem ſcribant ſic: *Nam vt aliqui tamquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo definitum.* Quod dicere non potuiſſent, ſi Sardicēſe, in quo diſertè illud Can. 7. ſancitum eſt, ex allegatione Legatorum, aut aliter cognouiſſent. Eoſdem etiam Concilium Sardicenſe ignoraſſe, confirmari poteſt ex D. Auguſtino, vbi oſtendit, ſe non agnouiſſe vllum Concilium Sardicenſe, niſi illud

Digitized by Google

Arianorum Cóciliabulum, quod ſuprà poſt legitimum & germanum Sardicenſe ſubiunximus. Vnde poteſt dici, quòd prædicta verba, *ex Sardicenſi Concilio*, huic textui intexta ſint, fortaſſe ex marginali notatione (in margine enim ponitur, *in Sardicenſi Concilio*. Et quamuis verba Commonitorij, quæ ſequuntur, Canone 17. Concilij Sardicenſis habeantur; nihilominùs talia verba non debent poni in textu: citantur enim ex Zoſimi Commonitorio, quod Legati Romà attulerant. In quo cùm profiteantur, ſe ex Nicęno Concilio Canones citare; non minùs hoc, quàm præcedens caput De appellatione Epiſcoporum, aliquo Canone Nicæni Concilij, ab iis confirmatum fuiſſe oportuit. Accedit, quòd S. Auguſtinus Hipponęſis Epiſcopus verbis Commonitorij recitatis cap. 7. ſubiungat: *Et hoc nos ſeruaturos profitemur, ſalua diligentiori inquiſitione Nicæni Concilij*. Quibus verbis indicat, ſe accepiſſe Canonem, tamquam ex Nicæno Concilio citatum. Vide Bellarminum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25. & Baronium anno 419. num. 70.

Alterum dubium eſt, An id, quod ab Africanis Mileuitani Concilij Can. 22. conſtitutum fuerat, ne Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi tranſmarina iudicia appellarẽt, Zoſimus probarit; vel potiùs hoc eodem Commonitorio improbarit: & difficultatem facit, tum quòd his temporibus Celeſtium & Apiarium Presbyteros appellantes audierit: tum etiam, quòd nullam contradicendi occaſionem habuiſſent Africani, ſi eadem in Commonitorio obſeruari voluiſſet, quæ ipſi antè in Mileuitano Concilio II. Can. 22. vel ſaltem in Africano, Can. 92. antè conſtituerant. Et hoc eſſe videtur, quòd iidem à Cæleſtino in literis contenderunt, vbi aiunt: *Presbyterorum quoque, & ſequentium Clericorum improba refugia (ſicuti te dignum eſt) repellat Sanctitas tua*. Vnde videtur concludi, talem Conſtitutionem à Papa non fuiſſe probatam. Vide Baronium vbi ſuprà, num. 70.

CONCILIVM CARTHAGINENSE VII. XXXVIII. EPISCOPORVM.

ANNO DOMINI CCCCXIX.

CONCILIVM hoc à Carthaginenſi Sexto non diuerſum, ſed eiuſdem ad reditum Legatorum ex Africa protogati, alia quædam Seſſio ſeu Conuentus eſſe videtur, quo iidem propè Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi eodem anno ac menſe, tertio Kal. Iunias conuenientes, ea, quæ ad collapſæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatum pertinebant, reformarunt. Hæc ſententia confirmatur inde, quòd ex Africanæ Eccleſiæ Prouinciis electi Iudices ſiue Legati, numero viginti duo, huic Concilio interfuiſſe ſcribantur, & recẽſeantur iidem, quos ſuprà auctoritate Baronij Sexto Carthaginenſi præſtò fuiſſe annotauimus. Epiſcopos ducentos decem & ſeptem ſubſcripſiſſe huic Carthaginenſi Septimo, dicitur Can. 100. Concilij Africani: totidem Sexto Carthaginenſi ſubſcripſiſſe initio eiuſdem Synodi refertur. Quis credat, eodem menſe, eadem propè ſeptimana ad diuerſa Concilia eoſdem Epiſcopos paris numeri conueniſſe, & non potiùs vna eademque Synodo congregatos, diuerſis diebus, diuerſas ſeſſiones & conuentus habuiſſe? Accedit, quòd Collector in hac Synodo 105. Canones recitatos eſſe ſcribat: illos opinor, qui infrà in Concilio Africano recenſentur. Quòd ſi ita eſt, hanc Synodum eamdem cum præcedente Carthaginenſi eſſe oportet, quæ tempore Zoſimi Pontificis inchoata, ſub Bonifacio propter Nicænorum Conciliorum exemplaria indagata, ſuſpenſa eſt, ac demum circa initium Cæleſtini Pontificis abſoluta fuit. Ita ſentire videtur Baronius anno 419. num. 59. 71. & 73.

In hoc Concilio nihil eſt quod ad noſtra hæc tempora pertineat: nam ſolùm recitati fuerunt Canones Conciliorum diuerſorum vniuerſæ Prouinciæ Africæ numero 105. quos non recenſemus, quia quæ ibi decreta ſunt, ſuperioribus probantur inſerta.

Hoc in loco adiecta ſunt etiam capita Nicæni Concilij è Græco in Latinum conuerſa, miſſa ab Epiſcopis Orientalibus ad Concilium Africanum, ſicut in Concilio Carthaginenſi Sexto latiùs explicantur in volumine Conciliorum apud Binium.

CON-

CONCIL. AFRICANVM
tempore BONIFACII *&* CAELESTINI *habitum.*

ANNO DOMINI CCCCXXIV. In hoc Concilio recenſentur centum & quinque Canones diuerſorum Conciliorum Africanæ Prouinciæ, ideò dimittuntur. Dicitur autem Concilium Africanum, quia quæcumque Concilia ſub Aurelio Carthaginenſi illic celebrata fuerũt, per epitomen ſunt collecta. Quinquennalem illam controuerſiã Africanorum de modo proſequendę appellationis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, tempore Zoſimi Pontificis exortam, huic Concilio conueniendi cauſam dediſſe, indicant Epiſtolæ Synodicæ ad Bonifacium & Cæleſtinũ Pontificem ſcriptæ. Horum quatuor priora, ſub Pontificatu Siricij; tria ſequentia, ſub Anaſtaſij Pontificatu; octo ſub Innocentio; reliqua ſub Zoſimo, Bonifacio, & Cæleſtino Pontificibus celebrata fuerunt; vt patet ex Annotationibus Conciliorum eorum, quæ ſuprà ſub prædictis Pontificibus poſita fuerunt. Quæ omnia, ſimul cum præfatorum Summorum Pontificum epiſtolis, fusè apud Binium habentur.

CONCILIVM
contra MASSALIANOS *hæreticos in Oriente celebratum anno 427. ſub* CAELESTINO *Pontifice.*

CCCCXXVII Anno Chriſti 427. Cæleſtini 4. Theodoſij 20. celebrata eſt Synodus in Oriente, in qua aduerſus Maſſalianos hæreticos, aliàs ſæpè damnatos conſtitutum fuit, ne, licet ſummam præſeferrent pœnitentiæ ſpeciem, amplius in Eccleſiam reciperentur, quam ſæpiùs grauiſſimè eluſerant. Hunc Conuentum Epiſcoporum celebrem fuiſſe, ex præſentia Siſinnij Conſtantinopolitani, & Theodoti Antiocheni Epiſcopi euidenter intelligi poteſt. Acta huius Synodi perierunt. Canon, quem Photij Bibliotheca ſeruauit, reliquus reperitur hic dumtaxat vnus: *Si quis poſt anathematiſmũ fuerit aliquando deprehenſus, vel verbo, vel opere in ſuſpicionem huius morbi lapſus, numquam amplius in poſterum locum habeat, neque ſi decies millies polliceatur ſe eſſe paratum ad omnia, quæ ad pœnitentes attinent.* Baronius anno 427. num. 23.

CONCIL. ROMANVM
ſub CAELESTINO *contra* NESTORIVM.

Hvius Concilij habiti cauſa hęc eſt: Scripſerat Neſtorius ad Cæleſtinum Pontificem epiſtolam, de Pelagianis Epiſcopis, qui ob hæreſim Pelagianã ſuis Epiſcopatibus priuati, Conſtantinopolim ad Theodoſium confugerant, de iniuria ſibi illata conqueſturi. Atque vt Cæleſtinum in ſuas partes callidè pertrahere poſſet, ſemine ſuæ impietatis totam illam epiſtolam replet, quaſi hæreticos ille correxiſſet, ac S. Mariam non Theotocon, ſed Chriſtotocon appellandam eſſe docuiſſet. Suos hac de re ſcriptos Commentarios addidit, eoſque cum literis per Antiochum virum illuſtrem tranſmiſit. Eodem tempore Poſſidonius Diaconus cum literis Cyrilli, & Commentariis, quibus Neſtorij impietas confutabatur, ſuperuenit, expectans quid de Neſtorio excommunicando Pontifex ſentiret. His itaque literis acceptis, Cæleſtinus congregata Synodo, Neſtorij hæreſim, nemine refragante, condemnauit; ipſique Neſtorio decem dierum ſpatium ad reſipiſcendum, per literas ad eum miſſas, præſcripſit: demum, niſi reſipiſcat, anathema comminatur. Scripta epiſtola ad Cyrillum de rebus in hac Synodo geſtis, extat apud Binium Part. I. cap. 15. in Actis Concilij Epheſini. Suas illi vices committens, mandat, vt niſi Neſtorius intra decem dierum interuallum, tam verbi prædicatione ad populum, quàm ſcriptis, palinodiam recantet, anathemate illum feriat, aliumq; Epiſcopum Con- CCCCXXX

Digitized by Google

ſtantinopolitanæ Sedi præficiat. Baronius anno 430.num.1. & ſeqq. De vita, moribus & doctrina Neſtorij, infrà in Concilio Epheſino plura.

CONC. ALEXANDRINVM *in cauſa* NESTORII.

ANNO DOMINI CCCCXXX

CYRILLVS acceptis Cæleſtini literis, quibus delegatam in cauſa Neſtorij poteſtatem acceperat, ſtatim coëgit Synodum, in qua quatuor Legati decernuntur hi: Theopentus & Daniel Epiſcopi, Potamon atque Macarius Eccleſiæ Alexandrinæ miniſtri. Hos cum literis Romani Pontificis ad Neſtorium ablegauit, præſcripturos ei decem dierum ſpatium ad hæreſim ſuam abiurandam. Addidit quaſdam Epiſtolas Synodales, quarum vna cum duodecim anathematiſmis ad Neſtorium delata eſt: reliquæ ad Clerum Conſtantinopolitanum, & Patres Monaſteriorum ſcriptæ fuerunt. Legati Conſtantinopolim profecti, die Dominica, dum Synaxis in Baſilica haberetur, acceptas literas & anathematiſmos Neſtorio obtulerunt: quibus ille, cùm ſe in craſtinum reſponſurum pollicitus eſſet, toto biduo deluſit; tandem nec reſpondere quidquam dignatus eſt. In peruerſis dogmatibus docendis perſeuerans, pro more hæreticorum ad declinandum iudicium Eccleſiaſticum, & ad eludendam ſententiam in ſe prolatam, Theodoſium Imperatorem aduerſus Cyrillum, velut dirum perſecutorem, mouet, anathematiſmos Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, alioſque ſibi amicitia coniunctos Epiſcopos Syriç miſſos, cauillatur, & de Apollinariſtarum hæreſi ſuſpectos in crimen adducit; eo ſanè conſilio, vt ſententiæ contra ſe latæ executionem effugeret, & Romani Pontificis Decretum eluderet. Arbitrabatur enim nequaquam fieri debere, vt ſententia contra hæreticũ prolata, illi exequenda committeretur, qui ipſe de hæreſi accuſatus eſſet. Theodoſius Imperator hanc ob cauſam arbitratus, quòd ad has turbas componendas opus eſſet Vniuerſali Concilio, de illo in annum ſequentem Epheſi celebrando apud Cæleſtinum Pontificem egit. Vide Baronium anno 430.n.50.& ſeqq.

Synodicæ Epiſtolæ huius Concilij, cum anathematiſmis Cyrilli, extant in Actis Epheſini Concilij, cap. 14. & 15.

CONCILIVM EPHESINVM VNVM EX QVATVOR PRINCIPALIBVS, SVB CÆLESTINO I. PAPA.

ANNO DOMINI CCCCXXXI.

HISTORIA CONCILII EPHESINI.

SVCCESSERAT in Conſtantinopolitana Sede Nectario S. Ioannes Chryſoſtomus, Chryſoſtomo Arſacius Nectarij frater, Arſacio Atticus, Attico Siſinnius. Poſt cuius obitum Theodoſius Iunior Auguſtus, Theodoſij Senioris nepos, & Arcadij filius, aduerſis pugnantium ciuium ſtudiis offenſus, non ex Conſtantinopolitana, ſed ex Antiochena Eccleſia adſciſcendum Epiſcopum putauit, Neſtorium nomine, Germaniciæ natum, dicendi quidem facultate præditum, à forenſi

Digitized by Google

forenſi tamen ſtrepitu alienum: qui plebeij veſtitus ruditate, inceſſus ac ſupercilij grauitate, oris pallore ac macie, cùm continentiæ, pietatis, ac veteris diſciplinæ mentiretur imaginem, magno omnium conſenſu Conſtantinopolim accerſitus, 4. Idus Aprilis, Felice & Tauro Coſſ. Epiſcopus initiatus eſt. Duxerat ſecum Antiochiâ Anaſtaſium Presbyterum, fidiſſimum comitem, quo admodum familiariter vtebatur. Is Presbyter, cùm aliquando verba faceret ad populum, in tantum ſcelus erupit, vt beatam Mariam Theotocon, hoc eſt Deiparam, vocandam eſſe, impudentiſſimè negauerit, propterea quòd ab homine Deus naſci non poſſet. Excitauit impia vox magnos populi tumultus ac turbas. Neſtorius autem ſuum Presbyterum tantę ſeditionis auctorem, diro alioquin anathemate & vltimo dignũ ſupplicio, aduocata concione magnificè collaudauit: vtque ſacrilegia ſacrilegijs obfirmaret, ſublato Deiparæ nomine, Chriſtum Dominum in duas diſtraxit hypoſtaſes ac perſonas, in eoque aſſeruit ſicut naturas duas, ita & Filios duos, & Chriſtos duos, vnum quidem Deũ ex Patre Deo, hominem alterum ex matre, quam idcircò non Theotocon, ſed Chriſtotocon appellabat.

Sed & Dorotheus quidam Epiſcopus ſpe ſordidi quæſtus religionem prodidit: nam in Eccleſia coram Neſtorio ſacris operante, cùm in editiorem cathedram irrupiſſet, ex ea repentè omnibus, qui Deiparæ vocem vſurparent, anathema conclamauit. Facinus comprobat Neſtorius, impiumque impius ſacrorum myſteriorum communione dignatur. Attollitur continuò irati populi clamor ac fremitus aduerſus Epiſcopum, obſtrepitur docenti, decurritur per vrbem magno tumultu, ab nefarij hominis conſortio ſeceſſio fit non modò plebis & Senatus, ſed Monachorum quoque, & eorum qui Archimandritæ dicebantur: mœſtis demum vocibus inclamatur per vicos, eſſe quidem in vrbe Regulum, Epiſcopũ non eſſe. Quas ob cauſas ira ac metu furere Neſtorius, rapere quos poſſet ad Iudicum tribunalia, Clericos rectè ſentientes ab aris ac focis auellere; vexare fame, vinculis, calcibus Archimandritas. Vulgantur intereà per Orientem deſcriptæ Neſtorij conciones, ſanie ac veneno diffluentes: fremunt aduerſus eas Orthodoxæ plebes & Antiſtites, Cyrillus in primis Alexandrinus Epiſcopus, vir omni ſapientia & ſanctitatis exemplo clariſſimus: quem difficillimo ſanè tempore Deus & Apoſtolicæ fidei propugnatorem, & Neſtorij antagoniſtam acerrimum compararat. Is primùm Ægypti Monachos per literas de Neſtorio docuit, eiuſque deteſtabilem vecordiam, prout par erat, detexit: deinde, cùm Neſtorianum malum magis ac magis inualeſceret, pullulantem hæreſim doctiſſimè confutauit libris tribus ad Theodoſium & ad Reginas, hoc eſt, Pulcheriam & Eudoxiam, miſſis: tametſi ſecùs quàm oportuit, eam rem interpretatus Imperator, ſuadente Neſtorio, illum acerbioribus quàm decuit literis perſtrinxerit. Dedit & aliis alias eodem argumento Epiſtolas Cyrillus, quæ priorum hominum ſtudio cùm ad Neſtorium perlatæ fuiſſent, is grauiter offenſus, ſanctiſſimi viri exiſtimationem cœpit criminationibus ac probris atrociſſimis violare: illum contrà Cyrillus crebrioribus literis ad ſaniorem mentem hortari; & quàm longè ab Apoſtolicis traditionibus receſſiſſet, edocere. Calcitrabat contra ſtimulum Neſtorius, & hortatorem ſuum quaſi inſolentem & indoctum frequentibus per epiſtolas conuitiis impetebat. Verùm nec Conſtantinopolitani Imperij finibus contentus homo nequiſſimus, Romanorum etiam aures auſus eſt pertentare. Miſit itaque per Antiochum virum illuſtrem Cęleſtino Romano Epiſcopo impias quas Conſtantinopoli habuerat conciones: Cyrillus quoque ſuas ad Neſtorium, & Neſtorij ad ipſum

ſum vltrò citroque datas literas per Poſſidonium Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconum eidem Cæleſtino miſit. Qui ſtatim coacta Romæ multorum Epiſcoporum Synodo, cùm nefarij hominis mentem ſenſumque ſolerter inſpexiſſet, ſacro approbante Concilio exitialem hæreſim damnat. Deinde ſeueriſſimas execrationes, & Epiſcopalis abrogationem honoris denuntiat Neſtorio, niſi intra decem dies conſceleratam, quam inuexerat, ſectam publicis teſtificationibus abiuraret: reſtituitque in priſtinum gradum quos ille vel ab Eccleſiæ communione, vel à ſacris functionibus abſtraxerat. Tum per literas primariis Orientis Epiſcopis Catholicæ Fidei patrocinium aduerſus Neſtorianos furores grauiſſimis verbis commendat, Cyrillo in primis, cui ſuas etiam partes viceſque demandat, vt Apoſtolicæ Sedis nomine ſententiam contra Neſtorium (niſi intra legitimum tempus facti pœniteat) euulget, atque exequatur; peſtilentemque hominem à fidelium communione depellat: qua de re Conſtantinopolitanum etiam populum Cæleſtinus docuerat per epiſtolam. Cyrillus, quò ſuo officio ſatisfaceret, plures epiſtolas de Fidei veritate, & Neſtorij cauſa, vnà cum mandatis Cæleſtini ad Ioannem Antiochenum, Iuuenalem Ieroſolymitanũ, & Acacium Berœenſem tranſmiſit: & vt conſultiùs ageret, Alexandrinam Synodum coëgit, & quatuor Epiſcopos miſit, qui Neſtorium coràm commonefacerent; eique inſignem Synodi epiſtolam deferrent, duodecim capita, qui ab anathemate aduerſus hæreticos Anathematiſmi dicti ſunt, complectentem. Spreuit omnia Neſtorius: rogantibus Epiſcopis ne aditum quidem præbuit: anathematiſmos anathematiſmis oppoſuit: Monachos, qui conſiliis ipſius obſiſtebant infenſiùs, adegit in cuſtodias ac tormenta: ſed & in ceteros, quacumque potuit, ferocia & crudelitate deſæuiit.

At verò, cùm Cyrillus ipſius Neſtorij reſipiſcentiam ſibi inprimis ante oculos proponeret, Synodum Generalem neceſſariã eſſe putauit: ſtatimque, vt dictum eſt, præcipuas Orientis Eccleſias earumq; Antiſtites literis perurgere inſtitit, vt communicatis conſiliis cogitarent de Neſtorio vel ad meliorem frugem reuocando, vel, ſi res ita ferat, ab Eccleſiæ membris reſecãdo, iuxta Cæleſtini Decretum: is enim Pontificis auctoritatem, veluti maximum huius cauſæ pugionem & clypeum, inculcabat omnibus, quibus ſcribebat, Epiſcopis, præſertim Iuuenali Ieroſolymitano, Acacio Berœenſi, & Ioanni Antiocheno, quem præter alios affatur his verbis: *Porrò autem expoſitionibus Neſtorij, eiuſdemque epiſtolis, & ijs præcipuè, in quibus, quòd apertam ipſius ſubſcriptionem præſeferrent, nullus tergiuerſandi locus reliquus erat, palàm lectis, ſacra Romana Synodus diſertam ſtatim in illum ſententiam tulit. Qua de re & ad tuam quoque pietatem perſcripſit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum eſt illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripſerunt namque expoſitæ ſententiæ exempla cùm ad Rufum piiſſimum Theſſalonicæ Epiſcopum, tum ad alios quoque nonnullos religioſiſſimos Macedoniæ Epiſcopos, qui ab illius ſententia non temere decedere ſolent. Scripſerunt nihilo ſeciùs & ad Iuuenalem quoque piiſſimum Ieroſolymorum Epiſcopum. Iam tuæ pietatis fuerit, diligenter quid in rem futurum ſit expendere: nos enim quæ illi iudicauerunt, ſequi omnino conſtituimus. Veremur namque, ne à tantorum virorum communione excidamus, qui non leui de cauſa indignantur, neque ob parui momenti res hos motus excitarunt, eamque ſententiam tulerunt; ſed propter ipſam Fidem vniuerſaſque orbis terrarum Eccleſias, & communem populi ædificationem.*

Hæc autem tam vehemens Cyrilli exhortatio ad parendum Cæleſtino, non aliò ſanè ſpectabat, quàm ad implorandum Epiſcoporum Conuentum & Synodum, quæ de Neſtorio cognoſceret.

Digitized by Google

ſceret. de hac enim diſertè Cæleſtinus Ioanni ſcripſerat his verbis: *Sciat nihilominùs Sanctitas tua, eiuſmodi à nobis, vel ab ipſo veriùs Chriſto Domino ac Deo noſtro per nos ſententiam in Neſtorium latam eſſe, videlicet, quòd niſi intra decem dies poſt acceptam admonitionis noſtræ ſyngrapham enumerandos, ſacrilegam de Chriſti ortu doctrinam ſcripta confeſſione damnauerit, eamque fidem in poſterum ſe ſectaturum promiſerit, quam & Romanorum, & Alexandrinorum, & vniuerſa profitetur & ſeruat Eccleſia, certò fore, vt ab Epiſcoporum Synodo exauctoretur, proprioque exitio ſe læſum eſſe experiatur.* Ac proptereà in epiſtola, quam ad ipſum Concilium Epheſinum per Arcadiū & Proiectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum, Legatos ſuos Cæleſtinus dedit, manifeſtò declarat, quanta cum eius voluntate aut voluptate potiùs ad eam Synodum celebrandam conuentum fuerit. Non immeritò igitur Firmus Cæſareæ Cappadociæ & Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopi palàm in Epheſina Synodo Legatis Apoſtolicis profitentur, ipſam Synodum ſecutam id quod præſcripſerat Cæleſtinus, eiuſque auctoritate compulſam de Neſtorij dogmate & abdicatione exercuiſſe iudicium.

His expoſitis planum fit, Oriētalibus Epiſcopis ſatis perſpectū compertumque fuiſſe, iuſſiſſe Cæleſtinum, vt quod ipſe de Neſtorio decreuerat, id rurſus ipſi ſancirent & exequerentur in Synodo. Verùm, quoniam plurima quæ ad Synodum tam auſpicandam, quàm ad optatos exitus promouendam pertinebant, vix perfici poterant ſine Imperatoris auctoritate; quocircà moris erat his in rebus Imperatoriæ maieſtatis implorare præſidium; ideò Cyrillus Iuuenalem Ieroſolymorum Epiſcopum monet, ſeriò cum Imperatore agendum eſſe, vt ad Neſtorianos fluctus, quibus agitabatur orbis terrarum, ſedandos, ſuam opem poteſtatemque conferret. Scribit & Conſtantinopolitanis, qui cum ipſo ſentiebant, ſi Neſtorius amicorum monitis non acquieſcat, rem ad Cōcilij tribunal oportere deduci. Quibus literis, & quotidianis, quibus à Neſtorio vexabantur iniuriis, commoti Baſilius Diaconus & vniuerſus Monachorum ordo, qui degebant Conſtantinopoli, enixè Thedoſio ſupplicarunt, vt ad reſtituendum Eccleſiarum, quas Neſtorius diſcindebat, nexum & pacem, ad Synodum Epiſcopos conuocaret. Quibus rebus adductus Imperator Theodoſius, ipſomet decimumtertiùm & Valentiniano tertiùm Coſſ. 13. Kalendas Decemb. per literas Cyrillo ceteriſque Metropolitanis Generale Concilium ad ſequentis anni Pentecoſten Epheſi celebrandum denuntiat.

Eò ſtatim poſt Paſchales Ferias conuolat Neſtorius, magna populi frequentia ſtipatus. Paulò pòſt, cùm inſtaret ſolemnitas Pentecoſtes, adfuit & Cyrillus, cultu apparatuq; Pontificio, quippe Cæleſtini iuſſu, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate Synodo præfuturus. Quarto poſt Pentecoſten die Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopus aduenit cum Epiſcopis Palæſtinis. Capreolus verò Carthaginenſis Epiſcopum Beſulam Diaconum miſit, qui Synodum doceret, ob Wandalicam feritatem ac barbariem, quæ tota graſſabatur Africa, Africanis Epiſcopis integrum non fuiſſe, vt Epheſum proficiſcerentur: Auguſtinum autem Hipponenſem Epiſcopum, priuſquam Imperatoris epiſtolam, qua vocabatur ad Synodū, accepiſſet, è viuis exceſſiſſe: quare non eſſe, quòd Antiſtites vlli expectarentur ex Africa. Solùm itaque opperiebantur Ioannem Antiochenum cum eius Epiſcopis: qui non ob interualla locorum, ſed vt Neſtorio (id enim ipſa Epheſina Synodus ſcripſit Cæleſtino) morem gereret, pluſquam hebdomadas duas vltra condictam diem moratus, tandem per duos Metropolitanos ſuos, Apameenſem & Hierapolitanum Epheſinis Patribus ſignificauit, non eſſe diu-

diutiùs expectandum, nec Synodum differendam.

Quapropter cùm ea cunctatio eſſet Epiſcopis, qui ducenti & eo ampliùs iam conuenerant, moleſtiſſima, quòd alij ſumptuum premerentur inopia, alij grauibus ac periculoſis morbis conflictarentur, alij interpretarentur tantam moram contumelia & contemptu Synodi non carere; magna conſenſione decreuerunt, Synodum auſpicari, idque in æde B. Mariæ, decimo Kalend. Iulias, Baſſo & Antiocho Coſſ. cùm iam Epheſum adueniſſent Illuſtres Comites duo, Irenæus & Candidianus, nihil ſanè de fidei cauſis cogni turi; ſed Irenæus quidem amicitiæ tantùm ſtudio Neſtorium ſecutus, nulla publica poteſtate; Candidianus autem cum Theodoſij mandatis, vt Synodi tuendæ promouendæque ſollicitudinem curamque pro imperio ſuſtineret. Itaque perlectis in Concilio Auguſtalibus literis, quibus ad Synodum Epiſcopos inuitauerat, antequam diſceptationis initium fieret, Neſtorium, qui ſcelerum conſcientia perterritus in medium prodire auſus non fuerat, accerſendũ curarunt, vt in Synodo ſacrilegia, quorum poſtulabatur, audiret, coramque dilueret. Abnuit accerſitus, ſpretoque Concilij iuſſu omnem diſputationem, conteſtatamque litem in Ioannis Epiſcopi extrahebat aduentum. Poſtera die, ſecundò ac tertiò mittuntur Epiſcopi, qui illum Synodi nomine conuenirent: totam opperiuntur diem præ foribus: nihil præter conuitia reportant: ſed & à ſatellitibus, qui Neſtorianam domum cinxerant, petulanter accepti pulſatique diſcedunt.

Fruſtrà tentatis omnibus quæ inſanienti Neſtorio mederi potuiſſent, itum eſt ad Synodicam cauſæ diiudicationem. Itaque publicè pronuntiantur Nicænæ Fidei Symbolum, & Cyrilli ad Neſtorium, & Neſtorij ad Cyrillum literæ: tum conciones, epiſtolæ, libelli, ac tractatus Neſtorij: quæ omnia à Nicæna fide, ſanctorumque Patrum ſententiis, quæ tunc quàm plurimæ prolatæ ſunt in medium, abhorrere iudicata ſunt: poſtremò producti nonnulli viri graues, qui de Neſtorij aduerſus Chriſtum ac Deiparam Virginem blaſphemiis teſtimonium dixere. Quibus omnibus grauiter & accuratè perpenſis, ab Epiſcopatu, Sacerdotumque conſortio Neſtorius deiicitur conſtantiſſima totius Synodi ſententia, Epiſcoporũ omnium ſubſcriptionibus munita: quam ſtatim ſolemni pompa præcones tota vrbe circumtulere: nec voce tantùm, ſed affixis etiam publicè ſyngraphis promulgarunt. Quin & populus, qui ab ortu ſolis ad veſperam Synodi iudicium expectauerat auidè, incredibili gratulatione perfuſus, collucentibus tædis ac funalibus domum deduxit Epiſcopos; prætereuntibus thura & odores incendit; impiique hominis condemnationem, acclamatione ac plauſu fauſtiſſimo celebrauit. Perſcriptum eſt continuò quidquid actum geſtumque fuerat, Imperatori: quæ Synodi literæ, licet eas intercipere terra marique conaretur Candidianus Comes Neſtorio obſequens, perlatæ tamen ſunt. Quod vbi cognouit B. Dalmatius, admirabili vir ſanctitate, diuinæ vocis admonitu egreſſus Monaſterium, in quo totos quadraginta octo annos ab omni hominum conſuetudine ſemotus delituerat, longo Archimandritarum Monachorúmque ordine inter gratulantium cantus & Pſalmos ad palatium contendit, vt quid in ſacra Synodo decretum eſſet, ab Imperatore perdiſceret. Accurrerunt etiam Anachoretę cum facibus & hymnis, magnaque populi frequentia. Quibus omnibus audientibus, Epheſiorum Patrum literæ in S. Mocij Baſilica perlectæ ſunt, ſingulari omnium voluptate, conclamante populo, Anathema Neſtorio.

Hanc Neſtorij condemnationem Apoſtolicę Sedis Legati, qui poſt latam ſententiam aduenere, cùm Acta Synodi recog-

recognouiſſent diligenter, ſuo etiam ſuffragio & chirographo munierunt. At verò Ioannes Antiochenus, qui cum Epiſcopis ſuis, poſt damnatum eumdem Neſtorium, ante Legatorum aduentum Epheſum acceſſerat, Candidiani Comitis ſuaſu doloque deceptus, indigniſſimè ſe ferre palàm profeſſus eſt, non habita abſentis ratione, ſeque incõſulto damnatum Neſtorium, & Cyrilli anathematiſmos, de quibus perperàm ſentiebat, omnium ſententiis fuiſſe approbatos. Itaque velut vlturus iniuriam, ſeceſſione facta, coniunctiſque cum Neſtorio viribus, quoddam ſeorſim Conciliabulum, cui & Oecumenicæ Synodi nomen arrogabat, coëgit ex triginta circiter Epiſcopis, ſeu potiùs perditiſſima atq; infima Epiſcoporum fæce: quippe quorum alij extorres erant ac vagi; alios grauibus de cauſis ipſorum Metropolitani abdicarant Epiſcopatu; alios ob hæreſes ſuis è finibus eiecerant Theſſali; alij demum Pelagij errores ſequebantur. Hac hominum colluuie fretus Ioannes, primùm Theodoreti Cyrenſis opera duodecim Cyrilli anathematiſmos ſeu capita confutauit: deinde Cyrillo ac Memnoni Epheſino Epiſcopo, viris ętate ac morum integritate grauiſſimis, falsò ipſos cum Apollinare ſentire obiiciens, indicta cauſa Epiſcopalem honorem ac nomen abſtulit: reliquos autem, qui Synodo interfuerant, iniuſtè piorum communione priuauit: ſtatimque ſcripſit Imperatori, Cyrillo, ac Memnoni, Epiſcopalem dignitatem legitimis Iudicum ſuffragiis ademptã fuiſſe. Quarum rerum indignitate commoti Patres Epheſinæ Synodi, acceptis ſupplicibus libellis, quos pro ſe Cyrillus ac Memnon obtulerant, trium Epiſcoporum Legatione Ioannem monent, vt in Synodum veniat, rationem eorum, quæ in Cyrillum, in Memnonem, & reliquos per ſummam iniuriam conſtituerat, redditurus. Hærere Ioannes, auerſari, trepidare: & militum potiùs coronæ, quàm cauſæ confiſus, abnuit, quò iubebatur, accedere. Quocircà ſacroſancta Synodus illum cum ſociis, qui peſſimè Celeſtium ac Pelagium olebant, anathemate atque Epiſcopatus abdicatione mulctat: Cyrillum, Memnonem, ac reliquos contra fas ac ius omne damnatos eſſe pronuntiat: Celeſtiumque per literas de his omnibus certiorem facit: & Ioannis exauctorationem Apoſtolicæ Sedis reſeruat arbitrio. Verùm Theodoſius, Ioannis ac Orientalium deceptus literis, Neſtorium, Cyrillum, ac Memnonem legitimè damnatos credidit; ac Ioannẽ Comitem ad Synodum miſit, qui eoſdem in cuſtodiam tradi iuſſit. Mirum eſt quantum [illegible]roris calamitas Cyrilli & Memnonis attulerit cùm Conſtantinopolitano Clero, tum ſacroſanctæ Synodo: quæ continuò Epiſcopos octo Legatos Conſtantinopolim miſit, qui rerum geſtarum omnium ordinem coràm exponerent Imperatori. Is verò auditis Concilij Actis, ea recipit venerabundus: Cyrillum ac Memnonem liberat: exilium imperat Neſtorio; ac pro eo alium in Conſtantinopolitana Sede iubet ſuffici per Epiſcopos qui Conſtantinopolim conuenerant. Qui difficilem ſanè ingreſſi deliberationem, Maximianum denique creant Epiſcopum, notiſſimæ pietatis virum: cuius electionem cùm Cæleſtinus à Synodo, & Theodoſio per Legatos & literas accepiſſet, ſumma lætitia comprobauit.

Verùm, quia Ioannes ſimultatem, quam cum Cyrillo exercuerat Epheſi, nondum abiecerat ex animo, Antiochena & Alexandrina Eccleſię ſuos Antiſtites ſecutæ, inter ſe vehemẽter diſſidebant, non ſine magno piorum dolore, offenſione populorum, & Neſtorianorum voluptate; idq; toto pænè triennio poſt ſolutam Synodum: latiuſque manaſſet hoc malum, niſi Imperatoris ſingulari vigilantia, incenſoque rectæ fidei ſtudio repreſſum fuiſſet. Quare per Ariſtolaum Tribunum ac Notarium reli-

religioſiſſimis monitis ac ſeueriſſimo iuſſu Ioannem adegit, vt poſitis diſſidiis reconciliaretur Cyrillo, & Acta Epheſinæ Synodi ſua ſuorumq; ſubſcriptionibus comprobaret. Cuius rei gratia Paulus Emiſenus Epiſcopus à Ioanne miſſus Alexandriã, venit ad Cyrillum, accurateque recognito Neſtorianę controuerſiæ ſtatu, cùm omnia rectè atque ordine geſta fuiſſe comperiſſet, Ioannis & Antiochenæ Eccleſiæ nomine, Neſtorij & damnat hæreſim, & approbat exauctorationem; Maximiani confirmat electionem, duorumq; illuſtrium Antiſtitum & Eccleſiarum cõmunionem ac[illegible]i redintegrat; atque horum om[illegible]tio reddita eſt Sixto Tertio, qui eo tempore, mortuo Cæleſtino, Romanam Eccleſiam adminiſtrabat. Neque his contenta pietas Imperatoris, ad maiorem adhuc tam infandæ hæreſeos execrationem, Neſtorij nomen Auguſtali lege damnauit, ſanxitque vt eius ſectatores, non Neſtoriani, ſed Simoniani nominarentur. Bonorum adhuc publicatione propoſita, à Neſtorij libris ſiue legendis, ſiue habendis, ſiue deſcribendis deterruit vniuerſos. Illum verò deportari iuſſit Oaſim, quæ & Ibis dicitur, oppidum in Libyæ deſertis: quod cùm Nomadum, ſeu Blemmyum incurſione vaſtatum eſſet, dimiſſus à barbaris Neſtorius Thebaidem venit ad ciuitatem Panos: inde migrare iuſſus eſt ad Elephantinam, quæ vltra Thebæorum fines erat: & licet variis huc illucq; exiliis circumactus, nihilo tamen melior in tot ærumnis effectus, in Chriſtum Dominum & Deiparam Virginem, quocumque iret, maledicta vomere non deſinebat. Sed magno diuinæ vltionis oſtento, vermes, qui ex ore impuri hominis erumpebant, blaſphemantis linguam depaſcebantur, donec ad longè grauiora ſupplicia migraturus funeſtum diem obiit, vel ad terram eliſus, vel abſumptus amentia, vel ſpecu terræ dehiſcentis abſorptus.

Epheſinum autem Concilium iure optimo inter Oecumenicas Synodos legitimè indictas approbataſque numeratum ſemper eſt. Nam primùm, fuit Epiſcoporum ex omnibus Regnis conuentu celebratum, & Cæleſtini Romani Pontificis auctoritate coactum. Deinde, quæ recta Fide aduerſus Neſtorium ſanxit, ab eodem Cæleſtino non approbata modò, ſed præſcripta etiam fuere. Nam poſtquam Cyrilli Neſtorijque literas ac libellos accepit, Romanã Synodum habuit, vt Cyrillus & Alexandrini Patres teſtantur in epiſtola ad Neſtorium, & iterùm Cyrillus in epiſtola ad Ioannem Antiochenum: in qua Synodo (vt ſuprà breuiter indicatum eſt) cùm Fidei quæſtionem, quæ inter Cyrillum & Neſtorium vertebatur, ad Apoſtolici iudicij normam Cæleſtinus exegiſſet, aduerſus impium Neſtorij dogma, vt Eccleſiæ, Apoſtolicis traditionibus, diuiniſque Scripturis aduerſum, Pontificiam tulit ſententiam, quam Cyrillo mandauit exequendam, vt ipſemet Pontifex auctor eſt in epiſtolis ſuis ad eumdem Cyrillum, ad Neſtorium, ad populum Clerumq; Conſtantinopolitanum, & ad Ioannem Antiochenum. Id quod etiam Iuuenalis Ieroſolymorum, clariùs verò Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus totã audiente Synodo affirmat his verbis: *Sacra & Apoſtolica Cæleſtini ſanctiſſimi ſacratiſſimique Sedis literas, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Iuuenalem Ieroſolymitanum, & Rufum Theſſalonicenſem, ſanctiſſimos ſacratiſſimoſque Epiſcopos, nec non ad ſanctas Conſtantinopolis & Antiochiæ Eccleſias miſit, certam de præſenti negotio ſententiam regulamque præſcripſit; quam nos proinde ſecuti, forma Canonum diligenter vbique obſeruata, Canonicum Apoſtolicumq; iudicium in illum exercuimus.* In epiſtola quoque, qua Epheſina Synodus Imperatoribus exponit quæcumque contra Neſtorium geſſerat, ita ſcribit: *Huius rei cauſa ipſum à Sacerdotio, peruerſæque doctrinæ cathedra ſemouimus, canonicèque exauctorauimus; Cæleſtinum ſanctiſſimum*

ctiſſimum

ctiſſimum Deóque dilectiſſimum vrbis Romanæ Epiſcopum dignis præconiis extollentes, qui ante noſtram ſententiam hæretica illius dogmata condemnarat, noſque in ferenda contra Neſtorium ſententia anteuerterat. Et iterùm in altera ad eoſdem Auguſtos epiſtola, *Nam etſi*, inquit, *ingens itineris intercapedo vniuerſam illam ſanctorum Epiſcoporum multitudinem ad nos peruenire prohibuerit, attamen illis in locis ſimul coacti, Cæleſtino ſanctiſſimo piiſſimóque Romanæ vrbis Epiſcopo præſente & præſidente, noſtram de fide ſententiam ſummo conſenſu prædicarunt, eóſque qui diuerſa ſentiunt, ab omni prorſus Sacerdotij ſorte graduq; alienos cenſendos eſſe definiuerunt. Et hanc quidem ſuam ſuorúmque ſententiam, antequã vlla omnino Synodus Epheſi conueniret, Cæleſtinus ſanctiſſimus magnæ Romæ Epiſcopus per literas ſuas indicacauerat; Cyrilloque ſanctiſſimo Deóque dilectiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo, vt ſuas hac in parte vices ſubiens, Romæ definita perficeret, commiſerat. Verùm his non contentus, eadem hæc aliis denuò literis ſacræ Synodo, quam veſtra Dominatio in Epheſiorum Metropoli conuenire præcepit, nunc iterùm inculcauit. Miſit autem haſce literas per Arcadium & Proiectum ſanctiſſimos Epiſcopos, & Philippum religioſiſſimum Preſbyterum, qui Cæleſtini ſanctiſſimi Deóque dilectiſſimi magnæ vrbis Romæ Epiſcopi perſonam hic ſuſtinet. Quia ergo viri iſti totius Occidentalis Eccleſiæ ſententiam noſtræ huic Synodo corãm per literas expoſuerunt, iudiciúmque de fide noſtra & pietate, noſtro per omnia conſonum ediderunt, & eadem omnino tum per literas, tum per ea quæ in mandatis acceperant (quæ maioris lucis cauſa nobis quoque aperuere) quæ nos decreuerunt, publicéque depoſuerunt; propterea non potuimus, quod res poſtulabat, hoc eſt, illum quem illi nobiſcum communem habent fidei ſenſum, ad maieſtatem veſtram non referre.* Id quod etiam manifeſtò apparet ex ipſius Synodi aduerſus Neſtoriũ ſententia. Quin & ipſi Apoſtolicæ Sedis Legati Synodum ingreſſi, ſacrum Patrum conſeſſum affati ſunt his verbis: *Dudum antè ſanctiſſimus beatiſſimuſque Pater noſter Cæleſtinus Sedis Apoſtolicæ Epiſcopus ea per epiſtolam ad Cyrillum piiſſimum Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum de præſenti hac cauſa & controuerſia perſcripſit, definiuitque quæ par fuit, quæ literæ ſacro veſtro cœtui haud dubiè iam pridem ſunt exhibitæ. Idem nunc alios rurſum ad corroborandam fidei Catholicæ doctrinam ad veſtram pietatem per literas nos miſit.* Et paulò pòſt, illos ad Synodum veniſſe, vt executores ſententiæ contra Neſtorium, quam à Cæleſtino acceperant in mandatis, non modò ipſimet Legati, Arcadius, Proiectus, & Philippus, ſed etiam Cyrillus Alexandrinus Synodo declararunt. Quoniam igitur Pontifex Legatis ſuis disertè tradiderat quæ per Synodum cuperet definiri, idcircò in epiſtola ad Epheſinam Synodũ profitetur, cum plena ſe poteſtate miſiſſe Legatos, qui ſuo nomine Concilij Acta confirmarent; & ad extremum hæc ſubiicit: *Quæ verò decreueritis, ea pro omnium Eccleſiarum tranquillitate habeantur definita decretaque.* Tametſi Epheſij Patres, vt veterem Eccleſiæ conſuetudinem retinerent, quidquid ab ipſis actum decretumque fuerat, poſtmodum per Synodicam epiſtolam expoſuere Cæleſtino, eiuſque arbitrio reſeruarunt vltimam aduerſus Ioannem Antiochenum ſententiam: addiderunt etiam, recipere ſe Romanæ Eccleſiæ Decreta aduerſus Celeſtium & Pelagium, quæ Synodo miſerat Cæleſtinus. His etiam addere poſſumus, eundem Cæleſtinum, cùm ex Synodi & Theodoſij literis Neſtorij depoſitionem & Maximiani electionem intellexiſſet, ſumma illam lætitia & congratulatione confirmaſſe. Ad hęc Sixtus Tertius, qui ſucceſſerat Cæleſtino, omnia Epheſinæ Synodi geſta confirmauit, auctore Cyrillo in epiſtola ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum: Generalia demum Concilia, quæ deinceps ſecuta ſunt, præſertim Chalcedonenſe Quartum, & Quintum Con-

ſtantinopolitanum, approbationem venerationemque, qua Epheſinam Synodum proſequebatur, variis actionibus teſtatiſſimam reliquere: vt mirum non ſit, ſi eadem inter illas quatuor B. Gregorius numerarit, quibus vt quatuor Euangeliis honorem cenſuit deferendum.

Sequuntur CANONES CONCILII EPHESINI.

CAP. I.

SI QVIS non confitetur Deum eſſe veraciter Emmanuel, & propterea Dei Genitricem ſanctam Virginem (peperit enim ſecundùm carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Verbum caro factum eſt) anathema ſit.

CAP. II.

SI QVIS non confitetur carni ſecundùm ſubſtantiam vnitum Dei Patris Verbum, vnumque eſſe Chriſtum cum propria carne, eumdem ſcilicet Deum ſimul & hominẽ, anathema ſit.

CAP. III.

SI QVIS in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt vnitatem, ſola eas connexione coniungens, eamque quæ ſecundùm carnis dignitatem fit, vel etiam auctoritatem & poteſtatem, ac non potiùs conuentu, qui per vnitatem factus eſt, naturalem, anathema ſit.

CAP. IV.

SI QVIS in perſonis duabus vel ſubſiſtentiis eas voces, quæ in Apoſtolicis ſcriptis continentur & Euangelicis, diuidit, vel quæ de Chriſto dicuntur à ſanctis, vel ab ipſo, & aliquis quidem ex his, velut homini, qui præter Dei Verbum ſpecialiter intelligatur, apparuit, illas autem tamquam dignas Deo, ſoli Dei Patris Verbo deputauerit, anathema ſit.

CAP. V.

SI QVIS audeat dicere, hominem Chriſtũ, Theophoron, id eſt Deum ferentem, ac non potiùs Deum eſſe veraciter dixerit, tamquam Filium per naturam, ſecundumq; Verbum factum eſt caro, & communicauit ſimiliter & nos carni & ſanguini, anathema ſit.

CAP. VI.

SI QVIS dicit Deum eſſe vel Dominum Chriſti Dei Patris Verbum, & non magis eumdem ipſum confitetur Deum ſimul & hominem, propterea quòd Verbum caro factum eſt, ſecundùm Scripturas, anathema ſit. Ioan. 1.

CAP. VII.

SI QVIS velut hominem Ieſum, operante Deo Verbo, dicit adiutum, & Vnigeniti gloriam, tamquam alteri præter ipſum exigenti, tribuit, anathema ſit.

CAP. VIII.

SI QVIS audet dicere, aſſumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & conglorificandum, & nuncupandum Deum, tamquam alterum cum altero (nam con, ſyllaba ſuperadiecta, hæc cogit intelligi) an non potiùs vna ſupplicatione veneratur Emmanuel, vnamque ei glorificationem dependit, iuxta quod Verbum caro factum eſt, Ioan. 1. anathema ſit.

CAP. IX.

SI QVIS vnum hominem Ieſum Chriſtum glorificatum dicit à Spiritu ſancto, tamquam qui aliena virtute per eum vſus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos ſpiritus, poſſe & coram hominibus diuina ſigna perficere, ac non potiùs fatetur eius proprium ſpiritum, per quem diuina ſigna expleuit, anathema ſit.

CAP. X.

PONTIFICEM & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, diuina Scriptura commemorat. Obtulit enim ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo, & Patri. Si quis Hebr. 3. Ephes. 5. ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrũ dicit factum, non ipſum Dei Verbum (quando caro factum eſt, & homo iuxta nos homines) ſed velut alterum præter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere; aut qui dicit, quòd pro ſe obtuliſſet

ſet ſemetipſum oblationem, & non potiùs pro nobis ſolis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino neſciuit) anathema ſit.

CAP. XI.

SI QVIS non confitetur carnem Domini viuificatricem eſſe, & propriá ipſius Verbi Dei Patris, ſed velut alterius præter ipſum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quaſi diuinam habentis habitationem, ac non potiùs viuificatricé eſſe, quia facta eſt propria Verbi cúcta viuificare valentis, anathema ſit.

CAP. XII.

SI QVIS non confitetur Dei Verbum paſſum carne, & crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundùm quòd vita eſt, & viuificator vt Deus, anathema ſit. 1. Cor. 15.

CAP. XIII.

AIT igitur magna & ſancta Synodus, ipſum qui eſt ex Deo Patre naturaliter natus, Filium vnigenitum, Deum de Deo vero, lumen de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit Pater, hunc deſcendiſſe, incarnatum eſſe, & hominem factum, paſsum eſſe, & reſurrexiſse tertia die, aſcendiſse rurſus in cælos. Hæc nos ſequi verba debemus, his nos cõuenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes quid ſit incarnatum eſse, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura conuerſa vel immutata, facta ſit caro; nec quòd in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, tranſformata ſit; ſed magis quòd carnem animatam anima rationali ſibi copulauerit, Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factus ſit homo, & nuncupatus ſit etiam Filius hominis, non nuda tantummodò voluntate, ſed nec aſsumptione ſola perſonæ; ſed quòd diuerſæ quidem naturæ in vnum cõuenerint, vnus tamen ex ambabus Chriſtus, & Filius non euacuata vel ſublata diuerſitate naturarum per coniunctionem, ſed quia ſimul nobis effecerunt vnum Deum, & Chriſtum, & Filium, id eſt diuinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is qui ante ſæcula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter eſt procreatus in tempore. Non quia diuina ipſius natura de ſacra Virgine ſumpſit exordiũ, nec propter ſeipſam opus habuit ſecundò naſci poſt illam natiuitatem quam habebat ex Patre, (eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia ſæcula eſt, & conſempiternus Patri, ſecundæ generationis eguerit, vt eſse inciperet:) ſed quia propter noſtram ſalutem, naturam ſibi copulauit humanam, & proceſſit ex muliere, idcircò dicitur eſse natus carnaliter. Nec enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum; ſed in ipſa vulua vteroque virginali ſecum carnem coniunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ natiuitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſsum eſse, & reſurrexiſse, non quia Deus Verbum in ſua natura paſſus ſit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera ſuſceperit (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud, quod ipſius proprium factum eſt, hoc ſuſtinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita, & viuificans Deus Verbum; ſed quia corpus ipſius proprium, gratia Dei (iuxta Pauli vocem) pro omnibus mortem guſtauit, Hebr. 2. idcircò ipſe dicitur mortem paſſus pro nobis: non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quãtum ad ipſius naturam pertinet; (inſania enim eſt hoc vel ſentire, vel dicere:) ſed quòd (vt diximus) vera caro ipſius mortem guſtauit. Ita & reſurgẽte carne ipſius, rurſus reſurrectionem diximus, non quia in corruptionem

nem ceciderit(quod abſit) ſed quia eius reſurrexit corpus. Ita Chriſtum vnum & Dominum confitemur,non tāquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur; ſed vnum iam & eumdem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuum, cum quo ipſe etiam aſſidet Patri. Nec hoc ita diximus, quaſi duobus Filiis aſſidentibus; ſed vno cum carne per vnitatem; quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi præpaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidemus,vt duos Filios eſſe dicamus. Neceſſe eſt enim diſcernere & dicere hominem ſeparatim fuiſſe ſola Filij appellatione honoratum, & rurſus Verbum,quod eſt ex Deo in homine,in veritate Filium Dei. Sed diſcernere in duos Filios non debemus vnum Dominum Ieſum Chriſtum. Neq; enim adiuuat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non enim dicit Scriptura, Verbum Dei perſonam ſibi hominis aſſumpſiſse, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere, Dei Verbum ſimiliter ac nos principium habuiſse carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſse, & hominem ex muliere proceſſiſse, nō abiecta vel depoſita Deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre; ſed manſiſse etiam in aſsumptione carnis Deum,quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſse comperimus. Ideoq; illi non dubitauerunt ſanctam Virginem dicere Theotocon,non quia Verbi natura Deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium; ſed quòd ex eâ natum ſit ſacrum illud corpus,animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum eſse dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo tibi, quærens tamquam frater, & conteſtans coram Deo & electis eius Angelis, vt hæc nobiſcum ſentias,ſimul & doceas, vt Eccleſiarum pax ſalua ſeruetur, & concordiæ charitatiſque vinculum indiſſolubile maneat Sacerdotibus Dei.

Ioan. 1.

Sequuntur CANONES *ducentorum ſanctorum & beatorum Patrum, qui in Epheſo conuenerunt ſub* THEODOSIO *Imperatore, &* CAELESTINO *Papa. Luciano Mantuano Monacho Caſinenſi interprete.*

CAP. I.

Vt qui cum Celeſtio aut complicibus ſentiunt, deponantur.

QVONIAM autem oportebat & abſentes à ſancta Synodo, morantesque in vrbibus & Prouinciis ob aliquod impedimentum, ſeu Eccleſiaſticum, ſiue corporeum, non ignorare quæ de ipſis ſunt conſtituta, ſignificamus ſanctitati veſtræ ac dilectioni, vt ſi quidam Metropolita Prouinciæ derelicta ſancta & Oecumenica Synodo, aut acceſſit ad illorum defectionis conſeſſum aut accedet in poſterum, ſiue cum Celeſtio ſenſit, aut ſentiet, ipſe nihil ampliùs poterit agere aduerſus Prouinciæ Epiſcopos, vt qui iam inde à Synodo totius Eccleſiaſticæ communionis expers ſit factus, & prorſus inutilis: ſed & ipſis Epiſcopis illius Prouinciæ circumque vicinis Metropolitis recta ſentientibus ſubiacebit, vt omnino deiectus ſit à ſede Epiſcopatus.

ANNOTATIO.

A Synodo Epheſina receſſerunt quidam numero circiter triginta, qui deprehēſi ſunt Neſtorij atq; Celeſtij ſenſa tenere. Fugerunt autem, nolentes vnà cum Patribus Neſtorium condemnare; quos ſancta Synodus omni Eccleſiaſtica communione priuauit, & Sacerdotij omne munus ademit. Hic eſt ſcopus huius Canonis.

CAP. II.

Qui deficientibus à Synodo adhæſerunt, Sacerdotio priuantur.

SI QVI autem Prouinciales Epiſcopi à ſancta Synodo defecerunt, vel deficientibus adhæſerunt, aut adhærere tenta-

tentarunt, vel etiam poſtquam ſubſcripſerunt Neſtorij depoſitioni, rurſus ad defectionis conſenſum nihilominùs recurrerunt: iſtos placuit ſanctæ Synodo penitùs alienos eſſe à Sacerdotio, à graduque cecidiſſe.

CAP. III.

Reſtituuntur, qui à Neſtorio ſunt Sacerdotio prohibiti.

SI QVI verò ex Clericis in ſingulis vrbibus aut regionibus à Neſtorio & conſpirantibus Sacerdotio prohibiti ſunt, quòd rectè ſentirent, iuſtum putauimus hos quoq; proprium gradum accipere. In ſumma autem, Clericos Orthodoxæ & Oecumenicæ Synodo conſentientes iubemus eis qui defecerunt, aut defecturi ſunt, Epiſcopis nullo pacto aut ratione ſubiectos eſſe debere.

CAP. IV.

Qui cum Neſtorio aut Celeſtio ſentiunt, deponantur à Synodo.

SI QVI autem Clericorum defecerint, & auſi fuerint, vel priuatim vel publicè, quæ ſunt Neſtorij aut Celeſtij ſapere, ſancitum eſt à ſancta Synodo iſtos quoque depoſitos eſſe.

CAP. V.

Quos ſancta Synodus condemnauit, reſtitui non debere.

QVICVMQVE autem ob turpia geſta ſunt à ſancta Synodo condemnati, vel à propriis eorum Epiſcopis, quibus præter Canones, Neſtorius, qui nullum rerum diſcrimen habebat, & qui cum illo eadem ſentiunt, reſtituere conati ſunt gradum vel communionem, aut conarentur, iſtos cenſuimus inutiles eſſe, & manere nihilominùs depoſitos.

CAP. VI.

Contra turbatores geſtorum in Synodo.

SIMILITER autem, & ſi qui velint ea quæ de ſingulis per ſanctam Synodum geſta ſunt Epheſinam, quocumque modo mouere, ſancta Synodus ipſa decreuit, ſi quidem Epiſcopi aut Clerici fuerint, eos omnino à proprio cadere gradu: ſin verò laici, aut alij, ſine communione permaneant.

Collocutio eiuſdem ſanctæ Synodi edita poſtquam lecta fuit expoſitio ſanctorum aut beatorum Patrum trecentorum decem & octo apud Nicæam, & impium ſymbolum à Theodoro Mopſueſtienſi confictum, & à Cariſio Presbytero Philadelphiæ porrectum ſanctæ Synodo Epheſinæ.

CAP. VII.

HIS igitur lectis, decreuit ſancta hęc Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut ſcribere, aut componere, præter eam quæ definita fuit à ſanctis Patribus apud Nicæam vrbem in Spiritu ſancto congregatis.

Eos autem qui fuerint auſi aliam fidem componere, ſiue porrigere, aut proferre his qui volunt ad cognitionem veritatis conuerti, vel ex Gentibus, vel ex Iudæis, vel etiam ex qualibet hæreſi; iſtos, ſi quidem Epiſcopi fuerint aut Clerici, alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos autem à Clericatu: ſi verò laici fuerint, anathematizari. Pari modo ſi deprehenſi fuerint aliqui, ſiue Epiſcopi, ſiue Clerici, ſeu laici, ſentientes aut docentes ea quæ continentur in expoſitione per Cariſium allata Presbyterum de incarnatione vnigeniti Filij Dei, ſeu ſcelerata atque peruerſa Neſtorij dogmata, quæ & ſubiecta ſunt, ſubiaceant ſententiæ ſanctæ huius & Oecumenicæ Synodi. Vnde liquet, Epiſcopum quidem alienum ab Epiſcopatu atque depoſitum eſſe, Clericumque ſimiliter cecidiſſe à Clero: & ſi laicus fuerit, anathemati ſubiacere, quemadmodum dictum eſt.

Edictum eiuſdem ſanctæ Synodi ex aduentu Cypriorum Epiſcoporum conſtitutum, atque vulgatum.

CAP. VIII.

REM nouam, ac præter Eccleſiaſticas leges & Canones ſanctorum Apoſtolorum, quæ & libertatem omnium tangit, Deo dilectus Coëpiſcopus

Reginus annuntiauit, vnà cum Deo dilectis Epiſcopis Prouinciæ Cypri Zenone & Euagrio: nempe, Epiſcopum Antiochenum in Cypro facere Ordinationes, quemadmodum per libellos & proprias voces fidem facere religioſiſſimi viri, qui ad ſanctam Synodum huc acceſſerunt, habebunt ius ſuum intactum & inuiolatum, qui ſanctis Cypriorum Eccleſiis præſunt ſecundùm Canones ſanctorum Patrum, & antiquam conſuetudinem, per ſeipſos religioſiſſimorum Epiſcoporum facientes Ordinationes. Idem autem & in aliis Diœceſibus omnibuſque vbique Prouinciis erit ſeruandum, vt nullus (videlicet Deo dilectorum Epiſcoporum) alienam inuadat Prouinciam, quæ non priùs atque ab initio ſub illius ſeu anteceſſorum ſuorum fuerit poteſtate. Sed & ſiquis occupauerit, vel vi ſibi ſubegerit, idem ipſe reſtituat, ne Patrum ſtatuta frangantur, néve ſub ſpecie ſacræ functionis potentiæ tumor irrepat, ſicque incogitantes & paulatim libertatem perdamus, quam Ieſus Chriſtus Dominus noſter Redemptor hominum omnium, proprio Sanguine nobis quæſiuit & condonauit.

Placuit igitur ſanctæ & Oecumenicæ Synodo, vt ſingulis Prouinciis pura & inuiolata, quæ iam inde ab initio habent, ſua iura ſeruentur, vt vnuſquiſque Metropolita ſecundùm priſcum & ſolitum morem rerum faciendarum æqualiter facultatem obtineat, propriumq́; ius firmum poſſideat. Quòd ſi quis ſuperbia contumaci definitis obuiàm ierit, hunc abrogatum iri placuit toti ſanctæ & Oecumenicæ Synodo.

ANNOTATIO.

Hic autem ſciendum, quòd in hoc Concilio, poſtquam proſtrata fuit Neſtoriana hereſis, Patres ipſius Concilij cum Imperatore, & Maximiano recèns creato Epiſcopo, Cæleſtino Pontifici, tamquam proſtratæ hæreſis auctori, per Legationem deputatam plurimùm gratulati fuerunt. Et tunc Salutatio Angelica hoc additamẽtum, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis*, &c. accepiſſe creditur. Pulcheria verò Auguſta templum inſigne ad littus maris in honorem Dei Genitricis extruxit: Nicephorus lib. 15. cap. 2. ſicque auguſtiſſima illa Virgo, cui draco deterrimus laudes debitas inuidebat, amplioribus poſtmodum vocibus celebrata fuit. Theodoſius cùm ſe ab Irenæo illuſum comperiſſet, ex auctoratum in ordinem redegit. Eâdem pœnâ exauctorationis Candidianum, Palladium & Ioannem plexos fuiſſe, admodum eſt veriſimile. Neſtorius cum quibuſdam ſuæ factionis ſectariis, dum ſua peccata deflere, & tandem reſipiſcere debuiſſet, aduerſus veritatem Catholicam & Cyrilli Capitula calamum armauit; ſed fruſtrà. Nam ea volumina, quæ in Monaſterio S. Euprepij apud Antiochiam relegatus maledicè & contumelioſè ſcripſerat, iuſſu Imperatoris ignibus tradita fuerunt. Tandem eumdem tamquã malorum omnium huius temporis auctorem, in exilium ablegari mandauit. In exilio degentis linguam à vermibus fuiſſe exeſam, ſcribit Euagrius. Cum lingua totum corpus putredine fuiſſe conſumptum ſcribit Theodorus in Collectaneis. Vide Baronium anno 432. vſque ad 440.

Acta huius Oecumenici Concilij fusè ponuntur à Binio per totam quaſi Partem ſecundam primi Tomi Conciliorum.

CONCILIABVLVM EPHESINVM I.

Hvivs Acta extant apud Binium in 2. Parte, Act. 1. Orthodoxę Synodi Epheſinæ.

CONC. ANTIOCHENVM,

quo Ioannes Antiochenvs Nestorivm *condemnauit, & cum* Cyrillo *pacem iniuit.*

Hic conuentus Epiſcoporum Syriæ celebratus eſt ANNO DOMINI CCCC-XXXII.
Antiochiæ hac occaſione: Theodoſius Imperator cõſilio Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi decreuerat, Cyrillum & Ioannem Antiochenum Nicomediam conuocari, atque vtrumque ibidem tamdiu detineri, donec inter ſe pacem & concordiam compoſuiſſent. Executio rei Ariſtolao viro integro & prudenti Tribuno atque Notario commiſſa eſt: adhibiti

hibiti ſunt pacis ſequeſtres, Acacius Berœenſis, & Simeon Stylites anachoreta ſanctiſſimus. Imperator conſilium per literas, quę extant apud Biniū Concilij Epheſini Parte 3. c. 24. p. 418. indicauit. Ioannes Antiochenus his omnibus acceptis omnes illos Epiſcopos Syriæ, quibus hactenus aduerſus Cyrillum alioſque Orthodoxos Epheſi congregatos comminiſtris vſus erat, conuocauit, vt præuia conſultatione, quid hac in re facto opus eſſet, decernerent. Poſt aliquantulam deliberationem, ne Ioannes ex mandato Imperatoris ad dicendam cauſam Nicomediam proficiſci cogeretur, communi ſententia placuit omnibus; Primò, damnationem hæreſis Neſtorianæ vnà cum ſuo auctore Neſtorio, ſicut Theodoſius ſuis literis admonuerat faciendum, ratam eſſe habendam. Secundò iudicarunt, communicationē cum Romano Pontifice, Cyrillo Alexandrino, omnique Catholica Eccleſia, à qua hactenus ſchiſmate præciſi fuerant, eſſe redintegrandam. Quæ cùm Ariſtolaus Imperatoris Legatus approbaſſet, nullam ampliùs de proficiſcendo Nicomediam Ioanni negotium faceſſiuit; vtpote, qui hac via concordiam inter diſſidentes Epiſcopos conciliandam fore conſpiceret. His de rebus ex Synodo ad Sixtum Romanum Pōtificem literas ſcripſerunt. Cyrillo quidem eadem ſignificarunt; ſed non priùs epiſtolam ſuam de damnatione Neſtorij & communicatione cum Catholicis inita, per Paulum Emeſenum Legatum ſuum exhiberi voluerunt, quàm Cyrillus in ſuſpicionem hęreſeos Apollinariſtarum adductus, confeſſionem fidei ſuæ edidiſſet, ſuaque Capitula tamquam erronea condemnaſſet. Quod cùm ille cōſtanter recuſaſſet, vtpote qui nihil aliud de fide ſentiret, quàm quod anteceſſor Athanaſius tradidiſſet; quique ſuas epiſtolas, facta collatione originalium, ab hæreticis deprauatas eſſe oſtendiſſet, Ioannis Antiocheni & collegarum eius literas publicauit. Recitatis verò eorum libellis non aliter acquieuit Cyrillus, vt patet ex eius epiſtola 38. ad Dynatum, quàm Ioannes Antiochenus illi ſubſcripſiſſet, ſocijque eius Epiſcopi Neſtorij dogmata manifeſtiùs anathematizaſſent, confeſſique eſſent, illum ſe pro depoſito habere, & Ordinationi Maximiani Epiſcopi Conſtantinopolitani conſenſiſſent. Et quamquam cunctationem Ariſtolaus moleſtè ferret, tamen conditionibus requiſitis obtemperatum fuit. Ioannes Antiochenus ſubſcripſit, eiuſque collegæ expreſſè Neſtorij dogma anathematizarunt, Neſtorij depoſitionem & Maximiani ſurrogationem approbarunt, ac tādem petitam communionem impetrarunt. Ita arbitrio Cyrilli cuncta aduerſus Neſtorium geſta, feliciter tranſacta fuerunt. Hæc ex epiſtola Cyrilli 38. ad Dynatum Baronius anno 432. nu. 42. & ſeqq. vſque 69.

ÇONC. ROMANVM

à Sixto Pontifice ad ſui expurgationem indictum, & congregatum.

CONCILIVM hoc celebratum eſt Romæ menſe Decembri anno Domini 433. qui eſt ſecundus à creatione Sixti Pontificis. Cauſa habiti Concilij hæc fuit: Sixtus Papa criminatus fuit à quodam Baſſo de ſtupro virgini Deo conſecratæ illato. Facto igitur conuentu, cum magna examinatione per iudicium Synodicum purgatur præfatus Summus Pontifex à quinquaginta ſex Epiſcopis. Et condemnatur Baſſus à Synodo, ita tamen, vt vltimo die Viaticum ei non negetur, propter humanitatem pietatis Eccleſiæ. Hoc audiens Valentinianus Auguſtus cum matre ſua Placidia Auguſta, furore ſancto commoti, proſcriptione Baſſum condemnarunt, & omnia prædia facultatum eius, Eccleſiæ Catholicæ ſociarunt. Qui Baſſus intra tres menſes moritur: cuius corpus Sixtus Epiſcopus cum linteaminibus & ANNO DOMINI CCCCXXXIII.

aromatibus ſuis tractans recondidit, & ſepeliuit ad D. Petrum Apoſtolum in cubiculo parentum eius.

Acta Concilij nimia antiquitate corrupta, atque vndique deprauata extant apud Binium. Vide Baronium anno 432. num. 31. & 36.

CONCIL. ARMENIÆ, *in quo libri* NESTORIANORVM *ſunt condemnati.*

ANNO DOMINI CCCCXXXV.

CVM Theodoſius Imperator libros Neſtorij publica ſanctione edita condemnaſſet, ideò quòd ex ſcriptis Neſtorij in Orientali Eccleſia controuerſiæ & tumultus agitarentur, Neſtoriani ad fontem, vnde ſuum venenum hauſerant, reuertentes, libros Theodori Mopſueſteni & Diodori Tarſenſis legendos expoſuerunt, atque in Syrorum, Armenorum, & Perſarum linguam tranſlatos velut Catholicos, duas naturas in Chriſto contra Eunomium & Apollinarem confitentes diuulgarunt. Qua re cognita, Epiſcopi Armeniæ in Synodum conuenerunt, inuentoſque libros impietate plenos condemnarunt. Quos ne ſoli condemnaſſe viderentur, per Legationem miſſam ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſententiæ ſuæ confirmationem petiuerunt. Proclus, re examinata cum Armenis, non tantùm ipſe conſenſit; verùm etiam per Ioannem Antiochenum alioſque Epiſcopos qui cum ipſo cõgregati erant, eamdem fidem & ſententiam ſubſcribi curauit. Hæc ex Liberati Breuiario, cap. 10. & ex epiſtola Procli ad Armenos reddita Baronius anno 435. num. 1. & ſeqq.

ANNOTATIO.

QVOD libri hæreticorum comburendi ſint, refert Abdias lib. 4. Certaminis Apoſtolici, quòd Hermogenes ante pedes Apoſtoli Iacobi ſuos proiecit libros, vt comburerentur. Conſtantinus Magnus in ep. ad quaſcumque Eccleſias, quam citat Nicephorus lib. 8. cap. 25. *Si quod*, ait, *ſcriptum ab Ario compoſitum reperiatur, vt igni tradatur, volumus. Illud equidem prædictum volo: ſi quis libellum aliquem ab Ario conſcriptum celare, nec continuo igni comburere deprehenſus fuerit, ſupplicium ei mortis ſit conſtitutum.* Idem prohibet Concilium Carthaginenſe IV. Can. 16. & allegatur à Gratiano diſtinct. 37. Leo I. epiſt. 48. ad Martianum Imperatorẽ, & epiſt. 1. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, cap. 15. Valentinianus & Martianus Impp. epiſt. ad Palladium Præfectum Orientis, quæ eſt inſerta Act. 3. Chalcedonenſis Concilij Generalis IV. Theodoſius I. & Valentinianus I. Edicto, quod relectum eſt coram Patribus Generalis V. Synodi Conſtantinopoli habitæ II. *Nemo*, aiunt, *audeat ſacrilegos Codices à Theodoro, Diodoro, & Neſtorio compoſitos, & contrarios veræ doctrinæ legere, aut poßidere, aut ſcribere. Oportet enim eos Codices cum omni diligentia requiri, & inuentos publicè coram omnibus cõburi.* Huic Edicto ſubſcripſit Theophilus Alexandrinus epiſtola immediatè ipſum Edictum ſequente, ad Porphyrium Antiochiæ Epiſcopum. Idem dicit Cyrillus Alexandrinus lib. de eo, Quòd vnus eſt Chriſtus, & lectus eſt coram Patribus eiuſdem V. Generalis Synodi. Quod & Iuſtinianus Imperator, qui huic interfuit Concilio, ſpeciali Edicto confirmat, & allegatur in Nouella, Conſtit. 42. Hoc Edictum relectum & confirmatum eſt in Concilio Ieroſolymitano ſub Petro eiuſdem vrbis Epiſcopo, & refertur Act. 1. V. Generalis Synodi. Idem Concilio Generale V. Act. 1. in ſententia lata ab Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo. Denique ſic combuſta ſunt ſcripta in Concilium Generali VI. Conſtantinopolitano III. ſub Conſtantino Pogonato, in Trullo. Sed & in prædictos hæreticorum libros ſententiam tulit Concilium Generale VII. Nicænum II. can. 9. Concilium Conſtantienſe Generale, ſeſſ. 5. idem fecit de libris Ioannis VVicleff, & ſeſſ. 15. de libris Ioannis Hus. Sic etiam Lutheri ſcripta publicè cremanda ſub graui pœna anathematis, mandat Leo X. in Bulla contra Lutheri errores, ad calcem Lateranenſis Concilij, quod celebrauit, poſita.

CONC. CONSTANTINOPOL. *in cauſa Primatus* ALEXANDRINI *ſub præſidio* PROCLI *Conſtantinopolitani Epiſcopi.*

CVM Dioſcorus Alexãdrinæ Eccleſiæ Diaconus, Conſtantinopoli degens, eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ Apocriſarium ageret, [illegible]

veterem controuerſiam de iure Diœceſios & primatus exſuſcitans, ad Alexandrinum Epiſcopum pertinere inſtabat, omnibus Orientis Eccleſiis præſidere, vtpote quòd in Eccleſia Catholica poſt Romanum Pontificem, Alexandrinus Primatum obtineret. Cui cùm Epiſcopus Antiochenus potiſſimùm contradiceret, ideò, quòd diſtinctio & diuiſio Diœceſium auctoritate Apoſtolica ſemel ordinata Niceni aliorumque Conciliorum Canonibus confirmata eſſet, congregata hanc ob cauſam Synodo, poſt diligentem cauſæ diſcuſſionem Patres vnanimi conſenſu definierunt, vt quæ in Nicæno aliiſque Conciliis hac de re olim conſtituta fuiſſent, rata ac firma manerent. Pro iuribus Antiochenæ Eccleſiæ Theodoretus Cyri Epiſcopus acerrimus defenſor inſurrexit. Vnde factum, quòd (ſicut ipſe teſtatur) Dioſcorus ex hoc tempore eum graui & diuturno odio proſecutus fuerit. Hęc ex epiſt. 86. Theodoreti Baronius anno 439. num. 42. & 43.

CONCILIVM REGIENSE,

vel potiùs REGENSE, *aut* REGENENSE *in Gallia Narbonenſi habitum tempore* SIXTI III. *Papæ ab Epiſcopis tredecim, Aera* 472. *anno Domini* 439. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI CCCCXXXIX. CAVSAM habiti Concilij ipſa Acta manifeſtè aperiūt. Ebredunenſis Epiſcopi Ordinatio à duobus tantùm Epiſcopis contra Canones facta, irritatur: ordinantes iniuncta pœna mulctantur. Epiſcopi ab hæreſi aut ſchiſmate ad Eccleſiam redeuntes, quo loco habendi ſint, definitur. De defunctorum Epiſcoporum cura & exequiis ſtatutum eſt, vt proximior Epiſcopus harum rerum curam aſſumat, poſt habitum conſenſum Metropolitani, defunctum ſeptimo die ſepeliat, ad Ordinationē vlteriùs nemo, niſi à Metropolitano vocatus, accedat. Vide Baronium anno 439. nu. 44. Acta huius Concilij extant apud Binium.

CONCILIVM ARAVSICANVM I.

ſub LEONE *Papa, tempore* THEODOSII IVNIORIS, *&* CYRI *Conſulis, ſexto Idus Nouembris, in Eccleſia Iuſtinianenſi. Eſtque Prouinciale.*

HOC Concilio actum eſt de diſciplina Eccleſiaſtica, & de recipiendis variorum generum pœnitentibus: ac demum vt nullus conuentus ſine alterius futuri conuentus denuntiatione ſoluatur. CCCCXLI.

CAP. I.

Vt nullus Miniſter ſine Chriſmate proficiſcatur.

NVLLVS miniſtrorum, qui baptizādi recipit officium, ſine Chriſmate vnquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in Baptiſmate chriſmari. De eo autem qui in Baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, chriſmatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chriſmatis ipſius non niſi vna benedictio eſt. Non præiudicantes cuiquam hoc dicimus, ſed vt neceſſaria habeatur chriſmatio. De Cōſec. d. 4. Nullus.

CAP. II.

De hæreticis, ſi in mortis diſcrimine conuertantur.

HAERETICOS in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderent, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum Chriſmate & benedictione conſignari placet.

CAP. III.

De pœnitentibus, qui de corpore exeunt.

QVI recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare, quod morientis ſufficit reconciliationi ſecundùm definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter Viaticū nominauerunt. Quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem 26. qu. 6. Qui recedunt.

nionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

CAP. IV.

De his qui ad Eccleſiam confugiunt, ne tradantur.

D.87. Eos qui. Eos qui ad Eccleſiam confugiunt, tradi non oportet, ſed loci ſancti reuerentia & interceſſione defendi.

ANNOTATIO.

De hac Eccleſiæ immunitate loquitur Ambroſius Orat. in Auxentium Arianum, de Baſilicis non tradendis, quæ ponitur lib. 5. epiſt. poſt ep. 32. & Auguſtinus ſerm. 5. de Dedicatione Eccleſiæ. *Si reuerentiam, ait, matris Eccleſiæ agnoſcimus, ſciendum eſt, cuiuſlibet criminis reum à ſacris liminibus non abſtrahendum. Grandis enim iniuria religionis, ac diuinitatis offenſa eſt, qualemcumque fugientem ad domum Dei, id eſt, de ſinu matris euellere, & arcem communis expugnare profugij, at ſacra humano generi reuerenda, abſque vlla ſui conſideratione calcari.* Et infrà: *Sed fortè aliquis dicit: Locus ſanctus criminoſo patere non debet. Non ita eſt. Hæc enim intractabilis animi argumenta non recipit Chriſtus, qui pro impiis mortuus, confugientibus ad ſe, claudi aditum miſericordiæ non permittit. Qui latroni fidem confitenti, Paradiſi clauſtra patefecit, reum à ſacris adytis non vult excludi.* Idem in epiſt. 229. ad Creſconium. Concilium Carthaginenſe IV. cui Auguſtinus idem interfuit, Can. 84. & allegat Gratianus de Conſecr. diſt. 1. Can. Epiſcopus nullum. Gregorius Magnus 16. Mor. c. 2. Concilium Epaunẽſe, ſub Gelaſio I. Can. 39. Concilium Ilerdenſe, Can. 10. Concilium Aurelianenſe I. ſub Hormiſda, Can. 3. & allegat Gratianus 17. q. 4. cap. Id conſtituimus. Aurelianenſe V. cap. 23. Moguntinum II. cap. 8. 9. & 10. Toletanum XII. ſub Leone II. Can. 10. & allegat Gratianus 17. q. 4. Definiuit. Moguntinum I. Can. 3. Nicolaus I. epiſt. ad Michaëlem Imp. & allegat Gratianus 17. q. 4. cap. Sicut antiquitus.

CAP. V.

Quòd nullus Clericorum mancipia occupet.

Si qvis autem mancipia Clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur.

CAP. VI.

De libertis qui in Eccleſia commendati ſunt, ne opprimantur.

In Eccleſia manumiſſos, & per teſtamentum Eccleſiæ commendatos, ſi quis in ſeruitutem, vel obſequium, vel ad colonariam conditionem reuocare tentauerit, animaduerſione Eccleſiaſtica coërceatur.

CAP. VII.

De his qui Clericum alienum ordinare præſumunt.

Si qvis alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putauerit, priùs definiat, vt cum ipſo habitet. Nec eum ſine conſultatione eius Epiſcopi, cum quo antè habitauit, ordinare pręſumat, quia non ſine cauſa diu ab alio non ordinatus remanſit.

CAP. VIII.

De his qui ciues alienos ordinauerint.

Si qvi autem alienos ciues, aut alibi conſiſtentes ordinauerint, nec ordinati in vllo accuſantur, aut ad ſe eos reuocent, aut ipſi eis impetrent, cum quibus habitent.

CAP. IX.

De Epiſcopis qui in aliena ciuitate Eccleſiam ædificant.

Si qvis Epiſcoporum in alienæ ciuitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodè reſeruatur, in cuius territorio Eccleſia aſſurgit. Reſeruata verò ædificatori Epiſcopo hac gratia, vt quos deſiderat Clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, in cuius ciuitatis territorio eſt; vel ſi ordinati iam ſunt, ipſos habere acquieſcat.

CAP. X.

De Epiſcopis, qui excommunicatum alterius ſuſcipiunt.

Placvit in reatum venire Epiſcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiuſque, ſine reconciliatione eius qui eum excommunicauit, ei communicare præſumpſerit, vt integra omnia

Digitized by Google

nia (ſi reconciliatio interceſſerit) de iniuſtitia vel iniquitate excommunicationis proximæ Synodo reſeruentur.

CAP. XI.

De his, qui ſubitò obmuteſcunt.

SVBITO obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.

CAP. XII.

Vt Euangelia Catechumeni non audiant.

PLACVIT catechumenis non legi Euangelium in Eccleſia.

CAP. XIII.

De eiſdem, ne ad Baptiſteria accedant.

CATECHVMENI nonnumquam admittendi ſunt etiam inter domeſticas orationes; ad Baptiſteria nequaquam.

CAP. XIV.

De eiſdem, ne cum fidelibus benedictionem accipiant.

SEGREGANDI, informandique ſunt catechumeni, vt ſe reuocent, & ſignandos vel benedicendos ſemotis offerant eos fideles.

CAP. XV.

De feminis, qui viduitatem profeſſæ ſunt.

VIDVITATIS ſeruandæ profeſſionem, coram Epiſcopo in Secretario habitam, impoſita à Presbytero veſte viduali, didicimus non eſſe violandam. Eius verò repudiatorem, vel ipſam talis profeſſionis deſertricem, meritò eſſe damnandam decernimus. Ego Hilarius Epiſcopus ſubſcripſi. Ego ſuperuentor pro patre & meo Epiſcopo Claudio ſubſcripſi, & recognoui.

ANNOTATIO.

IN Summa Conciliorum Carranzæ ponuntur hîc Canones Concilij Arauſicani de gratia & libero arbitrio; ſed proprius locus eorum eſt infrà in Concilio Arauſicano II. anno 529. & ibi reddetur ratio.

CONCILIVM VASENSE VEL VASIONENSE

vulgato nomine I. *re ipſa* II. *tempore* LEONIS *Papæ* I. *eſtque Prouinciale.*

CONCILII huius Decreta, ſicut & Acta, propter miram Canonum confuſionem incerta ſunt; ita quam ob cauſam celebratum ſit, certò affirmari nequit, ſi communem ſententiam ſectantes, decem Capitula, hactenus edita ſub nomine Vaſenſis illius, quod tempore Leonis celebratum eſt, eidem adſcribamus, quid in hoc Concilio actum ſit, ex titulis eorumdem Capitulorum cognoſci poteſt. ANNO DOMINI CCCCXLII.

CAP. I.

Vt alterius Epiſcopi Chriſma nullus accipiat, ſed proprij.

PER ſingula territoria Presbyteri vel miniſtri ab Epiſcopis, non (prout libitum fuerit) à vicinioribus, ſed à ſuis propriis per annos ſingulos petant Chriſma, appropinquante ſolemnitate Paſchali, nec per quemcumque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtrorum occupatio eſt, per Subdiaconum: quia inhonorum eſt, inferioribus ſumma committi.

CAP. II.

Vt qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.

QVI oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, vt infideles ab Eccleſia ſunt abiiciendi, quia vſque ad exinanitionem fidei peruenire certum eſt hanc pietatis diuinæ exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum plenitudine, & pauperum conſolatu alimoniæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi ergo tales quaſi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei, habendi ſunt. Vnde & quidam Patrum * hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententia, qua ait: *Amico quidquam rapere, furtum eſt: Eccleſiam verò fraudare, ſacrilegium eſt.* 13. q. 2. Qui oblationes. * Hieron. vt habetur 12. q. 2. Gloria Epiſcopi.

CAP.

Cap. III.

De ſepulturis, quomodo non eſt accipiendum pretium.

11. q. 2. Præcipiendum. PRAECIPIENDVM eſt ſecundùm Canonum auctoritatem, vt de ſepulchris, & hominibus ſepeliendis, nihil muneris exigant, niſi fortè qui ſepelitur, viuens iuſſerit Eccleſiæ, in cuius atrio ſepelitur, aliquid de rebus ſuis tribuere: aut etiam poſt mortem ipſius illi, quibus commiſſum eſt eius eleëmoſynam facere, de rebus illius aliquid ſponte dare voluerint. Et tamen nullatenus à Presbyteris Eccleſiæ illius aliquid exigatur, ſine illis, qui locis & villis præſunt.

Cap. IV.

Vt Preſbyteris prædicandi poteſtas ſuis plebibus concedatur.

HOC etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem: ita vt ſi Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum Homiliæ à Diaconis recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni iudicentur, ſanctorum Patrum Expoſitiones publicè recitare?

Cap. V.

Vt Kyrie eleïſon *in omnibus Eccleſiis dicatur.*

ET quia tam in Sede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientalis atque Italiæ Prouincias dulcis & nimis ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, vt Kyrie eleïſon frequentiùs cum grandi affectu ac compunctione dicatur; placuit etiam nobis, vt in omnibus Eccleſiis noſtris iſta conſuetudo ſancta & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperam, Deo propitiante, intromittatur.

Cap. VI.

Vt in omnibus Miſſis ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus, *dicatur.*

IN omnibus Miſſis, ſiue Matutinis, ſiue in Quadrageſimalibus, ſiue in illis quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Miſſas publicas, dici debeat. Quia tam dulcis & deſiderabilis vox (etiam ſi die noctuque poſſit dici) faſtidium non poterit generare. Et hoc nobis iuſtum viſum eſt, vt nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur. *Nota pro nomine Papæ in Eccleſia recitando.*

Cap. VII.

Vt propter hæreticorum incredulitatem, poſt Gloria Patri, *&c.* Sicut erat in principio, *&c. ſemper dicatur.*

QVIA non ſolùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant; in omnibus clauſulis poſt *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat in principio*, &c. dicatur, etiam & nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decreuimus.

CONCIL. ROMANVM I.

in cauſa MANICHAEORVM.

CVM S. Leo Manichæos Romæ occultè latitantes comperiſſet, iiſque publicam quamdam notam infamię, qua à Catholicis diſcernerentur, inuſſiſſet, tandem (vt conſtat ex eius epiſtola 2. hoc anno, menſe Ianuario ad Epiſcopos Italiæ ſcripta) anno Pontificatus ſui quinto, qui eſt Chriſti 444. & Theodoſij Imperatoris 37. aduerſus eoſdem Romæ Concilium indixit. Cui, vt Manichæorum ſcelera notiora redderentur, non tantùm Epiſcopos & Presbyteros; ſed & Senatores complures, illuſtreſque viros, imò & plebis partem præſentem eſſe voluit. Quid in hoc Concilio *ANNO DOMINI CCCCXLIV.*

Digitized by Google

Concilio actum fuerit, S. Leo Ser. 5. de Ieiunio decimi mẽſis deſcribit his verbis: *Reſidentibus itaque mecum Epiſcopis ac Presbyteris, ac in eumdem conſeſſum Chriſtianis viris ac nobilibus congregatis, Electos & Electas eorum iuſſimus præſentari. Qui cùm de peruerſitate dogmatis ſui, & de feſtiuitatum ſuarum conſuetudine multa reſerarent: illud quoque ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt. Quod tanta diligentia inueſtigatum eſt, nihil minùs credulis, nihil obtrectatoribus maneret ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ per quas nefandum facinus fuerat perpetratum: puella ſcilicet, vt multùm, decennis, & duæ mulieres, quæ ipſam nutrierant, & huic ſceleri præpararant. Præſtò erat etiam adoleſcentulus vitiator puellæ, & Epiſcopus ipſorum deteſtandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & vna confeſſio, & pateſactum eſt execratũ, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertiùs loquentes caſtos offendamus auditus, geſtorum documenta ſufficiant, quibus pleniſſimè docetur, nullam in hac ſecta pudicitiam, nullam honeſtatem, nullam penitùs reperiri caſtitatem; in qua lex eſt mendacium, diabolus religio, ſacrificium turpitudo. Hos ideò homines, dilectiſſimi, per omnia execrabiles atque peſtiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia veſtra penitùs abdicate, voſque præcipuè mulieres à talium notitia & colloquiis abſtinete; ne dum fabuloſis narrationibus incautus delectatum auditus, in diaboli laqueos incidatis.*

Eadem prolixiùs commemorantur in epiſtola 2. Leonis, quam inſtar aliarum ad alios ſcriptarum, dederat ad Epiſcopos Italiæ, vt de rebus in hac Synodo Romæ aduerſus Manichæos geſtis certiores fierent, omneſque peſtilentiſſimam luem præcognitam, præcauere & longiùs propulſare diſcerent. Hæc ex Leonis Sermonibus & epiſtolis Baronius anno 444. numer. 1. 2. & ſeqq.

CONC. ROMANVM II.

ſub LEONE, *in cauſa* HILARII *Arelatenſis Epiſcopi, anno Domini 445. celebratum.*

CVM Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, Patrocli, aliorumque anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, contra Taurinenſis Concilij definitionem, Bonifacij & Cæleſtini Pontificum Conſtitutionem, in Vienneſi & Narbonenſi Prouincia Epiſcopos deponere, alioſque in locum adhuc viuentium ſubſtituere præſumpſiſſet, apud Sedem Apoſtolicam iure meritoque hanc ob rem denuntiatus, ad ſui defenſionem ſponte ſe Romam contulit. Hac Synodo Romæ anno Domini 445. celebrata conuictus, nulla licentia expectata, nullaque abeundi licentia impetrata, Arelatem rediit. Quæ poſt abitum illius in Concilio acta fuerint, S. Leo in epiſt. 89. ad Viennenſes ſcripta prolixè recenſet. Sententiam in eum pronuntiatam, Leonis Pontificis rogatu, Valentinianus Imperator, dato reſcripto ad Aëtium Magiſtrum militiæ in Gallia executus fuit. Extat reſcriptum Valentiniani inter Nouellas Theodoſij Cod. Theod. tit. 24. De Epiſcopis ordinandis: quod inter cetera præclara de auctoritate Romani Pontificis hæc habet: *Et erat ipſa quidem ſententia* (Romani Pontificis) *per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Eccleſiis non liceret? ſed noſtram quoq; præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlteriùs vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare, auſibus enim talibus fides & reuerentia noſtri violatur Imperii.* Et paulò pòſt: *Hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra veterem conſuetudinem liceat ſine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctorita-* ANNO DOMINI CCCCXLV.

Digitized by Google

te tentare. Sed illis omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerat Apoſtolicæ Sedis auctoritas, &c. Integrum Edictum recenſet Baronius anno 445. n.9. & 10. Quibus omnibus ceſſit Hilarius ipſi Summo Pontifici: & propterea eò tandem peruenit ad culmen ſanctitatis, vt in Romanas Sanctorum tabulas adſcribi meruerit. Vide Baronium vbi ſuprà.

CONC. HISPANICVM GENERALE,

ſuaſu LEONIS *Pontificis, in cauſa* PRISCILLIANISTARVM *indictum, anno Domini* 447.

ANNO DOMINI CCCCXLVII. CVM ingruentibus barbaris, Wandalis primùm, Gothis, atque Sueuis, florentiſſima illa Hiſpaniarum Eccleſia ſanctiſſimorum Antiſtitum ſolita cultura careret, pulchra immutata facie, reddita eſt velut ager incultus, vepribus vndique repletus, ac ſpinis, in quibus feræ ſua latibula quærebant. Accidit, quòd dum S. Turibius Aſturicenſis Epiſcopus, vehementi Catholicæ veritatis ardore ſuccenſus, hac de cauſa Hiſpaniæ Eccleſias luſtraret, eiuſdem beſtiarum luſtra inueniens, ad eas pellendas, earumque latebras deſtruendas, Apoſtolicæ Sedis, à qua Hiſpaniæ ſincerum Euangelium acceperant, ſubſidium implorauerit, atque per Diaconum ſuum Romam ad hoc opus ablegatum, Leonem Pontificem de his omnibus certiorem reddiderit. Quæ dum S. Leo exactè examinaſſet, redditis literis poſt alia eum admonuit, vt in Hiſpania Generale Concilium celebraretur. Vide epiſt. 93. Leonis ad Turibium.

His literis in Hiſpaniam perlatis, ad celebrandum Generale Concilium Epiſcopi diuerſarum Prouinciarum conuenerunt, Priſcillianam hæreſim condemnarunt, atque contra eam, Regulam quamdam fidei cum aliquot Capitulis ediderunt. Hæc de rebus in Synodo geſtis.

Verùm cùm hæc ad Balconium Tarraconenſem Epiſcopum, totius Galliciæ Primatem & Metropolitanum, ſcripta fuiſſe dicat Lucretius; prætereà etiam Galleci hoc tempore ſub Rechila Sueuorum Rege fuerint, reliquæ autem Hiſpaniarum Prouinciæ, Theodorico, eiuſque filio Torſimundo, Gothorum Regibus paruerint; probabile admodum eſſe apparet, duo habita fuiſſe Concilia, quæ cum Toletano Primo coniuncta fuerunt: Vnum Toleti, cui Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, & Bætici Epiſcopi interfuerunt, & de rebus in Synodo geſtis ad Balconium Galliciæ Primatem literas dederunt: Alterum collectum eſt in Gallicia ſub Balconio in municipio Celenenſi apud Lucenſem vrbem. Quarum cùm vna conueniendi cauſa & auctoritas fuerit, & in vnam & eamdem ſententiam conuenerint, in vnum conflata, & Toletano I. Collectoris errore coniuncta fuerunt. Vide Binium hîc.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. I.

ZENONE & POSTHVMIANO *Coſſ. celebratum, quo ſub præſidio* FLAVIANI EVTYCHES *Archimandrita condemnatus eſt, ſub Pontificatu* LEONIS, *anno Domini* 448.

CVM in cauſa Florentij Sardiorum Metropolitani ad- CCCCXLVIII uerſus Epiſcopos ſub eo conſtitutos Ioannem & Coſſinium, Flauio Zenone & Poſthumiano Conſulibus, anno nimirum Domini 448. Concilium haberetur Conſtantinopoli, Euſebius Dorilæi Epiſcopus, cùm vulgatam incerto auctore nouam hæreſim (qua docebatur, in Chriſto Domino ante Incarnationem duas, poſt Incarnationem verò non duas, ſed vnam dumtaxat fuiſſe naturam) ab Eutyche Archimandrita prædicari ac doceri præſens audiuiſſet, nihilq; piis admonitionibus apud eum profeciſſet, ſcri-

Digitized by Google

ſcriptum aduerſus eum querelarum libellum huic Synodo legendum obtulit, petens dum lectus eſſet, eiuſdem copiam Eutycheti communicari, & ad ſui defenſionem citari. Cùm citatio prima auctoritate Concilij decreta, & nondum executa fuiſſet; ſecũda Actione, pridie Idus Nouembris, Synodo præſtò fuit Euſebius, eamque, quam ſemper coluit, fidem rectam palàm ex ſcriptis Cyrilli exponit, eademque ſe ſapuiſſe ac etiamnum ſapere profitetur. Oſtendit etiam, ſanctos & Orthodoxos Patres ſemper in Chriſto duas naturas in vna eademque perſona coniunctas agnouiſſe. Quæ quidem, vt ſanctè pieque dicta, ab omnibus qui præſentes erant Patribus, ſingulis candidum calculum porrigentibus, recepta atq; probata fuerunt.

Inchoata rurſum Actione tertia, decimoquinto Nouembris, Feria 2. ad inſtantiam Euſebij contra Eutychetem querelam ſuam proſequentis, decreto Synodi prima citatio per Ioannem & Andream executa, in iudicio reproducta fuit. Poſtquam autem vterque retuliſſet, Eutychetem reſpondiſſe, ſe Monaſterio ſuo non egreſſurum; dixiſſe etiam, ſe paratum eſſe expoſitioni ſanctorum Patrum, qui in Nicæa & Epheſo congregati ſunt, conſentire, eorumque interpretationibus, quatenus Scripturæ conformes eſſent, & non aliter (quod hæreticorum eſt) ſubſcribere, ad inſtãtiam Euſebij per Mamantem & Theophilum Presbyteros Eutyches ſecundò citari iuſſus eſt. Quibus abeuntibus, & ſcriptam citationem exequentibus, Euſebius ad ſuæ querelæ & accuſationis probationem addidit, Eutychetem de ſua hæreſi libros ſcripſiſſe, eoſque ad diuerſa Monaſteria miſiſſe, eo fine, vt ſubſcriptione Abbatum & Monachorũ aliorum approbarentur. Quod cùm Flauianus teſtimonio Abrahami Presbyteri verum eſſe cognouiſſet, ablegauit ex Synodo diuerſos ad diuerſa Monaſteria, qui miſſum ab Eutychete fidei tomum inquirerent, & ad Synodum referrent. Cùm poſt hæc reſponſum ſimile priori retuliſſent illi qui ſecundam citationem executi fuerant, inſtitit tertiò Euſebius accuſator, vt vel inuitus Eutyches ad Synodum trahatur. Tum verò ſecundùm iudicij formam à ſancta Synodo decretum eſt, vt per Memnonem ſacrorum vaſorum cuſtodem, Epiphanium Presbyterum, & Germanum Diaconum, tertiò citaret. Traditus eſt illis libellus citationis ſcriptus, quo ſignificabatur, vt poſt diem ſequentem Feria quarta, ad decimam ſeptimam menſis Nouembris Eutyches iudicio præſtò eſſet.

Intereà Actione quarta, ſequenti die, qui erat 16. Nouembris, ad Synodũ venit Abrahamus Archimandrita, allegans, Eutychetem ob ingraueſcentem morbum venire non poſſe. Quam excuſationem licet cum Flauiano reliqui Patres acceptarent, per eumdem tamen Abrahamum Eutychetem moneri voluerunt, vt qui ad accuſandum Neſtorium Monaſterio egreſſus fuiſſet ad Concilium Epheſinum, idem ad ſui defenſionem egredi, & ad Concilium venire non recuſet; maximè ideò, quòd plures verbo & opere ſcandalizaſſet: nihil peti aliud, quàm vt veniat, errorem ſuum aut defendat, aut deprecetur & reuocet.

Actione quinta, quæ decimaſeptima menſis Nouembris habita fuit, ij, qui ad tertiam citationem Eutycheti inſinuandam miſſi erant, retulerunt ſe mandatum citationis fideliter executos fuiſſe: Eutychetem reſpondiſſe, quòd Abrahamum Archimãdritam ad Synodum deſtinarit, qui ſuo nomine diceret, ſe ſanctorum Patrum dictis & Nicænę Synodo acquieſcere: quibus ſi ſancta Synodus contenta non eſſet, vnius ſeptimanæ inducias & dilationes peteret. Auditi ſunt etiam illi, qui à ſancta Synodo miſſi fuerant ad Monaſteria, inquiſituri de voluminibus ab Eutychete ad ea miſſis, retuleruntque, Archi-

chimandritas volumen fidei ab Eutychete miſſum accepiſſe, ſed ſubſcribere noluiſſe. Cùm itaque Euſebius poſt cauſæ ſuæ defenſionem inſtaret, Eutychetem ex ſcriptis ſuis damnandum eſſe, ne tamen præcox videretur eſſe iudicium, petitam ſeptem dierum dilationem Patres Concilij ei conceſſerunt.

Poſt tertiam citationem executam, inueteratus dierum malorum hypocrita, qui ſæpè conteſtatus fuerat, ſe è Monaſterio nequaquam egredi poſſe, licet totius Synodi iuſſu vrgeretur, *Dum hæc agerentur*, ait Liberatus cap.11. *refugiens Eutyches ad Theodoſium Imperatorem*, (more hæreticorum) *impetrauit ab eo per Chryſaphium Eunuchum, quem ipſe Eutyches ſuſceperat in ſacro Baptiſmate, vt cum Patricio Florentio & magno Conſiliario Concilium ingrederetur. Dicebat enim ſe Flauiani calumnias timere.*

Sexta Actione ad inſtantiam Euſebij, vigeſima ſecunda Nouembris audita eſt relatio eorum qui ad tertiam citationem peragendam deputati fuerãt. Qui dum habitam cum ipſo de fide diſputatiunculam, eiuſque reſponſum hoc, quòd nulla pœna depoſitionis à ſententia deterreri poſſet, expoſuiſſent, adueniente præſcripto ſeptem dierum termino, qui vigeſima ſecunda Nouembris expirauerat, ſeptima Actione magna militum apparitura ſtipatus adfuit, cum licentia & conſenſu Patrum vnà cum Florentio patricio in Synodum intromiſſus fuit. Cùm in præſentia Florentij de hæreſi conuictus ad palinodiam induci non potuiſſet, iudicio omnium Patrum hæc ſententia in eum prolata fuit: *Lacrymantes & lugentes perfectam eius perditionem, decreuimus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab eo blaſphematum, extraneum eum eſſe ab omni officio Sacerdotali, & à noſtra communione & primatu Monaſterij. Scientibus hoc omnibus, qui poſteà colloquentur ei & ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipſi pœnæ excommunicationis, ſicut non recedentes ab eius collocutione.*

Huic ſententiæ ſubſcripſerunt Epiſcopi trigintaduo, & Archimandritæ qui aderant vigintitres. De rebus in Synodo geſtis Flauianus Leonem Pontificem certiorem reddidit per epiſtolam quæ extat poſt ep.8. Leonis, eſtque talis initio: *Nulla res diaboli venena compeſcit*, &c. Vnde Eutyches quoque ſubdolas & mendaciorum plenas ſcribit literas ad S.Leonem Papam, quas per Regios miniſtros Flauiani literis malitioſè detentis citiùs Romam deferri obtinet. Ad Pontificem quidem appellauit, eique blandis verbis correctionem pollicitus eſt; ſed appellationi non eſt delatum. Mendacem quoquè libellum & fraudulentum Theodoſio Imperatori offert, quo ſe vim paſſum eſſe prædicat. Vt celebriores Epiſcopos Italiæ in ſuam ſententiam pertraheret, literas ad eoſdem ſcripſit. Hæc ex Actis Concilij recitatis in prima Actione Concilij Chalcedonenſis: item ex epiſt. Leonis 12. ad Flauianum, ex Liberato Diacono c.11. Baronius anno 445. num.19. & ſeqq. vſque ad 55.

CONCILIVM VEL POTIVS IVDICIVM ECCLESIASTICVM

Tyri in cauſa IBAE *Epiſcopi Edeſſæ in Syria*, FLAVIO ZENONE & POSTHVMIANO *Conſulibus celebratum.*

IBAS Edeſſæ in Syria Epiſcopus à quatuor Presbyteris Edeſſenæ Eccleſiæ, quos ſua ſententia excommunicauerat, principio apud Domnum Antiochenum de hæreſi Neſtoriana accuſatus fuit, quaſi poſt initam inter Cyrillum Alexandrinum & Ioannem Antiochenũ concordiam, in antiqua ſententia pro Neſtorio contra Cyrillum perſtaret. Cùm mandato Domni Antiocheni Ibas excommunicatos abſoluere, ſeque poſt feſtum Paſchæ ANNO DOMINI CCCCXLVIII.

ſchæ Synodali iudicio præſentem ſiſtere iuſſus eſſet; quatuor verò Presbyteri accuſatores, iuramento præſtito promiſiſſent, ſe non ante finem Synodi Antiochiâ diſceſſuros; accidit quòd duo ex illis, Samuel & Cyrus nominati, præſtiti iuramenti parum memores, iſthinc diſceſſerint, & Imperatori ſupplicarint, petentes, vt quia Domnus Ibæ plus nimio faueret, aliis Iudicibus non partialibus cauſæ inquiſitio committeretur. Intereà Domnus Antiochiæ Synodum celebrauit, duobus tantùm accuſatoribus præſentibus, in qua poſt cauſam Ibæ innocenter accuſati præcognitam, duo accuſatores abſentes, velut periuri & calumniatores condemnati fuerunt. De rebus geſtis Domnus ad Flauianum Conſtantinopolitanum perſcripſit. Cumque ſupplicantibus periuris Presbyteris Imperator detuliſſet, iudicium Ibæ tribus aliis Epiſcopis, Photio nimirum Tyri, Euſtathio Berythi, & Vranio Himeriæ cõmiſit, Damaſcium Tribunum & Notarium Iudicem cognitorem miſit, mandans ei, vt iudicio præſens aſſiſteret, quæque delecti à ſe in ea cauſa Iudices definirent, executioni mandaret. Miſſus eſt etiam à Flauiano Conſtantinopolitano Epiſcopo Eulogius Diaconus. His omnibus Tyri præſentibus, vigeſima quinta Februarij Indictionis primæ, ad diſſidia tollenda tres Epiſcopi pacis ſequeſtres agere cœperunt, idque conuenientiſſimè ſtatuerunt, vt Ibas Neſtorij hæreſim, ob quam potiſſimùm accuſatus fuerat, omnéſque alias ad eum ſpectantes, execraretur; deinde fidem Catholicam purè, ſincerè, & integrè profiteretur. Quod cùm ille præſtitiſſet, eum à ſuſpicione hæreſeos abſoluerunt: Clericos etiam accuſatores cum ſuo Epiſcopo reconciliarunt. Vide Baronium anno 448. num. 59.

Acta huius Concilij extant in Concilio Chalcedonenſi, Actione nona & decima.

CONCILIVM SEV POTIVS IVDICIVM ECCLESIASTICVM

Berythi in cauſa IBAE, FLAVIO ZENONE *&* POSTHVMIANO *Coſſ. celebratum menſe Septembri, anno* 448.

IBAS cum duobus aliis Epiſcopis denuò à tribus diuerſis Edeſſenæ Eccleſiæ Presbyteris in iudicium vocatus, apud Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum accuſatus fuit: verùm is cognitionem cauſæ tribus iiſdem Iudicibus Epiſcopis Berythi, Tyri, & Himeriæ, qui præcedenti iudicio interfuerant, commiſit. ANNO DOMINI CCCCXLVIII Primò obiectũ eſt, quòd blaſphemiam horrendam dixiſſet hanc: *Non inuideo Chriſto facto Deo: in quantum factus eſt, & ipſe factus ſum.* Vel: *Si voluero, & ipſe vt ille fieri poſſum.* Quam Ibas teſtificatione totius Cleri Edeſſeni ad Epiſcopos Iudices tranſmiſſa, omnino diluit. Secundam calumniam hanc adduxerunt, quòd S. Cyrillum hæreticum appellaſſet, ideoque non temerè Neſtorianus eſſe videretur. Reſpondit Ibas, id quidem ante initam cum Ioanne Antiocheno concordiam à ſe factum eſſe; ab eo autem tempore, quo opera & ſtudio Pauli Emeſeni inter vtrumque pax compoſita fuit, numquam accidiſſe. Cùm illi contrà vrſiſſent, poſt factam vtriuſque reconciliationem Cyrillum ab Iba hæreticum eſſe nominatum, idque ex eius epiſtola ad Marim Perſam ſcripta probari poſſe aſſeruiſſent; illius epiſtolæ fragmentum, quod Actis Chalcedonenſis Concilij Act. 10. intextum habetur, editum fuit. Hanc epiſtolam ſuam eſſe agnouit Ibas; ſed cùm in ea nihil eorum quæ obiiciebantur probari poſſet, Epiſcoporum iudicio abſolutus fuit. Patres Chalcedonenſis Concilij eamdem ſententiam confirmarunt. Sed cùm hac occaſione Neſtoriani ſpargerent, epiſtolam Ibæ, qua laudes Theodori Mopſueſteni, & vituperia Cyrilli Alexandrini continentur,

 à Pa-

à Patribus Chalcedonenſis Concilij approbatam & receptam fuiſſe, Quinta Synodus Oecumenica, collatione octaua eam meritò condemnauit; quippe quæ in Orthodoxum Scriptorem, grauiùs quàm oportebat, inuehatur; & Theodorum Mopſueſtenum hæreticum, nimiùm laudet. Quòd verò non epiſtolam, ſed auctorem epiſtolæ tantùm Patres Chalcedonenſis Concilij, horum Iudicum ſententiam imitati, à calumnia aduerſariorum abſoluerint, iudicauerintque eum fautorem Neſtorianæ hæreſeos eſſe deſiiſſe, poſt initam Cyrilli cum Ioanne Antiocheno concordiam Catholicum & Orthodoxum fuiſſe oſtendit Binius in Notis Concilij Chalcedonenſis, verbo *Approbatum.* Vide Baronium anno 435. n. 11. & 12. & anno 448. num. 61. & ſeqq. vſque ad 77.

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. II. *in cauſa* EVTYCHETIS.

ANNO DOMINI CCCCXLVIII.

DAMNATO Eutychete (vt vidimus ſuprà Concilio Conſtantinopolitano I.) Chryſaphius Eunuchus, Imperatorij cubiculi præfectus, nullum non mouit lapidem, vt Acta Synodalia à Flauiano legitimè confecta planè irrita reddat, & in ipſum Flauianum damnationis pœnam conuertat. Permouit itaque Imperatorem, vt pro Eutychete ad Leonem Pontificem ſcribat; & vt iudicium atque examen Eutychetis priùs eludatur, perſuadet Imperatori, vt confeſtim Conſtantinopolim triginta Epiſcopos conuocet, qui ſub præſidio Theodoſij Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Eutychetis cauſam potiſſimè cognoſcant. Mira celeritate res confecta eſt. Quinto Idus Aprilis anno Chriſti 449. qui eſt 10. Leonis, Synodus inchoata eſt. Interfuerunt triginta Epiſcopi, quorum nomina in Actis Concilij Chalcedonenſis prædicto loco recenſentur. Inter eos Florentius Patritius ab Imperatore miſſus eſt, vt intereſſet. Theodoſius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus Synodo præſidere iuſſus fuit. Intereà ante omnia, contra ius & æquitatem omnem, ab Imperatore conceſſum eſt Eutycheti, per Procuratorem cauſam ſuam in Synodo agere, accuſatori nequaquam. De ordine iudicij non obſeruato, de querelis Euſebij Epiſcopi Dorilæi non auditis exceptum eſt; ſed nihil impetratum. Pro Eutychete cauſam acturi cum libello eiuſdem Eutychetis intromiſſi ſunt in Synodum Conſtantinus, Eleuſius & Conſtantius, Monachi. Quibus intromiſſis, Macedonius Tribunus & Notarius nomine Imperatorum ab omnibus Epiſcopis iuramentum aſſertorium exegit; ſed interceſſione Baſilij obtentum eſt, ne Epiſcopi iurare cogerentur. Poſt hæc ordine rerum oblatus eſt ad legendum libellus Eutychetis, quem iam antè damnatus, Imperatoribus obtulerat. Recitato libello, Acta Conſtantinopolitani Concilij vera & originalia à Notariis eiuſdem Concilij exacta & lecta fuerunt. Ea quæ produxerunt Eutychetis Procuratores, originalia quidem, ſed aliunde mendosè deſcripta eſſe cognitum fuit. Cùm allegaſſent Procuratores Eutychetis appellationẽ, apud Epiſcopos prioris Conſtantinopolitani Concilij interpoſitam; ex Actis omniumque Epiſcoporum præſentia oſtenſum eſt, id nequaquam contigiſſe. Hæc cùm prima Seſſione habita fuiſſent, contigit vt vigeſima ſeptima eiuſdem menſis Aprilis ijdem 30. Epiſcopi conueniſſent. Vbi oblatus Eutychetis libellus legi iuſſus eſt, Silentiarius teſtatus eſt, ſe à Flauiano accepiſſe, quòd Eutychetem ipſe, concepta in ſcriptis ſententia, condemnaſſet, antequam Synodi actio cogeretur. Aſterij cuiuſdam teſtificatione dictum, & in Acta relatum eſt, ipſa prioris Synodi Acta à Notariis commutata fuiſſe. His cauillis legitimæ damnationi Eutychetis à priore Synodo factæ illuſum fuit. Flauianus deinde fidei confeſſionem edere iuſſus, paruit, eamque, quæ extat initio

præ-

præambularium in Concilio Chalcedonenſi epiſtolam, fidei dogmata continentem, ſcripſit, & ad Imperatorem tranſmiſit. *Poſtquam ergo nihil probatum eſt Notariis* (inquit Liberatus Diaconus cap. 12.) *de falſitate geſtorum, ad inſtantiam Eutychetis Dioſcorus Alexandrinus aliam Vniuerſalem Synodum Epheſi celebrandam ab Imperatore impetrauit.* Vide Baronium anno 448. num. 11. & ſeqq.

CONCILIABVLVM EPHESINVM II. VNIVERSALE,

reprobatum, quo centũ & viginti octo Epiſcopi anno Domini 449. Eutychem abſoluerunt, hæreſim eiuſdem confirmarũt, & Flauianum cum quibuſdam aliis Epiſcopis condemnarunt.

ANNO DOMINI CCCCXLIX.

THEODOSIVS Imperator, Chryſaphij Eunuchi fraude & dolo inductus, vſurpata ſibi Pontificia poteſtate, Synodum Oecumenicam contra ius & conſuetudinem Eccleſiæ indixit, datoque ad Dioſcorum Alexandrinum reſcripto, eum Synodi Præſidem conſtituit, conceſſa eidem facultate adducendi quos vellet Epiſcopos, quique Eutychetis cauſę contra Flauianum fauerent. Hæc Liberatus Diaconus in Breuiario, cap. 12. Nicephorus lib. 14. cap. 47. Qua occaſione accidit, quòd illi, qui conſtantiſſimè aduerſus Eutychetis fidem Catholicam de duabus naturis in Chriſto propugnaturi erant, tamquam Neſtorianæ hæreſeos fautores, Ibas nimirum & Theodoretus, ab aditu Concilij prohiberentur: contrà verò illi, qui Eutychetis ſtudioſiſſimi erant, tamquam acerrimi Neſtorianæ perfidiæ impugnatores, Synodo intereſse & præeſse iuberentur. Quoniam verò Imperator non ignorabat, Concilium Oecumenicum nullum fere, quod abſq; Pontificis auctoritate indictum eſset; illud iniit conſilium, vt eum quidem vocaret, ſed tamen ne vel per ſe, vel etiam per Legatos adeſſet, cautè admodum præcaueret. Et quomodo id factum? Primùm, anguſtiſſimo termino tempus clauſit, vt nõ niſi magno incommodo adeſſe poſſet. Et quia præter anteceſſorum ſuorum conſuetudinem atque exemplum eſſe ſciebat, vt ipſe Pontifex in perſona propria Concilio Vniuerſali intereſſet, ſcribens ad Leonem Pontificem, eius perſonam huic Synodo præſentem eſſe petiuit. Hæc ex epiſtola Leonis 13. Cùm Pontifex literas Theodoſij accepiſſet, mala, quæ Eccleſiæ ſuæ imminere preſagiebat, anteuertere conatus, perſuaſit Imperatori, vt ſi in Italia conuentus Epiſcoporum haberi non poſſet, planè omitteretur, eò quòd in re adeò perſpicua tanta conſultatio non eſſet adhibenda. Sed cùm hac in re fruſtrà laboraſſet, ne per abſentiã Romani Pontificis cauſa fidei aliquod diſpendium pateretur, tres Legatos à latere miſit, Iulianum Puteolanum Epiſcopum, Renatum Presbyterum Cardinalem tituli ſancti Clementis, atque Hilarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Diaconum. His Encyclicam epiſtolam ad Flauianum inſcriptam dedit, (extat apud Binium) eo conſilio, vt in conuentu Epiſcoporum legeretur: & quid de Verbi incarnatione ſentiẽdum ſit, vniuerſa Synodus intelligeret. Appropinquante iam die cogendę Synodo præſtituta, Imperator Magiſtratui ſuo, quem intereſſe iuſſerat, ſcripto diligẽter curare mãdauit, vt Epiſcopi, qui in Synodo Conſtãtinopolitana cauſam Eutychetis iudicaſſent, nihil interloquantur. Vnde nõ immeritò Synodus Prædatoria, ſeu Latrociniũ Epheſinum eſt nominatum hoc Conciliũ, à quo veritatis defenſores alij profugantur, alij in exiliũ deportati, miſerrimè tandẽ occiduntur. Vide Baronium anno 449. n. 21. & ſeq.

Acta verò huius Concilij ſic ſe habuerunt: Cùm omnes ſimul in Baſilica S. Dei Genitricis Mariæ conſediſſent, Dioſcorus literas Imperatoris ſibi datas legi mandauit. Legati Sedis Apoſto-

poſtolicæ poſtquam de ſua commiſſione & Legatione Synodum informaſſent, & Leonem Papam, quòd in perſona propria non comparuiſſet, excuſaſſent, ex eo quòd Romani Pontifices nõ niſi per Legatos extra vrbem Synodis intereſſe conſueuiſſent, Encyclicam illam Epiſtolam Leonis de Verbi Incarnatione ad Synodum; & ad Flauianum tranſmiſſam legendam obtulerunt. Dioſcorus vbi eam accepiſſet, iuratò quidem promiſit fore vt legeretur; ſed parum præſtiti iuramenti memor, ex compoſito varias Imperatoris epiſtolas legi ac recitari præcepit, vt à legenda Romani Pontificis epiſtola præſente auocarentur: quamobrem non iniuſtè Act. 3. Concilij Chalcedonenſis Dioſcorus periurij eſt accuſatus. Abſoluta recitatione literarum Imperatoris, facta eſt ſuggeſtio, de fide agẽdum eſſe: contrà Dioſcorus ex Decreto Imperatoris de controuerſiis inter Flauianum & Eutychetem Conſtantinopoli obortis tractandam eſſe reſpondit. Hoc idem placuiſſe Epiſcopis omnibus, Notarij Dioſcori falsò exceperunt, prout Acta Concilij Chalcedonenſis Act. 1. apertè monſtrant. Ingreſſus in conſeſſum Epiſcoporum Eutyches, libellum fidei obtulit. Quo recitato, Flauianus Euſebium Dorilęi Epiſcopum accuſatorem audiri petiuit, ſed fruſtrà: quaſi non fuerit Flauiani, aliquid in hac Synodo petere, cùm olim Eutychetis iudex, hîc verò cum Euſebio reus dumtaxat aſſiſteret iudicandus. ita facti turpitudinem in Concilio Chalcedonenſi Comes Elpidius excuſauit. Deinde Acta Conſtantinopolitani Concilij publicè legi voluit Dioſcorus: Legati autẽ non antè illud admittendum eſse dixerunt, quàm epiſtola Encyclica Pontificis lecta foret. Cùm Eutyches oppoſitam Legatorum cõtradictionem ſuſpectam allegaſset, eo ſuſpicionis argumento, quòd apud S. Flauianum manſiſsent, & cum eo pranſi fuiſsent: Dioſcorus incompetenti exceptione attenta, Legatorum petitionem repulit, ipſiſque inuitis Acta Conſtantinopolitana legi permiſit. Quæ dum legerentur, illi qui Dioſcoro abblandiebantur, bis térve Eutychianam hęreſim clamoribus ſuis interpoſitis confirmarunt. Lectione Actorum abſoluta à Dioſcoro eiuſque ſectatoribus, reclamante Flauiano, Eutyches eſt abſolutus. Dolendum eſt, Domnum Antiochenum, Iuuenalem Ieroſolymitanum, Stephanum Epheſinum, alioſq; inſignes Epiſcopos, minis exilij & depoſitionis in eam ruinam præcipites inductos eſse, quòd impij hęreſiarchæ abſolutionem ſubſcribendo ratam habuerint. Poſt hæc iuſſu Dioſcori Acta prioris Synodi Epheſinæ, quæque ibi de fide ſtatuta fuerint, lecta fuerunt, inflicta excommunicationis pœna illi qui aliter ſentiret. Probatis omnibus quæ in ſacroſancta Synodo Epheſina ſtatuta erant, Flauianus Conſtantinopolis, Euſebius Dorilæi, Ibas Edeſſenus, Theodoretus Cyri Epiſcopi condemnati, ſedeque Epiſcopali, ſurrogatis aliis, amoti fuerunt. In locum Flauiani, Anatolius; & pro Iba, Nomius ſuffecti fuerunt. A Flauiano & Theodoreto ad Sedem Apoſtolicam appellatum eſse, ex Actis Concilij Chalcedonenſis, epiſtolis Theodoreti 113. &c. aliiſque Scriptoribus liquidiſſimè conſtat. Sententiam in Flauianum & Euſebium pronuntiatam, præter Legatos Pontificios, ſubſcriptione ſua omnes ferè Epiſcopi approbarunt. Quod qua ratione acciderit, in Synodo Chalcedonenſi, Dioſcoro præſente teſtatus eſt Acacius Epiſcopus his verbis: *Pura charta ſubſcripſimus compulſi & violenter, & multa mala perpeſſi nolentes; ſed & per potentiam perpeſſi ſubnotauimus. Vſque enim ad veſperam tenuerunt nos recludentes in Eccleſia, & ægrotantes nos neque quieſcere permiſerunt, neq; concedere vt aliquantulùm reſocillaremur, ſed milites nobis cum fuſtibus & gladiis impoſuerunt, & ſic nos fecerunt ſubnotare.* In hoc tam horrendo Epiſcoporum nau-

naufragio ſola Nauicula Petri incolumis emergens ſaluatur. Legati enim Apoſtolicæ Sedis Dioſcoro audaciſſimè in faciem reſtiterunt, conteſtantes, nullius roboris eſſe,quę per vim & metum extorquerentur. Quæ conteſtatio etſi in Actis,quę Dioſcorus,vt diximus ſuprà, per ſuos Notarios ad libitum confici voluit,deſideretur;eſt tamen de his expreſſa mentio in pluribus literis Leonis Romani Pontificis, ad Theodoſium & Pulcheriam datis. Hilarum Dioſcorus, (ne quæ tyrannicè geſta erant,Romano Pontifici nũtiarentur,) vi adhibita retinere tentauit; ſed ipſe ocyùs fugâ elapſus,per inuia loca,perq; multa pericula,ope diuina potiùſquàm humana liberatus, Romam peruenit, atq; Pontifici ſingula, prout geſta fuerant,enarrauit. Ex literis Pulcheriæ Auguſtæ ad Leonem Romanum Pontificem, quæ extant inter præambulares Concilij Chalcedonenſis,conſtat, Epiſcopos qui ſubſcribere recuſarunt, à Dioſcoro per milites in exilium deportari iuſſos eſſe. Cùm Flauianus poſt interpoſitam viua voce appellationem animo proſequendæ eiuſdem appellationis ſcriptum libellum appellatorium Legatis obtuliſſet, *cæſus eſt*,(inquit Liberatus Diaconus in Breuiar. c. 12.) *& multis iniuriis affectus, dolore plagarũ migrauit ad Dominum*. Hunc tandem finem conſecuta eſt Synodus Oecumenica,quam à S.Leone improbatam, Maiores noſtri iure Prædatoriam appellarunt;in qua omnia per vim & metum extorta; in qua loco Sacrorum librorum gladij atque fuſtes; in qua ſuffragiorum libertas fuit vincta catenis; in qua pro Dei laudibus auditæ ſunt militum minæ; in qua perfidus hæreſiarcha Præſes & Patronus; in qua hæreſis eſt ſtabilita; in qua nullus iudicij ſacri ordo ſeruatus,nulla viguit cenſura Canonum & Decretorum; in qua ſiluerunt Epiſcopi,clamauerunt hęretici; in qua de oppreſſa fide Catholica impietas triumphauit, & de manubiis ipſorum Epiſcoporum diabolus trophæa erexit;atq; tandem de cęde Martyris, ſuperbus tyrannus Dioſcorus triumphauit. De qua in vniuerſa Eccleſia Catholica auditi ſunt vndiq; gemitus,luctus & clamor. De qua iidem ipſi, qui ſubſcripſerant Orientales Eccleſiæ Præſides,repleti ſunt vndique lacrymis, ſemetipſos erubeſcentes, ſuorumque aſpectum vitantes, quòd tam ignauiter fidem Catholicam perdidiſſent, infamem hæreſiarcham reſtituiſſent, & innocentiſſimum Flauianum vnà cum aliis ſanctis Epiſcopis condemnaſſent. Baronius anno 449. n.77. & ſeqq.

Circa hoc Pſeudoconcilium duo adhuc ſunt annotanda: Vnum eſt, ipſum fuiſſe Vniuerſale & Oecumenicum: Alterum eſt, ipſum fuiſſe reprobatum. Primum apertè teſtatur S. Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 31. Ad Flauiani Concilium improbandum, Eutychetem interceſſore Dioſcoro Vniuerſale Concilium expetiuiſſe, nutuque Imperatoris impetraſſe, teſtatur Liberatus Diaconus in Breuiario,cap.12. & initio Chalcedonenſis Concilij Dioſcorus in iudicium vocatur, quòd Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ:vtiq; Oecumenicam & Vniuerſalem, qualem ab alio quàm Romano Pontifice indici, numquam licuit,numquam factum eſt: non ſic eſt de Prouincialibus Synodis, quas Metropolitani plurimas indixerũt, & conuocarunt. Hanc igitur Synodum, quam factione Dioſcori Theodoſius Imperator indixit, cui Dioſcorus auctoritate Imperiali præſedit, ad quam Leo Pontifex nõ ſemel inuitatus Legatos à latere ablegauit, Vniuerſalẽ fuiſſe, dubium eſſe nequit. Sed mentitur Caluinus, aſſerens, quòd Legati ſeſſionem primam ſibi nomine Pontificis iure debitam, concedi non poſtularint. Scribit enim Liberatus in Breuiario, c.12. Legatos Romani Pontificis, cùm Dioſcorum præſidere vidiſſent,noluiſſe

ſe in Concilio ſedere, niſi præſidentiam, quam contra æquitatem ab Imperatore extorſerat Dioſcorus, Pontifici cederet. Vide Bellarminum lib. 1. de Concil. cap. 6. & 19.

Alterum annotandum eſt, hoc Concilium fuiſſe reprobatum: quod ſic probatur: nam cùm hæc Synodus neque legitima auctoritate indicta ſit, eidemque alius quàm Pontifex Romanus per ſe aut ſuos Legatos præſederit. Denique in eadem nil niſi per vim & metum tẽtatum, atque loco Sacrorum librorum gladij & fuſtes adhibiti fuerint, non immeritò à Leone Pontifice eſt improbata, vt ex epiſtola eiuſdem Leonis 22. ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum, 24. ad Theodoſium, item ex epiſt. 25. ad Pulcheriam cognoſcere licet. Maiores noſtri Prædatoriam Synodum iuſtiſſimè appellarunt, quòd in ea Apoſtolicæ Sedis Legatis repugnantibus Eutyches abſolutus, Flauianus, aliique Catholici condemnati, & ad ſubſcribendum iniquæ ſententiæ plerique Epiſcopi per minas & vim, intentatis exiliis, catenis, fuſtibus & gladiis adacti fuerint.

CONCILIVM ROMANVM III.
quo LEO *Pontifex Acta* EPHESINI CONCILIABVLI *reprobauit.*

ANNO DOMINI CCCCXLIX.

CVM moris eſſet, vt ad tertium Kalendas Octobris ſingulis annis plurimarum Prouinciarum Epiſcopi ad Synodum celebrandam Romam cõuenire ſolerent, opportunè accidit, vt abſque alia Epiſcoporum vocatione, poſt Hilarij Diaconi reditum Romæ ex priſtino vſu ſancta Synodus cogeretur; in qua cuncta, quæ more prædonum Epheſi ab Eutychianis hæreticis geſta erant, penitùs condemnata fuerunt. Vltra 15. Octob. anni 459. initium huius Synodi dilatum non eſſe, epiſtolæ Leonis, quas poſt hanc Synodum celebratam, ad Clerum Conſtãtinopolitanum, Theodoſium Imperatorem & Pulcheriam ſcripſit, manifeſtè ſatis oſtendunt. De rebus in Synodo geſtis Hilarius Diaconus in fine epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam, quæ extat inter præambulares Concilij Chalcedonenſis, hæc ſummatim perſcripſit: *Veſtra itaque veneranda Clementia cognoſcat, à præfato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia quæ in Epheſo contra Canones, & tumultus, & ſecularia odia à Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nulla ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quæ per potentiam prædicti, non ſine læſione fidei, & præiudicio ſanctiſſimi viri innoxijque commiſſa ſunt.* Vide epiſtolas Leonis, 22. ad Clerum Conſtantinopolitanum, 24. ad Pulcheriam, 27. ad Flauianum, 28. ad Archimandritas. Hæc cùm Dioſcoro innotuiſſent, vix Alexandriam reuerſus, habito Epiſcoporum conuentu, in S. Leonem Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam protulit, idque ſcelus perpetrauit, quòd nullus perditorum hominum cogitaſſet. Mirum eſt dictu, quòd cùm Eutychianam fidem præcedente Conciliabulo confirmaſſet, Dioſcorus Epiſcopos plus minùs nonaginta inuenerit qui latam à ſe ſententiam ſubſcribendo confirmarint, & non potuerit niſi decem dumtaxat eoſque lacrymantes & inuitos inducere, vt latam à ſe in Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam chirographo ſuo approbarent. Adeò enim omnes inauditum hactenus exhorruere facinus, portentumque inſolitum execrati ſunt, vt licet hæretici facti eſſent, & Catholicæ fidei aduerſarij; ſublimitatem tamen & maieſtatem Throni Apoſtolici veriti & reueriti fuerunt. Vide Liberatum Diaconum in Breuiario, cap. 12. Libellum Theodori Diaconi extantem apud Acta Concilij Chalcedonenſis Actione 3. Baronium anno 449. num. 145. & ſeqq.

CON-

CONCILIVM CONSTANTINOPOLIT.

anno Domini 450. celebratum, in quo ANATOLIVS *alijque Epiſcopi confeſſionem ediderunt.*

ANNO DOMINI CCCCL. CVM Theodoſius Imperator Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, in locum Flauiani ſurrogatum, confirmari petiſſet, adeoque iam omnibus lapſis Epiſcopis ab errore reſipiſcẽdi, & ad fidem Catholicam reuertendi via aperta eſſet; viſum eſt S. Leoni, ad Anatolij aliorumque lapſorum fidem probandam & confirmandam, mittere quatuor Legatos à latere, hos, Abundium, Aſteriũ, Baſilium, ac Senatorem, Presbyteros, qui lapſos redire volentes ad Eccleſiam, à qua impiè, Dioſcoro cogente, vel Eutychete fallente, turpiter defecerant, probarent. Hi dum Conſtantinopolim veniſſent, literiſque Leonis, quas ad Theodoſium ſcripſerat, Marciano Imperatori oblatis, honorificè excepti eſſent, iuſſu Pontificis Conſtantinopoli anno Domini 450. Leonis vndecimo, Synodum haberi, & ex vicinis locis Epiſcopos Catholicos conuocari iuſſerunt. Primùm omnium ex S. Leonis Papæ literarum præſcripto Anatolius fidei confeſſionem edidit talem, quæ in omnibus S. Leonis Papæ ſcriptis conſentiens & planè Catholica inuenta fuit. Poſt Anatolium alij eamdem fidem profeſſi fuerunt. Abſentibus mandatum eſt, vt per ſuos Legatos idem exequantur. Conſtat ex epiſt. 33. Leonis ad Theodoſium, 34. ad Archimandritas, & 35. ad Pulcheriam, item ex epiſt. Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter præambulares Concilij Chalcedonenſis. Ex hac Synodo per Legatos Apoſtolicæ Sedis ad ſingulos Metropolitanos Orientis miſſam eſſe epiſtolam Leonis 10. olim ad Flauianum datam, eo fine, vt omnes eidem ſubſcriberent, ea quæ habentur poſt Actionem quartam Concilij Chalcedonenſis in cauſa Photij & Euſtathij in Græcis Codicibus, teſtantur. In hac Synodo conſtitutum fuiſſe, vt Epiſcopis in ſatanico conuentu Epheſino lapſis, ad communionem Eccleſiæ redire volentibus, ſuæ tantùm, non totius Catholicæ Eccleſiæ communio cõcedatur: ſicut etiam hoc, ne Dioſcori Alexandrini, Iuuenalis Ieroſolymitani, & Euſtathij Berythi Epiſcoporum nomina in Sacris nominarentur: ideò quòd impœnitentes anteſignani ſchiſmaticorum eſſent, epiſtola Leonidis 40. aut 42. ad Anatolium ſcripta manifeſtè indicat. Vide Baronium anno 449. n. 145.

CONCILIVM MEDIOLANENSE.

CVM ſanctus Abundius ceteriq; CCCCLI. Legati ex Oriente Romam reuerſi eſſent, ad propria redeuntibus hoc in mandatis dedit Pontifex, vt Abundius cum Senatore collega Euſebium Mediolanenſem Epiſcopum cum literis Pontificis conueniat, & cum eo agat, vt indicta Prouinciali Synodo, publicis ſubſcriptionibus profiteantur, ſe doctrinam de Verbi Incarnatione ad Flauianum ſcriptam integrè recepiſſe: idque propterea, vt Legati à latere ad Occumenicam Synodum nomine Pontificis totiuſque Occidentalis Eccleſiæ ablegandi, de abſentium Epiſcoporum Occidentalium ſententia ac ſuffragio vniuerſam Synodum verè & conſtanter informare poſſet. Erat enim priſtino vſu receptum, vt cùm indicebatur Oecumenium Concilium, cui non omnes Occidentales intereſse poterant, iidem, ſi opportunitas temporis id ferret, vel Romæ ad Synodum conuocarentur; vel habitis ſub præſidio Metropolitani Prouincialibus Conciliis, per Synodalem epiſtolam de ſuo ſuffragio Romanum Pontificem certiorem redderent: atque ita ipſi etiam iuſta de cauſa abſentes, ſuum quodammodò ſuffragium per Legatos à latere in Oecumenico Concilio ferrent. Hac igitur

Digitized by Google

igitur occaſione Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus hanc Synodum Prouincialem coëgit: quia quid actum ſit, Synodalis epiſtola ad Leonem Pontificem ſcripta, perſpicuè recenſet. Nomina Epiſcoporum non dignitatis aut prærogatiuæ Sedium, ſed temporum ordine ſubſcripta ſunt. Inter eos doctrina & ſanctitate inſigniores fuerunt, præter Euſebium Mediolanenſem, Abundius Comenſis, Maximus Taurinenſis, Criſpinus Ticinenſis, aliiſque plures. De quibus vide Baronium anno 451. numero 13. & ſeqq.

CONCILIVM CHALCEDONENSE GENERALE

QVARTVM OECVMENICVM.

Ad hanc Synodum conuenerunt 630. *Patres.*

ANNO DOMINI CCCCL. ET CCCCLI.

De cauſa congregandi hoc Concilium, ſciendum eſt, quòd poſt obitum Theodoſij Imperatoris, voluntate S. Pulcheriæ, ex Senatuſconſulto delatum eſt Imperium Marciano. Cùm enim nullum præceſſiſſet exemplum, vt Auguſta ſola moderaretur habenas Imperij, ipſaq; Deo virginitatem vouiſſet, iamque ætate grandior eſſet, vtpote quæ annũ quinquageſimum primum vitæ ſuæ ageret; ſalubre illud iniit conſilium, vt coniugij titulo eueheret in Imperium virum ætate maturum, conſilio grauem, continentia probatum, atque militari virtute vbique ſpectatum, ſicque optimo Imperij regimini opportunè cõſuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati omnino proſpectum eſſet. Nutu igitur ac voluntate diuina electus Imperator Marcianus, duabus epiſtolis, quæ extant inter præambulares Concilij Chalcedonenſis, ad Leonem ſcriptis, rogat Pontificem, vt ad propulſandas hæreſes, locum, tempus, & modum congregandi Concilij Vniuerſalis præſcribat. Priore epiſtola hæc ait: *Per celebrandam Synodum te auctore maxima pars circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat.* Secunda epiſtola ad Leonem, quæ extat inter præambulares, *Supereſt*, inquit, *vt ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur.* Et paulò pòſt: *Si verò hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum propriis literis tua Sanctitas manifeſtet, quatenus & in omnem Orientem & in ipſam Thraciam & Illyricum noſtræ literæ dirigantur; vt ad quemdam deſtinatum locum vbi vobis placuerit, omnes ſanctiſsimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianæ religioni & Catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.* Idem enixè admodum Pulcheria Auguſta petens epiſtola ad Leonem ſcripta ait: *Tua Reuerentia, quocumque modo proſpexerit, ſignificare dignetur: vt omnes etiã totius Orientis Epiſcopi Thraciæ atque Illyrici (ſicut etiam noſtro Domino piiſſimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire; & illic ſancto Concilio & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides & Chriſtiana*

pietas

Digitized by Google

pietas exigit, te auctore decernant. Hæc ex epiſtola Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter preambulares Concilij Chalcedonenſis. Tanta cum induſtria Concilium Oecumenicum expetentibus Auguſtis Pontifex reſpondit, ob ingruentem Hunnorum exercitum Gallias deuaſtantem, & iam Italiam inuadere cogitantem, Concilium Oecumenicum ad tempus opportunum differendum eſſe; ideò nimirum, vt Epiſcopi à barbarica hoſtilitate liberati, ſe liberè ad Synodum conferre poſſent. Conſtat ex epiſtola Leonis quadrageſima ſecunda, quadrageſima tertia, & quadrageſima quarta, eum conſenſiſſe, nouaque Legatione, qua Synodo Oecumenicæ intereſſet decreta, priorem illam, de qua ſuprà in Summa Concilij Conſtantinopolitani & Mediolanenſis egimus, reuocaſſe. Imperator piiſſimus publicam edidit ſanctionem, inter preambulares Concilij Chalcedonenſis extantem, de Synodo Oecumenica Niceæ Bithyniæ Kalendis Septembris celebranda. Optabat enim ibi contra hæreſim Eutychetis Vniuerſale Concilium celebrari, vbi primùm Ariana impietas damnata fuit. Legati Pontificij de fide Occidentalium per Leonem & Prouincialia Concilia Mediolani atque alibi in Oriente habita iam antè, prout fieri conſueuit, informati; cum literis Commendatitiis ad Imperatorem ſcriptis, ante Kalendas Iulias Româ diſceſſerunt, ſecum deferentes & Leonis Pontificis epiſtolam quadrageſimam ſeptimam ad Synodum tranſmiſſam; ex qua Patres Concilij intelligerent, quibus de rebus in Synodo agere, quoſque Concilij Præſides agnoſcere deberent. Cùm igitur ad preſinitum diem Kalendarum Septembrium Epiſcopi ad Synodum conuocati, ſe Niceam Bithyniæ contuliſſent, ibiq; pluribus diebus aduentum Imperatoris Synodo intereſſe volentis expectaſſent; ſcriptis ad Imperatorem epiſtolis petitum fuit, vt quia plures Epiſcopi ob difficultatem & laborem itineris, infirmitatibus, aliiſve anguſtiis affligerentur, conuentus ex more agi permitteret. Ad hoc Marcianus Auguſtus reſcripſit, viſum eſſe Apoſtolicæ Sedis Legatis, ne abſque Imperatoris ſententia Synodus ageretur, ſeque propediem affuturum pollicitus eſt. Sin autem aduentum maturare non liceret, hortatus eſt eoſdem, vt ſe Chalcedonem conferrent. Cùm intereà Illyricum ob metum imminentis barbaricæ inuaſionis perturbari audiuiſſet, adeoque non videretur eſſe tutum, ob bellicas expeditiones Conſtantinopoli longè recedere, decima Kalend. Octobris, Patres Niceæ congregatos, iteratis literis Chalcedonem Conſtantinopoli propinquiorem conuocauit. Vnde, quod initio dixi, liquidiſſimè conſtat, hanc Synodum Oecumenicam, Imperatoris inſtinctu & conſilio, Pontificis iuſſu atque auctoritate congregatam fuiſſe. Hoc apertis verbis profitentur Epiſcopi Secundę Mœſiæ in epiſtola ad Leonem Imperatorem, quæ extat inter epiſtolas ad Chalcedonenſe Concilium pertinentes, vbi ſic aiunt: *In Chalcedonenſium ciuitate multi ſancti Epiſcopi conuenerunt per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.* Deniq; Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribit, non Alexandrinam vel Antiochenam, ſed ſolam dumtaxat Apoſtolicam Sedem cum auxilio Imperatoris, ſua auctoritate decreuiſſe, vt Synodus Chalcedonenſis fieret. Quod ſi Magdeburgenſes, prout debebant, benè accepiſſent, non tam impudenter Gelaſium vera ſcribentem, de mendacio arguiſſent. Scitu & obſeruatu neceſsarium eſt, appellatione huius Concilij ea tantùm Acta intelligenda eſse, quæ Leonis I. Pontificis Maximi auctoritate confirmata fuerunt. Nam Decretum illud Act.16. quo Patres Concilij abſentibus Legatis, & poſteà reclamantibus, Conſtantinopolitanæ Sedi primatum attribuerunt, ideò, quòd inſtar Romæ caput Imperij effecta, primatum me-

 ruerit;

ruerit; velut illegitimum à Leone Pontifice iuſtiſſimè improbatum fuit. Supponit enim, quòd Romana Sedes tunc Primatum habere meruerit, cùm Romani orbis Imperio potiretur, atque adeò non diuino ſed humano Iure caput Eccleſiarum effecta fuerit. Vide quę dicit Binius in Notis huius Concilij verbo *Approbatum.* Baronius anno 450. & 451. Bellarm. lib. 4. de Concil. c. 13.

Legatos Apoſtolicæ Sedis præſediſſe Concilio, probatur.

In hoc autem Concilio præſediſſe Legatos Summi Pontificis, nempe Paſchaſium & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium & Baſilium Presbyteros, ſingulæ ferè Actiones Concilij atteſtantur.
1. Ipſi enim in omnibus propè Actionibus primi nominantur, primi ſedent, primi loquuntur, & primi ſubſcribunt: non alia ſanè auctoritate, quàm vt ius præſidendi à Pontifice ſibi delegatum, ipſo facto vſurparent. Quid, quòd ipſi
2. Legati, definitiuam ſententiam in Dioſcorum pronuntiantes, apertis verbis indicant Act. 3. ſe id nomine Pontificis velut vniuerſi Concilij Præſides præſtare? Verba ſententiæ hæc ſunt: *Sanctiſſimus ac beatiſſimus Papa caput Vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli praeditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cæleſtis regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit*
3. *extorrem.* Tertiò, quòd ſuprà nominatis Epiſcopis ac Presbyteris auctoritate Pontificia collata ſit præſidendi auctoritas, ipſe S. Leo Pontifex epiſtola, quam ſcripſit ad Synodum Chalcedonenſem 47. profitetur his verbis: *In his fratribus, Paſchaſio & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Preſbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere.*
4. Quartò denique ex Synodica ipſius Concilij ad Leonem ſcripta, quæ habetur apud Binium poſt finem Concilij, manifeſtè conſtat, ipſos Legatos non ſolùm præſidendi auctoritatem habuiſſe & vſurpaſſe, verùm etiam ab omnibus Patribus Concilij pro Præſidibus agnitos & honoratos fuiſſe. *Tu quidem*, inquiunt, *ſicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens.*

Si dicas, Marcianum Concilio 1. Actione interfuiſſe, eumque primo loco ſediſſe, adeoque vt Iudicem ac Præſidem Concilij præſtò fuiſſe.

Reſpondeo, Imperatorem in propria perſona non primę, ſed ſecundæ Actioni, & per ſæculares Iudices poſterioribus Actionibus omnibus interfuiſſe: vt Iudicem controuerſiarum fidei egerit, nemo præter inſanum Lutherum aliquem aut Caluinum affirmauerit. Qua intentione Imperator per ſe aut ſuos Vicarios pręſens eſſe voluerit, Patres Concilij in epiſtola Synodica ad Leonem ſcribunt his verbis: *Tu Epiſcopis Iudicibus ſicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant locum: Imperatores verò ad ordinandum, decentiſſimè præſidebant,* &c. nimirum, vt omnem vim, fraudem, atque tumultum à Synodo auerterent. Cùm enim in Conciliabulo Epheſino, Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus vſurpatus dumtaxat & illegitimus, Vniuerſalis Concilij Præſes, introductis militibus, Epiſcopos ad ſubſcribendum coëgiſſet, voluit per ſe vel ſuos Vicarios intereſſe, ne cuiquam aliqua violentia inferretur. Et hoc eſt, quod in Oratione ad Synodum habita Act. 6. ait, ſe veniſſe ad confirmandam fidem, ſicut olim fecerat Conſtantinus Magnus: qui cùm non ad iudicandas & explicandas fidei controuerſias, ſed ad defendendum & exequendum Decreta Synodi præſtò adfuerit; certum eſt, non alia intentione Marcianum Imperatorem huic Concilio interfuiſſe, quàm vt illud ſua auctoritate aduerſus hæreticorum tumultus ac ſeditiones tutaret ac defenderet. Aduertat ergo Lector, quàm ſplendidè mentiatur Caluinus, dum ait, ſolo permiſſu & priuilegio Imperatoris, atque ex defectu perſonarum idonearum accidiſſe, quòd Legati Pon-

Pontificis huic Concilio præſederint. Vide Bellarminum lib.1. de Conciliis, cap. 19.

Illa verò, quæ in hoc Concilio approbata & cõfirmata fuerunt, hæc ſunt. Omnia ſcilicet, quæ de fide Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, contra hæreſim Eutychianam communi Patrum Orthodoxorum ſententia definita fuerunt, auctoritate Leonis Pontificis, prout ijdem Patres Concilij Synodali epiſtola ad Leonem ſcripta expedierant, confirmata & approbata fuerunt, vt patet ex Circulari epiſtola. Id verò, quod inſtigante Anatolio Conſtantinopolitano Antiſtite, ambitioſè, abſentibus & poſteà contradicentibus Legatis, de Primatu Sedis Conſtantinopolitanæ contra Decreta Nicæni Concilij conſtitutum fuit, vt poſt Romanam Sedem ſecundum locum Patriarchalis honoris ac dignitatis Conſtantinopolitana Eccleſia haberet; id, inquam, S.Leo Pontifex planè improbauit, caſſauit, atque irritum reddidit. Nec infima laus eſt huius ſacroſancti Concilij, quòd à Concilio Conſtantinopolitano anno 20. Leonis celebrato, confirmatum ſit: quodque triginta ſeptem Metropolitani Orientales, teſte Euagrio lib.2. cap.10. & Liberato in Breuiario, cap. 15. ad Leonem Imperatorem anno Chriſti 457. reſcribunt, Chalcedonenſem Synodum vſque ad ſanguinem vindicandam, eò quòd non alteram fidem teneret, quàm Synodus Nicæna conſtituit. Vide Binium hîc, qui omnia prædicta latè proſequitur.

Sessio I.

PRIMA Seſſio fuit celebrata 8. Idus Octobris, anno 451. Epiſcoporum ſedibus ſic diſpoſitis: Imperator cum Pulcheria Auguſta, Magiſtratibus, Senatoribus, & Iudicibus cognitoribus, ſedem habuit ante cancellos: ex Patribus Concilij inter apſidem & cancellos conſtitutis, Legati Sedis Apoſtolicæ, & poſt eos Anatolius Conſtantinopolitanus, Antiochenus, alijque deinceps Epiſcopi ſederunt à læua parte: Dioſcorus autem Alexandrinus, & poſt eum Iuuenalis Ieroſolymitanus, aliique à dextra: in medio ipſorum ſuper thronum ſacroſancta Euangelia, collocata fuere. Et quia læua dignior eſt dextera, vel quia Chriſtum Dominũ noſtrum, qui eſt Summus Pontifex (cuius typum gerebat Euangelium ſuper thronum in meditullio collocatum) in Synodalem conſeſſum reſpicientem, à dextris haberent, qui ſederent in ſiniſtra; & à ſiniſtris, qui conſiderent in dextera: hac, inquam, de cauſa accidit, vt quamquam Dioſcorus & Iuuenalis ambo iudicandi adeſsent, dextrum locum occupare permitti fuerunt. Sic ergo diſpoſitis ſedibus, Dioſcorus Alexandrinus per Legatos Summi Pontificis denuntiatus, quòd ſine auctoritate & conſenſu Pontificis Vniuerſale Concilium congregaſset, eique contra omnem antiquitatem & conſuetudinem præſediſset, Decreto Concilij è Patrum conſeſſu amotus, velut reus diiudicandus, iuſſus eſt in medio ſedere. Quo facto Euſebius Dorilæi Epiſcopus in medium velut accuſator progreſſus, ad Acta Pſeudoſynodi Epheſinæ prouocauit. Poſt lectum libellum, Dioſcorus, vt ſui iudicium declinaret, de fide primùm agendum eſſe contendit; ſed interlocutione Iudicum ipſa Acta Epheſini Conciliabuli ante omnia iuſſa ſunt legi. Quæ dum legerentur, delictum ſuum excuſans & attenuans, dixit, non ſua ſolius auctoritate, ſed & Iuuenalis Ieroſolymitani, Thalaſſij Cæſareenſis Epiſcopi, aliorumque omnium præſentium ſubſcriptione prædicta Acta confirmata eſſe: contrà, Epiſcopi ferè omnes dixerunt, voluntariè & citra vim adhibitam, neminem ſubſcripſiſſe: vim per milites fuſtibus, gladiis, & minis exilij Flauiano aliiſque pluribus illatam deinceps expoſuerunt; addentes, Acta à Notariis Dioſcori corrupta eſſe atque deprauata: Eutychetem in ea quam obtulerat

tulerat confeſſione fidei incarnatum quidem Chriſtum profiteri, ſed non ex Maria Virgine. Quæ cùm dixiſſent, tandem ſui erroris atq; peccati veniam deprecati fuerunt.

Abſoluta lectione Actorum Epheſini Concilij, producta ſunt Acta Concilij Conſtantinopolitani, ex quibus Legati Sedis Apoſtolicæ probauerunt Flauianum verè Catholicum eſſe, Eutychetem autem abſque dubitatione vlla impium hæreticum. Dioſcorus interlocutus, Flauianum iure damnatum, ideò quòd poſt Incarnationẽ duas naturas diſtinctas & confuſas in Chriſto confiteretur, hæreſim ſuam manifeſtauit. His adiecta eſt recitatio Actorũ de cognitione habita Conſtantinopoli ſuper fide Notariorum: inde Eutychetis abſolutio: & poſt interpoſita quædam Acta Concilij Epheſini Oecumenici, impia ſententia à Dioſcoro iñ Flauianum Epheſi pronuntiata in hoc Patrum conſeſſu lectæ fuerunt. Quibus omnibus exactè cognitis, interlocutione Iudicum tractatio de fide in ſequentem Seſſionem dilata eſt. Rogati quid de Iudicibus Flauiani ſtatuendum foret; reſponderunt, omnes Flauiani accuſatores & Iudices, nominatim verò Dioſcorum, Iuuenalem, Thalaſſium, alióſve qui cum prædictis principem locum in Pſeudoſynodo Epheſina obtinuerunt, ex præſcripto ſacrorum Canonum damnandos eſſe.

Poſt hæc, pro gratiarum actione, & Dei laudum celebratione, ſubſecuta eſt ſacri Triſagij acclamatio, videlicet, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis:* additumq́ue, *Multos annos Imperatori:* & denique plurima in Dioſcorum dicta fuerunt.

Annotatio.

Circa Triſagium hoc ſciendum, quòd magna Dei prouidentia factum eſſe videtur, vt cùm Eutyches in ſecreto cubiculo & penetralibus Monaſterij, aduerſus Diuinitatem pugnaturus ſuper incudem obduratæ perfidiæ, fulmina blaſphemiæ fabricaret, quibus ipſa Diuinitas, ſi poſſet, labefactanda foret, vnam naturam in Chriſto paſſam atque mortuam eſſe, &c. prædicaret; magna, inquam, Dei benignitas eſt & prouidẽtia, quòd aduerſus nouum hunc ducem Hagiomachorum non fulgur intorſerit; ſed canticum dumtaxat præparârit, quo Diuinitatis immortalitas vbique gentium prædicaretur, & per ipſum offenſi Numinis imploratio conciliaretur. Quod qua ratione, quóve tempore acciderit, ex antiquo Menologio Græcorum annuatim publicè in Eccleſia legitur, & recitatur his verbis: *Die vigeſima quarta Septembris, imperante Theodoſio,* (anno Imperij illius 39. qui erat Chriſti 446.) *terræmotus factus eſt magnus, & talis, qualis numquam antea factus fuiſſe commemoratur. Quo factum eſt, vt totus populus vnà cum Imperatore & Patriarcha exierit extra vrbem in locum qui dicitur Campus, proptereà quòd ſine ceſſatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cùm igitur Imperator ipſe Theodoſius, & Proclus Patriarcha, & totus populus Litaniis & Supplicationibus diuinam opem implorarent, repètè puerulus quidam de media turba in aërem raptus eſt. Omnibus autem præ timore clamantibus Kyrie eleiſon, deſcendit puer, & voce magna populum compellans, petit, vt Triſagion in hunc modum decantaret: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis. Quæ cùm dixiſſet, animam Deo reddidit, & terræmotus quieuit.* Ita Deus optimus maximus, antequam inſtaret prælium, arma præparauit, antequam venenum in præcordia irreperet, medicamenta confecit, atque ante venturam famem horrea frumento repleuit.

Sessio II.

Secvnda Seſſio celebrata eſt ſexto Idus Octobris, anno 451. in qua habita eſt à Patribus tractatio de fide, hoc ordine: Primò lectum eſt ſacrum Nicæni Concilij Symbolum: ſecundùm illud cum veteribus Patribus ſenſiſſe Cyrillum & S. Leonem, omnes conteſtati fuerunt. Recitatum eſt deinde ex ſcripto Symbolum Conſtantinopolitani Concilij Oecumenici. Poſteà verò duæ Epiſtolæ S. Cyrilli, quarum alteram ad Neſtorium, alterã ad Ioannem Antiochenum dederat. Inſuper magna illa S. Leonis epiſtola 10. de Verbi Incarnatione ad Flauianum ſcripta, publi-

publicè recitari iuſſa eſt. Denique, refutatis illis quæ ab Epiſcopis Palęſtinæ & Illyrici obiecta fuerunt, acclamatum eſt ab omnibus: *Hæc Patrum fides: hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus, anathema qui non ita credit: Petrus per Leonem ita locutus eſt,* &c.

SESSIO III.

TERTIO Idus Octobris prædicti anni, ad tertiam Seſſionem conuenerunt Epiſcopi tantummodò (quæ eſt manifeſtiſſima nota Oecumenici Concilij) abſque Magiſtratibus ſæcularibus, eò quòd tractanda eſſet Dioſcori damnatio, cui præter Epiſcopos, ſecundùm Canones, nemo aliorum Iudicum ſæcularium aut laicorum intereſſe licebat. Cùm ad hanc Seſſionem Dioſcorus, qui à militibus domi cuſtodiebatur, ne fugam arriperet, ſecundò citatus, propter abſentiam Iudicum, & prætenſam quamdam ægritudinem comparere recuſaſſet; lecti ſunt libelli accuſationũ, quos Theodorus & Iſchyrion Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconi, Athanaſius eiuſdem Eccleſiæ Presbyter, & Sophronius ciuitatis Chriſtianus, contra Dioſcorum obtulerunt. Primo libello accuſabatur, quòd eſſet Origeniſta hęreticus, blaſphemus in ſanctam Trinitatem, homicida Flauiani, incendiarius, iniuſtus, & temerarius, vtpote qui Theodorum Diaconum nulla alia de cauſa à Diaconatu amouiſſet, niſi quòd S. Cyrilli Epiſcopi amicus fuiſſet: quòd poſt hominum memoriam primus Romanum Pontificem excommunicando, ſcelus inauditum commiſiſſet. Secundus libellus Iſchyrionis poſt confirmata prædicta ſcelera continebat, quòd frumentum ad conficiendam Euchariſtiã & ſolatium peregrinorum ab Imperatore Eccleſiis Libyæ dari ſolitum, ſurripuiſſet; adeò vt eam ob cauſam incruentum Sacrificium Miſſæ diu oblatum non fuerit. Adiecit, quòd ea bona, quæ Periſteria nobiliſſima femina per teſtamentum Monaſteriis & pauperibus contuliſſet, eo fine vt pro ſalute animæ ſuæ Sacrificium Deo offerretur, ille ſcortis & turpibus perſonis in eleëmoſynam contulerit, vt ne quidem ex bonis illius (quod vetus & recepta conſuetudo orandi pro defunctis, tunc meritò impiiſſimum eſſe iudicabat) incenſum Deo pro eius anima obtulerit. De vita ipſius valdè obſcœna plurima addidit, vt quòd ſubintroductas feminas haberet in Epiſcopio, quibuſcum in balneo lauaretur, & quòd inter alias Panſophiam quamdam, famoſiſſimam magno omnium Alexandrinorum ſcandalo in deliciis haberet. Poſtremò quòd non ſatis ei fuerit, Theodorum Diaconum ob amicitiam cum Cyrillo habitam Diaconatus officio priuaſſe; verùm etiam poſſeſſiones eiuſdem per Monachos à ſe miſſos incenderit, arbores exciderit, iuſſuſq; occidi Theodorus, vix fugiens euaſerit. Tertio libello Athanaſius Presbyter Cyrilli Alexandrini, ſe cum fratribus & cognatis vrbe eiectum, omnibus bonis ac fortunis ſpoliatum, tormentis Chryſaphij ſubiectum, ad ſummam paupertatem adactum eſſe, vt mendicando victum quęrere debuerit. Fratrem inter tormenta expiraſſe: ſibi Presbyterium ademptum eſſe: & ne veſtigium vllum Alexandriæ ſupereſſet, domos ſuas in Eccleſias conuerſas eſſe. Quarto libello Sophronij, tyrannidis eſt accuſatus: vtpote qui pœnam adulteri cuiuſdam, quem Imperator puniri reſcripſerat, impediuerit; dicens, Ægyptum magis ad ſe, quàm ad Imperatorem pertinere; ideoque etiam allatas Alexandriam noui Imperatoris Marciani imagines, per ſuos vrbe efferri mandauerit. His viſis, ne qua ſolemnitas requiſita deeſſet, placuit Patribus, vt Dioſcorus adhuc tertiò vocaretur per ſcriptũ citationis libellum, qui prætenſas illius excuſationes falſas eſſe demonſtrabat. Legitimè igitur tertiò citatus, vt libellis Alexandrino-

rum contra ſe oblatorum reſpondeat, contumax in propoſito perſtitit, & adeſſe recuſauit. Cùm igitur nihil reliquum eſſet ad eius defenſionem vel excuſationem, ipſi Apoſtolicæ Sedis Legati aduerſus Dioſcorum damnationis, & ab Epiſcopatu omnique Eccleſiaſtica functione depoſitionis ſententiam protulerunt. Singuli verò Epiſcopi, ſingulis ſententiis impium Dioſcorum perſtringentes, eidem ſubſcripſerunt. Latam ſententiam ipſi Dioſcoro inſinuarunt, perque Synodicas epiſtolas ad Imperatores, Pulcheriam Auguſtam, & ad Clerum Alexandrinum ſcriptas, eamdem vbique promulgarunt.

ANNOTATIO.

De Primatu Pontificis Romani.

In hac Seſſione tria annotanda veniunt præcipuè. Primò, quòd loquentes de Summo Pontifice, ipſi dicunt, *Vniuerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni*. Et in omnibus his libellis Leo Pontifex Romanus, Vniuerſalis Patriarcha nominatur: & in titulo eorumdem libellorum ſancto Vniuerſali Concilio anteponitur. Quibus cùm Patres Concilij non modò non contradixerint; verùm etiam in ſua epiſtola ad Leonem ſcripta, eumdem, Patrem ſuum, & Caput appellarint; dubium non eſt, quin illum vniuerſæ Eccleſiæ Primatē, omnique Concilio maiorem & ſuperiorem eſſe cognouerint. Verum igitur eſt, quod ep. 30. ad Eulogium Alexandrinum ſcribit S. Gregorius, per ſanctam Chalcedonenſem Synodum Pontifici Sedis Apoſtolicæ hoc Vniuerſitatis nomen oblatum fuiſſe. Quod autem ſubiungit, à nullo ſuorum anteceſſorum vſurpatum fuiſſe; ita intelligi debet, quòd nemo Romanus Pontifex eo titulo ex ſolemni ritu ſemper & in omnibus inſcriptionibus vſus ſit. Conſtat enim, quòd non modò S. Leó epiſt. 54. ad Marcianum, verùm etiam Sixtus Primus, & Zephyrinus, ſe Vniuerſales Epiſcoporum Epiſcopos, & Pontifices Maximos appellarint. Vide Binium hîc.

Deinde annotandum eſt, quòd in hac Seſſione conqueritur Iſchyrion Diaconus, quòd Dioſcorus triticum illud, quod Imperator Libyæ Eccleſiis, tritico ob nimiam Prouinciæ ariditatem carentibus, dare ſolebat ad conficiendam ſacram Euchariſtiam, & ſolatium peregrinorum, ipſe ſuſtulerit, adeò vt eam ob cauſam in Libya diu non fuerit oblatum incruentum Miſſæ Sacrificium. Ex quo firmiſſimum contra hæreticos noſtri temporis argumentum deſumi poteſt pro Sacrificio Miſſæ, eiuſdemque ritibus.

Tertiò annotandum eſt, ex hac Seſſione haberi veterem vſum, quo pij defunctorum memoriam antiqui illi proſequebantur, quippe qui etiam incenſum tunc adolebant: quod niſi ſanctè pieq; ſoleret in vniuerſa Eccleſia Catholica frequentari; nequaquam coram Oecumenica Synodo id Dioſcoro crimini datum fuiſſet.

SESSIO IV.

Quarta Seſſione, 16. Kalendas Nouembres celebrata, Epiſcopis Synodi cum Magiſtratibus & Iudicibus cognitoribus in vnum conuenientibus propoſita eſt cauſa Iuuenalis Ieroſolymitani, Thalaſſij Cæſareenſis, Euſebij Ancyræ, Euſtathij Berythi & Baſilij Seleuciæ Epiſcoporum, qui cum Dioſcoro improbo Epheſino conuentui præfuerant: petebant ad communionem Eccleſiæ, & ſimul ad Synodum recipi, qui cum Dioſcoro ob eadem patrata ſcelera Seſs. 1. damnati fuerant. Qui cùm Decreto Synodali interpoſito paruiſſent, Nicæno atque Conſtantinopolitano Symbolo, necnon epiſtolæ S. Leonis Papæ decimæ, de Verbi incarnatione ad Flauianum tranſmiſſæ, ſubſcripſiſſent, contrarium ſentientibus ac docentibus anathema dixiſſent, ad communionem Eccleſiæ, & ſimul etiam ad ingreſſum Synodi admiſſi fuerunt. Poſt hæc Ægyptij Epiſcopi cum libello fidei, quem Imperatori obtulerunt, ingreſſi, iuſſu Legatorum Apoſtolicæ Sedis in Eutychetem anathema dixerunt. Ne autem epiſtolæ Leonis, antequam nouus Alexādrinus Antiſtes eligeretur, ſubſcriberent, precibus ſuis impetrarunt, cautione adhibita, quòd Chalcedone non priùs ſint abituri, quàm in locum Dioſcori alius Alexandrinus Epiſcopus ſurrogatus fuerit. Poſt hæc, iuxta relationem exemplarium Latinorum (Græci enim, quibus hac de re minor eſt adhibenda fides, ante quartam Actionem hæc contigiſ-

ſe

ſe referunt) Caroſus, Dorotheus & Barſumas Archimandritæ Eutycheti adhæreſcentes ad Synodum intromiſſi, libellum obtulerunt: in quo cùm more Eutychetis & Dioſcori, ſub mentito pallio Nicenæ fidei Catholicos ſe iactitarent, & tamen pro Dioſcoro ſupplices preces haberent, conceſſa eſt illis dilatio trium dierum ad reſipiſcẽdum, & Catholicæ fidei aduerſus Eutychetem ſubſcribendum: Archimandritæ Catholici contra eius perfidiam libellum obtulerunt, qui omnium iudicio vt Catholicus & Orthodoxus approbatus fuit.

SESSIO V.

Quam Latinus Codex non habet.

DECIMOTERTIO Kalendas Nouembres anni 451. habita eſt Seſſio quinta duabus Actionibus, vno eodemque die tranſacta. Priore Actione Caroſus, Dorotheus, aliique Archimandritæ illi qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, petiuerunt ſibi concedi, vt coram Imperatore de fidei veritate cum Catholicis diſputare liceat. Id quod hæreticis piiſſimè reſpondit Imperator, Alexander Viſitator & Ioannes Decurio in Synodo retulerunt, his verbis: *Hæc cùm audiuiſſet Dominus orbis*, Marcianus Imperator, *ſignificauit per me & Dominum Ioannem Decurionem: Si voluiſſem ego ſedere inter vos atque alios Monachos, & audire inter vtroſque vos, non hic ſanctam & Vniuerſalem Synodum fatigaſſem; ſed cùm ipſi conueniſſent, & nos de vobis certiores feciſſent, dixi vt vos adeſſetis, & ea quæ neſcitis cognoſceretis, & interrogando ea quæ non noſtis, addiſceretis ab ijs. Iuſtum igitur decreuimus, vos ad Concilium abire. Nam, vt ſciatis, quæcumque definierit ſanctum ac Vniuerſale Concilium, ac mihi in ſcriptis dederit, ea ſequor, his contentus ſum, his fidem habeo. Hoc habete, nec à me aliud reſponſum accipitis.*

His enarratis, magno præconio Imperatori acclamatum eſt. Hæreticis verò ad reſipiſcendum datæ ſunt induciæ vſque ad decimam quintam Nouembris.

Poſterior Actio huius Seſſionis quintæ, controuerſiæ illius, quæ inter Photium Tyri, & Euſtathium Berythi Epiſcopum, de iure Metropolis primæ Phœniciæ exorta fuit, tractationẽ continet. Controuerſia talis erat: Antiquitus, ſecundùm veterem Prouinciarum diſtinctionem per Canones factam, Tyria Eccleſia iure Metropolitano præerat Primæ Phœniciæ. Accidit vt Imperator pragmatica ſanctione aliam feceritcius Prouinciæ diuiſionem, ex quà complures ciuitates quæ ſubiacebant Tyriæ, ſub Berythi Eccleſia ponerentur; nempe Byblon, Botys, Tropolis, Orthoſias, Arias, & Antaradon. Huic autem diuiſioni cùm Photius non acquieuiſſet, habito ea de re iudicio Conſtantinopoli, coram Anatolio Conſtantinopolitano aliiſque cum eo reſidentibus Epiſcopis excommunicatus fuit, neque priùs abſolui potuit, quàm Decreto Synodali de Aucto iure Berythenſis Eccleſiæ ſuper nominatas Eccleſias ſubſcripſiſſet. Cùm autem Photius ad hanc Synodum Chalcedone congregatam veniſſet, Marciano Imperatori per ſupplicem libellum oblatum conqueſtus eſt de iure antiquo ſuæ Metropolis diminuto, ciuitatibuſque quibuſdam ab Euſtathio vendicatis. Imperator accepto libello cauſam illam ſanctæ Synodo diiudicandam tradidit, ſicque prædicto die 13. Kalendas Nouembres coram ſacro Patrum conuentu producta fuit. Principio rogabat Photius, cauſam, prout mãdauerat Imperator, à Synodo audiri, ſuumque libellum Imperatori oblatum in conſeſſu Patrum recitari. Sed ne fieret libelli lectio, Euſtathius obiecit, id non eſſe faciendum ante abſolutam illam de fide tractationem, cuius cauſa omnes ad Synodum congregati & conuocati eſſent. Iudices autem interlocuti, libellum legi mandarunt. Ex quo cùm Photij de vſurpatis ab Euſtathio Tyriæ Metro-

polis ciuitatibus, deque conſenſu per vim & metum extorto querelas audiſſent, inſtitit Photius, vt ſecundùm priſtina iura ablatæ ciuitates ſuæ Eccleſiæ Tyriæ redderentur.

Fragmentum Seſſionis 5.

Iuſſus autem à Iudicibus cognitoribus ad hæc reſpondere Euſtathius, rogauit idem eos, num ſecundùm Canones Eccleſiaſticos, an verò ſecundùm leges Imperatoris cauſa dirimenda eſſet. Tunc ijdem interlocuti Iudices iſta dixere: Sacratiſſimo Domino orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris literas & pragmaticos typos res ſanctiſſimorum Epiſcoporum procedere, ſed ſecundùm Canones à ſanctis Patribus datos. Omni igitur ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, Canones de hoc Capitulo editi legantur.* Et inferiùs ijdem Patres conuerſi, *Dicat*, inquiunt, *ſancta Synodus, vtrùm ei placeat ex Regulis Patrum huius cauſæ quæſtionem examinari, an ex ſacris pragmaticis, de quibus ea quæ ſacro Apici viſa ſunt, iam omnibus aperta fecimus. Sancta Synodus dixit: Contra Canones nihil pragmaticum valebit: Regulæ Patrum teneant. Glorioſiſſimi Iudices dixerunt: Nunc tempus eſt, edoceri nos à ſancta Synodo, an liceat ex ſacro pragmatico, alienæ Eccleſiæ iura ab aliis Epiſcopis auerti. Sancta Synodus dixit: Non licet hoc: eſt præter Regulas.* His dictis, iuſſus eſt Photius docere Synodum de vſurpatis ab Euſtathio Eccleſiis Tyriæ Metropolis: quo facto, petiit idem Photius à S. Synodo irrita reddi, quæ ab Anatolio & aliis Epiſcopis haud pridem contra eamdem Metropolim ex lege Imperatoris Conſtantinopoli definita fuiſſent. Ad hęc Euſtathius ſe excuſans dixit, non à ſe inuaſa iura Tyriæ Eccleſiæ, ſed factum eſſe lege Imperatoris: conſuetudiniſque eſſe, Imperatores Metropoles facere. Attamen S. Synodus definiuit, nullam eſſe debere ſententiam aduerſus Photium abſentem pronuntiatam. Rurſum à Photio petitum, in ſuas Eccleſias eſſe reſtituendos Epiſcopos à ſe ordinatos, ab Euſtathio autem Epiſcopatu eiecto, & inter Presbyteros adnumeratos. Antequam autem de his S. Synodus aliquid definiret, iuſſere Iudices cognitores legi ſacrum Canonem: lectuſque eſt Canon quartus Magni Nicæni Concilij, quo iubetur vniuſcuiuſque Prouinciæ eſſe debere vnum Metropolitanum Epiſcopum. Lecto itaque Canone, & Euſtathio reſpondente, licere Imperatori iubère quod vellet: Iudices cognitores de his S. Synodi iudiciū ita interpellarunt: *Sancta Synodus quid ſibi videatur doceat: Vtrū placeat ſecundùm Canonem trecentorum decem & octo Patrum, vnum Metropolitanum Epiſcopum eſſe, qui in Ordinationibus Reuerendiſſimorū in vnaquaque Prouinciæ ciuitate Epiſcoporum poteſtatem habeat, an duos, ita vt liceat ſeparatim in ciuitatibus Ordinationes facere. Sancta Synodus dixit: Vnum iuxta Regulas ſanctorum Patrum poſtulamus eſſe Metropolitam: petimus vt Regula ſanctorum Patrum teneat. Atticus Reuerendiſſimus Epiſcopus Nicopolis ciuitatis Epiri dixit: Trecentorum decem & octo Patrum Regula vnum vult Metropolitam in vnaquaque Prouincia Epiſcopum eſſe. Et ſupplicamus vt nunc etiam virtus Canonum in quoſlibet & in omnes Prouincias valeat, ceſſantibus omnibus quæ ex concurſatione & ambitione Pragmaticorum fiunt, quæ & euerterūt ea quæ ſpiritualiter & ſecundùm Deum à ſanctis Patribus ſancita ſunt.* Hæc Atticus. His omnibus auditis, atque exactè percognitis,* Iudices cognitores definita à S. Patribus probauere, atque ſua ipſorum ſententia firmauere, ita interlocuti: *Iuxta Regulas trecentorum decem & octo Patrum, & iuxta ſententiam totius ſanctæ Synodi, Photius Reuerendiſſimus Epiſcopus totius Tyriorum Metropolis omnem poteſtatem ordinandi in vniuerſis ciuitatibus Primæ Phœnices Prouinciæ habebit. Euſtathius Reuerendiſſimus Epiſcopus à ſacro pragmatico typo nihil amplius ſibi vendicet, quàm reliqui Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ. At an his conſentiat ſancta Synodus, doceat. Sancta Synodus exclamauit: Hoc iuſtum iudicium: hæc iuſta ſententia. Multos annos Imperatorum: multos*

multos annos Auguſtæ : multos annos Iudicum. Reſtitutis ex ſententia totius Oecumenicæ Synodi Epiſcopis in diuerſis ciuitatibus à Photio ordinatis, redactis verò in ordinem Presbyterorum ab Euſtathio promotis, improbatoque per Apoſtolicæ Sedis Legatos & alios vſu illo, vt qui ab Epiſcopatu deponebantur, ſinerentur Presbyteri miniſtrare: mox eiuſmodi ad Iudices & ad S. Synodum facta eſt ſuggeſtio à Cecropio Epiſcopo Sebaſtopolis: *Ne poteſtas veſtra accuſationem & querimonias à quacumque perſona accipiat & fatigetur, néve nos conteramur; petimus vt ſine contradictione ceſſent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibuſdam facta ſunt in omni Prouincia; Canones verò per omnia teneant: ſic enim & fides cuſtoditur, & vnaquæque Eccleſia tutum ſtatum habebit : ac ne liceat præter Canones ordinare. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Iudices dixerunt: Si tota ſanctiſſima Synodus conſentit petitioni Cecropij Reuerendiſſimi Epiſcopi, doceat. Sancta Synodus acclamauit : Omnes eadem dicimus : Vniuerſa pragmatica ceſſabunt: Canones teneant, & hoc à vobis fiat. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Iudices dixerunt : Ex ſententia ſanctæ Synodi in aliis quoque omnibus Prouinciis teneant.* His ſtabilitis, ſecuta eſt ex more fauſta totius Synodi acclamatio ; iuſſeruntque Iudices, vt quæ definita eſſent, effectui mandarentur.

ANNOTATIO.

VBI dicitur hic, *Actio Quinta*, veriùs diceretur *Septima*, quia Græcum exemplar amplius quàm Latinum, habet Seſſionem quintam 13. Kalendas Nouembris celebratam, duaſque Actiones continentem. In quarum priore de Caroſo & Dorotheo quid geſtum fuerit, ſuprà dictum eſt. In poſteriore, controuerſia illa, quam de iure Metropolis Photius Tyri & Euſtathius Berythi Antiſtites mouerunt, deciſa eſt eo ordine, quo ſuprà dixi. Illam Quintam, hanc Sextam Actionem nominare poteris.

In hac eadem Actione ſeu Seſſione, vbi dicitur: *Alia definitio Chalcedonenſis Synodi, ſimiliter ſub quadruplici editione*, &c. quæ tamquam titulus & argumentum alterius cuiuſdam Definitionis præfiguntur Definitioni fidei, deleantur & expungantur : quia vna tantùm Definitio fidei in Concilio edita fuit. Quamobrem in Latina editione, quod factũ eſt in Græco Codice, hæc verba, *ſufficeret quidẽ*, &c. vſq; in finem, cum præcedentibus, ſine vlla interpoſitione tituli vel alterius argumenti, continuanda ſunt. Et Binius dolet, non eſſe emendata in ſua editione.

SESSIO VI.

Quæ in Codice Latino per errorem Collectoris Quinta Actio nominatur.

SEXTA Seſſio habita eſt 11. Kalendas Nouembris, vbi fidei Catholicę Definitio, quam recitauit quidam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus, exploſa eſt, Actiſque inſeri vetita, non, quòd non eſſet Catholica; ſed quòd ad coarguendas & damnandas hæreſes Eutychetis non ſufficeret. Leonis ſententia contra Dioſcorum de Incarnatione Chriſti, ſecundo iudicio per acclamationem omnium Patrum eſt approbata ; ideò quòd Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus memor adhuc ſui Dioſcori, cuius fuerat Apocriſarius, temerariè effutiuiſſet, Dioſcorum non propter fidem, ſed ob excommunicationem in Romanum Pontificem temerè pronuntiatam, damnatum eſſe. Quibus ita peractis, ad deſtructionem Eutychianæ hæreſeos edita eſt Definitio fidei, cuius exordium eſt: *Dominus noſter & Saluator*, &c. De qua obſeruatu neceſſarium eſt, quòd in Græcis exemplaribus ſub vna tantùm Definitione rectè comprehendantur, quæ in Latina editione priore per errorem Collectoris ponuntur ſub titulo duarum Definitionum, ab illis ſcilicet verbis : *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem*, &c. quæ ſequuntur. quæ in Græcis exemplaribus rectè & cõformiter ipſis Actis, nullo interpoſito alio titulo, vno filo ſermonis cum præcedentibus continuantur. Deleantur igitur & expungantur ex Latina editione antiqua inter initium & finem Definitionis collata verba hęc: *Alia Definitio Chalcedonenſis Synodi ſimiliter ſub quadruplici editione, comprehendens*

dens eorum, quæ in Concilijs Niceno Primo, Conſtantinopolitano Primo, Epheſino Primo decreta ſunt, approbationem, & duarum creaturarum in vna Chriſti perſona aſſertionem. Hæc eſt illa fidei Definitio, quam vnà cum Profeſſione fidei hæretica, ad probandum vtra verior eſſet, per inuocationem S. Euphemiæ confirmatam eſſe dicit Binius hîc. vide eum.

ANNOTATIO.

HÆC Actio in Seſſione Septima celebrata fuit. Cùm igitur ex præcedentibus conſtet, duas Actiones habitas fuiſſe Seſſione Quinta; neceſſariò concedendum eſt, hanc Actionem ordine Octauam eſſe. Binius.

SESSIO VII.

Quæ in Latinis exemplaribus Sexta Actio mendoſè nominatur.

OCTAVO Kalendas Nouembris, ipſo natali glorioſiſſimæ Virginis & Martyris, in cuius Baſilica conueniebatur, habita eſt Septima Seſſio, ſiue Actio Nona. Ob diei celebritatem, Marcianus Imperator & Pulcheria Auguſta, vnà cum Magiſtratibus intereſſe ſolitis, præſtò fuerunt. Marcianum Imperatorem Latinè primùm, & ſubinde Græco ſermone perorantem, Patres Concilij per ingeminatas acclamationes immenſis laudibus ſunt proſecuti. Lecta deinde, & per ſubſcriptionem omnium Epiſcoporum approbata eſt illa Definitio fidei, quæ ſuperiore Seſſione conſcripta fuit. Sanctionem pœnalem tulit Imperator contra eos, qui aduerſus hanc Definitionem fidei diſputantes, turbas aut tumultum concitauerint. Rogatu eiuſdem Imperatoris tria decreta ediderunt. Primum, Ne Monachi abſque conſenſu Epiſcoporum Monaſteria ædificent, ab Epiſcopali obedientia & ſubiectione non eximantur, néve inuito domino ſeruum adſcriptitium in Monaſterium aſſumant: degentes in Monaſterio Reipublicæ negotia non curent; ſed orationibus tantùm & ieiuniis vacent. Secundò, ad cohibenda vitia & inconſtantiam Clericorum extra ſuas Eccleſias, in quibus ordinati ſunt, vagantium, decretum eſt, Ne quis alienum Clericum ſuſcipiat. Tertiò conſtitutum fuit, vt ad honorem S. Martyris Euphemiæ ciuitas Chalcedonenſis citra præiudicium Nicomediæ, nomine tenus dignitatem Metropolis habeat. Quibus conſtitutis, Patres quidem abitum & diſceſſionem concedi petiuerunt; ſed rogauit Imperator, vt adhuc tres vel quatuor dies expectarent.

ANNOTATIO.

ACTIO Septima, veriùs Actio Nona, vt ex præcedentibus conſtat. Celebrata eſt autem hæc Actio 7. Kalendas Nouembris cum duabus alijs infrà ſequentibus, Seſſione Octaua, vt videre eſt in Græco Codice, & apud Liberatum Diaconum. Quod igitur initio huius Actionis dicitur, 4. Kalend. Nouembris hanc Actionem habitam fuiſſe, mendoſum eſt. Binius.

SESSIO VIII.

Comprehendens Latinæ editionis Actiones tres, Septimam, Octauam, & Nonam.

AD diuerſarum Eccleſiarum controuerſias dirimendas, 7. Kalendas Nouembris ad Synodum conuenerunt Epiſcopi, eaque Seſſione tres Actiones ſub vno die abſoluerunt. Harum prima, controuerſia inter Antiochenum & Ieroſolymitanum Epiſcopos, de iure Metropoleos agitata, compoſita eſt. Sedi Antiochenæ Phœnicia atque Arabia adiudicatę ſunt; Ieroſolymitano verò Epiſcopo, in quem ius Metropolis Palæſtinæ, quod antè Cæſareenſis Eccleſia habebat, tranſlatum erat, datæ ſunt tres Palæſtinæ. Secunda Actione de Theodoreto Cyri Epiſcopo actum eſt. Hic cùm à Dioſcoro in Conuenticulo Epheſino depoſitus, & tamquam ſi Neſtorianus eſset, exulare coactus fuiſset, apud Romanum Pontificem alioſque Orientis Epiſcopos hac de re diu multumq; conqueſtus, ſe verè Catholicum eſse plurimis literis ſignificauit. Sed cùm Patres Concilij Epheſini Oecumenici, ipſum acerrimum ſcriptorum

ptorum S. Cyrilli impugnatorem experti eſſent, epiſtolis Theodoreti fidem nullam adhibuerunt: ſed potiùs in hoc conſeſſu inſtiterunt, vt anathema Neſtorio diceret. Quod cùm ille non grauatè ſecunda iam vice præſtitiſſet, omnium gratiam ſibi conciliauit, eademque omnium ſententia in priſtinam ſedem eſt reſtitutus: quem iam antè ſanctus Leo, poſt dictum anathema Neſtorio, in communionem Eccleſiæ ſuſceperat. Cùm hoc iudicium Synodi Eutychiani poſt aliquot luſtra annorum infringere conarentur, Vigilius Pontifex ſententiam Epiſcoporum ſcriptis Theodoreti conuenientem confirmauit. Tertia Actione pronuntiatum fuit, Ibam Edeſſenum Epiſcopum à calumniis aduerſariorum ſuorum duobus Conciliis Tyri & Berythi habitis rectè abſolutum, malè verò Epheſino Conciliabulo condemnatum, & Epiſcopatu amotum fuiſſe. Inquiſitio de Nonno Epiſcopo in locum Ibæ ſubrogato, commiſſa eſt Maximo Antiocheno Epiſcopo. Hæc non tantùm in Actis Concilij, ſed etiam apud Liberatum Diaconum in Breuiario, cap. 13. recenſentur.

ANNOTATIO.

ACTIO Octaua, veriùs Decima: tres enim Actiones ſupradictæ celebratæ ſunt vno die, vnaq; Seſſione, quæ in Græco Codice Octaua, & apud Liberatum Septima eſt) ideò quòd Liberatus vnum illud ſecretarium ex Græcis exemplaribus reſtitutum, prætcrierit. Illud igitur quod in principio huius Actionis dicitur: *Sub die 8. Kal. Nouemb.* mendoſum eſt, debetque pro *octauo* poni *ſeptimo Kal. Nouembr.*

SESSIO IX.

Quam Latinus Codex Actionem Nonam appellat, malè: quia numerus Actionum, Seſſionum numerum excedit, & ſub vna Seſſione quādoq; plures Actiones habita reperiuntur.

SESSIO Nona habita eſt 6. Kalendas Nouembris, in qua abſoluta eſt cauſa Ibæ, de qua ſuprà egimus. Sed & *eadem Seſſione*, inquit Liberatus, cap. 13. *id etiam inuenitur eſſe decretum, vt quod ſub Dioſcoro in Epheſo congregatum eſt Concilium, nomen Concilij minimè obtineret, ſed & vt peteretur ab Imperatore, vt de hoc ipſe legem ſanciret.* Hac eadem Seſſione, eodemque die, nimirum 6. Kalendas Nouembris habita legitur Actio de Domno Antiocheno Epiſcopo, qua ad petitionem Maximi Antiocheni Præſulis, auctoritate Pontificia in ſede confirmati, conceſſum eſt, vt Domno per iuſtam ſententiam Dioſcori à Leone approbatam exauctorato, ex Antiochenæ Eccleſiæ reditibus alimenta præſtentur. Hæc Actio in Græco codice deſideratur. Quin etiam tempore Iuſtiniani Imperatoris eadem Actione Græca exemplaria caruiſſe, colligitur ex quadā Nouella Conſtitutione eiuſdem Imperatoris ad Ioannem Romanum Pontificē data, quæ extat apud Binium ſub hoc initio: *Scientes quòd nihil aliud hic poteſt,* &c. Qua Conſtitutione non dixiſset Imperator, Domnum Antiochenum à ſancta Synodo Chalcedonenſi poſt mortem damnatum fuiſse, ſi hanc Actionem, qua ipſi ad inſtantiam Maximi alimenta decernuntur, in codice Græco legiſset. Vetus Latina editio hanc Actionem non ſuo loco, ſed ſub Actione Septima exhibet, quæ ad Seſſionem Nonam referri debebat. In Latino vetere ſcripto Codice Vaticano, qui Proculi & Albini fuiſse dicitur, inquit Baronius, ſub Nona Actione reponitur, & ſub eadem die, nempe ſub ſexto Kalend. eiuſdem menſis Nouembris; ſed dicenda potiùs Seſſio Nona, quàm Actio Nona: Actionum enim numerus excedit numerum Seſſionum, quòd, vt dictum eſt, ſub vna Seſſione interdum plures Actiones habitæ reperiantur.

SESSIO X.

Quæ extat in Latino Codice Actione Vndecima.

DECIMA Seſſio habita eſt 4. Kalendas Nouembris, qua tractata eſt contro-

controuerſia inter Baſsianum è Sede Epheſina depoſitum, & Stephanum in eius locum ſubrogatum. Sed cùm illi mutuis ſe criminationibus lacerarent, in ſequentem Seſsionem res eſt dilata.

Sessio XI.

Latini Codicis Actionem Duodecimam & Decimamtertiam comprehendens.

CVM Patres 3. Kalendas Nouembris conueniſsent, in prædicta controuerſia Seſsionis Decimæ definitum eſt, vt neuter prædictorum duorũ eſset Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſed potiùs alius ordinaretur; ita tamen, vt vterque in Epiſcopali dignitate maneret, ſingulíſque eorum ducenti ſolidi ab Epheſina Eccleſia præſtarentur. Ad accuſationem & depoſitionem Stephani facta eſt acclamatio S. Flauiano Martyri, vtpote quòd prę̃ſtò eſset, & cauſam ſuam iudicaret, & in vltionem Stephani, qui potentiſſimus Dioſcori fautor & adminiſter fuerat, pro Synodo oraret. Hac controuerſia deciſa, agitata eſt cauſa Eunomij Nicomedienſis Epiſcopi cum Anaſtaſio Nicæno. Licet enim Reſcripto Imperatorum Valentiniani & Valentis Nicæna Eccleſia dignitatem Metropolis conſecuta fuerit; tamen hæc ſacroſancta Synodus definiuit, eam Epiſcopo Nicomedienſi ſubeſſe debere.

Sessio XII.

Actionem Decimamquartam & Decimamquintam comprehendens.

PRIDIE Kalendas Nouembris habita eſt Duodecima Seſsio, in qua Antiocheni Concilij ſententia de Sabiniano in Eccleſiam Parenorum (qua fuerat à Dioſcoro ſpoliatus) reſtituto, & Athanaſio, qui fuerat in locum eius ſuffectus, amoto, eſt confirmata; conceſſa ei facultate, vt ſi quæ iura aduerſus Sabinianum haberet, ea infra ſpatium octo menſium apud Maximum Antiochenum proſequeretur. Hac cauſa abſoluta, finitum erat Concilium; ſolutíſque Comitiis, Legati Sedis Apoſtolicæ cum Iudicibus egreſsi ſunt, & abierunt. Orientales autem Epiſcopi ad inſtantiam Anatolij Conſtantinopolitani clandeſtinè & doloſè remanſerunt, & triginta Canones Act. 15. extantes ſanciuerunt. Quorum vno, vigeſimooctauo ſcilicet, hoc conſtitutum fuit, vt & Patriarchalis Eccleſia Conſtantinopolitana ſit, & ſecundum locum inter Patriarchales ſedes (quod Alexandrinæ iure ſucceſsionis Apoſtolicæ conceſſum) Conſtantinopolitanus Epiſcopus obtineat. Hac ratione ſe id conſecuturum ſperabat Anatolius, quòd in Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano Primo à ſuis anteceſſoribus quidem tentatum fuit, ſed Pontificibus Romanis obſtantibus fruſtrà.

Sessio XIII.

Actionem Decimamſextam complectens.

IPSIS Kalendis Nouembris (quod Græca & Latina exemplaria habent 5. Kalendas Nouembris, hanc Actionem celebratam fuiſſe, mendoſum eſt) die nimirum ſequente poſt Actionem Decimamquintam, ad inſtantiam Legatorum Pontificiorum omnes Epiſcopi cum Iudicibus cognitoribus conuenerunt. Quibus præſentibus, Legati Pontificis dixerunt: *Heſterno die poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia ſecuta eſt, quædam geſta facta dicuntur, quæ nos præter Canones Eccleſiaſticos exiſtimamus effecta: poſcimus ergo, vt veſtra magnificentia relegi hæc præcipiat, vt omnis fraternitas inſpiciat, vtrùm iuſta an iniuſta ſunt ea quæ geſta ſunt.* Mandato igitur Iudicis, Decretum præcedentis diei prælectum fuit. Quod cùm Legati Sedis Apoſtolicæ Nicæno Canoni ſexto contrarium; Anatolius verò cum ſuis, Conſtantinopolitani Primi quarto Canoni idẽ conuenienſeſſe aſſeruiſsent, Iudicibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fauentibus itum eſt in ſententiam Anatolij. Legati contradixerunt, ſuamque interpoſitam hac de re proteſtationem ad Acta referri poſtularunt. His omnibus abſolutis, ſancta Synodus nouiſsimo loco Synodicam

odicam epiſtolam ad Leonem Pontificem perſcripſit, petens ab eo cuncta rata haberi & confirmari, quæ in Concilio geſta fuerunt. Quid verò ad Synodum Pontifex reſcripſerit, quas Actiones probauerit, quáſve improbauerit, diximus ſuprà, immediatè ante Seſſionem Primam.

Sequuntur CANONES CONCILII CHALCEDONENSIS, *qui licet abſentibus Legatis conſtituti fuerint doloſè & clandeſtinè ab Orientalibus remanentibus, vt habet Liberatus in Breuiario, cap. 12. & ijdem à* LEONE *Papa reprobati fuerint, vt ſuprà dictum fuit; nihilominùs, quia multi ex his in Iure poſiti ſunt, & ab aliis Conciliis approbati, ideò eos hîc ſubijcimus.*

CANON I.

De ſeruandis Canonibus Synodorum.

25. q. 1. A ſanctis Patribus.

A Sanctis Patribus in vnaquaque Synodo vſque nunc prolatas regulas tenere ſtatuimus.

CANON II.

In quo damnatur Epiſcopus, qui per pecuniam Ordinationem facit.

1. q. 1. Si quis Epiſcopus.

SI QVIS Epiſcopus per pecuniam Ordinationem fecerit, & pretio redegerit Spiritus ſancti gratiam, quæ vendi non poteſt, ordinaueritque per pecuniam Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in Clero, promouerit, & diſpenſatorem, aut defenſorem, vel quemlibet qui ſubiectus eſt regulæ, pro ſui turpiſsimi lucri commodo, is qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo ſubiacebit; & qui ordinatus eſt, nihil ex hac Ordinatione vel promotione quæ eſt pro negotiatione facta, proficiat, ſed ſit alienus à dignitate vel ſolicitudine, quam pecuniis acquiſiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit (ſi quidem Clericus fuerit, à proprio gradu decidat; ſi verò laicus, anathematizetur.

CANON III.

Vt hi qui connumerantur in Clero, turpibus lucris non inſeruiant.

PERVENIT ad ſanctam Synodum, quia de his qui in Clero connumerãtur, quidam propter turpis lucri gratiam, aliorũ poſſeſſionum cõductiones & cauſas ſecularium negotiorum ſuſcipiunt, & à ſacris Officiis ſe per deſidiam ſeparant, ad domos autem ſæcularium concurrunt, & ſubſtantiarum earũ gubernationes (auaritiæ cauſa) ſuſcipiunt. Decreuit igitur ſancta & vniuerſalis & magna Synodus, neminem horum deinceps, hoc eſt Epiſcopum, ſiue Clericum, aut Monachum, conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæcularibus poſſeſſionibus poſſe, niſi fortè, qui Legibus ad minorum ætatis tutelas ſiue curationes inexcuſabiles attrahũtur, aut ipſius ciuitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula, & orphanorum ac viduarum quæ indefenſæ ſunt, aut earum perſonarum, maximè quæ Eccleſiaſtico indigent adminiculo, propter Dei timorem. Si quis verò tranſgreſſus fuerit hæc præcepta, Eccleſiaſticæ ſubiaceat correctioni. D. 86. Peruenit ad ſanctam.

CANON IV.

Quòd Monachi in ciuitatibus Epiſcopo debeant eſſe ſubiecti.

QVI verè & purè ſolitariam eligunt vitam, digni ſunt conuenienti honore. Quidam tamen Monachorum habitu vtentes, indifferenter per ciuitates incedunt, nec non & Monaſteria, & ſeipſos propria præſumptione cõmendant. Placuit igitur neminem aut ædificare aut conſtituere Monaſteria, aut Oratorij domum, ſine conſcientia ipſius ciuitatis Epiſcopi. Eos verò, qui per ſingulas ciuitates ſeu poſſeſsiones in Monaſteriis ſunt, placet nobis Epiſcopo ſubiectos eſſe debere, & quieti operam dare, atque obſeruare ieiunia & orationes in locis, in quibus ſemel ſe Deo vouerint, permanentes; & neque communicare Eccleſiaſticas, neque ſæculares aliquas attrectare actiones, re-

16. q. 1. Qui verè & purè. & 18. q. 2. Quidam Monachorum habitu.

Digitized by Google

linquentes propria Monaſteria, niſi fortè iubeantur propter vrgentes neceſſitates ab ipſius ciuitatis Epiſcopo. Et neminem ſeruorum ſuſcipi in Monaſterium, vt ſit cum eis Monachus, niſi cum proprij domini licentia. Prætereuntem verò hæc decreuimus extra communionem eſſe, ne nomen Domini blaſphemetur. Conuenit ergo ciuitatis Epiſcopo, curam ſolicitudinemque neceſſariam Monaſteriis exhibere.

CANON V.

Non licet Epiſcopo Eccleſiam ſuam relinquere, & ad aliam tranſire.

7. q. 1. Propter eos. Nicæn. Cõc. c. 15. PROPTER eos Epiſcopos & Clericos qui de ciuitate ad ciuitatem tranſeunt, placuit Definitiones datas à ſãctis Patribus habere propriam firmitatem.

CANON VI.

Vt nemo ordinetur abſolutè.

D. 70. Neminem. NEMINEM abſolutè ordinari iubemus Presbyterum, neque Diaconum, nec quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſia ſuæ ciuitatis, ſiue poſſeſſionis, aut in Martyrio, aut in Monaſterio, hic qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autem qui abſolutè ordinantur, decreuit ſancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere, ad iniuriam ipſius qui eos ordinauit.

CANON VII.

Quòd ſemel in Clero taxati, vel Monaſteriis deputati, ad militiam non redeant.

20. qu. 3. Eos qui ſemel. EOS qui ſemel in Clero taxati fuerint, ſiue in Monaſterio deputati, decreuimus, neque ad militiam, neque ad honores ſæculares venire. Eos autem qui hoc auſi fuerint facere, & non eius rei pœnitere maluerint, vt ad hoc idem reuertãtur, quod antè obtentu Dei ſibi propoſuerunt, cõuenit anathematizari.

CANON VIII.

Diſpenſatores pauperum Epiſcopo ſuo obediant.

18 qu. 2. Quidam Monachorum. CLERICI in Parochiis, Monaſteriis, aut Martyriis conſtituti, ſub poteſtate ſint eius qui in ea ciuitate eſt Epiſcopus, ſecundùm traditionem ſanctorum Patrum, neque per præſumptionem recedant à ſuo Epiſcopo. Eos verò qui auſi fuerint reſcindere huiuſmodi inſtitutionem quocumque modo, vel ſi noluerint ſubiacere proprio Epiſcopo (ſi quidem fuerint Clerici) ſecundùm perſonarum ordinationem ſubiaceant condemnationibus Canonum: ſi verò Monachi ſeu laici fuerint, communione priuentur.

CANON IX.

Si Clericus contra alium cauſam habeat, ante Epiſcopum ſuum examinetur.

SI Clericus aduerſum Clericum habeat negotium, non relinquat ſuum Epiſcopum, & ad ſæcularia iudicia non concurrat, ſed priùs negotium agitetur apud proprium Epiſcopum: vel certè ſi fuerit negotium ipſius Epiſcopi, apud arbitros ex vtraque parte electos audiatur negotium. Si quis verò contra hoc fecerit, Canonum correctionibus ſubiaceat. Et ſi Clericus aduerſus ſuum vel alium Epiſcopum habeat cauſam, apud audientiam Synodi Prouinciæ conquæratur. Si verò contra ipſius Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopum Epiſcopus ſiue Clericus habeat controuerſiã, pergant ad ipſius Diœceſis Primatem, aut certè ad Conſtantinopolitanę regiæ ciuitatis ſedem, vt eorum ibi negotium terminetur. 11. q. 1. Si Clericus aduerſum Clericum.

ANNOTATIO.

VBI dicit *Pergant ad ipſius Diœceſis Primatẽ*, intelligitur Epiſcopus Romanus; nam Græca vox Ἔξαρχος non propriè Primatẽ, ſed Principẽ ſignificat: ſolus verò Romanus Põtifex eſt Princeps Chriſtianę Diœceſeos. His verbis igitur cõſtituitur, vt ſi quis cum Metropolitano aliquo controuerſiam habeat, non alibi eum conuenire poſſit aut debeat, quàm apud Principem Diœceſeos, Romanum Pontificem. Binius.

Deinde vbi dicit, *Aut ſedem vrbis Conſtantinopolitanæ*, hæc non mandantis, ſed permittentis Concilij verba ſunt, adeò vt horum auctoritate Clericis vel Epiſcopis prope Conſtantinopolim habitantibus conceſſum fuerit, ſuas cauſas coram Antiſtite Conſtantino-

tinopolitano proponere, ibique totius controuerſiæ deciſionem expectare. Ita hunc Canonem Nicolaus I. in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem interpretatur. Eamdem expoſitionem, reiecta ſententia Archidiaconi & Ioannis de Turrecremata, ſequitur & approbat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 22. vbi contra Nilum Theſſalonicenſem quondam Epiſcopum, doctiſſimè Primatum Romanæ Eccleſiæ defendens oſtendit, nequaquam ex hoc loco probari, quòd auctoritate huius Concilij, Conſtantinopolitana ſedes, quoad dignitatem Patriarchalem, Sedi Romanæ adæquata fuerit. Etiamſi enim, quod verum non eſt, concederemus, quòd iuxta hunc & Can. 17. omnes Clerici totius orbis iniuriam à ſuo Metropolitano ſibi illatam apud Conſtantinopolitanam ſedem denuntiare poſſint, quodque ipſi Conſtantinopolitano quaſlibet cauſas iudicare liceat, non tamen inde rectè probaretur, eumdem Romano Pontifici parem eſſe. Nam ex vi horum Canonum, ſolùm eos iudicare poteſt Conſtantinopolitanus, qui ſe à ſuo Metropolitano læſos eſſe arbitrantur: at Romanus Pontifex eos quoque iudicare poteſt, qui vel ab ipſis Patriarchis, vel ab Epiſcoporum Conciliis, etiam maximis & frequentiſſimis, læſi fuerunt. Quod Cæciliani, Athanaſij, Chryſoſtomi, Pauli, Flauiani, Theodoreti, aliorumque plurium exempla declarant. Iuxta Canones Sardicenſes à ſententia cuiuſuis Metropolitani ad Romanam Sedem appellare licet, atque ita penes Romanum Pontificem vltimum iudicium ſemper remanet. Vnde etiamſi Conſtantinopolitanus quaſlibet cauſas ex toto terrarum orbe iudicare poſſet, non tamen Apoſtolicæ Sedis Antiſtiti exæquaretur. Vide Bellarminum prædicto loco.

CANON X.

Vt non liceat Clericis de alia ciuitate in aliam tranſmigrare.

21. q. 2. Clericum in duarû. NON liceat Clericum in Eccleſiis duarum ciuitatum ordinari, ſed in ea, in qua ab initio ordinatus eſt, & cuius expetitio erat antè profugium. Et ſi propter vanæ gloriæ deſiderium contigerit, vt pòſt ad maiorem Eccleſiam confugerit, eum indubitanter reuocari decet ad ſuam Eccleſiam, in qua ab exordio ordinatus eſt, & ibi tantummodò miniſtrare. Si quis verò iam tranſlatus eſt ab vna Eccleſia in aliam, nihil habeat commune cum priori, ſiue ſub Eccleſia conſtitutis Martyribus, ſiue in Parochiis, vel Xenodochiis, aut eorum negotiis. Eos verò qui auſi fuerint poſt ordinationem huius magnę & Vniuerſalis Synodi agere quæ prohibita ſunt, ſtatuit ſancta Synodus cadere de proprio gradu.

CANON XI.

Vt Prouincia in duos Metropolitanos Epiſcopos non diuidatur.

PERVENIT ad nos, quòd quidam præter Eccleſiaſticas ordinationes, affectantes potentiam, per pragmaticum ſacrum vnam Prouinciam in duas diuidant, & ex hoc inueniantur duo Metropolitani Epiſcopi in vna eademq; Prouincia eſſe. Statuit ergo ſancta Synodus deinceps nihil tale attẽtari à quolibet Epiſcopo. Eos verò qui tale aliquid tentauerint, cadere de proprio gradu. Diſt. 101. Peruenit ad nos.

CANON XII.

Vt ſine literis Commendatitiis Clericus extra ſuam Eccleſiam non miniſtret.

EXTRANEO Clerico & Lectori, extra ſuam ciuitatem ſine Commendatitiis literis proprij Epiſcopi nuſquam penitùs liceat miniſtrare. D. 17. Extraneo Clerico.

CANON XIII.

Quòd non liceat Clericis alterius ſectæ vxorem accipere.

QVONIAM in quibuſdam Prouinciis conceſſum eſt Pſalmiſtis & Lectoribus vxores ducere, conſtituit ſancta Synodus prorſus cuiquam ex his non licere alterius ſectæ accipere vxorem. Si quis verò præuenit, & habet iam de tali connubio filios, ſi fortè præuenerint eos iam apud hæreticos baptizari, debent eos offerre ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, vt ibi communicent. Qui verò adhuc baptizati non ſunt, omnimodè non poſſe eos in hæretica Eccleſia baptizari, nec in matrimonio iungi hæretico, Iudæo, vel Pagano, niſi fortè ſpoponderit ſe venire ad Orthodoxam fidem, dum coniungitur perſonæ Orthodoxæ. Si quis verò hanc definitionem ſanctæ Synodi præterierit, regularum condemnationibus ſubiaceat. Diſt. 32. Quoniam in quibuſdam.

Digitized by Google

CANON XIV.

Diaconiſſa quæ poſt Ordinationem nubit, anathema ſit.

27.qu.1. Diaconiſſam non. DIACONISSAM non debere ante annos 40. ordinari ſtatuimus, & hoc cum diligenti probatione. Si verò Ordinationem ſuſceperit, & quantocumque tẽpore obſeruauerit miniſterium, & poſteà ſe nuptiis tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema ſit cum eo qui in nuptiis illius conuenerit.

CANON XV.

Vt nec Deo dedicata Virgo nec Monachus nuptiis iungi poſſint.

27.qu.1. Si qua Virgo. SI QVA Virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptiis iungi. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus verò, poſſe eis fieri humanitatem, ſi ita probauerit Epiſcopus loci.

CANON XVI.

De ruſticanis Parochiis.

16.qu.3. Per ſingulas Eccleſias. PER ſingulas Eccleſias Parochias ruſticanas permanere immobiles apud eos qui eas tenent Epiſcopos decreuimus, & maximè, ſi eas ſine violentia per triginta annos gubernauerunt. Si verò intra triginta annos facta fuerit de his dubitatio, liceat eis qui ſe dixerint lęſos, propterea mouere apud Synodum Prouinciæ certamen. Si quis verò putauerit ſe à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ ciuitatis ſedem agat negotium, ſicut dictum eſt. Si verò quælibet ciuitas per auctoritatem Imperialem renouata eſt, aut ſi renouetur in poſterum ciuilibus & publicis ordinationibus, etiam Eccleſiarum Parochianarum ſequatur ordinatio.

CANON XVII.

De his qui coniurationem aut calumniam contra Epiſcopum faciunt.

11.qu.1. Coniurationum. CONIVRATIONVM & conſpirationum crimen (quod apud Græcos dicitur φρατρεία) publicis etiam legibus certum eſt penitùs inhiberi; hoc multò magis in ſancta Dei Eccleſia (ne fiat) conuenit abdicari. Si qui verò Clerici vel Monachi inuenti fuerint coniuratores, aut conſpiratores, aut φρατρίας vel factiones componentes aliquas ſuis Epiſcopis, aut aliis, omnino cadant de proprio gradu.

CANON XVIII.

Quòd corripiantur Epiſcopi qui ad Concilium vocati venire recuſant.

PERVENIT ad noſtras aures, quòd in Prouinciis conſtituta Epiſcoporum Concilia minimè celebrentur; hoc ex eo probatur, quòd multæ quæ correctione opus habent, Eccleſiaſticę res negligantur. Statuit ergo hæc ſancta Synodus ſecundùm regulas Patrum, bis in anno in vnum conuenire per ſingulas Prouincias Epiſcopos, vbi ſingula quæ emerſerint corrigantur. Qui verò noluerint conuenire Epiſcopi conſtituti in ſuis ciuitatibus, & hoc maximè cum ſui corporis ſanitate ſint conſiſtentes, cùm etiam ab omnibus aliis vrgentibus neceſſitatibus, & inexcuſabilibus negotiis ſint liberi, licere eos fraternæ charitatis commonitionibus corripi. 18. Peruenit ad noſtras.

CANON XIX.

Quòd Clericus vnius Eccleſiæ in aliena non ordinetur.

CLERICOS in ſingulis Eccleſiis conſtitutos (ſicut iam definiuimus) non liceat in alterius ciuitatis Eccleſiis ordinari, ſed quieſcant in ea in qua ab initio miniſtrare meruerunt, exceptis illis qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex neceſſitate ad alias Eccleſias migrauerunt. Si verò quicumque Epiſcopus poſt definitionem iſtam ad alium Epiſcopum pertinentem Clericum ſuſceperit, placuit ſanctæ Synodo, & hunc qui ſuſcepit, & eum qui ſuſceptus eſt, tamdiu excommunicatos manere, quamdiu ipſe Clericus ad propriam reuertatur Eccleſiam. 71. Clericos in ſingulis. lib. Gregorius Fortunato Epiſcopo.

CANON XX.

De his qui accuſant Eccleſiam.

CLERICOS aut laicos paſſim accuſantes, & ſine probatione Epiſcopos aut Clericos ad accuſationem non recipien- 2.q.7. Clericos aut laicos.

piendos decreuimus, niſi priùs diſcutiatur eorum exiſtimationis opinio.

CANON XXI.

Clericis non licere diripere bona Epiſcopi.

12. q. 2. Non liceat Clericis. NON liceat Clericis poſt mortem Epiſcopi ſui rapere res pertinentes ad eum; ſicuti præcedentibus regulis conſtitutum habetur. Si verò hæc fecerint, periclitari ſe nouerint à proprio gradu.

CANON XXII.

Vt Monachi qui ſine licentia Epiſcopi vagantur, ad propria loca redire cogantur.

QVIDAM Monachi nihil habentes ſibi iniunctum à proprio Epiſcopo, interdum verò etiam illi qui ab eo fuerant excommunicati, veniunt ad ciuitatem Conſtantinopolitanam, & in ea perturbationes tranquillitati Eccleſiaſticæ inferunt, & diuerſorum domos corrumpunt. Statuit igitur ſancta Synodus, hos primùm commoneri, vt exeant à regia ciuitate, demum eos inuitos deiici, ac inde per defenſorem compelli, vt ad ſua loca redeant.

CANON XXIII.

Vt quæ Deo ſemel dedicata ſunt Monaſteria, cœnacula ſæcularium non fiant.

19. q. 3. Quæ ſemel ſunt. QVAE ſemel ſunt dedicata Monaſteria concilio Epiſcoporum, maneant perpetuò Monaſteria, & res quæ ad ea pertinent, Monaſteriis reſeruari oportet, nec poſſe ea vltrà fieri ſæcularia habitacula. Qui verò permiſerint hoc fieri, ſubiaceant ijs condemnationibus, quæ per Canones conſtitutæ ſunt.

CANON XXIV.

Quòd intra tres menſes Epiſcoporum Ordinationes fiant.

D. 75. Quoniam quidam Metrop. QVONIAM quidam Metropolitanorum (ſicut ad nos perlatũ eſt) negligunt greges ſibi creditos, & differunt Ordinationes facere Epiſcoporum, placuit ſanctæ Synodo, intra tres menſes fieri Ordinationes Epiſcoporum, niſi fortè inexcuſabilis neceſſitas coëgerit, Ordinationis tempus ampliùs protelari. Si autem quis Epiſcoporum hoc non obſeruauerit, ipſum debere Eccleſiaſticæ condemnationi ſubiacere. Redditus verò eiuſdem viduatæ Eccleſiæ integros reſeruari apud Oeconomum eiuſdem Eccleſiæ cenſemus.

CANON XXV.

Vt Epiſcopi diſpenſatores habeant.

QVIA in quibuſdam Eccleſiis (vt rumore comperimus) Epiſcopi præter Oeconomos facultates Eccleſiæ tractant, placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui gubernet Eccleſiæ res cum arbitrio ſui Epiſcopi, vt non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum Eccleſiaſticarum, & ex hoc deueniat diſpergi eiuſdem res Eccleſiæ, & Sacerdotali dignitate obtrectatio generetur. Si verò quis non obſeruauerit hoc, diuinis ſubiaceat regulis. D. 89. Quoniam in quibuſdam. & 16. q. 7. Quoniam in quibuſd.

CANON XXVI.

De his qui mulieres accipiunt.

EOS qui ſibi rapiunt vxores, vel eos qui eis auxilium præſtiterint, ſtatuit ſancta Synodus (ſiquidem Clerici fuerint) decidere à proprio gradu: ſi verò laici fuerint, anathematizentur. 36. q. 2. Eos qui rapiunt.

ANNOTATIO.

CANONES qui ſequuntur, non extant in Codicibus Græcis mſſ. quos habuimus huius Concilij, nec etiam in Latinis, neque in Collectionibus Dionyſij & Iſidori. Cuius rei cauſa ea eſſe videtur, quia Anatolij C.P. Epiſcopi circumuentione ac fraude, cùm Sedis Apoſtolicæ Legati è Synodo egreſſi eſſent, Patribus Concilij propoſiti, atque ab eis ſubſcripti fuerant: ex quorum primo, qui eſt XXVII. duorum Patriarcharum, Alexandrini & Antiocheni, priuilegia à Concilio Nicæno eis data, infringebantur, & Primatus eius in Eccleſia poſt Romanum Pontificem ſtatuebatur. Quod beatus Leo indignè ferens, eoſdem reiecit & infirmauit, vt apparet ex ipſius epiſtola 61. ad Epiſcopos Synodi Chalcedonenſis, & epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & aliis. Recenſentur tamen à Th. Balſamone, Io. Zonara, & aliis Græcis Canonum Collectoribus. Et cùm idem XXVII. Canon relictus ſit in ſequenti Actione, petentibus ipſis Apoſtolicæ Sedis Legatis, illos hîc adſcribendos putauimus, non vt eis aliquid auctoritatis adiungatur, ſed vt rei geſtæ ſeries non ignoretur.

Digitized by Google

Canon XXVIII.

Sanctorvm Patrum decreta vbique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus ac ſtatuimus de priuilegiis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quòd vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuerunt; & eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo nouæ Romæ Throno æqualia priuilegia tribuerunt, rectè iudicantes, vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma priuilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecùs ac illam, extolli ac magnificari, ſecundam poſt illam exiſtentem: vt Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, prætereà Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter barbaros, à prædicto Throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: vnoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Prouinciæ Epiſcopis, Prouinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum diuinis Canonibus eſt traditum: ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis.

Annotatio.

Hic eſt ille Canon clandeſtinus & ſurreptitius, quem Anatolius cum reliquis Orientalibus ad Primatum ſuæ Eccleſiæ comparandum, Legatis abſentibus & contradicentibus, conſtitui atque decerni procurauit, quem S. Leo Pontifex pluribus epiſtolis damnauit & reprobauit, non tantùm ideò, quòd citra auctoritatem Romani Pontificis editus, illegitimè conſtitutus fuerit; verùm etiam quòd duo aliaque plura manifeſtò falſa mendacia contineat. Quod in eo refertur, à Patribus Nicænis Romani Pontificis Primatum eſſe attributum, quaſi eum antè non habuerit, falſum eſt: nam vt alia Scripturæ, Patrum, & Conciliorum teſtimonia omittam, ex ipſo initio ſexti Canonis Nicæni manifeſtè conſtat, quòd ipſa Romana Eccleſia non à Conciliis vel Chriſtianis Imperatoribus, ſed à Chriſto Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuerit. Ita enim exorditur ſextus Canon Concilij Nicæni: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Quomodo itaque eum à Patribus Nicæni Concilij accepiſſe potuit? Alterum, quod falsò aſſerunt, ideò nimirum Romanæ Eccleſiæ Primatum eſſe conceſſum, quia Roma eſt ſedes Imperij; S. Leo epiſt. 52. ad Marcianum, & S. Gelaſius epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ diſertis verbis refellunt. Inter alias hanc rationem habet S. Gelaſius: *Mediolanum, Rauenna, Sirmium, Treueri, & Nicomedia, multis temporibus ſedes Imperij fuerunt. Quibus cùm nihil plus iuris, dignitatis, & prærogatiuæ Eccleſiæ ea de cauſa conceſſum fuerit, non immeritò mendacij arguuntur, qui dicunt prædicta de cauſa Romanam vrbem ad faſtigium Apoſtolici muneris euectam eſſe.* Binius hîc. Primitatem hanc & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias ac totum Chriſtiani populi gregem Eccleſia Romana aſſecura eſt non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro: ſic fatetur Anacletus Papa epiſt. 3. & Vigilius Papa in epiſtola ad Eutherum dicit: *Quamobrem ſancta Romana Eccleſia eius merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum auctoritate roborata, Primatum tenet omnium Eccleſiarum, ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia & iudicia, atque querelæ, quàm & maiores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput ſemper referenda ſunt.* Idem quoque habetur in Præfatione Nicæni Concilij in principio, ſcilicet; quòd *Eccleſia Romana nullis Synodicis Decretis prælata eſt ceteris Eccleſiis, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit.* Idem quoque affirmat Nicolaus Papa I. in ep. ad Michaëlem Imperatorem, his verbis: *Animaduertendum eſt, quia non Nicæna, non denique vlla Synodus quidquam Romanæ contulit Eccleſiæ priuilegij, quæ in B. Petro nouerat, eam totius iura poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ouium regimen accepiſſe, ſicut beatus Præſul Bonifacius atteſtatur vniuerſis Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens.* Et in eadem epiſtola paulò antè dicit idem Nicolaus Papa: *Eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita antiquitus obſeruata, & à ſanctis Vniuerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſunt minui,*

nus; nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus; & quod Deus ſtatuit, firmum validumq́; conſiſtit; illeq́; potiſſimùm peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia, inquam, iſtius Sedis, vel Eccleſiæ, perpetua ſunt, diuinitus radicata atque plantata ſunt; impingi poſſunt, transferri non poſſunt; trahi poſſunt, euelli non poſſunt.

Agnouit hanc Primitatem Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. & de Obitu Satyri, vt dixerit, ſe in omnibus cupere Romanam ſequi Eccleſiā; & Irenæus omnibus antiquior, & Apoſtolicorum temporum vicinus, vereque Apoſtolicus, lib. 3. cap. 3. Eccleſiæ Romanæ tale tribuit elogium: *Ad hanc*, inquit, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab ijs qui ſunt vndiq́; conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Sic Tertullianus de Præſcript. hæret. cap. 36. Cyprianus epiſt. 45. & 46. Theodoretus lib. 2. Hiſtor. cap. 4. Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium, & lib. 2. de Conſider. cap. 8. Concilium Chalcedonenſe Act. 3. Anacletus epiſt. 1. & 3. Marc. epiſt. 1. Synodus Alexandrina ad Felicem.

CANON XXVIII.

EPISCOPVM in Presbyteri gradum deducere, eſt ſacrilegium. Si qua autem iuſta cauſa illos ab Epiſcopali actione remouet, nec Presbyteri debent locum obtinere: ſin autem abſque vllo crimine dignitate moti ſunt, ad Epiſcopalem dignitatem redibunt.

Anatolius religioſiſſimus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus dixit: Ij qui dicuntur ab Epiſcopali dignitate ad Presbyteri ordinem deſcendiſſe, ſi iuſtis quidem de cauſis condemnantur, iure nec Presbyteri honore digni ſunt: ſin autem ſine aliqua probabili cauſa ad inferiorem gradum depreſſi ſunt, iure, ſi quidem nulli ſunt culpæ affines, Epiſcopatus auctoritatem & Sacerdotium recipient.

CANON XXIX.

QVONIAM religioſiſſimi Epiſcopi Ægypti, non vt Catholicæ fidei aduerſantes, ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis epiſtolę ſubſcribere diſtulerunt, ſed dicētes in Ægyptiaca Diœceſi hanc eſſe conſuetudinem, vt præter voluntatem & mandatum Epiſcopi nihil tale faciant, & petunt concedi ſibi dilationem vſque ad ordinationem futuri magnæ ciuitatis Alexandrinorum Archiepiſcopi; iuſtum nobis & humanum viſum eſt, vt ipſis in proprio habitu in Imperiali vrbe manentibus, remiſſio concedatur, donec ordinatus fuerit Alexandrinus Archiepiſcopus. Vnde in proprio habitu manentes, vel fideiuſſores dabunt, ſi hoc ab eis fieri poteſt, vel eorum iuriiurando fides habebitur.

ANNOTATIO.

NON tacebo hic vnum de Dioſcoro, de quo hucuſque facta eſt mentio; nempe quòd Alexandrinorum ſtudium in improbiſſimum & nequiſſimum Dioſcorum eouſque inualuit, vt diuinos etiam honores, cultumque religioſum (prō ſcelus!) ei detulerint vel ad hoc vſq; tempus, quo anno 1594. ab Eccleſia Alexandrina, vniuerſaque Ægypto ſolemnis miſſa eſt Legatio Romam ad Clementem VIII. Romanum Pontificem, quā Apoſtolicæ Sedis communionē, quam poſt damnatum Dioſcorum, & emiſſam Orthodoxæ fidei Catholicæ profeſſionem expetebant, obtinuerunt.

Nota prætereà, quòd in hoc Concilio conuenerunt 630. Epiſcopi: ex quibus erant Patriarchę, Dioſcorus Alexandrinus, qui tamen mox eiectus eſt, Maximus Antiochenus, Anatolius Conſtantinopolitanus, & Iuuenalis Ieroſolymitanus. Qui omnes ad Leonem Primum Legationem miſerunt, eum recognoſcentes Paſtorem vniuerſalem totius Eccleſiæ. Ex quo conuincitur hęreticorum perfidia; qui quamuis ſe recipere quatuor Concilia Generalia aſſerant, Primatum tamen Eccleſiæ Romanæ recognoſcere nolunt.

SYNODVS ALEXANDRINA

à PROTERIO *Epiſcopo Alexandrino in cauſa* EVTYCHIANORVM *celebrata ſub* LEONE.

IN hac Synodo congregata auctoritate Proterij illius, qui in locum Dioſcori magna cum ſeditione Alexandrinorum ſurrogatus fuit, actum eſt, vt ad Catholicam communicationem illi, qui hactenus ob hæreſim Eutychianam ſeparati fuerant, ANNO DOMINI CCCCLII.

Catholicæ fidei Profeſſione facta, ad Eccleſiam redeant. Sed cùm illi penitùs reſtitiſſent, Imperator eos exilio mulctauit. Mentio huius Concilij habetur in epiſt. Catholicorum Epiſcoporum & Clericorum Ægypti ad Leonem, quæ extat apud Binium in 2. Tomo Conciliorum.

CONC. ANDEGAVENSE *ſub* LEONE *Papa* I. *celebratum, anno Domini* 453.

ANNO DOMINI CCCCLIII

CVM ad ordinandum Epiſcopum in ciuitate Andegauorum conueniſſent, & Thalaſſius eſſet Epiſcopus ordinatus; omnibus pariter reſidentibus, Leone, Euſtochio, Charilatone, Rumorido, Vincentio, Victorio, & Thalaſſio Epiſcopis, pari conſilio atque tractatu, deciſionem, quam verbis decreuerant, etiam ſcripturæ mandare voluerunt, vt hac die, hoc eſt 4. Nonas Octobris, Opilione V. C. Conſule, hæ regulæ Eccleſiaſticæ ſeruarentur, quæ à ſenioribus iuxta auctoritatem Scripturarum iam fuerant conſtitutæ.

CANON I.

De eo, vt contra Epiſcopale iudicium Clericis non liceat proſilire.

PRIMVM, vt contra Epiſcopale iudicium Clericis non liceat proſilire: neque inconſultis Sacerdotibus, ſæcularia iudicia expetere: ſed nec de loco vno in alium ſine Epiſcopi permiſſione tranſire: nec ſine Commendatitiis Sacerdotum ſuorum literis commeare.

ANNOTATIO.

CANON hic pro Eccleſiaſtica immunitate cõtra Valentiniani Imperatoris ſanctionem anno 452. Romæ promulgatam, & Chriſtiano Principe indignam, qua Eccleſiaſticum forum ſuis priuilegiis ſpoliauit, fori exceptionem Clericis abſtulit, nullamq; extra cauſas fidei & religionis iuris dicendi auctoritatem illis conceſſit, niſi Patres ex conſenſu apud aliquem Epiſcoporum agere delegiſſent. Hæc Patrum Conſtitutio quàm æqua, contrà verò Imperatoris Valentiniani ſanctio quàm fuerit iniqua & impia, nõ modò Caij & Marcellini Pontificum Conſtitutiones, Mileuitani & Chalcedonenſis Cõcilij antiquiora Decreta, & Maioriani & Iuſtiniani Nouellæ Conſtitutiones 79. 83. & 123. indicant; verùm etiam ipſa denique ratio euidentiſſimè oſtendit. Omnium enim iudicio abſurdum eſt, ſi ouis paſtorem ſuum iudicet, ſi hodie Prætor ad tribunal Epiſcopi, cras Epiſcopus ad tribunal Prætoris euocari poſſit. Vt Iudex terrenus ſummi Iudicis ſeruos, homineſque ſacratos capiat, aut puniat, quis non abſurdiſſimum eſſe dixerit? Piiſſimum igitur reſponſum fuit Conſtantini Magni, quo ad Epiſcopos loquens dixit: *Vos Dij eſtis à ſummo Deo conſtituti: conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos.* Accedit, quòd magno malo totius Romani Imperij Valentinianus Imperator expertus fuerit, quòd hanc Sanctionem impiiſſimam ferendo, in iura ac priuilegia Eccleſiarum hactenus longo tempore vſurpata inſurrexerit. Nam dum Attila, Flagellum Dei nominatus, à Gothis anno præcedente in Gallia victus fuiſſet, adeoque Romano Imperio parum nocuiſſe potuiſſet; peccato Imperatoris, iuſtoq; Dei vindicis permiſſu, viribus auctus, Aquileiam, aliaſque nobiliſſimas vrbes Italiæ expugnauit, & diruit; ipſam quoque vrbem Romam vnà cum Imperio euertiſſet, niſi per Leonis Papæ, cuius auctoritatem & poteſtatem ſuo Edicto depreſſerat & humiliauerat, præſidium & auxilium munita fuiſſet. Vide Paulum Diaconum libro 15. Miſcell.

CANON II.

VT Diaconi Presbyteris nouerint omni humilitate deferendum eſſe.

ANNOTATIO.

HOC idem conſtitutum fuit ante annos pluſquam centum in Concilio Arelatenſi I. Can. 14. Sed qua occaſione hoc ſtatutum fuerit, ſciendum, quòd Diaconi ob bonorum adminiſtrationem ſibi commiſſam, maiore honore à populo obſeruabantur, eaque occaſione aduerſus Presbyteros ceruicem erigebant, eoſque contemnebant: & cùm ex antiqua lege Eccleſiæ, Presbyteris ſedentibus, ipſi ſtare tenerentur, ex adminiſtratione bonorum elatiores facti, contra has leges & obſeruationes Eccleſiæ agebant. Cùm ergo ille Diaconorum faſtus aliquoties depreſſus, hoc tempore in Galliis viciſſim repullulaſſet, opus fuit, vt Eccleſiaſticæ cenſuræ ſecuri, malum aliàs amputatum, iterùm ſuccideretur.

CA-

CANON III.

VT à violentia & crimine perputationis abſtineant.

ANNOTATIO.

MENDOSE legitur *perputationis*, & legendum eſt *peruaſionis* : vt *peruadere* ſit *alienas res inuadere, ac per vim vſurpare*. Sic Concilio Agathenſi, Can. 29. *Libertos legitimè à dominis ſuis factos Eccleſia tueatur : quos ſi quis ante audientiam aut peruadere, aut expoliare præſumpſerit, ab Eccleſia repellatur.* Item Turonenſi I. Can. 9. *Vt aut Diœceſes alienas transgrediendo terminos à Patribus conſtitutos peruadat.*

CANON IV.

De familiaritate extranearum feminarum.

FAMILIARITATEM extranearum feminarum nouerint eſſe vitandam. Sed ſi qui ſunt cælibes *, non niſi à ſororibus aut amitis ſuis, aut à matribus conſolentur. Quia ſicut bonum non eſt homini ſolum eſſe, ita familiares eſſe Clericos feminis non oportet extraneis; quia frequenter plurimorum ruinas ſub hac occaſione deflemus. Si quis autem poſt hoc interdictum à prædictis familiaritatibus ſe reuocare noluerit, nequaquam gradu altiori donabitur: & ſi iam ordinatus fuerit, non miniſtret. Tum ſi qui in tradendis vel capiendis ciuitatibus interfuiſſe fuerint detecti, non ſolùm à communione habeantur alieni, ſed ne conuiuiorum quidem admittantur eſſe participes.

* cælibes.

CANON V.

De eis qui accepta pœnitentia reſilierunt.

QVOD etiam de his qui accepta pœnitentia reſilierint, debita ſeueritate ſeruabitur. Quæ forma etiam circa eas, quæ de virginitate Sanctimonialium crimine proprio deciderunt, ſtatuto rigore permaneat.

CANON VI.

De iis qui alienis vxoribus maritatis coniugio abutuntur.

HI quoque qui alienis vxoribus, ſuperſtitibus ipſorum maritis, nomine coniugij abutuntur, à communione habeantur extranei.

CANON VII.

De Clericis qui relicto Clero ad ſæcularem militiam ſe contulerint.

CLERICI quoque, qui relicto Clero, ſe ad ſæcularium militiam & ad laicos contulerint, non iniuſtè ab Eccleſia, quam reliquerunt, amoueantur.

CANON VIII.

De Monachis qui cœptam obſeruationem ſuam relinquunt.

MONACHI quoque, qui cœptam obſeruationis viam reliquere, & abſque epiſtolis & abſque certis negotiis vel neceſſitatibus per regiones vagantur alienas, cognita diſtrictione, ſi ſe non emendauerint, ab Abbatibus ſuis, vel à Sacerdotibus ad communionem non recipiantur.

CANON IX.

De Epiſcopis, quibus alienis Clericis gradum augere non liceat.

ALIIS quoque Epiſcopis aliorum Clericis gradum augere nõ liceat.

CANON X.

De Clericis quibus excommunicare non liceat niſi probatis criminibus.

QVICVMQVE autem vel de laicis vel de Clero miniſtri fuerint ordinati, & obſeruare noluerint; ſi laicus, communicare non liceat, niſi fortè reprobauerint criminoſos.

CANON XI.

De Diaconibus vel Presbyteris vt bigami non ordinentur.

NON niſi vnius vxoris viri, iidemq; virginibus copulati, Diaconi vel Presbyteri ordinentur.

CANON XII.

De pœnitentibus qui conuerſi errorem ſuum voluerint confiteri.

POENITENTIAE ſanè locus omnibus pateat, qui conuerſi errorem ſuum voluerint confiteri; quibus, perſpecta qualitate peccati, ſecundùm Epiſcopi æſtimationẽ erit venia largienda.

CANON XIII.

.... QVOD ita inter prædictos viros pari conſilio & ordinatione decretum eſt, vt ſi quis ex ipſis contra hanc

Digitized by Google

hanc ordinationem agendum eſſe præſumpſerit, obuius fuiſſe regulæ Eccleſiaſticæ iudicetur: aduerſus quem ceteris fratribus ſuis, quaſi aduerſus contemptores licebit inſurgere.

CONC. VENETICVM

tempore LEONIS *Papæ I. celebratum circa annum Domini* 453. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI CCCCLIII. CONCILIVM hoc, licet nulla Conſulum nota perſpicuum ſit, conſtat tamen circa tempora Andegauenſis & Turonenſis Concilij celebratum eſſe: qui enim huic Concilio interfuerunt, Synodicam ad Victurium Cenomanenſem & Thalaſſium Andegauenſem Epiſcopos dederunt, qui & Turonenſi & Andegauenſi Concilio interſuerunt. Cauſam habiti Concilij prædicta Synodica indicat his verbis: *Jtaque quoniam nos in Eccleſia Venetica cauſa ordinãdi Epiſcopatus cõgregauit*, &c. vt ſcilicet diſciplinam Eccleſiaſticam, barbarorum incurſionibus in Gallia plurimùm laxatam, emendent & corrigant.

Et cùm duplex ſit Venetica, vna in Italia multis nominibus clariſſima, cuius incolæ Veneti appellantur; altera in Gallia Lugdunenſi, quæ à Britonibus incolitur iuxta Oceani Gallici littora: hanc Synodum Venetiis in Gallia celebratam fuiſſe, non tantùm Epiſcoporum nomina, verùm etiam ipſarum Venetiarum in Italia origo, euidentiſſimè teſtatur: nam neque ipſi Veneti ſuam Rempublicam vltra annos mille & centum floruiſſe profitentur; adeoque Synodi alicuius ibidem habitæ locus eſſe non potuerit. Eſt autem Concilium tale:

DOMINIS beatiſſimis, & nobis in Chriſto omni charitatis honore venerandis fratribus, Victurio & Thalaſsio Epiſcopis Perpetuus, Paternus, Albinus, Arthemius, Nunechius & Liberalis Epiſcopi. Cùm ſemper à nobis cura religionis haberi debeat in promptu, nec aliunde debeat eſſe meditatio, eo præcipuè tempore, quo nos aut voluntas aut occaſio congregarit, vt communis ex multorum collatione tractatus, cõſentiente in Chriſto ſpiritu, multarum ſententiarum auctoritate firmetur, ne per ſingularem pro arbitrij ſui qualitate definitio aut imperitiæ decipiatur errore, aut tumore præſumptionis vel iracundiæ deprauetur: & dum vnuſquiſq; ſine fratrum collatione ſuo tantùm credit arbitrio, ſtatuit quod meritò omnibus poſsit diſplicere. Itaque quoniam nos in Eccleſia Venetica cauſa ordinandi Epiſcopatus congregauit, rectum eſſe credidimus, de regula Eccleſiaſtica, quę nobis donante Domino credita eſt, & de diſtrictione, cuius curam nõ ſine culpa noſtra omittemus, habita conſultatione, vt quæ in priorũ Patrum ſtatutis vidimus omiſſa, & procedente tempore ex nimia licentia prolabente ſæculari libertate pręſumpta, ſtatutis ſaluberrimis ſanciremus. Quod in notitiam beatitudinis veſtræ, quia præſentia veſtra nobis neceſsitate faciente fraudata eſt, credimus deferendum, vt ſi probabile duxeritis, id quoque & veſtra auctoritate firmetur, & diſtrictione ſeruetur.

I. Itaque cenſemus homicidas & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatiſfactione crimina admiſſa diluerint.

II. Eos quoque, qui relictis vxoribus ſuis, ſicuti in Euangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſiue adulterij probatione alias duxerint, ſtatuimus à communione ſimiliter arcendos, ne per indulgentiam noſtram prætermiſſa peccata, alios ad licentiam erroris inuitent.

III. Pœnitentes quoque, qui ſuſceptam publicè pœnitentiam intermiſerint, & ad prioris erroris conſuetudinem reuoluti, vitæ ſe ſæculari cõuerſationiq; reddiderint, non ſolùm à communione Dominicorum Sacramentorum,

rum,

rum, ſed etiam à conuiuiis fidelium ſubmouendos.

IV. Eas etiam, quæ virginitatem profeſſæ, & benedictionem fuerint per manus impoſitionem ſub conteſtatione huius propoſiti conſecutæ, ſi fuerint in adulterio deprehenſæ, cum adulteris ipſarum arcendas à communione cenſemus.

V. Clericis aut Monachis, ſine Commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui, licentia non pateat ambulandi aut euagandi: & in omni loco, ad quem ſine epiſtolis Epiſcopi ſui (vt dictum eſt) venerint, à communione habeantur alieni.

VI. In Monachis quoque par ſententiæ forma ſeruetur. Quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri.

VII. Seruandum eſt de Monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas licet à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior ab Abbatibus regula remittatur. Quo ita demum fiet, vt intra eadem Monaſterij ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate, ſeparatas habere cellulas permittantur.

VIII. Abbatibus quoque ſingulis diuerſas cellas aut plurima Monaſteria habere non liceat, niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula collocare.

IX. Clerico, niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui, ſeruorum ſuorum ſæcularia iudicia adire non liceat. Sed ſi fortaſſe Epiſcopi ſui iudicium cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de proprietate aliqua aduerſus ipſum Epiſcopum fuerit nata contentio, aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſæcularium poteſtatum, debebit ambire: aliter, à communione habeatur alienus.

X. Clericos quoque ab Epiſcopis ordinatos, ſine permiſſu eorum à quibus fuerant ordinandi, promouere ad ſuperiorem aliquem Ordinem non præſumant, ne concordiam fraternam iniuria illata contaminet.

XI. Presbyteri, Diaconi, atq; Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, ne his cœtibus miſceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporis, choris & ſaltibus efferuntur, ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputatí, turpium ſpectaculorum atque verborum contagio polluantur.

XII. Omnes deinceps Clerici Iudęorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quiſquam excipiat: quia ſicut apud Chriſtianos cibis communibus non vtuntur, indignum atque ſacrilegum eſt, eorum cibos à Chriſtianis ſumi, cùm ea, quę Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis iudicentur immunda: ac ſi inferiores incipiant eſſe Clerici quàm Iudæi, ſi nos, quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi à nobis oblata contemnant.

XIII. Ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Nec quis poteſt liberum corporis ſui ac mẽtis habere iudicium, cùm captus vino à ſenſu probetur alienus, & procliuis ad vitium, mente labefactata, ducatur, ac plerumque poſſit peccatum aut crimen, dum neſcit, incurrere. Sed ignorantia talis non poteſt non ſubiacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. Itaq; cum quem ebrium eſſe conſtiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.

XIV. Clericus, quem intra muros ciuitatis ſuæ manere conſtiterit, & matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ęgritudinis inuentus fuerit defuiſſe, ſeptem diebus à communione habeatur extraneus: quia miniſtrum ſacrorum, eo tempore, quo non poteſt ab officio ſuo vlla honeſta neceſſitas occupare, fas non eſt à ſalubri ceſſare.

XV. Re-

Digitized by Google

XV. Rectum quoque duximus, vt vel intra Prouinciam noſtram Sacrorum & ordo pſallendi vna ſit conſuetudo, vt ſicut vnam cum Trinitatis confeſsione fidem tenemus, vnam & Officiorum regulam teneamus, ne variata obſeruatione, in aliquo obſeruatio noſtra diſcrepare credatur.

XVI. At ne fortaſſe id videatur omiſſum, quod maximè fidem Catholicæ religionis infeſtat, quòd aliquanti Clerici ſtudent auguriis, & ſub nomine confictæ religionis (quas Sanctorum ſortes vocant) diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt, in hoc quocumque Clericus detectus fuerit vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus. Incolume regnum & coronam veſtram Eccleſiæ ſuæ Deus protegat, Domini fratres.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

LXXIII. *Epiſcoporum, anno Domini* 459. *celebratum, ſub* LEONE. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI CCCCLIX. CVM Leo Imperator apud Leonem Pontificem de indicenda Vniuerſali Synodo diu fruſtra egiſſet, rogauit tandem vt à latere ſuo Legatos mitteret Conſtantinopolim, qui vnà cum Gennadio eiuſdem Sedis Antiſtite vigilantiſsimo, Eccleſias ab Eutychiana hæreſi & à labe Simoniaca expurgarent. Præſentibus igitur Domitiano atque Geminiano Epiſcopis, Apoſtolicæ Sedis à latere Legatis, Gennadius è proximioribus Prouinciis Epiſcopos 73. conuocauit. Inchoato Cōcilio, ex more, primò omnium actum eſt de firmando fidei decreto in Chalcedonenſi Concilio edito; quod hæretici frequentibus ictibus cōcutere, atque penitùs deijcere conabatur. Deinde recitatæ fuerunt ibidem omnes illæ epiſtolæ, quas & Epiſcopi Orientis & ſanctiſsimi Anachoretæ conſcripſerant. Ad tollendam Simoniacam labem, quæ Conſtantinopolitanam Eccleſiam deturparat, Canonem illum ediderunt, qui in Epiſtola Encyclica huius Concilij apud Binium extante continetur. Reliqua Acta omnia præter fragmentum à Theod. Balſamone poſt Nomocanonem, item Tom.1. Biblioth. SS. Patrum relatum, interierunt. Vide Baronium anno 459. num.1.2.3.

CONCIL. ROMANVM

XLVIII. *Epiſcoporum ſub* HILARIO *celebratum anno Domini* 467.

CAVSAM conuocandi hoc Concilium indicat Hilarius Papa epiſt.8. his verbis: *Præſidente fratrum numeroſo Concilio ex diuerſis Prouinciis ad diem natalis noſtri in honorem B.Petri Apoſtoli per Dei gratiam congregato,* &c. & epiſt. 1. *Lectis in conuentu fratrum, quos natalis mei feſtiuitas congregarat, literis veſtris, quæ de ordinandis Epiſcopis ſecundùm ſtatuta Canonum, vel prædeceſſorum meorū decreta ſunt, diſcetis.* Vnde patet, quòd cùm ad celebrādum diem creati Pontificis Hilarij 48. Epiſcopi Romam cōueniſſent, ex Hiſpania diuerſæ epiſtolæ Tarraconenſium Epiſcoporum allatæ ſunt; quarum prima Siluanum de ordinatione perperàm facta denuntiauit: altera Irenæus, quem ſibi Nundinarius iam moriturus ſucceſſorem deſignauerat, confirmari petiuit. Itaque poſtquam in nomine S.Spiritus congregati tria Decreta ad rectam ordinandorum Clericorum diſpoſitionem ſpectantia conſtituta, omniumq; acclamationibus approbata fuiſſent, conſultationes duæ, quas per duas literas Epiſcopus Tarraconenſis ex Hiſpania miſerat, in medium allatæ ſunt. Recitata eſt vtraque epiſtola. Priore loco illa quæ poſteriùs ſcripta fuerat, Nundinarij Barchinonenſis Epiſcopi & eius ſucceſſoris Irenæi cauſam continebat: poſteriore loco illa, quæ de Siluano Calaguritano Epiſcopo querelam iniuſtæ ordinationis habebat. Quid in vtro-

Digitized by Google

vtroque negotio definitum ſit, Acta declarant. In hac eadem Synodo ab Hilario Papa ad ædificationem vniuerſalis Eccleſiæ, Conſtitutionem editam fuiſſe refert Anaſtaſius in vita Hilarij his verbis: *Fecit conſtitutum de Eccleſia in Baſilica ad S. Mariam, Conſulatu Baſiliſci & Hunnerici, decimoſexto Kalendas Decembris.* Hilarius Papa epiſt. 1. Synodica fatetur, pro Siluano Epiſcopo quædam producta fuiſſe, quæ ad euitandum ſchiſma Eccleſiæ Hiſpanicæ, Pontificem ad diſpenſandum cum eodem Siluano commouerent. Quę cùm in Actis huius Concilij deſiderentur, ea mutila & non integra eſſe euidentiſſimo argumento conuincitur. Hæc Synodus vno menſe & duodecim diebus duraſſe videtur. Conſtat enim in principio Actorum, eam 15. Kalendas Decembris inchoatam, tertio Kalendas Ianuarias, quando Synodica ad Tarraconenſes reddita eſt, abſolutam fuiſſe.

In hoc CONCILIO *ordinati ſunt infraſcripti* CANONES.

1. q. 1. Nulli ſat. PRIMO, Vt Canones Nicæni Concilij, & Apoſtolicæ Sedis Decreta cuſtodiantur.

Diſt. 34. Curandũ. Secundò, Vt bigami, aut viduæ, aut corruptæ mariti ad gradus Eccleſiaſticos non accedant.

Diſt. 55. Pœnitentes, vel. Tertiò, Vt pœnitentes, aut inſcij literarum, ſiue defectu membrorum, aut deciſione aliquid minùs habentes, ad ſuperiorem Ordinem non accedant.

8. q. 1. Pleriq́ue. Quartò, Vt nullus Epiſcopus ſibi eligat ſucceſſorem, ad petitionem Epiſcoporum Tarraconenſium. Nam Epiſcopus Barchinonenſis poſt mortem ſuam velut iure hereditario voluit Irenæum ſucceſſorem in Eccleſia derelinquere.

Quibus Hilarius reſpondit ex ſententia Epiſcoporum, qui in ipſo Concilio ſunt congregati per ſubiecta Capita.

Primum, Quòd nullus ordinetur Epiſcopus ſine conſenſu Metropolitani Epiſcopi.

Secundum, Vt nullus Epiſcoporum, relicta vna Eccleſia, ad aliam tranſeat.

CONCIL. VIENNENSE

in cauſa Rogationum triduanarum ante Aſcenſionem Domini celebrandarum, à B. MAMERTO *Viennenſi Epiſcopo ſub* SIMPLICIO *Papa circa annum Chriſti 474. habitum.*

IN ciuitate Viennenſi tunc temporis inaudita ciues prodigia terruerant: nam motu terræ eximio, multarum Eccleſiarum ſubita euerſione, & ruentium palatiorum concuſſione, grauis animi deiectio incubuerat, inſtantibus prodigiis mundi terminum, & extremum Iudicij diem ſuperuenturum ſpectantibus. Porrò ibi beſtiæ multæ oberrantes, lupi, vrſi, ac cerui ingreſſi per portam ciuitatis, homines plures deuorantes, hoc per totum annum faciebant. Superuenienti ſolemni die Paſchæ S. Mamertus Viennenſis Epiſcopus, cùm in ipſa Vigilia ſacrum Myſterium celebraret, palatium quoque regale, quod editiore vrbis loco eminebat, diuino igne ſuccenſum eſt. Hanc diuinæ indignationis animaduerſionem ex offenſa hominum accidiſſe aduertentes Epiſcopi, communi conſilio decreuerunt ſeruari ieiunium, quod triduo ante Aſcenſionem Domini vſque nunc per omnes Galliarum Eccleſias agitur: ſicq́ue ipſa tribulatio atque ſubuerſio quieuit. Hæc Chron. Camerecenſ. ANNO DOMINI CCCC. LXXIV.

CONCIL. TVRONICVM I.

tempore SIMPLICII *Papæ, anno Domini 482. celebratum. Eſt Prouinciale.*

IN hoc Concilio diſciplina Eccleſiaſtica, Barbarorum incurſionibus in Galliis laxata, tredecim Canonibus eſt reformata. Fuit autem celebratum tempore Seuerini viri clariſſimi Conſulis, qui eſt Simplicij Pontificis 15. & Zenonis Imp. 9. CCCC. LXXXII.

Summa Canonum huius Concilij hæc eſt: Primùm hortatur Clericos ad caſtitatem: nam ſi laico abſtinentia imperatur, vt poſſit orationi vacans exaudiri;

diri; quantò magis Sacerdotibus, qui omni momento parati eſſe debent Sacrificium offerre pro populo cum omni munditia & puritate. Secundò hortatur eos ad abſtinentiam. Alij Canones continent regularem inſtitutionem Clericorum, quæ in aliis Conciliis poſita eſt. Et in vltimo Clericis prohibet vſuras: ſicut & aliàs eis prohibita eſt.

CONCIL. ROMANVM I. *ſub* FELICE III. *contra* ACACIVM *Conſtantinopolitanum*, *&* PETRVM FVLLONEM.

ANNO DOMINI CCCC-LXXXIII.

CVM in locum defuncti Timothei Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi Orthodoxi, communi conſenſu Epiſcoporum, Ioannem virum optimum, hominemque Orthodoxum, Timotheo in ſede Alexandrina ſuffectum, Zeno Imperator impulſu Acacij Epiſcopatu amouiſſet, eique Petrum Mogum hæreticum, anteà ſemel inde fugatum, ſubſtituiſſet; Ioannes de vi & iniuria ſibi illata proteſtatus, ad Sedem Apoſtolicam appellauit. Anno Domini 483. Romam veniens, ſuam quam interpoſuerat appellationem introducturus, & debito modo proſecuturus, Felici Papæ (Simplicium enim defunctum inuenerat) libellum iniuriarum obtulit. Quo ſuſcepto, Felix ob cauſam, qua non vnius tantùm, ſed trium præcipuarum Sedium Orientis Eccleſiarum vertebatur periculũ, Concilium ex Epiſcopis Italiæ more maiorum celebrandum eſſe putauit. Conuocatis itaque ſanctiſſimis Patribus, habita eſt ſacra Synodus, qua poſt grauiſſimas ſententias plurimorum interpoſitas, omnium conſenſu illud conſtitutum fuit, vt ad Zenonem Imperatorem Conſtantinopoli degentẽ, Legatio decerneretur, ſcriberenturq́; robuſtiſſimæ ad eum literæ, quibus de proditione Catholicæ fidei, eiuſque proditoribus querelæ ingererentur: adderet ſuas ad Acacium Conſtantinopolitanũ, quibus cum eo ab fidem non defenſam, & conuenientiam cum hæreticis expoſtularet. Præterea viſum fuit eſſe conuenientiſſimum, vt tranſmiſſa copia illius libelli, quem Ioannes Alexandrinus Pontifici obtulerat, Acacius ad ſui defenſionem in ſcripto citaretur, ſcriptoque libello rogaretur Imperator, vt Acacium ad reſpondendum querelis aduerſum ſe obiectis impelleret. Hæc omnia debito modo peracta fuiſſe, epiſtolæ Felicis ad Acacium & Zenonem, quæ nunc primùm cum prædictis libellis quibuſdam, opera Illuſtriſſ. Cardinalis Baronij in lucem prodierunt, apertè demonſtrant. Hac eadem Synodo damnatus eſt Petrus Fullo, aliàs Cnaphæus nominatus, intruſus poſt Calendionem eiectum Epiſcopus Antiochenus. Qui dum ſacro Triſagio, in omnibus Orientis Eccleſiis ex reuelatione Dei cantari conſueto, quo dicitur: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*; hanc blaſphemiam addidit, *qui paſſus es pro nobis*; quaſi ſcilicet tota ſanctiſſima Trinitas mortem ac paſſionem ſubiiſſet; ſe non tantùm Eutychianum, ſed etiam Apollinariſtam atque Sabellianum eſſe detexit. Cùm enim diceret vnam in Chriſto eſſe naturam, Eutychianum ſe prodidit. Cùm diceret carnem de cælo allatam in Verbum eſſe conuerſam, ſe Apollinaris ſectatorem profeſſus eſt. Cùm verò Patri, Filio, ac Spiritui ſancto paſſionem coniungeret, Sabellianum ſe eſſe aperuit; quoniam eo ipſo vnam tantùm totius Trinitatis perſonam eſſe aſſeruit: ſicque nefandum Theopaſchitarum errorem iamdiu antè proſcriptum, maiori cumulo reddidit. In hoc iudicio Fullonis, tres Actiones habitæ videntur; quarum prima directa eſt ad eum epiſtola Synodica, qua Põtifex confutatis ſingulis illius blaſphemis erroribus, in fine ſic eum alloquitur: *Hæc tibi ſcripſi vnà cum præſente Synodo, conueniens te coram Deo & ſanctis Angelis, vt ea doceas, & nobiſcum ſentias, vt illibata fides noſtra permaneat ad gloriam Dei.* Extat hæc epiſtola apud Binium inter epiſtolas Felicis

Felicis ordine 3. Incipit ſic: *Quis dabit capiti meo aquam?* Secunda Actione viſum fuit, ſecundas literas Commonitorias ipſi tranſmittere, minis adhibitis, vt niſi benè monentibus acquieſcat, excommunicationis & depoſitionis ſententiam ſibi infligendā præcognoſcat. Hæc conſtant ex epiſt. 4. Felicis, qua laturus in eum depoſitionis ſententiam, ſic eum alloquitur: *Nec ambulare in veritate, nec noſtris duabus epiſtolis aurem voluiſti accommodare. Nunc igitur ſum exorſus aduerſus te proferre ſententiam*, &c. Secundæ literæ Felicis ad Petrum interierunt.

Cùm duabus hiſce admonitionibus maximè paternis homo ſceleſtiſſimus necdum acquieſceret, conſilio & hortatu Patrum quadraginta duorum Romæ hac de cauſa diutiùs commorantium, Felix Pontifex excommunicationis & depoſitionis ſententiam in eum conceptam promulgauit, ſcriptaque ad eum epiſtola Synodica latam ſententiam eidem intimauit. Adiecit his Felix Papa literas ad Zenonem, monēs eum, vt caueat à communione Petri Eccleſiaſtico iudicio iam condemnati. At non Felix tantùm, ſed etiam Quintianus magni nominis Aſculanus, Iuſtinus Siciliæ, & Flauianus Rhodopenſis, Epiſcopi ex Occidente, ad Petrum Fullonem blaſphemum literas dederunt, quibus poſt refutatas illius horrendas blaſphemias, eumdem ad pœnitentiam & meliorem mentem exhortati fuerunt. Quæ epiſtolæ extant apud Binium.

CONC. CONSTANTINOP.

ſub FELICE *Papa in cauſa* PETRI FVLLONIS *Antiocheni Epiſcopi, anno Domini* 483. *celebratum.*

ANNO DOMINI CCCC-LXXXIII. PETRVS Fullo, aliàs Cnaphæus, epiſtolam quamdam blaſphemiis pleniſſimam ſcripſit ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quando eius opera expulſo Calendione, in Sedem Antiochenam inuectus fuit. Hanc cùm Acacius accepiſſet, exhorreſcens tot blaſphemiarum inuolucrum, inſtar ſerpentum mutuis ſpiris inter ſe inuicem glomerantium, quantumuis eiſdē nonnihil ſtuduiſſet, ad dementem hominem curandum, Conſtantinopoli Concilium Epiſcoporum congregauit, quo omnium Orthodoxorum vnanimi conſenſu, inſanus ille inſani Fullonis error condemnatus fuit. Hæc autem anno Domini 482. initio Pontificatus Felicis, quando in eadem cauſa Romæ haberetur Concilium, facta eſſe, certo inde deducitur argumento, quòd in ep. 4. Felicis, qua Petrus Fullo condemnatur, mentio habeatur de Acacio adhuc præſidente Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: quē tamen anno 2. Felicis, qui eſt Chriſti 484. exauctoratum eſſe conſtat. Binius.

CONCIL. ROMANVM II.

in quo Epiſcopi LXXVII. *damnatis* VITALE *&* MISENO *Sedis Apoſtolicæ Legatis, in* ACACIVM *Conſtantinopolitanum, &* PETRVM MOGVM *Alexandrinæ Sedis inuaſorem, Synodali iudicio anathematis & depoſitionis ſententiam pronuntiarunt,* PETRIQVE FVLLONIS *damnationem repetiuerunt.*

HVIC Synodo celebrandæ occaſionem præbuerunt Vitalis CCCC-LXXXIV. & Miſenus, duo Epiſcopi, Sedis Apoſtolicæ Legati. Deſtinarat eos Romana Synodus prima, vt ad inſtantiam Ioannis Antiocheni, Acacio & Zenoni Synodicas epiſtolas porrigerent; quibus ſi nihil impetraretur, Acacium citarent, oblatoque Imperatori ſcripto alio, peterent eumdem ad parendùm compelli. Cùm itaque his literis inſtructi Conſtantinopolim veniſſent, contra ius Gentium omnemque pietatem à Zenone tractati fuerunt: ereptis literis in carcerem coniecti ſunt, & ab Acacio blanditiis mellitiſque ſermonibus inducti, ipſi Acacio non tantùm communicarunt; verùm etiam nefandiſſimi Petri Mogi Alexandrinæ Sedis inuaſoris hæretici nomen in Diptychis

publicè recitari audiuerunt, & ſine vlla contradictione ſuſtinuerunt. Præuaricatio Legatorum per Monachos Orthodoxos Romam nuntiata fuit. Quibus auditis, Felix Papa in tanto rerum diſcrimine, licet Eccleſia ſub Erulis Arianis quaſi captiua videretur, maioreſque tumultus ab Eutychianis in Oriente concitatos eſſe ſciret, fideique Catholicæ Imperatorem aduerſari conſpiceret, indicit Synodum ſeptuaginta ſeptem Epiſcoporum, vt tantum nefas ex proditione Legatorũ admiſſum, omnium ſententia damnaretur, & tam ipſos proditores, quàm ad ſcelus impulſores per damnationis ſententiam percelleret. Epiſcopi ex Italia vocati properarunt ad Synodum. Qui dum ſimul in vnum congregati eſſent apud S. Petrum Apoſtolum, ſolemnibus ex more ritè peractis, præſidente Felice Papa Romano, iuſſerunt, Miſenum atque Vitalem Epiſcopos iam Conſtantinopoli reuerſos de credita ſibi Legatione rationem reddere. De tranſgreſſione & præuaricatione ſuorum mandatorum, deque inita cum hæreticis communicatione, ex literis Acacij quas ſecum detulerunt, & quorumdam præſentium teſtimonio conuicti, vna omnium ſententia, quantamuis vim, fraudes & iniurias ſibi illatas pro defenſione prætexerent, Apoſtolica communione indigni habiti, ſunt condemnati, & Epiſcopatus honore deiecti: Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ.

His peractis, alia Seſſione cognita eſt cauſa Acacij, allatiſque in medium cunctis manifeſtis ab eo perpetratis criminibus, hæreticorum participatione pollutus, omnium Epiſcoporum iudicio de hęreſi eſt condemnatus. Sub pœna excommunicationis infligendæ admonitus vt reſipiſceret, non modò non reſipuit; verùm ampliùs peruerſè agere, & contra Romanum Pontificem niti conſtituit: Ioannem illum Apameæ Epiſcopum, quem nuper ad inſtantiam ipſius Acacij cum Petro Felix Papa excommunicarat, Tyri Epiſcopum creauit: Petrum Fullonem Synodali Decreto depoſitum, etiam in Sede Antiochena confirmauit, ſuperbè nimis exiſtimans, Præſulem ampliſſimæ Conſtantinopolitanæ ciuitatis, in qua ſola Romani Imperij ſceptra vigebant, cedere non debere Romanæ Eccleſię, quæ cum Romano Imperio in Occidente humi depreſſa eſſet. Cùm igitur ipſi Romano Pontifici & ſanctæ huic Synodo ſimul innotuiſſet, Acacium more ſuo nouiſſimam admonitionem contempſiſſe, adeò vt nulla planè ſpes emendationis reliqua foret, collatis calculis, vna omnium ſententia eum cõdemnarunt, & Catholica communicatione indignũ, Epiſcopi honore priuarunt, ipſam damnationis & excommunicationis ſententiam ſcripto conceptam, teſte Liberato cap. 18. Conſtantinopolim miſerunt. Quam cùm Acacius pręſidio Imperatoris fultus acceptare nollet, ignotus quidam Monachus Acoemetenſis ad pallium Acacij, dum ad Sacra peragenda procederet, ſententiam ſuſpẽdit. Formula ſententiæ hæc eſt: *Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex ſententia præſenti, quam per tuæ tibi direximus Eccleſiæ defenſorem, Sacerdotali honore & communione Catholica, necnon etiam à fidelium numero ſegregatus: ſublatum tibi nomen & munus miniſterij Sacerdotalis agnoſce, ſancti Spiritus iudicio & Apoſtolica auctoritate damnatus, numquamque anathematis vinculis exuendus.* Exſtat apud Binium in fine Synodicæ Epiſtolæ Felicis ordine ſextæ, quæ ſic incipit: *Multarum tranſgreſſionum*, &c.

CONCIL. ROMANVM III. *triginta octo Epiſcoporum*, de LAPSIS AFRICANAE ECCLESIAE *recipiendis, celebratum ſub* FELICE III. *anno Domini* 487.

CVM poſt obitum Hunerici, Gundabundus Rex Wandalorum, teſte Iſidoro, pacem Eccleſiis donaſſet, & Catholicos ab exilio ANNO DOMINI CCCCLXXXVII.

lio primus reuocaſſet, illi qui lapſi fuerant, à Confeſſoribus poſtliminiò redditis vitabantur. Sed cùm reſipiſcentes vulneribus inflictis medicinam quærerent, Romanamque Eccleſiam, velut quamdam pharmaciam, ex qua congruum & præſentaneum antidotum ægrotantibus præpararetur, adirent; Felix Romanus Pontifex, cuius muneris eſt lapſos Sacerdotes potiſſimùm erigere, collecto triginta octo Epiſcoporum Concilio, pro qualitate vulnerum opportuna pharmaca compoſuit, eaque aliquot diuerſis capitibus diſtinxit.

Conſtitutū Cōcilij. De Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis conſtitutum eſt, vt quantumuis pœnis coacti miſerè lapſi fuerint, excluſi ab omni cœtu fidelium atq; Catechumenorum, vſque ad finem vitæ laica tantùm communione impertirentur. Reliqui inferioris Ordinis Clerici, Monachi, vel laici, triennio inter audiētes perſeuerarent: inter pœnitentes ſeptem annis ſub manibus Sacerdotum collocarentur, peregrinæ tantùm communicationis participes effecti, dum cum ſæcularibus ſine perceptione Euchariſtiæ orare permitterentur. Additum, neque pueros aut puellas, quas ætas excuſat, ſine pœnitentia ad Eccleſiam admittendos: ſed inter pœnitentes ſub manus impoſitione retineri debere, vt tandem cōmunicationis participes eſſe poſſint. Denique conſtitutum fuit, vt eiuſmodi lapſis ad Clericatum nullus vmquam aditus pateret; ſed inter laicos Catholicos tantummodò vſque ad exitum vitæ connumerari deberent.

CONCIL. ROMANVM I.

quo à ſeptuaginta Epiſcopis libri Sacri & Authentici ab Apocryphis ſunt diſcreti, ſub GELASIO, *anno Domini* 494. ASTERIO *atque* PRAESIDIO *Coſſ.*

ANNO DOMINI CCCCXCIV.

AD fidem Catholicam illibatè cuſtodiendam, diſſidia tollenda, pacemque in Eccleſia reſtituendam, Pontifex vnà cum Concilio in eo potiſſimùm laborauit, vt Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ communio, nulla vel leui macula conſperſa, illibata penitùs & impolluta, ſarta tecta in omnibus ſeruaretur. Ad hoc autem præſtandum, ſolicitiorem curam impendens, nō ſolùm vindicaſſe voluit ipſam Eccleſiam ab omnibus, vt ſemper fuit, immunem hæreſibus, atque hæreticorum conſortio; ſed vt eam redderet à prauorum ſcriptorum contagione ſecuram, omne ſtudiū adhibens, delectum habuit Eccleſiaſticorum librorum, qui hactenus editi, legi ſolerent: diſtinguens ſeparanſque, quaſi os Domini, mundum ab immundo, & ſecernens pretioſum à vili.

Cuius rei perficiendæ gratia Decretum conſtituit ab Eccleſia Catholica perpetuò ſeruandum, in quo poſt recenſitos Veteris ac Noui Teſtamenti libros Canonicos, adiecit de Primatu Eccleſię Romanæ & aliarum Patriarchalium Eccleſiarum Iuribus, ad reprimendam Conſtantinopolitanorum Antiſtitum preſumptionem, & audaciam infringēdam, qua ſe Acacius primùm, inde eius ſucceſſores aduerſus Romanam Eccleſiam proteruè nimis erexerant. *Ada ca- cus.*

Ordo librorum Veteris Teſtamenti, quem ſancta & Catholica Romana ſuſcipit & veneratur Eccleſia, digeſtus à B. GELASIO *Papa cum ſeptuaginta Epiſcopis.*

GENESIS liber vnus.
Exodi liber vnus.
Leuitici liber vnus.
Numeri liber vnus.
Deuteronomij liber vnus.
Ieſu Naue liber vnus.
Iudicum liber vnus.
Ruth liber vnus.
Regnorum libri quatuor.
Paralipomenon libri duo.
Pſalmorum 150. liber vnus.
Salomonis libri tres:
Prouerbia,
Eccleſiaſtes, &
Cantica Canticorum.
Item Sapientiæ liber vnus.
Eccleſiaſticus liber vnus.

Digitized by Google

Item ordo Prophetarum.

Iſaiæ liber vnus.
Ieremiæ liber vnus.
Cinoth, id eſt, de Lamentationibus ſuis.
Ezechielis liber vnus.
Danielis liber vnus.
Oſee liber vnus.
Amos liber vnus.
Michææ liber vnus.
Ioël liber vnus.
Abdiæ liber vnus.
Ionæ liber vnus.
Nahum liber vnus.
Habacuc liber vnus.
Sophoniæ liber vnus.
Aggæi liber vnus.
Zachariæ liber vnus.
Malachiæ liber vnus.

Item ordo Hiſtoriarum.

Iob liber vnus.
Tobiæ liber vnus.
Eſdræ liber vnus.
Eſther liber vnus.
Iudith liber vnus.
Machabæorum liber vnus.

Item ordo Scripturarum noui & æterni Teſtamenti.

EVANGELIORVM libri quatuor.
Secundùm Matthæum liber vnus.
Secundùm Marcum liber vnus.
Secundùm Lucam liber vnus.
Secundùm Ioannem liber vnus.
Actuum Apoſtolorum liber vnus.
Epiſtolæ Pauli Apoſtoli numero XIV.
Ad Romanos epiſtola vna.
Ad Corinthios epiſtolæ duæ.
Ad Galatas epiſtola vna.
Ad Theſſalonicenſes epiſtolæ duæ.
Ad Epheſios epiſtola vna.
Ad Philippenſes epiſtola vna.
Ad Coloſſenſes epiſtola vna.
Ad Timotheum epiſtolæ duæ.
Ad Titum epiſtola vna.
Ad Philemonem epiſtola vna.
Ad Hebræos epiſtola vna.
Item Apocalypſis Ioannis liber vnus.
Item Canonicæ epiſtolæ numero VII.
Iacobi epiſtola vna.
Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ.
Ioannis Apoſtoli epiſtolæ tres.
Iudæ Zelotis Apoſtoli epiſtola vna.

B. GELASII *Papæ Decretum cum* LXX. *Epiſcopis habitum de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & de Apocryphis Scripturis.*

POST Propheticas, Euangelicas, atq; Apoſtolicas Scripturas, quibus Eccleſia Catholica per gratiam Dei fundata eſt, illud etiam intimandum putamus, quòd quamuis vniuerſæ per orbem Catholicæ Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit; ſancta tamen Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis ceteris prę- lata eſt, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit, *Tu es Petrus*, inquientis, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum. Et quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Cui data eſt etiam ſocietas beatiſſimi Pauli Apoſtoli Vaſis electionis, qui non diuerſo, ſicut hæretici garriunt, ſed vno tempore, vno eodemque die, glorioſa morte cum Petro in vrbe Roma ſub Cæſare Nerone agonizans, coronatus eſt, & pariter ſupradictam ſanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemque omnibus vrbibus in vniuerſo mundo ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerũt.

Romana Eccleſia omnibus eſt prælata Domini voce.

Matth. 16.

Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes, Romana Eccleſia, non habens maculam, neq; rugam, nec aliquid huiuſmodi. Secunda autem Sedes, apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo & Euangeliſta conſecrata eſt. Ipſeque à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prędicauit, & glorioſum conſummauit martyrium. Tertia verò Sedes, apud Antiochiam eiuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, eò quòd illic, priuſquam Romam veniſſet,

Digitized by Google

niſſet, habitauit, & illic primùm nomẽ Chriſtianorum nouellæ gentis exortum eſt. Et quamuis *aliud fundamentum nullus poſſit ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*; tamen ad ædificationem noſtram eadem ſancta Romana Eccleſia poſt illas Veteris vel Noui Teſtamenti, quas regulariter ſuſcepimus, etiam has ſuſcipi non prohibet Scripturas, id eſt, ſanctam Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum, mediante maximo Conſtantino Auguſto, in qua Arius hæreticus condemnatus eſt: ſanctam Synodum Conſtantinopolitanam, mediante Theodoſio Seniore Auguſto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit: ſanctam Synodum Epheſinam, in qua Neſtorius condemnatus eſt conſenſu beatiſſimi Cæleſtini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antiſtite, & Arcadio Epiſcopo ab Italia deſtinato: ſanctam Synodum Chalcedonenſem, mediante Marciano Auguſto, & Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo: in qua Neſtoriana & Eutychiana hæreſes ſimul cum Dioſcoro eiuſque complicibus damnatæ ſunt. Sed & ſi qua ſunt Concilia à ſanctis Patribus hactenus inſtituta, poſt horum auctoritatem & cuſtodienda & recipienda, & decernimus, & mandamus. Sic in textu. Deinde ponit Indicem Auctorum probatorum, & librorum Apocryphorum, vt eſt videre apud Binium.

1. Cor. 3.

ANNOTATIO.

QVOTQVOT hoc loco enumerantur, & in Canonem ſacrorum librorum referuntur libri Veteris Teſtamenti, iidem pœnè omnes recenſiti ſunt ſuprà can. vltimo Concilij Laodicenſis, & can. 47. Concilij Carthaginenſis III. Vnde Canon Apoſtolorum 84. vtpote quo Sacri libri omittuntur, & Apocryphi in numerum Sacrorum referuntur, ſpurius eſt & illegitimus, vt ibidem oſtendimus. Veteris ac Noui Teſtamenti libros ſacros ab hæreticorum omnium calumnia doctiſſimè & copioſiſſimè liberauit Bellarminus toto libro 1. de Verbo Dei ſcripto; & Baronius Tom. 1. Annal. diuerſis in locis, S. Pauli aliaſq; Canonicas Epiſtolas cum Apocalypſi S. Ioannis Apoſtoli à furore & dementia hæreticorum vindicauit.

CONC. ROMANVM II.

quo à GELASIO *&* *Epiſcopis* LV. MISENVS *abſoluitur, anno Domini* 495. *tertio Idus Maij.*

CVM Vitalis & Miſenus Apoſtolicæ Sedis Legati, per Zenonem Imperatorem inducti, Acacio communicaſſent, & Petri Mogi Alexandrinæ Eccleſiæ inuaſoris nomen in Diptychis publicè recitari ſine contradictione audiuiſſent, ideoq; iuſto iudicio à Felice Papa in Synodali Patrum conſeſſu excommunicati fuiſſent: tandem poſt interuallum vndecim annorum, poſtque Vitalem in excommunicatione defunctum, Miſenus, gratia Dei adiutus, ad mentem rediit, ſuumq; delictum plurimùm deteſtatus, ad pœnitentiam & Eccleſiæ vnitatem recipi poſtulauit. Indicto igitur hac de cauſa Concilio, poſt cauſæ cognitionem, magno omnium applauſu humeris paſtorum impoſitus, ad ouile Chriſti, vnde annis propè vndecim aberrauerat, viciſſim reductus fuit. ANNO DOMINI CCCCXCV.

Habitum eſt hoc Synodale iudicium in Baſilica S. Petri, anno Chriſti 495. tertio Idus Maij, ſub Conſulatu viri Clar. Flauij Viatoris; qui eſt Gelaſij 4. & Anaſtaſij Imperatoris annus Imperij 5. Acta huius Concilij per Dionyſium Exiguum tranſlata fuerunt. Vide Baronium prædicto an. 495.

SYNODVS ROMANA I.

ſub SYMMACHO *Papa, Epiſcoporum* LXXII. *De tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis. Poſt Conſulatum Paulini* V.C.

CVM ad pernicioſum ſchiſma componendum, Regis ſæcularis & Ariani iudicium contra Leges & Canones Eccleſiaſticos importuna neceſſi- CCCCXCIX.

ceſſitas Eccleſiæ interpellaſſet, & iam Rex Arianus, ſuo iudicio ſchiſmate Eccleſiæ & tumultu populi ſedatis, Symmacho, vtpote qui plurium ſuffragiis electus eſſet, Sedem Apoſtolicam adiudicaſſet, iamque legitimæ cogendę Synodo locus cōceſſus eſſet, mox Symmachus Papa ad Italiæ Epiſcopos literas dedit, quibus iidem ad Synodum quamprimùm conuenire iubebantur, vt omnium etiam Epiſcoporum cognitione & iudicio approbaretur legitimus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, quem Rex Arianus ſua ſententia legitimè electum confirmauerat. Id habent Acta Concilij in principio cap. 1. Anaſtaſius in Vita Symmachi his verbis: *Papa Symmachus Synodum congregauit.* Errat igitur Theodorus Lector in Collectaneis ſuis, vbi hanc Synodum à Theodoro Rege congregatam ſcribit.

Cauſam habiti Cōcilij indicat Symmachus Pontifex cap. 2. his verbis: *Vt Epiſcopalem ambitum, & confuſionis incertum vel popularem tumultum, quem per ſurreptionem diaboli vſurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ conſtat exortum, communicato pariter tractatu in futurum poſſimus robuſtè amputare.*

Acta Concilij ſummatim recenſentur.

I. Suggeſtio Fulgentij Archidiaconi Eccleſiæ Romanæ de congreganda Synodo ex præcepto Papæ Symmachi.

II. Interlocutio Symmachi, vt Epiſcopalis ambitus radicitus amputetur.

III. Sententia Synodi, vt ſi quis, Papa ſuperſtite, pro Romano Pontificatu cuiquam quolibet modo fauorem pręſtare conuincitur, loci ſui ordine vel communione priuetur.

IV. Vt ſi Papa præuentus morte, non potuerit antè de ſui ſucceſſoris electione decernere, is ordinetur Antiſtes, quem cunctus Clerus, aut certè pars maior, elegerit.

V. Vt ſi quis ambientes, vel fautores ambientium, coniuratoreſque prodiderit, non ſolùm purgatus videatur eſſe, ſi fuerit particeps: verùm etiam remuneratione digniſſimus æſtimetur.

ANNOTATIO.

AD quartum Caput ſciendum, neminem Romanorum Pontificum poſt Petrum Apoſtolum, ſibi ſucceſſorem aliquem ſubrogaſſe, vel etiam ſubrogare tentaſſe: modeſtiæ tamen cauſa obſeruatum fuiſſe, vt decedentis Pontificis de ſucceſſore ſententia rogaretur: quem poſteà Clerus Romanus ſuo ſuffragio liberè vel approbare vel reiicere poterat, ſi ita Eccleſiæ expedire iudicaret.

SYNODVS ROMANA II.

habita anno Domini 500. in qua 115. Epiſcopi SYMMACHVM *ab obiecto crimine abſoluerunt, atque* PETRVM *Altinenſem Epiſcopum deputatum Viſitatorem condemnauerunt.*

SI QVAE Synodus ante ſequentē Tertiam habita eſt Romæ, ANNO DOMINI. illam eſſe oportet, de qua Anaſtaſius in Symmacho paucis hęc ſcribit: *Eodē tempore beatus Symmachus congregauit Epiſcopos centum quindecim, & facta Synodo purgatur à crimine: & damnatur Petrus Altinas inuaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui viuo Symmacho Epiſcopo Sedem eius peruaſerūt,* &c. Baronius exiſtimat, Secundum & Tertium Concilium opinione vulgari Romæ ſub Pontificatu Symmachi habita, Actiones dumtaxat Synodicas eſſe illius Quartæ Synodi Romanæ, quæ Palmaris nominatur. Sed cùm Acta Tertiæ & Quartę Synodi diuerſa Conſulari nota ſignata reperiantur, diuerſiſque menſibus celebrata notentur, à communi & antiquitus recepta ſententia non potui recedere. Recenſitæ Seſſiones, & Actiones diuerſæ, in Tertia Synodo habitæ fuerunt. Prælocutio Symmachi coram Synodo Quarta, de rebus Tertio Concilio tractatis habita, id quod accuratiſſimus Annalium Scriptor intendit, apertiſſimè demonſtraret, ſi non iidem propè Epiſcopi vtriq; Synodo interfuiſſent. *Fraternitas veſtra Eccleſiaſticis legibus obſecuta,* inquit, *quę erant*

erant ſtatuenda definiuit. Et rectè. Præſentes enim aderant ferè omnes illi, quibus auctoribus Decretum illud promulgatum fuerat. Nulla igitur valdè vrgens adfertur ratio, quæ me cogat fateri, Tertiam Synodum, Synodicam dumtaxat Actionem eſſe Quartæ Synodi Palmaris: proinde ſi illa Tertia verè tertia eſt, inter Primam & Tertiam hanc celebratam fuiſſe, neceſſum eſt affirmare.

Acta huius Concilij exciderunt.

SYNODVS ROMANA III.

ſub SYMMACHO *Papa in cauſa eiuſdem* SYMMACHI *congregata anno* 501. AVIENO SENIORE *&* POMPEIO *Conſulibus*.

ANNO DOMINI D. I. CVM Eccleſiæ Romanæ ſtatus præſentia Theodorici Regis aliquantiſper quieuiſſet, ea ſchiſmaticorum ſpe, quòd fauore Principis, Symmachum Papam falſis calumniis circumuentum deponendum ſperaſſent: tandem vbi Regem æqui amantiſſimum nihil de cauſa Symmachi decernere, ſed ex ſententia Epiſcoporum, qui conuenerant, definiri velle cognouiſſent, furore perciti, ad violentiam conuerſi, cędibus omnia miſcere ſunt ingreſſi. Intereà verò Rex Theodoricus, interpellatione Catholicorum, & aliorum qui erant in Vrbe Symmacho fauentium Senatorum, de cogenda Synodo cogitat. Cùm verò ſciret, non eſſe ſuarum partium Orthodoxos Antiſtites ad Synodum conuocare, ſibi nihil plus æquo tribuens, regia via incedens, more Maiorum, ipſius Symmachi Papæ auctoritate id perficiendum curauit, & ab ipſo Pontifice literas ea de re dari voluit, ac præcepit. Hæc ita ſe habere, non tantùm conſtat ex Actis Synodalibus, verùm etiam ex illis Theodorici aliorumque Epiſcoporum literis, quæ in hac cauſa vltrò citroque tranſmiſſæ fuêrunt: quæ apud Binium extant.

SYNODVS ROMANA IV.

ſub SYMMACHO, *aliàs* PALMARIS *appellata, qua, electione* SYMMACHI *confirmata*, *Regis* ODOACRI *lex, Eccleſiaſticæ libertati & Pontificis electioni repugnans, eſt abrogata, anno Domini* 502. AVIENIO IVNIORE *Conſulatum agente*.

SYNODVS hæc Palmaris dicta eſt, quia Concilium hoc in Baſilica S. Petri, ad quam Pontifex ab aduerſariis lapidibus impetitus ſe recepit, celebratum, denominata à porticu eiuſdem Baſilicæ, quæ Palmaria dicebatur; de qua Anaſtaſius in Honorio Papa hæc habet: *In porticu B. Petri Apoſtoli, quæ appellatur ad Palmaria*, &c. D. II.

In hac ergo Synodo Primùm confirmata eſt electio Symmachi Papæ à ſchiſmaticis ſæpiùs calumniata. Deinde Regis Odoacri lex libertati Eccleſiaſticæ & electioni Pontificis repugnans, abrogatur. Ipſe enim Odoacer Rex Erulorum & Italiæ, poſt obitum Simplicij, quando Sedes Apoſtolica vacabat, anno Domini 483. ſuaſu ac monitu, vt aiebat, eiuſdem Simplicij, duas per Baſilium Præfectum Pretorio leges tulerat: Vnam, Ne abſque conſultatione & conſenſu Regis Italiæ electio Summi Pontificis fieret: Alteram, qua bona Eccleſiæ non neceſſaria diſtrahi, & in vſus pios conuerti mãdabat, quæque prędia Eccleſiaſtica alienari prohibebat. Vtraque Conſtitutio laici Principis iure meritoque eſt irritata: prior, quòd Canonibus ſacrorum Conciliorum repugnaret: poſterior, quòd ab incompetente Legiſlatore profecta, nulláque Summi Pontificis ſubſcriptione munita eſſet. Quibus irritatis, legitima deinceps Patrum auctoritate conſtitutum ac declaratum fuit, quid de alienatione bonorum Eccleſiæ teneri & obſeruari deberet. Vide Baronium anno 483. num. 10. & 11. Tertiò demum in hac eadem Patrum corona, Anaſtaſij

Digitized by Google

ſij Imperatoris hęretici cauſa in mediũ propoſita, communi omnium conſenſu Imperator impius à Symmacho excommunicatus fuit. Hæc ex epiſtola Symmachi Apologetica ad Imperatorem ſcripta apertè conſtant, licet Acta Synodalia horum non meminerunt. Baronius anno 502. num. 30. vbi poſt alia hæc demum ſubiungit: Quid prætereà hîc Symmachus Papa egerit, accipe ex Theodoro Lectore, dum ait: *Symmachus Papa Laurentium iterùm intruſum deponi, & iterùm in exilium mitti curauit; quo facto, quieuit ſeditio.*

Animaduerſione tamen indiget id quod legitur in cap. 2. huius Synodi vbi ſic habetur non longè à principio: *Tamen admonitione beatiſſimi viri Papa noſtri Simplicij hoc nobis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum* (meminiſtis) *vt propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire cõtigerit, non ſine noſtra conſultatione cuiuſlibet celebretur electio.* Hoc, inquam, animaduerſione dignum eſt: non enim eſt putandum, voluiſſe Simplicium, ſine conſenſu Regis Italiæ Pontificem eligi non debere: ſed fortaſſe rogaſſe, vt ad comprimendas turbas & ad vitanda diſſidia, electioni dumtaxat ſucceſſoris Rex præſtò eſſe non grauaretur. Baronius anno 483. num. 11.

SYNODVS ROMANA V.

ducentorum octodecim Epiſcoporum ſub SYMMACHO *Papa, tempore* THEODORICI *Regis, Indictione nona, anno Domini* 503. *celebrata.*

ANNO DOMINI D.III.

CONCILIVM hoc celebratum & congregatum eſt hac occaſione: Schiſmatici ſuperiore Concilio condemnati, qui delictum ſuum deteſtari, & ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ redire debuiſſent, linguis & calamis ſuperioris anni Concilium perſtrinxerunt, editoque aduerſus prædictam Synodum libello, eam atrociſſimis iniuriis & contumeliis proſciderunt. Titulus libello pręnotatus fuit iſte: *Aduerſus Synodi abſolutionem.* Vt ergo Decreta legitimè ſancita cõfirmarent, Epiſcopi iterùm coëuntes, prouinciam maximi ponderis tradiderunt Ennodio Diacono, vt aduerſus obiectiones Schiſmaticorum Apologeticum libellum ſcriberet, ſcriptumque ſanctæ Synodo legendũ offerret. Quod cùm ille prǽſtitiſſet, libellum in pleno omnium Patrum conſeſſu recitatum, & magno applauſu approbatum, non tantùm inter Acta Synodalia, verùm etiam inter Pontificia Decreta adnumerari prǽceperunt. Deinceps, cùm omnes Epiſcopi accuſatores Symmachi & Palmaris Synodi condemnari poſtulaſſent, Symmachus Papa iiſdem Domini exemplo ignoſcendum eſſe perſuaſit. Reformatum eſt etiam illud antiquum Decretum, Ne extra cauſam fidei populus Epiſcopum ſuum accuſet: quódve reſtituendi ſint ſpoliati Epiſcopi, antequam coram aliis Epiſcopis cauſam dicere cogantur.

SYNODVS ROMANA VI.

ſub SYMMACHO *Papa habita tempore* THEODORICI *Regis, ſub die Kalendar. Octobr. de inuaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.*

HOC Concilio decretum eſt, vt inuaſores bonorum Eccleſiaſticorum, niſi ea reſtituerint, velut manifeſti hæretici anathematizentur: neque aliter quàm per ſatisfactionem ad communionem Eccleſiæ admittantur. Additum eſt, eadem ſententia teneri omnes, qui facultates Eccleſiæ ſub ſpecie largitatis Regiæ obtinuiſſent, eò quòd Regum non ſit de bonis Eccleſiæ decernere. Nec licere Imperatori vel Regi, contra diuina mandata & Patrum conſtituta, ſibi aliquid quouis modo vſurpare. Paruit Decreto Concilij Rex Theodoricus. Teſtatur enim Caſſiodorus Variarum lib. 2. epiſtola 29. quòd interpellatus ab Euſtorgio Iuniore Epiſcopo pro bonis Eccleſiæ Mediolanenſis,

ſis, hæc reſcripſerit: *Quamuis nullos velimus grauamen aliquod ſuſtinere, quos videtur pietas noſtra protegere (quia regnantis eſt gloria, ſubiectorum otioſa tranquillitas) tamen ſpecialiter Eccleſias ab omni iniuria cupimus reddi alienas, quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia Diuinitatis acquiritur. Et ideò beatiſſimi viri Euſtorgij Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, vt prædiis vel honoribus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis, tutionem ſtudeas ſalua ciuilitate præſtare: nec à quoquam cuiuſlibet rationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Diuinitatis intuitu ſubleuari.* Huic veritati certiſſimam fidem faciunt, quę apud Caſſiodorum Variarum lib. 4. epiſt. 17. poſteà reſcripſit de poſſeſſionibus Eccleſiæ Narbonenſis, & alia Reſcripta, quę dedit pro defenſione bonorum & iurium Eccleſiarum. Præſtitit hac in re Princeps Arianus, quod in pluribus Orthodoxis Regibus (prô dolor!) etiamnum deſideratur. Sed conſecutus eſt in hac vita præmium, quia Dei voluntate frequenter contra hoſtes glorioſè triumphauit.

CONCILIVM BYZACENVM AFRICÆ

eo tempore quo perſecutio per TRASAMVNDVM *Regem excitabatur, anno Domini nimirum 504. celebratum, de ſubrogandis nouis Epiſcopis.*

ANNO DOMINI D.IIII. CVM Traſamundus Rex Byzacenæ Prouinciæ in Africa præcepiſſet, ne quis in locum defuncti Antiſtes ſubrogaretur, eo quidem conſilio, vt abſque exerto ad perſequendum gladio, ipſæ Orthodoxorum Eccleſiæ aliquo temporis ſpatio paſtoribus orbatæ, vniuerſæ ſua ſponte conciderent: cumque ex eo eiuſdem Prouinciæ Epiſcopi Orthodoxi breui temporis ſpatio fore proſpicerēt, vt iuſſu Regis prohibentis, defunctis Epiſcopis nouos ſubrogari, areſcentibus truncis abſque palmitibus, omnes Eccleſiæ deſolarentur, hoc Concilium indixerunt, quo ſanctiſſimi Patres magno numero congregati vna omnium ſententia decreuerunt, vt non obſtante Principis mandato, omnibus Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopi conſtituerentur, idque confeſtim opere expleuerunt.

Quæ autem ex his acciderint, in ipſis S. Fulgentij rebus geſtis extant apud Surium die 1. Ianuarij, & ab eodem rerum inſpectore his verbis accuratè narrantur: *Poſtquam verò ſacra turba Pontificum qui remanſerant, communicato inter ſe conſilio definierunt, aduerſus præceptum Regis in omnibus locis celebrare Ordinationes Pontificum: cogitantes aut Regis iracundiam, ſi qua forſan exiſteret, mitigandam, quo faciliùs ordinati in ſuis plebibus viuerent, aut ſi perſecutionis violentia naſceretur, coronandos etiam fidei confeſſione, quos dignos inueniebant promotione: miniſterium verò ſuum faciliùs impleturos, atque in ipſas tribulationes propriis plebibus ſolatia præſtituros. Fit repentè communis aſſumptio: Preſbyteros, Diaconos, & ſi quos inueniret electio, rapere, benedicere, & conſecrare certatim in locis ſingulis properantibus, ne in tali ſtudio aliquis aut tardus, aut nouiſſimus videretur.* Hæc Fulgentius de Epiſcopis Byzacenæ Prouinciæ. Perſecutionem Africanam cœpiſſe anno 504. probat Baronius ibidem num. 23.

CONCIL. AGATHENSE

tempore SYMMACHI *Papæ, tertio Idus Septemb.* MESSALA *Conſule, cui interfuerunt Epiſcopi triginta quinque. Eſt autem Prouinciale.*

HOC Concilium permiſſu Alarici Regis Ariani, auctoritate Cæſarij Arelatenſis Prouinciæ Primatis congregatum eſt, ad collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam in vigorem priſtinum reſtituendam: quod Patres Concilij in Præfatione ipſius Concilij indicant his verbis: *De diſciplina, & Ordinationibus Clericorum atque Ponti-* D.VI.

Pontificum, vel de Eccleſiarum vtilitatibus tractaturi.

Huic Concilio præſediſſe Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, non tantùm ex prima nominis Cæſarij ſubſcriptione apertè colligitur, verùm etiam manifeſtis verbis indicatur cap. 73. Concilij Meldenſis, vbi Canon, qui ſic habet: *Sanctus Cæſarius Eccleſiæ Arelatenſis cum aliis triginta quinque Epiſcopis: omnes inquiunt, Deinceps Clerici ſiue laici Iudæorum conuiuia euitent*, &c. ad verbum in prædicto Meldenſi Concilio allegatus, eſt huius Concilij quadrageſimus.

Fuit autem celebratum Conſule Meſſala, anno nimirum Christi 506. qui eſt Symmachi Papæ 8. Anaſtaſij Imperatoris 16. Theodori in Italia regnantis 14. & Alarici Gothorum Regis Ariani in Gallia regnantis annus regni, qui in fine Actorum huius Concilij notatus habetur, vigeſimus ſecundus.

CONCILII AGATHENSIS *exordium.*

CVM in Dei nomine ex permiſſu Regis in Agathenſem ciuitatem ſancta Synodus conueniſſet, & in ſancti Andreæ Baſilica conſediſſemus, ibique flexis genibus in terra, pro regno eius, pro longæuitate populi Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis promiſerat poteſtatem, regnum eius Dominus felicitate extenderet, iuſtitia gubernaret, virtute protegeret, de diſciplina & ordinationibus Clericorum atque Pontificum, vel de Eccleſiarum vtilitatibus tractaturi, in primis id placuit, vt Canones & Statuta Patrum per ordinationem legerentur. Quibus lectis,

CAP. I.

De bigamis Clericis, vt non miniſtrent.

PLACVIT de digamis, aut internuptarum maritis, quamquam aliud Patrum Statuta decreuerint, vt qui huc uſque ordinati ſunt, habita miſeratione, Presbyteri vel Diaconi nomen tantùm obtineant: officiū verò conſecrandi Presbyteri, & miniſtrandi huiuſmodi Diacones non præſumant.

CAP. II.

De contumacibus Clericis, & ad officium tardis.

CONTVMACES verò Clerici (prout dignitatis ordo permiſerit) ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia, communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint; peregrina eis communio tribuatur, ita vt, cùm eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula, gradum ſuum dignitatemque ſuſcipiant. Diſt. 50. Contumaces Clerici.

CAP. III.

De Epiſcopis, qui vel innocentes, vel pro minimis cauſis aliquos excommunicant.

EPISCOPI verò, ſi Sacerdotali moderatione poſtpoſita, innocentes, aut minimis cauſis culpabiles, excommunicare præſumpſerint, aut ad gratiam feſtinantes*, recipere fortaſſe noluerint, à vicinis Epiſcopis cuiuſlibet Prouinciæ literis moneātur. Et ſi parere noluerint, communio illis vſque ad tempus Synodi à reliquis Epiſcopis non denegetur: ne fortè propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore, morte præueniantur. 11. q. 3. Epiſcopi ſi. * ad reconciliationē cum ſuo Epiſcopo

CAP. IV.

De his, qui ſuas vel propinquorum oblationes Eccleſiæ defraudant.

CLERICI etiam, vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donauerunt Eccleſiis vel Monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, excludantur Eccleſiis. 13. q. 2. Clerici, vel ſæculares.

CAP. V.

Si Clericus furtum Eccleſiæ fecerit.

SI QVIS Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

CAP. VI.

Si Epiſcopo à quibuſlibet quidquam fuerit derelictum.

PONTIFICES verò, quibus in ſummo Sacerdotio conſtitutis, ab extraneis dum- 12. q. 3. Pontifices, quibus.

Digitized by Google

dumtaxat aliquid, aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratim, aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille qui donat, pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur; non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ inter facultates Eccleſiæ computabunt: quia iuſtum eſt, vt, ſicut Sacerdos habet quod Eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & Eccleſia habeat, quod relinquitur Sacerdoti. Sanè quidquid per fideicommiſſum aut Sacerdoti aut Eccleſiæ fortaſſe dimittitur, cuicumque alij poſtmodum profuturum, id inter facultates ſuas Eccleſia computare aut retinere non poterit.

CAP. VII.

De rebus Eccleſiæ, quomodo ab Epiſcopis habeantur; & de ſeruis Eccleſiæ, qualiter ab Epiſcopo manumittantur.

10.qu.2. Caſellas. CASELLAS vel mancipiola Eccleſiæ, Epiſcopi (ſicut priſca Canonum præcepit auctoritas) vel vaſa miniſterij, quaſi commendata fideli præpoſito, in integro Eccleſiæ iure poſſideant, id eſt, vt neque vendere, neque per quoſcumque contractus res, vnde pauperes viuunt, alienare præſumant. Quòd ſi ne-
10.qu.2. Quod ſi neceſſitas. ceſſitas certa compulerit, vt pro Eccleſiæ augmento, aut neceſſitate, aut vtilitate, vel vſufructu, vel indirecta venditione aliquid diſtrahatur, apud duos vel tres comprouinciales vel vicinos Epiſcopos, cauſa, qua neceſſe ſit vendi, primitus comprobetur, vt habita diſcuſſione Sacerdotali, eorũ proſcriptione, quæ facta fuerit venditio, roboretur. Aliter facta venditio, vel tranſactio,
10.qu.2.Si quos. non valebit. Sanè, ſi quos de ſeruis Eccleſiæ benemeritos ſibi Epiſcopus libertate donauerit, collatam à ſucceſſoribus libertatem placuit cuſtodiri, cum hoc, quod eis manumiſſor in libertatem contulerit, quod tamen iubemus viginti ſolidorum numerum & modum in terrula, vel vineola, vel hoſpitiolo tenere. Quod ampliùs datum fuerit, poſt manumiſſoris mortem Eccleſiæ reuocetur. Minuſculas verò res, aut Eccleſiæ minùs vtiles, peregrinis vel Clericis, ſaluo iure Eccleſiæ, in vſum præſtari permittimus.

CAP. VIII.

De Clericis qui ad ſæculares confugiunt.

ID etiam placuit, vt ſi Clericus relicto officio ſuo, propter diſtrictionem ad ſæcularem Iudicem fortaſſe confugerit, & is, ad quem recurrit, ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſiæ communione pellatur. 11.qu.3. Placuit, vt Clerici.

CAP. IX.

De Preſbyteris & Diaconibus, qui ad coniugalem coitum reuertuntur.

PLACVIT etiam, vt ſi Presbyteri vel Diaconi coniugati ad torum vxorum ſuarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Epiſcopi auctoritas, quæ eſt his Canonibus inſerta, ſeruetur. Quòd ſi ad aliquos Formula illa Eccleſiaſticæ vitæ, pariter & diſciplinæ, quæ à Siricio Epiſcopo ad Prouincias commeauit, nõ probabitur perueniſſe; eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cetero penitùs incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in quibus inuenti fuerint, ſic retineant, vt ad potiora eis non liceat aſcendere. Quibus in beneficio eſſe debet, quòd locum ipſum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem ſciſſe Formam viuendi miſſam à ſancto Siricio Epiſcopo detegantur, neque ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe; illi ſunt modis omnibus ſubmouendi, eò quòd poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem. D.81.Propoſuiſti.

CAP. X.

Vt nullus Clericorum cum extraneis feminis habitet.

ID etiam ad cuſtodiendam vitam & famam ſpeciali ordinatione præcipimus, vt nullus Clericorum extraneæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate iungatur. Et non ſolùm in domo illius extranea mulier non accedat, ſed nec ipſe frequentandi extraneam mulierem habeat poteſtatem, ſed cum matre tantùm, ſorore, filia, aut nepte, ſi

Digitized by Google

habuerit, aut voluerit, viuendi liberam habeat poteſtatem. De quibus nominibus nefas eſt aliud, quàm natura conſtituit, ſuſpicari.

CAP. XI.

Vt nullus Clericus in cellario vel in ſecreto feminam intromittat.

ANCILLAS vel libertas à cellario, vel à ſecreto miniſterio, & ab eadem manſione in qua Clericus manet, placuit remoueri.

CAP. XII.

Vt omni Quadrageſimæ Sabbato ieiunetur.

De Cōſec. d. 3. Placuit vt omnes.

PLACVIT etiam, vt omnes Eccleſiæ filij (exceptis diebus Dominicis) in Quadrageſima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione & diſtinctionis comminatione ieiunent.

CAP. XIII.

Vt Symbolum ante octo dies Paſchæ competentibus prædicetur.

De Conſ. d. 4. Symbolum.

SYMBOLVM etiā placuit, ab omnibus Eccleſiis vna die, id eſt ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis, publicè in Eccleſia competētibus prędicari.

CAP. XIV.

Vt Altare & benedicatur & vngatur.

De Conſ. d. 4. Altaria.

ALTARIA placuit non ſolùm vnctione chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari.

CAP. XV.

Qualiter maiores, qualiter minores pœnitentiam accipiant.

D. 50. Pœnitentes.

POENITENTES, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à Sacerdote (ſicut vbique conſtitutum eſt) conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abiiciantur. Et niſi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam pœnitentia non facilè committenda eſt, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non eſt negandum.

CAP. XVI.

Qua ætate Diacones ordinentur.

D. 77. Epiſcopus benedictionem.

EPISCOPVS benedictionem Diaconatus minoribus quàm viginti quinque annorum penitùs non committat. Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteà qui pariter conuerſi fuerint, ordinentur.

CAP. XVII.

Qua ætate Epiſcopi vel Preſbyteri conſecrentur.

D. 77. Epiſcopus benedicend.

PRESBYTERVM verò vel Epiſcopum, ante triginta annos, id eſt, antequam ad viri perfecti ætatem perueniat, & Diaconos ante vigintiquinque, nullus Metropolitanorum ordinare præſumat, ne per ætātem (quod aliquoties euenit) aliquo errore culpentur.

CAP. XVIII.

De laicis quibus temporibus communicare debeant.

De Cōſec. d. 2. Saeculares.

SAECVLARES, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CAP. XIX.

De Sanctimonialibus, qua ætate velentur.

SANCTIMONIALES, quantumlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.

CAP. XX.

De Clericis, qui comam nutriunt.

D. 23. Clerici qui.

CLERICI qui comam nutriunt, ab Archidiacono (etiam ſi noluerint) inuiti detondeantur. Veſtimenta etiam vel calceamenta eis, niſi quæ religionem deceant, vti aut habere non liceat.

CAP. XXI.

Vt ſolemnitates maiores in ciuitatibus celebrentur.

De Cōſec. d. 1. Si quis eſſet.

SI QVIS etiam extra Parochias, in quibus legitimus eſt ordinariuſque conuentus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Feſtiuitatibus, vt ibi Miſſas teneat propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus: Paſcha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Aſcenſione Domini, Pentecoſte,

Digitized by Google

tecoſte, & Natali S. Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in Feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus aut in Parochiis teneant. Clerici verò, ſi qui in Feſtiuitatibus, quas ſuprà diximus, in Oratoriis (niſi iubente aut permittente Epiſcopo) Miſſas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

CAP. XXII.

Vt non liceat Preſbyterum aut Clericum rem Eccleſiæ vendere aut donare.

12. qu. 2. Statuimus. ET licet ſuperfluum ſit, de re nota & antiquis Canonibus prohibita aliquid iteratò definire, attamen quò faciliùs cupiditas aut improbitas reprimatur, id ſtatuimus, quod omnes Canones iubent, vt ciuitatenſes ſiue Diœceſani Presbyteri vel Clerici, ſaluo iure Eccleſiæ, rem Eccleſiæ, ſicut permiſerunt Epiſcopi, teneant, vendere autem aut donare penitùs non præſumant. Quòd ſi fecerint vel fecerunt, & facta venditio non valebit, & de facultatibus (ſi quas habent proprias) indemnem Eccleſiam reddant, & communione priuentur.

CAP. XXIII.

Vt Clericus minor ſeniori non præponatur.

D. 75. Epiſcoporum etiam. EPISCOPORVM etiam, quorum vita non reprehenditur, poſteriorem priori nullus præponat, niſi fortè elatus ſuperbia, quod pro neceſſitate Eccleſiæ Epiſcopus iuſſerit, implere contemnat. Sanè ſi officium Archidiaconatus, propter ſimpliciorem naturam implere aut expedire nequiuerit, ille loci ſui nomen teneat, & ordinationi Eccleſiæ, quem elegerit Epiſcopus, præponatur.

CAP. XXIV.

De expoſitis inuentis.

DE expoſitis id obſeruandum, quod iam dudum Synodus ſancta conſtituit.

CAP. XXV.

De ſæcularibus, qui ſuas vxores derelinquunt.

32. qu. 2. Sæculares. & in Côc. Carthag. cap. 30. SI verò ſæculares, qui coniugale conſortium ſine culpa grauiori dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidij probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt, vt aut illicita aut aliena præſumant, ſi antequam apud Epiſcopos comprouinciales diſsidij cauſas dixerint, & priùs vxores, quàm iudicio damnentur, abiecerint, à communione Eccleſiæ, & ſancto populi cœtu (pro eo quòd fidem & coniugia maculent) excludantur.

CAP. XXVI.

Vt ſi voluntariè Clericus damnum Eccleſiæ fecerit, & ſatisfaciat, & excõmunicetur.

SI QVIS de Clericis documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut aduerſariis fortaſſe tradere, damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quidquid per abſentiam documentorum, damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione priuetur. Hi etiam, qui in damno Eccleſiæ impiè ſollicitati, à traditoribus aliquid acceperint, ſuperiori ſentẽtia teneantur. 12. q. 2. Si quis de Clericis.

CAP. XXVII.

Vt Monaſterium nouum, inconſulto Epiſcopo, nullus conſtituat de Monachis.

MONASTERIVM nouum, niſi Epiſcopo aut permittente, aut probante, nullus incipere aut fundare præſumat. 18. qu. 2. De Monachis. Monachi etiam vagantes, ad officium Clericatus niſi eis teſtimonium Abbas ſuus dederit, nec in ciuitatibus nec in Parochiis ordinentur. 16. qu. 1. Monachi vagantes. Monachum niſi Abbatis ſui aut permiſſu, aut voluntate, ad alterum Monaſterium commigrantem, nullus Abbas ſuſcipere aut retinere præſumat: ſed vbicumque fuerit, Abbati ſuo auctoritate Canonum reuocetur. 20. qu. 4. Monachũ niſi. Si enim neceſſe fuerit, Clericum de Monachis ordinari, cum conſenſu & voluntate Abbatis præſumat Epiſcopus.

CAP. XXVIII.

Vt Monaſteria puellarum procul à Monachis conſtituantur.

MONASTERIA puellarum, longiùs à Monaſteriis Monachorum aut 18. q. 2. Monaſteria puellar.

Nn 2 pro-

Digitized by Google

propter inſidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum, collocentur.

CAP. XXIX.

De libertis, vt in neceſſitate ab Eccleſia tueantur.

Diſt. 17. Libertos. LIBERTOS, legitimè à dominis ſuis factos, Eccleſia (ſi neceſſitas exegerit) tueatur. quos ſi quis ante audientiam aut peruadere, aut expoliare præſumpſerit, ab Eccleſia repellatur.

CAP. XXX.

Vt poſt Antiphonas, Orationes dicantur.

De Conſ. d. 5. Conuenit. ET quia conuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, ſicut vbique fit, vt poſt Antiphonas, Collectiones per ordinem ab Epiſcopis vel Presbyteris dicantur, & Hymni matutini vel veſpertini decantentur diebus omnibus, & in Concluſione Matutinarum vel Veſpertinarum & Miſſarum, poſt Hymnos Capitella de Pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione mittatur.

CAP. XXXI.

De his, qui propter odium ad pacem non reuertuntur.

D. 90. Placuit etiam. PLACVIT etiam, vt (ſicut pleruma; fit) quicumque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem reuocari diutina intentione nequiuerint, à Sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur. Qui ſi inimicitias deponere, pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione pellantur.

CAP. XXXII.

Vt Clericus, inconſulto Epiſcopo, ad Iudicem ſæcularem non pergat.

1. qu. 1. Clericorũ nullus. CLERICVS nec quemquam præſumat apud ſęcularem Iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare. Sed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere. Si quis verò ſæcularium per calumniam Eccleſiam aut Clerum fatigare tentauerit, & conuictus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & à Catholicorum communione (niſi dignè pœnituerit) coërceatur.

CAP. XXXIII.

Si Epiſcopus, heredes non habens, Eccleſiam, cui præfuit, heredem non fecerit.

EPISCOPVS, qui filios aut nepotes non habẽs, alium quàm Eccleſiam reliquit heredem, ſi quid de Eccleſia, non in Eccleſię cauſa aut neceſſitate inſumpſerit, quod diſtraxit aut donauit, irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis quæ reliquit, ab heredibus eius indemnitatibus Eccleſiæ conſulatur. 12. q. 1. Epiſcopus qui.

CAP. XXXIV.

De Iudæis qui conuerti cupiunt, qualiter ſuſcipiantur.

IVDAEI (quorum perfidia frequenter ad vomitum redit) ſi ad legem Catholicam venire voluerint, octo menſes inter catechumenos Eccleſię limen introëant; & ſi pura fide noſcuntur venire, tum demum Baptiſmatis gratiam mereantur. Quòd ſi caſu aliquo periculum infirmitatis intra pręſcriptum tempus incurrerint, & deſperati fuerint, baptizentur. De Conſ. d. 4. Iudæi.

CAP. XXXV.

Si Epiſcopus à Metropolitano admonitus, pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.

SI Epiſcopus Metropolitanus ad comprouinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinem Summi Pontificis, aut ad Synodum inuitet, poſtpoſitis omnibus (excepta graui infirmitate corporis, aut pręceptione regia) ad cõſtitutum diem adeſſe non differant. Quòd ſi defuerint (ſicut priſca Canonum pręcepit auctoritas) vſque ad proximam Synodum, charitate fratrum, & Eccleſiæ communione priuentur. D. 18. Si Epiſcopus. In Arel. II. c. 19. & in Vaſion. c. 19.

CAP. XXXVI.

Vt ſtipendia Clericorum iuxta meritum diſtribuantur.

CLERICI etiam omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecun- 1. q. 2. Clerici.

Digitized by Google

cundùm ſeruitij ſui meritum vel ordinationem Canonum, à Sacerdotibus conſequantur.

CAP. XXXVII.

De homicidis & falſis teſtibus.

14. q. 3. Itaque. ITAQVE cenſuimus, homicidas & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina diluerint.

CAP. XXXVIII.

Vt, ſine Epiſcopi ſui epiſtola, non liceat Clericum vel Monachum proficiſci. Et de Monachis vel Abbatibus.

20. q. 4. Monachū. CLERICIS ſine Commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui, licentia non pateat euagandi. In Monachis quoque præſentis ſententiæ forma ſeruetur. Quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri. Seruandum quoque de Monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem, aſperior ab Abbatibus regula permittatur. Quod ita demum fiet, vt intra eadem Monaſterij ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate ſeparatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque ſingulis diuerſas cellulas aut plura Monaſteria habere no liceat, niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula collocare.

CAP. XXXIX.

Vt Clerici nuptialia vitent conuiuia.

D. 34. Presbyteri. PRESBYTERI, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia. Nec his cœtibus miſceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati, turpiũ ſpectaculorum atque verborum contagione polluãtur.

CAP. XL.

Ne Chriſtiani Iudæorum vtantur conuiuiis.

28. q. 1. Omnes deinceps. OMNES deinceps Clerici ſiue laici, Iudæorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quiſquam excipiat, quia cùm apud Chriſtianos cibis communibus non vtantur, indignum eſt atque ſacrilegum, eorum cibos à Chriſtianis ſumi: cùm ea, quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis iudicentur immunda; ac ſi inferiores incipiant eſſe Chriſtiani quàm Iudæi, ſi nos, quæ ab illis ponuntur, vtamur; illi verò à nobis oblata contemnant.

CAP. XLI.

Vt à Clericis vitetur ebrietas.

ANTE omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Itaque eum quem ebrium fuiſſe conſtiterit, (vt ordo patitur) aut triginta dierum ſpatio communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. D. 35. Ante omnia.

CAP. XLII.

De ſortilegis vel auguratoribus, vt ab Eccleſia ſeparentur.

AC ne id fortaſſe videatur omiſſum, quod maximè fidem Catholicæ religionis infeſtat, quòd aliquanti Clerici ſiue laici ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis, per eas quas Sanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitẽtur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittũt. Hoc quicumq; Clericus vel laicus detectus fuerit vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus. 26. q. 5. Aliquanti.

CAP. XLIII.

Ne de pœnitentibus Clericus ordinetur, & vt Presbyter Altare non erigat.

DE pœnitentibus id placuit obſeruare, quod ſancti Patres noſtri Synodali ſententia cenſuerunt, vt nullus de his Clericus ordinetur: & qui iam ſunt per ignorantiam ordinati, aut ſunt bigami, aut internuptarum mariti locum teneant. Miniſtrare Diaconus, conſecrare Altare Presbyter non præſumat. In Conc. Arel. II. c. 25. 26. q. 6. Miniſtrare Diacon.

CAP. XLIV.

Presbyter benedictionem populo, vel pœnitenti, in Eccleſia dare non præſumat.

BENEDICTIONEM ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in

in Eccleſia benedicere, Presbytero penitùs non liceat.

CAP. XLV.

Epiſcopus exiguum aliquid, ſine Clericorum conniuentia (ſi neceſſe fuerit) diſtrahat.

12. q. 2. Terrulas. TERRVLAS, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minùs vtiles, aut longè poſitas paruas, Epiſcopus ſine conſilio fratrum (ſi neceſſitas fuerit) diſtrahendi habeat poteſtatem.

CAP. XLVI.

Seruos Eccleſiæ fugitiuos Epiſcopo liceat vendere.

12. q. 2. Fugitiui. FVGITIVI domus ſuas aut familias deſerentes, qui, etiamſi reuocati fuerint, non poſſunt teneri; ſimili ratione ab Epiſcopo, ſi voluerit, aut ſi ita illi meruerint, diſtrahantur.

CAP. XLVII.

Ante Miſſam expletam egredi populus non præſumat.

De Conſ. d. 1. Miſſas MISSAS die Dominico ſæcularibus totas audire, ſpeciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. Qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.

ANNOTATIO.

TRADITIONE Apoſtolica diem Dominicum colendum eſſe, eodemque die Miſſas audiendas, tradit S. Auguſtinus 251. Serm. de Tempore. *Dominicum ergo diem*, inquit, *Apoſtoli & Apoſtolici viri ideò religioſa ſolemnitate habendum eſſe ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit: quiq; ideò Dominica appellatur, vt in eo terrenis operibus, vel mundi illecebris abſtinentes, tantùm diuinis cultibus ſeruiamus.* Et poſt multa de Miſſa audienda ſubiungit: *In die verò nullus ſe à Miſſarum ſacrarum celebratione ſeparet, neque quis domi remaneat, ceteris ad Eccleſiam pergentibus, neque in venatione ſe occupet.*

CAP. XLVIII.

De rebus Eccleſiæ propriis vel acquiſitis.

12. q. 1. Epiſcopi de. VT de rebus Epiſcopi proprijs vel acquiſitis, vel quidquid Epiſcopus de ſuo proprio habet, heredibus ſuis, ſi voluerit, derelinquat. Quidquid verò de prouiſione Eccleſiæ ſuæ fuerit, ſiue de agris, ſiue de frugibus, ſiue de oblationibus, omnia iure Eccleſiæ reſeruare cenſuimus.

CAP. XLIX.

De non alienandis rebus Eccleſiæ. Et de libertis.

DIACONES vel Presbyteri in Parochia conſtituti, de rebus ſibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res ſacratæ Deo eſſe noſcuntur. Similiter & Sacerdotes nihil de rebus Eccleſiæ ſibi commiſſæ (vt ſuperiùs comprehenſum eſt) alienare præſumant. Quòd ſi fecerint, conuicti in Concilio, & ab honore depoſiti, de ſuo aliud tantum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe. Sanè, ſi quis pro qualibet conditione de rebus Eccleſiæ aliquid alienare præſumpſerit, ſi de ſuo proprio tantum Eccleſiæ contulerit, quantum viſus eſt abſtuliſſe, tunc demum iſtud ſtare licebit. Libertos tamen, quos Sacerdotes vel Diaconos de Eccleſia ſibi commiſſa facere voluerint, actus Eccleſię proſequi iubemus. Quod ſi facere contempſerint, placuit eos ad proprium reuerti ſeruitium. 12. q. 2. Diacon. 12. q. 2. Si quis qualibet.

CAP. L.

De Clericis capitale crimen incurrentibus.

SI Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus, in Monaſterium detrudatur: & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodò communionem accipiat. D. 50. Si Epiſcopus.

CAP. LI.

De Epiſcopi teſtamento.

SI Epiſcopus, condito teſtamento, aliquid de Eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, niſi tantum de iuris proprij facultate ſuppleuerit. 12. q. 5. Si Epiſcopo condito.

CAP. LII.

De Clericis ſine ſui Epiſcopi literis proficiſcentibus.

PRESBYTERO, aut Diacono, vel Clerico, ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti,

Digitized by Google

bulanti, communionem ei nullus impendat.

CAP. LIII.

De Preſbyteris Parochianis, res Eccleſiæ diſtrahentibus.

11.qu.2. Quidquid Paroch. QVIDQVID Parochiarum Presbyter de Eccleſiaſtici iuris poſſeſſione diſtraxerit, inane habeatur & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis.

CAP. LIV.

De eiſdem, vt quidquid emerint, in nomine comparent Eccleſiæ.

12.q.4. Presb. PRESBYTER dum Diœceſim tenet, de his quæ emerit ad Eccleſiæ nomen, ſcripturã faciat, aut ab eius (quam tenet) Eccleſiæ ordinatione diſcedat.

CAP. LV.

Vt Sacerdotes & Leuitæ canibus ad venandum, & accipitribus non vtantur.

D.34. Epiſcopũ. Ex Concil. Aurel. EPISCOPIS, Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandũ aut accipitres habere non liceat. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluntate detectus fuerit; ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus ſe ſuſpendat à communione, Presbyter duobus menſibus ſe abſtineat, Diaconus verò ab omni officio vel communione ceſſabit.

CAP. LVI.

De venditionibus, quas Abbates facere præſumunt.

17.qu.4. In venditione licentia. IN venditionibus, quas Abbates facere præſumunt, hæc forma ſeruetur, vt quidquid ſine Epiſcopi notitia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi reuocetur. Mancipia verò Monachis donata, ab Abbate non liceat manumitti. Iniuſtum enim putamus, vt Monachis quotidianum rurale opus facientibus ſerui eorum libertatis otio potiantur.

CAP. LVII.

Ne vnus Abbas duobus Cœnobiis præponatur.

21.q.1. Vnum. VNVM Abbatem duobus Monaſteriis præſidere interdicimus.

CAP. LVIII.

Ne Monaſterium ſine notitia Epiſcopi conſtituatur.

CELLVLAS nouas, aut congregatiunculas Monachorum, abſque notitia Epiſcopi prohibemus inſtitui. 18.q.2. Cellulas nouas.

CAP. LIX.

De rebus Eccleſiæ vſui collatis, vt præſcriptionis tempore non defendantur.

CLERICI quilibet, quantacumque diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione aliqua poſſederint, in ius proprium, præſcriptione temporis, non vocentur, dummodò pateat Eccleſiæ rem fuiſſe, ne videantur etiam Epiſcopi adminiſtrationes prolixas, aut precatorias, cùm ordinati ſunt, facere debuiſſe, aut diu retentas facultates, in ius proprietatis ſuæ poſſe tranſcribere. 16.q.3. Clerici quilibet.

CAP. LX.

De lapſis, qui de Catholica fide in hæreſim tranſeunt.

LAPSIS, id eſt, qui in Catholica fide baptizati ſunt, ſi præuaricatione damnabili poſt hæreſim tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij, conditione infraſcriptæ obſeruationis, imponimus, vt præſcripto biennio, tertio ſine relaxatione ieiunent, & Eccleſiam ſtudeant frequentare. In pœnitentium loco ſtandi & orandi humilitatem ita nouerint obſeruandam, vt etiam ipſi, cùm Catechumeni egredi commonentur, aſcendant. Hoc ſi obſeruare voluerint, conſtituto tempore admittendis ad Altarium obſeruatio relaxetur. Quòd ſi ardua vel dura fortè putauerint, ſtatuta præteritorum Canonum implere debebunt.

CAP. LXI.

De inceſtis coniugiis.

DE inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt. Hos enim cenſemus eſſe: Si 35.q.2.3. De inceſtis.

Digitized by Google

quis relictam fratris, quæ pænè priùs ſoror extiterat, carnali coniunctione polluerit: ſi quis frater germanam vxorem acceperit: ſi quis nouercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſuæ ſe ſociauerit: ſi quis relictæ vel filiæ auunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel priuignæ ſuæ: aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam cõſanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit vxorem. Quos omnes & olim atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter catechumenos, vſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus. Quod ita præſenti tempore prohibemus, vt ea, quæ ſunt hactenus inſtituta, non diſſoluamus. Sanè, quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

CAP. LXII.

De his, qui ſeruos ſuos extra Iudicem necant.

SI QVIS ſeruum proprium ſine conſcientia Iudicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennij reatum ſanguinis emendabit.

CAP. LXIII.

De laicis, qui in ſolemnitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt.

VT ciues, qui ſuperiorum ſolemnitatum, id eſt Paſchæ, ac Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtiuitatibus, cum Epiſcopis intereſſe neglexerint (cùm in ciuitatibus, communionis vel benedictionis accipiendæ cauſa poſitos ſe noſſe debeant) triennio à communione priuentur Eccleſiæ.

CAP. LXIV.

De Clericis, qui ab Eccleſiæ officio diebus ſolemnibus deſunt.

7. quæſt. 1. Si quis. SI QVIS in Clero conſtitutus, ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt, Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte, dum potiùs ſingulari lucro ſtudeat, quàm ſeruitio ſuo parere, conuenit vt triennio à communione ſuſpendatur. Similiter Diaconus vel Presbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat.

CAP. LXV.

De Leuitis, vt non ſine iuſſu Presbyteri ſedeant.

QVONIAM non oportet Diaconem ſedere præſente Presbytero, ſed ex iuſſione Presbyteri ſedeat. Similiter autem honorificetur Diaconus à miniſtris inferioribus & omnibus Clericis. Diſt. 93. Non oportet.

CAP. LXVI.

De miniſtris, ne Secretarium ingrediantur.

QVONIAM non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in Secretarium (quod Græci Diaconion appellant) ingredi, & contingere vaſa Dominica. D. 23. Nõ oportet.

CAP. LXVII.

De Catholicis, ne hæreticorum connubiis copulentur.

QVONIAM non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias dare, ſed potiùs accipere, ſi tamen profitentur, Chriſtianos futuros eſſe ſe & Catholicos. 28. q. 1. Non oportet.

CAP. LXVIII.

De Leuitis & de Clericis, ne magi vel incantatores ſint.

QVONIAM non oportet miniſtros Altaris aut Clericos, magos & incantatores eſſe, aut facere quæ dicunt phylacteria, quæ ſunt magna obligamenta animarũ. Nos autem, qui talibus vtuntur, proiici ab Eccleſia iuſſimus. 26. q. 5. Non magicis.

CAP. LXIX.

De ſeditionariis Clericis.

SEDITIONARIOS, numquam ordinandos Clericos, ſicut nec vſurarios, vel iniuriarum ſuarum vltores. D. 46. Seditionarios.

CAP. LXX.

De ſcurris & iocularibus Clericis.

CLERICVM ſcurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum. D. 46. Clericum.

CAP. LXXI.

De Synodo annis ſingulis congreganda.

SYNODVM etiam ſecundũm conſtituta Patrum, annis ſingulis placuit congregari. Et quia in nomine Domini, omni-

omnibus ſalubriter conſtitutis, Synodus cum pace dimittitur, gratias Deo primitus, & domino noſtro Regi agamus, orantes diuinam clementiam, vt hæc eadem facere & docere per multos annos in honorem Domini poſſimus. Et ego Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, iuxta id quod vniuerſis Epiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, inſtituta Patrum ſecutus, his definitionibus annuens, ſub die 5. Kalend. Septemb. anno 22. Regis Alarici, ſubſcripſi.

CONC. AVRELIANENSE I.

triginta trium Epiſcoporũ tempore SYMMACHI *Papæ, &* CLODOVEI *Regis. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.VII. HOC Concilium qua occaſione, cuiúſve hortatu ac conſilio congregatum, & à quo procuratum fuerit, indicat Hincmarus de Rebus geſtis S. Remigij his verbis: *Per conſilium B. Remigij in Aureliana ciuitate Epiſcoporum Synodum conuocauit, in quo conuentu multa vtilia conſtituta fuere.* Quæ ſummatim hîc ſequuntur.

17. q. 4. Id conſtituimus. Primò continetur de homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, vt ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi eos abſtrahere omnino non liceat.

36. q. 1. De raptoribus. Secundò, De raptoribus verò, ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris; & raptor, mortis vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ad ſeruiendum ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem.

Tertiò, De obligationibus vel agris, quos dominus noſter Rex Eccleſiæ contulerit, id eſſe iuſtum definimus, vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captiuorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.

Quartò, Si ſeruus, neſciente domino, ſciente tamen Epiſcopo, ordinetur, teneatur Epiſcopus eius pretium in duplo reddere domino, & ipſe permaneat in Ordinibus. Si verò ignorante Epiſcopo, idipſum facere teneatur, qui illum ordinandum obtulerit. D. 54. Si ſeruus.

Quintò, Si Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiſerit, ſimul & ab officio & communione pellatur. D. 81. Si Diaconus.

Sextò, Epiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur. D. 82. Epiſcopus.

Septimò, Ne ſuperſtes frater torum defuncti fratris aſcendat, nec ſe quiſquam amiſſæ vxoris ſorori audeat ſociare.

Octauò, Quòd Abbates Epiſcopis, Monachi Abbatibus ſint ſubiecti. 18. q. 2. Abbates.

Nonò, Quòd Monachus in Monaſterio oratium vel zonas non habeat. 17. q. 1. Monachus

Decimò, Quòd præſcriptio non habeat locum in rebus Eccleſiæ. 16. q. 3. Si Epiſcopus.

Vndecimò, Quòd ante Paſchæ ſollemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur. De Conſ. d. 3. Sacerdotibus.

Duodecimò, Quòd Rogationes, id eſt Litaniæ ante Aſcenſionem Domini celebrentur, ita vt præmiſſum triduanum ieiunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſoluatur, per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxantur. De Conſ. d. 3. Rogationes.

Tertiodecimò, Quòd Epiſcopus, ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deeſſe non debet. De Conſ. d. 3. Epiſcopus.

Alia multa ſancita ſunt circa partitionem bonorum Eccleſiaſticorum, & Baſilicas conſtruendas, & honeſtatem Monachorum, & Clericorum, &c. Subſcripſerunt in hoc Concilio 31. Epiſcopi.

ANNOTATIO.

RITVS faciendi Proceſſiones & Rogationes, Litaniaſque in eis cantandi, antiquus eſt: eius enim meminit Tertullianus lib. 2.

Digitized by Google

lib. 2. ad vxorem, & lib. de Baptiſmo, ſicut libro de Corona milit. ſæpiùs meminit Stationum, quæ fiebãt temporibus ieiuniorum: per quas Stationes haud dubiè Litanias, ſeu Rogationes, aut ſi mauis Proceſſiones intelligimus illis temporibus fuiſſe obſeruatas. Earumdem meminit Concilium Laodicenum, can. 17. Baſilius Magnus epiſt. 63. Nicephorus lib. 14. Hiſt. & Euagrius lib. 1. Eccleſ. Hiſt. cap. 17. vbi narratur miraculum de Triſagio, quod alibi nos referimus. Ante hęc tempora Litanias in vſu fuiſſe, docet Euſebius Emiſſenus Hom. habita in Litaniis. Sed & ſub Arcadio & Honorio Impp. teſtatur Nicephorus lib. 3. Hiſtor. cap. 8. publicè in vrbe Conſtantinopolitana Supplicationes & Litanias celebratas, moderante Eccleſiam Ioanne Chryſoſtomo.

De Litaniis verò, quæ triduo ante Aſcenſionem Domini celebrantur aliqui dicunt eas inſtitutas eſſe ſub Leone I. nam eo tempore, aiunt, Proſper Aquitanus & Mamertus Archiepiſcopus Viennenſis, qui Litanias inſtituiſſe feruntur ante Aſcenſionem Domini, floruerunt. Polydorus lib. 6. de Rerum inuentoribus, cap. 11. narrat, Agapetum I. conſtituiſſe, in ſingulos Dominicos dies in templis vel circa templa habendas. Sed ante Agapetum lego has Litanias fuiſſe inſtitutas, nam hoc Concilium Aurelianenſe annis circiter triginta præceſſit Agapetum: Concilium enim anno 507. celebratum eſt, Agapetus verò floruit anno 536. vnde quia ignoratur auctor, & in vſu ſemper fuerunt, ideò ab Apoſtolis inſtitutas eſſe cenſendum eſt.

CONC. EPAVNENSE

XXIV. *Epiſcoporum tempore* SYMMACHI *Papæ*, *&* SIGISMVNDI *Regis Burgundionum anno Domini* 509. *celebratum. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D. IX.

CVM Sigiſmundus filius Gundebaldi Regis Burgundiæ ſtudio & labore Alcimi Auiti Epiſcopi Viennenſis viri ſanctiſſimi ex Ariana perfidia ad Catholicam religionem acceſſiſſet, nihil antiquius habuit, quàm vt ditionem ſibi ſubiectam ęquè ab Arianorum pollutione purgaret, collapſamque antiquam Eccleſiaſticam diſciplinam ſecundùm ſancitos Canones in integrum reſtitueret. Quod Clodoueus Rex Chriſtianiſſimus, poſt Alaricum Arianorum Principem è Gallia Narbonenſi fugatum, monitu S. Remigij præſtitit in Gallia: Sigiſmũdus poſt ſublatum è vita parentem Arianum, ſuaſu & hortatu Alcimi prædicti fecit in Burgundia. Præfuit Concilio Viennenſis Prouinciæ Primas Alcimus ſæpè nominatus. Nihil hoc loco nouiter conſtitutum eſt, quod non antè aliarum Synodorum Decretis ſancitum fuit. Baronius anno 509. nu. 13.

PSEVDOSYNODVS

SIDONIA PALAESTINAE, *quam ad damnandam* SYNODVM CHALCEDONENSEM EVTYCHIANI *&* ACEPHALI *congregarunt: atque in ea iuſſu* ANASTASII *Imperatoris* FLAVIANVM *Antiochenum &* ELIAM *Ieroſolymitanum Orthodoxos Epiſcopos*, CHALCEDONENSIS CONCILII *defenſores, ſedibus ſuis eijciendos eſſe decreuerunt.*

CONCILIABVLVM hoc ab Anaſtaſio Imperatore hæretico aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius indictum, celebratũ eſt ab hæreticis & perfidis octoginta Epiſcopis apud Sidonem in Palæſtina, anno Domini 512. qui eſt Symmachi 14. & Anaſtaſij Imperatoris 22. D. XII.

De rebus in Synodo geſtis, hæc ſummatim Marcellinus in Chronico ſub Conſulatu Pauli & Muſciani: *Porrò redintegrata prauitate, Anaſtaſius infamem & irridendam Synodum apud Sidonem ciuitatem, octoginta fermè perfidorum Epiſcopis congregatis, aduerſus Orthodoxorum Epiſcopos fieri imperauit. Flauianus Antiochiæ Catholicus Patriarcha, & Ioannes Paltenſium Pontifex, quoniam hunc cœtum ſacrilegum refellerunt, in caſtellum, quod Petra dicitur, exules miſſi ſunt. Ibi Flauianus Confeſſor Chriſti in Domino requieuit. Ioannem Iuſtinus Auguſtus mox Imperator factus reuocauit.* Concilio Nicęno II. Act. 1. ex Actis huius Conciliabuli hęc recitata ſunt: *Variis modis Flauianum afflixerunt & vexarunt, cogentes interim,*

Digitized by Google

& obtorto collo huc trahentes, vt Acta Chalcedonenſis Synodi anathemate proſequerentur: quo nolente, Epiſcopatu ſuo priuatus, in exilium quoque damnatus eſt. Vide Baronium anno 512. n. 19. & ſeqq.

CONCIL. RHEMENSE

ſub HORMISDA *in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Gallia reformandæ congregatum anno Domini* 514.

ANNO DOMINI D.XIV

CVM S. Remigius ſcriptam ad ſe epiſtolam Hormiſdæ Papæ accepiſſet, vſurpata ſibi poteſtate delegata, Concilium Gallicanorum Epiſcoporum Rhemis collegit: in quo Arianus quidam Epiſcopus tanta ſuperbia inflatus fuit, vt ſolus omnes Catholicos ad certamen prouocaret. At verò ingredienti Remigio Synodum, ceteri Epiſcopi omnes, vt par erat, aſſurgunt: ille faſtu plenus, aſſurgere dedignatur. Sed tranſeunte apud illum Remigio, obmutuit, admirantibus omnibus garrulam hæretici linguam ſola Remigij vmbra compreſſam: qui poſtmodum cùm eloqui nihil poſſet, ad pedes S. Remigij procidens, nutibus veniam petiit, & S. Præſulis ſanctimonia, & ab hæreſi, & à linguæ impedimento ſanatus eſt, promens confeſtim Catholicam profeſſionem, tam de myſterio Trinitatis, quàm de Chriſti Incarnatione. Hincmarus in Vita S. Remigij apud Surium Tom. 1. die 13. Ianuarij. Recitat eiuſdem Concilij Acta Baronius anno 514. nu. 19. & 20.

SYNODVS VETERIS EPIRI,

in cauſa IOANNIS *Nicopolitani Epiſcopi, & Metropolitani veteris Epiri, celebrata ſub* HORMISDA *anno Domini* 516.

D.XVI.

MORTVO Alcyſone Epiſcopo Nicopolitano, anno Domini 516. qui eſt tertius Hormiſdæ, ſurrogatus eſt Ioannes: qui ſtatim more maiorum coacta Synodo Epiſcoporum Veteris Epiri, cuius ip ſe erat Metropolitanus Antiſtes, communionem Sedis Apoſtolicæ amplexurus, fidei ſuæ libellum illicò per Ruffinum Diaconum ad Hormiſdam Papam miſit, probans quatuor Generalia Concilia, damnanſq; omnes hæreticos, eorumque in primis ſocium Acacium. Synodicam eiuſdem argumenti ipſa Synodus vniuerſa adiunxit, & per eumdem Ruffinum ad Pontificem tranſmiſit. Vtraque epiſtola habetur apud Binium.

CONC. TARRACONENSE

decem Epiſcoporum tempore HORMISDAE *Papæ habitum, Æra* 554. *anno Domini* 517.

IN hoc Concilio ſummatim hæc habentur: D.XVII.

Primò cauetur conuerſatio inter feminas & Clericos & Monachos, etiamſi earum curam ratione parentelæ gerant.

Secundò, Vt quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi viliùs, & vendendi cariùs, ſtudio non vtatur.

Tertiò, Vt quantum Clericus præſtiterit, tantum recipiat.

Quartò, Quòd nullus Clericus vmquam iudicet criminalia; diebus verò Dominicis nec etiam ciuilia, ſed vt tantùm Deo ſtatuta ſolemnia peragat.

Quintò, Vt qui in Metropolitana ciuitate Epiſcopus non fuerit ordinatus, poſt duos menſes ſe Metropolitano præſentet.

Sextò, Vt Epiſcopus contemnens venire ad Synodum Metropolitani vocatus, excommunicetur.

Septimò, Vt Epiſcopi annuatim Diœceſim viſitent, & Baſilicas deſtitutas reſtituant: & non niſi tertiam partem de Parochiis accipiant.

ANNOTATIO.

GELASIVS Papa cap. 29. epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam & Brutiam, *Quatuor, inquit, tam de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuſlibet facultas admittit (ſicut dudum rationabiliter eſt decretum) conuenit fieri*

fieri portiones: quarum vna ſit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. Ex quo Decreto cōſtat, Eccleſiaſticarum rerum diuiſionem quadripartitò fieri ſolitam. Quam diuiſionem ex Concilio Romano ſub Silueſtro Primo celebrato, originem ducere exiſtimo. ſic in Can. 4. habetur: *Quod verò omnia bona Eccleſiæ ſub vnius Pontificis poteſtate principio Eccleſiæ fuerint, ex Can. Apoſtolorum 14. conſtat.* Et Canone etiam 5. iubetur, vt omnia quæ offeruntur, ad domum Epiſcopi & Preſbyteri mittantur, vt eorum arbitrio Diaconis & ceteris Clericis diuidantur. Et Can. 39. omnium Eccleſiaſticorum negotiorum ſoli Epiſcopo æqua diſpenſatio curaque committitur. Conſule etiam Concilium Gangrenſe cap. 7. & 8. & Concilium Antiochenum Can. 24. & 25. Citat hoc caput D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. vt probet, Epiſcopos plenam ſuarum rerum habere poteſtatem. Garçias.

Octauò, Quòd nullus Clericus accipiat munera pro iudiciis.

16. qu. 1. Monachi. Nonò, Quòd Monachus miſſus alicubi, miniſterium Clericatus agere non præſumat, niſi cum Abbatis imperio: nec negotiator exiſtat.

Decimò, Vt ſi Epiſcopus inteſtatus deceſſerit, Inuentarium de rebus eius fiat, & nullus exinde aliquid auferat.

CONCIL. GERVNDENSE,

ſeptem Epiſcoporum, habitum tempore HORMISDAE *Papæ, Aera 555. anno Domini 517.*

ANNO DOMINI D. XVII.

CAPITVLA CONC. GERVNDENSIS.

CAP. I.

Vnaquæque Eccleſia in Officio vnum ordinem teneat.

De Conſ. d. 2. Inſtit. VT inſtitutio Miſſarum, ſicut in Metropolitana Eccleſia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconenſi Prouincia tam ipſius Miſſę ordo, quàm pſallendo, vel miniſtrando, conſuetudo ſeruetur.

CAP. II.

Litaniæ poſt Pentecoſten celebrentur.

VT expleta ſolemnitate Pentecoſtes, in ſequenti ſeptimana à quinta Feria in Sabbatum, per hoc triduum abſtinentia celebretur.

CAP. III.

De ſecundis Litaniis.

ITEM ſecunda Litania faciēda eſt Kalendis Nouembris, ea tamen conditione ſeruata, vt ſi iiſdem diebus Dominica interceſſerit, in alia hebdomada, ſecundùm prioris abſtinentiæ obſeruantiam, à quinta Feria incipiatur, & in Sabbati veſpere Miſſa facta finiatur: quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abſtinendum.

ANNOTATIO.

HIS duobus Capitibus agitur de primis & ſecundis Litaniis faciendis. Litaniæ Græcè, Latinè Rogationes dicuntur, vt conſtat ex Concilio I. Aurelianenſi, c. 29. & 32. & Maguntiaco ſub Carolo Magno. Sunt autem Rogationes ad rogandum Deum, à Patribus, & ad impetrandam Dei miſericordiam inſtitutæ. Sunt autem aliæ Maiores, aliæ Minores: neque ſtatuto tempore in principio celebrari ſolitas inuenio, ſed multoties & pluries, pro conſuetudine & deuotione Eccleſiæ, & ingruentibus neceſſitatibus, cùm auxiliares ſint ad cor populi ad pœnitentiam emolliendum. Apud ſanctum Gregorium ep. 76. lib. 7. Indict. 2. ad Caſtorem, habetur memoria de quatuor vel quinque ſolemnibus Litaniis in Rauennate Eccleſia celebrari ſolitis.

A quo autem fuerint primò editæ, nondum conſtat. Hoc autem certum, fuiſſe totius Eccleſiæ Catholicæ vetuſtiſſimum inſtitutū, Supplicationes publicas in calamitatibus & populi preſſuris habere. Vnde Gregorius, vrgente aliqua neceſſitate, non tantum Romanis, ſed etiam externis Litanias indicebat, vt apparet lib. 9. Regiſt. epiſtola 45. Indict. 4. Orientales Eccleſiæ Litaniis vtuntur, vt conſtat ex Baſilio epiſt. 63. ad Neocæſareenſes, quas à Gregorio Thaumaturgo in ea Eccleſia celebratas, & in more poſitas tradit, & deinde omnes Orientales Patres. Arrianos etiam ſolemni pompa eas fuiſſe æmulatos, auctor eſt Socrates lib. 6. c. 8. & Zozomenus lib. 8. cap. 8. quas Arcadius Imperator Edicto promulgato illis inhibuit, lib. 30. de hær. Cod. Theod. Sanctus etiam Mamertus Epiſcopus Viennenſis, non inſtituit celebres illas quas pænè tota Eccleſia recepit, ſed ad meliorem formam ſacras Rogationes reduxit, conſopitaſque & frigidas excitauit, vt conſtat ex Adone in Chronico, & Alcimo Auito, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, & ex epiſt.

epiſt. Sidonij Apollinaris ad S. Mamertum, lib. 7. epiſt. 1. & alia ad Aprium lib. 14. ep. 5. Sanctus Gregorius Litanias Maiores ad S. Petrum indixit, earumque annuam celebritatem Decreto confirmauit, vt in principio lib. 2. Regiſtri: *Solemnitas*, inquit, *annua deuotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, vt Litaniam, quæ Maior ab omnibus appellatur, ſollicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.* Idem Pontifex, occaſione imminentis peſtilentiæ, Litaniam, quam Septiformem appellant, inſtituit. Extat de ea re Conſtitutio data 4. Kalendas Septembris, lib. 11. cap. 2. Eiuſdem meminit Gregorius Turonenſis de Geſtis Franc. lib. 10. cap. 1. & Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum, lib. 3. cap. 11. Hæc Garçias: & vide quæ notauimus ſupra in Annotatione Concilij Aurelianenſis I. & quæ Binius in Notis epiſt. 11. Hilarij Papæ.

Fiebant autem Litaniæ inceſſu & cantu: vnde Proceſſiones dicuntur Concilio Leodienſi cap. 17. Fuit autem penes Chriſtianos Latinos antiqua cõſuetudo, deuotè & ſimul ad loca Martyrum procedere, vt conſtat ex Hieronymo, epiſt. 12. ad Euſtochium, & Tertulliano, lib. 2. Ad vxorem. De tempore celebrationis conſtat, temporibus D. Auguſtini ante ſolemnitatem Aſcenſionis, Rogationes ſacras fieri, vt eſt in eius Sermone 173. de Tempore, habito in Vigilia Aſcenſionis, & ex Concilio I. Aurelianenſi, c. 29. relato à Gratiano in cap. Rogationes, de Conſecr. diſt. 3. vbi ſic ſcriptum eſt: *Rogationes ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari: ita vt præmiſſum triduanum ieiunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſoluatur: per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur.* Quem morem nunc ſeruat Eccleſia. In quinta Dominica poſt Paſcha Maiores Rogationes tribus diebus celebrat, Feria ſecunda, tertia, & quarta, quæ eſt Vigilia Aſcenſionis: Minores verò Rogationes, in die S. Marci Euangeliſtæ. Fiebant & aliæ à die Iduum Decembrium, triduo vbique, vt conſtat ex Concilio Toletano V. cap. 1. & VI. cap. 2. & Bracarenſi II. cap. 9. & Kalendis Nouembris aliæ inſtitutæ, ex Gerundenſi c. 3. Tribus etiam continuis diebus magna populi cõnſenſione & numero celebrabant, orando, ieiunando, & pſallendo, ita caſtè & piè, vt in Concilio Maguntiaco ſub Carolo Magno dicatur, celebrandas eſſe, ſicut cuncti Patres ſancti noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati, cinere & cilicio induti, &c. Idem Tertullianus lib. 2. Ad vxorem. Et hos Rogationum dies laicis denuntiandos inter Miſſarum ſolemnia, ſtatuit Concilium Lugdunenſe à Gratiano citatum in cap. 1. de Conſecr. diſt. 4. Hæc de Litaniis, ad populi deuotionem excitandam, ſubiecimus. Nicephorus auctor eſt, lib. 14. cap. 3. Theodoſium Iuniorem Litaniam pro ſerenitate & aëris clementia imploranda inſtituiſſe. Ponam verba, vt quæ diximus, aptiùs comprobentur. *Litania*, inquit, *inſtituta eſt; ſupplicantes proceſſere, laudibus Deum vexere, atque vna concors Eccleſia ciuitas tota facta: & ipſe Theodoſius hymnis canendis præit, habitu priuato incedens. Minimè verò eum fefellit opinio. Statim enim cælum aërem turbidum cum ſerenitate commutauit, & frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia & vbertas eſt ſecuta.* Gentilibus etiam Supplicationes publicè fiebant: vt à Senatu Romano, dierum 20. vel 30. decernebantur, bello geſto, vel victoria parta. Dei enim anticipata cognitio ita mentibus hominum inſidet, vt rerum humanarum procurationem ab ipſo pendere, atque ipſi eſſe gratias agendas, publicis Supplicationibus faterentur. Garçias.

CAP. IV.
In Paſcha tantùm & Pentecoſte Baptiſmus detur.

De Catechumenis baptizandis id ſtatutum eſt, vt in Paſchæ ſolemnitate, vel Pentecoſtes, quantò maioris celebritatis celebritas maior eſt, tantò magis ad baptizandum veniant. Ceteris ſolemnitatibus infirmi tantummodò debeant baptizari, quibus quocumque tempore conuenit Baptiſmum non negari. De Conſ. d. 4. De Catechumenis.

CAP. V.
Vt vnius diei infans, ſi in diſcrimine eſt, baptizetur.

De paruulis, qui nuper è materno vtero editi ſunt, placuit conſtitui, vt ſi infirmi (vt aſſolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati ſunt, ſi oblati fuerint, baptizentur.

CAP. VI.
Vt coniugati, ab Epiſcopo vſque ad Subdiaconum, non ſine teſtimonio viuant.

De conuerſatione vitæ id ſtatuere placuit, à Pontifice vſque ad Subdiaconatum, poſt ſuſcepti honoris offi-

 cium,

Digitized by Google

cium, ſi quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt ſemper alterius fratris vtatur auxilio, cuius teſtimonio vita eius debeat clarior apparere.

Cap. VII.

Vt qui ſine vxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant.

De his, qui ſine vxoribus ordinantur, & familias domus habent, habito ſecum pro vitæ conuerſatione fratre in teſtimonium, non per quamcumque feminei ſexus perſonam eorum ſubſtantia gubernetur, aut per puerum; ſed aut per amicũ domum ſuam debeant ordinare, niſi matrem aut ſororem in domo habuerint, vt ſecundùm priorum Canonum ſtatuta, per earum perſonas eorum debeat contutari ſubſtantia.

Cap. VIII.

Ne laici, qui viduam aut dimiſſam acceperint, in Clero admittantur.

Si qvis de laicis poſt vxorem, aliam cuiuſcumque conditionis cognouerit mulierem, in Clero nullatenus admittatur.

Cap. IX.

De his qui publicè pœnitentiam non accipiunt, ſed tantùm Viaticum, vt in Clero promoueantur.

Diſt. 10. Is verò. Is verò, qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem, quam Viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſtmodum reconualeſcens, caput pœnitentię in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

Cap. X.

Vt omnibus diebus, Horis veſpertinis & matutinis Oratio Dominica dicatur.

Item nobis ſemper placuit obſeruari, vt omnibus diebus poſt Matutinas & Veſperas Oratio Dominica à Sacerdote proferatur. Ioannes in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi, &c. Similiter reliqui Epiſcopi ſubſcripſerunt.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLIT.

ex parte reprobatum, anno Domini 518. die Iulij 20. ſub Hormisda *Pontifice, &* Ivstino *Imperatore, quo Epiſcopi* XL. *ſacroſancti Concilij Chalcedonenſis, S.* Leonis *Papæ,* Evphemii *&* Macedonii *Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum nomina ſacris Diptychis reſtituerunt, &* Severvm, *alioſque eiuſdem Concilij aduerſarios condemnarunt.*

Postqvam Iuſtinus Imperator, magnus Catholicorum patronus & defenſor, ſingulari Dei beneficio Imperium adeptus fuiſſet, populus Eccleſiam ingreſſus 15. & 16. Iulij, magno zelo extorſerat, vt excommunicatis Eutychianis eorumque defenſoribus, ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium, cum S. Leonis Papæ, Euphemij & Macedonij Epiſcoporum nominibus, ſacris Diptychis reſtituerentur. Quod cùm importunis clamoribus populi conuictus, Ioannes Epiſcopus præſtitiſſet, idque minùs legitimè factum iudicaret; procurauit idem Epiſcopus, vt eadem ritè more maiorum in Conuentu Patrum agerentur. Poſt quatuor dies à dictis publicis Actis in Eccleſia habitis, nempe 20. Iulij, Conſtantinopoli collecta eſt Synodus XL. Epiſcoporum ibidem commorantium, vel in vicinia proxima habitantium. In qua principiò oblatus eſt à Monachis Orthodoxis libellus, quinque petitiones continens: quibus cognitis & examinatis, quinque pariter Decreta edita ſunt, quæ publicis literis ad Ioannem tranſmiſſa, ipſe vniuerſo Chriſtiano orbi nota fieri voluit. Quæ epiſtola extat apud Binium. Anno Domini DXVIII.

Synodus ab Hormiſda Pontifice per Synodicam quamdam, & Iuſtini Imperatoris interceſſionem expetiuit, Primùm, vt Romanæ Eccleſiæ communione donentur. Secundò, Vt Legati Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolim mittantur, qui auctoritate Apoſtolica lapſos ad Eccleſiam recipiant, omnibuſque Eccleſiis pacem concilient.

Fuit autem hoc Concilium ex parte reprobatum, quia auctoritate Hormiſdæ Romani Pontificis, per Legatos anno 519. nomina Euphemij & Macedonij vnà cum nomine Acacij è ſacris Tabulis viciſſim expuncta ſunt, quæ Synodus Conſtantinopolitana edito Decreto Diptychis reſtituerat: idque propterea, quòd nomē Acacij ſchiſmatici, & hæreticorum communione polluti, nimis pertinaciter retinentes, communione Sedis Apoſtolicæ exciderint, quantumuis in ſchiſmate pro fide Catholica exulaſſent. Reliqua verò, quæ in hac Synodo, pro firmitate Chalcedonenſis Concilij, & contra Seuerum aliosque Eutychianos hæreticos decreta fuerunt, ab eodem Romano Pontifice rata habita ſunt, & nouis accedentibus ſcriptis firmata atque roborata.

SYNODVS IEROSOLYMITANA

qua XXXIII. *Epiſcopi omnia, quæ pro confirmatione* CONCILII CHALCEDONENSIS, *& pro reſtituendis nominibus Orthodoxorum, & damnatione hæreticorum Concilio Conſtantinopolitano acta ſunt, confirmant.*

ANNO DOMINI D.XVIII. CVM Ieroſolymitana Eccleſia per literas Ioannis de rebus Conſtantinopoli in Synodo geſtis, certior reddita eſſet, ſubitò conuocato Epiſcoporum Concilio, protritam fidem Catholicam erigunt, & in priſtino maieſtatis ſuæ throno honorificè collocant. Quid in hac Synodo geſtum ſit, Synodalis epiſtola ad Ioannem Conſtantinopolitanum & Concilium ibidem congregatum reddita, liquidò demonſtrat. Vide Binium.

CONCILIVM TYRIVM,

quo Acta legitima CONSTANTINOPOLITANI CONCILII *confirmantur. Celebratum fuit anno Domini 518. die 16. Septembris, ſub* HORMISDA *Papa.*

NON tantùm Palæſtinæ, ſed etiam Tyrij Epiſcopi habito Synodali conuentu, ſacroſancti Concilij & Orthodoxorum Patrum reſtitutionem, atque Seueri aliorumque hæreticorum condemnationem confirmarunt. D.XVIII. Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Diaconus, huius ſæculi Scriptor, dum contra Acephalos per Dialogiſmum diſputat, teſtatur, duo mille & quingentos Sacerdotes ſub hoc eodem Iuſtino Imperatore fidem Catholicam probaſſe. Extat allegatus Dialogiſmus Tom. 4. Biblioth. SS. Patrum. Fragmenta libellorum, quos Clerici & Monachi Apamei & Antiocheni hac de re ad prędictum Ioannem Conſtantinopolitanū ſcripſerunt, extant prædicto Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, Act. 5. Cùm hæc perferrentur ad Iuſtinum Imperatorem, calumniati ſunt apud eum Proceres Eutychiani, hos omnes, quorum querelæ perlatæ ſunt Conſtantinopolim, eſſe Neſtorianos hæreticos, ideoque dignos qui pœnis ſubiicerentur. Quibus auditis Imperator, Syros ac Palæſtinos ſcripto admonuit, vt cuius eſſent fidei docerent. Qua occaſione Antiocheni & Ieroſolymitani Clerici cum Monachis earumdem Eccleſiarum conuenientes, libellum ſcripſerunt ad Iuſtinum Imperatorem, quo ſe verè Catholicos eſſe, abſque vlla ambiguitate perſpicuè declararunt. His acceptis, Iuſtinus Imperator pro ipſorum voto promulgauit Edictum, quô præcipiebatur, vt omnes exules fidei cauſa ſub Anaſtaſio condemnati; ad propria poſtliminiò redirent, priſtinoſque gradus & honores reciperent: ſurrogati verò in locum ipſo-

ipſorum hæretici procul pellerentur, aliiſque pœnis exagitarentur: ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium in ſacras Tabulas referretur, & ab omnibus piè & religiosè obſeruaretur, omnibuſque Eccleſiis tutiſſima pax redderetur. Vide Acta magni Sabæ apud Surium Tom. 6. die 5. Decembris. Deinde iterùm edixit Imperator piiſſimus, ne hæretici publicis muneribus fungantur, ſintq; ab omni militia alieni. Mentio eſt huius Edicti in Conſtitutionibus Nouellis Iuſtiniani aduerſus omnes hæreticos.

Hæretici publicis muneribus non fungantur.

CONCIL. ROMANVM

de ACACII, EVPHEMII *&* MACEDONII *Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum nominibus è ſacris Diptychis expungendis, celebratum Romæ ſub* HORMISDA *anno Domini* 518.

ANNO DOMINI D.XVIII.

ACCEPTIS ex Oriente Iuſtini Imperatoris, Synodi Conſtantinopolitanę, Ioannis eiuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, nec non Comitis Iuſtiniani epiſtolis, pacem & communionem cum Romana Eccleſia expetentibus, detento paulisper Romæ Grato, Legationis Imperatoriæ officio fungente, Hormiſda Pontifex Epiſcoporum conuentū collegit. Qui omnes poſt diligentem inquiſitionem, quid hac de re prædeceſſores Romani Pontifices, Simplicius, Felix, Gelaſius, & Symmachus ſenſiſſent, vna eademque ſententia decreuerunt, recipiendam Orientalem Eccleſiam ad communionem Apoſtolicæ Sedis, ſi Acacium ſchiſmaticum condemnarent, nomen eiuſdem penitùs abolerent: denique, ſi Euphemium & Macedonium eadem ſchiſmatis labe reſperſos è ſacris Tabulis delerent & expungerent. Quibus ita peractis, Legatio Pontificia deſignata eſt, quæ Decretum Synodi exequeretur. Hac Legatione Orientalis Eccleſia Romanæ eſt reconciliata. Vide Binium hîc.

SYNODVS CONSTANTINOPOLIT.

ab EPIPHANIO *eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo collecta anno Domini* 520. HORMISDAE 7. *&* IVSTINI *Imperatoris* 3.

SYNODVS hæc ad Hormiſdam Papam vnà cum Legatione Synodicâ epiſtolam miſit de ordinatione Epiphanij Epiſcopi: quæ epiſtola extat apud Binium, eiuſque exordium huiuſmodi eſt: *Innumerabilem & inueſtigatam magni Dei*, &c. D.XX.

CONCIL. ILERDENSE,

octo Epiſcoporum, habitum anno 15. THEODORICI *Regis*, 8. *Idus Auguſti, tempore* IOANNIS *Papæ, anno Domini* 524.

IN hoc Concilio ſtatuerunt ſequentes Canones. D.XXIV.

CANON I.

VT Clerici in obſidionis neceſſitate poſiti à ſanguine humano (etiam hoſtili) ſe abſtineant, admittantur tamen ad priſtina officia poſt duos annos pœnitentiæ. D. 50. De his.

CANON II.

QVOD his qui abortiuum faciunt, vel natos ſuos extinguunt, poſt ſeptem annorum curricula communio tribuatur.

CANON III.

QVOD Monachi ſine licentia Abbatis non ordinentur. 16. q. 1. Cum ſimplicitate.

CANON IV.

De inceſtis.

VT hi, qui ſe inceſtus pollutione commaculant (quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeuerant) vſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere vllum Chriſtianorum (ſicut Apoſtolus iuſſit) oportet. 35. q. 1. & 4. De his qui inceſti. 1. Cor. 5.

CANON V.

De his qui Altario ſeruiunt.

HI qui Altario Dei deſeruiunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate cor-

Digitized by Google

corruerint, & Deo reſpiciente, dignè pœnituerint, ita vt ſi mortificato corpore cordis contriti ſacrificium Deo offerant, maneat in poteſtate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiori tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare, ita tamen, vt ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia vlteriùs promoueri. Quòd ſi iteratò, velut canes, ad vomitum reuerſi fuerint, & veluti ſues in volutabris iacuerint, non ſolùm dignitate officij careant, ſed etiam ſanctam communionem (niſi in exitu) non percipiant.

CANON VI.

De eo qui viduæ vel religioſæ virgini ſtuprum intulerit.

QVI pœnitenti viduæ, vel virgini religioſę, vim ſtupri intulerit, ſi ſe ab eo ſequeſtrare noluerit, pariter à cõmunione Chriſtianorũ & conſortio ſegregentur. Si verò illa quæ vim pertulerit, ad ſanctam Religionem redierit, in illo ſolo ſententia excommunicationis teneatur, quoadusque publicè pœniteat.

CANON VII.

De his qui ſacramento ſe obligant.

22. q. 4. Qui ſacramento. QVI ſacramento ſe obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio vno anno à communione Corporis & Sanguinis Domini ſegregatus, reatũ ſuum eleëmoſynis, fletibus, & quantis potuerit ieiuniis abſoluat. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire feſtinet. 1. Pet. 4.

CANON VIII.

Si Clericus ſeruum de Eccleſia traxerit.

17. q. 4. Nullus Clericorũ. NVLLVS Clericorum, ſeruum vel diſcipulum ſuum ad Eccleſiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præſumat. Quod ſi fecerit, (donec dignè pœniteat) à loco, cui honorem non dederit, ſegregetur.

CANON IX.

De his qui rebaptizati ſunt.

Can. 11. Nicænæ Synodi. DE his, qui in præuaricatione rebaptizati, ſine aliqua neceſſitate vel tormento delapſi ſunt: placuit, vt circa eos illa Nicænæ Synodi ſtatuta ſeruentur.

CANON X.

De his, qui iubente Epiſcopo ab Eccleſia exire contemnunt.

QVI, iubente Sacerdote, pro qualicumque culpa ab Eccleſia exire contempſerit, pro noxa contumeliæ, tardiùs recipiatur ad veniam. 11. q. 3. Qui iubente.

CANON XI.

De Clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt.

SI QVI Clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali exceſſu contumeliam pertulerit, à Pontifice diſtrictiùs vindicetur.

CANON XII.

De his qui contra Canones ordinati ſunt.

QVI contra decreta Canonum indiſcretè Clericos vſque nunc ordinauerunt, eis Dominus, vel ſancta & Eccleſiaſtica charitas ignoſcat. Amodò verò ſi in tali auſu proruperint, decretum Canonum, quod circa eorum perſonas ſtatutum eſt, obſeruetur.

CANON XIII.

De Catholicis qui filios ſuos hæreticorum baptiſmati tradiderunt.

CATHOLICVS, qui filios ſuos in hæreſi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Eccleſia nullatenus recipiatur.

CANON XIV.

De Sacerdote moriente.

CVM Sacerdos moritur, res Eccleſiæ non diripiantur, ſed fideliter obſeruentur. Sergius Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi. Gratus Epiſcopus directus à domino meo Stephano Epiſcopo, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

Ex hoc Concilio citat Gratianus quatuor Canones. Can. Gratiano citati de hoc Concilio.

PRIMVM.

Quòd in diebus Quadrageſimæ nuptias celebrare non licet.

NON oportet à Septuageſima vſque ad Octauam Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtiuitatem 1. q. 4. Nõ oportet.

Digitized by Google

tem ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ab Aduentu Domini vſque poſt Epiphaniam nuptias celebrare. Quod ſi factum fuerit, ſeparentur.

SECVNDVM.

2. q. 4. Presbyter ſi. NON prohibetur à ſacris Ordinibus, qui à Medicorum inciſione claudus efficitur.

TERTIVM.

STATVITVR, quomodo Clericus infamatus debeat ſe purgare ſeptem teſtibus, & iuramento, vt fecit Leo Papa coram Cæſare Carolo. Et ſi hoc facere non potuerit, ſuſpendatur vſque ad dignam ſatisfactionem.

QVARTVM.

De Conſ. d. 4. Omnis Presbyter. STATVITVR quòd Sacerdos ad baptizandi officium & ad veſtimenta Altaris lauanda, debet habere propria vaſa.

CONC. VALENTINVM

ſex Epiſcoporum in Hiſpania habitum anno 15. THEODORICI *Regis, tempore* IOANNIS *Papæ, anno Domini* 524.

AN NO DOMINI D.XXIV. NOTA, quòd Garçias dicit, hoc Cōcilium celebratum eſſe ſub Symmacho Papa; & idem dicit Carranza in ſua Summa Conciliorum. Sed hæc ſententia meritò reprobatur à Binio: quia manifeſtè conſtat, annū 15. Theodorici in Hiſpania regnantis, cum Pontificatu Ioannis Papæ I. & cum anno Chriſti nati 524. coincidere. Deinde nec etiam probat eiuſdem dictum, quòd hoc Concilium ſit celebratum Æra 584. quia ſi ſic eſſet, non ſub Symmachi, ſed ſub Pontificatu Vigilij anno Domini 546. celebrata foret. Quæ cùm Actis Synodalibus repugnent, veriorem ſententiam ſequimur, & vtramque hanc Synodum Hiſpanicam ſub Pontificatu Ioannis collocamus, qui cum quintodecimo Theodorici coincidit.

CAPITA CONCILII VALENTINI.

CAP. I.

Euangelium poſt Apoſtolum legatur.

INTER cetera hoc eſſe cenſuimus obſeruandum, vt ſacroſancta Euangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorū, in ordine Lectionum, poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria Chriſti præcepta, vel ſermones Sacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui è diuerſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem euidenter ſcimus.

Deinde ſtatuitur, qualiter Epiſcopus defunctus per viciniorem Epiſcopum ſit honorificè tumulandus, & eius exequiæ celebrandæ.

ANNOTATIO.

SEPVLTVRAM & exequias mortuorum maxima obſeruantia coluerunt antiqui Patres, quaſi argumentum euidenſq; præſagium reſurrectionis corporum; & in honorem organi, quo Spiritus ſanctus ad officia pietatis eſt vſus, dum illud corpus defunctum vitam ageret. Vnde Concilium Bracarenſe I. cap. 16. his, qui ſibi inferunt mortem, commemorationem in oblatione negat, & officium Pſalmorum in funere: idem de Catechumenis, cap. 17. Neque vno eodemque modo funeris ritus & cærimoniæ apud Chriſtianos fuerunt: ſed pro diuerſitate ſtatus, dignitatis, & ordinis, alius Præſulis, alius Sacerdotis, alius laici Chriſtiani iuſta ſoluendi modus, diuerſæque cærimoniæ: & ſicuti in vita, ita in morte diſcrepans cultus & religio corporibus tributa. De hoc ſepeliendi ritu audiamus D. Auguſtinum, qui in libro de Cura agenda pro mortuis, ſic loquitur: *Non ſunt contemnenda & abijcienda corpora defunctorum, maximè iuſtorum atque fidelium, quibus tamquam organis ac vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid eſt einſmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes maior affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiariùs atque coniunctiùs quàm quælibet indumenta geſtamus.* Et infrà: *Vnde & antiquorum iuſtorum funera, officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ,*

&

& ſepultura prouiſa: ipſiq́, dum viuerent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandauerunt.

CONC. ARELATENSE III.

circa tempora IOANNIS *Papæ I. celebratum, eſtque Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.XXIV. IN hoc Concilio de Eccleſiaſtica diſciplina in ordinandis miniſtris Eccleſiæ ſeruanda, plura Decreta ſancita fuerunt. Alias quaſdam huius Concilij Conſtitutiones collegerunt alij, quos prudens Lector conſulere poterit. Hac Synodo ſubſcriptione Epiſcoporum approbata eſt illa epiſtola Fauſti Regienſis, quam dedit ad Lucidum quendã magni nominis Presbyterum, Prædeſtinatorum hæreſim ſectantem, vt hominem in errorem lapſum ad Catholicam fidem reuocaret. Ad hoc ſentiendum, mouent me ſubſcriptiones Epiſcoporum, quia iidem magna ex parte Epaunenſi Concilio paulò ante hæc tempora ſub Pontificatu Symmachi celebrato interfuiſſe & ſubſcripſiſſe inueniuntur. Libellum eius Pelagianis erroribus pleniſſimũ, quem de Gratia & libero arbitrio inſcripſit, & toti orbi vulgauit, quemque Cæſarius Arelatenſis, Auitus Viennenſis, Epiſcopi, Ioannes Presbyter Antiochenus contrario ſcripto refutarunt, quem denique Gelaſius Pontifex meritò inter Apocrypha detulit: hunc, inquam, libellum ſacer Epiſcoporum Conuentus nequaquam approbauit. In fine huius Commentarij & libelli ipſe Fauſtus, vel alius quis doloſè addiderat hæc verba: *In quo quidem Opuſculo poſt Arelatenſis Concilij ſubſcriptionem, nouis erroribus deprehenſis adiici aliqua Synodus Lugdunenſis exegit*: vt ſcilicet aliquo fuco vendi tati poſſet, quaſi ſcriptum de Gratia & libero arbitrio commentarium duæ Synodi recepiſſent & approbaſſent. Fraude hac animaduerſa, ſuprà recenſita verba prudenter meritoque nunc inde ſublata, & ante illud Fauſti Opus collocata ſunt, vt ſua quæque tempori & auctoribus redderentur, néve Fauſtus ſimpliciores infauſtè decipere poſſet. Vide omnia apud Binium latè.

Circa tempus, in quo Concilium hoc fuit celebratum, Collector Venetæ editionis exiſtimauit, illud celebratum fuiſſe anno Domini 453. ideoque illud ſub Leonis Pontificatu collocauit: quod etiam fecit Carranza in ſua Summa; ſed malè: nam ex eo quòd Arelatenſis Epiſcopus Cæſarius huic Concilio præſediſſe & ſubſcripſiſſe reperitur, verius eſſe putamus, vt dum in Codice legitur celebratum Arelatenſe Concilium ſub Conſulatu Opilionis, id intelligamus de illo Opilione, qui in Faſtis anno Domini 524. vnà cum Iuſtino Imperatore Conſulatum geſſit: quodque Collector malè cautus Vincomalum Opilioni addiderit, qui in Actis huius Concilij, prætermiſſo Orientali Conſule, ſine collega poſitus fuerat. Vt ita ſentiam, admonent me in primis tempora Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi, quem ſub Symmacho eiuſque ſucceſſoribus Pontificibus Hormiſda, Ioanne, Felice, Bonifacio, Ioanne Secundo, Agapeto, Silnerio, & Vigilio, vſq; ad annum 554. ſuperuixiſſe, literæ ad eum ſcriptæ & redditæ, manifeſtè indicant. Confirmatus ſum in hac ſententia, tum quòd omnes fermè Epiſcopi huic Arelatenſi Concilio interfuiſſe legantur, qui Arauſicano II. ſubſcripti reperiuntur, de cuius certo tempore infrà ſub Felice IV. pluribus agam: tum etiam quòd Baronius, mutata priori ſententia, hanc tamquam veriorem in Appendice ad annum 453. ſuperaddita, amplexus fuerit.

CONCILII ARELATENSIS III. DECRETA.

CVM in Baſilica S. Mariæ in Arelatenſi ciuitate Sacerdotes Domini conueniſſent, congruum eis & rationabile viſum eſt, vt primùm de obſeruandis Canonibus attentiſſima ſollicitudine pertractantes, qualiter ab ipſis Eccleſiaſticæ

ſiaſticæ regulæ ſeruarentur, ſalubri Concilio definirent.

I. Vt Diaconus ante 25. annos, & Sacerdos ante 30. non ordinetur.

II. Vt bigami, vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad Sacerdotium non prouehantur.

III. Vt laicus ante annum conuerſionis non ordinetur.

IV. Vt qui Clericum alienum defendere nititur, communione priuetur.

V. Vt laici, qui excubias funeris obſeruant, cum timore, & terrore, & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præſumat cantare, nec iocos, nec ſaltationes facere, quæ Pagani docente diabolo adinuenerunt. Quis enim neſciat, diabolicum eſſe, & non ſolùm à religione Chriſtiana alienum, ſed etiam humanæ naturæ eſſe contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora diſſolui, & omni pietate & affectu charitatis poſtpoſito, quaſi de fraterna morte exultare, vbi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerit reſonare pro amiſſione chari fratris? Patres ſiquidem veteris & noui Teſtamenti, mortes ſanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deploraſſe, in nullo autem loco de illis, qui à ſæculo diſceſſerant, exultaſſe. Nam & Iacob
Gen. 50. Patriarchã tota fleuit Ægyptus 70. diebus, & Ioſeph & fratres eius, cùm patrem deferrent in terram Chanaan ad ſepeliendũ, celebrantes exequias, planctu magno atque vehementi impleuerunt ſeptem dies. Tantus autem fuit planctus, vt locus inde nomen accepit. Et de beato Stephano legitur, quòd
Act. 8. *ſepelierunt eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* Et ideò talis inepta lætitia & peſtifera cantica, ex auctoritate interdicenda ſunt. Si quis autem cantare deſiderat, *Kyrie eleiſon* cantet: ſi autem aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult, in craſtino à Presbytero taliter coërceatur, vt alij timeant.

Sequuntur Anathematiſmi FAVSTI REGIENSIS, *ex eius epiſtola ad* LVCIDVM, *quæ extat apud Binium.*

ANATHEMA ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari, damnanda præſumptione contenderit: & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit.

Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem Catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa huiuſmodi oblectamenta prolapſum, in Adam & originale peccatum periiſſe aſſeruerit.

Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit.

Item anathema illi, qui dixerit, illum qui periit, non accepiſſe vt ſaluus eſſe poſſet, id eſt, de baptizato, vel de illius ætatis Pagano, qui credere potuit, & noluit.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd vas contumeliæ non poſſit aſſurgere, vt ſit vas in honorem.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſaluos eſſe velit.

Hactenus Fauſti Anathematiſmi, qui mox iſta ſubiungit:

Cùm autem ad nos in Chriſti nomine veneris, aut cùm à ſanctis Sacerdotibus euocatus fueris: tunc opportunè (ſi Dominus iuſſerit) locis ſuis teſtimonia proferemus, quibus & quæ Catholica ſunt, manifeſtentur; & quæ Catholicis ſunt contraria deſtruantur.

Hæc Fauſtus, qui & mox ſubdit quæ de his ipſe ſentiat, verbis iſtis:

Nos autem per illuminationẽ Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui periit per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatui, laboribus obedientiam non negaſſet: & eum qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas ſeruitio obſe-

obſequente, peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam.

Nos ergo per medium, Chriſto duce, gradientes, poſt gratiam, ſine qua nihil ſumus, laborem laborioſæ ſeruitutis aſſerimus: ſed omnimodò arrogātiam & præſumptionem laboris excludimus: vt totis viribus deſudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini ſuſceperimus, donum pronuntiemus eſſe, non pretium; ſcientes, laboris ipſius fructum, officij rem eſſe, non meriti; cum Euangeliſta dicentes: *Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Hæc quæ ſtrictim pro Epiſtolæ breuitate memorata ſunt, aut recipere ſe, aut reſpuere vnanimitas tua, recurrente ſermone, reſpondeat. Ceterùm, qui hanc veritatis menſuram, gratia præcedente, & conatu aſſurgente, non ſequitur, dignus erit qui à ſacris liminibus arceatur.

Luc.17.

Ego autem indiuiduam mihi bonitatem tuam toto ſinceræ benignitatis amplexu in via retinens, in matris Eccleſiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, deſidero: qui ſi citò reſpuatur, ignorantia fuiſſe videbitur; blaſphemia verò reputabitur, ſi pertinaciter defendatur. Grauem namque in Auctorem retorquemus inuidiam, ſi dicamus, quòd ei poſſibilitatem capeſſendæ ſalutis noluerit dare qui periit, ei dumtaxat, qui capere iam poſſit arbitrij libertatem: cùm minimè negare poſſimus, quòd mandati præuaricatorem in iudicij ſui examinatione damnabit. Qui enim non eſt obnoxius de ſuſcepto, neſcio quomodo reus eſſe poſſit de perdito. Ac ſi peccantes in Deum, cuius in primis incautiùs aſſeruimus gratiam, in poſtremis eius videbimur impugnare iuſtitiam. Huius autem epiſtolæ exemplar mecum retineo, in conuentu ſanctorum Antiſtitum, ſi ita neceſſe fuerit, proferendum. Quam ſi ſuſcipiendam putauerit fraternitas tua; aut ſubſcriptam manu propria mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe improbaſſe reſpondeat. Quòd ſi eam ſubſcriptam (vt dixi) tranſmittere nolueris, apertè adhuc te in errore perſiſtere, ipſo ſilentio comprobabis: ac proinde iam neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideò ſecundùm hæc quæ à me ſunt directa, reſcribe, vtrùm ea, remotis circuitionibus, aut cognoſcas, aut reſpuas.

LVCIDI *plena confeſſio, ex eius epiſtola, quam in deteſtationem errorum ſuorum ad alium Epiſcoporum Conuentum Lugdunenſem ſcripſit, quæ extat apud Binium.*

CORRECTIO veſtra, ſalus publica; & ſententia veſtra, medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera confeſſione mea diluam.

Proinde, iuxta prædicandi recentia ſtatuta Concilij, damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem diuinæ gratiæ non eſſe iungendum.

Qui dicit, Poſt primi hominis lapſum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Qui dicit, Quòd Chriſtus & Saluator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit.

Qui dicit, Quòd præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem; vel quòd cum Dei voluntate pereant, qui pereunt.

Qui dicit, Quòd poſt acceptum legitimè Baptiſmum, in Adam moriatur quicumque deliquerit.

Qui dicit, Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.

Qui dicit, Ab Adam vſque ad Chriſtum, nullum ex Gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per Legem naturæ, in aduentu Chriſti fuiſſe ſaluatos, eò quòd liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

Qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel ſummos quoſque Sanctorum, etiam ante

ante redemptionis tempora, intra Paradiſum deguiſſe. Hæc omnia quaſi impia & ſacrilegiis repleta condemno.

Ita autem aſſero gratiam Dei, vt anniſum hominis & conatum gratię ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronuntiem, & periclitari eum qui ſaluus eſt, & eum qui periit, potuiſſe ſaluari.

Chriſtum etiam Dominum & Saluatorem noſtrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe: & quia nullum perire velit, qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium, diues in omnibus qui inuocant illum.

Aſſero etiam, per rationem & ordinem ſæculorum, alios Lege gratiæ, alios Lege Moyſi, alios Lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos; tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri Sanguinis non abſolutos.

Profiteor etiam æternos ignes & infernales flammas factis capitalibus pręparatas; quia perſeuerantes humanas culpas meritò ſequitur diuina ſententia: quam iuſtè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me domini ſancti & Apoſtolici Patres.

CONCILIVM ARAVSICANVM II.

tempore FELICIS *Papæ* IV. *anno Domini 529. celebratum, contra* SEMIPELAGIANOS & MASSILIENSES.

ANNO DOMINI D.XXIX.

HIC ſacer Conuentus Epiſcoporum, habitus eſt occaſione ſcriptorum quorumdam Fauſti Regienſis, qui circa annum Domini 472. ſancto Proſpero in Regienſi Epiſcopatu ſubſtitutus (extant enim epiſtolæ Sidonij ad eum velut Epiſcopum Regienſem his temporibus datæ) de gratia Dei qua ſaluamur: in quo ſub ſpecioſo titulo Pelagium damnans, verè Pelagianizat. Hoc Opus cùm magna auiditate legẽtium, non tantùm in Galliis, vt conſtat teſtimonio Sidonij lib. 9. epiſt. 9. neque etiam in Italia duntaxat, ſed & Conſtantinopoli, & in Africana Eccleſia expeteretur atque diuulgaretur; Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, non ſolùm libellum de Gratia & libero arbitrio, auctoritate Felicis IV. approbatum, contra eum conſcripſit; verùm etiam hoc Epiſcoporum Concilium indixit, vt in eo communi omnium Patrum conſenſu definiretur, quid circa hanc Orthodoxæ fidei doctrinam credendum atque tenendum eſſe videretur. S. Auguſtini ſcripta contra Pelagium edita, nemo iam in Galliis apertè impugnare audebat. Pelagio iam propè infami nemo contra infamiam adhæreſcere conabatur, ſed per fraudes & inſidias latenter id cum Fauſto Regienſi Epiſcopo quidam Gallicani Presbyteri moliebantur. Hoc itaque Epiſcoporum conuentu pro fide Catholica, ſcriptiſque Auguſtini aſſerendis & defendendis, de Gratia & libero arbitrio viginti quinque Canones conſtituti ſunt, qui omnes ferè ad vnum ſunt ſententiæ & verba S. Auguſtini, ex ipſius ſcriptis diuerſis deſumpta, vt in Annotationibus ſingulorum Canonum oſtendemus.

Hæc autem Synodus quòd celebrata fuerit anno Domini 529. ſub Pontificatu Felicis Papæ IV. euidenter oſtenditur: Primò ex fine Actorum Concilij, vbi dicitur Cæſarius hanc Conſtitutionem relegiſſe & ſubſcripſiſſe: idq; quinto Nonas Iulij, Decio Iuniore viro Clariſſimo Conſule, quæ proculdubiò de illo Conſulatu Decij intelligenda ſunt, quo Cæſarius Arelatenſi Eccleſiæ præſidebat. Et quamquam plures anni, alicuius Iunioris Decij Conſulatu conſignati reperiantur in Faſtis; hic tamen Conſulatus ille eſt quem Caſſiodorus aſſignat anno Domini 529. quando Felix IV. Romæ, & Cæſarius Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopatum adminiſtrabant. Vixiſſe autem Cæſarium ſub Pon-

by Google

Pontificatu Felicis IV. indicat ſcripta ad eum epiſtola, quam ex codice Arelatenſi acceptam, nunc primùm ſuæ Conciliorum editioni inſeruit Binius. Secundò ex ſubſcriptione Liberij Patricij Galliarum Pręfecti patet, hanc Synodum celebratam eſſe illis temporibus, quibus idem Liberius Patricius Galliarum Præfecturam à Theodorico acceptam agebat. Quod cùm acciderit ſub finẽ Theodorici & initium Athalarici, vt ex epiſtolis eorumdem Regum ad ipſum ſcriptis colligere licet, dubium nullum eſt, quin Acta Concilij Conſulatu Iunioris Decij conſignata, & ſubſcriptione allegati Patricij approbata, prædicto anno Domini 529. ſub Pontificatu Felicis IV. habita fuerint.

Quòd plurimi viri doctiſſimi ſenſerint, hoc Arauſicanum Cõcilium II. tempore Leonis Papæ celebratum, quo Arauſicanum Primum habitum eſſe liquidò conſtat, accidit ex ſubſcriptione S. Proſperi & S. Eucherij Epiſcoporum, quorum ille, vt infrà dicemus, malè creditus eſt eſſe idem Proſper, qui S. Leonis Papæ temporibus vixiſſe certò ſcitur. Quis verò fuerit ille Eucherius ibidem ſubſcriptus, dixit Binius in Notis prædicti Concilij Arauſicani Primi: vbi etiam annotauit, Cæſarium illum, cuius nomen ibidem ſubſcriptum inuenitur, planè alium fuiſſe ab hoc magni nominis Cæſario Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopo: ſiquidem illo tempore Hilarius Arelatenſem Epiſcopatum adminiſtrarit, & nõ priùs quàm poſt tres alios intermedios Epiſcopos defunctos Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus creatus fuerit. Vide Baronium anno Domini 463. item in Append. anni 529. Tom. 10. Vaſquius Tom. 1. diſput. 91. num. 76. & ſeqq. aliter ſentit.

Circa Canones verò huius Concilij ſciendum, quòd quot ſunt Canones, tot ſententiæ Catholicæ Eccleſiæ hîc ſunt ſtabilitæ, à quibus abſque præuaricationis piaculo nulli fideli recedere licet. Ex diuerſis locis S. Auguſtini ad verbum ferè omnes deſumptæ videntur. S. Proſper eaſdem à ſe excerptas retulit in librum, cui titulus eſt, Sententiarum. Canones viginti quatuor numero dumtaxat conſtituti ſunt, quia totidem capitula (fortaſſis ea quæ continẽtur epiſt. Cęleſtini Papæ, quæ apud Binium extat) de Gratia & libero arbitrio, Pontifex Romanus in Gallias miſerat. Vnde illud ſumma diligentia obſeruandum, quòd ſanctiſſimi atque doctiſſimi Patres pugnaturi aduerſus hoſtes gratiæ Dei, nimium libero arbitrio tribuentes, nullo potentiori modo id poſſe fieri exiſtimarunt, quàm ſi ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritati inniterentur. Planè illicitum eſſe putabant, vel nimiùm obniti S. Auguſtini de Gratia & libero arbitrio ſententiis, quas Cæleſtinus Pontifex pręallegata epiſt. 1. Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmauerat. Nihil igitur prætereà nouitas ſibi deinceps vendicet, nihilque humana pręſumptio præſumat: ſed potiùs approbatam antiquorum Patrum definitionem amplectatur, & illi acquieſcat.

CANONES CONCILII ARAVSICANI II.

De libero arbitrio, vel diuerſis conditionibus, & de rebus neceſſariis per Capitula requirendis.

CVM ad dedicationem Baſilicæ, quam Illuſtriſſimus Pręfectus & Patricius, filius noſter Liberius in Arauſica ciuitate fideliſſima deuotione conſtruxit, Deo propitiante, & ipſo inuitante, conueniſſemus, & de rebus quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos fuiſſet ſpiritualis oborta collatio; peruenit ad nos, eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam, ſentire velint. Vnde & nobis ſecundùm auctoritatem & admonitionem Sedis Apoſtolicæ, iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca Capitula, ab Apoſtolica ANNO DOMINI D.XXIX.

lica

lica Sede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendum eos, qui aliter quàm oportet ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui hucuſque, non ſicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum ſuum inclinare non differat.

I. Si quis per offenſam præuaricationis Adæ, non totum (id eſt ſecundùm corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illęſa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduerſatur Scripturę dicenti: *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Et: *Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis?* Et: *A quo quis ſuperatur, eius & ſeruus addicitur.*

Ezech. 18. Rom. 6. 2. Pet. 2.

II. Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, non & eius propagini, aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt.*

Rom. 5.

ANNOTATIO.

Hoc Capitulum deſumptum eſſe videtur ex cap. 4. lib. 4. contra 2. Epiſt. Pelagij.

III. Si quis ad inuocationem humanam gratiæ Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: *Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui his qui me non interrogabant.*

Iſaiæ 65. Rom. 10.

IV. Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino.* & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Prou. 19. iuxta LXX. Philip. 2.

V. Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iuſtificat impium, & ad regenerationem Baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit; Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et illud: *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Et: *Gratia ſaluati eſtis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodò fideles eſſe definiunt.

Philip. 1. Ibid. Epheſ. 2.

ANNOTATIO.

Vide S. Auguſtinum lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, vſque ad cap. 9.

VI. Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humillimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* Et, *Gratia Dei ſum id quod ſum.*

1. Cor. 4. Ibid. 15.

VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet

* Hæ duæ dictiones videntur ſuperfluæ. tinet vitæ æternæ, cogitare *non expedit, aut eligere, ſiue ſalutari (id eſt, Euangelizanti) prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in
Ioan. 15. Euangelio dicentis, *Sine me nihil poteſtis*
2. Cor. 3. *facere.* Et illud Apoſtoli: *Numquid idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis? ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

ANNOTATIO.

Eadem Auguſtinus libro de Gratia Chriſti, cap. 26.

VIII. Si quis (alius miſericordiâ, alius verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt) conſtanti ſententia hominem ad gratiam Baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, vt tamen quidam valeant, ſine reuelatione Dei, myſteriũ ſalutis æternę per ſemetipſos poſſe conquirere. Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſta-
Ioan. 6. tur, niſi quem Pater attraxerit. Sicut &
Matth. 16. Petro dicit: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Et Apoſto-
1. Cor. 12. lus: *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto.*

IX. *De adiutorio Dei.* Diuini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur.

ANNOTATIO.

Sententia eadem eſt apud Proſperum 22. & ad verſ. *Cogitaui vias meas.*

X. *De adiutorio Dei.* Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandũ, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

XI. *De obligatione votorum.* Nemo quidquam Domino rectè vouerit, niſi ab ipſo acceperit, ſicut legitur: *Quæ de* 1. Par. 29.
manu tua accepimus, damus tibi.

ANNOTATIO.

Idem S. Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei, c. 4. Sententia verò apud Proſperum eſt 54.

XII. *Quales nos diligit Deus.* Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

ANNOTATIO.

Sententia eſt apud Proſperum quinquageſima ſexta.

XIII. *De reparatione liberi arbitrij.* Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Vnde ipſa Veritas dicit: *Si vos Filius li-* Ioan. 8.
berauerit, tunc verè liberi eritis.

ANNOTATIO.

Ita S. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 12.

XIV. Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ,* Pſal. 78.
Domine. Et illud: *Deus meus: miſericordia* Pſal. 58.
eius præueniet me.

ANNOTATIO.

*Sententia eſt apud Proſperum ducenteſima vndecima.

XV. Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, ſed in peius per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas, mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam. Illa ergo mutatio, fuit præuaricatoris primi: *hæc*, ſecundùm Pſal- Pſal. 76.
miſtam, *mutatio dexteræ Excelſi.*

ANNOTATIO.

Sententia eſt apud Proſperum ducenteſima vigeſima quinta.

XVI. Nemo ex eo quod videtur ha- 1. Cor. 4. Gal. 2.
bere, glorietur, tamquam non acceperit; aut ideò ſe putet accepiſſe, quia litera extrinſecus, velut legitur, apparuit, vel vt audiretur, ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit: *Si per legem iuſtitia, ergo* Ephes. 4.
Chriſtus gratis mortuus eſt. Aſcendens in Pſal. 67.
altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat,

Digitized by Google

negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

ANNOTATIO.

S. Auguſtinus De Spiritu & litera, cap. 28.

XVII. *De fortitudine Chriſtiana.* Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

ANNOTATIO.

Vide Sententiam 295. apud Proſperum.

XVIII. Debetur merces de bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.

XIX. *Neminē niſi Deo miſerante ſaluari.* Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde, cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?

ANNOTATIO.

Vide ſanctum Auguſtinum epiſtola 106.

XX. *Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.* Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat vt faciat homo.

ANNOTATIO.

Vide contra duas epiſtolas Pelagij l. 2. c. 8.

XXI. *De natura & gratia.* Sicut eis, qui volentes in Lege iuſtificari, & à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus: Gal. 2. *Si ex lege iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* iam hîc enim erat lex, & non iuſtificabat: iam hîc erat natura, & non iuſtificabat: ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum Matth. 5. impleretur, qui dixit: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere:* & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, veniſſe ſe quærere & ſaluare quod perierat.

ANNOTATIO.

Auguſtinus de Gratia & lib. arbitrio, c. 13. eadem verba eamdemq; ſententiam habet.

XXII. *De his quæ hominū propria ſunt.* Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi quibuſdam guttis irrorati, non deficiamus in via.

ANNOTATIO.

Hæc ex Auguſtino, Tractatu 5. in Ioan. eſtque Sententia apud Proſperum 323.

XXIII. *De voluntate Dei & hominis.* Suam voluntatē homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autē ita faciunt quod volūt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & obitur, quod volunt.

ANNOTATIO.

Extat apud S. Auguſtinum Tract. 19. in Ioan. eſtq; Sententia apud Proſperum 336.

XXIV. *De palmitibus vitis.* Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed inde accipiāt vnde viuant. Sic quippe vitis eſt in palmitibus, vt vitale ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice viuere.

ANNOTATIO.

Ex Auguſtino ſuper Ioannem, Tractatu 81.

XXV. *De dilectione qua diligimus Deū.* Prorſus donum Dei eſt, diligere Deum. August. Tract. 102 in Ioan. Ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Diſplicentes amati ſumus, Ioan. 4. vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit Ioan. 14. Rom. 5. enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio. Ac ſic ſecundùm ſupraſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum diffinitiones, hæc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſteà aut

dili-

diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iuſtum, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnem antiquorum ſanctorũ multitudinem, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quia gratiam, etiam poſt aduentum Domini, omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti nouimus ſimul & credimus largitate conferri, ſecundùm illud, quod iam ſuprà dictum eſt, & prędicat Paulus Apoſtolus: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Et illud: *Deus, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri.* Et illud: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Et quod de ſeipſo ait Apoſtolus: *Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem.* Non dixit, *quia eram*, ſed, *vt eſſem.* Et illud: *Quid habes quod non accepiſti?* Et illud: *Omne datũ bonum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quidquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper.* Innumerabilia ſunt ſanctarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſint ad probandam gratiam proferri: ſed breuitatis ſtudio prætermiſſa ſunt, quia & reuerà, cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſuiipſius inſpirat, vt & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adiutorio ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Vnde manifeſtiſſimè credendum, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zacchæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum. Et quia diffinitionem antiquorum Patrum, noſtramque, quæ ſuprà ſcripta eſt, non ſolùm Religioſis, ſed etiam laicis, medicamentum eſſe & deſideramus, & cupimus; placuit ergo, vt etiam illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam Feſtiuitatem conuenerunt, propria manu ſubſcriberent. Cęſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, Conſtitutionem noſtram relegi, & ſubnotans ſubſcripſi, Nonas Iulij, Decio Iuniore viro clariſſimo Conſule. Iulianus Epiſcopus ſubſcripſi. Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi. Cyprianus Epiſcopus ſubſcripſi. Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi. Heraclius Epiſcopus ſubſcripſi. Philagrius Epiſcopus ſubſcripſi. Maximus Epiſcopus ſubſcripſi. Prætextatus Epiſcopus ſubſcripſi. Aletius Epiſcopus ſubſcripſi. Lupercianus Epiſcopus ſubſcripſi. Vindemialis Epiſcopus ſubſcripſi. Petrus, Marcellus, Felix, Liberius, viri clariſſimi & illuſtres Præfecti Prætorij Galliarum atque Patricij conſentientes ſubſcripſerunt. Siagrius vir clariſſimus Conſ. ſubſcripſit. Opilio vir clariſſimus Conſ. ſubſcripſit. Pãtagathus vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit. Deodatus vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit. Clariattho vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit. Marcellus vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit.

Heb 11. per totum. Philip. 1. Ibidem. Epheſ. 2. 1. Tim. 1. 1. Cor. 4. Iacob. 1. Ioan. 3. Luc. 23. Act. 10. Luc. 19.

CONCILIVM VASENSE, ALIAS VASIONENSE,

nomine II. *re verò ipſa* III. *tempore* IOANNIS *Papæ* II. *ſub Conſulatu* DECII IVNIORIS *menſe Nouemb. anno* 529. *celebratum.*

ANNO DOMINI D.XXIX.

CANONES Tertij & Primi Vaſenſis Concilij confuſi ſunt, vt diximus ſuprà in Annotatione Concilij Vaſenſis I. ſub Iulio. Et quamquam ibi duo Capitula hinc deſumpta, Primo Vaſenſi adſcripſerimus; placuit tamen eadem ſuis locis relicta, hîc viciſſim adſcribere, ne quam Lector confuſionem incurrere, vel quid præter auctoritatem antiquorum & doctiorum ablatum culpare valeat.

CANONES VASENSIS CONCILII *nomine* II. *re ipſa verò* III.

CAPITVLVM PRIMVM.

CVM ſecundùm ſtatuta Canonum, in Vaſenſi vico ſanctorum Pontificum fuiſſet Concilium congregatum, iuxta conſuetudinem antiquorum Patrum regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præſentibus dominis Sacerdotibus aliquid contra Decreta ſpiritualia aut prætериiſſe aut præſumpſiſſe cognouimus. De qua re vberes Deo gratias agimus, quia ſeruis ſuis ſecundùm pietatis conſuetudinem præſtare dignatus eſt, pro quibus ſolo perfectę charitatis affectu, & pro deſiderio videndi, ad Synodum conuenerunt. Et quamuis omnia, quæ à ſanctis Sacerdotibus vel Clericis obſeruari debeant, & antiqui & nouelli Canones continere probentur, tamen ne congregatio ſanctæ ſine aliqua definitione diſceſſerit, vel parum aliquid quod ad ædificationem Eccleſiarum pertinere poſſit, inſpirante Domino decreuerunt: & hoc placuit, vt omnes Presbyteri, qui ſunt in Parochiis conſtituti, ſecundùm conſuetudinem quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognouimus, iuniores Lectores quantoſcumque, ſiue vxores habuerint ſecum in domo, vbi habitare videntur, recipiant: & eos, quomodo boni patres ſpiritualiter nutrientes, Pſalmos parare, diuinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant, vt & ſibi dignos ſucceſſores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiant. Cùm verò ad ætatem perfectam peruenerint, ſi aliquis eorum pro carnis fragilitate vxorem habere voluerit, poteſtas ducendi coniugem non negetur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Vt Presbyteris prædicandi poteſtas ſuis plebibus concedatur.

HOC etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem, ita vt ſi Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni ſint Diaconi, quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni iudicentur, ſanctorum Patrum expoſitiones publicè recitare?

CAPITVLVM TERTIVM.

Vt Kyrie eleïſon *in omnibus Eccleſiis dicatur.*

ET quia tam in Sede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ Prouincias dulcis & nimiùm ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, vt *Kyrie eleïſon* frequentiùs cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, vt in omnibus Eccleſiis noſtris iſta conſuetudo ſancta & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperam, Deo propitiante intromittatur.

CAPITVLVM QVARTVM.

VT in omnibus Miſſis, ſiue Matutinis, ſiue Quadrageſimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper *Sanctus, Sanctus,*

San-

Sanctus dicatur, & vt nomen Papæ vrbis Romæ in noſtris Eccleſiis recitetur.

CAPITVLVM QVINTVM.

VT propter hæreticorum incredulitatem, poſt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, etiam, *Sicut erat in principio*, &c. ſemper dicatur.

CONCILII VASENSIS CAPITVLVM *ex Decreto Gratiani* 13. *q.* 2. *Præcipiendũ.*

DE ſepulturis, quomodo non eſt accipiendum pretium.

CONCILIVM CARPENTORACTENSE

celebratum circa tempora IOANNIS I. *& annum Domini* 529. *Eſtque Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.XXIX. QVO anno præciſè quóve die hæc Synodus celebrata fuerit, non conſtat: eamdem verò circa hæc allegata tempora habitam fuiſſe, facilè cohiicere poſſumus ex eo, quòd fermè omnes ijdem Epiſcopi huic interfuiſſe & ſubſcripſiſſe reperiantur, qui præcedentibus duobus Arauſicano II. & Vaſenſi III. Conciliis ſubſcripſerũt. Placuit igitur hunc Conuentum hiſce ſubiungere, quibuſcum eorumdem Epiſcoporum præſentiam & ſubſcriptionem habere meruit.

Quid verò in hoc Concilio actum ſit, ex epiſtola Cæſarij ad Agretium, quæ extat apud Binium, conſtat, qua ſignificatur, ipſum Agretium Patrum ſententia ſuſpenſum eſſe per annum à ſacratum Miſſarum celebratione, ob ordinationem ab eo perperàm factam, & quòd ad dicendam cauſam ad Synodum vocatus, neque ipſe venerit, neque alium quemquam ſuo loco miſerit. Baronius anno 463. num. 13.

CONCIL. ROMANVM I.

quo BONIFACIVS VIGILIVM *Diaconũ ſibi ſucceſſorem delegit: & quod idem* BONIFACIVS *paulò pòſt reprobauit.*

D.XXX. CONCILII huius Romæ ob prædictam cauſam congregati, mentio habetur apud Anaſtaſium in Vita Bonifacij his verbis: *Hic congregauit Synodum in Baſilica B. Petri Apoſtoli, & fecit conſtitutum, vt ſibi ſucceſſorem ordinaret. Quo conſtituto, cum chirographis Sacerdotum, & iureiurando ante Confeſſionem B. Apoſtoli Petri, in Diaconum Vigilium conſtituit.*

In Vita Agapeti apud eumdem Anaſtaſium colligi videtur, quòd ſententia anathematis in mortuum Dioſcorum pronuntiata, hoc Concilio lata ac promulgata fuerit: quamquam in Vita Bonifacij ab Anaſtaſio illud factum ſic referatur, quaſi ante conuocationem Synodi contigiſſet. Vt vt ſit, illud certò conſtat, quòd poſtquam ſuum ipſius factum, velut illegitimum, Bonifacius deteſtatus fuiſſet, Agapetus Papa non minùs damnationem Dioſcori, quàm etiam deſignationem ſucceſſoris Pontificis à Bonifacio factam condemnarit. Vide Baronium anño 530. num. 1.

CONCIL. ROMANVM II.

ſub BONIFACIO, *quo ipſomet* BONIFACIO *auctore, electio* VIGILII, *viuente adhuc Pontifice facta, velut illegitima, & ſacris Canonibus contraria, irritatur & reſcinditur.*

HVIVS etiam Concilij idem Anaſtaſius in Vita Bonifacij, ob aſſignatã in titulo cauſam Romæ conuocati, meminit hiſce verbis: *Eodem tempore facta iterùm Synodo, hoc cenſuerunt Sacerdotes omnes propter reuerentiam ſanctæ Sedis, & quia contra Canones fuerat hoc factum: & quia culpa eum reſpiciebat, vt ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt Maieſtatis, quòd Diaconem Vigilium ſua ſubſcriptione chirographi, ante Confeſſionem B. Petri Apoſtoli conſtituiſſet; ac ipſum Conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio conſumpſit.*

Hunc conatum meritò reprobauit Pontifex Bonifacius, cùm non tantùm vniuerſo Clero, ſed etiam Romano populo diſpliceret. Silucrius Papa in decreto anathematis in Vigilium, ſcribit,

Digitized by Google

ab eodem procuratum eſſe, vt hæc contra Canones decernerentur; ideò hæc illi exprobrauit: *Quia contra Iura Canonica temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipſo viuente deſignari conabaris, niſi tibi ampliſſimi Senatus obuiaſſet iuſtitia: nunc prouidentia paſtorali, ac Pontificali auctoritate tua, execranda debuerant auſpicia detruncari: ſed dum paruum vulnus in te neglectum eſt, inſanabile accreuit apoſtema*, &c. Hæc eadem ab Agapeto reprobata eſſe, teſtatur Anaſtaſius in Vita eiuſdem Agapeti, his verbis: *Hic in ortu Epiſcopatus ſui Libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorſerat Bonifacius Presbyteris & Epiſcopis contra Canones & contra Dioſcorum, in medio Eccleſiæ congregatis omnibus, incendio conſumpſit*. Binius.

Annotatio.

Circa factum Bonifacij ſucceſſorem ſibi eligentis, ſciendum quòd meritò ipſemet ſuam electionem retractauit, quia Papa non poteſt ſibi eligere ſucceſſorem. Primò, Quia tranſlato Sacerdotio legali, oportuit etiam transferri formam aſſumendæ perſonæ ad Sacrificium. Et quia in Sacerdotio legali vim habebat ſucceſſio originis & carnis, vnde Sacerdotes debebant eſſe de ſtirpe Aaron, vt patet Exodi 28. Decuit ergo, vt huiuſmodi forma, tranſlato Sacerdotio, transferretur in aliam, vt iam non per carnis originem, ſed per electionem aſſumptio fieret perſonæ ad Pontificatum. Hæc ratio eſt Ioannis de Turrecremata lib. 2. de Eccleſ. cap. 51. Secunda ratio eiuſdem, eſt ex ſpiritualitate Sacerdotij Euangelici, cuius ſummus principatus non carni, ſed vitæ & ſpiritui meritò debetur. Tertia eſt ex vniuerſitate Sacerdotij, quod ad omnes tribus & nationes pertinere poteſt, ac pertinet. Quarta eſt ex qualitate vitæ, & ſanctimonia quæ requiritur in maximo Sacerdote, quæ ſanctitas minùs periclitatur, difficiliuſque perit, ſi Sacerdotium ſummum non origine, ſed electione mandetur. Quinta, ex periculo fortuito, quod accidere poſſet, ſi ſucceſſione originis Pontifex eligeretur: nam cùm ſentiret Pontifex ſibi mortem imminere, poſſet, ſiue ad illuſtrandum genus, ſiue ad familiæ ornamenta & commoda augenda, ſiue ad propinquos locupletandos, alicui conſanguineo tradere, ſeu veriùs prodere Pontificatum. Poſſent item duo nefarij Simoniacique pactionibus partiri inter ſe vices ac tempora Pontificiæ poteſtatis gerendæ, excluſis viris optimis ac rei Chriſtianæ vtiliſſimis. Vnde ſubiungit Turrecremata: *De Iure naturali & quaſi diuino videtur eſſe, quòd Papa non faciat ſibi ſucceſſorem, nec poſt mortem, nec poſt reſignationem*. Et paulò pòſt: *Sic ergo patet, quòd tam Iuri diuino quàm Iuri naturali conſonum videtur, quòd ex electione vniuerſalis Eccleſiæ, vel illorum ad quos de conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ tranſlatum eſt ius eligendi, ſicut hodie ſunt Cardinales, vt in cap. In nomine Domini, diſt. 23. & 79. cap. 1. fiat Papa, ſiue aſſumatur Summus Pontifex*. Confirmat Turrecremata hanc ipſam ſententiam Canone Anacleti, cap. Electionem, diſt. 79. Archidiaconus, in cap. Tranſitus, diſt. 79. Panormitanus in cap. Licet. De vitanda elect. n. 2. Ioannes Andreas in c. Tranſitus dictus. & communiter Doctores idem docent. Et ratio eſt, quia effectus huiuſmodi electionis refertur ad tempus, quo non eſt futurus Papa. L. Eum qui. ff. de Iuriſdiction. omn. Iudicum. Sed Conſtitutio, quam facit ſuper electionem admittitur, quia prouidet futuris ſcandalis, & in caſu quo alius præter eum prouidere non poteſt. Poſſet tamen Papa dare poteſtatem alicui Prelato, eligendi ſibi ſucceſſorem, vt in cap. Petiſti. 7. q. 1. & tunc fieret electio auctoritate Papæ, non propria.

Ad Argumentum verò quod in contrarium adduci ſolet, nempe quòd S. Petrus inſtituit ſibi ſucceſſorem Clementem, multiplex eſt reſponſio. Primò, Quòd factum eſt incertũ: ſiquidem Linus & Cletus creduntur Romanam rexiſſe Eccleſiam, vt veri Pontifices, ante Clementem; ergo videtur, quòd non eum nominauerit ſucceſſorem ſuum. Secundò, Si id fecit, fuit ex Spiritus ſancti impulſu. Tertiò, Propter poteſtatis excellentiam, quæ illius fuit propria. Quartò, Id fecit aſſentiente Eccleſia: *Nam ad conſenſum*, inquit Turrecremata vbi ſuprà, *Cleri & populi conſueuit antiquitus fieri electio. c. Quanto. & cap. Plures, diſt. 63*. Et ait, Clementis inſtitutionem per modum electionis fuiſſe: quamuis formam eiuſmodi, Eccleſia poſteà recuſarit. Quintò & vltimò dicendum eſt, Clementem verè per Petrum deſignatum fuiſſe Pontificem, ſed oblatum ſibi Pontificium, poſt obitum Petri non acceptaſſe. Teſtatur hoc Epiphanius hęreſi 27. vbi refert, Clementem hæc verba dixiſſe: *Secedo, abeo, erigatur Eccleſia Dei*: iiſque ad obitum vtriuſque, Lini nimirum & Cleti, Epiſcopatum recuſâſſe. Baronius anno Chriſti 69. num. 38. Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 5.

Magnum

Digitized by Google

Magnum autem argumentum eſt, Papam non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem, quia poſt Petrum numquam id à quoquam eſt factum: factum verò eſſet, ſi fieri potuiſſet, cùm certum ſit, non ſemper optimæ frugis homines in illa Pontificia ac ſanctiſſima Sede fuiſſe. Vnde rectè Anacletus dixit, electionem Summorum Pontificum Dominum ſibi reſeruaſſe, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus & ſpiritualibus populis conceſſerit. Legitur benè in hoc & in præcedenti Concilio, quòd Bonifacius II. ſucceſſorem ſibi elegit Vigilium; ſed caſſauit paulò pòſt electionem illam, quam ſentiebat omnibus diſplicere. Cardinalis Bellarm. in Chronologia ſub anno 530.

CONC. TOLETANVM II.

habitum anno quinto AMALARICI *Regis, circa tempora* BONIFACII *Papæ* II. *anno Domini* 531.

ANNO DOMINI D.XXXI. I. In hoc Concilio primùm ſtatutum eſt, vt Clerici, quos parentes ab infantia Clericatus officio mancipauerunt, ſi pòſt velint ad nuptias accedere, permittantur. Et idem de Monachis, vt cùm peruenerint ad annum 18. eorum voluntas requiratur, & non anteà: nec Subdiaconatus officium ante 20. & Diaconatus ante 25. accipiant.

II. Similiter placuit, vt nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus & ſupra, in conſortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel liberam, vel ancillam, &c.

III. Item quòd qui in terris Eccleſiæ agellos, ſiue vineolas, ſeu alia ædificia fecerit, illa teſtamento legare non poſſit, ſed Eccleſiæ relinquat. *Et hæc apud Binium.*

Apud Carranzam ſubiungitur etiam hoc:

Habetur etiam hîc Edictum piiſſimi Imperatoris Iuſtiniani, fidei Confeſſionem continens, & refutationem hæreſum, quæ aduerſantur Catholicæ Dei Eccleſiæ, Ioanni II. Papæ tranſmiſſum, vt patet in Vita eiuſdem in Pontificali, in quo optimè & ſatis prolixè oſtendit, in ſancta Trinitate tres perſonas, vel proprietates, & vnam eſſentiam & naturam; in Chriſto verò duas naturas, vnam perſonam, duas natiuitates. Beatam verò Virginem propriè dici Genitricem Dei. Et vltimò oſtendit, hæreticos etiam poſt mortem poſſe anathematizari: hoc probat multis rationibus, & Sanctorũ teſtimoniis.

CONCILIVM ROMANVM

ſub IOANNE *Papa* II. *quo contra* ACOEMETAS *definitum eſt, Catholicè & piè dici poſſe, vnum de Trinitate paſſum eſſe in carne: quoque etiam declaratum eſt, quo ſenſu* HORMISDA *Pontifex eam ſententiam reiecerit.*

TEMPORE Hormiſdæ Papæ oborta fuit quæſtio inter pſeudomonachos Scythiæ, Eutychianæ hæreſeos ſectatores occultos, atque Victorem Diaconũ, profeſſorem Synodi Chalcedonenſis, ſitne addendum ad Chalcedonenſe Concilium, vnum de Trinitate eſſe crucifixum Chriſtum. Illi aſſerebant, Victor negabat. Facta ſubmiſſione, declararunt Legati Sedis Apoſtolicæ, vt quis demonſtretur Catholicus, ſatis eſſe abſque vlla verborum additione Chalcedonenſe Concilium profiteri. Monachi repulſam paſſi, à ſententia Legatorũ ad Pontificem appellarunt; vbi cùm libellum appellationis aduerſus Victorem, velut Neſtorianum, & Legatos tamquam Neſtorij fautores interpoſuiſſent, iuſſique ad reditum Legatorum manere, fugiſſent; eadem ſententia Pontificis Hormiſdæ ſunt condemnati: vt patet ex relatione Dioſcori, & epiſtola Hormiſdæ ad Poſſeſſorem Iuſtinianum. His ita deciſis, inferebant Neſtoriani, eorumque defenſores ac ſectarij Acœmetæ Monachi; Si non eſt paſſus vnus de Trinitate in carne, ergo neque natus eſt idem carne; ergo neque verè dici poteſt, aiebant, Mariam verè & propriè eſſe Dei Genitricem. His accedebant Origeniſtæ, negantes Chriſtum vnum de Trinitate fuiſſe. Reſiſtebant hæreticis cum Imperatore Epiphanius Conſtantinopolitanus, D.XXXIII. ET D.XXXIV.

 nus,

nus, ceterique Orthodoxi Epiſcopi, aſſerentes piè ſanctéque dici, vnum de Trinitate eſſe paſſum in carne; impiè verò negari, ſanctiſſimam Virginē Mariam verè proprieque Matrem Dei appellandam eſſe. Acœmetæ cùm ab Imperatore inſtinctu Epiphanij magnopere vrgerentur, ad Ioannem Romanum Pontificem Legatos miſerunt, rogantes ne ſententiam illam viciſſim reciperet, quam Hormiſda ſemel exploſiſſet. Quod cùm Epiphanius & Imperator audiuiſſent, ad eumdem Ioannem Romanum Pontificem Hypatium Epheſiorum, & Demetrium Cæſareenſem Epiſcopos Legatos cum epiſtolis à Binio recitatis & excuſis miſerunt. Exceptis vtrimque Legatis, lectiſque quas ſecum attulerant epiſtolis, cognitum eſt, rem grauem atque difficilem proponi, quæ diuturniorem inquiſitionem & indaginem requirebat. Poſt factam diligentem quæſtionis indaginem, poſtque Ferrandi aliorumq; tranſmarinorum ſententias exploratas, habito Romæ deſuper Concilio, vnanimi Patrum conſenſu Acœmetarum ſententia recitata eſt & confutata: ipſius verò Iuſtiniani ſcripta fidei Profeſſio approbata fuit. Quibus peractis, Pontifex illam epiſtolam ad Iuſtinianum reſcripſit, de qua Binius quædam huc ſpectantia annotauit. Ita mutatis hoſtibus, arma mutari neceſſum fuit. Cùm pſeudomonachi Eutychiani hac ſententia doloſè Chalcedonenſi Concilio, quaſi imperfectum eſſet, & additamento indigeret, auctoritatem, Chriſto autem Domino Diuinitatem adimere conarentur; neceſſarium fuit, vt Hormiſda Pontifex ſententiam inſolitam, de fraude ſuſpectam, & ab hæreticis primùm nouiter inuentam & vſurpatam reiiceret: quantumuis ipſa remota, velut Catholica recipienda fuiſſet. Quando autem Neſtoriani & Origeniſtæ auctoritate Pontificis Hormiſdæ abuterentur, requirebat Eccleſiæ vtilitas atque neceſſitas, vt declararet Pontifex Ioannes, quo ſenſu Hormiſda Pontifex allegatam ſententiam reieciſſet, quóve admiſiſſet: ſcilicet, quòd eam non tamquam hæreticam, ſed tantùm velut nouam atque de fraudibus Eutychianorum ſuſpectam proſcripſerit & reiecerit: quæ alioquin, ſi dolus ab Eutychianis abfuiſſet, omnino recipi potuiſſet. Vide Baronium anno Domini 519. 533. & 534.

CONC. AFRICANVM SVB IOANNE PAPA II.

ANNO DOMINI D.XXXV.

AFRICANA Eccleſia in priſtinam libertatem vindicata, ad reſtituendam collapſam ob longam ſeruitutem Eccleſiaſticam diſciplinam conuenerunt Epiſcopi, ſcriptaque ad Ioannem Pontificem epiſtola Synodica, ad eumdem Legationem miſerunt, qua perfuncti ſunt Petrus & Lucius Epiſcopi, atq; Liberatus Diaconus Carthaginenſis Eccleſiæ, cui his temporibus Reparatus præſidebat. Legatio dum Romam veniens, Ioannem defunctum inueniſſet, Agapeto Papæ, qui in locum eius ſucceſſit, Synodales literas dedit. Ex eadem hac Synodo Theodorus Diaconus miſſus eſt Conſtantinopolim ad Imperatorem, pro recuperandis rebus & Iuribus Eccleſiaſticis à Wandalis vſurpatis. Qua Legatione accepta, Iuſtinianus inter alias redditas literas reperitur reſcripſiſſe ad Salomonem Præfectum Prætorio in Africa, de iis quæ Africanis Eccleſiis cōcedit, Nouella 36. & 37. Epiſtolæ præfatæ extāt omnes apud Binium.

CONC. CONSTANTINOPOL.

poſt obitum AGAPETI, *tempore interregni Pontificij ſub* MENNA, *anno Domini* 536. *poſt Conſulatum* BELISARII, *contra* ANTHIMVM, SEVERVM, *alioſque* ACEPHALORVM *principes celebratum.*

D.XXXVI.

LEGATI Sedis Apoſtolicæ, quos Pontifex anno 535. ad res componendas Conſtantinopolim præmiſerat, quoſq; decedens, ibidē nul-

la

poteſtate imminutos reliquerat, ſumo ſtudio poſt obitum Agapeti Pontificis curarũt, vt quæ ab eodem Agapeto adhuc viuente cõſtituta fuiſſent, nullo hæreticorum inſultu labefactarentur; ſed potiùs ſartatecta, atque in omnibus illibata & integra ſeruarentur. Induxerunt Mennam Conſtantinopolitanum alioſque Orientales Epiſcopos, vt idem procurarent. Antequam igitur depoſiti nuper hæretici, potentia Imperatricis freti, rurſus inſurgerent, pari conſenſu decreuerunt, ex vicinioribus, iiſque qui Conſtantinopoli morabantur Epiſcopis Synodum colligere, vt hæretici auctoritate Pontificis Agapeti compreſſi, Legatorum etiam Sedis Apoſtolicæ, & Mennæ, qui Præfectura Sedis Apoſtolicæ fungebatur, aliorumque Orthodoxorum Præſulum ſententia condemnarentur.

Synodum in Dytico habitam eſſe, ex ſingularum Actionum initio cognoſcere licet. Dyticum autem fuit celeberrimum Conſtantinopolitanæ vrbis Monaſterium Dy appellatum, cuius hoc tempore Præfectus erat Agapetus, qui in ordine Archimandritarum, in libellis Synodo oblatis, primo loco ſubſcriptus habetur. Appellatus eſt hic locus à Dio Archimandrita ſanctitate celebri. Librarij cùm hanc vocem non intelligerent, pro *Dytico*, corruptè ſcripſerunt *Dyptico*, vel *Dypſicho*. Vide Notas Baronij in Martyrol. die 8. Februarij.

Actionis primæ res geſta.

Prima Actione, ſecunda Maij conſidentes Epiſcopi mandarunt legi libellos illos, quos Orthodoxi Archimandritæ vrbis Conſtantinopolitanæ & Inferioris Syriæ Iuſtiniano Imperatori & Agapeto Pontifici obtulerunt eo fine, vt damnati hæretici non ampliùs audirentur, ſed potiùs expellerentur, & procul relegarentur. Iuſſum eſt quoque eorumdem Patrum auctoritate, vt legeretur ea epiſtola Agapeti, quam ſcripſit ad Petrum Ieroſolymitanum Epiſcopum. Quibus ita peractis, Mennas Epiſcopus Conſtantinopolitanus & Concilij Præſes, interlocutus, dixit, conueniendum eſſe & explorandum Anthimum, an ab errore reſipiſcere vellet, nécne; vt ſi minùs id faceret, expelli poſſet. Ea humanitate S. Agapetus Pontifex, vt teſtatur idem Mennas Epiſcopus, vti mandauit. Ad accerſendum Anthimum miſſi ſunt ex Synodo tres Metropolitani Epiſcopi, duo Presbyteri, atque totidem Diaconi.

Actionis ſecunda res geſta.

Ipſis Nonis, ſiue, vt alia lectio habet, pridie Nonas Maij, ſecundò conuenerunt iidem Epiſcopi; cùm qui miſſi fuerant ad accerſendum Anthimum, retulerunt, illum in locis Palatij, vbi degere conſueuit, in ſuburbio aliiſve locis diu quæſitum, inueniri non potuiſſe. His auditis, placuit ſanctæ Synodo rurſum aliorum trium dierum terminum ad reſipiſcendum illi tribuere, cuius rei gratia alij ablegati ſunt Epiſcopi, Presbyteri atque Diaconi, qui eum quærerent.

Actionis tertiæ hiſtoria.

Sexto Idus Maij rurſum ad Synodum conuenerunt Epiſcopi ſtatuto die. Vocati qui ad inquirendum Anthimum ſecundò miſſi fuerant, referebant illum maiori cum diligentia perquiſitum, nuſquam inuentum eſſe. Placuit itaque Mennæ Epiſcopo, atq; omnibus totius Concilij Patribus, tertiam reſipiſcendi dilationem, ſpatio decem dierum prorogatam, eidem Anthimo eſſe concedendam, tertioq; peremptoriè citandũ, ſic, vt niſi in termino prorogatæ dilationis compareret, præuia proclamatione, rerum contra ipſum tribus Actionibus præcedentibus geſtarum, condemnaretur. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi tot quot anterioribus citationibus miſſi, citandum diligenter vbique inquirunt, ſed nuſquam inueniunt.

Actio quarta ſummatim recenſita.

Quod dum in conſeſſu eorumdem Epiſcoporum duodecimo Kalendas Iunias celebrato, relatione eorum qui miſſi erant innotuiſſet, Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſcriptam pro-

proclamationem ad Anthimum latebras captátem publicè legi iuſſit. Cùm poſt elapſum terminum conceſſæ dilationis non comparuiſſet, in eumdem contumaciter abſentem lata ſeu potiùs iteratò pronuntiata eſt ſententia, qua viuens adhuc Agapetus illum cōdemnarat. Poſt ſententiam in Anthimum pronuntiatam, & Orthodoxorum omnium Epiſcoporum, Clericorum atque Monachorum acclamationibus approbatam, ſubſecutæ ſunt exclamationes aduerſus collegas eiuſdem Anthimi, Seuerum, Petrum, atque Zoaram, ab Agapeto Pontifice iam antè damnatos. Cumque Monachi Orthodoxi aduerſus eoſdem libellum obtuliſſent, cuius lectio in alium conuentum differretur, donec ad Imperatorem denuntiatæ querelæ eſſent perlatæ, iidem Monachi Iuſtiniano Imperatori contra Seuerum eiúſve collegas ſuprà nominatos nouos querelarum libellos obtulerunt. Quos cùm Imperator Auguſtus Synodo cognoſcendos miſiſſet, opus fuit, vt huius rei cauſa rurſum Synodus conueniret.

Actione quinta quid ſit geſtum. Pridie itaque Nonas Iunias, poſtquam libellos prędictorum Monachorum accepiſſent, iidem Epiſcopi, qui ſuperioribus Actionibus interfuerunt, eodem loco, eamdemq; ob cauſam cōuenerunt. Sedentibus Epiſcopis mandatum eſt, vt Theodorus Tribunus & Notarius atque Referendarius Imperatoris ingrediatur, miſſoſque ab Imperatorę Monachorum libellos ſecum adferat. Additum eſt, vt ſimul cum eodem vocentur & ingrediantur accuſatores hæreticorum Monachi ac Clerici, qui libellos Imperatori obtulerant. Quibus præſentibus, præcipitur primùm legi libellus Pauli Epiſcopi Apameæ Secundæ Syriæ, cuius initium eſt: *Magnificauit etiā & nunc Dominus*, &c. poſt hunc iuſſus eſt legi alius eorumdem libellus eidem Imperatori oblatus, qui ſic incipit: *Cor veſtræ pietatis in manu Dei*, &c. His duobus libellis, quos Imperatori obtulerant, perlectis, dimiſſus eſt Theodorus Referendarius. Cùm autem ipſe receſſiſſet, iuſſus eſt à ſancta Synodo legi eorumdem Monachorum libellus aduerſus prænominatos hæreticos ad Synodum datus, cuius exordium tale eſt: *Cùm iudicium aduerſus Anthimum finem acceperit*, &c. Perlecto libello illo, quo iidem appellauerant olim agitatum aduerſus eoſdem Apoſtolicæ Sedis iudicium, lecta ſunt ea, quæ aduerſus eoſdem reſcripta fuerant ab Hormiſda Romano Pontifice ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, necnon ea, quæ idem Pontifex ad Monachos Secundæ Syriæ perſcripſerat. Iuncta eſt hiſce lectio libelli ſupplicis Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Ioannem Ieroſolymorum Epiſcopum, aduerſus eoſdem hæreticos, dati tempore Iuſtini Imperatoris, cùm pax reddita eſſet Eccleſiæ. Huic ſubiecta eſt relatio à Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, tunc temporis data de pace compoſita.

Lectio Actorum eiuſdem temporis & Concilij Conſtantinopolitani ſub Hormiſda, (de quibus ſuprà plura dixi) addita eſt hîc eo fine, vt perſpicuè cognoſcatur, Seuerum, Petrum, alióſve hæreticos in hoc Synodale iudicium vocatos; tum à Romano Pontifice, tum in Synodis Antiochiæ, Conſtantinopoli, & Ieroſolymis, vel alibi celebratis, vbique locorum ab Orthodoxis condemnatos fuiſſe. Quod cùm horum omnium lectione perſpicuè cognitum eſſet, ab ipſo Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano, atque vniuerſa Synodo, latæ ſunt in Seuerum, Petrum, & Zoaram, illæ ſententiæ condemnationis, quæ in Actis Concilij recitantur. De rebus in Synodo geſtis Petrum Ieroſolymitanum Epiſcopum per epiſtolam Synodalem certiorem reddiderūt.

Cùm autem Iuſtinianus Imperator cognouiſſet, ea quæ geſta eſſent in Synodo, conſentientia in omnibus eſſe illis, quæ haud pridem ab Agapeto Romano

Digitized by Google

no Pontifice acta fuerunt; nihilque ſpei ſupereſſe, vt Anthimus errorem ſuum emendaret, eadem religione, qua hactenus ſemper enituit, pro munimento eorum quæ à Patribus ſancita eſſent, contra eoſdem damnatos hæreticos, ſcripſit ſanctionem illam, quæ in fine Actionis 5. & in Nouellis Iuſtiniani 42. extat.

Hæc ſummatim de rebus in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Epiſcopo geſtis.

CONCILIVM IEROSOLYMITANVM

poſt obitum AGAPETI, *tempore interregni Pontificij, anno Domini* 536. *decima nona Septembris contra* SEVERVM, PETRVM *&* ZOARAM *hæreticos celebratum.*

ANNO DOMINI DXXXVI. CVM Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus abſoluta Synodo, vt dictum eſt ſuprà, eius Acta miſiſſet ad Petrum Ieroſolymitanum Epiſcopum (cuius iuſſu Monachi Orthodoxi Palæſtinæ, & nonnulli Epiſcoporum contra prædictos hæreticos acturi, Conſtantinopolim abierant,) idem Petrus Ieroſolymis, decima nona Septembris, poſt Conſulatum Beliſarij, anno nimirum Chriſti 536. Synodum hanc collegit, cui Epiſcopi quadraginta quinque interfuerunt. In qua dum legiſſent & cognouiſſent ea, quæ Conſtantinopoli contra Anthimum, poſteà verò in Seuerum, Petrum, & Zoaram, condemnationis ſententiam pronuntiauerunt. Binius hîc.

CONCILIVM AVRELIANENSE II.

triginta Epiſcoporum, ſub initium SILVERII *Papæ, anno* 22. CHILDEBERTI *Francorum Regis, qui eſt Chriſti* 536. *&* IVSTINIANI *decimo celebratum.*

DXXXVI. IN hoc Concilio ſtatuta ſunt ea, quæ etiam in aliis præcedentibus Cōciliis ſtatuta ſunt. Scilicet, Vt nullus ad Concilium venire diſſimulet. Vt Metropolitanus Prouinciales ad Concilium vocet. Vt nihil de Ordinationibus accipiant. Vt nullus Sacerdotium pecuniâ appetat. Vt nullus ad ſepeliendum Sacerdotem venire diſſimulet. Vt qui ſepelit Epiſcopum, deſcriptam domum Eccleſiæ relinquat. De ordinatione Metropolitanorum. De captiuis Diaconis, ne matrimonio copulentur. Ne Presbyter cum ſæcularibus habitet. Ne quis cum nouerca iungatur. Ne infirmitate coniugium reſoluatur. Ne in laſciuiis vota Deo reddantur. Ne vllus præter Epiſcopum Apoſtolica dare præſumat. De his, qui officium implere deſpiciunt. De oblationibus interfectorum. De his, qui literas aut baptizandi ordinem neſciunt. De Diaconiſſis, quæ coniugio copulantur. De eiſdem, ne ordinentur. Ne Chriſtianus Iudæam, aut Iudæus Chriſtianam accipiat. De his, qui ad idolorum cibos tranſeunt, & ſuffocata præſumunt. De contumacibus Abbatibus.

CONCILIVM AVRELIANENSE III.

vigintiquinque Epiſcoporum, anno Domini 540. *qui eſt* VIGILII *Papæ* I. *&* CHILDEBERTI *Regis Francorum* 26. *ſub Conſulatu* PAVLINI IVNIORIS *celebratum.*

CVM in Dei nomine in Aurelianenſem vrbē ad Synodale Concilium Patres veniſſent, de his quæ per longum tempus, obſeruatione ceſſante, fuerant intermiſſa, primorum Canonum tenore ſeruato, præſentibus regulis vetera ſtatuta ſeruanda, & noua pro cauſarum vel temporum conditione addenda crediderunt. D.XL.

CANON I.

Ne à Subdiacono, & ſupra, quis ſe propriis vxoribus miſceat.

VT nullus Clericorum à Subdiacono & ſupra, quos vxores in propoſito ſuo accipere inhibetur, propriæ (ſi fortè iam habeat) miſceatur vxori. Quod ſi fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum Canonum ſtatu-

ta ab officio deponatur. Quem, ſi ſciens Epiſcopus ſuus in hac vilitate permiſtionis viuentem, ad officium poſteà admiſerit, & ipſe Epiſcopus ad agendam pœnitentiam tribus menſibus ſit à ſuo officio ſequeſtratus.

CANON II.

De electione Metropolitanorum.

De Metropolitanorum verò Ordinationibus id placuit, vt Metropolitani à Metropolitanis omnibus (ſi fieri poteſt) præſentibus comprouincialibus ordinentur, ita vt ipſi Metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem Ordinationis conſuetudo requirit. Ipſe tamen Metropolitanus à comprouincialibus Epiſcopis (ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent) cum conſenſu Cleri vel ciuium eligatur. De comprouincialibus verò ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, Cleri vel ciuium, iuxta priorum Canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur.

CANON III.

De oblatis & collatis Baſilicis.

Si qvae oblationes in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in ciuitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur. Et in eius ſit arbitrio, quid in reparatione Baſilicæ, aut obſeruantium ibi ſubſtantiæ deputetur. De facultatibus verò Parochiarum vel Baſilicarum in pagis ciuitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſeruetur.

CANON IV.

De ordinatis Clericis, ne nubant; & ne quis inuitus ordinetur.

Clerici verò, qui cùm vxores non habuerint, benedictione ſuſcepta, coniugia crediderint eligenda, qui volentes abſque vlla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus quas acceperunt, excommunicatione percellantur. Quòd ſi inuitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed non à communione pellatur. Epiſcopus autem, qui inuitum aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus, Miſſas facere non præſumat. De adulteriis autem honoratorum Clericorum id obſeruandum eſt, vt ſi quis adulteraſſe aut confeſſus vel conuictus fuerit, depoſitus ab officio communione conceſſa, in Monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur.

D. 54. Epiſcopus qui inuitum.

81. Si quis Cler. inuitum.

CANON V.

De Clerico conuicto de furto, aut falſitate, & de periurio.

Si qvis Clericus furtum aut falſitatem commiſerit, quia capitalia etiam ipſa ſunt crimina, communione conceſſa, ab Ordine degradetur. De periurio verò id cenſuimus obſeruandum, vt ſi quis Clericus in cauſis, quæ ſub iureiurando finiendæ ſunt, præbuerit iuramenta, & pòſt rebus euidentibus detegitur peieraſſe, biennij tempore à communione pellatur.

CANON VI.

De his, qui vxoribus defunctis, concubinas crediderint ſociandas.

De his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas pòſt habuerint, aut defunctis vxoribus, ſibi concubinas publicè crediderint ſociandas, id obſeruandum eſſe cenſuimus, vt ſicut eos qui iam ſunt Clerici per ignorantiam ordinati, non remouemus, ita ſtatuimus, ne vlteriùs ordinentur.

CANON VII.

De inceſtis coniunctionibus, vel à quibus perſonis coniugalis copula ſit obſeruanda.

De inceſtis coniunctionibus ita quæ ſunt ſtatuta ſeruentur, vt hi qui aut modò ad Baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum ſtatuta Sacerdotali prædicatione anteà in notitiã non venerunt, ita pro nouitate conuerſionis ac fidei ſuæ credidimus conſulendum, vt contracta hucuſque huiuſmodi coniugia non ſoluantur, ſed in futurum, quod de inceſtis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum eſt, obſeruetur, id eſt, Ne quis ſibi ſub coniugij nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, ſororem

Digitized by Google

rorem vxoris, conſobrinam, aut ſobrinam, relictam auunculi, vel patrui. Quòd ſi qui in hoc inceſti adulterio potiùs quàm coniugio fuerint ſociati, quamdiu ſe non ſequeſtrauerint, à communione Eccleſiaſtica repellantur. Illud etiã adiiciendum eſſe credidimus, vt in Epiſcopi diſcuſſione conſiſtat, de his qui in ciuitate ſua ac territorio conſiſtunt, & tali ſunt ordine ſociati, vtrùm ignoráter ad illicita coniugia venerint, aut per contumaciam, quæ ſunt interdicta, præſumpſerint: quia ſicut his, qui per ignorantiam lapſi ſunt, ſubuenitur; ita illis quibus priùs Patrum ſtatuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permiſſione verſantur, priorum Canonum in omnibus ſtatuta ſeruentur, vt non priùs ad communionem recipiantur, quàm inceſti adulterium (ſicut ſcriptum eſt) ſeparatione ſanauerint; quia Deut. 27. in Lege Domini manifeſtè legitur: Maledictus qui dormit cum vxore fratris ſui, cum priuigna, vel vxoris ſuæ ſorore, & reliqua his ſimilia. Quo fit, vt quos Deus maledixit, nos, niſi emendatis, benedicere non poſſimus.

CANON VIII.

De Clericis propter patrocinia ſecularium officium ſuum minùs implentibus.

Si Clerici miniſteria ſuſcepta quacumque occaſione agere ſicut & reliqui detrectant, & excuſationem de patrociniis quorũcumque, ne officium impleant, prætendunt, ac Sacerdotes ſuos ſub huiuſmodi cauſa exiſtimant per inobedientiam contemnendos; inter reliquos Clericos Canonicos, ne ea licentia alij vitientur, nullatenus habeantur, nec ex rebus Eccleſiaſticis cum Canonicis ſtipendia aut munera vlla percipiant.

CANON IX.

De agris Eccleſiæ ab Epiſcopo inutiliter diſtractis.

De agellis verò ceteriſque facultatibus Eccleſiaſticis à Sacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, priorum Canonum ſtatuta ſeruentur, vt nobis per nullos contractus res Eccleſiaſticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam quę de rebus Eccleſiaſticis ab anteceſſoribus alienata, vel quibuſcumque inſtrumentis inutiliter in diſpendium Eccleſiæ obligata noſcuntur, & intra trecennaria tempora repetitio ſuppetit, quæ acta ſunt, ſuffragante iuſtitia, per publicum aut Clericorum iudicium reuocentur. Quòd ſi is qui rem Eccleſiaſticam tenet, admonitus iudicium declinarit, quouſque aut ad diſcuſſionem veniat, aut rem Eccleſiaſticam reſtituat, communione priuetur.

CANON X.

De mancipiis Chriſtianis, quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur.

De mancipiis Chriſtianis quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur, ſi eis, quod Chriſtiana Religio vetat, à dominis imponitur; aut ſi eos de Eccleſia excuſatos tollant pro culpa quæ remiſſa eſt, ac affligere aut cædere fortaſſe præſumpſerint, & ad Eccleſiam iteratò confugerint, nullatenus à Sacerdote reddantur, niſi pretium offeratur ac detur, quod mancipia ipſa valere pronuntiauerit iuxta taxationem. Chriſtianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudæorum coniugiis miſceantur. Qui ſi fecerint, vſq; ad ſequeſtrationem, quiſque ille eſt, communione pellatur. Item, Chriſtianis conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus ſi forte fuiſſe probantur, annuali excommunicationi pro huiuſmodi contumacia ſubiacebunt.

CANON XI.

Vt Miſſarum celebritas hora tertia inchoëtur.

De Miſſarum celebritate, in præcipuis dumtaxat Solemnitatibus, id obſeruare debemus, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoëtur, quò faciliùs intra horas competentes ipſo Officio expedito Sacerdotes poſſint ad Veſpertina officia, id eſt in veſpertino tempore conuenire; quia

Digitized by Google

Sacerdotem Veſpertinis officiis ad Eccleſiam, talibus præcipuè diebus, nec decet deeſſe, nec conuenit.

CANON XII.

Quòd id quod Clerici beneficio Eccleſiæ perceperint, à ſucceſſore non auferatur.

De munificentiis verò Sacerdotum id obſeruandum, quòd ſicut ſi quid præſenti tempore à Clericis decedentium munificentiis habetur vel poſſidetur, deinceps à ſucceſſoribus nullatenus auferatur; ita qui deceſſorum largitatibus gaudent, officia & Eccleſiæ obedientiam & affectum Sacerdotibus prębeant. De quibus tamen munificentiis quæ præſenti tempore ab his (ſicut dictum eſt) poſſidentur, ſi pro opportunitate Epiſcopo placuerit, quod voluerit commutare, ſine accedente diſpendio, in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præſentibus, quas vnuſquiſque Clericus pro ſua gratia eorum obſequiis exiſtimat conferenda, ſicut in arbitrio dantis eſt, vt tribuere quibus voluerit debeat; ita ſi inobedientia vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita in arbitrio ſit præſidentis, vtrùm vel qualiter debeat reuocari.

CANON XIII.

De Clericis qui in Oratoriis Ordinationem acceperint.

De his verò Clericorum perſonis, quæ de ciuitatenſis Eccleſiæ officio, Monaſterij vel Diœceſibus vel baſilicis in quibuſcumque locis poſitis, id eſt ſiue in territoriis, ſiue in ipſis ciuitatibus ſuſcipiuntur ordinandæ, in poteſtate ſit Epiſcopi, ſi de eo quod antè de Eccleſia habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit; quia vnicuique facultas ſuſcepti Monaſterij, Diœceſis, vel Baſilicæ debet plena ratione ſufficere.

CANON XIV.

De Clericis contumacibus.

Si qvis ſuperbia elatus, officium ſuum indignatione quacumque implere noluerit, iuxta ſtatuta priora, à communione retentus, & ab Ordine depoſitus tamdiu habeatur, quamdiu (ſicut ſcriptum eſt) pœnitentiæ ſuppletione ſatisfecerit pręſente Pontifice. Tamen illis regulariter, iuxta charitatem integram, & quæcumque illis ſtipendiorum iuxta conſuetudinem debentur, pro qualitate temporis ſunt miniſtranda. De quibus ſi querela procedat, officium agens recurrat ad Synodum.

CANON XV.

De Clericis iniuſtè oppreſſis à ſuis Pontificibus.

Si qvis Clericorum circa ſe diſtrictionem Epiſcopi ſui putat iniuſtam, iuxta antiquas conſtitutiones recurrat ad Synodum.

CANON XVI.

De Clericorum conſpiratione per rebellionem in ſcripturis aut aliàs factam.

Si qvi Clericorum (vt nuper in multis locis per ſuperbiam diabolo inſtigante actum fuiſſe perpatuit) rebelli auctoritate ſe in vnum, coniuratione intercedente, collegerint, aut ſacramenta inter ſe data, aut chartulã conſcriptam fuiſſe patuerit, nullis excuſationibus præſumptio elabatur, ſed res detecta, cùm in Synodum ventum fuerit, in pręſumptores, iuxta perſonarum & ordinum qualitatem à Pontificibus, qui tunc in vnum collecti fuerint, vindicetur. Quia ſicut charitas ex præceptis diuinis corde, non chartulæ conſcriptione vel coniuratione eſt exhibenda; ita quæ ſupra ſacras admittunt Scripturas, auctoritate & diſtrictione Pontificiali ſunt reprimenda. 11.q.1.Si qui Clericorum.

CANON XVII.

De Sacerdotibus Eccleſiæ res debitas occupantibus.

Si qvis Sacerdos res Eccleſiæ debitas vel proprias horrenda cupiditate occupauerit, retinuerit, aut à poteſtate ex competitione perceperit; ſi eas non reſtituerit, nullis rebus excuſetur. Sed & ſi agnito Iure Eccleſiaſtico non ſtatim Eccleſiæ vel Sacerdoti reformauerit, aut vt ipſum Ius agnoſcere poſſit, in

Digitized by

in iudicium electorum venire diſtulerit, tamdiu à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur, quamdiu reſtitutis rebus, tam Eccleſiam quàm Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam de his qui oblationes defunctorũ legaliter dimiſſas quolibet ordine aſſignare tardauerint, vel detinere præſumpſerint, diſtrictionis Eccleſiaſticæ iuxta priores Canones forma ſeruetur. Cui etiam ſententiæ ſubiacebit, quiſquis ille quolibet ordine, quod pro deuotione ſua Eccleſiis dedit, reuocare præſumpſerit.

CANON XVIII.

Quòd miniſtris Eccleſiarum non liceat Eccleſiæ res ſine Epiſcopi conſenſu alienare.

12. q. 2. Abbatibus, Presbyteris. ABBATIBVS, Presbyteris, aliiſque miniſtris de rebus Eccleſiaſticis vel ſacro miniſterio deditis alienare & obligare, abſque permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi nihil liceat. Quod ſi præſumpſerint, degradentur, communione conceſſa. Et quod alienatum vel temerè ordinatum eſt, ordinatione Epiſcopi reuocetur.

CANON XIX.

Quòd pœnitentia non ſit iuuenibus temerè credenda.

DE pœnitentium conuerſione, vt ne quis benedictionem pœnitentiæ iuuenibus perſonis credere præſumat. Certè coniugatis, niſi ex conſenſu pari, ætate iam plena, eam dare non audeat. Aut ſi quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſæcularem habitum militiamque reuerti præſumpſerit, excommunicatione plectatur, Viatico conceſſo ad exitum.

CANON XX.

Ne ſeruus vel colonus ad honorem promoueatur ante acceptam ingenuitatem.

VT nullus ſeruilibus colonariiſque conditionibus obligatus, iuxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, ad honores Eccleſiaſticos admittatur, niſi priùs aut teſtamento, aut per tabulas eum legitimè conſtiterit abſolutum. Quòd ſi quis Epiſcoporum, eius qui ordinatur conditionem ſciens, tranſgredi per ordinationem indebitam fortaſſe voluerit, anni ſpatio Miſſas facere non præſumat.

CANON XXI.

Quòd die Dominico operari non permittatur.

QVIA perſuaſum eſt populis, die Dominico cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerare non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem, nullatenus exercere: quæ res quia ad Iudæam magis quàm ad obſeruantiam Chriſtianam pertinere probatur, id ſtatuimus, die Dominico, quod antè fieri licuit, licere. De opere tamen rurali, id eſt agricultura, vel vinea, vel ſectione, vel meſſione, excuſſione, vel exacta ſepe cenſuimus abſtinendum, quò faciliùs ad Eccleſiam venientes, orationis gratiâ vacent. Quòd ſi inuentus fuerit quis in operibus ſupraſcriptis, quæ interdicta ſunt, ſe exercere; qualiter emendare debeat, non in laici diſtrictione, ſed in Sacerdotis caſtigatione conſiſtat.

CANON XXII.

Vt ante Dominicam Orationem expletam de Eccleſia nullus diſcedat.

DE Miſſis nullus laicorum antè diſcedat, quàm Dominica dicatur Oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, eius benedictio expectetur. Sacrificia verò matutina, Miſſarum, ſiue veſpertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorũ vſum expetat. Quod qui fecerit, in Sacerdotis poteſtate conſiſtat, qualiter eius diſtrictione debeat caſtigari.

CANON XXIII.

Quando Iudæis inter Chriſtianos procedere non liceat.

QVIA (Deo propitio) ſub Catholicorum Regum dominatione viuimus, Iudæi à die Cœnæ Domini vſque in ſecundam Sabbati in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, neque Catholicis populis ſe vlloloco vel quacumque occaſione miſcere præſumant.

CANON XXIV.

De hæreticis vel Bonoſiacis.

IVDEX ciuitatis vel loci, ſi hęreticum, aut Bonoſiacum, vel cuiuſlibet alterius hęreſis, Sacerdotem, vel quamcumque perſonam de Catholicis rebaptizaſſe cognouerit, quia Reges nos cōſtat habere Catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad Regis fidem propterea diſtringendos adduxerit, annuali excommunicatione ſubdatur.

CANON XXV.

Vt non liceat laicis Clericos accuſare.

11.q.1. Clericum cuiuſlibet.

CLERICVM cuiuſlibet Ordinis, abſque Pontificis ſui permiſſu, nullus præſumat ad ſæcularem Iudicem attrahere. Nec laico quemlibet Clericum liceat accuſare.

CANON XXVI.

Quid de Epiſcopis qui ſupraſcripta obſeruare diſtulerint.

QVOCIRCA hæc, quæ inſpirante Deo, communi conſenſu placuerunt, ſi quis Antiſtitū, vel eorum quos Spiritus Dei eſſe voluerit ſucceſſores, relicta obſeruationis integritate, cuſtodire & implere neglexerit, reum ſe Diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum eſſe cognoſcat, quia & Canones ſuos nec ignorare quemquam, nec diſſimulare, id eſt, pręteriti permittitur.

Sancti QVINTIANI *Epiſcopi Eſculani ad* PETRVM *Antiochenum fides.*

OMNIS qui dicit vnam naturam Dei Verbi & carnis, & non duas vnitas indiuiſaſque, damnetur.

Si quis confundit duas Chriſti naturas, dicens Deum paſſum carne, ſecundùm Apoſtolum damnetur.

Si quis impaſſibilem, immortalem Deum Verbum dicit conuerſum in paſſione ac morte, & non hæc reddit eius carni, damnetur.

Si quis vocem triſagiam, id eſt ter ſanctam, dicit propter nos crucifixam, & non Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum, damnetur.

Si quis poſt vocem ter ſanctam dicit Deum crucifixum propter nos, & non potiùs vnū Filium, cui in medio ter ſanctæ vocis hymnus dicitur, damnetur.

Si quis hominem dicit qui pro nobis crucifixus eſt, ſiue Deum, diuidendo naturas, & non eas copulando in crucifixione eius, damnetur.

Si quis dicit duas perſonas ſeu ſubſiſtentias, & non potiùs duas naturas in vnam perſonam & vnam ſubſiſtentiam in vnum concurrentes, damnetur.

Si quis Deum hominem, & non magis Deum & hominē dicit, damnetur.

Si quis dicit creatum Verbum, & non magis eius carnem, damnetur.

Si quis dicit conſubſtantialem carnem Domini Deo Patri, & non potiùs Deum Verbum, damnetur.

Si quis dicit ſine mente & ſine anima Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & pro ea habuiſſe Diuinitatem, & quia ex hoc dicendum paſſum carne Deum Verbum, & non magis mente cum anima rationali inhumanatum Deum Verbum, & impaſſibilem dicendo eumdem Diuinitate, humanitate verò paſſibilem, damnetur.

Si quis quaternitatem introducit in Triſagio, apponens poſt Trinitatem Chriſtum crucifixum, anathema ſit.

Si quis vnum Filium ſecat in dualitatem filiorum, anathema ſit.

Si quis Dei Verbum & carnem dicit vnam naturam, ignorans naturarum differentiam, anathema ſit.

Si quis confundit Trinitatem, eumdem dicens eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, anathema ſit.

Si quis diſtinguit vnam eſſentiam Trinitatis in duas, anathema ſit.

Si quis diuinam naturam Filij confundit paſſionibus carnis eius, & non confitetur eum ſpiritu impaſſibilem, carne verò paſſum, anathema ſit.

Si quis dicit, Deum paſſibilitatem aut mortem guſtaſſe, tamquam ad hæc

eum

cùm bona voluntate veniſſe, cùm conuerſus eſſet, & non confitetur eum tamquam Deum non fuiſſe ſub damnatione mortis, mortem verò mortificaſſe per carnem ſuam mortalem, quam aſſumpſit, anathema ſit.

Credimus enim quia vita eſt, & non recedit in mortem. Tu autem cognoſce, & abſcinde in quibus iniquè locutus es. Tamen ſit & eſt Dei gratia cum his, qui rectè prędicant verbũ Veritatis.

CONCILIVM BYZACENVM IN AFRICA

ſub VIGILIO *celebratum anno Domini* 541.

ANNO DOMINI D.XLI.

CONCILIVM hoc celebratum eſſe anno 541. in Prouincia Byzacena Africæ, ex quo miſſa eſt Legatio ad Iuſtinianum Imperatorem, apparet ex Reſcripto eiuſdem Imperatoris ad Concilium reddito, quod extat apud Binium hîc, & apud Baronium anno 541. num. 10.

CONCIL. ARVERNENSE

XV. *Epiſcoporum tempore* VIGILII *Papæ &* THEODOBERTI *Regis Galliæ celebratum, anno Domini* 541. *Eſt Prouinciale.*

D.XLI.

CAVSA congregandi hoc Concilium fuit talis: Theodoricus Rex Galliæ bona pauperum & Eccleſiæ inuolauerat: quæ cùm Theodobertus Rex maximè pius vehementiſſimè in patre reprehenderet, conſulturus immunitati Eccleſiaſticæ, voluit Leges ſanciri, quibus iura antiqua Eccleſiis illibata penitùs ſeruarentur, atque illi, qui emerſerant paulatim abuſus praui, funditus tollerentur. Voluit heres Regni, non perfidiæ, vt quæ perperàm à patre facta fuerant, ab Epiſcopis corrigerentur. Hac itaque occaſione conuenientes quindecim Epiſcopi, egregia ſanctitate maxima ex parte celeberrimi, quæ ad reformandam diſciplinam Eccleſiæ neceſſaria erant, conſtituerunt, vt ſequitur:

Apud Eccleſiam Aruernam cùm in Dei nomine, congregante ſancto Spiritu, conſentiente domino glorioſiſſimo pioque Rege Theodoberto, in Aruernam vrbem ſancta Synodus conueniſſet, ibique in Eccleſia (ex more) Patres conſediſſet, inſpectiſq; Canonibus id ei rationabile viſum eſt, vt quamuis Eccleſiaſticæ regulæ pænè omnia comprehendant, quædam tamen vel adderentur noua, vel repeterentur antiqua.

CAP. I.

IN primis placuit, vt quoties ſecundùm ſtatuta Patrum ſancta Synodus congregaretur, nullus Epiſcopus aliquam priùs cauſam ſuggerere audeat, quàm ea quæ ad emendationem vitæ, ad ſerenitatem regulæ, ad animæ remedium pertinent, finiantur. In Decr. Iuonis lib. 4.

CAP. II.

PLACVIT etiam, vt ſacrum quis Pontificij honorem non votis quærat, ſed meritis; nec diuinum videatur munus comparare rebus, ſed moribus; atq; eminentiſſimæ dignitatis apicem omnium conſcendat electione, non paucorum fauore. Sit in eligendis Sacerdotibus cura præcipua; quia irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis.

CAP. III.

DE opertorio Dominici Corporis, ſeu palla Altaris, numquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur; quia ſacro velamine vſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, Altaria polluuntur.

CAP. IV.

NE ad nuptiarum ornatum miniſteria diuina præſtentur, &c.

CAP. V.

NE Iudæi Chriſtianis populis Iudices præponantur.

CAP. VI.

EPISCOPVS, Presbyter, atque Diaconus, tam ſancta conſcientia reſplendeant, vt effugiant probitate actuum, maledicorum obloquia, & teſtimonium

Digitized by Google

nium in ſe diuinum implère contendant, quo Dominus ait: *Sic luceat lux veſtra*, &c. Math. 5.

CAP. VII.

VT Presbyteri plebes ſuas admoneant quòd hoſpitales ſint.

CAP. VIII.

QVOD licitum ſit Epiſcopo cum conſilio Cleri de theſauro Eccleſiæ pauperibus eiuſdem Eccleſiæ, ſecundùm Canonum inſtituta, iuxta quod indiguerint, erogare.

Sic ſummatim in hoc Concilio.

CONCILIVM AVRELIANENSE IV.

tempore VIGILII *Papæ*, *&* CHILDEBERTI *Regis*, *circa annum Domini* 545. *celebratum. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.XLV.

HOC Concilio ea accidiſſe putamus, quæ de ipſo atque eius Diacono Gregorius in Vita SS. Patrum, cap. 3. narrat his verbis: *Apud Aurelianenſem autem vrbem incriminato ab antiquis Marco Epiſcopo, & in exilium truſo, magnus Epiſcoporum conuentus eſt congregatus, Childeberto Rege iubente. In qua Synodo cognoſcentes beati Epiſcopi, hoc eſſe vacuum, quod contra eum fuerat muſſitatum, eum ciuitati & Cathedræ ſuæ reſtituunt.* Et licet ignoretur certus annus quo celebratum fuit Concilium, tamen dubium eſſe non debet, illud circa annum Domini 545. Vigilij Papæ ſextum, Iuſtiniani 19. habitum fuiſſe. Nam magna ex parte illi ipſi Epiſcopi huic Concilio præſentes fuerunt, eique ſubſcripſerunt, quorum nomina Aurelianenſi III. ſubſcripta habentur.

PROOEMIVM.

CVM in Aurelianenſi vrbe vnanimiter in Chriſti nomine ſancta adfuiſſet congregatio Sacerdotum, & de his quæ ad ſacrum propoſitum pertinent, vel quæ ſecundùm Eccleſiaſticam ordinationem regulari cõueniunt diſciplinæ, Deo medio tractata decernerent; placuit, vt quæ ſunt definita, ſecundùm antiquam conſuetudinem ſcripta monſtrarentur. Et quò firmiùs ſtatuta ſeruentur, cum conſenſu omnium docet adnotata ſubſcriptio.

CAP. I.

De feſtiuitate Paſchali celebranda.

PLACVIT itaque, Deo propitio, vt ſanctum Paſcha, ſecundùm laterculum Victoris, ab omnibus Sacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ Feſtiuitas annis ſingulis Epiphaniarum die in Eccleſia populis denuntietur. De qua ſolemnitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.

ANNOTATIO.

HÆC Gallicani Epiſcopi aduerſus temeritatem Imperatoris Iuſtiniani pro arbitrio ſacra miſcentis, qui ſuo Edicto ieiunium Quadrageſimæ vna hebdomada auxerat, & de Paſchali tempore Sanctionem iniquam promulgarat. His temporibus de celebritate diei Paſchalis altercatum eſſe, teſtatur Sigebertus in Chronico hiſce verbis: *Hiſpani & Galli de Paſchate celebrando diſſentiunt: Hiſpanis duodecimo Kalendas Aprilis, Francis verò quartodecimo Kalendas Maij Paſcha celebrantibus. Sed Francos rectè celebraſſe per hoc diuinitus claruit, quòd fontes in Hiſpania, qui in Sabbato ſancto Paſcha ad baptizandum ſponte repleri ſolent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum Paſcha repleti ſunt.* Hæc de Paſchatis celebritate Sigebertus.

CAP. II.

Quadrageſima æqualiter teneatur.

HOC etiam decernimus obſeruandum, vt Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur. Neque Quinquageſimam aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere. Sed neque per Sabbata abſque infirmitate quiſquam ſoluat Quadrageſimæ ieiunium, niſi tantùm die Dominico prandeat. Quod ſic fieri ſpecialiter Patrum ſtatuta ſanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tamquam tranſgreſſor diſciplinæ à Sacerdotibus cenſeatur.

CAP.

CAP. III.

Primores ciuitatis Paſcha in ciuitate celebrent.

QVISQVIS de prioribus ciuibus Paſcha extra ciuitatem tenere voluerit, ſciat ſibi à cuncta Synodo eſſe prohibitum. Sed principales Feſtiuitates ſub pręſentia Epiſcopi teneant, vbi ſanctum decet tenere conuentum. Tamen ſi aliquis certa neceſſitate cōſtringatur, vt hoc implere non poſſit; ab Epiſcopo poſtulet commeatum. Quòd ſi hoc poſtulare deſpexerit, & eumdem locum idem in Feſtiuitate præſentibus tenere voluerit, ſuſpendatur.

CAP. IV.

De eo quod in Sacrificio Miſſæ eſt offerendum.

VT nullus in oblatione ſacri Calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, aqua mixtum offerre præſumat: quia ſacrilegium iudicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit.

CAP. V.

De ordinatione Epiſcopi.

ID etiam regulariter eſſe perſpeximus decernendum, vt Epiſcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur ordinandus, in ſua Eccleſia, cui præfuturus eſt, cōſecretur. Sanè ſi ſubitò neceſſitas temporis hoc implere non patitur, licet melius eſſet in ſua Eccleſia fieri; tamen vt ſub pręſētia Metropolitani, aut certè vt eius auctoritate intra Prouinciam, omnino à cōprouincialibus ordinetur.

CAP. VI.

Clerici Canonum ſtatuta ab Epiſcopis percipiant.

PAROCHIANI Clerici à Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi, vel populi, quæ pro ſalute eorū decreta ſunt, excuſent poſtmodum ignoraſſe.

CAP. VII.

De Oratoriis, & Clericis in illis ſeruire debentibus.

VT in Oratoriis, domini prædiorum minimè contra votum Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant: niſi forſitan quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſeruare præceperit.

CAP. VIII.

De pœnitentia lapſorum in hæreſim.

DE his, qui poſt Baptiſmi Sacramētum ad hæreſis lapſum (carne ſuadente) deſcendunt, & agnoſcentes reatum, ad vnitatem fidei Catholicæ venire deſiderant, in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando, vel qualiter communioni priſtinæ reformentur.

CAP. IX.

De relictis, venditis, ac alienatis à Sacerdote cuiuſlibet Eccleſiæ.

VT Epiſcopus, qui de facultate propria Eccleſię nihil relinquit, de Eccleſiæ facultate ſiquid aliter quàm Canones eloquuntur, obligauerit, vendiderit aut diſtraxerit, ad Eccleſiam reuocetur. Sanè ſi de ſeruis Eccleſiæ libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio Eccleſiæ non recedant.

CAP. X.

De indignis ad Sacerdotium promotis, & qui indigni cenſeantur.

SI QVIS Epiſcoporum ſciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis ſiue Presbyterij, contra ius Canonum promouere præſumpſerit, nouerit ſe vnius anni ſpatio ab omni officio Sacerdotij eſſe ſuſpenſum. Cui ſi fortè ſententiæ ſubiacere contempſerit, à communione eius vſque in magnam Synodum ſe fraternitas vniuerſa ſuſpendat: illi verò, qui illicitè promoti ſunt, regradentur.

CAP. XI.

De non diſtrahendis his, quæ Monaſteriis vel Eccleſiis ſunt collata.

SI QVID Abbatibus, aut ſacris Monaſteriis, aut Parochiis pro Dei fuerit contemplatione collatum, in ſua proprieta-

Digitized by Google

prietate hoc Abbates vel Presbyteri minimè reuocabunt, nec alienare quod cunctis fratribus debetur, quacumque occaſione præſumant. Quibus ſi fuerit neceſſarium vt ſtatuta conuellant, non aliter valeat, niſi Epiſcopi ſui ſubſcriptione firmatum.

Cap. XII.

Si Epiſcopi diſcordes fuerint inter ſe, quid agendum.

SI inter Epiſcopos de rebus terrenis aut poſſeſſionibus, ſub repetitionis aut retentationis titulo, naſcatur contentio, intra anni ſpatium pro ſtudio charitatis, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epiſtolas fratrum affectuosè commoniti, aut inter ſe, aut in præſentia electorum Iudicum, negotium ſanare feſtinent. Quòd ſi diſtulerint, donec ipſa cauſatio abrogetur, à charitate fratrum, qui diſtulerit, habeatur extraneus: quia iniuſtum eſt, vt qui cunctis pręſunt, inter ſe quacumque cauſatione diſſentiant.

Cap. XIII.

De Iudicibus, qui Clericum cuiuſlibet Ordinis publicis actionibus implicauerint.

SI QVIS Iudicum Clericos de quolibet corpore venientes, atque Altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula Eccleſiæ tenentur inſcripta, publicis actionibus applicare præſumpſerit, ſi à Sacerdote admonitus emendare noluerit, cognoſcat ſe pacem Eccleſiæ non habere. Similiter & ad vllam adminiſtrationem Pontificis, Presbyteros atque Diaconos ideò excuſatos eſſe decreuimus, quia quod Lex ſæculi etiam paganis Sacerdotibus & miniſtris antè præſtiterat, iuſtum eſt, vt erga Chriſtianos ſpecialiter conſeruetur.

Cap. XIV.

Quæ Epiſcopus Eccleſiæ dederit, heredes ſui non auferant.

QVAECVMQVE Eccleſiis à Pontificibus ſub competenti ac iuſto documento fuerint derelicta, ab heredibus legitimis, dignum eſt, vt Dei contemplatione ſeruentur.

Cap. XV.

De his, qui poſt Baptiſmum dæmonibus offerunt.

SI QVIS poſt acceptum Baptiſmi Sacramentum ad immolata dæmonibus ſumenda, tamquam ad vomitum reuertitur, ſi commonitus à Sacerdotibus ex hac præuaricatione ſe noluerit reuocare, à communione Catholica pro emendatione ſacrilegij ſuſpendatur.

Cap. XVI.

Chriſtianus ſuper pecudes non iuret.

SI QVIS Chriſtianus (vt eſt Gentilium conſuetudo) apud cuiuſcumque feræ vel pecudis exta, inuocatis inſuper nominibus paganorum, fortaſſe iurauerit, ſi ſe ab hac ſuperſtitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à conſortio fidelium, vel Eccleſiæ communione pellatur.

Cap. XVII.

Clerici cum coniugibus ſuis lectum communem non habeant.

VT Sacerdotes ſiue Diaconi cum coniugibus ſuis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortij Religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priſcos Canones ab officio regradentur.

Cap. XVIII.

Eccleſia præiudicium non patiatur ex alienatione bonorum per Clericos.

VT quicumque Clericus aliquid de Iure Eccleſiaſtico, ſeu verbo ſeu ſcriptura acceperit ad vtendum, & poſtmodum hoc alienare quacumque ratione præſumpſerit, non valebit: quia ſecundùm Canonum ſtatuta, proprietatem Eccleſiæ non violat in alios quâlibet longa poſſeſſio. Sed in Pontificis poteſtate conſiſtat, qualiter pro conſeruando Iure Eccleſiaſtico, rem poſſeſſam inter Clericos debeat communicare.

Cap. XIX.

Quod Eccleſiæ collatum eſt, nec à collatore, nec ab eius heredibus repeti debet.

QVICVMQVE pro deuotione ſua oblationis ſtudio, aliquid in campellis, vel in vineolis, etiam abſque ſcriptura

ptura probatur Eccleſiæ contuliſſe: ſi poſtmodum vel ipſe vel heredes eius quacumque occaſione auferre à iure hoc Eccleſiæ vel alienare voluerint, quoaduſque à tali intentione diſcedant, aut peruaſa reſtituant, à communione Eccleſiaſtica ſuſpendantur.

CAP. XX.

Iudex ſæcularis Clericum conſtringere non audeat.

VT nullus ſæcularium perſonarum, prætermiſſo Pontifice ſeu Præpoſito Eccleſiæ, quemquam Clericorum pro ſua poteſtate conſtringere, diſcutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus ſi pro cauſæ appetitione cuiuſcumque fuerit ab Eccleſiaſtico Ordinatore commonitus, ſe ad audientiam ſpondeat affuturum, & reſpondere nulla calliditate diſſimulet: ſed quæcumque cauſatio quoties inter Clericum & ſæcularem vertitur, abſque Presbytero, aut Archidiacono, vel ſi quis eſſe Præpoſitus Eccleſiæ dignoſcitur, Iudex publicus audire negotium non præſumat. Sanè ſi cauſam habentibus placuerit ire ad iudicium, fortè ex voluntate communi, permittente Præpoſito Eccleſiæ, Clerico licentia tribuatur.

CAP. XXI.

Ne de Eccleſiarum ſeptis fugitiuum quemcumque quis quacumque occaſione abſtrahat.

SI QVIS neceſſitatis impulſu ad Eccleſiæ ſepta confugerit, & Sacerdote vel Præpoſito Eccleſiæ prætermiſſo atque contempto, eum quiſque de locis ſacris, vel Altaris, ſeu vi ſeu dolo abſtrahere aut ſollicitare fortè præſumpſerit; vt inimicus Eccleſiæ ab eius liminibus arceatur, quouſque iuxta Pontificis diſtrictionem digna pro indicta pœnitentia emendatio ſubſequatur; eo tamen, qui abſtractus eſt, priùs Eccleſiæ reſtituto.

CAP. XXII.

Nullus per poteſtatē filiam cōpetat alienam.

VT nullus per imperium poteſtatis filiā * competere audeat alienam, ne coniugium (quod contra parentum voluntatem piam copulatur) velut captiuitas iudicetur, ſed ſicut eſt prohibitum, non admittatur. Si qui perpetrauerint, excommunicationis ſeueritas pro modo piaculi imponatur.

* competere

CAP. XXIII.

De ſeruis Eccleſiæ aut Sacerdotum prædas agentibus.

VT ſeruis Eccleſiæ vel Sacerdotum prædas & captiuitates exercere non liceat: quia iniquum eſt, vt quorum domini redemptionis præſtare ſolent ſuffragium, per ſeruorum exceſſum diſciplina Eccleſiaſtica maculetur.

CAP. XXIV.

De mancipiis propter ſpem coniugij ad Eccleſiam confugientibus.

QVAECVMQVE mancipia ſub ſpecie coniugij ad Eccleſiæ confugerint ſepta, vt per hoc credant poſſe fieri coniugium, minimè eis licentia tribuatur, nec talis coniunctio à Clericis defenſetur: quia probatum eſt, vt ſine legitima traditione coniuncti, pro Religionis ordine ſtatuto tempore ab Eccleſiæ communione ſuſpendantur, ne in ſacris locis turpi concubitu miſceantur. De qua re decernimus, vt parentibus, aut propriis dominis (prout ratio poſcit perſonarum) accepta fide excuſati, ſub ſeparationis promiſſione reddantur. Poſtmodum tamen à parentibus atque dominis libertate conceſſa, ſi voluerint, eos propria voluntate coniungant.

CAP. XXV.

De Clerico aut laico, qui per poteſtatem Regiam res Eccleſiæ, contempto Pontifice, petere aut poſſidere præſumpſerit.

SI QVIS Clericus aut laicus ſub potentum nomine atque patrocinio, res ad ius Eccleſiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere ſeu poſſidere præſumpſerit, primùm admoneatur, quæ abſtulit, ciuiliter reformare, aut certè iudicium Sacerdotis ſeu Iudicis opperiri, vt poſcit ſacra religio. Quòd ſi in perſuaſionis pertinacia perſiſtit, tamdiu ab Eccleſię liminibus arceatur, donec cum ſatiſ-

ſatisfactione iuſtiſſima, peruaſa aut occupata reſtituat.

CAP. XXVI.

De Eccleſiis in domo potentum exiſtentibus.

SI quæ Parochiæ in potentum domibus conſtitutæ ſunt, vbi obſeruantes Clerici, ab Archidiacono ciuitatis admoniti, ſecundùm qualitates Ordinis ſui fortaſſe, quod Eccleſiæ debent, ſub ſpecie Domini domus implere neglexerint, corrigantur ſecundùm Eccleſiaſticam diſciplinam. Et ſi ab Agentibus potentum, vel ab ipſis rei dominis de agendo officio Eccleſiæ ab aliquo prohibentur, auctores nequitiæ à ſacris cærimoniis arceantur, donec ſubſecuta emendatione, in pace Eccleſiaſtica reuocentur.

CAP. XXVII.

De inceſtis coniunctionibus.

DE inceſtis coniunctionibus id ſtatuimus obſeruandum, vt ſi quis poſt Synodi conſtituta illicita tori iura præſumpſerit, circa eum ſecundùm ſtatuta Epaunenſium Canonum, à Sacerdotibus Eccleſiæ ſeueritas teneatur.

CAP. XXVIII.

De homicidio voluntariè facto.

QVISQVIS homicidium voluntate commiſerit, ita vt occidere audeat innocentem, ſi à Principibus, aut à parentibus quacumq; re ſe reddiderit abſolutum, pro modo pœnitentiæ diſtringẽdus, in Sacerdotis poteſtate conſiſtat.

CAP. XXIX.

De mulieribus cum Clericis in adulterio deprehenſis.

SI QVAE mulieres fuerint in adulterio cum Clericis deprehenſæ, Clericis diſtrictione adhibita, mulieres ipſæ, prout Sacerdoti viſum fuerit, diſtrictioni ſubiaceant, & à ciuitatibus, vt Sacerdos præceperit, repellantur.

CAP. XXX.

De mancipiis Chriſtianis ſeruientibus Iudæis.

Aurel. III. c. 10. CVM prioribus Canonibus iam fuerit definitum, vt de mancipiis Chriſtianis quæ apud Iudæos ſunt, ſi ad Eccleſiam confugerint, & redimi ſe poſtulauerint, etiamſi ad quoſcumque Chriſtianos refugerint, & ſeruire Iudæis noluerint, taxato & oblato à fidelibus iuſto pretio, ab eorum dominio liberentur: ideò ſtatuimus, vt tam iuſta Conſtitutio ab omnibus Catholicis conſeruetur.

CAP. XXXI.

De Iudæis, qui aduenam vel Chriſtianum ad ſuperſtitionem Iudaicam ſeduxerint, vel ſibi ancillam Chriſtianam ſociauerint.

HOC etiam decernimus obſeruandum, vt quicumque Iudæus proſelytum (qui aduena dicitur) Iudæum facere præſumpſerit, aut Chriſtianum ad Iudaicam ſuperſtitionem adducere: vel ſi Iudæus Chriſtianam ancillam ſuam ſibi crediderit ſociandam: vel ſi de parentibus Chriſtianis natum Iudæum ſub promiſſione fecerit libertatis, mancipiorum amiſſione mulctetur. Ille verò, qui de Chriſtianis natus, Iudæus factus eſt, ſi ſub conditione fuerit manumiſſus, vt in ritu Iudaico permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit: quia iniuſtum eſt, vt ei libertas maneat, qui de Chriſtianis parentibus veniens, Iudaicis vult cultibus adhærere.

CAP. XXXII.

De ſeruilibus perſonis, & earum poſteritate.

DE genere ſeruili id decreuimus obſeruandum, vt deſcendens inde poſteritas, vbicumque, quamuis poſt longa ſpatia temporum, reperiatur in loco, cui auctores eius conſtat fuiſſe deportatos, reuocata ſtudio Sacerdotis, in ea, quæ conſtituta eſt à defunctis, conditione permaneat. Cui præcepto ſi quis ſæcularium, humanæ cupiditatis impulſu, crediderit obuiandum, quouſque ſe corrigat, ab Eccleſia ſuſpendatur.

CAP. XXXIII.

De conſtruentibus in agro Oratorium pro Clericis.

SI QVIS in agro ſuo aut habet aut poſtulat habere diœceſim, primùm & ter-

& terras ei deputet ſufficienter, & Clericos, qui ibidem ſua officia impleant, vt ſacratis locis reuerentia condigna tribuatur.

CAP. XXXIV.

De agellis Sacerdotum.

QVISQVIS agellum Eccleſiæ in diem vitæ, pro quacumque miſericordia à Sacerdote, cui poteſtas eſt, acceperit poſſidendum quæcumq; ibi profecerit, alienandi nullam habeat poteſtatem, nec ſibi parentes ſui ex ea re aliquid exiſtiment vendicandum.

CAP. XXXV.

De ſubſtituendo Antiſtite.

DE ſubſtituendo Antiſtite ſi fortaſſis mora extiterit, & voluntas deceſſoris antè fuerit reſerata, quàm ſucceſſor accedit Eccleſiæ ſuæ, non impediat ſucceſſorem. Si quiſpiam Clericorum aliquid de facultate illa præſumpſerit, in poteſtate ſit aduenientis Epiſcopi, vtrùm audire, an reiicere deceſſoris ſui debeat voluntatem, nec Eccleſiæ in obiecto veniant tempora legibus conſtituta, dum non extitit perſona, quæ de vtilitate Eccleſiæ attentiùs cogitaret.

CAP. XXXVI.

Si Epiſcopus Clerico alienæ ciuitatis aliquid dederit poſſidendum, poſt eius obitum ad Eccleſiam reuertatur.

SI QVIS Epiſcopus, alterius Eccleſiæ Clerico de facultatibus ſuæ Eccleſiæ aliquid ſub titulo quocumque donauerit, poſt eius obitum qui acceperit, ad Eccleſiæ ius, de cuius facultate diſceſſerat, reuertatur: quia iniquum eſt, vt ſub hac ſpecie damnum Eccleſia, quæ multis ſubuenit, patiatur.

CAP. XXXVII.

Synodus annis ſingulis celebretur.

PLACVIT præterea, vt cuncti Metropolitani de comprouincialibus ſuis in Prouincia ſua annis ſingulis Synodum debeant congregare: vt dum in vnum ſe fraternitas iungit, ſemper & cenſura teneatur, & charitas.

CAP. XXXVIII.

Vt quæ ſtatuta ſunt, obſeruentur.

QVAPROPTER (auxiliante Domino) quæ Synodus ſancta conſtituit, decernimus vt à cunctis fratribus hæc definitio ſancta conſeruetur. Quòd ſi quis, quæ ſalubriter perſpicit inſtituta, indecenter tranſgredi quacumque occaſione tentauerit, nouerit ſe Deo & cunctæ fraternitati culpabilem eſſe futurum: quia iuſtum eſt, vt per vnitatem Antiſtitum & Eccleſiaſtica fulgeat diſciplina, & inconuulſa maneat conſtitutio Sacerdotum.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA

triginta Epiſcoporum, in qua VIGILIVS *Papa decreuit, ſententiam de trium Capitulorum damnatione, vſque ad Vniuerſale & Oecumenicum Concilium ſuſpendendam eſſe, anno 547. habita.*

ANNO DOMINI D.XLVII.

SYNODI huius congregandi cauſa talis fuit: Theodorus Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ in odium Pelagij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi, cuius operâ Origenes cum ſuis erroribus Conſtantinopoli (ibi enim munere Apocriſarij apud Imperatorem fungebatur) damnatus erat, Imperatori futurum ſuggeſſit, atque promiſit, vt ſi tria Capitula Chalcedonenſis Concilij, nempe Theodorum Mopſueſtenũ, epiſtolam Ibæ, & ſcripta Theodoreti aduerſus Cyrillum condemnaret, omnes Acephali Chalcedonenſe Concilium ſtatim ſuſcipiant. Illud facere ſæpiùs conanti, ſemper reſtitit Pelagius antè memoratus. Cùm itaque ille, accepto ſucceſſore Stephano, teſte Procopio, anno Chriſti 546. Romam rediiſſet, illo abſente non impeditus Iuſtinianus Imperator aduerſus tria prædicta Capitula Concilij Chalcedonenſis hoc Edictum promulgauit, non quidem ſub Ioanne II. vt habet falſa inſcriptio Edicti in antiquioribus editionibus Conciliorum, ſed ſub Vigilio, anno Pōtifi-

tificatus illius ſeptimo, qui eſt Chriſti 546. Auctor Edicti extitit idem Theodorus Cæſareenſis Epiſcopus. Poſt confeſſionem fidei & quatuor Oecumenicorum Conciliorum, ſubijcit decem anathematiſmos, quibus vltimo loco tria Capitula includit, hac de cauſa, quòd in Concilij Chalcedonenſis Actione 10. reperiatur recitata Ibæ epiſtola, qua Theodorus Mopſueſtenus laudatur, accuſatur verò S. Cyrillus ex calumniis à Theodoreto in eum allatis, quaſi particeps fuiſſet ſententiæ Apollinaris. Ne quis ergo occaſione illius epiſtolæ exiſtimaret, Theodorum eſſe recipiendum, Theodoreti ſcripta contra Cyrillum eſſe probanda, vel epiſtolam Ibæ à Concilio Chalcedonenſi eſſe receptam, formati ſunt tres anathematiſmi.

Contra Edictum Imperatoris, exordio promulgatę ſententiæ, Vigilius Papa, Pontianus & Facundus Africę Epiſcopi, aliíve plures Orthodoxi Scriptores inſurrexerunt; quòd putabant, in præiudicium Chalcedonenſis Concilij ea ab Imperatore ſancita fuiſſe, in quo Ibas & Theodoretus, poſt abiuratos errores ſcriptorum, recepti fuerunt. Cùm autem perſpicuè plenéq; cognitum fuit, ſacroſancto Concilio per damnationem trium Capitulorum nihil derogari, cùm non perſonæ, ſed errores eorum ab Imperatore damnarétur; ipſa in primis Apoſtolica Sedes Aſſertionem hanc, Imperatoris Edicto primùm promulgatam, & poſteà per Quintam Synodum cōfirmatam, probauit atque retinuit, adeò vt Catholici ad hanc ſententiam omnes poſteà acceſſerint, & ſchiſmatici habiti fuerint, qui ab illa diſſenſere.

Imperator ſimul ac de fide Edictum hoc promulgaſſet, ſciés eiuſmodi Conſtitutiones nullarum virium eſſe, niſi ab Epiſcoporum ſubſcriptione firmitatem acciperent, Apoſtolicæ Sedis Apocriſarium ibi degentem Stephanum Diaconum, Mennam Conſtantinopolitanum Epiſcopum, alioſque plures Epiſcopos, vt id facerent, vehementer rogauit. Sed cùm Mennas ac ceteri primarij Epiſcopi ſuam ſententiam vſque ad arbitrium Romani Pontificis deferrent, ab eiuſque voluntate omnes penderent, Imperator neceſſarium fore iudicans, vt ad Comitatum vocaretur Vigilius, honorificè eum inuitauit, rogauit, & induxit, vt contra morem anteceſſorum ſuorum Româ Conſtantinopolim proficiſceretur. Qua ratione illuc venientem Pontificem Imperator exceperit, videre eſt in Vita Vigilij, quæ extat apud Binium.

In cauſa trium Capitulorum damnatorum, primùm Zoilum Alexandrinum Epiſcopum de ſubſcriptione in damnationem trium Capitulorum redarguit: deinde, cùm Epiſcopos inter ſe diſſidentes, & periculum grauiſſimi ſchiſmatis imminere videret, medium ſe interponit arbitrum contentionum, & ſecum Synodum adhibet triginta Epiſcoporum: in qua cùm acriùs vtrimque contenderetur, mandauit, vt quiſque ſuam ſententiam rationibus confirmatā ſcripto proferret. His ab vnoquoque exactis, eas poſt aliquot dies parti damnanti tria Capitula reſeruandas tradidit: cum altera verò parte conuenit, vſque ad proximè agendam Synodum Generalem de quęſtione propoſita tacendum, & cum damnantibus tria Capitula intereà temporis communicandum eſſe: maximè cùm inter eas non de fide, ſed de perſonis dumtaxat contentio verteretur. Quod cùm plerique non aduerterent, vel non intelligerent, in Vigilium, vt deſertorem & præuaricatorem inſurrexerunt. Sed prudentiſſimè egit Vigilius, quòd cùm ſchiſma totius Orientis ab Occidente impendere videret; neque contentio de fide, ſed de perſonis ageretur, controuerſiæ deciſionem ad Vniuerſalis Concilij cōuentum diſtulerit, vt interim contentionis ille ardor deferueſceret, atque pax maiore cum tranquillitate tractaretur.

Digitized by Google

retur. Ad hanc faciliùs conciliandam, placuit Vigilio, vt ſicut tempore fœderis conceſſa ſunt commercia; ita omnibus defenſoribus & impugnatoribus trium Capitulorum, vſque ad deciſionem Concilij, concederetur communio. Non fecit hæc timore Imperatoris (vt calumnioſè obiiciebant impugnatores Capitulorum) ſed amore pacis & concordiæ. Id colligi poteſt ex eo facto, quo in Theodorum, ceteroſque Acephalos & Eutychianos hæreticos, anathematis ſententiam, nullo habitu reſpectu Imperatoriæ poteſtatis, pronuntiauit, quando illud ſtatum Eccleſiæ & religionis exigere audiebat. Baronius anno 546. & 547.

SYNODVS MOPSVESTENA

nouem Epiſcoporum aduerſus THEODORVM *Mopſueſtenum Epiſcopum, ante centum annos defunctum, celebrata nono anno poſt Conſulatum* BASILII, *qui eſt Chriſti Redemptoris* 550. *&* VIGILII *Papæ vndecimus.*

ANNO DOMINI D. L.

CONCILIVM hoc congregatum eſt Mopſueſtiæ in Cilicia, aduerſus ipſius Theodori, Edicto Iuſtiniani Imperatoris condemnati, defenſores. Interfuerunt cum nouem Epiſcopis complures viri clariſſimi Comites atque Tribuni. Martanius Comes Domeſticorum, literas ab Imperatore ſcriptas attulit ad Ioannem Metropolitanum, & ad Coſmam Epiſcopum hoc tempore Mopſueſtenum. Poſtquã vnanimi conſenſu aduerſus defenſores Theodori decreuiſſent, Mopſueſtię antiquiſſimas memorias, ſi quæ adhuc ibidem de ipſo reliquiæ conſeruarentur, eſſe diligenter inquirendas, & num in eius Eccleſiæ ſacris Diptychis vnà cum aliis eiuſdem ciuitatis Epiſcopis Catholicis ipſe adſcriptus reperiretur, facta eſt huius rei diligens examinatio: additum eſt diligens examen Clericorum teſtium eorum, qui longa ſenectute eſſent probati. Inuentum eſt omnium depoſitione, nullam eius ſæculi memoriam eſſe, quo nomen Theodori è ſacris Tabulis recitatum fuerit: quodque potiùs nomine eiuſdem expuncto, Cyrilli nomen ſubſtitutum reperiatur. De rebus in Concilio geſtis, poſteà Vigilium per epiſtolam Synodalem certiorem reddiderunt. Baronius an. 550. num. 37.

Acta huius Synodi, cùm quadam epiſtola Synodica ad Vigilium ſcripta, extant in Quinto Concilio Oecumenico, Collat. & Act. 5.

CONC. AVRELIANENSE V.

quinquaginta Epiſcoporum in Gallia celebratum anno Domini 552. *Pontificatus* VIGILII 13. *Eſt verò Prouinciale.*

SYNODVM hanc occaſione trium Capitulorum celebratam eſſe, Canon 1. admonet, dum eius exordio damnantur hæreſes Neſtorij & Eutychetis, quarum cauſa Orientalem Eccleſiam incendio conflagrare, Patres Concilij non ignorabant. D. LII.

PRÆFATIVNCVLA.

AD diuinam gratiam referendum eſt, cùm vota Principum concordant animis Sacerdotum, vt dum fit Pontificale Concilium, normam viuẽdi teneat recapitulatio antiqua Canonum, velut locus & tempus eſt quibuſcumque titulis veteribus, adhærens noua conſtitutio ſanctionum. Igitur cùm clemẽtiſſimus Princeps triumphorum titulis inuictiſſimus Childebertus Rex, pro amore ſacræ fidei, ſtudio religionis, in Aurelianenſium vrbem congregaſſet in vnum Domini Sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire quod ſacrum eſt, & quod pro Eccleſiaſtico ordine auctoritate promeretur paſtorali, & quod aduenientibus ſit norma, & præſentibus diſciplina, quæ conueniat à præſenti tempore in poſterum cuſtodiri, præſtante Deo, ſignanter eſt titulis prænotatum.

Rex velit diſcere à Sacerdotibus.

Digitized by Google

CAP. I.

Dogmata Eutychetis vel Neſtorij damnanda.

PRIMO itaque nefariam ſectam, quam auctor malè ſibi conſcius, & à viuo ſanctæ fidei Catholicæ fonte diſcedens, ſacrilegus quondam condidit Eutyches, vel ſi qua à venefico ſimiliter impio ſunt prolata Neſtorio, quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat; ſimiliter & nos eaſdẽ cum ſuis auctoribus & ſectatoribus exectantes, præſentis Conſtitutionis vigore anathematizamus atque damnamus, Apoſtolicum fidei ordinem in Chriſti nomine prædicantes.

CAP. II.

Neminem à Sacerdote de leuibus cauſis damnandum.

NVLLVS Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Eccleſia arceri iuſſerunt committentes.

CAP. III.

De extranearum mulierum familiaritate.

VT nullus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, extranearum mulierum intrà domum præſumat habere ſolatium, quibus etiam pro vtilitate ſua aliqua familiariùs regenda committat. Quod etiam de propinquis feminis indicentes, ſimiliter prohibemus, ne, ſub conceſſa ſibi licentia parentali, ex earum ſequipedis memoratorum vita vel opinio polluatur. Quòd ſi Epiſcopus nunc vetitis vti ſub quadam præſumptione voluerit, anno vno à Metropolitano, vel à comprouincialibus ſuis, ab officio ſuſpendatur. Clerici verò à propriis Epiſcopis, modo, qui ſuprà ſcriptus eſt, corrigantur.

CAP. IV.

Si poſt acceptam benedictionem incontinens inuenitur.

SI QVIS Clericus poſt acceptam benedictionem cuiuſlibet loci vel Ordinis, ad coniugalem torum, iam ſibi illicitum, denuò redire præſumpſerit, vſque in diem vitæ ab honore accepti Ordinis, & (ſicut habent antiquorum Patrum Canones) ab officio deponatur, ei tantummodò communione conceſſa.

CAP. V.

Nullus Clericum alienum recipere, vel promouere ſine epiſtola Pontificis ſui præſumat.

VT nullus Clericum ſeu Lectorem alienum, ſine ſui conceſſione Epiſcopi, vel promouere, vel ſibi quibuſlibet conditionibus audeat vendicare. Quòd ſi quis hanc Conſtitutionem fuerit quacumq; præſumptione tranſgreſſus, memoratæ perſonæ ab eo, cuius ſunt, debitè, ſeu Eccleſiaſtico Iure ſeu proprio reuocatæ, quia illicita vocatione diſceſſerant, ab honore vel officio ſuſcepto, iuxta arbitrium ſui Pontificis, ſuſpendatur. Epiſcopus verò qui ordinauerit, ſex menſibus Miſſas facere non præſumat.

CAP. VI.

Seruum alienum, Clericum non ordinandum.

VT ſeruum, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, aut etiam iam libertum, nullus Epiſcoporum ab eius tantùm voluntate, cuius ſeruus eſt, & eum abſoluiſſe dignoſcitur, Clericum audeat ordinare. Quod ſi quiſquam fecerit, is qui ordinatus eſt, à domino reuocetur; & ille collator Ordinis, ſi ſciens feciſſe probatur, ſex menſibus Miſſas tantùm facere non præſumat. Si verò ſęcularium ſeruus eſſe conuincitur qui ordinatus eſt, benedictione ſeruata, honeſtum in Ordine domino ſuo impendat obſequium. Quòd ſi ſæcularis dominus ampliùs eum voluerit inclinare, vt ſacro Ordini inferre iniuriam videatur; duos ſeruos (ſicut antiqui Canones habent) Epiſcopus qui eum ordinauit, domino ſæculari reſtituat, & Epiſcopus eum quem ordinauit, ad Eccleſiam ſuam reuocandi habeat poteſtatem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

De manumiſſis.

ET quia plurimorum ſuggeſtione comperimus, eos, qui in Eccleſiis iuxta conſuetudinem à ſeruitio fuerint abſoluti, pro libito quorumcumque iterùm ad ſeruitium reuocari: impium eſſe tractauimus, vt quod in Eccleſia Dei conſideratione à vinculo ſeruitutis abſoluitur, irritum habeatur. Ideò pietatis cauſa, communi conſilio placuit obſeruandum, vt quæcumque mancipia ab ingenuis dominis ſeruitute laxãtur, in ea libertate maneant, quam tunc à dominis perceperunt. Huiuſmodi quoque libertas, ſi à quocumque pulſata fuerit, cum iuſtitia ab Eccleſiis defendatur; præter eas culpas, pro quibus leges collatas ſeruis reuocare iuſſerunt libertates.

CAP. VIII.

Pontifice mortuo, nullus in ciuitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut Altaria audeat conſecrare.

VT in ciuitate, vbi Pontifex iure humanæ conditionis obierit, nullus Epiſcopus ante ſubſtitutionem deputati per ordinem ſucceſſoris, aut in ciuitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut Altaria audeat conſecrare, vel quidquam de rebus Eccleſiæ prçter humanitatem præſumat auferre. Quòd ſi quiſquam temerario auſu ſtatuta tranſſcenderit, conuentus ab inſtituto Pontifice, verecundiæ ſuæ conſulens, ſine dilatione ablata reſtituat. Si verò ſuæ voluntatis arbitrio, vel quorumcumque precibus actus, quamcumque perſonam promouere, aut contra interdictum ire præſumpſerit; anno integro Miſſas facere non præſumat.

CAP. IX.

Nullus ex laicis ante annuam conuerſationem Epiſcopus ordinetur.

NVLLVS ex laicis, abſque annua conuerſatione præmiſſa, Epiſcopus ordinetur, ita vt intra anni ipſius ſpatium, à doctis & probatis viris, diſciplinis & regulis ſpiritualibus pleniùs inſtruatur. Quòd ſi hoc quiſquam Epiſcoporum tranſcendere quacumq; conditione præſumpſerit, anno integro ab officio vel charitate fratrum habeatur extraneus.

CAP. X.

Nulli Epiſcopatum pretio liceat comparare.

VT nullum Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis iuxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiquis Canonibus continetur ſcriptum, conſenſu Cleri ac plebis, à Metropolitano, vel quem vice ſua miſerit, cum comprouincialibus Pontifex conſecretur. Quòd ſi quis hanc regulam huius ſanctæ Conſtitutionis per coëmptionem exceſſerit, eum qui per præmia ordinatus fuerit, ſtatuimus remouendum.

CAP. XI.

Nullus inuitus ordinetur Epiſcopus.

ITEM (ſicut antiqui Canones decreuerunt) nullus inuitus ordinetur Epiſcopus, ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum, ad conſenſum faciendum ciues, aut Clerici (quod dici nefas eſt) inclinentur. Quòd ſi factum fuerit, ipſe Epiſcopus, qui magis per violentiam quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatus honore in perpetuum deponatur.

CAP. XII.

Viuente Epiſcopo nullus alius ſuperordinetur.

NVLLI viuenti Epiſcopo alius ſuperponatur aut ſuperordinetur Epiſcopus, niſi forſitan in eius loco, quem culpa capitalis deiecerit.

CAP. XIII.

Facultates Eccleſiæ ſubtrahens, alienans, retinens, puniatur.

NE cui liceat res vel facultates Eccleſiæ, aut Monaſteriis, aut Xenodochiis pro quacumque eleëmoſyna cum iuſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quod quiſquis fecerit, tamquam necator pauperum, antiquorum Canonum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excluda-

 tur,

tur, quamdiu ab ipſo ea, quæ ſunt ablata vel retenta, reddantur.

CAP. XIV.

Epiſcopus, vel quicumque, res Eccleſiæ non occupet.

Vt nullus Epiſcoporum, aut cuiuſlibet Ordinis Clericus, vel alia quæcumque perſona, quibuſlibet conditionibus, ſeu in vno Regno ſeu in alio poſitus, alterius cuiuſcumque Eccleſiæ res aut petat, aut præſumat accipere. Quod ſi fecerit, tamdiu habeatur à communione Altaris, vel omnium fratrum ac filiorum charitate ſuſpenſus, donec ipſi Eccleſiæ, cuius directo ordine res eſt ablata, reſtituatur.

ANNOTATIO.

Hoc Cap. 14. in quodam vetuſtiſſimo manuſcripto exemplari non habebatur: ſed eius loco duo alia inſerta ſunt: Primum eſt: *Si quis Presbyter aut Diaconus quolibet cothurno ordinationem Epiſcopi ſui deſpexerit, aut calliditate faciente, ipſum iniuriare aut detrectare præſumpſerit, tribus annis à communione ſuſpenſus, & in Monaſterium retruſus, aqua tantummodò & pane diebus ſingulis ſuſtentetur, nec comam nec barbam facere præſumat; nec ad aram Domini penitùs accedere permittatur.* Alterum eſt: *Si Epiſcopo aut Presbytero cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, ſe de eo, quod ei obiectum fuerit, innocentem reddere faciat. Quòd ſi non fecerit, quinquennium à liminibus Eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut in Nicænis Canonibus antiqui Patres inſtituerunt.*

CAP. XV.

De eo, quod ex Xenodochiis collatū fuerit.

De Xenodochio verò, quod piiſſimus Rex Childebertus & coniugalis ſua Vltrotho Regina in Lugdunenſi vrbe, inſpirante Domino, condiderunt (cuius inſtitutionis ordinem vel exſcriptionem, petentibus ipſis, manuum noſtrarum ſubſcriptione firmauimus) viſum eſt pro Dei contemplatione, iunctis nobis in vnum, permanſura auctoritate decernere, vt quidquid præfato Xenodochio aut per ſupradictorum Regum oblationem, aut per quorumcumque fideliū eleëmoſynas collatum aut conferendum eſt, in quibuſcumque rebus atque corporibus, nihil exinde ad ſe quolibet tempore Antiſtes Eccleſiæ Lugdunenſis reuocet, aut ad ius Eccleſiæ transferat, vt ſuccedentes ſibi per temporum ordinem Sacerdotes, non ſolùm facultate Xenodochij ipſius, aut de conſuetudine vel inſtitutione nihil minuant; ſed dent operam, qualiter rei ipſius ſtabilitas in nullam partem detrimentum aut diminutionem aliquam patiatur, prouidentes ad intuitū retributionis æternæ, vt Præpoſiti ſemper ſtrenui ac Deum timentes decedentibus ſubſtituantur, & cura ægrotantiū, ac numerus vel exemptio peregrinorum ſecundùm indictam inſtitutionem inuiolabili ſemper ſtabilitate permaneat. Quòd ſi quis quolibet tempore cuiuſlibet poteſtatis vel ordinis contra hanc Conſtitutionem noſtram venire tentauerit, aut aliquid de conſuetudine vel facultate Xenodochij ipſius abſtulerit, vt Xenodochium (quod auertat Deus) eſſe deſinat, vt necator pauperum, irreuocabili anathemate feriatur.

CAP. XVI.

Qui Eccleſiæ oblata auferre præſumpſerit.

Qviſqvis etiam, aut maiorum aut mediocrium perſonarum, quodcumque muneris vel facultatis Sacerdotibus, aut Eccleſiis, aut quibuſlibet locis ſanctis, ſtudio mercedis cum iuſtitia pro Dei contemplatione contulerit, aut ea quæ à parentibus donata noſcuntur, poſtmodum auferre præſumpſerit, ſuperiori ſententia, vt necator pauperum, communione priuetur.

CAP. XVII.

Eccleſiæ cauſæ qualiter & per quos finiantur.

Placvit etiam, vt ſi quæcumque perſona contra Epiſcopum vel Actores Eccleſiæ ſe proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat charitatis ſtudio, vt familiari aditione commonitus, ſanare ea debeat quæ in querimonia deducuntur. Quam rem ſi differre voluerit, tunc demum ad Metro-

Metropolitani audientiam veniatur. De qua re, cùm literas ſuas Metropolitanus ad comprouincialem Epiſcopum dederit, & cauſa ipſa inter vtroſque quacumque occaſione amicis mediis non fuerit definita, vt ipſi Metropolitano neceſſarium ſit in eodem negotio iterare ſcriptum, & ſecundò admonitus, aut mittere aut venire diſtulerit; tamdiu à charitate Metropolitani ſui nouerit ſe eſſe ſuſpenſum, donec ad præſentiam eius veniens, cauſæ ipſius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quòd ſi patuerit, Epiſcopum ipſum contra iuſtitiam fatigatum, is, qui eum iniuſta interpellatione pulſauit, anni ſpatio à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur. Si verò Metropolitanus à quocumque comprouinciali Epiſcopo bis fuerit in cauſa propria appellatus, & eum audire diſtulerit: ad proximam Synodum quæ conſtituetur, negotium ſuum in Concilio licentiam habeat exercendi: & quidquid pro iuſtitia à comprouincialibus ſuis ſtatutum fuerit, ſtudeat obſeruare.

Cap. XVIII.

Vocati comprouinciales à Metropolitano ad Concilium, venire teneantur.

Id etiam huic Decreto credidimus inſerendum, vt ſi quis de comprouincialibus Epiſcopis à Metropolitano ſuo ad Concilium intra ſuam Prouinciam fuerit euocatus, & præter euidentem infirmitatem ad Concilium venire diſtulerit, atque de Synodali Conuentu, antequam cuncta conueniant, ſine commeatu Concilij ipſius diſcedere fortaſſe præſumpſerit, ſicut eſt præcedentibus regulis ſtatutum, ſex menſibus à Miſſarum officio ſuſpendatur. Quòd ſi quem à Concilio quęcumque neceſſitas illata diſtulerit, à Metropolitano ſuo veniam poſtulans, ad Miſſarum faciendarum gratiam reuocetur.

Cap. XIX.

De oblatione puellarum in Monaſteriis.

Qvaecvmqve etiam puellæ ſeu propria voluntate Monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa qua intrauerint veſte permaneant. In his verò Monaſteriis, vbi non perpetuò tenentur incluſæ, triennium in ea qua intrauerint veſte permaneant: & poſtmodum ſecundùm ſtatuta Monaſterij ipſius in loco, quo elegerint permanere, veſtimenta Religionis accipiant. Quæ ſi deinceps ſacra relinquentes loca, propoſitum ſanctum ſæculi ambitione tranſcenderint: illæ, quæ in domibus propriis, tam puellæ quàm viduę, commutatis veſtibus conuerſantur, cum his quibus coniugio copulantur, Eccleſiæ communione priuentur. Sanè, ſi culpam ſequeſtratione ſanauerint, ad communionis gratiam reuocentur.

Cap. XX.

Incarcerati, Dominicis diebus ab Eccleſiæ Præpoſitis viſitentur.

Id etiam miſerationis intuitu æquum duximus cuſtodiri, vt qui pro quibuſcumque culpis in carceribus detinentur, ab Archidiacono, ſeu à Præpoſito Eccleſiæ diebus Dominicis requirantur, vt neceſſitas vinctorum ſecundùm præceptum diuinum miſericorditer ſubleuetur: atque à Pontifice, inſtituta fideli & diligenti perſona quæ neceſſaria prouideat, competens victus de dono Eccleſiæ tribuatur.

Cap. XXI.

De ſolicitudine infirmorum, vel ſuſtentatione.

Et licet (propitio Deo) omnium Domini Sacerdotum, vel quorumcumque hæc cura poſſit eſſe fidelium, vt egentibus neceſſaria debeant miniſtrari: ſpecialiter tamen debilibus id pietatis cauſa conuenit, vt vnuſquiſque Epiſcoporum incolis, quos infirmitatem incurriſſe, tam territorij ſui, quàm ciuitatis, agnouerit, de domo Eccleſiæ iuxta poſſibilitatem victui & veſtitui neceſſaria ſubminiſtret, vt non eis deſit miſericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis conſtringit inopia.

CAP. XXII.

De annua euocatione Concilij.

HIS itaque Deo propitio conſtitutis, quod præcipuè in omnibus Patrum Conciliis habetur ſcriptum, congrua diffinitione ſancimus, vt intra anni circulum vnuſquiſque Metropolitanus Epiſcopus, iunctis in vnum locum comprouincialibus ſuis, intra Prouinciam ſuam ſtudeat habere Concilium: vt aut, ſi qua acceſſerint, charitatis emendentur ſtudio: aut ſi pax regalis vel diſciplina in cunctis (Deo adiuuante) permanſerit auctore bonorum omnium Deo, de charitate & præſentia gratulentur. Hæc ergo (Deo propitio) conſtanter & vnanimiter definita ſeruantes, etiam præteritorum ſtatuta Canonum his decernimus vt (Chriſto auctore) deinceps inconuulſa vniuerſa ſeruentur, vt manente concordia, quæ diuina inſpiratione ſalubriter in præſenti tempore definita ſunt, amodò & habeant vigorem, & cuſtodiant charitatem.

CAP. XXIII.

De his, qui ad Eccleſiam confugerunt.

DE ſeruis verò, pro qualibet cauſa ſi ad Eccleſiæ ſepta confugerint, id ſtatuimus obſeruandum, vt ſi quod in antiquis Conſtitutionibus tenetur ſcriptum, pro conceſſa culpa, datis à domino ſacramentis, quiſquis ille fuerit, egrediatur, de venia iam ſecurus. Enimuerò, ſi immemor fidei dominus, trāſſcendiſſe conuincitur quod iurauit, vt is qui veniam acceperat, probetur poſtmodum pro ea culpa, qualicumq; ſupplicio cruciatus: dominus ille, qui immemor fuit datæ fidei, ſuſpenſus ſit ab omnium communione. Iterùm, ſi ſeruus pro venia, datis ſacramentis à domino, iam ſecurus, noluerit exire, ne ſub tali contumacia requirens locum fugę, domino fortaſſe depereat, egredi nolentem, à domino eum liceat occupare, vt nullam, quaſi propter tentationem ſerui, quibuſlibet modis moleſtiam aut calumniam patiatur Eccleſia: fidem tamen dominus, quam pro conceſſa venia dedit, nulla temeritate tranſcendat. Quòd ſi Gentilis dominus fuerit, aut alterius ſectæ, qui à conuentu Eccleſiæ probatur extraneus, qui ſeruum repetit, perſonam requirat bonæ fidei Chriſtianam, vt ipſe in perſona domini pro ſeruo præſtet ſacramentum: quia ipſi poſſunt ſeruare quod ſacrum eſt, qui poſt tranſgreſſionem, Eccleſię metuunt diſciplinam.

QVIN-

Digitized by Go

QVINTA SYNODVS GENERALIS CONSTANTINOPOL. II.

anno Domini 553. congregata ſub Pontificatu VIGILII, & Imperio IVSTINIANI.

ANNO DOMINI D.LIII.

HANC Synodum Vigilius Papa auctoritate Pontificia indixit; Iuſtinianus opera, ſtudio, ac fauore ſuo camdem cõgregauit. Cùm enim Imperator limites Imperij prætergreſſus, ad vniendos Eccleſiæ Catholicæ Eutychianos & Acephalos, hortatu Theodori Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, de trium Capitulorum damnatione Edictum promulgaſſet, ſcilicet, Primò, Quòd Synodus Chalcedonenſis laudes ſuſceperit Theodori Mopſueſteni Epiſcopi. Secundò, Quòd epiſtolam Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana cognoſcitur, Synodus ipſa iudicio ſuo pronuntiauerit Orthodoxam. Tertiò, De Theodoreto Epiſcopo Cyri in Chalcedonenſi Concilio recepto. Cùm ergo contra tria hæc Capitula Iuſtinianus Edictum promulgaſſet, Vigilius verò edicenti obſtitiſſet; vtriuſq; conſenſu tandem conſtitutum fuit, vt ſublato Edicto, controuerſiæ deciſio ad Vniuerſalis Concilij congregationem ſuſpenderetur. Quod cùm Imperator, prout conuentum erat, præſtitiſſet, auctoritate Vigilij hanc Synodum conuocauit. Qui cùm experientiâ didiciſſet, oppugnatores trium Capitulorum, & defenſores Concilij, nequaquã ſuo Edicto obtemperaturos, niſi illud Epiſcoporum decreto atque auctoritate Pontificia confirmaretur, curauit, vt ex Vigilij Papæ ſententia Synodus Oecumenica peragerertur. Sed cùm Imperator, propoſiti tenaciſſimus, ſuam de tribus Capitulis damnandis ſententiam pluribus Epiſcoporum ſuffragiis confirmari optaret, neque aliter id futurum eſſe ſperaret, quàm ſi in Oriente Conuentus Epiſcoporum celebraretur, atque ad illud Orientales tantùm Epiſcopi, quos in ſuam ſententiam ferè omnes pertraxerat, accerſirentur; ideò nullum ex Occidente Epiſcopum ad Synodum inuitauit; ſed illos dumtaxat Oriẽtis Antiſtites vocauit, qui vel acerrimi Theodori Mopſueſteni impugnatores erant, vel quos ille beneficiis deuinxerat. Hoc factum Imperatoris turpiſſimum Vigilius acerrimè reprehendit: ex quo factum eſt, vt paris numeri Epiſcopi ex Oriente & Occidente poſteà conuocaret. Intereà tamen Imperator, dum vocati ex Occidente expectabantur, Edictum ſuum de tribus Capitulis à ſe antè conſcriptum & promulgatum, ad Pontificem Vigilium miſit, vt ſuam de iiſdem Capitulis ſententiam ſcripto proferret. Hac occaſione Pontifex, poſt impetratas viginti dierum inducias, quantumuis ab ægra corporis valetudine nondum conualuiſſet, Conſtitutum illud conſcripſit, & ad Imperatorem remiſit eo tempore, quo huius Concilij quinta Collatio ſiue Seſſio celebrata fuit.

Fuit autem hæc Synodus Oecumenica

nica & Vniuerſalis: ſic enim manifeſtè atteſtatur Concilium Nicænum II. Act.1.his verbis: *Itaque cùm ſancta Vniuerſalis Quinta Synodus Conſtantinopoli eſſet congregata, communi & generali anathemate reiecti ſunt Origenes & Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ*, &c. Et fuit probata, Primò, A Pelagio Papa S. Gregorij anteceſſore, vt patet ex illo libro, quem teſte Gregorio lib.2.epiſt.36. cõſcripſit aduerſus ſchiſmaticos illos, qui repudiantes hoc Concilium tamquam Chalcedonenſi contrarium, ſe ab vnitate Eccleſiæ ſeparauerant. Secundò, Eam probauit S. Gregorius in lib. 1. epiſt.24.ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum his verbis: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſiſtentiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe conuincitur: & in quo ſcripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehẽditur, auſu dementiæ prolata reperiuntur. Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia prorſus reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, complector: quia dum vniuerſali conſenſu ſunt conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere quos religant, aut ligare quos ſoluunt: Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Quiſquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei ſit à Deo Patre per Ieſum Chriſtum Filium eius, qui cũ eo viuit & regnat conſubſtantialiter Deus, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorũ, Amen.* Tertiò, Eam probauit Leo II. ſcribens ad Conſtantium Imperatorem, quæ epiſtola in Sexta Synodo recitatur. Quartò, Idem præſtitit Adrianus Papa in epiſtola ad Nectarium data. Et denique à Vigilio ipſo Summo Pontifice: ſed quo tempore, quóve modo, controuertitur. Euagrius lib.4. cap.37. dicit, eum per literas Synodo conſenſiſſe. Sed cùm conſtet, Imperatorem tam Vigilium quàm alios Orthodoxos Antiſtites in exilium relegaſſe, quia damnationem trium Capitulorum, ceteraq; Synodalia decreta non receperunt; propterea verius exiſtimo, quòd Vigilius tum demum, abrogato quod priùs pro defenſione trium Capitulorum fuerat Conſtituto, hanc Synodum ſuo Decreto ſuaque auctoritate Pontificia confirmauerit, quando vendicata per Narſetem à Gothis Italia, anno primo poſt abſolutum Oecumenicum Concilium ab exilio ſolutus, ab Imperatore acerrimo trium Capitulorum hoſte & impugnatore, muneribus, donis, ac priuilegiis ornatus, in Italiam redire permiſſus fuit.

Nec propter hoc inconſtantiæ aut alia labe Vigilius debet redargui, vt impiè faciunt hæretici: quia teſte S. Gregorio lib.3. epiſt.37. non fuit hîc diſceptatio vlla de fide, ſed tantummodò de perſonis, quæ pro diuerſitate circumſtantiarum, citra periculum hæreſeos, vel etiam vllius alterius criminis, quandoque affirmari, quandoque negari poterat; vt latè Binius hîc oſtendit.

De Pręſide huius Concilij ſciẽdum, quòd non fuit Mennas, vt falsò docet Caluinus, ſed Eutychius Mennæ ſucceſſor: qui tamen ſcripta ad Vigilium epiſtola profeſſus eſt, præſidentiam non ſibi, ſed Vigilio Pontifici iure deberi, ſi Concilio intereſſe vellet: *Petimus*, inquit Eutychius prædicta epiſtola ad Vigilium, *præſidente nobis veſtra Beatitudine de tribus Capitulis quæri, & conferri.* Vnde Zonaras in Vita Iuſtiniani, *Sub hoc*, inquit, *Quintum Concilium eſt coactũ cẽtum ſexaginta quinq; Epiſcoporum, quorũ Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Plura de hoc apud Binium.

Nunc ſummatim ſequuntur Acta Collationum.

PRIMA Seſſione, dum Kalendis Maij ſine capite membra conueniſſent, ac nonnulli Epiſcopi ad Synodum venire rogaſſent, conſidentibus omnibus, Theodorus Silentiarius Iuſtiniani Imperatoris libellum attulit; in quo ille indicabat, qua occaſione tria Capitula damnari procuraſſet. Poſtquam *Prima Collationis Acta 552.*

quam hunc libellum in Synodali conſeſſu, vnà cum fidei Profeſſione Eutychij Conſtantinopolitani Epiſcopi; cumque ea ex epiſtola Vigilij, quam ad eundem reddiderat, recitari audiuiſſent, deputati ſunt ſeptemdecim Metropolitani, qui cum tribus Patriarchis, Vigilium Pontificem honorificè atque conuenienter prærogatiuæ Sedis Apoſtolicæ ad Synodum inuitarent. Qua citatione peracta, ad Synodum reuerſi retulerunt, Vigilium corporis ægritudinem cauſam abſentiæ ſuæ prætexuiſſe: quidve de tribus Capitulis ipſe ſentiret, à ſe ſcripto quodam publico edendum. His enarratis, ſecunda citatio eiuſdem Vigilij iiſdem Epiſcopis & Patriarchis commiſſa fuit.

Secunda Collationis Acta.

Secunda Collatione octauo Idus Maias conuenerunt Epiſcopi illi, qui miſſi fuerant ad ſecundò citandum Vigilium, retulerunt, Pontificem reſpondiſſe, ſe ad Concilium non eſſe venturum, ideò quòd perpauci Occidentalium Epiſcoporum adeſſent: ſuam verò de propoſita quæſtione ſententiam ſe ad Imperatorem, quàm primùm fieri poſſit, miſſurum eſſe. Cùm illi vnà cum Patriciis & Conſulibus ab Imperatore ablegatis vrgerent, ad agendum de propoſita quæſtione Epiſcopos præſentes ſufficere, Vigilius Papa petiuit inducias, quibus ſuam de tribus Capitulis ſententiam depromeret. Intereà ſex alios Epiſcopos Conſtantinopoli præſentes ad Synodalem conuentum inuitarunt: qui quòd à Concilio abeſſet Vigilius Papa, accedere recuſarunt.

Tertia Collationis Acta.

TertiaCollatione ſeptimo Idus Maias habita, poſt emiſſam fidei Catholicæ Profeſſionem, decernitur, de tribus Capitulis hiſce; nimirum, de Theodoro Mopſueſteno, de epiſtola Ibæ, deque ſcriptis Theodoreti aduerſus Cyrillum, proximo Epiſcoporum conſeſſu tractandum eſſe.

Quarta Collationis Acta.

Cùm itaque quartam Collationem habituri, quarto Idus Maias iterùm Epiſcopi conueniſſent, mandarunt recitari horrendas blaſphemias Theodori Mopſueſteni, quodque idem ediderat impium fidei Symbolum.

Quinta Collationis Acta.

Quinta Collatione, quæ fortaſſe vel tertio, vel pridie (nequaquam verò, vt habent excuſa exemplaria mendosè, octauo) Idus Maias celebrata fuit. In hac primùm ea, quæ SS. Patres aduerſus Theodorum ſcripſerunt, quæve Leges Imperatorum aduerſus eum ſancitæ fuerunt; inſuper etiam quæ Heſychius Presbyter Ieroſolymitanus, nobiliſque Hiſtoricus, de eodem conſcripſit: ſicut etiam illa omnia, quæ pro Theodoro defendendo quiſpiam vel dicto vel ſcripto edidiſſet, in medium adducta fuerunt.

Sextilianus Africanæ Eccleſiæ Legatus, auctoritate S. Auguſtini atque exemplo S. Leonis oſtendit, aliquem poſt obitum condemnari poſſe. Poſt hæc, Acta Synodi Mopſueſtenæ recitata fuerunt, vt ſcilicet probaretur, ipſum Theodorum olim ex Diptychis Eccleſiæ abraſum eſſe, & in locum eius Cyrillum Alexandrinum ſuffectũ fuiſſe. A Theodoro deinde factus eſt tranſitus ad ſcripta Theodoreti illa, quæ Orthodoxæ fidei contrariabantur, quibuſque is in defunctum Cyrillum inuehebatur. His recitatis, laudatum eſt ſacroſanctum Concilium Chalcedonenſe, quòd non priùs Theodoretum ad communionem ſuſcepiſſet, quàm ille Neſtorium condemnaſſet. Oblatum fuiſſe Concilio hac Collatione Conſtitutum Vigilij, indicant Acta ſextæ Collationis, quibus non obſcurè ſignificatur, idem Conſtitutum in ſexto illo Patrum conſeſſu recitatum fuiſſe, &c.

Sexta Collationis Acta.

Decimoquarto Kalendas Iunias habita eſt ſexta Collatio, in qua poſt recitatam Ibæ epiſtolam, epiſtola Procli illi contraria in medium allata fuit: vt ex hac conuincerent, Ibam poſt pacem Eccleſię in Neſtorianiſmo perſeueraſſe: poſteà iudicium de ipſo Berythi habitum, breuiter eſt repetitum. Inde verò additum de interlocutionibus Epiſcoporum

Digitized by Google

porum, quæ in cauſa Ibæ deſcriptæ reperiuntur in Concilio Chalcedonenſi. Quibus auditis, epiſtola Ibæ tamquam hæretica à Patribus eſt condemnata: in quem finem etiam poſteà Acta primi Epheſini Concilij, S. Leonis Papæ epiſtolam ad Flauianum, fideique Profeſſionem illam, quæ in Actis Chalcedonenſis Concilij extat, relegi iuſſerunt. Quibus dum comparaſſent prædictam Ibæ epiſtolam, iterùm eamdem, velut in multis hæreticam, communi conſenſu omnes condemnarunt, atque in Neſtorium, eiuſque Magiſtrum Theodorum Mopſueſtenum, iteratam anathematis ſententiam pronuntiarunt.

Septima Collationis Acta. Ad ſeptimum Kalendas Iunij, iidem qui ſuprà Orientales Epiſcopi ſeptimam Collationem habituri ad Synodùm conuenerunt. Ad ſuggeſtionem Quæſtoris Imperatorij lectæ epiſtolæ Vigilij illæ, quas ad Ruſticum & Sebaſtianum Eccleſiæ Romanæ Diaconos, Valentinianum Tomitanæ Eccleſiæ Antiſtitem in Scythia, & Aurelianum Arelatenſem Epiſcopum ſcripſit; procurauit id Imperator ea intentione, vt poſſet arguere Vigilium præuaricationis, quaſi anteà tria Capitula condemnaſſet, quæ poſteà defendebat. His peractis, ex Actis Antiochenis recitatum fuit, quòd Neſtoriani ſibi Theodoretum tamquam ſuum vendicarent, eiuſque imaginem currui impoſitam, cum triumpho & Pſalmorum canticis, in ciuitatem Cyri ſolemni ritu introduxerunt.

Octaua Collationis Acta. Octaua & vltima Collatio celebrata legitur quarto Nonas Iunij, in qua recitata eſt ſententia contra Theodorum Mopſueſtenum, Ibæ epiſtolâ, & Theodoreti ſcripta aduerſus Cyrillum. Ad finem ſententiæ appoſiti ſunt anathematiſmi contra Neſtorij & Eutychetis hæreſes, & aduerſus tria Capitula, prout ſequitur hîc immediatè. Poſt hæc omnia, ſubſecuta eſt centum ſexaginta quinque Epiſcoporum ſubſcriptio.

Anathematismi hvivs qvintae Synodi.

Cap. I.

Si qvis non confitetur Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam naturam ſiue ſubſtantiam, & vnam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſiue perſonis adorandam, talis anathema ſit. Vnus enim Deus & Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Ieſus, per quem omnia; & vnus Spiritus ſanctus, in quo omnia. *1. Cor. 8.*

Cap. II.

Si qvis non confitetur Dei Verbi duas eſſe natiuitates, vnam quidem ante ſæcula ex Patre ſine tempore incorporaliter; alteram verò in vltimis diebus eiuſdem ipſius qui de cælis deſcendit, & incarnatus de ſancta glorioſa Dei Genitrice ſemperq; virgine Maria, qui natus eſt ex ea, talis anathema ſit.

Cap. III.

Si qvis dicit, alium eſſe Deum Verbum qui miracula fecit, & alium Chriſtum qui paſſus eſt, vel Deum Verbum cum Chriſto eſſe naſcente de muliere, vel in ipſo eſſe, vt alterum in altero, & non vnum eumdemque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dei Verbum incarnatum & hominem factum, & eiuſdem miracula & paſſiones quas voluntariè carne ſuſtinuit, talis anathema ſit.

Cap. IV.

Si qvis dicit, ſecundùm gratiam, vel ſecundùm operationem, vel ſecundùm dignitatem, vel ſecundùm æqualitatem honoris, vel ſecundùm auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem factam eſſe, vel ſecundùm bonam voluntatem, quaſi quòd placuit Deo Verbo homo, eò quòd benè viſum eſt ei de ipſo (ſicut Theodorus inſaniens dicit) vel ſecundùm homonymiam, per quam Neſtoriani Deum Verbum Filium & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim Chri-

Chriſtum & Filium nominantes, & duas perſonas euidenter dicentes, per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, vnam perſonam, & vnum Filium, & vnũ Chriſtum confingunt dicere: ſed non confitentur, vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, ſecundùm compoſitionem ſiue ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, & ideò vnam eius ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnus de ſancta Trinitate, talis anathema ſit. Cùm enim multis modis vnitas intelligitur, qui impietatem Apollinaris & Eutychetis ſequuntur, interemptionem eorum quæ conuenerunt, colentes, vnitionem ſecundùm confuſionem dicunt. Theodori autem & Neſtorij ſequaces, diuiſione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta Dei Eccleſia vtriuſque perfidiæ impietatem reiiciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam. Vnitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti, non ſolùm inconfusè ea quę cõuenerunt, conſeruat, ſed neque diuiſionem ſuſcipit.

Cap. V.

Si qvis vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſic intelligit, tamquam ſuſcipientem plurimarum ſubſiſtentiarum ſignificationem, & per hoc introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias ſeu duas perſonas; & duarum perſonarum, quas introducit, vnam perſonam dicit ſecundùm dignitatem, & honorem, & adorationem, ſicut Theodorus & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt, & calumniantur S. Synodum Chalcedonenſem, tamquam ſecundùm iſtum impium intellectum vnius ſubſiſtentiæ vtentem vocabulo, ſed non confitetur Dei Verbũ carni ſecundùm ſubſiſtentiam vnitum eſſe, & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiam, ſeu vnam perſonam, & ſic & ſanctum Chalcedonenſe Concilium vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti confeſſum eſſe, talis anathema ſit. Neq; enim adiectionem perſonæ vel ſubſiſtentię ſuſcepit ſancta Trinitas ex incarnato vno de ſancta Trinitate Deo Verbo.

Cap. VI.

Si qvis abuſiuè & non verè Dei genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper Virginem Mariam, vel ſecundùm relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipſa, referenda autem, ſicut illi dicunt, hominis natiuitate ad Deum Verbum, eò quòd cum homine erat naſcente; & calumniatur ſanctã Chalcedonenſem Synodum, tamquã ſecundùm iſtum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinuenit, Dei Genitricem Virginem dicentem; vel qui hominis genitricem vocat, aut Chriſtotocon, id eſt Chriſti genitricem, tamquã Chriſtus Deus non eſſet, & non propriè & verè Dei genitricem ipſam confitetur, eò quòd ipſe qui ante ſęcula ex Patre natus eſt Deus Verbum, in vltimis diebus ex ipſa incarnatus, & natus eſt, & ſic piè & ſanctam Chalcedonenſem Synodum Dei genitricem eam eſſe confeſſam, talis anathema ſit.

Cap. VII.

Si qvis in duabus naturis dicẽs, non vt in Deitate & humanitate vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cognoſci confitetur, vt per hoc ſignificet differentiam naturarum in quibus inconfusè ineffabilis vnitio facta eſt, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturã transducta, (manet enim vtrumque hoc quod eſt natura, etiam facta vnitate ſecundùm ſubſiſtentiam) ſed, pro diuiſione per partem, talem excipit vocem in myſterio Chriſti, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodò

modò differentiam excipit earum, ex quibus & compoſitus eſt, non interemptam propter vnitatem (vnus enim ex vtroque, & per vnum vtraque) ſed in hoc numero vtitur, vt ſeparatim vnaquaque natura ſuam habente ſubſiſtentiam, talis anathema ſit.

CAP. VIII.

SI QVIS ex duabus naturis, Deitatis & humanitatis, confitens vnitatem factam eſſe, vel vnam naturã Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex diuina natura & humana, vnitione ſecundùm ſubſiſtentiam facta, vnus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus vnam naturam ſiue ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit. Secundùm ſubſiſtentiam enim dicentes vnigenitum Deum Verbum carni vnitum eſſe, non confuſionem aliquam naturarum inſe inuicem factam eſſe dicimus, ſed magis permanente vtraque, hoc quod eſt, vnitum eſſe carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & vnus eſt Chriſtus, Deus & homo, idem ipſe conſubſtantialis Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtãtialis nobis idem ipſe ſecundùm humanitatem. Æqualiter enim & eos qui per partem diuidunt vel incidunt, & eos qui confundunt diuinæ diſpenſationis myſterium Chriſti, reiicit & anathematizat Dei Eccleſia.

CAP. IX.

SI QVIS in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Dei Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemptionem, vel ad confuſionem Deitatis & humanitatis, vnam naturam ſiue ſubſtantiam eorum quæ conuenerunt introducens, ſic Chriſtum adorat, ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.

CAP. X.

SI QVIS non confitetur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum & Dominum gloriæ, & vnum de ſancta Trinitate, talis anathema ſit.

CAP. XI.

SI QVIS non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum cõſcriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, & eos, qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt vel ſapiunt, & vſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt vel permanent, talis anathema ſit.

CAP. XII.

SI QVIS defendit impium Theodorum Mopſueſtenũ, qui dixit alium eſſe Deum Verbũ, & alium Chriſtum, à paſſionibus animæ & deſideriis carnis moleſtias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & ſic ex profectu operum melioratum, & à conuerſatione immaculatum factum, & tanquam purum hominem baptizatum eſſe in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & per Baptiſma ſancti Spiritus gratiam accepiſſe, & filiationem meruiſſe, & ad ſimilitudinem Imperialis imaginis in perſona Dei Verbi adorari, & poſt reſurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum fuiſſe. Et iterùm dixit idem impius Theodorus, talem factam eſſe vnitionem Dei Verbi ad Chriſtum, qualem dixit Apoſtolus de viro & muliere: *Erunt duo in carne vna.* Ephe. 5.
Et ſuper alias innumerabiles blaſphemias, auſus eſt dicere, quòd poſt reſurrectionem, cùm inſufflaſſet Dominus diſcipulis & dixiſſet, *Accipite Spiritum* Ioan. 20.
ſanctum, non dedit eis Spiritum ſanctum, ſed figuratim tantummodò inſufflauit. Iſte enim & confeſſionem, quam fecit Thomas cùm palpaſſet manus

nius & latus Domini poſt reſurrectionem, dicens, *Dominus meus, & Deus meus*, inquit, non eſſe dictam à Thoma de Chriſto. Nec enim dicit Theodorus Deum eſſe Chriſtum, ſed ad miraculũ reſurrectionis ſtupefactum Thomam glorificaſſe Deum, qui Chriſtum reſuſcitauit. Et quod peius eſt, etiam in interpretatione, quam in Actus Apoſtolorum ſcripſit Theodorus, ſimilem fecit Chriſtum Platoni, & Manichęo, & Epicuro, & Marcioni, dicens, quòd ſicut illorum vnuſquiſque ex dogmate quod inuenit ſuos diſcipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Marcioniſtas; ſimili modo & cùm Chriſtus dogma inueniſſet, ex ipſo Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia eius conſcripta, in quibus tam prædictas quàm alias innumerabiles blaſphemias effudit contra magnum Deum & Saluatorem Ieſum Chriſtum, & non anathematizat eum, & impia eius conſcripta, & omnes qui ſuſcipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum expoſuiſſe, & qui ſcripſerunt pro eo, & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo vel impiis eius conſcriptis, & eos qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, & vſq; ad mortem permanſerunt vel permanẽt in tali impietate, talis anathema ſit.

Ibid.

Heretica comparatio.

Damnatur Theodorus Epiſcopus.

CAP. XIII.

SI QVIS defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam Fidem, & Primam Epheſinam ſanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius Capitula expoſuit, & omnia quæ conſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impiis, & pro aliis, qui eadem prędictis Theodoro & Neſtorio ſapuerunt, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans Doctores Eccleſiæ, qui vnitatem ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt, inſuper autem & omnes qui ſcripſerunt contra rectam Fidem & ſanctum Cyrillum, & duodecim eius Capitula, & vſque ad mortem in tali impietate permanſerunt, talis anathema ſit.

CAP. XIV.

SI QVIS defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, quę abnegat quidem Deum Verbum de ſancta Dei Genitrice ſemper Virgine Maria incarnatum hominem factum eſſe. Dicit autem, purum hominem ex ipſa natum eſſe, quem templum vocat, vt alius ſit Deus Verbum, & alius homo: & S. Cyrillum qui rectam Chriſtianorum fidem prædicauit, tamquam hæreticum, & ſimiliter Apollinario impio ſcripſiſſe criminatur & inculpat Primam Epheſinam ſanctam Synodum, tamquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorium condemnantem, & duodecim Capitula ſancti Cyrilli, impia & contraria rectæ Fidei vocat eâdem impia epiſtolâ, & defendit Theodorum & Neſtorium & impia eorum dogmata & conſcripta. Si quis igitur memoratam impiam epiſtolam defendit, & non anathematizat eam & defenſores eius, & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem eius, & eos qui ſcripſerunt vel ſcribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præſumunt eam defendere, vel inſertam ei impietatẽ nomine ſanctorum Patrum, vel ſancti Chalcedonenſis Concilij, & in his vſque ad mortem permanent, talis anathema ſit.

Damnatur Ibæ epiſtola.

Cùm igitur hęc ita rectè confeſſi ſumus, quæ tradita nobis ſunt tam à diuinis Scripturis, quàm à ſanctorum Patrũ doctrina, & ab his quę definita ſunt de vna eademq; Fide à prędictis ſanctis quatuor Conciliis, facta autem à nobis & condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, necnon etiam contra eos qui defenderunt vel defendunt prædicta impia tria Capitula, & permanſerunt in ſuo errore, vel qui permanent: ſi quis conatus fuerit contra hæc quæ piè diſpoſuimus, vel tradere,

vel docere, vel ſcribere, ſiquidem Epiſcopus vel Clericus ſit, iſte tamquam aliena à Sacerdotibus & ſtatu Eccleſiaſtico faciens, denudabitur Epiſcopatu vel Clericatu: ſi autem Monachus vel laicus ſit, anathematizabitur.

ANNOTATIO.

INTERROGABIT quiſpiam, cur Vigilius Papa tria Capitula prædicta aliquando defenderit, & aliquando negauerit. De hoc dictum eſt aliquid ſuprà: ſed ad vberiorem & pleniorem intelligentiam ſubiungã, quòd cùm ante Concilium in Africana Occidentali Eccleſia ſchiſma ortum fuiſſet, ideò quòd Vigilius Papa ad ſententiam Imperatoris acceſſiſſet, ſchiſmatis, ſacrilegij, & ſcandali euitandi gratia, opus erat vt pro defenſione trium Capitulorum Conſtitutum ederet, cuius virtute Occidentales Eccleſiæ vnirentur, contemptuſque Concilij Chalcedonenſis, quem impugnatores trium Capitulorum per dolum & fraudem intendebant, euitaretur: denique etiam vniuerſa Eccleſia hoc exemplo diſceret, neminem in vera fide defunctum, poſt mortem condemnari debere. Cum verò poſt finem huius Quinti Concilij, grauiori damno Eccleſia afficeretur, Imperator contradicentes Synodali Decreto perſequeretur, totuſque Oriens à Romana atque Occidentali Eccleſia diuidendus ac ſeparandus metueretur, ſi nõ Romanus Pontifex Quintam Synodum approbaret; Vigilius Pontifex in cauſa, quæ nihil præiudicij Orthodoxæ fidei afferre poterat, nouis emergentibus cauſis, iure meritoque priorem ſentẽtiam mutauit, Decretum Synodale de condemnandis tribus Capitulis approbauit, quodq; anteà ediderat Conſtitutum, pro defenſione trium Capitulorum à ſe promulgatum, reuocauit atque irritum reddidit. Prudens & pius Pontifex hac in re prudẽter eſt imitatus S. Paulum, qui quantũuis anteà de abroganda circũciſione ſuffragium ſuum tuliſſet, poſtmodum tamen, noua cauſa oborta, Timotheum circumcidit: nouique ſcandali periculo emergente, Petro ad tempus diſſimulanti, in faciem reſtitit.

CONC. IEROSOLYMITANVM,

in quo QVINTA SYNODVS *approbata fuit, anno Domini 553. ſub Pontificatu* VIGILII.

ANNO DOMINI D.LIII.

ACTA huius Concilij extant, atque ſummatim deſcribuntur Act. 1. Concilij Niceni II. his verbis: *Præterea Imperator noſter Dei amantiſſimus, Acta Synodi* (Quintæ) *Ieroſolymam miſit: in qua ciuitate, coacto Epiſcoporum conuentu, quotquot erant Palæſtinorum Epiſcopi, manibus & pedibus & ore ſententiam & ſtatutum Synodi confirmarunt: niſi quòd Alexander Epiſcopus Abyles contrarium ſenſit. Quamobrem Epiſcopatu exutus, Byzantium ſe recepit, & terræmotu abſorptus eſt, & defoſſus.* Baronius anno 553. nu. 248.

CONCIL. AQVILEIENSE

contra QVINTAM SYNODVM *coactum anno Domini 553.*

CVM Occidentales Epiſcopi interpretarentur damnationem trium Capitulorum in Quinta Synodo factam, contigiſſe in odium Chalcedonenſis Concilij, facto Concilio Aquileienſi (in locis enim Imperij id per Edictum Iuſtiniani defenſores trium Capitulorum perſequentis, id non licebat) Quintam Synodum reſpuendam eſſe decreuerunt, ſeque ab vnione Eccleſiæ Catholicæ ſegregarunt, atque in eodem ſchiſmate vſque ad tempora Sergij Papæ per annos ferè centum perſeuerarunt, donec ſalutaribus beati Sergij Papæ monitis inſtructi, & ipſi huic cum ceteris Eccleſiis adnuere conſenſerunt. Vide Baronium anno 553. num. 221. D.LIII.

CONCIL. PARISIENSE II.

ſub PELAGIO I. *in cauſa* SAPHORACI *Pariſienſis Epiſcopi celebratum.*

IN hac Synodo Saphoracus Pariſienſis Epiſcopus iſte, cuius nomen Aurelianenſi Quinto Concilio ſubſcriptum reperitur, de grauiſſimo errore accuſatus, propriaque confeſſione conuictus, iure meritoque ſecundùm ſacrorum Canonum conſtitutiones Epiſcopatu amotus, in Monaſterium detruditur, atque in eius locum, teſte Aimoino, Euſebius ſurrogatur. D. LI.

Hanc autem Synodum ad tempora Pela-

Pelagij Primi referendam eſſe opinor, ideò, quòd Aurelianenſi Quinto poſterior, & Pariſienſi Tertio prior, cum Pelagij temporibus coinciderit. Nam Aurelianenſis Quinta Synodus celebrata fuit circa finem Vigilij: Pariſienſis Tertia habita eſt initio Pontificatus Ioannis Tertij, vt infrà patebit. Vnde neceſſariò infertur, hanc Pariſienſem Secundam, ad tempora Pelagij Primi referendã eſſe. Quoto anno Pelagij præciſè habita fuerit, nullo certo indicio cõſtare poteſt. Vide Baroniũ anno 559. n. 16.

CONC. PARISIENSE III.

contra ſacrilegos & ambitioſos tempore IOANNIS *Papæ* III. & CHILDEBERTI *Regis Francorum in Gallia celebratum. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D. LX.

CAVSA habiti Concilij talis fuit: Cùm in Gallia inter Childebertum atque Clotharium Francorum Reges, & fratres germanos, ob diuiſionem bonorũ Theodibaldi Regis defuncti, ingens ciuile bellum (quod prolixè deſcribit Agathias lib. 2.) anno Domini 556. tempore Pelagij Primi exortum fuiſſet: eiuſque occaſione accidiſſet, vt non tantùm in aduerſantium bona, verùm etiam in res Eccleſiæ manus hoſtiles iniicerentur, atque iura & beneficia Eccleſiæ à Regibus obtinerent illi, qui ea ab Epiſcopis impetrare non poterant; neceſſariũ erat, vt Galliæ Epiſcopi ſacro Conuentu indicto, auaritiam cum ſacrilegio & ambitione coniunctam coërcerent. Interfuerunt Epiſcopi quindecim: & conſtituti fuerunt Canones nouem virtute pollentes, quibus Regum, eorumq; miniſtrorum, atque aliorum ſibi nimium attribuentium, temeritatem vſurpatam repreſſerunt: ex quibus non ſolùm illi qui illis temporibus vixerunt, ſed & Nouatores noſtri temporis exagitantur. Nominamus autem hoc Concilium *Tertium*, propter Concilium quod recenter inſertum eſt, ſuprà ſub Pontificatu Liberij Papæ.

Hoc autem Concilium non ſub Pelagio, ſed ſub Ioanne Tertio celebratum fuiſſe, ſic conuincitur: nam cùm ſeptimus Euphronij, & ſecundus Sigeberti Regis Francorum, teſte Gregorio lib. 1. Miracul. S. Martini, cap. 32. coincidant; ipſius verò Sigeberti regnum, anno Domini 565. inchoatum fuerit: neceſſum eſt fateri, quòd Euphronius nõ ante annum Domini 559. Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopatum acceperit, & quòd cõſequenter hoc Pariſienſe Concilium III. cui prædictus Euphronius interfuit, & ſubſcripſit, non ante hunc annum Chriſti 560. celebratum fuerit. Errant igitur, qui ante biennium ſub Pelagio hanc Synodum congregatam fuiſſe hactenus aſſeruerunt.

CONCILII PARISIENSIS III. PRAEFATIVNCVLA.

CONIVNCTI in vnum (Chriſto opitulãte) * Pariſius pro vtilitatibus Eccleſiarum, vnde non leuiter rationem ſumus quandoque reddituri, in quantum diuina p[illegible] virtutem dare dignata eſt, tentauimus ſalubri conſideratione proſpicere, ne dum periculoſa abuſione ordinatio ſuperna negligitur, in nobis aliorum crimina vindicentur.

* Pariſiis

CAP. I.

Nemo res Eccleſiæ aut peruadat, aut competat, aut retineat.

ITAQVE placet, &c. In iſto cap. agitur contra raptores & iniuſtos poſſeſſores rerum Eccleſiaſticarum: & eſt idem quod habetur in II. Synodo Turonenſi, cap. 18.

CAP. II.

Nemo res Epiſcopi proprias aut competere, aut confiſcare præſumat.

ET quia Epiſcoporum res propriæ, Eccleſiarum res eſſe noſcuntur, ſi in eorum facultatibus ſimili fuerit crudelitate graſſatum, peruaſores rerum memoratarum, Canonum diſtrictione feriantur, vt dum vindicta corrigit, qui non motibus propriis, ac nulla conſcientiæ caſtigatione corripitur, ſaltem

Digitized by Google

regulæ obtundatur aculeis: perpetuo enim anathemate feriantur, qui res Eccleſiæ confiſcare, aut competere, aut peruadere periculoſa infeſtatione præſumpſerit.

CAP. III.

Ne Epiſcopus alterius Epiſcopi res cõpetat.

Et quia exempla boni operis à Pontificibus debent primùm (Chriſto opitulante) procedere, nullus Epiſcopus res competat alienas: aut ſi competitas, aut à ſe aut ab anteceſſore ſuo fortè quis poſſedit, domino proprietatis poſſeſſionem propriam, abſque præiudicio liberalitatis Regiæ, integra reformatione reſtituat: vt quia Deus dona reprobat iniquorum, non ad iudicium ſuum, Eccleſiæ res exteras derelinquat.

CAP. IV.

De illicitis & inceſtis coniunctionibus.

Occaſione Clotharij Regis Frãcorum, qui ſororem defunctæ coniugis vxorem duxerat, ſtatutus eſt hic Canon.

Conuenit etiam vniuerſis fratribus, vt non ſolùm præſentium rerum actus, ſed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita coniugia, contra præceptum Domini, ſortiri præſumat, id eſt, fratris relictam, nec nouercam ſuam, relictámque patrui, vel ſororem vxoris ſuæ ſibi audeat ſociare, neque auunculi quoque quæ relicta eſt, neque nurus ſuæ vel materteræ coniugio potiatur. Pari etiam conditione à coniugio amitæ, priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abſtinere.

CAP. V.

De Sanctimonialium raptarum indecenti copula.

Sacrarvm etiam virginum, neque per raptum, neque per competitiones aliquas quiſquam coniugia ſortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abſtinendum, (& hi, qui eas rapere aut competere voluerint, à communione ſunt remouendi) quę veſtium commutatione, tam viduæ quàm puellę, Religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione profeſſę. Quòd ſi contra interdicta quis venerit, & Sacerdotem ſuum audire neglexerit, & in præſenti à communione Eccleſiæ Catholicæ habeatur extraneus, & perpetuo anathemate feriatur.

CAP. VI.

Nullus familiam alterius agere competat, aut rapiat.

Et quia vtilium rerum cœpit cauſa tractari, hoc vniuerſitas præcauere quoque debet, tam Sacerdotes, quàm Principes, omniſque populus, vt nullus res alienas competere à Regis audeat poteſtate. Nullus viduam neque filiam alterius extra voluntatem parentum, aut rapere præſumat, aut Regis beneficio æſtimet poſtulandam. Quòd ſi fecerit, ſimiliter ab Eccleſiæ communione remotus, anathematis damnatione plectatur.

CAP. VII.

Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.

Et quia vniuerſis Sacerdotibus ita conuenit, vt ſi quis de eis communione Eccleſiæ pro contemptu Canonum, aut peruaſione rerum Eccleſiaſticarum, aliquem fortaſſe ſuſpenderit, à nullo penitùs Epiſcopo recipi pręſumatur. Quod ſi factum fuerit, is qui eum contra interdicta receperit, & à fratrum ſuorum erit concordia ſeparatus, & æterni Iudicis in futurum (vt confidimus) iracundiam ſuſtinebit.

CAP. VIII.

De ordinatione Epiſcoporum.

Et quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit, vt iuxta antiquam conſuetudinem, Canonum decreta ſeruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum comprouincialium ingeratur. Quòd ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, à comprouincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur. Quem indebite

Reges Galliæ contra Canones arrogabãt ſibi ius præficiendi Epiſcopos: ideò factus eſt hic Canon.

bitè ordinatum cognoſcunt, ſi quis de comprouincialibus accipere contra interdicta præſumpſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium charitate remotus. Nam de actis Ordinationibus Pontificum ita conuenit, vt coniuncti Metropolitanus cum ſuis comprouincialibus Epiſcopis, vel quos vicinos Epiſcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta antiqua ſtatuta Canonum, omnia communi conſilio & ſententia decernantur.

CAP. IX.

De famulatu & miniſterio ſeruorum degenerum.

DE degeneribus ſeruis, qui ſepulchris defunctorum pro qualitate ipſius miniſterij deputantur, hoc placuit obſeruari, vt ſub qua ab actoribus fuerint conditione dimiſſi, & ſiue heredibus, ſiue Eccleſiis pro defenſione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat cõſeruari. Quòd ſi Eccleſia eos de fiſci functionibus in omni parte defenderit, tam illi, quàm poſteri eorum, Eccleſiæ defenſione in omnibus potiantur, & occurſum impendãt. Et quia huic definitioni cuncti fratrum intereſſe minimè potuerunt; hoc omnis congregatio Sacerdotum Chriſto propitiante decreuit, vt Conſtitutio præſens à quantis oblata fuerit, ſubſcriptionibus eorum debeat probari, quatenus in hoc, quod ab vniuerſis obſeruandum eſt, vniuerſitas debeat conſentire.

CONC. BRACARENSE I. *ſub* THEODOMIRO *Sueuorum Rege, anno 563. celebratum, tempore* IOANNIS *Papæ* III. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.LXIII.

DVM Iuſtinianus Imperator in Oriente à Catholica fide deficiens, Orthodoxos inſequitur, admirabili diuina prouidentia contigit, in Occidente Theodomirum, qui fuerat hæreticus, ad fidem Chriſtianam conuerti, cuius hortatu Orthodoxi Epiſcopi cõgregati, habitis Conciliis hæreſes omnes cum ſuis auctoribus condemnarunt. Hoc ergo Concilium idem Princeps celebrari curauit anno 3. Regni ſui. Ante omnia in eò ſecũdùm præſcriptum Sedis Apoſtolicæ damnata eſt hæreſis Priſcillianiſtarum, & aliorum hæreticorum errores. Fallitur autem hîc Carranza, & alij, dicẽtes, hoc Concilium tẽpore Ariamiri Regis, & Honorij Papæ Primi congregatum eſſe. Vide Baronium anno 560. n. 1. itẽ anno 563.

Propoſita contra Priſcillianam hæreſim Capitula hæc ſunt:

CAP. I. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non confitetur tres perſonas vnius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica & Apoſtolica Eccleſia docet, ſed vnam tantùm ac ſolitariam dicit eſſe perſonam, ita vt ipſe ſit Pater, qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

II. Si quis extra ſanctam Trinitatem, alia (neſcio quæ) Diuinitatis nomina introducit, dicens, quòd ipſa Diuinitas ſit Trinitas, ſicut Gnoſtici & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

III. Si quis dicit, Filium Dei Dominum noſtrum, antequam ex Virgine naſceretur, non fuiſſe, ſicut Paulus Samoſatenus & Photinus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

IV. Si quis Natalem Chriſti ſecundùm carnem non verè honorat, ſed honorare ſe ſimulat, ieiunans in eodem die, & in Dominico, quia Chriſtum in hominis natura natum eſſe non credit, ſicut Cerdon, Marcion, Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

V. Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

VI. Si quis animas humanas dicit priùs in cæleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.

Digitized by Google

VII. Si quis dicit, diabolũ non fuiſſe priùs Angelum bonum, à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam eius, ſed dicit, eum ex tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum eſſe principium atque ſubſtantiam mali, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

VIII. Si quis credit, quòd aliquãtas in mũdo creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tẽpeſtates, & ſiccitates ipſe diabolus ſua auctoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.

IX. Si quis animas & corpora humana fatali ſigno credit adſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

X. Si quis duodecim ſigna, quæ Mathematici obſeruare ſolent, per ſingula animæ vel corporis membra diſſipata credunt, & nominibus Patriarcharum adſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.

XI. Si quis coniugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

XII. Si quis plaſmationem humani corporis, diaboli dicit figmentum eſſe, & conceptiones in vteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari, propter quod reſurrectionem carnis non credit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

XIII. Si quis dicit, creationem vniuerſæ carnis, non opificium Dei, ſed malorum eſſe angelorum, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

XIV. Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vſu hominum dedit, & non propter afflictionem ſui corporis, ſed quaſi immunditiam putans, ita abſtineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus prægustet, ſicut Manichęus & Priſcillianus docuerunt, anathema ſit.

XV. Si qui Clericorum præter matrem, aut germanam, vel etiam quæ proxima conſanguinitate iunguntur, alias aliquas quaſi adoptiuas feminas ſecum retinent, & cum ipſis habitant, ſicut Priſcilliani ſecta docuit, anathema ſit.

XVI. Si quis Quinta Feria Paſchali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima poſt nonam, ieiunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtiuitatem ipſius diei, ab hora tertia per Miſſas defunctorum, ſoluto ieiunio, colit, anathema ſit.

XVII. Si quis Scripturas, quas Priſcillianus ſecundùm ſuum deprauauit errorem, vel Tractatus Dictinij (quos ipſe Dictinius, antequam conuerteretur, ſcripſit ſub nomine Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, & ſuo errori conſona confinxit,) legit, & impia eorum figmenta ſequitur, aut defendit, anathema ſit.

Propoſitis his Capitulis, & relectis, Patres ſtatuerunt ſequentia:

CAP. I. Placuit omnibus communi conſenſu, vt vnus atque idem pſallendi ordo in Matutinis vel Veſpertinis officiis teneatur, & nõ diuerſæ, ac priuatæ, neq; Monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ. Diſt.11. Placuit. Conc. Tolet.IV.c.1.

II. Item placuit, vt per ſolemnium dierum Vigilias, vel Miſſas, omnes eaſdem, & non diuerſas, Lectiones in Eccleſia legant.

III. Item placuit, vt non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed vno modo ſalutent, dicentes: *Dominus ſit vobiſcum*, ſicut in libro Ruth legitur; & vt reſpondeatur à populo: *Et cum ſpiritu tuo*, ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana prauitas permutauit.

ANNOTATIO.

Salutatio hæc Sacerdotalis ad populum, antiquiſſima eſt, ab Apoſtoliſque fluxit: eius meminit S. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia, & Soter Papa apud Gratianum, de Conſecr. d.1.can. Hoc quoque. Alcuinus lib. de Diuinis officiis, cap. De celebratione Miſſæ, Hugo de Sacramentis, & Petrus Damianus librum inſcripſit, *Dominus*

Digitized by Google

minus vobiſcum, qui floruit anno Domini 1050. Neque in hoc capite reiicitur Pontificalis Epiſcopaliſque ſalutatio, *Pax vobis:* quæ antiquiſſima etiam eſt, & ſolis Epiſcopis tributa: eaque forma vſi ſunt S. Iacobus, & Baſilius in Liturgiis, & D. Ambroſius libro de Dignitate Sacerdotali, cap. 5. Chryſoſtomus Hom. 3. ad Coloſſ. ſed aduerſus Priſcilliani figmentum, qui vſum ſalutandi in Miſſa permutauit, decernitur, Epiſcopum poſſe vti etiam Sacerdotali ſalutatione: nam in Miſſis priuatis, & in ſolemnioribus prima vice Epiſcopus ſalutat hac forma, *Pax vobis:* poſteà dicitur, *Dominus vobiſcum*, ſicuti Sacerdos: quod Priſcillianus negabat, affirmans, eſſe *Pax vobis*, tantum ab Epiſcopo dicendum ſemper; à Sacerdote verò, *Dominus vobiſcum*.

IV. Item placuit, vt eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondã huius Metropolitanę Eccleſię Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptũ.

V. Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & anteà tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia: & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum ſibi & directum à Sede beatiſſimi Apoſtoli Petri ſuſcepit.

VI. Item placuit, vt conſeruato Metropolitani Epiſcopi primatu, ceteri Epiſcoporum, ſecundùm ſuæ Ordinationis tempus, alius alio ſedendi deferat locum.

VII. Item placuit, vt de rebus Eccleſiaſticis tres æquæ fiant portiones: id eſt, Epiſcopi vna, alia Clericorum, tertia in recuperatione, vel in luminariis Eccleſiæ: de qua parte ſiue Archipresbyter, ſiue Archidiaconus, illam adminiſtrãs, Epiſcopo faciat rationem.

VIII. Item placuit, vt nullus Epiſcopus Clericum alterius ordinare præſumat, ſicut & antiqui Canones vetuerunt: niſi fortè ſignata ipſius Epiſcopi ſcripta ſuſceperit.

IX. Item placuit, vt quia in aliquantis huius Prouinciæ Eccleſiis, Diacones abſconſis infra tunicam vtuntur orariis, ita vt nihil differre à Subdiacono videantur; de cetero ſuperpoſito ſcapulæ (ſicut decet) vtantur orario.

X. Item placuit, vt non liceat cuilibet ex Lectoribus ſacra Altaris vaſa portare; niſi his, qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerint ordinati. 23. Diſt. Non liceat cuilibet.

XI. Item placuit, vt Lectores in Eccleſia, in habitu ſæculari ornati, non pſallant, neque granos Gentili ritu dimittant.

ANNOTATIO.

Granos exiſtimo eſſe genus laicæ veſtis oblongæ.

XII. Item placuit, vt extra Pſalmos, vel Canonicarum Scripturarum noui & veteris Teſtamenti, nihil poëticè compoſitum in Eccleſia pſallatur: ſicut & ſancti præcipiunt Canones. Hoc Aug. epiſt. 119. Donatiſtis improbat.

ANNOTATIO.

Sic in Concilio Laodicenſi, cap. 59. ſtatutum eſt, vt in Eccleſia non legantur, niſi volumina noui & veteris Teſtamenti, nihilq́; à plebe editum. Et Carthaginenſi III. cap. 23. & 43. *Sub nomine diuinarum Scripturarum nullæ Preces vel Orationes legantur, niſi ſint in Synodo approbatæ, vel à prudentibus tractata.* Mileuitano cap. 12. legi permittuntur Martyrum paſſiones, cùm eorum anniuerſariæ dies celebrantur, & Carthaginenſi III. cap. 47. Doctorum Orthodoxorum hymni: & Toletano IV. cap. 13.

XIII. Item placuit, vt intra ſanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus, niſi tantùm Clericis, ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt.

ANNOTATIO.

Sanctuarium, velum intelligitur, quo diſtinguebatur locus Altaris, & tegebatur, ne omni populo eſſet conſpicuus: hoc conſtat ex Gregorio in epiſt. 30. ad Conſtantiam Auguſtam, lib. 3. Vocatur & *brandeum*; ex quo, cùm à S. Leone Papa forcipibus incideretur, ſanguis effluxit: alibi appellatur *velamen*.

Pro illis verbis *Antiquis Canonibus*, ſciendum, quòd Sacerdotibus & Leuitis dabatur communio ante Altare; Clero, in Choro; populo, extra Chorum. Id conſtat ex Concilio Toletano IV. cap. 18. Hinc à locorum diuiſione vocatur laica communio, & peregrina, & Sacerdotalis, de qua re in Concilio Laodicenſi, cap. 19. ſic legitur: *Solis autem miniſtris Altaris liceat ingredi ad Altare, & ibidem communicare.*

Digitized by Google

XIV. Item placuit, vt quicumque in Clero cibo carnium non vtuntur; pro amputanda ſuſpicione Priſcillianę hæreſis, vel olera cocta cum carnibus tantùm prægustare cogantur. Quòd ſi contempſerint, ſecundùm quod de his talibus ſancti Patres antiquitus ſtatuerunt, neceſſe eſt, eos pro ſuſpicione hæreſis huius, officio, excommunicatos, omnibus modis remoueri.

ANNOTATIO.

Carnibus veſci noluerunt Euſtathiani, eò quòd immundas dicerent: ideoque in Concilio Gangrenſi damnati ſunt. De hac re etiam Decretum eſt 14. Concilij Ancyrani, iiſdem pænè verbis.

XV. Item placuit, vt hi, qui pro hęreſi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præſumat; ſicut & antiqua Canonum continent ſtatuta: quæ ſi quis ſpernit, voluntariè ſeipſum alienæ damnationi tradet.

XVI. Item placuit, vt hi, qui ſibiipſis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducãtur: multi enim ſibi hoc per ignorantiam vſurpauerunt. Similiter & de his placuit, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

XVII. Item placuit, vt Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, ſimili modo, neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam vſurpatum eſt.

XVIII. Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo in Baſilica Sanctorum ſepeliantur: ſed ſi neceſſe eſt, deforis circa murum Baſilicæ, vſq; adeò non abhorret. Nam ſi firmiſſimũ hoc priuilegium vſq; nunc manet ciuitates, vt nullo modo intra ambitus murorũ cuiuſlibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reuerentia obtinere?

ANNOTATIO.

Idem ſtatuit Concilium Triburienſe cap. 17. de laicis, vt non in Eccleſia, ſed in communi cœmeterio ſeu dormitorio ſepeliantur: additur tamen: *Nemo enim in Eccleſia ſepeliatur, niſi fortè talis ſit perſona Sacerdotis, aut cuiuſlibet iuſti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo ſuo corpori defuncto locum acquiſiuit.* Concilium Moguntinum cap. 52. excipit Epiſcopos, Abbates, & dignos Presbyteros. Pelagius II. ſic ſtatuit, vt inter alia eius Decreta legi in lib. de M. S. bibliothec. de Laurent. *Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſepeliantur; ſed ſi neceſſe eſt, foris circa murum Baſilicæ.* Hunc morem antiqui Chriſtiani religioſè ſeruarũt, vt in Cappellis, aut in muro Eccleſiæ, & non intra Eccleſiam humarentur, quamuis eſſent Proceres & Principes viri. Nunc verò tanta omnes homines ambitio & faſtus cepit, vt lacera corpora, trunci artus, putres formæ, prope Chriſti Dei veri Sacramentum, adhibitis marmoreis imaginibus, ſuperbè collocentur. Superbiam & luxum inanem damnamus, non pietatem: modumq; profanis ſepulturis adhibendum ſuademus.

In ſepeliendis verò ſanctorum Martyrum corporibus alia erat conditio & ratio: nam in illis condiendis, & in templis ſtruendis ad eorum cultum, effuſæ erant impenſæ Chriſtianorum, vt auctor eſt Tertullianus in Apologet. & Prudentius, & Gregorius Nyſſenus in Orat. de Funere Meletij, & Nazianzenus epiſt. 18. ad Sophron.

XIX. Item placuit, ſi quis Presbyter, qui poſt hoc interdictum auſus fuerit Chriſma benedicere, aut Eccleſiam, aut Altarium conſecrare, à ſuo officio deponatur: nam & antiqui hoc Canones vetuerunt.

ANNOTATIO.

Nullus Presbyter poteſt Chriſma conficere, vt ſtatuit Siluester Papa Act. 1. Concilij Romani, c. 5. & II. Carthaginenſe, c. 3. & III. Carthaginenſe, c. 36. & I. Toletanũ, c. 20. id enim munus ſolius Epiſcopi eſt. Innocentius Papa ep. 5. Eſtq; Cyprianus auctor, id à Chriſti Saluatoris Domini noſtri facto emanaſſe, in Opuſculo de Vnctione Chriſmatis, & aliis Sacramentis.

Sed neque Altare conſecrare debent Presbyteri, nam id etiam Epiſcopo reſeruatum eſt. Concilium Agathenſe cap. 43. Vide etiam Concilium II. Hiſpalenſe, c. 7. De eo etiam Felix Papa 14. epiſt. Decret. cap. 1. &

Con-

Concilium Toletanum VIII. c.7. & VVormatienſe, cap. 8.

XX. Item placuit, vt ex laico ad gradum Sacerdotij antè nemo veniat, niſi priùs anno integro, in officio Lectoratus vel Subdiaconatus diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic per ſingulos gradus prædictus ad Sacerdotium veniat. Nam ſatis reprehenſibile eſt, vt qui necdum didicit, iam docere præſumat: dum & antiquis hoc Patrum inſtitutionibus interdictum ſit.

XXI. Item placuit, vt ſi quid ex collatione fidelium, aut per Feſtiuitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud vnum Clericorum fideliter colligatur, & conſtituto tempore, aut ſemel aut bis in anno, inter omnes Clericos diuidatur: nam non modica ex ipſa inæqualitate diſcordia generatur, ſi vnuſquiſque in ſua ſeptimana quod oblatum fuerit, ſibi defendat.

ANNOTATIO.

Hæc diuiſio erat oblationum. Idem dicitur II. Bracarenſi, cap. 6. At I. Aurelianenſi, cap. 16. dimidia pars aſſignatur Clero, dimidia Epiſcopo: & cap. 13. dicitur, tertiam partem eſſe Epiſcopi, Clericorum verò duas alteras. Vide Decretum Damaſi Papæ apud Gratianum 10. q. 1. cap. Hanc conſuetudinem. & Concilium IV. Toletanum, cap. 32.

XXII. Item placuit, vt quæcumque præcepta antiquorum Canonum modò in Concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quaſi contumax tranſgreditur, ille neceſſe eſt vt de ſuo degradetur officio.

Deinde ſubſcripſerunt omnes Epiſcopi.

CONCIL. SANTONENSE

ſub IOANNE III. *anno Chriſti 566. celebratum, in quo* EMERIVS *Santonenſis Epiſcopus, à* CLOTHARIO *in ſedem intruſus, deponitur à* LEONTIO *Burdegalenſi Epiſcopo.*

ANNO DOMINI DLXVI.

CVM in Concilio Pariſienſi Tertio ſuprà conſtitutum fuiſſet, ad Epiſcopatum admittẽdum eſſe, non quem Regis auctoritas abſque Canonica electione intruſiſſet; ſed quẽ Clerus elegiſſet, & Epiſcopi Prouinciales vnà cum Metropolitano probaſſent: Leontius Burdegalenſis Epiſcopus, collecto Collegarum ſuorum Concilio, Santonis poſt alia decreta, Emerium Epiſcopum Santonenſem à Clothario Rege eo modo in Epiſcopatum Regia auctoritate intruſum, ſede priuauit. Quod cùm Chariberto Regi nuntiatum eſſet, ira fremens nuntium Presbyterum à ſuis conſpectibus extrahi iuſſit, & plauſtro ſpinis ſuppleto, imponi deſuper, & in exilium protrudi præcepit; conuocatoque aliorum Religioſorum conuentu, Emerium vi iterùm intruſit. Rem in Concilio geſtam prolixiùs deſcribit Gregorius Turonenſis lib. 4. cap. 26. & Baronius anno 566. num. 19. & 20.

CONCIL. APVD LVCVM

à THEODOMIRO *Principe habitum, anno Chriſti 569.*

TEMPORE Sueuorum, ſub Æra sexcenteſima ſeptima, die Kalend. Ianuarij, Theodomirus Princeps Sueuorum Concilium in ciuitate Luco fieri præcepit, ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diuerſis Eccleſiæ cauſis. In hoc autem actum rogatione Regis, vt noua inſtitueretur Metropolitana Eccleſia in Gallicia, quæ tamen eſſet ſubdita Bracarenſi: circumſcriptique ſunt in eodem Conuentu limites Lucenſis Eccleſiæ, ad lites de finibus euitandas. Baronius anno 569. num. 2. D.LXIX.

CONC. TVRONENSE II.

in cauſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformandæ celebratum, anno Domini 570. tempore IOANNIS *Papæ* III. *& anno 6.* CHARIBERTI *Regis. Eſt verò Prouinciale.*

CVM multorum temeritate ſacri Canones in Gallia proculcarentur, ſanctiſſimi Patres Galliæ ex aduerſo conſurgentes, pro muro D.LXX.

ſe

ſę domui Iſraël oppoſuere, atque viginti octo Canones antehac conſtitutos, ſtabili firmitate corroborarunt, quibus Eccleſiaſtica diſciplina collapſa reſurgeret, priſtinoque nitore ſplendeſceret.

PROOEMIVM.

ECCLESIASTICAE diſciplinæ debet eſſe ſuffragium congregatio Sacerdotum: nec aliud erit ſuæ ſolicitudinis tam peculiare conſcribere, quàm quod ad fundamentum Religionis proficere recognouerit, operari non ceſſet, vt cùm paſtoralis cautela propagatur in ouilis cuſtodia, paucorum veneranda decreta ſint ſalutis publicæ documẽta. Et quoniam, quod omitti non decet, oportet implere, præſertim cùm cuius animarum intellectualium (de quibus Deo cura eſt) forma proceſſit, eius traditionis lex ad Pontifices manauit, neceſſe eſt vigilantiſſimè prouidere, repulſo torpore, vt quidquid ab antiquis Patribus ſtatutum, de tramite Canonico, quarumdem perſonarum temeritate cernitur imminutum, reuocandum eſt in ſtatum priſtinum, vt poſſint malè admiſſa corrigi, & non admittenda damnari. Magna eſt enim in ipſa ſeueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam vbi inſana libertas generat vulnera, Sacerdotalis diſtrictio dat medelam. Quapropter (Chriſto auſpice) in Turonica ciuitate Concilio concordante, iuxta conuenientiam glorioſiſſimi Domini Chariberti Regis annuentis coadunati pro pace & inſtructione Eccleſiæ, opportunum credimus ſubteradnexa Decreta conficere, & ſubſcriptionibus propriis roborare, vt retundantur noxia, propagentur optata; ne taciturnitate ſilentij, vitioſorum criminum nutriri videretur licentia, non abſcindi; & quæ opportuna erant pro qualitate temporis adiici, non paterentur negligi, ſed procurentur impleri.

CAP. I.

De conuentione Synodi per ſingulos annos.

PLACVIT itaque, ſancto Concilio interpoſito, virtute Domini Martini, in ſancta Baſilica ſua conſcribi, vt bis ad Synodum annis ſingulis Metropolitanus & comprouinciales ſui, in locum, quem deliberatio Metropolitani elegerit, Deo propitiante conueniant; aut neceſſitas, ſicut hactenus, ineuitabilis præpedierit: vel ſemel in anno, ſine cuiuſlibet excuſatione perſonæ, id eſt Regiæ vel priuatæ, ſine cuiuſcumque vtilitatis obſtaculo, præter infirmitatis certiſſimæ labore præuentum, nullius occaſione velaminis, habeat vnuſquiſque concurſum: ſed (ſicut dictum eſt) neque per impedimentum ordinationis Regiæ, neque ſub occaſione vtilitatis aut cauſæ propriæ, debeat à Concilio ſeparari, Apoſtolo prædicante: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* & reliqua. Rom.8. Non debet ſpirituali operi etiam Regulis præferri præceptio, cùm primum in Eccleſia ſit mandatũ, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Matth.22. Vnde non debet præcepto Domini perſona cuiuſlibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio vel perſona terrere, quos Chriſtus ſpe crucis armauit. Si quis Epiſcopus (vt ſuperiùs dictum eſt) ad Synodum venire diſtulerit, vſque ad maiorem Synodum à Metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia Prouincia vllus Epiſcopus intereà communicare præſumat. Ipſe enim ſuæ diuiſionis præparat inſtrumenta, qui cum ſuis fratribus in membris Eccleſiæ non concordat.

CAP. II.

De pace Sacerdotali.

ITEM decernitur, propter cæleſte illud mandatum, *Pacem meam do vobis*, &c. vt Pontificalis affectus inter conſacerdotes inuiolabiliter obſeruetur, Ioan.14.

tur,

tur. Verùm ſi pro peccatis (vt aſſolet) ex cauſa liuor emerſerit, vt pendente certamine ſibi inuicem reconciliari non poſſint; electis ab vtraque parte fratribus, id eſt, Presbyteris, præponderante dulcedine, litis iacula finiant, & vota pacis acquirant.

C A P. III.

De compoſitione Corporis Domini ſuper Altare.

VT Corpus Domini in Altari, non in imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur.

A N N O T A T I O.

HIc prohibetur, ne Corpus Domini inter ſacras imagines ſuper Altari poni ſolitas ponatur, ſed potiùs collocetur ſub ipſa Cruce, quæ in meditullio ipſius Altaris poni conſueuit. His temporibus Corpus Domini intra columbam argenteam conſeruabatur. Legitur enim in Actis S. Baſilij, quæ Amphilochij nomine inſcripta habentur, iſto ſæculo ſacram Euchariſtiam intra columbas argenteas repoſitam fuiſſe. Has à Seuero furtim ſublatas fuiſſe, Monachi Antiocheni in libello, quem Quintæ Synodo obtulerunt, conqueruntur. Hic aſſeruandi modus à Synodo prohibitus eſſe videtur, dum præcipit, ne in ordine imaginario collocetur. Commendatur Felix Epiſcopus Bituricenſis, qui ad ſacratiſſimam Euchariſtiam aſſeruandam, curauerit fieri inſtar turris vas aureum perelegans, quod Venantius Fortunatus Epigrammate celebrauit. S. Exuperius etiam Epiſcopus Toloſanus à S. Hieronymo ep. 4. commendatur, qui tempore exundantium Barbarorum, ne iſtiuſmodi aurea ſacra vaſa illorum rapinæ cederent, ipſa in vſum pauperum conflarat, caniſtro vimineo & vitreo calice Corpus Domini portans. Non niſi de aſſeruata in Eccleſia Euchariſtia intelligi poteſt illud execrandum Donatiſtarum ſcelus, quod ab Optato breuiter deſcribitur ſic: *Iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno diuini indicij: nam ijdem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones ſancti Corporis reos, dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniauerunt.*

Cyrillus Alexandrinus redarguit hunc primùm emergentem errorem illorum, qui putabant, Euchariſtiam in ſequentem diem non eſſe ſeruandam. Nam ad Caloſyrium Epiſcopum Arſomotem ſcribens, ſic ait: *Porrò alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem nihil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verò qui hæc aſſerunt: neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum eius Corpus immutatur, ſed benedictionis vis & facultas, & viuificans gratia, perpetuò in ipſo exiſtit.* Sic ille. Videant & cognoſcant ex his Nouatores hæretici, nouum non eſſe, quòd extra ſumptionem, in Eccleſia Catholica ſacroſanctum Corpus Chriſti in Altari aſſeruetur.

C A P. IV.

Ne laici in Eccleſia Clericis miſceantur.

VT laici ſecus Altare, quo ſancta Myſteria celebrantur, inter Clericos, tam ad Vigilias quàm ad Miſſas, ſtare penitùs non præſumant: ſed pars illa, quæ à cancellis verſus Altare diuiditur, choris tantùm pſallentium pateat Clericorum. Ad orandum verò & communicandum laicis & feminis, ſicut mos eſt, pateant Sancta ſanctorum.

C A P. V.

De paſtu pauperum propriorum.

VT vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis cõgruentibus paſcat ſecundùm vires, vt tam vicini Presbyteri, quàm ciues omnes, ſuum pauperem paſcant: quo fiet, vt ipſi pauperes per ciuitates alias non vagentur.

C A P. VI.

De Epiſtolis dandis.

VT nullus Clericorum vel laicorum, præter Epiſcopos, Epiſtolia facere præſumat.

C A P. VII.

De remotione Abbatum.

VT Epiſcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum, ſine omniũ ſuorum Compresbyterorum & Abbatum conſilio, de loco præſumat eiicere, neque per præmia alium ordinare, niſi facto Concilio tam Abbatum quàm Presbyterorum ſuorum, quos culpa aut negligentia eiecit, cum omnium Presbyterorum conſilio refutentur.

C A P. VIII.

De his qui excommunicatis communicant.

QVICVMQVE Epiſcopus illũ, quem alter Epiſcopus excommunicatum habet,

Digitized by Google

habet, poſtquam fuerit de ipſius excommunicatione commonitus, communicare præſumpſerit, vſque ad Synodum excommunicatus habeatur.

CAP. IX.

Vt in Britannia ſine conſenſu Metropolitani vel comprouincialium Epiſcopi non ordinentur.

ADIICIMVS etenim, ne quis Britannum aut * Romanorum in Armorico, ſine Metropolitani aut comprouincialium voluntate vel literis, Epiſcopum ordinare præſumat. Quòd ſi quis contraire tentauerit, ſententiam in anterioribus Canonibus prolatam obſeruet, & à noſtra charitate vſque ad maiorem Synodum ſe cognoſcat remotum & excommunicatum: quia meritò à charitate noſtra vel noſtris Eccleſiis ſegregantur, qui Patrum ſtatuta contemnunt.

* Romanũ

CAP. X.

Vt nullus Clericorum familiaritate extranearum mulierum vtatur.

DE familiaritatibus mulierum licet crebriùs ſit in Canonibus replicatum, attamen neceſſe eſt, vt ſi ſecti vir atque mulier, qui malè pullulauerant, redeant, rurſus fidei falce ſuccidantur, & iam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps Clericorum pro occaſione neceſſitatis faciendæ veſtis, aut cauſa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo ſua habere præſumat. Et cùm iubeamur victum aut veſtitum artificiolo quærere, & manibus propriis laborare: quid opus eſt in domo ſerpentem includere pro veſte, quæ multiformem veſtem non propterea deponit vt nudetur; ſed vt ſe, dum renouatur, oſtendat clariorem? Nullus ergo Clericorum, non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quaſi Sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam pro confirmatione rerum in domo ſua ſtabilire præſumat: quæ & ipſa extranea eſt, dum non eſt mater, aut ſoror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoſcitur ſubiecta dominatui. Si quis aut Presbyter, ſeu Diaconus, aut Subdiaconus, de hac re ſtatuta Patrum vel noſtra temerare præſumpſerit, excommunicetur.

CAP. XI.

Vt Epiſcopus nullam ignauiam ad diſtringendum habeat, ſed etiam ſi neceſſe fuerit, ab aliis adiuuetur Epiſcopis.

SI QVIS Epiſcopus ad diſtringendum eos, qui in hac facilitate perdurant, negligens apparuerit, ſicut in ipſa ſancta Baſilica eſt publicè recitatum, ex conſenſu communi atque totius populi, ſententiam prædeceſſorum Canonum ſe incurrere omnino cognoſcat; ſic tamen, vt tam Metropolitanus ſuis comprouincialibus, quàm comprouinciales Metropolitano ſuo, ſi reſiſtere aut contemnere Epiſcopum Clerici ſui præſumpſerint, dent omnino ſolatium. Et quia dixit ſancta Scriptura, Frater fratrem adiuuans, exaltabitur: quicumq; pro cauſa Dei, fratri ſuo ſolatium commonitus dare diſtulerit, vſque ad Synodum remoueatur. Nam ſi Epiſcopus ſe contemni ſentiens, fratres ſuos in ſolatium ſuũ non commonuerit, ipſe ſciat, qualiter reddat Domino rationem.

Prou. 18.

CAP. XII.

Vt nullam det Epiſcopus occaſionem ad detrahendum ſibi.

EPISCOPVS coniugem vt ſororem habeat, & ita ſancta gubernatione gubernet domum omnem, tam Eccleſiaſticam quàm propriam, vt nulla de eo ſuſpicio quaque ratione conſurgat. Et licet (Deo propitio) Clericorum ſuorum teſtimonio caſtus viuat, quia cum illo tam in cella, quàm vbicumque fuerit, ſecum habitent, eumque Presbyteri & Diaconi, vel deinceps Clericorũ turba iuniorum (Deo adiutore) conſeruent: ſic tamen propter zelotem Deum noſtrũ, tam longè abſint, manſionis propinquitate diuiſi, vt nec hi, qui ad ſpem recuperandam Clericorum ſeruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

ANNOTATIO.

EPISCOPVS *coniugem*,&c. Intelligitur hic Canon iuxta vſum Orientalis Eccleſiæ, in qua coniugatus promouebatur ad Sacerdotium.

CAP. XIII.

Ne Epiſcopum mulieres proſequantur.

EPISCOPVM Epiſcopam non habentem, nulla ſequatur turba mulierum, licet ſaluetur vir per mulierem fidelem, ſicut & mulier per virum fidelem, vt Apoſtolus ait. Nam vbi talis cuſtodia neceſſaria non eſt, quid eſt neceſſe, vt miſeria proſequatur, vnde fama conſurgat? Habeant miniſtri Eccleſiæ, vtique Clerici, qui Epiſcopo ſeruiunt, & eum cuſtodire debent, licentiam, extraneas mulieres de frequentia cohabitationis eiicere.

1. Cor. 7.

CAP. XIV.

Ne duo Clerici in vno ſtratu recumbant.

ET ne occaſio famam laceret honeſtatis, quia aliqui laici, dum diuerſa perpetrant adulteria, hoc quod de ſe ſciunt, in aliis ſuſpicantur, ſicut ait Seneca, peſſimum in eo vitium eſſe, qui in id quo inſanit, ceteros putat furere. Vt ergo ipſe ſiniſtrę exiſtimationis aditus amputetur, nullus Sacerdotum ac Monachorum colligere alium in lecto ſuo præſumat. Nec liceat Monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant, aut peculiares reponi poſſint, ſed ſchola labore communi conſtruatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut Præpoſito gubernante: vt dum duo vel tres viciſſim & legant, & excubent, alij conſolentur: vt non ſolùm ſit cuſtodia corporum, ſed & ſurgat pro lectione aſſidua profectus animarum.

CAP. XV.

Ne Monachus coniugio copuletur.

SI QVI in Monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec (quod abſit) vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam ſicut ſuprà dictum eſt, ſi vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè ſociatæ conſortio etiam Iudicis auxilio ſeparetur. Quòd ſi Iudex ad hoc ſolatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix Monachus tali coniunctione fœdatus, ſi per cuiuſcumque patrocinium ſe conatus fuerit defenſare, & is qui in hac pertinacitate perdurat, & illi qui eum exceperint ad defenſandum, ab Eccleſia ſegregentur, donec reuertatur ad ſepta Monaſterij, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam, & poſt ſatisfactionem reuertatur ad gratiam.

CAP. XVI.

Mulier intra ſepta Monaſterij non permittatur introire.

VT mulier intra ſepta Monaſterij nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte aut Præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non ſtatim eiecerit, excommunicetur.

CAP. XVII.

Ieiunia antiqua à Monachis inſtituta conſeruentur.

DE ieiuniis verò antiqua à Monachis inſtituta conſeruentur, vt de Paſcha vſque Quinquageſimam, exceptis Rogationibus, omni die Fratribus prandium præparetur. Poſt Quinquageſimam verò tota hebdomada exactè ieiunent. Poſteà vſque ad Kalendas Auguſti, ter in ſeptimana ieiunent, ſecunda, quarta, & ſexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto, quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septẽbri toto, & Octobri, & Nouembri, ſicut priùs dictum eſt, ter in ſeptimana. Et quia inter Natalem Domini & Epiphaniam, omni die Feſtiuitates ſunt, itemq; prandebunt. Excipitur triduum illud, quo, ad calcandam Gentilium conſuetudinem, Patres noſtri ſtatuerunt priuatas in Kalendis Ianuarij fieri Litanias, vt in Eccleſiis pſallatur, & hora octaua in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur.

Digitized by Google

Poſt Epiphaniam verò vſque ad Quadrageſimam, ter in ſeptimana ieiunent.

Cap. XVIII.

Vt in Eccleſiis idem pſallẽdi modus ſeruetur.

ITEMQVE pro reuerentia Domini Martini, vel cultu ac virtute, id ſtatuimus obſeruandum, vt tam in ipſa Baſilica ſancta, quàm in Eccleſiis noſtris, iſte pſallendi ordo ſeruetur: Vt in diebus Feſtis ad Matutinum ſex Antiphonæ binis Pſalmis explicentur. Toto Auguſto manicationes * fiant, quia Feſtiuitates ſunt & Miſſæ Sanctorum. Septembri, ſeptem Antiphonæ explicentur binis Pſalmis: Octobri, octo ternis Pſalmis: Nouembri, nouem ternis Pſalmis: Decembri, decem ternis Pſalmis: Ianuario & Februario, itidem vſque ad Paſcha. Sed vt poſſibilitas habet, qui facit amplius pro ſe, & qui minus vt potuerit: ſupereſt, vt vel duodecim Pſalmi expediantur ad Matutinum, quia Patrum ſtatuta præceperunt, vt ad Sextam ſex Pſalmi dicantur cum Alleluia: & ad Duodecimam duodecim, itemq; cum Alleluia; quod etiam (Angelo oſtendente) didicerunt. Si ad Duodecimam duodecim Pſalmi, cur ad Matutinum non itemq; vel duodecim explicentur? Quicumque minùs quàm duodecim Pſalmos ad Matutinum dixerit, ieiunet vſque ad veſperam, panem cum aqua manducet, & non illi ſit altera in illa die vlla refectio. Et qui hoc facere contempſerit, vna hebdomada panem cum aqua manducet, & ieiunet omni die vſque ad veſperam.

* id eſt, matutinæ cõuentiones

Cap. XIX.

Archipreſbyteri coniugati ſine teſtimonio Clericorum non dormiant.

ARCHIPRESBYTERI vicani, & Diaconi, & Subdiaconi, non quidem omnes, ſed plures in hac ſuſpicione tenentur à populo, quòd cum coniugibus ſuis maneant. Pro qua re hoc placuit obſeruare, vt quotieſcumque Archipreſbyter ſeu in vico manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulauerit, vnus Lector Canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella, vbi ille iacet, lectum habeat pro teſtimonio.

Cap. XX.

De virginibus, & reliquis caſtitatem profeſſis, vel viduis, quæ poſt mutatam veſtem coniugio copulatæ ſunt.

ET quia in ſententia Papæ Innocentij ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem lata, legitur ſcriptum de virginibus, quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerũt, ſi poſteà nupſerint, quòd vix etiam ad agendam pœnitentiam mereantur accedere, &c. Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Apoſtolus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in Canonibus noſtris inſerentes ſtatuamus obſeruandum, vt nullus ſacratã Deo virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutauit, aut rapere, aut competere, aut ſibi coniugem ſociare præſumat, &c.

ANNOTATIO.

VIDE in II. Synodo Arelatenſi, cap. 53. & Can. 26. Concilij Mileuitani, & in III. Carthaginenſi, cap. 4. & in Can. 21. Concilij Epaunenſis, & Can. 27. Concilij II. Arelatenſis, vbi de materia prædicti Canonis fit mentio.

Cap. XXI.

De inceſtuoſis & adulterinis coniunctionibus.

DE inceſtis verò coniunctionibus cenſuimus, ſtatuta Canonum vetera non interrumpi. Deinde ad longum ponitur totum cap. Leuit. 18. cui etiam additur Can. 20. Synodi Aurelianenſis tempore Clodouæi, & Can. 30. Concilij Epaunenſis, & Can. 11. Aruernenſis Concilij, vbi prohibentur inceſtuoſæ coniunctiones.

ANNOTATIO.

CANONEM hunc ſanctiſſimi Patres huius Concilij ſtatuiſſe videntur ad corrigendum ipſum Regem Charibertum inceſtus crimine labefactatum: vtpote qui Marcoueſam coniugis ſuæ Meroſlendis ſororem ſibi nefariè copulaſſet. Sed cùm huius Canonis auctoritate apud eum nihil aut parum effectum fuiſſet, S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus eumdẽ excommunicauit, cùm ad pœnitentiam agendam monitus, peccare non deſiſte-

Digitized by Google

deſiſteret. Gregorius Turonenſis libro 4. cap. 26. Hiſt. Franc.

CAP. XXII.

De Kalendis Ianuarij, & Cathedra S. Petri.

IN hoc Canone hoc præcipuè annotandum eſt, in Kalendis Ianuarij non eſſe colendum Ianum, vt Gentiles; & quòd celebratio Cathedræ S. Petri Apoſtoli ſit perantiqua.

CAP. XXIII.

De hymnis recipiendis.

LICET hymnos Ambroſianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide conſtiterint, dicendi ratione non obſtant.

ANNOTATIO.

HVIVS Canonis ſanciendi cauſam dediſſe videntur hymni illi, quos Venantius Fortunatus haud pridem de Cruce cecinerat: quique ab Eccleſia recepti, hactenus piè ſanctèque concini conſueuerunt.

CAP. XXIV.

De his, qui per diſcordias Regum, res Eccleſiarum aut Sacerdotum competunt.

ILLVD quoque, quamquam priorum Canonica ſit auctoritate præfixum, quòd dum inter ſe ſæuiunt Domini noſtri, ac malorum hominum ſtimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit, ne iſta caduca actione, qua inter ſe aguntur, Eccleſiaſtica rura contingere aut contaminare præſumant, inuiolabiliter obſeruãdum cenſemus, vt quicumque tam Eccleſiæ, quàm Epiſcopi res proprias (quæ & ipſę Eccleſiæ noſcuntur eſſe, quas Pontifex Actoribus Eccleſiæ dignoſcitur aſſignaſſe) vel Abbatum, aut Monaſteriorum, ſiue Presbyterorũ, quaque temeritate peruadere, competere vel confiſcare præſumpſerit, tunc, reſeruato correctionis hoc loco adhuc, Presbyter eiuſdem Eccleſiæ, cuius intereſt, peruaſorem conuenit admonere: & ſi reſtitutionem diſtulerit, adhuc quaſi filius ab omnibus fratribus ad reddendum miſſis epiſtolis compellatur. Qui ſi pertinaciter in peruaſione perſtiterit, & ſe tollere poſt tertiam commonitionem de re illa aut Eccleſiæ, aut propria noluerit; conuenit, vt omnes omnino vna conuenientia ſimul cum noſtris Abbatibus ac Presbyteris vel Clero, qui ſtipendiis ex ipſo alimento paſcuntur, quia arma nobis non ſunt alia, auxiliante Chriſto, circumſepto Clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Eccleſiæ, Pſal. 108. dicatur, vt veniat ſuper eum illa maledictio, quæ ſuper Iudam venit, qui dum loculos faceret, ſubtrahebat pauperum alimenta: vt non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur, & cæleſti gladio feriatur, qui in deſpectu Dei & Eccleſiæ & Pontificum, in hac peruaſione præſumit aſſurgere. Illud etiam annecti placuit, vt qui de fratribus ad dandum ſolatiũ venire pro certa infirmitatis neceſſitate non potuerit, Abbates & Presbyteros in vice ſua tranſmittat. Qui ſi præter certam infirmitatis excuſationem commonitus, aut venire, aut tranſmittere noluerit, remotum ſe à fratrum charitate eſſe cognoſcat. Nam, quod quidem non credimus, ſi quis contra Decreta noſtra tali temeratori communicare præſumpſerit, in ſe cauſam excommunicationis transformet, & cum eodem ſe à charitate omnium Sacerdotum cognoſcat eſſe remotum.

Ioan. 13.

ANNOTATIO.

HOc loco Patres Concilij temporalem pœnam imprecantur direptoribus bonorum Eccleſiaſticorum. Ea pœna ſacrilegium puniri, Deo gratum fuiſſe, plura exempla declarant. De quodam Diacono, qui, relicta Eccleſia, fiſco ſe publicè iunxerat, narrat Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Mart. cap. 17. quòd cùm is aliquando vſurpaſſet de gregibus ſub nomine Martyris Iuliani, & inclamantibus paſtoribus eos eſſe S. Martyris Iuliani, & ille irridens reſpondaſſet, *Putáſne quia Iulianus comedit arietes?* poſt multos dies cùm non religione, ſed caſu tranſiens ante ſepulchrũ B. Martyris ibi obdormiſſet, tanta tamque ardenti febre corriperetur, vt clamaret ſe incendi per Martyrem, & crimen con-

ficeretur: cumque deprecaretur, quanta maxima poſſet voce, iactari ſuper ſe aquã, tamquam de fornace, ita fumus egrediebatur de corpore. Intereà miſeri artus combuſti in nigredinem conuertuntur, vnde tantus procedebat fœtor, vt tolerari vix poſſet; atque ita ſpiritum exhalauit. De Rege Chariberto narrat idem Gregorius lib. 1. de Miraculis S. Martyr. quòd cùm loco ſacro, qui fuerat in honorem S. Martini conſecratus, ſtabulum erexiſſet, omnium equorum illuc introductorum iacturam fecerit, monituſque reddere quod iniuſtè occupabat, reſponderit: *Siue iuſtè, ſiue iniuſtè reddi debeat, me regnante hanc Baſilicam non habebit.* Quo ſacrilegio cùm hauddubiè diuinum Numen grauiſſimè offendiſſet, paulò pòſt Regno ſimul & vita, iuſſu Dei vindicis, exutus fuit.

Cap. XXV.

De peruaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.

PLACET itaque, ac omnibus nobis conuenit obſeruare, vt quia nonnulli memores ſui, per quaſlibet ſcripturas pro captu animi, de facultatibus ſuis Eccleſiis aliquid contuliſſe probantur, quod à diuerſis Deum minùs timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam: nec intueri corde poſſint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectentur ardore. Quicumque ergo immemor interitus ſui, res Eccleſiis (vt ſuprà diximus) delegatas, iniuſtè poſſidens, præſumpſerit retinere, & veritate comperta, res Dei ſeruis eius diſſimulauerit reformare, ab omnibus Eccleſiis ſegregatus, à ſancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, niſi cùm culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad Altare Domini properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas & audet rapere, & iniuſtè poſſidere iniqua defenſione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi ſunt, qui eorum taliter alimenta ſubtraxerint. Sacerdotalis tamen debet eſſe prouiſio, vt vindictam admonitio manifeſtè præcedat, vt res vſurpatas iniuſtè qui abſtulit, adhibita æquitate reſtituat. Quòd ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, poſteà prædonem Sacerdotalis diſtrictio maturata percellat: neq; quiſquam per Interregna res Dei nitatur defenſare, quia Dei potentia cunctorum Regnorum terminos ſingulari dominatione concludit.

Cap. XXVI.

De Iudicibus qui pauperes opprimunt.

VT Iudices aut potentes, qui pauperes opprimunt, ſi commoniti à Pontifice ſuo ſe non emendauerint, excommunicentur.

Cap. XXVII.

Ne Sacerdotium per pecuniam acquiratur.

CAVTA enim eſt in ſalute prouiſio, ad effugiendã culpam delicti, aditum delinquendi repellere. Nullus Epiſcoporum de Ordinationibus Clericorum præmia præſumat exigere, quia non ſolùm ſacrilegum, ſed & hæreticum eſt, (ſicut in dogmatibus Eccleſiaſticis habetur inſertũ) ad ordinandum Clericum, per ambitionem (ad imaginem Simonis Magi) pecuniam offerre Act. 8. Sacerdoti, quia dicitur: *Gratis accepiſtis,* Matth. 10. *gratis date.* Et cùm talis ſit qui gratiam Dei à Sacerdote æſtimat pretio comparari, qualis ille qui vænit; vterque vſque ad Synodum ab Eccleſia ſegregetur. Cauta eſt enim in ſalute prouiſio ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere.

CONC. LVGDVNENSE I.

anno Domini 570. celebratum ſub IOANNE III. *Papa. Eſt Prouinciale.*

AD euitandum ſcandalũ, quod à quibuſdam malæ vitæ Epiſcopis Eccleſiæ Lugdunenſi illatum fuerat, per ſe ſuoſque Legatos quatuordecim Epiſcopi conuenerunt, ſtatueruntque ſex dumtaxat Canones, quibus Eccleſiaſticæ paci atque indemnitati conſulitur. ANNO DOMINI D. LXX.

Canones Concilii.

IN primo Canone decernitur vnitas & concordia inter Coëpiſcopos.

In ſecundo Canone, Vt Epiſcoporum

rum & Clericorum teſtamenta, quibus aliquid Eccleſiæ aut quibuſcumque conferre videntur, omni ſtabilitate ſubſiſtant.

In tertio Canone, Vt qui alios à quiete abduxerunt, iuxta præceptum domini Regis emendare ſtudeant; alioquin Eccleſiæ communione priuentur.

In quarto Canone, Vt qui ab vno Epiſcopo excommunicatur, apud omnes ſic habeatur, vſquequò à proprio Epiſcopo reconcilietur.

In quinto Canone, Vt quaſcumque munificentias Clericis dederint Sacerdotes ſiue de rebus Eccleſiæ, ſiue de ſuis propriis, ſubſequentes Pontifices nullatenus auferre præſumant.

In ſexto & vltimo Canone habetur, Vt in prima hebdomada noni menſis, hoc eſt, ante diem Dominicam, quæ prima in ipſo menſe illuxerit, Litaniæ, ſicut ante Aſcenſionem Domini ſancti Patres fieri decreuerunt, deinceps ab omnibus Eccleſiis ſeu Parochiis celebrentur.

CONC. BRACARENSE II.

ſub ARIAMIRO *Sueuorum Rege, anno Domini 572. poſt obitum* IOANNIS *Papæ* III. *tempore Interregni Pontificij celebratum.*

ANNO DOMINI D. LXXII. IN hoc Concilio ſtatuti ſunt Canones decem ad Eccleſiaſticā diſciplinam pertinentes. Obſeruādum autem, in hoc, enumeratis quatuor Oecumenicis Conciliis, Quintam Synodum omitti, quòd in illis de fide, in hoc de perſonis dumtaxat actum fuerit. Baronius anno 572. num. 13.

CANON I.

Vt Epiſcopus ambulet per Diœceſim ſuam, & ante triginta dies Paſchæ Catechumeni doceantur Symbolum.

10. q. 1. Placuit omnibus Epiſc. PLACVIT omnibus Epiſcopis, atque conuenit, vt per ſingulas Eccleſias Epiſcopi per Diœceſes ambulantes, primùm diſcutiant Clericos, quomodo ordinem Baptiſmi teneant, vel Miſſarum, & quæcumque Officia in Eccleſia peraguntur. Et ſi rectè quidem inuenerint, Deo gratias agant: ſi autem minimè, docere debeant ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, vt, ſicut antiqui Canones iubent, ante viginti dies Baptiſmi, ad purgationem exorciſmi Catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino Catechumeni Symbolum, quod eſt, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ſpecialiter doceantur. Poſtquam ergo in his ſuos Clericos diſcuſſerint vel docuerint Epiſcopi, alia die, conuocata plebe ipſius Eccleſiæ, doceant illos, vt errores fugiant idolorum, vel diuerſa crimina, id eſt, homicidium, adulterium, periurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera: aut quod nolunt ſibi fieri, non faciant alteri: & vt credant reſurrectionem omnium hominum; & diem Iudicij, in quo vnuſquiſque ſecundùm ſua opera recepturus eſt. Et ſic poſteà Epiſcopus de Eccleſia illa proficiſcatur ad aliam.

ANNOTATIO.

CATECHVMENI *Symbolum*. Sic Concilium Laodicenſe c. 46. *Baptizatos oportet fidei Symbolum diſcere, & quinta Feria vltima ſeptimana, vel Epiſcopo, vel Presbytero reddere.* Idem Concilio VI. Generali cap. 78. Gregorius Papa lib. 3. ep. 4. Et nomen ſuum dabant quadraginta dies, vel eò ampliùs antè, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus & ieiuniis expiabantur, vt illa Apoſtolica in illis impleretur præceptio: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio:* 1. Cor. 5. Id conſtat ex epiſt. Siricij Papæ ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, & Cæleſtini Papæ I. ad Epiſcopos Gallæciæ, c. 12. Et cùm ventum erat ad Baptiſmi gratiam, illud reddebant. Ambroſius lib. 2. de Sacram. c. 7. *Interrogatus es,* inquit, *Credis in Deum Patrem omnipotentem? & dixiſti: Credo. & merſiſti.* Idem Hieronymus in 2. cap. Prouerb. & Auguſtinus lib. de Fide & operib. c. 12. & his antiquior S. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. vltimo.

CANON II.

Quid accipient Epiſcopi viſitantes.

PLACVIT, vt nullus Epiſcoporum per Diœceſes ſuas ambulans, præter 10. q. 3. Placuit vt nullus.

hono-

honorem cathedræ ſuæ, id eſt duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Eccleſiis Parochialibus requirat; ſed illa tertia pars pro luminariis Eccleſiæ, vel recuperatione ſeruetur, & ſingulis annis Epiſcopo inde ratio fiat. Nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen & ſartatecta abſtulit Eccleſiæ. Similiter, & vt Parochiales Clerici ſeruili more in aliquibus operibus, Epiſcopis ſeruire non cogantur; quia ſcriptum eſt, *Neque vt dominantes in Clero.*

1.Pet.5.

ANNOTATIO.

Vſus luminarium in Eccleſia antiquus.

LVMEN *& ſartatecta.* Lumen & luminaria Eccleſiæ ab origine naſcentis Eccleſiæ ſemper fidelibus magno in honore ad cultum Dei habita, ingentique cura obſeruata. Vnde narrat Euſebius lib. 6. c. 7. & Nicephor. lib. 5. c. 9. quòd cùm oleum deeſſet luminaribus in die ſolemni Vigiliarum Paſchæ in Eccleſia Ieroſolymitana, Narciſſus Ieroſolymitanus Epiſcopus aquam imperauit deferri, eamque benedixit, & infundi lampadibus: tunc, ait Euſebius, repentè, miro & ſæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ, in olei pinguedinem verſa, ſplendorem luminum etiam ſolito reddit clariorem. Simile miraculum commemorat Gregorius lib. 1. Dialogorum, c. 5. & lib. 3. cap. 30. lampades immiſſo diuinitus lumine accenſas fuiſſe.

CANON III.

Epiſcopus in Ordinatione Clericorum commodum nullum accipiat.

Ordines gratis conferantur.
Math.10.

PLACVIT, vt de Ordinationibus Clericorum Epiſcopi munera nulla ſuſcipiant, ſed ſicut ſcriptum eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei & impoſitio manuum venumdetur; quia antiqua definitio Patrum ita de Eccleſiaſticis Ordinationibus ſtatuit, dicens: Anathema ſit danti & accipienti, propterea, quia aliquanti multis ſceleribus obruti, ſancto Altario indignè miniſtrantes, non hoc teſtimonio bonorum actuum, ſed profuſione munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, ſed per diligentem priùs diſcuſſionem, deinde per multorum teſtimonium, Clericos ordinare.

ANNOTATIO.

GRATIS Ordines eſſe conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum eius donum pretio temporali æſtimatur & traditur (vile enim eſt omne quod in humanam æſtimationem cadit) id docuit primò Hormiſda Papa in ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, cap. 2. & Concilium Aurelianenſe II. cap. 3. & Turonenſe II. cap. 28. & Toletanum IV. cap. 18. & Toletanum VIII. c. 3. & Toletanum II. cap. 8. & 9. & nouiſſimè ſancta & Vniuerſalis Synodus Tridentina, ſeſſ. 21. cap. 1.

CANON IV.

Pro Chriſmate Epiſcopus nihil accipiat.

PLACVIT, vt modicum balſami, quod benedictum, pro Baptiſmi Sacramento per Eccleſias datur, quia ſinguli tremiſſes pro ipſo exigi ſolent, nihil vlteriùs exigatur: ne fortè quod pro ſalute animarum per inuocationem ſancti Spiritus conſecratur, ſicut Simon Magus donũ Dei pecuniâ emere, ita nos venumdare damnabiliter videamur.

1.q.1.Placuit vt nullus.

ANNOTATIO.

CHRISMA vt gratis detur, ſtatutum eſt ab Eugenio II. Papa, cap. 20. & Alexandro Papa III. c. 10. & in Concilio Cabilonenſi tempore Caroli Magni, cap. 16.

CANON V.

Pro conſecratione Baſilicæ Epiſcopus nihil exigat.

PLACVIT, vt quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopi inuitantur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirant; ſed ſi ipſi quidem aliquid ex ſuo voto obtulerint, non reſpuatur. Si verò aut paupertas illum aut neceſſitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantùm vnuſquiſque Epiſcopus meminerit, vt non priùs dedicet Eccleſiam aut Baſilicam, niſi anteà dotem Baſilicę, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminariis, vel ſine ſuſtentatione eorum qui ibidem ſerituri ſunt, tamquam domus priuata, ita conſecretur Eccleſia.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO.

POST extructam Baſilicam, duo, ex antiquis decretis, Eccleſiæ ſunt neceſſaria ad rem diuinam in ea agendam: vnum eſt dos, alterum conſecratio. Dos opus eſt, vt Sacerdotum victui & veſtitui aptius conſuleretur, eorumque rationibus prouideretur. In Concilio Toletano III. cap. 15. *Epiſcopis interdicitur Eccleſiam conſecrare, niſi prius dotem chartula confirmatam habuerint.* Sanctus Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta, *Quaſi*, inquit, *ducta vxore, vel ſponſa, vel data virgine, ſic erga Eccleſiam affectus ſis: dotem inſcribe illi, ita tibi benedictione prædium multiplicabitur.* de Conſecr. diſt. 1. c. Nemo. & Can. Cùm ſicut. Formula huius chartæ legitur in Archiuis Eccleſiæ Toletanæ, in dote quam ei inſcripſit Adefonſus Sextus Rex liberali munificentia: *Ego Rex*, inquit, *Adefonſus, conſtituo chartam dotis B. Mariæ Virgini, & omnibus Sacerdotibus castè & piè vitam agentibus*, &c. Conſecratio verò Eccleſiæ ab Apoſtolis fluxit; ipſi à Domino eam acceperunt, & nobis tradiderunt. Clemens ep. 2. ad Iacobum fratrem Domini, & ep. 3. & Can. Eccleſ. 16. q. 7. & c. Eccleſias, & omnes. de Conſecr. d. 1. Athanaſius ab Arianis accuſatus, quòd Synaxem in Eccleſia nondum conſecrata celebraſſet, ipſe reſpondit in epiſt. ad Conſtant. Imperatorem, frequentia populi, & neceſſitate, & periculi metu coactum fuiſſe.

CANON VI.

Qui Oratorium pro quæſtu ſuo in terra propria fecerit, non conſecretur.

De Conſecr. d. 1. Si quis Baſilicam.

PLACVIT, vt qui Baſilicam non pro deuotione fidei, ſed pro quæſtu cupiditatis ædificat, vt quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis diuidat, eò quòd Baſilicam in terra ſua ipſe condiderit, quod in aliquibus locis vſque modò dicitur fieri. Hoc ergo de cetero obſeruari debet, vt nullus Epiſcopus tam abominabili voto conſentiat, vt Baſilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, ſed magis tributaria conditione eſt condita, audeat conſecrare.

CANON VII.

De baptizatis nullum accipiat præmium.

1. q. 1. Placuit, vt vnuſquiſque.

PLACVIT, vt vnuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, vt hi qui infantes ſuos ad Baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis; ſi verò per neceſſitatem paupertatis aliquid non habent quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos à Baptiſmo retrahunt. Quòd ſi fortè, dum differunt, ſine gratia Baptiſmi de hac vita receſſerint, neceſſe eſt vt ab illis eorum perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes, à Baptiſmi gratia retraxerunt.

CANON VIII.

Qui Clericum accuſauerit, & id non probauerit, excommunicetur.

PLACVIT, vt ſi quis Clericorum aliquem in accuſatione fornicationis impetit, ſecundùm præceptum Pauli Apoſtoli, duo vel tria teſtimonia requirantur ab illo: quòd ſi non potuerit, datis teſtimoniis, approbare quæ dixit, excommunicationem accuſati accuſator excipiat.

CANON IX.

Per ſingulos annos à Metropolitano Paſcha pronuntietur.

PLACVIT, vt poſtquam omnia in Concilio Sacerdotum fuerint ordinata, illud omnibus modis obſeruetur, vt superuenturum ipſius anni Paſcha, quoto Kalendarum die, vel quota Luna debet ſuſcipi, à Metropolitano Epiſcopo nuntietur. Quod ceteri Epiſcopi, vel reliquus Clerus Breuiculo ſubnotantes, vnuſquiſque in ſua Eccleſia, adueniente Natalis die Domini, adſtanti populo, poſt Lectionem Euangelicam, nuntient, vt introitum Quadrageſimæ nullus ignoret: in cuius principio conuenientes in vnum vicinæ Eccleſiæ per triduum, cum pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio autem die, celebratis hora nona ſiue decima Miſſis, dimiſſo populo, præcipiant Quadrageſimæ ſeruare ieiunia, & mediante Quadrageſima, ex diebus viginti baptizandos infantes, ad exorciſmi purgationem offerre. De Conſ. d. 3. Placuit vt.

Digitized by Google

CANON X.

Preſbyter poſt cibum non teneat Miſſam pro mortuis.

PLACVIT, vt quia per ſtultitiam præſumpti nuper erroris, aut certè ex veteris Priſcillianæ adhuc hæreſis fœtore corruptos cognouimus quoſdam Presbyteros in huius præſumptionis audacia detineri, vt in Miſſa mortuorum, etiam poſt acceptum metum, oblationem auſi ſunt conſecrare; ideoque hoc præfixæ euidentis ſententiæ admonitione ſeruetur, vt ſi quis Presbyter poſt hoc Edictum noſtrum ampliùs in hac veſania fuerit deprehenſus; id eſt, vt non ieiunus, ſed quocumque iam cibo præſumpto, oblationem conſecrauerit; continuò ab officio ſuo priuatus, à proprio deponatur Epiſcopo.

De Miſſa à ieiunis celebranda, vide Conc. Tol. VII. c. 2.

ANNOTATIO.

PRO viuis & defunctis eſſe Miſſas celebrandas, antiquus Eccleſiæ Catholicæ retinet mos, vt ex Gregorio II. Papa, epiſt. 8. conſtat, & ex Concilio Triburienſi, ſub Arnulfo Imperatore, cap. 15. & ex Concilio Toletano XVII. & ex Auguſtino, lib. de Cura agenda pro mort. cap. 1. & 4. & lib. 20. de Ciu. Dei, cap. 9. & in Enchiridio, cap. 100. & ex Chryſoſtomo, Serm. 3. in Ep. ad Philipp. & ex Cypriano Martyre, lib. 1. ep. 9. & Concilio Cabilonenſi, cap. 39.

CONC. LVCENSE II.

anno Domini 572. celebratum poſt obitum IOANNIS III. *tempore Interregni Pontificij.*

ANNO DOMINI D.LXXII.

HOC Concilium Lucenſe II. (vt videre eſt ex Conſtitutione Regis, quæ extat apud Ambroſium Moralem lib. 11. cap. 62.) habitum fuit Æra 610. anno 2. Ariamiri Regis, paulò pòſt quàm Bracarenſe II. abſolutum fuiſſet. Ab illo ergo Lucenſi diuerſum eſſe apparet, quod celebratum eſt ſub Theodomiro parente, Æra 607. In Conſtitutione Regis, quæ prædicto loco apud Moralem habetur, Theodomirus hanc Synodum conuocaſſe legitur, ſed mendosè. Canones antiquorum Conciliorum auctore ſancto Martino Dumenſe & Bracarenſe Epiſcopo collecti, ad hanc Lucenſem Synodum miſſi fuerunt. Baronius anno 572. nu. 10. 11. 12. item anno 569. n. 2.

CONC. PARISIENSE IV.

anno Domini 576. ſub BENEDICTO *celebratum.*

DVM in Gallia bellum ciuile recrudeſceret, Gunthetamnus Rex procurauerat, vt Pariſiis Concilium celebraretur, ſi fortè per ſanctiſſimos Epiſcopos, res abſq; bello componi poſſet. Verùm vbi ſemel res armis agi cœpta fuit, Eccleſiaſticæ leges omnino ſiluerunt. Ait enim Gregorius de Geſtis Francorum, lib. 4. c. 47. & 48. his temporibus accidiſſe, vt Chilpericus per filium ſuum Theodobertum, Turonenſibus, Pictauienſibus, atque aliarum ciuitatum Eccleſiis magnam cladem intulerit. Hanc ille paucis perſtringens, ſic ait: *Vaſtat, euertit, Eccleſias incendit, miniſteria detrahit, Clericos interficit, Monaſteria virorum deijcit, puellas deludit, & cuncta deuaſtat. Fuitq; illo tempore peior in Eccleſiis gemitus, quàm tempore perſecutoris Diocletiani.* Vide Baronium anno 576. D.LXXVI.

CONC. PARISIENSE V.

in cauſa PRAETEXTATI *Rothomagenſis Epiſcopi celebratum anno Domini 580. ſub Pontificatu* PELAGII II.

CVM Morouëus maior natu Chilperici filius, Brunichildem Sigeberti Regis ac patrui ſui relictam vxorem (quam Chilpericus apud Rothomagum exulare iuſſerat) ſibi in matrimonium copulaſſet, patrem Chilpericum acerrimè offendit, & ad arma contra filium capeſſenda commouit. Hic victum & captum prælio filium, tonſurari, & Presbyterũ ordinari curauit. Poſt aliquot tempora, veſte ſæculari indutus, inde fugiens, ad Baſilicam S. Martini profugit; ibique communionem à Gregorio per minas, (quod dolendum eſt in viro alio- D.LXXX.

aliocquin ſanctiſſimo) excucullatis apoſtata extorſit. Vt è Baſilica eiiceretur filius apoſtata, Rex Chilpericus à Gregorio poſtulauit; ſed non fuit exauditus, propterea quòd confugientes ad Eccleſiam, ab ea per vim non ſint eiiciendi. Intereà Morouecus præſidio Eccleſiæ non diutiùs confidens, ab ea fugit, & ad Brunichildem Reginam peruenit. Factum filij turpiſſimum, inſtantia Reginæ Fredegundis datum eſt crimini Prætextato Rothomagenſi Epiſcopo, quaſi is cum filio rebelli & inceſtuoſo contra Regem rebellaſſet. Cùm accuſatus de obiectis calumniis ſe plenè purgaſſet; dolo tandem Regis inductus eſt, vt ſe reum profiteretur, & peteret veniam, quam Rex ſua clementia daturus eſſet. Damnatus iuxta propriam confeſſionem, in exilium actus eſt. Acta Concilij extant apud Gregorium Turonenſem lib. 5. Hiſtor. Franc. cap. 18. quæ vide apud Binium.

CONC. CABILONENSE I.

in cauſa SAGITTARII *&* SALONII *Epiſcoporum, celebratum anno* 18. GVNTHERAMNI *Regis, qui eſt* 4. CHILDEBERTI, *&* 582. *Chriſti Redemptoris.*

ANNO DOMINI D.LXXXII.

De hac Cabilonenſi I. hæc ſummatim Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſtor. Franc. cap. 27. *Anno quoque quarto Childeberti Regis, qui fuit decimus octauus Guntheramni & Chilperici Regum, apud Cabilonum ciuitatem Synodus facta eſt ex iuſſu Principis Guntheramni: diſcuſſiſque diuerſis cauſis contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos, iteratur vetus iudicium, obiiciunturq; eis crimina: & non ſolùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accuſantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, vt conſtituerentur rei maieſtatis, & patriæ proditores. Qua de cauſa ab Epiſcopatu deiecti, in Baſilicam B. Marcelli ſub cuſtodia detruduntur: ex qua per fugam elapſi diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt.* Vide Baronium anno 582. num. 9.

CONC. MATISCONENSE I.

ſub PELAGIO II. *anno* 18. GVNTHERAMNI *Regis, qui eſt Chriſti* 582. *celebratum.*

CONCILIVM hoc hortatu Guntheramni Regis celebratũ eſſe, Acta indicant. Ad mores Eccleſiæ reformandos, ac præcipuè Iudæorum petulantiã coërcendam, in eo viginti Canones cõſtitutos fuiſſe, ſcripſit Ado Vienenſis Epiſcopus in Chronico: è quibus nouemdecim dumtaxat reperiuntur. D.LXXXII.

CAP. I.

CVM ex euocatione glorioſiſſimi Domini Guntheramni Regis, tam pro cauſis publicis, quàm pro neceſſitatibus pauperum in vrbe Matiſcenſi, noſtra mediocritas conueniſſet, &c. Igitur auctoritate Canonica, atque manſura in æuum Conſtitutione ſancimus, vt fugiatur ab his [Epiſcopis, Presbyteris, atq; Diaconis] extranearum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum auia, matre, ſorore, vel nepte, ſi neceſſitas fuerit, habitent.

II. Vt nullus Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, vel quicumque ſæcularis, in Monaſteriis puellarum, niſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, præter vtilitatem, aut pro quacumque reparatione Monaſterij, in quacumque eorum neceſſitate, habitare, aut ſecretas collocutiones habere præſumant: ne intra ſalutatorium, aut oratorium ingredi permittantur, præcipuè Iudæi, non pro quorumcumque negotiorum occaſione, puellis intra Monaſterium Deo dicatis aliquid ſecretiùs colloqui, aut familiaritatem vel moras ibidem habere præſumant.

III. Vt nulla mulier in cubiculo Epiſcopi, abſque duobus Presbyteris, aut certè Diaconis, ingredi permittatur.

IV. Vt qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Eccleſiis conferuntur, reti-

Digitized by Google

retinent, veluti retentores Eccleſiæ, & necatores egentium, ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

V. Vt nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta, niſi quod Religionem deceat, induere præſumat. Quòd ſi poſt hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſenioribus ita coërceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.

VI. Vt Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.

VII. Vt nullus Clericus de qualibet cauſa, extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui à ſæculari Iudice iniuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur. Quòd ſi quicumque Iudex cuiuſcumque Clericum abſque cauſa criminali, id eſt, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortaſſe præſumpſerit; quamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.

VIII. Vt Clerici coram Iudice ſæculari cauſas non agant.

IX. Vt à Feria S. Martini vſque ad Natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati ieiunetur, & Sacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos eſſe, ſpeciali diffinitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.

X. Vt Presbyteri, Diaconi, vel quolibet ordine Clerici, ita Epiſcopo ſuo obedientiæ deuotione ſubiaceant, vt non alibi dies feriatos, niſi in obſequio illius, liceat tenere, aut celebrare. Quòd ſi quis per quamcumq; contumaciam, aut per cuiuſcumque patrocinium hoc facere diſtulerit, ab officio ſegregetur.

XI. Clerici, qui ardore libidinis inflammati, abiecto Religionis cingulo, ad vomitum priſtinum, & inhibita rurſus coniugia repetierint, atque inceſti quodammodò crimine clarum decus Sacerdotij violauerint, omni dignitate priuentur.

XII. Puella Deo vota, ſi poſteà ad coniugium (potiùs ſtuprum) tranſierit, vſque ad exitum cum ipſo, qui ſe huiuſmodi conſortio miſcuerit, communione priuetur. Si verò pœnitentia ducti, ſe ſequeſtrauerint, quamdiu Epiſcopo loci viſum fuerit, à communionis gratia ſuſpendantur: ita tamen, vt propter infirmitatem, aut ſubitaneum tranſitum vitæ, communio illis (miſerationis intuitu) non negetur.

XIII. Nec Iudæi Chriſtianis populis Iudices deputentur, aut telonearij eſſe permittantur, per quod illis (quod Deus auertat) Chriſtiani videantur eſſe ſubiecti.

XIV. Vt Iudæis à Cœna Domini vſque ad primam diem poſt Paſcha, ſecundùm Edictum bonæ recordationis Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur: & vt reuerentiam cunctis Sacerdotibus Domini vel Clericis impendant, nec ante Sacerdotes conſeſſum, niſi ordinati, habere præſumant. Qui hoc facere fortaſſe præſumpſerit, à Iudicibus locorum (prout perſona fuerit) diſtringatur.

XV. Vt nullus Chriſtianus Iudæorum conuiuiis participare præſumat. Quod ſi facere quicumque (quod nefas eſt dicere) Clericus, aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe nouerit compeſcendum, quiſquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

XVI. Nullus Chriſtianus Iudæo deinceps debeat deſeruire.

XVII. Qui conuictus fuerit alios ad falſum teſtimonium vel periurium attraxiſſe, aut quacumque corruptione ſollicitaſſe, ipſe quidem vſque ad exitum non communicet; hi verò qui ei in periurio conſenſiſſe probantur, pòſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundùm Legem infamiâ notabuntur.

XVIII. De his verò, qui innocentes coram Principe aut Iudicibus accuſare conuicti fuerint, ſi Clericus honoratior fuerit,

fuerit, ab officij ſui ordine regradetur: ſi verò ſæcularis, communione priuetur.

XIX. Monacha, quæ (inſtigante diabolo) quaſcumque res ad ſe pertinentes potentibus aliquibus dat, vt per eorum patrocinium ſe poſſit de intra Monaſterij ſui ſepta ſubtrahere, & voluptatibus ſæculi clandeſtina vel ſingulari habitatione vacare; ideò ſtatuitur, vt tam illa quæ hoc dare voluerit, quàm illi quicumque hoc acceperint, tamdiu ſint à communionis gratia ſequeſtrati, quamdiu res ipſa eis, à quibus acceperant, digna pœnitentiæ ſatisfactione reſtituant.

CONC. BRENNACENSE

in Gallia, anno 5. CHILDEBERTI IVNIORIS, *Regis* SIGEBERTI *filij, anno Domini* 583. *celebratum in cauſa* GREGORII *Turonenſis Epiſcopi.*

ANNO DOMINI D.LXXXIII. CVM Leudaſtes Præfectus ſiue Comes Turonenſis iniuſtè admodum ſe geſſiſſet, Eccleſiiſque plurima damna intuliſſet, ideóque opera S. Gregorij Turonenſis Præfecturâ eiuſdem vrbis amotus fuiſſet, aduerſus eum hanc vindictam parauit. Conſpirans cum quodam Riculpho Turonenſi Presbytero, cui Epiſcopatum Gregorij promiſerat, apud Regem illum accuſauit, dicens, per Gregorium diffamatam eſſe Fredegundem Reginam, quaſi ipſa cum Bertheramno Burdegalenſi Epiſcopo commiſceri conſueuiſſet: & ad calumniam faciliùs comprobandam, Platonem Archidiaconum, & Gallienum eiuſdem Eccleſię æquè Diaconum produxit, qui de iniuria Reginæ illata teſtarentur. Intereà Gregorius vſque ad futurum conuentum Epiſcoporum in villa Brennaco colligendum iuſſus eſt cuſtodiri. Facto autem Patrum Conuentu dum ſe Gregorius per iuramentum debitè purgaſſet, reconciliatus eſt Regi Chilperico. Leudaſtes autem accuſator ab audientia ſe ſubtraxit, eſtque ab omnibus Eccleſiis excommunicatus. Riculphus à morte per Gregorium ereptus, cui per ſententiam Iudicis addictus fuerat, in tormentis confeſſus eſt, quidquid in S. Gregorium inter ſe & Leudaſten malitioſè excogitatum fuerat. Totam rei geſtæ ſeriem ſummatim recenſet ipſe Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſt. Franc. c. 47. 48. & 49. Venantius Fortunatus Fredegundem, de tãto crimine ſacrilegij iniuſtè & innocenter diffamatam, inſigni carmine celebrauit; vt quæ cum ignominia ad iudicium fuerat adducta, maiore cum laude & virtutis ornamento iſthinc abduceretur. De ſeipſo ſcribit S. Gregorius lib. 6. Hiſt. Franc. c. 5. quòd qui ad Regem reus maieſtatis aduenerat, à Regia maieſtate non niſi maximo affectus honore receſſerit, vtpote à quo non niſi Epiſcopali benedictione Regi impertita dimitti potuerit. Vide Baronium anno 583. n. 15. & ſeqq.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA

in cauſa GREGORII *Antiocheni Epiſcopi celebrata anno Domini* 587.

HAEC Synodus habita fuit iſta occaſione: Gregorius Antiochenus Epiſcopus inuidia Prę- D.LXXXVII.
fectorum & totius populi *accuſabatur,* inquit Euagrius lib. 6. c. 7. *cum propria ſorore alteri viro in matrimonium data, rem habuiſſe, proſperumque ciuitatis ſtatum non ſemel, ſed ſæpiùs labefactaſſe.* De quo crimine cùm ſe purgaſſet, & ad Concilium prouocaſſet, profectus eſt Conſtantinopolim, vt ibidem ſe purgaret. Cauſa cognita, poſt multas & graues contentiones, ſecundùm Gregorium ſententia promulgata eſt. Hęc eſt illa cauſa, cuius prætextu S. Gregorius multis in locis ait, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum Synodum feciſſe, in qua ſe Vniuerſalem Epiſcopum appellaret. Verba S. Gregorij lib. 4. Indict. 13. ep. 36. ad Eulogium hæc ſunt: *Ante annos octo ſanctæ memoriæ Pelagij prædeceſſoris mei tempore, frater & Coëpiſcopus noſter Ioannes*

nes in Conſtantinopolitana vrbe ex cauſa alia occaſionem quærens, Synodum fecit, in qua ſe Vniuerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem prædeceſſor meus vt agnouit, directis literis, ex auctoritate S. Petri Apoſtoli eiuſdem Synodi Acta caſſauit: quarum videlicet epiſtolarum ſanctitati veſtræ exemplaria ſtudui deſtinare. Síntne Acta huius Synodi à Pelagio ex parte vel omnino reprobata, idem S. Gregorius declarat his verbis: *Cognoſcat fraternitas veſtra, Ioannem Conſtantinopolitanum in Synodo ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicon, hoc eſt Vniuerſalis ſibi vocabulum vſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter, &c.*

CONC. LVGDVNENSE II. *ſub* PELAGIO II. *Papa, celebratum anno Domini 587.*

ANNO DOMINI D.LXXXVII.

IN hoc Concilio, ad diſciplinam Eccleſiæ reformandam, anteriorum Conciliorũ Conſtitutiones confirmatæ ſunt. Ex viginti Epiſcopis duodecim per ſuos Vicarios interfuerunt, & ſubſcripſerunt.

CONC. MATISCONENSE II. *anno Domini 588. celebratum ſub* PELAGIO II. *Papa. Eſt Prouinciale.*

D.LXXXVIII.

HAEC Synodus conuocata eſt iuſſu Regis Guntheramni: qui cùm magno dolore videret, ſtatum Regni ſui quotidie in peius vergere, ſeque contra Gothos aliquoties infeliciter pugnaſſe, malorum fontem altiùs inquirens, ſolos Epiſcopos hac in re culpandos eſſe animaduertit; vtpote qui populum corruptis ſuis moribus Dei vindicis iram in ſe prouocantem, Euangelicis, vt par erat, doctrinis non inſtituerent. Quare in eoſdem nonnihil commotus, omnes Metropolitanos in ſua Prouincia poſitos, cum reliquis omnibus Epiſcopis ſibi ſubditis conuenire voluit: vt Synodo Generali congregati definirent & ſtatuerent, quidquid ad mores Eccleſiæ vniuerſæ reformandos neceſſarium eſſe ipſi iudicarent.

Hæc Synodus Generalis appellatur: quia in ea omnes Metropolitani Epiſcopi, quotquot erant in Regno Guntheramni, conuenerunt.

Ad hanc Synodum referendum eſt, quod Gregorius Turonenſis lib. 8. c. 12. Hiſt. Franc. ſcribit de Theodoro Maſilienſi Epiſcopo ſanctiſſimo: quem ſæcularis Iudex à ſe anteà ſatis exagitatum, *ad præſentiam Regis Guntheramni*, inquit Gregorius prædicto loco, *direxit, vt ſcilicet ad Synodum, quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab Epiſcopis damnandus, adeſſet.*

Præter ea quæ in Actis Concilij habentur, in hac Synodo circa diuerſorum Epiſcoporum cauſas & iudicia, illa contigerunt, de quibus ita Gregorius libro 8. cap. 20. *Interim dies aduenit: & Epiſcopi ex iuſſu Regis Guntheramni apud Matiſconenſem vrbem collecti ſunt. Fauſtianus autem, qui ex iuſſu Gundebaldi, Aquenſis vrbis fuerat Epiſcopus ordinatus, ea conditione remouetur, vt eum Berthramnus, Oreſteſque ſiue Palladius, qui eum benedixerant, verbis paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. Nicetius autem ex laico, qui primus Chilperico Regi præceptum elicuerat, in ipſa vrbe Epiſcopatum adeptus eſt. Vrſicinus autem Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatur, pro eo quòd Gundebaldum excepiſſe publicè confeſſus eſt, accepto eiuſmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis ageret, neque capillum neque barbam tonderet; vino & carnibus abſtinere, Miſſas celebrare, Clericos ordinare, Eccleſias Chriſmáque benedicere non præſumeret, Eulogias dare penitùs non auderet: vtilitas tamen Eccleſiæ, per eius ordinationem, ſicut ſolita erat, omnino exerceretur.* Et paulò pòſt: *Prætextatus verò Rothomagenſis Epiſcopus, Orationes quas in exilio poſitus ſcripſit, coram Epiſcopis recitauit: à quibuſdam verò, quia artem ſecutus minimè fuerat, reprehendebantur: ſtylus autem per loca Eccleſiaſticus & rationabilis erat.*

CON-

Digitized by Google

Concilii Matisconensis II. Canones.

Canon I.

De intermiſſo Dominicæ diei cultu reſtituendo.

CVSTODIRE debemus diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberauit. Nullus veſtrûm litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat, nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Eſtote omnes hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrûm proximã habeat Eccleſiam, properet ad eamdem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat. Sint oculi manuſque veſtræ toto illo die ad Deum expanſæ, ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus, ipſe nobis per ſeptimæ diei vmbram inſinuatus noſcitur in Lege & Prophetis. Iuſtum igitur eſt vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti ſumus quod non fuimus. Fuimus enim antè ſerui peccati, ſed per eam facti ſumus filij iuſtitiæ. Exhibeamus Domino liberam ſeruitutem, cuius nos nouimus pietate de ergaſtulis liberatos erroris, non quia hoc Dominus noſter à nobis expetit, vt corporali abſtinentia diem Dominicam celebremus; ſed quęrit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus, ad cælum vſque miſericorditer prouehat. Si quis igitur veſtrûm hanc ſalubrem exhortationem paruipenderit, aut contemptui tradiderit, ſciat ſe pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps Sacerdotali quoque iræ implacabiliter ſubiacere. Si Cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam amittet; ſi ruſticus aut ſeruus, grauioribus fuſtium ictibus verberabitur; ſi Clericus aut Monachus, menſibus ſex à conſortio ſuſpẽdetur fratrum.

Canon II.

De Paſchate per ſex dies feſtos celebrando.

PASCHA noſtrum, in quo ſummus Sacerdos & Pontifex pro noſtris delictis immolatus eſt, omnes debemus feſtiuiſſimè colere, & in illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſeruile opus audeat facere.

Canon III.

De Baptiſmo in Paſchate celebrando.

DECERNIMVS vt extra tempora decreta Baptiſmi, nullus filios ſuos baptizet, niſi infirmitas nimia vel dies extremus compulerit filios ſuos Baptiſmum ſuſcipere.

Canon IV.

De oblationibus in omnibus Dominicis diebus à populo faciendis.

ITEM ſtatuimus vt omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quàm vini, vt per has immolationes & peccatorum ſuorum faſtibus careant, & cum Abel vel ceteris iuſtè offerentibus promereantur eſſe conſortes.

Canon V.

De decimis à populo Clericis ex antiquo more perſoluendis.

OMNES reliquas fidei ſanctę Catholicæ cauſas, quas temporis longitudine cognouimus deterioratas fuiſſe, oportet nos ad ſtatum priſtinum reuocare, ne nobis ſimus aduerſarij, dum ea quæ cognoſcimus ad noſtri ordinis qualitatem pertinere, aut non corrigimus, aut (quod nefas eſt) ſilentio prætérimus. Leges namque diuinæ, conſulentes Sacerdotibus ac miniſtris Eccleſiarum, pro hereditaria portione, omni populo præceperunt decimas fructuum ſuorum locis ſacris præſtare, vt nullo labore impediti per res illegitimas, ſpiritualibus poſſint vacare miniſteriis. quas Leges Chriſtianorum congeries longis temporibus cuſtodiuit intemeratas. Vnde ſtatuimus, vt decimas Eccleſiaſticas omnis populus inferat, quibus Sacerdotes, aut in pauperum vſum, aut captiuorum redemptionem prorogatis, ſuis orationibus pacem populo ac ſalutem impetrẽt. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis fuerit, à membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur.

CANON VI.

De Miſſis ieiunè celebrandis.

CANON 6. eſt Canon 29. Concilij Carthaginenſis III. qui etiam corrigitur per cap. 29. Sextæ Synodi.

CANON VII.

De perſonis Eccleſiaſticis ab Epiſcopis iudicandis.

STATVIMVS inſuper vt liberti Eccleſiæ, per ſolos Epiſcopos iudicentur.

CANON VIII.

De reis ab Eccleſia non extrahendis.

ITEM decernimus, vt quicumq; culpa compellente, aut potentum importuna non ſuſtinens, ſuæ gremium matris Eccleſiæ petierit, in eodem loco inconcuſsè permaneat, nulli permittentes quolibet gradu dignitatis functo, fugitiuo in locis ſacris violentiam inferre.

CANON IX.

De Epiſcopis ad ſæcularia iudicia non trahendis.

STATVIMVS etiam, vt Epiſcopus per ſæcularem poteſtatem non iudicetur. Nefas eſt enim vt illius manibus Epiſcopus aut iuſſione de Eccleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui inuocato nomine Domini, ad ſaluationem corporis animæque, Euchariſtiam ſæpè porrexit. Hoc enim Decretum à nobis pręfixum qui fuerit audacter tranſgreſſus, tam ipſe quàm omnes qui ei conſenſerint, vſque ad Generale Concilium, anathemate de Eccleſia ſeparentur.

CANON X.

De Clericis coram Epiſcopis conueniendis.

QVOD de Epiſcopis cenſuimus, vim obtineat & in Clero, vt neque Presbyter, nec Diaconus, neque Subdiaconus, de Eccleſiis trahantur, aut iniuriam aliquam (inſcio Epiſcopo eorum) patiantur: ſed quidquid quis aduerſus eos habuerit, in notitiam Epiſcopi proprij perducat, & ipſe cauſam iuſtitia præeunte diſcutiens, animo Clericos accuſantis ſatisfaciat.

CANON XI.

De hoſpitalitate ſeruanda.

SECTATORES hoſpitalitatis nos eſſe non ſolùm Dominus Ieſus admonet, cùm ſe dicit in hoſpitem receptum fuiſſe; ſed etiam Apoſtolus omnibus pænè præceptis. Propterea, beatiſſimi fratres, vnumquemque noſtrûm oportet non ſolùm ſemetipſum ad hoc opus aptare, ſed etiam omnium fidelium mentes, vt poſſint apud Deum miſericordiæ operibus pro noſtris peccatis intercedere, & nos ei per veram hoſpitalitatem reconciliari. Si quis ergo noſtrûm non admonuerit, aut exemplum exhortationis ſuæ ipſe priùs comprobauerit opere, indignationem diuinæ proculdubiò incurret maieſtatis. Prædicetur hoc noſtræ mediocritatis Statutum in auribus omnium Chriſtianorum.

CANON XII.

De viduis & pupillis non niſi coram Epiſcopo iudicandis.

QVID autem Scriptura diuina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clam non eſt; ideoque quia prouiſioni noſtræ (Deo auctore) cauſæ principaliter viduarũ & pupillorum ſunt commiſſæ, decernimus, vt Iudices nõ priùs viduas & pupillos conueniant, niſi Epiſcopo nuntiarint, cuius ſub velamine degunt. Quòd ſi Epiſcopus præſens non fuerit, Archidiaconus & Presbyter pariter ſedentes, communi deliberatione cauſis eorum terminos figant, ita iuſtè & rectè, vt deinceps de talibus antedictæ perſonæ non conquaſſentur. Quòd ſi quis Iudex, aut impetitor eis iniuriam aliquam ingeſſerit, aut hanc definitionem tranſgreſſus fuerit, à communione ſuſpendatur.

CANON XIII.

De canibus & accipitribus ab Epiſcopis non alendis.

VOLVMVS igitur quòd Epiſcopalis domus, quæ ad hoc inſtituta eſt, vt ſine perſonarum acceptione omnes in hoſpitalitate recipiat, canes nõ habeat, ne

Digitized by Google

ne fortè hi qui in ea miſeriarum ſuarum leuamen habere confidunt, dum infeſtorum canum morſibus laniantur, detrimentum verſa vice ſuorum ſuſtineant corporum. Cuſtodienda eſt igitur Epiſcopalis habitatio hymnis; non latratibus; operibus bonis, non morſibus venenoſis. Vbi igitur Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.

CANON XIV.

De violentia potentum in miſeros coërcenda.

Ex interpellatione quorumdam cognouimus, quòd calcatis Canonibus & Legibus, hi qui lateri Regis adhęrent, vel aliqui qui potentia ſæculari inflantur, res alienas competere, & nullis exertis actionibus aut coniunctionibus prærogatis, non ſolùm miſeros de agris, ſed etiam de domibus propriis exulare. Idcircò id remedium conſulentes decernimus, vt deinceps huius mali licentiam quiſpiam non habeat, ſed ſecundùm Canonum atque Legum tenorem cauſarum ſuarum actionem proponat, vt nullus miſerorum rebus ſuis per vim aut aſſentationem quamlibet defraudetur. Illi autem, qui contrà fecerint, procelloſi anathematis vltiono plectantur.

CANON XV.

De honore Clericis honoratioribus à ſæcularibus exhibendo, adeò vt Clerico pedeſtri eques obuiàm ſæcularis, ad terram deſiliat.

STATVIMVS, vt ſiquis quempiam Clericorum honoratorum in itinere obuiàm habuerit, vſque ad inferiorem gradum honoris veneranter illi colla ſubdat, prout is officia & obſequia fideliſſima Chriſtianitatis iure promeruit. & ſi quidem ille ſæcularis equo vehitur, Clericuſque ſimiliter, ſæcularis galerum de capite auferat, & Clerico ſinceræ ſalutationis manus adhibeat. Si verò Clericus pedes graditur, & ſæcularis vehitur equo, illicò ad terram defluat, & debitum honorem illi ſinceræ charitatis exhibeat. Qui verò horum, quæ Spiritu ſancto dictante ſancita ſunt, transgreſſor fuerit, ab Eccleſia, quamdiu Epiſcopus illius Eccleſiæ voluerit, ſuſpendatur.

CANON XVI.

De vxoribus Clericorum, ne poſt eorum mortem ineant ſecunda matrimonia.

ILLVD quoque rectum nobis viſum eſt diſponere, vt quæ vxor Subdiaconi, vel Exorciſtæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo, ſecundo ſe non audeat ſociare matrimonio. Quod ſi fecerit, ſeparetur, & in Cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem vſque ad exitum vitæ permaneat.

CANON XVII.

De alieno ſepulturæ iure non vſurpando.

COMPERIMVS multos, necdum marcidatis mortuorum membris, ſepulchra reſerare, & mortuos ſuos ſuperimponere, & aliorum (quod nefas eſt) pro mortuis ſuis religioſa loca vſurpare ſine voluntate domini ſepulchrorum: ideoq; ſtatuimus, vt nullus deinceps hoc peragat. Quod ſi factum fuerit, ſecundùm Legem ſuperimpoſita corpora de eiſdem tumulis reiactentur.

CANON XVIII.

De inceſtuoſis copulationibus vitandis.

INCESTAM copulationem, in qua nec coniuges, nec nuptias rectè appellare Leges ſanxerunt, Catholica deteſtatur Eccleſia, & grauioribus pœnis eos afficere promittunt, qui natiuitatis ſuę gradus libidinoſo ardore contemnentes, in ſtercore, vt ſues teterrimi, cõuoluuntur.

CANON XIX.

De Clericis, ne forum criminale frequentẽt, nec reorum neci interſint.

ITEM ſtatuimus, vt ad locum vbi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiẽdus eſt, nullus Clericorum accedat.

CANON XX.

De Concilio tertio quoquo anno celebrãdo.

DECERNIMVS etiam, vt ad Synodum poſt triennij tempus omnes conueniant, & hoc adimplere ſollici-

tudinis ſit Metropolitani Lugdunenſis Epiſcopi, vnà cum diſpoſitione magnifici Principis noſtri, definientis locum, ad quem omnes congregentur. Si aliquis eorum contumax fuerit, aut excuſationem falſæ neceſſitatis inuenerit, volumus, vt vſque ad Concilium Generale à communione maneat alienus.

CONCILIVM VALENTINVM GALLIÆ II.

ſub PELAGIO II. *Papa celebratum anno Domini 589. Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.LXXXIX.

IN hoc Concilio nihil aliud factum inuenitur, quàm quòd ad inſtantiam Regis Gunthramni, donationes, quas ad pias cauſas, nimirum in vſus pauperum & Eccleſiæ, ipſe eiuſque poſteri contulerant, vel collaturi eſſent, priuilegiis & immunitatibus Eccleſiaſticis donata fuerint. Celebratum eſt autem hoc Concilium 10. Kalend. Iulias, in fine anni 24. Guntheramni Regis.

CONC. TOLETANVM III.

ſub PELAGIO II. *anno Domini 589. celebratum, in quo Gothi in Hiſpania, abiurata Arianæ hæreſeos perfidia, Orthodoxam fidem profitentur.*

D.LXXXIX.

CONCILIVM hoc habitum eſt Æra 627. vt habent Codices M.S. ſub Reccaredo Rege, Pelagio II. Papa, & Euphemio primæ Sedis Toletanæ Epiſcopo.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno quarto regnante glorioſiſſimo atque piiſſimo, & Deo fideliſſimo Reccaredo Rege, die octauo Iduum Maiarum, Æra 627. hæc ſancta Synodus habita eſt in ſancta ciuitate regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ & Galliciæ, qui infraſcripti ſunt.

Cùm pro fidei ſuæ ſinceritate, idem glorioſiſſimus Princeps omnes regiminis ſui Pontifices in vnum conuenire mandaſſet, vt tam de eius conuerſione, quàm de gentis Gothorum innouatione in Domino exultarent, & diuinę dignationi pro tanto munere gratias agerent, memoratus ſanctiſſimus Princeps ſic venerandum Concilium alloquitur: Non incognitum reor eſſe vobis, Reuerendiſſimi Sacerdotes, quòd propter inſtaurandam diſciplinæ Eccleſiaſticę formam, ad noſtræ vos Serenitatis præſentiam euocauerim: & quia decurſis retrò temporibus hæreſis imminens in tota Eccleſia Catholica agere Synodica negotia denegabat; Deus, cui placuit per nos eiuſdem hæreſis obicem depellere, admonuit inſtituta de more Eccleſiarum reparare. Ergo ſit vobis iucunditatis, ſit gaudij, quòd mos Canonicus proſpectu Dei per noſtram gloriam ad paternos reducitur terminos. Priùs tamen admoneo, pariter & exhortor, ieiuniis vos & vigiliis atque orationibus operam dare, vt ordo Canonicus, quem à Sacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa atque diuturna obliuio, quam ætas noſtra ſe neſcire fatetur, diuino dono vobis rurſum patefiat. Ad hæc autem gratias Deo agentes, & religioſiſſimo Principi vniuerſo Concilio in laudibus acclamante, triduanum eſt exinde prædicatum ieiunium. Sed cùm die 8. Iduum Maiarum in vnum cœtum Dei Sacerdotes adeſſent, & oratione præmiſſa, vnuſquiſque Sacerdotum competenti loco reſediſſet, ecce in medio eorum adfuit Sereniſſimus Princeps, ſeque cum Dei Sacerdotibus orationi communicans, diuino deinceps flamine plenus, ſic ad loquendum exorſus eſt, dicens:

Allocutio Reccaredi ad Concilium.

Sancta admonitio.

Non credimus veſtram latere ſanctitatem, quanto tēpore in errore Arianorum laboraſſet Hiſpania, & non multos poſt deceſſum genitoris noſtri dies, quibus nos veſtra beatitudo fidei ſanctæ Catholicæ cognouit eſſe ſociatos, credimus generaliter magnum & æternum gaudium habuiſſe: & ideò venerandi Patres ad hanc vos peragendam cōgregari decreuimus Synodum, vt de omnibus nuper aduenientibus ad Chriſtum,

Chriſtum, ipſi æternas Deo gratias referatis. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium veſtrum nobis agendum erat de fide atque ſpe veſtra, quam gerimus, in hoc Tomo conſcripta atque alligata, nota facimus. Relegatur ergo in medio veſtri, & in iudicio Synodali examinata, per omne ſucceſſiuum tempus gloria noſtra eiuſdem fidei teſtimonio declarata clareſcat.

Suſceptus eſt autem ab omnibus Dei Sacerdotibus (offerente Rege) ſacroſanctæ fidei Tomus, & pronuntiante Notario clara voce recenſitus eſt, in quo confeſſus eſt fidem Catholicam iuxta Canones quatuor Conciliorum Generalium, cui ſubſcripſit Rex, his verbis: Huic verò confeſſioni meæ ſanctarum Scripturarum, & Conciliorum conſtitutionibus conſentiens, teſtimonio diuino tota cordis ſimplicitate ſubſcripſi.

Tunc acclamatum eſt in laudibus Dei, & in fauore Principis ab vniuerſo Concilio; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cui cura eſt, pacem & vnitatē Eccleſiæ Catholicæ prouidere, &c.

ANNOTATIO.

In confeſſione Epiſcoporum Concilij Toletani IV. cap. 15. & 23. ſic habetur: *Statuimus, vt in fine Pſalmorum non Gloria Patri, ſed Gloria & honor Patri dicatur.* De qua re ſcribit S. Hieronymus ad Damaſum (ſi eius eſt epiſtola, & non potiùs adulterina) Nicephor. lib. 3. cap. 8. Caſſianus de Inſtit. Cœnobit. lib. 2. cap. 9. Hymnum glorificationis, hoc eſt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ab Apoſtolorum inſtituto fluxiſſe, auctor eſt D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 7. 27. & 29. & eo tempore, quo ab Apoſtolis promulgatum eſt Euangelium, ab eiſdem occini cœptum, cùm iuſſu Domini ſacrum Baptiſma in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſit fidelibus collatum. In Concilio Nicæno adiectum aduerſus Arianos: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* Id conſtat ex Concilio Vaſenſi, cap. 5. his verbis: *Et quia non ſolùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qui Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis, poſt Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen, dicatur: & iam nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.*

Deinde vniuerſo Concilio iubente, vnus Epiſcoporum Catholicorum ad Epiſcopos & religioſos Clericos, vel maiores natu, ab hęreſi Ariana conuerſos, ſic eſt allocutus: Officij noſtri cura compellimur, à veſtra charitate perquirere, quid damnetis in hæreſi, aut quid intra ſanctam Catholicam credatis Eccleſiam. Tunc Epiſcopi omnes vnà cum Clericis ſuis, Primoreſque gentis Gothicæ pari conſenſione dixerunt: Licet hoc, quod tua paternitas atque fraternitas veſtra à nobis cupit audire, iam olim conuerſionis noſtræ tempore egerimus, quando ſecuti glorioſiſſimum Reccaredum Regem noſtrum ad Eccleſiam tranſiuimus, & perfidiam Arianam cum omnibus ſuperſtitionibus ſuis anathematizauimus; nunc tamen propter charitatem & deuotionem, quam Deo & Eccleſię Catholicæ debemus, quæ petitis, promptiſsimè agere properamus; ſed & ſi qua adhuc congrua fidei eſſe perſpicitis, ac nobis charitate perſuadetis, faciemus.

Omnis ergo, qui fidem & communionem ab Ario venientem, & vſque ad nos retentam adhuc tenere deſiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema ſit.

Quicumque Filiū Dei Dominum Ieſum negauerit à paterna ſubſtantia ſine initio genitum, & æqualem Patri eſſe, vel conſubſtātialem, anathema ſit.

Quicumque Spiritum ſanctum non credit, aut non crediderit à Patre & Filio procedere, eumque non dixerit coæternum eſſe Patri & Filio, & coëſſentialem, anathema ſit.

Quicumque in Patre & Filio & Spiritu ſancto, & perſonas non diſtinguit, & vnius Diuinitatis ſubſtantiam non agnoſcit, anathema ſit.

Quicumque Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſan-

Digitized by Google

ſanctum, iuxta Deitatem eſſe Patre minorem aſſeruerit, & gradibus ſeparauerit, creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.

Quicumque neſcire Filium Dei, quod Deus Pater ſciat, dixerit, anathema ſit.

Quicumque initium Filio Dei & Spiritui ſancto deputauerit, anathema ſit.

Quicumque Filium Dei, ſecundùm Diuinitatem ſuã, viſibilem aut paſſibilem auſus fuerit proferre, anathema ſit.

Quicumque Spiritum ſanctum, ſicut Patrem & Filium, verum Deum & omnipotentem eſſe non credit, anathema ſit.

Quicumque alibi fidem & communionem Catholicam, præterquam in Eccleſia Vniuerſali, quam Nicæni, & Conſtantinopolitani, & Primi Epheſini, & Chalcedonenſis Concilij decreta tenent, pariter & honorant, anathema ſit.

Quicumque Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, honore, & gloria, & Diuinitate ſeparat, aut disiungit, anathema ſit.

Quicumque non dixerit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, anathema ſit.

Quicumque rebaptizandi ſacrilegum opus eſſe bonum credit aut crediderit, agit aut egerit, anathema ſit.

Quicumq; Ariminenſe Concilium ex toto corde non reſpuerit, & damnauerit, anathema ſit.

Sint ergo damnata in cælo & in terra, quæcumque per hanc Catholicam fidem damnantur: & ſint accepta in cælo & in terra, quæcumque per hanc fidem accipiuntur, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt gloria in ſæcula ſæculorum.

Subſcripſerunt omnes Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ex hæreſi Ariana conuerſi, & Gothorum viri illuſtres, & omnes ſeniores ſubſcripſerunt.

Decreta Concilii.

Canon I.

Vt Conciliorum ſtatuta, & Præſulum Romanorum decreta, cuſtodiantur.

Post damnationem hæreſis Arianæ, & fidei ſanctæ Catholicæ expoſitionem, hoc ſanctum præcipit Concilium, vt quia à nonnullis, vel hæreſis, vel gentilitatis neceſſitatem per Hiſpaniarum Eccleſias Canonicus prętermiſſus eſt ordo, dum & licentia abundaret transgrediendi, & diſciplinæ optio negaretur, dum omnis exceſſus hæreſis foueretur patrocinio, & abundantia mali temporis procul eſſet diſtrictio diſciplinæ. At nunc pace Eccleſiæ, Chriſti miſericordia, reparata, quod priſcorum Canonum auctoritas prohibet, ſit reſurgente diſciplina inhibitum, & agatur omne quod pręcepit fieri. Permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium Conſtituta, ſimul & Synodicæ ſanctorum Præſulum epiſtolæ Romanorum. Nullus deinceps ad promerendos honores Eccleſiaſticos contra Canonum ſtatuta aſpiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod ſancti Patres, Spiritu Dei pleni, ſanxerunt debere non fieri. Et qui præſumpſerit, ſeueritate priorum Canonum diſtringatur.

Canon II.

Vt in omnibus Eccleſiis die Dominica Symbolum recitetur.

Petitione Reccaredi Regis conſtituit Synodus, vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarũ Concilij Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum fidei recitetur, & priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara prædicetur; quò fides vera manifeſta ſit, & teſtimonium habeat & ad Chriſti Corpus & Sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.

Ca-

Digitized by Google

CANON III.

Vt ne quis extra neceſſitatem rem Eccleſiæ alienet.

HAEC ſancta Synodus nulli Epiſcoporum licentiã tribuit res alienare Eccleſiæ, quia & antiquioribus Canonibus hoc prohibetur. Si quid verò, quod vtilitatem non grauet Eccleſiæ, pro ſuffragio Monachorum, vel Eccleſiarum ad ſuam Parochiam pertinentium dederint, firmum maneat. Peregrinorum, vel Clericorum, & egenorum neceſſitati, ſaluo iure Eccleſiæ, præſtare permittuntur pro tempore quæ potuerint.

CANON IV.

Quòd licet religionis intuitu res Eccleſiæ alienare.

SI Epiſcopus vnum de Parochianis Eccleſiis Monaſterium dedicare voluerit, vt in ea Monachorum regulariter congregatio viuat, hoc de conſenſu Concilij ſui habeat licentiam faciendi. Qui etiam, ſi de rebus Eccleſiæ pro eorum ſubſtantia aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibeat, eidem loco donauerit, ſit ſtabile. Rei enim benè ſtatuendæ ſanctum Concilium dat conſenſum.

CANON V.

Vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus ſuis non viuant.

COMPERTVM eſt à ſancto Concilio, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, venientes ex hæreſi, carnali adhuc deſiderio vxoribus copulari. Ne ergo de cetero hoc fiat, præcipitur, quod & Canonibus prioribus cõtinetur, vt non liceat eis viuere in libidinoſa ſocietate, ſed manente inter eos coniugali lege communem vtilitatem habeant, & non ſub vno conclaui maneant. Vel certè ſi ſuffragatur virtus, in alia domo ſuam vxorem faciat habitare, vt caſtitas apud Deum & apud homines habeat teſtimonium in bonum. Si quis verò poſt hanc conuentionẽ obſcœnè cum vxore elegerit viuere, vt neglector habeatur. Qui verò ſemper ſub Canone Eccleſiaſtico iacuerint, ſi contra veterum imperata in ſuis cellulis mulierum, quæ infamiæ ſuſpicionem poſſunt generare, conſortium habuerint, illi Canonicè quidem diſtringantur, mulieres verò ab Epiſcopis venumdentur, & pretium ipſum pauperibus erogetur.

ANNOTATIO.

EX hoc Canone euidenter colligitur, quòd his temporibus neque in Sicilia neque etiam in Hiſpania Subdiaconis continentia adhuc imperata fuerit, cùm hoc loco Sacerdotes tantùm atque Diaconi abſq; vxoribus caſtè viuere admoneantur. Refert S. Gregorius epiſt. 42. lib. 1. quam ſcripſit ad Petrum Subdiaconum Siciliæ, quòd anno 591. Indict. 9. in Sicilia conſtitutum fuerit, vt Subdiaconi cum vxoribus ante Subdiaconatum ſibi coniunctis permanerent, moreque Romanæ Eccleſiæ continentiam ſeruarent, etſi vſus coniugij eis anteà cõceſſus fuerit; quod S. Gregorio durum & incompetens videretur, cuius ſententia conſtitutum fuit, nequis deinceps Subdiaconus ordinaretur, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit. Vide prædictam epiſtolam Gregorij ad Petrum Subdiaconum.

CANON VI.

Vt liberti ab Epiſcopo defendantur.

DE libertis autem hæc præcipit ſancta Synodus, vt ſi qui Presbyteri vel Diaconi ab Epiſcopis facti ſunt, ſecundùm modum quo Canones antiqui dant licentiam, ſint liberi, & tamen à patrocinio Eccleſiæ, tam ipſi quàm ab eis progeniti non recedant. Ab aliis quoque libertati traditi, & Eccleſiis commendati, patrocinio Epiſcopi colligantur, & ne cuiquam donentur, hoc à Principe Epiſcopus poſtulet. 12. q. 2. De libertis.

CANON VII.

Quòd ſacrarum Scripturarum lectio Sacerdotalibus conuiuiis miſceatur.

PRO reuerentia Dei & Sacerdotum id vniuerſa conſtituit Synodus, vt (quia ſolent crebrò menſis otioſæ fabulę interponi) in omni Sacerdotali conuiuio lectio diuinarum Scripturarum miſceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur. D. 44. Pro reuerentia.

Digitized by Google

CANON VIII.

Vt Clerici de familia fiſci à Principe non donentur.

IVBENTE autem atque conſentiente domino Reccaredo Rege, id præcipit Sacerdotale Concilium, vt Clericos ex familia fiſci nullus audeat à Principe donatos expetere, ſed tradito capitis ſui tributo, Eccleſiæ Dei, cui ſunt alligati, vſque dum viuunt, regulariter adminiſtrent.

CANON IX.

Vt Eccleſiæ Arianorum ad Catholicum Epiſcopum, in cuius Diœceſi ſunt, pertineant.

DECRETO huius Concilij hoc ſtatuitur, vt Eccleſiæ quæ fuerunt in hæreſi Ariana, nunc autem ſunt Catholicę, ad eos Epiſcopos cum ſuis rebus pertineant, ad quos Parochiæ ipſæ, in quibus ipſæ Eccleſiæ fundatæ ſunt, pertinere videntur.

CANON X.

Vt mulier inuita viro non nubat.

32.q.2. Hoc ſanctum confirmat. VIDVAE, quibus placuerit, teneant caſtitatem, non tamen ad nuptias vi venire cogantur. Similis conditio & de virginibus habeatur. Si quis verò propoſitum caſtitatis viduæ vel virgini impedierit, à ſancta communione & à liminibus Eccleſiæ habeatur extraneus.

CANON XI.

Vt pœnitens pœnitentiam agat.

QVONIAM comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent, & ideò pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Concilio iubetur, vt ſecundùm formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc eſt, vt priùs eum quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicuti Sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni reſtituat. Hi verò qui ad propria vitia, vel intra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem labuntur, ſecundùm priorum Canonum ſeueritatem damnentur.

CANON XII.

De his qui pœnitentiam poſcunt, ſi vir eſt, priùs tondeatur; ſi femina, priùs habitum mutet.

QVICVMQVE ab Epiſcopo vel Presbytero ſanus vel infirmus pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſeruet & Presbyter, vt ſi vir eſt, ſiue ſanus ſiue infirmus, priùs eum tondeat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi priùs aut velata fuerit, aut mutauerit habitum. Sępiùs enim laicis cum feminis tribuendo deſidioſè pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.

CANON XIII.

Vt Clerici, qui ſæculares Iudices appetunt, excommunicentur.

INOLITA præſumptio vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt Clerici Clericos ſuos (relicto ſuo Pontifice) ad iudicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus vt hoc de cetero non præſumatur. Si quis hoc præſumpſerit facere, conuentus & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus. 11.q.1. Inolita præſumptio.

CANON XIV.

De Iudæis.

CONVENTVS noſter hoc Canonibus inſerendum præcepit, vt Iudæis non liceat Chriſtianas habere vxores vel concubinas, neque mancipium Chriſtianum in vſus proprios comparare: ſed & filios, qui ex tali coniugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad Baptiſmum. Nulla officia publica eis iniungantur, per quæ eis occaſio tribuatur Chriſtianis pœnã inferre. Si verò Chriſtiani ab eis in Iudaiſmo * ritu ſunt maculati, vel etiam circumciſi, non reddito pretio ad libertatem & religionem redeant Chriſtianam. D.54. Nulla officia publica. * Iudaico

CA-

CANON XV.

Vt ſerui fiſci qui Eccleſias conſtruunt, eiſdem dotem faciant.

SI QVI ex ſeruis fiſcalibus fortaſſe Eccleſias conſtruxerint, eaſque de ſua paupertate dotauerint, has procuret Epiſcopus prece ſua auctoritate regia confirmari.

CANON XVI.

Vt Epiſcopi cum Iudicibus idola deſtruant, & domini idololatriam ſeruis prohibeant.

QVONIAM pænè per omnem Hiſpaniā ſiue Galliciam idololatriæ ſacrilegium inoleuit, hoc cum conſenſu glorioſiſſimi Principis ſancta Synodus ordinauit, vt omnis Sacerdos in loco ſuo, vnà cum Iudice territorij, ſacrilegium memoratum ſtudioſè perquirat, & exterminare inuentum non differat. Omnes verò qui ad talem errorem concurrunt, ſine diſcrimine, qua poterunt animaduerſione coërceant. Quòd ſi neglexerint, ſciant ſe vtriuque excommunicationis periculum eſſe ſubituros. Si qui verò domini extirpare hoc malum de poſſeſſione ſua neglexerint, & familiæ prohibere noluerint, ab Epiſcopo & ipſi à communione pellantur.

CANON XVII.

Vt Epiſcopi cum Iudicibus necatores filiorum acriore diſciplina corripiant.

CVM multæ querelæ ad aures ſancti Concilij deferrentur, inter cetera tantæ crudelitatis opus eſt nuntiatum, quantum conſidentium aures Sacerdotum non poſſent ſuſtinere, vt in quibuſdam Hiſpaniæ partibus filios ſuos parentes interimant, fornicationis auidi, pietatis alieni; quibus ſi tædium eſt filios numeroſos alere, priùs ſeipſos debent caſtigare à fornicatione. Nam dum cauſa propagandæ prolis ſortiuntur coniugia, patricidio & fornicationi tenentur obnoxij, qui filios necando proprios, docent ſe non pro filiis, ſed pro libidine vxores duxiſſe. Proinde tantum nefas ad cognitionem glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis perlatum eſt, cuius gloria dignata eſt Iudicibus earumdem partium imperare, vt amouendum tantum facinus diligenter cum Sacerdote procurent, & adhibita ſeueritate prohibeant. Ergo & Sacerdotes locorum eorumdem, in quibus ſceleris huius immanitas peragitur, ſancta Synodus præcipiendo conuenit, vt idem ſcelus cum Iudice curioſiùs quærant, & ſine capitali vindicta acriori diſciplina prohibeant.

CANON XVIII.

Vt Eccleſiæ cum dotibus ſuis in Epiſcopi poteſtate conſiſtant.

SIC quidam contra Canonum auctoritatem Eccleſias, quas ædificauerunt, poſtulant conſecrari, vt dotem quam eidem Eccleſiæ contulerint, cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere. Quod factum taliter in præterito corrigatur, vt in futuro ne fiat, prohibeatur, & omnia ſecundùm conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant. 10. qu. 1. Sic quidā contra.

CANON XIX.

Vt Epiſcopus angarias vel indictiones in Diœceſi non imponat.

QVIA cognouimus Epiſcopos per Parochias ſuas non ſacerdotaliter agere, ſed crudeliter deſæuire. Et dum ſcriptum ſit: Forma eſtote gregi, non vt dominantes in clerum, qui exactiones Diœceſi ſuæ vel damna infligunt; ideò cenſemus (excepto quòd veterum Conſtitutiones à Parochiis habere iubent Epiſcopos) vt alia quæ illis hucuſque præſumpta ſunt, denegentur, hoc eſt neq; in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque aliquibus fatigentur indictionibus, ne videantur in Eccleſia Dei exactores potiùs quàm Pontifices nominari. Hi verò Clerici tam locales, quàm Diœceſani, qui ſe ab Epiſcopo grauari cognouerint, querelas ſuas ad Metropolitanum deferre non differant, & Metropolitanus non moretur huiuſmodi præſumptiones auertere. 10. qu. 3. Quia cognouimus.

CA-

Digitized by Google

CANON XX.

Ut non liceat Iudicibus, Clericos vel ſeruos Eccleſiæ, in ſuis angariis occupare.

12.qu.2. Eccleſiarū ſeruos.

ECCLESIARVM ſeruos, & Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel omnium Clericorum à Iudicibus vel exactoribus publicis in diuerſis angariis fatigari dolemus. Propter quod omne Concilium à pietate glorioſiſſimi domini noſtri poſcit vt tales vſus deinceps inhibeat, ſed ſerui ſupradictorum officiorum in eorum vſibus vel Eccleſiæ laborent. Si quis verò Iudicum aut actorum Clericum, aut ſeruum Clerici vel Eccleſiæ in publicis ac priuatis negotiis occupare voluerit, à communione Eccleſiaſtica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

CANON XXI.

Quòd qui ſpem futuræ reſurrectionis habent, de mortuis triſtari non debent.

13.qu.2. Qui diuina vocatione.

QVI diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum Pſalmis tantummodò & pſallentium vocibus debent ad ſepulchrum ferri. Nam funebre carmen, quod vulgò defunctis cantari ſolet, vel in pectoribus ſe, aut proximos, aut familias cædere, omnino prohibemus. Sufficiat autem, quod in ſpe reſurrectionis Chriſtianorum, corporibus famulatus diuinorum impenditur Canticorum. Prohibet enim nos Apoſtolus ſanctus lugere defunctos, dicens:

1.Theſſ.4.

De dormientibus autem nolo vos contriſtari, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Dominus non fleuit Lazarum mortuum, ſed ad huius vitæ ærumnas plorauit reſuſcitandum. Si autem poteſt hoc Epiſcopus omnibus Chriſtianis prohibere, non moretur agere; religioſis autem omnino aliter fieri non debere cenſemus. Sic enim Chriſtianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

CANON XXII.

Quòd in Sanctorum natalitiis ballimathiæ prohibeantur.

De Cōſec. d.3. Irreligioſa conſuetudo.

IRRELIGIOSA conſuetudo eſt, quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates & feſtiuitates agere conſueuit. Populi qui debent officia diuina attendere, ſaltationibus turpibus inuigilant, cantica non ſolùm mala cantantes, ſed etiam Religioſorum officiis perſtrepunt. Hoc enim vt ab omnibus Prouinciis depellatur, Sacerdotum & Iudicum à Concilio ſancto curæ committitur.

Poſt confeſſionem ergo & ſubſcriptionem omnium Epiſcoporum, & totius gentis Gothicæ ſeniorum, Reccaredus Rex Dei Sacerdotes piè & benignè affatus eſt, & poſt alia verba hoc ſubiecit Decretum:

Hoc adhuc neceſſarium pro firmitate Catholicæ fidei noſtræ Deo ſupplex inſtituere decreuit auctoritas, vt propter roborandam gentis noſtræ nouellam conuerſionem, omnes Hiſpaniarum & Galliciæ Eccleſię hanc regulam ſeruēt, vt omni Sacrificij tempore ante communicationem Corporis Chriſti & Sanguinis, iuxta Orientalium partium morem vnanimiter clara voce ſacratiſſimum fidei recenſeant Symbolum, vt primùm populi, quam credulitatem teneant, fateantur, & ſic corda fide purificata ad Chriſti Corpus & Sanguinem percipiendum exhibeant.

Publico Edicto Regis confirmatum eſt Concilium, & ſingula eius Capitula in vnam ſummam redacta, confirmauit dicens: Flauius Reccaredus Rex hanc deliberationem, quam cum ſancta definiuimus Synodo, confirmans, ſubſcripſi. Subſcripſeruntque Epiſcopi præſentes.

CONCIL. ROMANVM SVB PELAGIO II.

ANNO DOMINI DLXXXIII.

HVIVS Concilij mentio habetur in epiſtola Pelagij, quam ſcripſit ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, his verbis: *Cùm in Dei nomine in Romana Eccleſia Synodum Epiſcoporum, ſiue ceterorum conſacerdotum Dei fidelium congregatā habuiſſemus*, &c. Quid in ea actum ſit, indicat allegata epiſtola; quam apud Binium inuenies.

CON-

CONCIL. NARBONENSE

ſub RECCAREDO *Rege Sueuorum anno Domini 589. celebratum.*

ANNO DOMINI D.LXXXIX.

IN hoc Concilio de diſciplina Eccleſiæ reformanda ab octo Epiſcopis Prouinciæ Narbonenſis in Gallia ſexdecim Canones editi reperiuntur.

I. Hoc regulariter definitum eſt, Vt nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem.

II. Vt in pſallendi ordinibus per quemque Pſalmum gloria dicatur omnipotenti Deo: per maiores verò Pſalmos, prout fuerint prolixiùs, pauſationes fiant, & per quamque pauſationem gloria Trinitatis Domino decantetur.

III. Nullus Clericus, Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter in plateis reſideat: certè nec in plateis ſtare, & famulis diuerſis commiſci. Quod ſi quis facere præſumpſerit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, ſi non emendauerit: & à communione, & ab officio priuetur.

IV. Vt omnis homo, tam ingenuus quàm ſeruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boues iungantur, excepto ſi in metendo neceſſitas incubuerit.

V. Secundùm Concilium Nicænum ſanctiſſimum, conciliabula vel coniurationes non fiant Clericorum: nec vnuſquiſque de inferiori gradu ſeniorem ſibi elatus aut increpet, aut iniuriet. Quod ſiquis prætermiſſo tam iuſtæ cenſuræ ordine auſus fuerit facere, diſtrictione ſæuiſſima corrigatur.

VI. Quicumque fuerit culpabilis inuentus Clericus, aut honoratus de ciuitate, & ad Monaſterium fuerit deportatus, ſic Abbas, qui eſt præfectus, cum illo qui dirigitur, agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatus.

VII. Quicumque Clericorum contra ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, meritò deiiciatur, qui fidem ſeruare minimè cognoſcitur.

VIII. Quicumque Clericus ſine conſcientia Epiſcopi aliquid de poſſeſſionibus, vel de domo Eccleſiæ tulerit, aut fraudem fecerit, non ſolùm cum omni dedecore conſtricti reſtituat quod fecit; ſed etiam non debere ibi in Eccleſia eſſe, vbi fraudem viſus eſt operaſſe: duobus iaceat ſub pœnitentia annis, & cùm defleuerit factum, reuertatur ad officium.

IX. Iudæis non liceat corpus defuncti deducere pſallendo: ſed vt eorum habuit mos & conſuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant.

X. Nullus Clericus audeat Ordinationem ſui Epiſcopi contemnere: quòd ſi ſub cothurno ſuperbię neglexerit implere; non ſolùm à ſtipendio, ſed vno anno à communione priuetur.

XI. Nulli Epiſcoporum liceat ordinare Diaconum aut Presbyterum literas ignorantem; ſed ſi qui ordinati fuerit, cogantur diſcere.

XII. Dum Miſſa celebratur, nullus Presbyter aut Diaconus abſque aliqua infirmitate, dum Miſſa perficitur, egredi de Altario audeat. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel Lector, antequam Miſſa conſummetur, Alba ſe præſumat exuere. Quòd ſi quiſquam non impleuerit conſtitutum, Presbyteri increpentur vt redeant, Diaconos & execrandos, & ſtipendio priuandos, reliquos flagris coërcendos.

XIII. In hoc Canone decernitur contra diuinatores, caragios, ſeu ſorticularios tam Chriſtianos, quàm Iudæos: quòd vbi inuenti fuerint, grauiſſimè publicè fuſtigentur, & venumdentur, & pretia ipſorum pauperibus erogentur.

Reliqui Canones dimittuntur, quia non faciunt ad rem.

CONC.

CONCILIVM HISPALENSE I.

circa tempora GREGORII *Papæ* I. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI D.XC. CONCILIVM hoc fuit congregatum anno Domini 590. Aera 628. anno quinto Reccaredi Regis. Exiſtimo hoc Concilium non extare integrum, ſed eſſe tantùm epiſtolam ex Concilio miſſam Pegaſio Aſtigitano Epiſcopo: alia verò plura in Concilio fuiſſe decreta, quæ non extant.

CONCILIVM ROMANVM I.

pro vnione SCHISMATICORVM *anno Domini* 590. *ſub* GREGORIO *celebratum.*

D.XC. HAEC Synodus congregata eſt Romæ ad petitionem Mauritij Auguſti. Scripſerat enim ad Gregorium Romanum Pontificem, vt auctoritate ſua omnes ſchiſmaticos Romam ad Synodum conuocaret; vt Synodali decreto ijs, quæ ab ipſis reuocata ſunt in dubium, amotis, perfecta Eccleſiæ vnitas ſanciretur. Addidit, vt nolentes venire, ſedibus ſuis eiicerentur. Acquieuit petitioni Imperatoris Pontifex, citatus eſt Seuerus Aquileienſis cum reliquis ſchiſmaticis Epiſcopis. Recuſans accedere, iuſto Dei iudicio ab hoſtibus Aquileia accenſa, ſede priuatus eſt, factuſque profugus, ad ſummam inopiam deductus eſt. Huius Synodi meminit Gregorius epiſt. 16. libr. 1. ad Seuerum Aquileienſem Epiſcopum ſcribens, his verbis: *Pro qua re imminente, latore præſentium, iuxta Chriſtianiſſimi & Sereniſſimi Domini iuſſionem ad B. Petri Apoſtoli limina cum tuis ſequacibus venire te volumus, vt auctore Deo aggregata Synodo, de ea, quæ inter nos vertitur, dubietate, quod iuſtum fuerit, iudicetur.* Baronius anno 590. num. 28.

CONC. ANTISIODORENSE

ſub GREGORIO I. *anno Domini* 590. *celebratum.*

IN hoc Concilio repe- D.XC. riuntur ſanciti quadraginta Canones ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & Monaſticam obſeruantiam: quorum nonnulli etſi in vſu eſſe deſierint, antiquitatis tamen indices remanſerunt. Concilium non fuit Prouinciale, ſed Diœceſanum tantùm, cui ſolus Aunacharius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, cum Abbatibus & Presbyteris eiuſdem Diœceſis præfuit. Plura ex ijs, quæ in Matiſconenſi II. Concilio ſtatuta fuerant, cuique ipſe Aunacharius interfuit, pariter hîc repetita eſſe reperiuntur. Ex quo etiam colligitur, paulò poſt Concilium Matiſconenſe II. hanc Synodum congregatam fuiſſe.

ANTISIODORENSIS CONCILII CANONES.

I. NON licet Kal. Ianuarij vecula aut ceruolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſeruare: ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut & reliquis diebus.

II. Vt omnes Presbyteri ante Epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio Quadrageſimæ nuntient, & in ipſa Epiphania ad populũ indicent.

III. Non licet conuentus in domibus propriis, nec vigilias in Feſtiuitatibus Sanctorum facere, nec inter ſentes aut arbores ſacriuos, vel ad fontes vota exoluere: ſed quicumque votum habuerit, in Eccleſia vigilet, & matriculæ ipſum votum, aut pauperibus reddat, nec ſubtilia pede, aut hominem lineo Locus obſcurus. fieri penitùs præſumat.

ANNOTATIO.

Prohibentur hîc vigiliæ, quæ cum quadam ſuperſtitione quam admixtam habebant, in priuatis domibus fieri conſueuerant. Hæc expoſitio confirmatur eo argumento, quòd Patres Concilij Matiſconenſis II. quemlibet diem Dominicum, præcedentibus nocturnis vigi-

vigiliis à fidelibus celebrari conſtituerint. Quod Decretum Prouincialis Concilij cùm ipſe Aunacharius Antiſiodorenſis Epiſcopus ſua preſentia & ſubſcriptione confirmauerit; non eſt probabile, vt per hoc Diœceſanum Concilium illi Conſtitutioni aliquid derogatum voluerit, cùm præſertim Canone vndecimo huius Concilij, de vigiliis Paſchæ religioſè ſeruandis, ſanctiſſimam Conſtitutionem reddiderint.

IV. Non licet ad ſortilegos vel auguria reſpicere, nec ad characteres, nec ad ſortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt, aſpicere: ſed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

V. Omnino & inter ſupradictas conditiones, vigilias, quas in honore Domini Martini obſeruant, omnimodis prohibere.

VI. Vt à media Quadrageſima Presbyteri Chriſma petant, & ſi quis infirmitate detentus, venire non potuerit, ad Archidiaconum ſuum, vel Archiſubdiaconum tranſmittat, ſed cum chriſmatico & linteo, ſicut Reliquiæ Sanctorum deportari ſolent.

VII. Vt medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, vt Kalendis Nouemb. omnes Abbates ad Concilium conueniant.

VIII. Non licet in Altario in Sacrificio diuino mellitum, quod mulſum appellant, nec vllum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre: quia ad grandem reatum & peccatum pertinet Presbytero illi, quicumque aliud poculum, extra vinum, in conſecratione Sanguinis Chriſti offerre præſumpſerit.

IX. Non licet in Eccleſia choros ſæcularium vel puellarum cantica exercere, nec conuiuia in Eccleſia præparare: quia ſcriptum eſt, *Domus mea domus orationis vocabitur.* Matth. 21. Iſa. 56.

X. Non licet ſuper vno Altario in vno die duas Miſſas dicere: nec in Altario vbi Epiſcopus Miſſas dixerit, Presbyter in illa die Miſſas dicat.

XI. Non licet in Vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis, vigilias expedire: quia in illa nocte, non licet poſt mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolemnitatibus.

XII. Non licet mortuis nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

XIII. Non licet Diacono, velo vel palla ſcapulas ſuas inuolui.

XIV. Non licet in Baptiſterio corpora ſepelire.

XV. Non licet mortuum ſuper mortuum mitti.

XVI. Non licet die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere.

XVII. Quicumque ſe propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligato ſe ſuſpenderit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percuſſerit, aut qualibet occaſione voluntariè ſe morti tradiderit, iſtorum oblata non recipiantur.

XVIII. Non licet, abſque Paſchæ ſolemnitate, vllo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, quos Grauatarios dicũt. Quòd ſi quis in alio pago, contumacia faciente, poſt interdictũ hoc infantes ſuos ad Baptiſmum detulerit in Eccleſias noſtras, non recipiantur. Et quicumque Presbyter ipſos extra noſtrum permiſſum recipere præſumpſerit, tribus menſibus à communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.

XIX. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, poſt acceptum cibum vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia, dum Miſſę dicuntur, ſtare.

XX. Quòd ſi Presbyter (quòd nefas eſt dicere) aut Diaconus, aut Subdiaconus, poſt acceptam benedictionem infantes procreauerit, aut adulteriũ commiſerit, & Archipresbyter hoc Epiſcopo aut Archidiacono non intimauerit, integro anno non communicet.

XXI. Non licet Presbytero, in vno lecto poſt acceptam benedictionem cum Presbytera ſua dormire, nec in

peccato carnali miſceri, nec Diacono, nec Subdiacono.

XXII. Non licet relictæ Presbyteri, nec relictæ Diaconi, nec Subdiaconi, poſt eius mortem maritum accipere.

XXIII. Si Monachus in Monaſterio adulterium commiſerit, aut peculiare habere præſumpſerit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per ſe non emendauerit, aut Epiſcopo, aut Archidiacono non intimauerit, ad pœnitentiam agendam in alio Monaſterio retrudatur.

XXIV. Non licet Abbati, nec Monacho, ad nuptias ambulare.

XXV. Non licet Abbati filios de Baptiſmo habere, nec Monachis commatres habere.

XXVI. Quòd ſi quis Abbas mulierem in Monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut Feſtiuitates aliquas ibi ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio Monaſterio retrudatur, pane & aqua contentus.

XXVII. Non licet, vt aliquis ſuam nouercam accipiat vxorem.

XXVIII. Non licet, vt filiam vxoris ſuæ quis accipiat.

XXIX. Non licet, vt relictam fratris ſui in matrimonio ducat.

XXX. Non licet duas ſorores, ſi vna mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

XXXI. Non licet conſobrinam, hoc eſt quę de duobus fratribus, aut de duabus ſororibus procreatur, in coniugium accipere: nec qui de ipſis nati fuerint, in coniugio ſocientur.

XXXII. Non licet vt nepos auunculi vxorem accipiat.

XXXIII. Non licet Presbytero, nec Diacono, ad trepalium, vbi rei torquentur, ſtare.

XXXIV. Non licet Presbytero in iudicio illo ſedere, vnde homo ad mortem tradatur.

XXXV. Non licet Presbytero, aut Diacono, vel cuiquam Clericorum, de qualibet cauſa conclericum ſuum ad Iudicem ſæcularem trahere.

XXXVI. Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere.

XXXVII. Non licet mulieri manum ſuã ad pallas Dominicas mittere.

XXXVIII. Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum ſumere.

XXXIX. Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo, excommunicatum abſque voluntate ipſius qui eum excommunicauit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, vel colloquium habere decreuerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit.

XL. Non licet Presbytero inter epulas cantare, vel ſaltare.

XLI. Non licet Presbytero, nec Diacono quemquam inſcribere; ſed in vice ſua cauſam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque ſæcularem roget.

XLII. Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat. Quòd ſi qua non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet.

ANNOTATIO.

Quid per *Dominicalem* intelligi debeat, accipe ex S. Auguſtino, qui de hoc agit in Sermone 152. de Tempore, vbi ait: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lauent manus: & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi Corpus Chriſti accipiant*, &c.

XLIII. Quicumque Iudex aut ſæcularis Presbytero, aut Diacono, aut cuilibet de Clero, aut de iunioribus, abſque audientia Epiſcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri, iniuriam inferre præſumpſerit, anno ab omnium Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus.

XLIV. Si quis ex ſæcularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipresbyteri ſui, contumacia faciente, audire diſtulerit, tam diu à liminibus ſanctæ Eccleſię habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere non ſtuduerit: inſuper mulctam, quam glorioſiſſimus Dominus Rex præcepto ſuo inſtituit, ſuſtineat.

XLV.

XLV. Si quis hanc diffinitionem, quam ex auctoritate Canonica communi conſenſu & conniuentia conſcripſimus ac inſtituimus, tam ad Clerum quàm ad populum commonendum; vel ad id, quod conſtitutum eſt, conſeruandum, negligens inuentus fuerit, & hoc obſeruare diſtulerit: aut eos qui ipſum audire neglexerint, celauerit, aut ſuppreſſerit, & in notitiam Epiſcopi non depoſuerit, anno à conſortio fratrum, vel ab omnium Chriſtianorum communione habeatur extraneus.

CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM II.

Aera 630. anno 7. RECCAREDI *Regis ſub* GREGORIO I. *celebratum.*

ANNO DOMINI D.XCI. HOC Concilium fuit actum anno 7. Reccaredi Regis, Æra 630. Toletanum verò Tertium, Aera 627. vnde ferè omnes Epiſcopi, qui in Toletano, in hoc etiam ſubſcripſerunt. Præfuit Artemius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Stephano.

In primo Canone datur norma Clericis & Presbyteris, qui ex Ariana hæreſi conuertuntur, vt ſanctam & puram fidem, ac caſtiſſimam vitam tenentes, acceptam denuò benedictionem Presbyterij ſanctè & purè miniſtrare debeant: ceteri verò, qui ſic viuere neglexerint, ab officio deponantur.

In ſecundo ſtatuitur, vt reliquiæ Arianorum vbicumque inuentæ fuerint, prolatæ à Sacerdotibus, in quorum Eccleſiis reperiuntur, Pontificibus præſentatæ, igne probentur. Quòd ſi à quibuſlibet occultatæ fuerint, & deteguntur; à ſacroſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ cœtu ſegregentur.

In tertio ſtatuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi de Ariana hæreſi venientes, ſi quas Eccleſias ſub nomine Catholicæ fidei conſecrauerint, necdum benedictione percepta, à Catholico Sacerdote conſecrentur denuò.

CONCILIABVLVM NVMIDIÆ

à S. GREGORIO *reprobatum.*

DE cogendo Numidiæ Concilio, Gregorius ſcripſerat ad Prouinciæ Numidiæ Epiſcopos, Adeodatum & Columbum illum, cui etiã pro benedictione, claues S. Petri cum fragmentis de catena eiuſdem S. Petri in eis incluſis tranſmiſerat. Qui dum ad Concilium celebrandum cum reliquis Epiſcopis Numidiæ conueniſſent, & præter ius & fas aliqua ſtatuiſſent, ſanctus Gregorius ſacrorum Canonum rigidus obſeruator, illa nullius auctoritatis eſſe voluit. Legatur eiuſdem Gregorij ep. 7. lib. 3. Indict. 12. ad Gennadium Exarchum ſcripta. D.XCII.

CONCIL. PICTAVIENSE

in cauſa duarũ REGINARVM MONIALIVM, *vniuerſam ferè Galliam commouentium, anno Domini 593. celebratum, ſub* GREGORIO *Papa, &* CHILDEBERTO *Rege Francorum.*

DVAE Francorum Regum filiæ, Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Baſina Chilperici filia, ſub S. Radegunde virginitatem & Monaſtica inſtituta, ſub Regula S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi profeſſæ, poſt obitum prædictæ Radegundis, extra clauſtra eruperant; tractiſque ſecum quadraginta & ampliùs virginibus, Reges Francorum adiuerant, conquerentes, quòd ab Abbatiſſa malè tractarentur. ſed cùm apud Reges nihil profeciſſent, Pictauos regreſſæ, cum armato ſatellitio nefariorum & perditorum hominum Baſilicam S. Hilarij inuaſerunt, indeque ſceleſtiſſimos homines ad inuadendum Monaſterium, & alligandam vinculis Abbatiſſam miſerunt. Qua de cauſa cùm duplici Synodali ſententia, quam Ebrogiſilus Agrippinenſis Epiſcopus præſentia ſua, vt teſtatur Turonenſis lib. 19. cap. 15. confirmauit, excommunicatæ fuiſſent, rurſum D.XCIII.

per ſuos armatos Monaſterium inuaſerunt, cæſiſque & fugatis pluribus Epiſcopis, Monachos plures occiderunt, atque Abbatiſſam planè denudatam à Monaſterio ſuo abſtraxerunt. Quæ cùm Childebertus Rex audiuiſſet, Legationem miſit ad Regem Guntheramnum, vt ſcilicet Epiſcopi ex vtroq; Regno coniuncti, hæc quæ gerebantur, Canonica ſanctione emendarent. Maconi Comiti datum eſt negotium, vt ſeditionem comprimeret: quod non niſi per multas factioſorum cædes fieri potuit. Conſtituto demum iudicio, Abbatiſſa de leuibus rebus cõfeſſa, grauioribus non probatis, abſoluitur, & Monaſterio reſtituitur. Chrodieldis eiuſque conſortium flagitiis & ſceleribus comprobatis, omnes communione priuatæ fuerunt, vſquequò condignam pœnitentiam agerent. Hæc ex Gregorio Turonenſi Hiſtor. Franc. lib. 9.

SYNODVS METENSIS
in Gallia, anno Domini 594. celebrata in cauſa ÆGIDII *Rhemenſis Epiſcopi.*

ANNO DOMINI D.XCIV.

In hac Synodo, quæ Metis in Gallia habita fuit, redigitur in ordinem Ægidius Rhemenſis Epiſcopus, de crimine læſæ Maieſtatis conuictus. Rei geſtæ ſeriem habet Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 20. vbi in fine hæc ſubiungit: *In hac Synodo Baſina Chilperici Regis filia, quam ſuprà cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniam petiit, promittens ſe cum charitate Abbatiſſæ Monaſterium ingredi, ac de Regula nihil tranſcendere,* &c.

CONCIL. ROMANVM II.
ſub GREGORIO I. *tempore* MAVRITII, *Indictione 13. anno Domini 595. celebratum.*

D.XCV.

CONCILIVM hoc indictum eſt à Gregorio Papa in cauſa Ioannis Presbyteri Chalcedonenſis Eccleſiæ, qui cùm à Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano hæreſis iniuſtè damnatus fuiſſet, ad Sedem Apoſtolicam appellauerat, auctoritate Pontificia Synodum hanc congregari ibidem fecit, in qua eum poſt cauſæ cognitionem innocentem eſſe repertum, ideoque retractato Conſtantinopolitano Synodali iudicio, iuſtè abſolutum fuiſſe teſtatur Gregorius lib. 5. ep. 15. 16. & 17. ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. In hac eadem Synodo poſt ſex Canones apud Binium extantes, S. Gregorius implendum indixit illud, de quo lib. 5. ep. 1. Indict. 14. agit, vt nullius ſint ponderis, quæ de bonis poſt Epiſcopatum adeptis Epiſcopus teſtamento diſpoſuiſſet: ſecùs verò de his, quæ ante Epiſcopatum poſſediſſet. Baronius anno 595. nu. 59. ſcribit ſic: *Reperimus in ſcripto Codice Sublacenſi, in Concilio Romano eumdem Gregorium Regulam ſancti Benedicti probaſſe & confirmaſſe.*

CONCIL. TOLETANVM
ſub RECCAREDO *anno 12. Regni eius, Æra 635. anno Chriſti 597. habitum ſub* GREGORIO *Papa* I.

I.

D.XCVII.

PRISCORVM Patrum ſequentes monita, id præcipiunt Dei Sacerdotes, vt quæ S. Trinitati conueniunt, operibus fidei Catholicæ in omnibus coniungantur: ita vt ſanctam & amicam Dei obſeruantes caſtitatem, non ſolùm retinendam Pontifices ſuo corpore cenſeant, ſed & Presbyteris, & Diaconibus miniſtrantibus Dei Altaribus, modis omnibus obſeruandam cõſtituant: vt ex his, qui caſtitatis voluerit patientiã violare, tali ſorte coërceatur, vt vltimus, à quo eſt gradu, deiectus, Deo ampliùs non miniſtret; ſed Sacerdotis ſui electione, ſit tali clauſtro conſeptus; vt ceteros ſuo exemplo corrigat, & ille ex pœnitẽtia reuiuiſcat.

II.

ID etiam placuit Dei Sacerdotibus, ne quiſquam Antiſtes infra ſuam Parœciam, Dei aulam inquirat, & munificus

Digitized by Google

nificus ille, qui ſanctam Dei ædificauerit Eccleſiam, quod ibidem pro ſuo herede largitus eſt, eodem loco Presbyter ſecundùm priorum Canonum inſtituta deſeruiens, habeat. Etſi Presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur. Certè ſi minor eſt cenſus, Oſtiarius à Sacerdote ſit electus, qui nitorem infra ſinus ſanctę Eccleſiæ faciat; qui & Sanctorum Reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendit.

CONCILIVM OSCENSE, *anno* 13. RECCAREDI *Regis, Æra* 636. *anno Chriſti* 598. *celebratum.*

ANNO DOMINI D.XCVIII. IN hoc Concilio nihil eſt notatu dignum, quod ad noſtra hæc tempora pertineat.

SYNODVS CONSTANTINOPOLI *habita anno Domini* 599. *ſub* GREGORIO *Papa* I.

D.XCIX. HVIVS Synodi memoria reperitur dumtaxat apud S. Gregorium lib. 7. epiſt. 70. Indict. 2. quâ ſcripſit ad omnes Epiſcopos, monens eos, vt ſi Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus de nomine Oecumenici Conſtantinopolitano Antiſtiti attribuendo, vel quid ſimile Canonibus contrarium decernendo attentaret, fortiter illi omnes reſiſtant.

CONC. BARCINONENSE *Æra* 637. *anno* 14. *Regis* RECCAREDI, *anno Chriſti* 599. *habitum.*

D.XCIX. CVM S. Gregorius per Cyriacum Abbatem ad præcipuos Galliarum Epiſcopos ſcripſiſſet epiſtolas plures lib. 7. Indict. 2. extantes, vt Simonia, aliaque nefanda crimina corrigerentur, eaque ibidem peracta fuiſſent, videtur idem Abbas iuſſu S. Gregorij in Hiſpanias profectus eſſe, vt ad extirpandam vbique Simoniacam hæreſim, idem fieret in Hiſpaniis, quod in Galliis factum fuerat. Nam ſecundùm argumentum illarum epiſtolarum S. Gregorij, quas in Gallias detulit Cyriacus, quatuor Canones, Patres Barcinonenſis Concilij edidiſſe reperiet, quiſquis prædictas epiſtolas legerit. Baronius anno 599. num. 23.

CAN. 1. Vt Epiſcopus nihil accipiat pro collatione Ordinum.

CAN. 2. Vt Epiſcopus nihil accipiat pro conficiendo Chriſmate.

CAN. 3. Vt laici ad Ordines promoueantur ſeruatis ſeruandis.

CAN. 4. Vt virgo Deo vota, ad nuptias non tranſeat.

CONC. ROMANVM III. SIVE LATERANENSE *ſub* GREGORIO *Papa* I. *anno Domini* 601.

SANCTVS Gregorius probè per experientiam agnoſcens, quantas interdum moleſtias Monachi ab Epiſcopis pati ſolerent, paulò ante vitæ ſuæ exitum, quem ob iugem corporis aduerſam valetudinem proximè imminere ſentiebat, Monachorum quieti & indemnitati conſulere voluit. Quare collectis Epiſcopis viginti, Presbyteris, atq; Diaconis Cardinalibus, Nonis Aprilis anno 601. pro Monachis edidit hoc Synodale Decretum, quod Conſtitutum appellari conſueuit. In quo prohibet, vt nullus Epiſcoporum aut ſæcularium vltrà præſumat de redditibus, rebus, vel chartis Monaſteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo vel qualibet occaſione minuere. Vt defuncto Abbate cuiuſque Congregationis, non extraneus eligatur, niſi de eadem Congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit. Et pariter, vt inuito Abbate, ad ordinanda alia Monaſteria, aut ad Ordines ſacros, vel Clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant, &c. Extat hoc Conſtitutum apud Binium. DC. I.

Digitized by Google

CONCIL. ROMANVM IV.

ſub GREGORIO *in cauſa* ANDREAE *Monachi impoſtoris & falſarij celebratum anno Domini 601.*

ANNO DOMINI DC. I. IN hoc Concilio damnatus eſt Andreas Græcus homo, ſub Monachi habitu degens apud Baſilicam S. Pauli, detectus impoſtor atque falſarius. Qua de re plura Gregorius lib. 9. ep. 69. ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſcopum.

CONC. BYZACENVM

in cauſa CLEMENTII *Primatis Prouinciæ Byzacenæ, celebratum in Africa anno Domini 602. tempore* GREGORII *Papæ* I.

DC. II. CVM Clementius Primas Prouinciæ Byzacenæ grauium criminum reus conſtitutus eſſet apud ipſum Romanum Pontificem, viſum eſt ipſi Pontifici, qui inter Longobardorum gladios ſæpiùs verſabatur, vt collecto Epiſcoporum Concilio, hæc cauſa ab Epiſcopis comprouincialibus exactiſſimè tractaretur. Vide Gregorium epiſt. 35. lib. 10.

CONCILIVM NVMIDIAE

in cauſa DONADEI *Diaconi, &* PAVLINI *Regenſis Epiſcopi, iuſſu* S. GREGORII *in Numidia celebratum.*

DC. IV. DONADEVS Africanæ Eccleſiæ Diaconus, in Numidia à Victore Epiſcopo iniuſtè degradatus, ad Sedem Apoſtolicam appellauit: quem dum S. Gregorius audiſſet, cauſam eius à Primate Numidiæ, aliiſque eius Prouinciæ Epiſcopis, in publico Concilio cognoſci voluit; vt ſi Diaconus reverà innocens repertus eſſet, Victor Epiſcopus, qui eum damnarat, digna cenſura percelleretur. In eodem Concilio cognoſci mandauit cauſam Regini Numidiæ Epiſcopi, qui à ſuis Clericis accuſatus fuerat, quòd Simoniacis Ordines Eccleſiaſticos conferret: quod ſi verum eſſet, iuſſit, tam Epiſcopos dantes, quàm accipientes, Canonica pœna damnari. De innouandis Simoniacorum pœnis, in eodem Concilio aliud præceptum addidit. Vide epiſtolam Gregorij 8. & 31. libro 10.

CONCIL. ROMANVM

ſub BONIFACIO III. *celebratum anno 606. De modo eligendi Romanum Pontificem.*

PER ambitionem multorum Clericorum in electionẽ Pontificis irrepſerat, vt ſuperſtite adhuc Pontifice, de eo qui poſt obitum eius in ſucceſſorem eligendus eſſet, tractaretur. Quæ facinoroſa molitio, etiamſi antè ſacris legibus Pontificiis vetita eſſet; tamen è re Eccleſiæ futurum exiſtimauit Bonifacius, ſi, ad tollẽdum prauum illum vſum electionis, Synodale Decretum ederetur. Quare vbi primùm Sedem Pontificiam adeptus fuit, in Baſilica Vaticana hanc Synodum 72. Epiſcoporum conuocauit, qua ad reformandos prauos electionis Pontificiæ mores, ſub pœna anathematis conſtitutum fuit, vt non priùs de eligendo ſucceſſore Pontificis agatur, quàm defunctus Pontifex triduo ſepultus fuerit. Acta Concilij ſummatim recenſentur ab Anaſtaſio in Vita Bonifacij. Vide apud Binium. DC. VI.

CONCIL. ROMANVM

ſub BONIFACIO IV. *in cauſa* ANGLICANAE ECCLESIAE *celebratum Romæ anno Domini 610.*

DE loco, & tempore, & rebus in hac Synodo geſtis, Beda lib. 2. cap. 4. Hiſtor. Anglic. ſummatim hæc ſcribit: *His temporibus venit Mellitus Lundoniæ Epiſcopus Romam, de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum Apoſtolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cùm idem Reuerendiſſimus cogeret Synodũ Epiſcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos aſſedit anno 8. Imperij Focatis Principis, Indictione 13. tertia die Kalendarum* DC. X.

darum Martiarum: vt quæque erant decreta regulariter; ſua quoque auctoritate ſubſcribens, confirmaret, ac in Britanniam rediens, ſecum Anglorum Eccleſia mandata atque obſeruanda deferret, vnà cum epiſtolis, quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiſcopo Laurentio, & Clero vniuerſo, ſimiliter & Edilbertho Regi, atque genti Anglorum direxit. Sic ille.

Extra mœnia Londini ciuitatis, recèns extructum erat Monaſterium, pro cuius regulari obſeruantia, Mellitus plurimùm ſollicitus, Romam ſe contulerat: vtpote quòd illud ipſum fore ſciret, ſi benè cuſtodiretur, amplum ſeminarium, ex quo omnes Eccleſiæ, quæ erant in Anglia, ſibi Antiſtites adſciſcerent. His accedebat alia cauſa, quæ & potiſſima videri poterat, an nimirum rata ſit habenda Eccleſiæ S. Petri eiuſdem Monaſterij dedicatio diuinitus facta, de qua plura miranda refert Ealredus Abbas, Scriptor grauiſſimus, in Vita S. Eduardi Regis Anglorum, apud Surium die 5. Ianuarij. Vide Baronium anno 610. num. 10.

SYNODVS TOLETANA

ſub GVNDEMARO *Aera 648. anno Chriſti 610. de Primatu* ECCLESIAE TOLETANAE *habita tempore* BONIFACII *Papæ* IV.

ANNO DOMINI DC.X.

In his Toletanis Conciliis numerus conſultò à me non eſt poſitus, ne antiquorum ordinem à Patribus & Generalibus Conciliis citatum euerterem & cõfunderem: vnde conſultius exiſtimaui, ea ſine ſerie ponere, ſeruata tamen annorum antiquitate. Erant enim aliqua Concilia in Canone poſita, aliqua non: priora ſunt quæ citantur certis numeris, alia ſine numeris traduntur. Vnde apud Rodericum inuenies: Hoc Concilium eſt in Canone, hoc non eſt in Canone.

Cauſa verò huius Concilij celebrandi quænam præceſſerit, ex Actis Concilij, necnon ex Conſtitutione Gundemari Regis hoc anno edita, colligitur. Cùm enim Toletanæ Eccleſiæ Primatum aliqui labefactare ſtuderent, quaſi ipſa non totius Carthaginenſis, ſed tantùm Carpetaniæ Prouincię Metropolis eſſet, hac de cauſa hoc Concilium congregari oportuit. Euphemius Toletanus Epiſcopus Concilio Toletano III. ſubſcribens, ex modeſtia ſe nominauit Metropolitanum Prouinciæ Carpetaniæ. Ne quid ergo iuris Toletanæ Eccleſiæ per hoc factum Euphemij decederet, hoc Synodali & Regio Decreto opus erat. Baronius anno 610. n. 12. Extant Decreta prædicta apud Binium.

CONC. TARRACONENSE SIVE EGARENSE

in Egara ſub SISEBVTO, *anno Regni eius tertio, Aera 652. anno Domini 614. ſub* BONIFACIO IV.

In hoc Concilio determinatum eſt, vt Conſtitutio, quæ dudum in anno 13. Regni Reccaredi Regis in Concilio Oſcenſi conſtituta quidem, ſed conſcripta minimè fuit confirmata, vt in perpetuum valitura perduret. Et omne quidquid ex caſtimonia Presbyterorum, & inferiùs Clericorum conſcriptum fuit, eadem forma etiam de omnibus Epiſcopis ſub tali induſtria ſolertiaque omni tempore pepigendo ſcrutetur, vt auxiliante Domino & adminiculante, talis vitæ ſollicitudinem nulla (quod abſit) reprehenſionis occaſio ſubripere aliquando præualeat. DC.XIV.

CONC. MATISCONENSE III.

pro Regula COLVMBANI *celebratum anno Domini 618. tempore* BONIFACII *Papæ* V. *&* CLOTHARII *Regis Francorum.*

AGRESTINVS olim Theodorici Regis Notarius, pòſt Luxouienſis Monachus factus, non poſt longum tempus importunè inſtitit apud Euſtaſium Abbatem, vt Gentium prædicator & Apoſtolus eſſe permitteretur. A quo propoſito cùm Euſtaſius DC.XVIII.

ſtaſius diſſuadendo eum (vtpote qui ad tantum munus ſubeundum adhuc nimis rudis eſſet) deterrere & auocare non poſſet, tandem ire permiſit. Profectus in regionem Boioariorum, nullo ibi operæpretio facto, paulò pòſt tranſiit ad Aquileienſes: factus ſchiſmaticorum conſors, & ſchiſmatis ſectarius, Attalam cœnobij Bobienſis Patrem, & Euſtaſium Columbani ſucceſſorem, cum alijs quibuſdam in eumdem ſecum errorem pertrahere conatus fuit. Quod cùm ei nuſquam ſuccederet, ſermonem conuertit in Regulam B. Columbani, eamque calumniari cœpit, pellectis ſecum Apellino Genuenſi, aliiſve pluribus Epiſcopis. Vt calumniis ſuis fidem adhiberet Rex Clotharius, ipſe quidem auſu temerario conatus fuit; ſed cùm B. Columbani ſanctitas, eiuſque diſcipulorum doctrina Regi cognita eſſet, fruſtrà illud aliquoties attentauit: tandem verò vt hominis petulantem linguam compeſceret, ſtatuit, vt Synodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate venerabilis viri Euſtaſij, quin omnes aduerſantes ſanctæ Regulæ, ſua prudentia ſuperaret, ſicuti & factum eſt: vt latè apud Binium.

CONCIL. HISPALENSE II.

ſub die Iduum Nouembrium Aera 657. tempore SISEBVTI *Regis ſub* BONIFACIO *Papa* V. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI DCXIX.

ANNO nono Regni Siſebuti celebratum eſt ſub D. Iſidoro Metropolitano Concilium II. Hiſpalenſe pro Eccleſiaſticis negotiis, & contra Acephalos hæreticos, negantes temerè in Chriſto duas naturas in vna diuina perſona.

CAP. I.

Non eſt obijcienda præſcriptio, vbi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

PRIMA Actione Theodulphi Malacitanæ Antiſtitis Eccleſiæ ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis, antiquam eiuſdem vrbis Parochiam militari quodam diſcrimine fuiſſe deciſam, & ab aliis Eccleſiis eſſe remotam. Pro qua re placuit, vt omnis Parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam quiſquis comprobaret, eius priuilegio reſtituetur. Sicut enim per legem mundialem his, quos Barbarica ſeueritas captiua neceſſitate tranſuexit, poſtliminiò reuertentibus redditur antiqua poſſeſſio; ſic Eccleſia receptura eſt Parochiam, quam antè tenuit, cum rebus ſuis. Non enim erit obiicienda præſcriptio temporis, vbi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

CAP. II.

Legitimus ſi deficiat limes, præſcriptio longi temporis ſilentium repetenti imponit.

PLACVIT, vt ſi Diœceſi Epiſcopi poſſidentis ſitam Baſilicam veteribus ſignis limes peruiſus monſtrauerit, Eccleſiæ cuius eſt ius retentionis, ſit æternum dominium. Quòd & ſi limes legitimus eamdem Baſilicam non recludit, & tamen longi temporis probatur obiecta præſcriptio; appellatio repetentis Epiſcopi non valebit, quia illi tricennalis obiectio ſilentium imponit. Sin verò infra metas tricēnalis temporis extra alienos terminos Baſilicæ iniuſta retentio reperitur, repetentis Epiſcopi iuri ſine mora reſtituetur.

CAP. III.

De deſertoribus Clericis, vt Epiſcopis ſuis reſtituantur.

PLACVIT, vt ſiquis Clericus miniſteriis Eccleſiæ propriæ deſtitutus ad aliam tranſitum fecerit, compellente (ad quem fugerit) Sacerdote, ad Eccleſiam, quam priùs incoluerat, remittatur. Qui verò eum ſuſceperit, nec ſtatim ſine vllo niſu exceptionis ad propriam Eccleſiam remittendum elegerit, quamdiu eum reſtituat, communione ſe priuatum agnoſcat. Deſertorem autem Clericum cingulo honoris atque ordinationis ſuæ exutum, aliquo tempore Monaſterio relegari conuenit;

nit: ſicque poſteà in miniſterio Eccleſiaſtici ordinis reuocari.

C A P. I V.

Bigami ad Preſbyterium vel Diaconatum non ſunt promouendi.

NVNTIATVM eſt nobis, apud Aſtigitanam Eccleſiam quaſdam nuper Ordinationes illicitas extitiſſe, ita vt quidam viduarum mariti Leuitarum miniſterio ſacrarentur: quos quidem conuenit à gradu ſuſcepto in irritum deuocari, nec vltrà prouehi ad Diaconij miniſterium, qui contra diuina atque Eccleſiaſtica Iura inſtituti reperiuntur.

A N N O T A T I O.

IN Concilio Carthaginenſi IV. cap. 69. Epiſcopus pro hac re deponitur: ***Simili ſententiæ,*** inquit, ***ſubiacebit Epiſcopus, ſi ſciens ordinauerit Clericum eum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut ſecundam.*** Et in excerptis Martini, cap. 26. Si quis viduam. & in epiſtola Innocentij ad Victorium, c. 5. & ad Rufum, cap. 1.

C A P. V.

Preſbyteri non præſumant ordinare.

Diſt. 23. Quorumdam Clericorum. RELATVM eſt nobis de quibuſdam Clericis, quorum dum vnus ad Presbyterium, duo ad Leuitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm impoſuiſſe, & Presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem, benedictionem dediſſe. Qui licet propter tantam audaciam poterat accuſatus damnari, ſi adhuc viueret; ſed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, gradum Sacerdotij, vel Leuitici Ordinis, quem peruersè adepti ſunt, amittant.

A N N O T A T I O.

ORDINANS contra Patrum inſtituta & ſanctiones, auctoritatem in Ordinationibus vel Conciliis minimè retinebit, & ordinatus Ordinis honore priuatur. Sic Innocentius Papa I. epiſt. 24. c. 3. dum ait: ***Aduerſus formam Canonum ad Ordinem venire tentans, Ordine & honore priuetur, vnà cum Ordinatore.*** Idem Zoſimus Papa ep. 1. c. 1. & Concilium Arelatenſe III. cap. 3. ab eo die ad annum aufert celebrandi poteſtatem. Idem Hilarius Papa I. epiſt. ad Epiſcopum Tarraconenſem, cap. 4. & Simplicius Papa epiſt. 3. ad Florentium.

C A P. VI.

Preſbyteri vel Diaconi ab vno Epiſcopo non ſunt deponendi.

COMPERIMVS quemdam Presbyterum à Pontifice ſuo olim iniuſtè deiectum, & innocentem exſlio condemnatum. Ideò decreuimus (iuxta priſcorum Patrum Decretum) Synodali ſentẽtia, vt nullus noſtrûm ſine Concilij examine, deiicere quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat. Epiſcopus enim Sacerdotibus & miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt. Tales enim neque ab vno damnari, nec vno iudicante poterunt honoris ſui priuilegiis exui: ſed præſentati Synodali iudicio, quod Canon de illis præceperit, definiri.

C A P. VII.

Prohibita Chorepiſcopis & Presbyteris.

RELATVM eſt nobis, Agapium Cordubenſem Epiſcopum frequenter Chorepiſcopos vel Presbyteros deſtinaſſe (qui tamen iuxta Canones vnum ſunt) qui abſente Pontifice Altaria erigerent, Baſilicas conſecrarẽt. Quod quidem non eſt mirum, id præcepiſſe virum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarum. Ergo ne vltrà talis à nobis licentia vſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit, ſcientes, quia ſicut Presbytero vel Chorepiſcopo illicita conſecratio eſt Altaris, ita & conſtitutio. In Diuinis enim literis, præcipiẽte Domino, ſolus Moyſes in Tabernaculo erexit Altare, ſolus ipſe vnxit, Exod. 40. quia ſummus Dei Sacerdos erat, ſicut ſcriptum eſt de eo, *Moyſes & Aaron in* Pſal. 98. *Sacerdotibus eius.* Ideoque id quod tantùm facere principibus Sacerdotũ iuſſum eſt (quorum typum Moyſes & Aaron tenuerint) Presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamuis cum Epi-

Digitized by Google

Epiſcopis plurima illis myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris Legis, quędam nouellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita nouerint, ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum cōſecratio, Conſtitutio Altaris, benedictio, vel vnctio; ſiquidem nec liceat eis benedicere Eccleſiam, vel Altaria conſecrare, nec per impoſitiones manus fidelibus baptizandis, vel conuerſis ex hæreſi Spiritum ſanctum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec Formatas cuilibet epiſtolas mittere, &c. Quæ omnia eis à Sede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur.

ANNOTATIO I.

ALTARE conſecrari à Presbytero non debet: Conciliũ Agathenſe, c.43. Solus Epiſcopus conſtituit, & vngit: Felix Papa IV. cap. 1. epiſtolæ decretalis. & I. Bracarenſi, cap. 19. Toletano VIII. cap. 7. Et conſecratur Epiſcopi benedictione, & Chriſmatis vnctione. Superiores tamen aliquorum Regularium quamplura circa hoc habent priuilegia, vt eſt videre in Compendio Priuileg. tit. *Conſecrare*.

ANNOTATIO II.

FORMATÆ hîc vocantur epiſtolæ, quæ peregrinaturo Clerico dabantur, & fidei & religionis ergò: Concilio Antiocheno, cap. 8. Laodiceno cap. 41. & Mileuitano can. 20. Accipiebant etiam Epiſcopi à Primate, ſi peregrinandum eſſet, Formatam, vel Commendationem: Concilio Carthaginenſi, cap. 28. Dicebantur etiam Communicatoriæ literæ Eliberitano cap. 58. ſtudij & officij indices. Erant etiam literę Confeſſoriæ, quæ Confeſſoribus, vt munere ſuo poſſent fungi, dabantur: eodem Eliberitano cap. 25.

CAP. VIII.

Ob ingratitudinẽ liberti libertate priuẽtur.

STATVIMVS, vt qui ab Epiſcopo ſuo libertati traditi ſunt, ſi immemores beneficij accepti, ei ingrati ob ſuperbiam ſuam extiterint, in ſeruitutem reuocentur: vt quorum libertas pernicioſa eſt, ſit ſalutifera ſeruitus.

CAP. IX. eſt Cap. 25. Concilij Chalcedonenſis.

CAP. X.

Anathemate feriuntur Monaſteriorum expoliatores.

SI QVIS noſtrûm, vel nobis ſuccedentium Sacerdotum, quodlibet Monaſterium aut vi cupiditatis expoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis conuellendum aut diſſoluendum tentauerit, anathema effectus maneat, & à regno Dei extraneus, nec proficiat illi bonum fidei, vel operis ad ſalutem, qui tantæ & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem. Super hos etiam vniuerſi illius Prouinciæ Epiſcopi congregati, eumdem ſacrilegum, cœtuſq; ſui euerſorem à communione ſuſpendant, quod impiè vnus ſubuerterit, omnes reſtaurent.

CAP. XI.

Vt Virginum Monaſteria Monachorum curæ committantur.

DECREVIMVS, vt Monaſteria Virginum Monachorum adminiſtratione gubernentur. Tunc enim ſalubria Chriſto dicatis Virginibus prouidemus, quãdo eis Patres ſpirituales eligimus, quorum non ſolùm gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint. Et tamen circa Monachos cautela ſeruetur, vt remoti ab earum familiaritate maneant. Sed nec Abbati, vel ei qui præficitur, extra eam quæ pręeſt, loqui Virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem morum non pertineat, licebit, nec cum ea ſola, qui pręeſt, frequenter eis loqui oportet: ſed ſub teſtimonio duarum vel trium Sororum, ita vt rara ſit acceſſio, & breuis omnis locutio. Abſit enim, vt Monachos (quod dictu etiam nefas eſt) Chriſti Virginibus familiares eſſe velimus; ſed eos tantùm earumdem gubernaculis deputamus, conſtituentes, vt vnus Monachorũ probatiſſimus eligatur, cuius curæ ſit, prædiis earum ruſticis vel vrbanis intendere, fabricas extruere, &c. vt Chriſti famulæ ſolis diuinis cultibus

bus operibuſque ſanctis inſeruiant. Sanè is qui ab Abbate præponitur, iudicio ſui Epiſcopi comprobetur, &c. Si qui Monachorum contrà fecerint, ſciant, quòd eorum temeritas excommunicationis ſit plectenda cenſurâ.

ANNOTATIO.

DIVVS Leander in libello ſuo de Inſtitutione Virginum, cap. 2. ſic inquit: *Iam quali fuga virum fugias, Soror tu pudicà, ſi tam ſolicitè feminas ſæculi declinabis? Quiſquam vir ſi ſanctus eſt, nullam tecum gerat familiaritatem; nec virili iugitate aut infametur vtriuſque ſanctitas, aut pereat, aut decidat à charitate proximi. Quæ etſi malum nõ agit, opinionis tamen peſſima famam nutrit. Diſpar enim ſexus in vnum locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur. Et naturalis mouetur flamma, ſi quod incendi poſſit, attingitur. Quis colligauit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? Ignis & ſtuppa ſibi vtraque contraria, in vnum redacta, flammas enutriunt. Viri ſexus, & femina, diuerſa: quæ ſi coniunguntur, ad quod Lex natura prouocat, commouentur.*

CAP. XII.

IN iſto Cap. hæreſis cuiuſdam Epiſcopi Acephalorum, abnegantis proprietatem duarum naturarum in Chriſto, & aſſerentis Deitatem paſſibilem, damnatur; & eiuſdem Epiſcopi conuerſio ad fidem deſcribitur.

ANNOTATIO.

DE Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 45. *Eodem tempore & Acephali, quorum Dux Seuerus Antiochenus fuit, vnam Verbi & carnis naturam malè prædicantes.* Et mox: *Acephali autem ob eam cauſam dicti ſunt, quòd ſub Epiſcopis non fuerint. Proinde Epiſcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis, neque Baptiſmus iuxta ſolemnem & receptum Eccleſiæ morem apud eos adminiſtratus, neque oblatio, aut res aliqua diuina facta, miniſteriúmve Eccleſiaſticum, ſicuti mos eſt, celebratum eſt. Communionem verò illi à plurimo tempore aſſeruatam habentes, Feriis Paſchalibus in minutiſſimas inciſam partes conuenientibus ad ſe hominibus dederunt. Quo tempore, quam quiſq; voluiſſet, placitam ſibi ſumebat poteſtatem. Et propterea quòd quilibet, quod ſibi viſum eſſet, fidei inſertum volebat, quamplurima defectorum & hæreticorum turba exorta eſt*, &c. Lege Iſidorum lib. Etymolog. 8. cap. 3.

CAP. XIII.

De duabus in Chriſto naturis, & vna perſona.

TERTIADECIMA proſecutione breuiter narrandum putauimus, ad refutationem eorumdẽ hæreticorum, qui duas naturas Chriſti poſt vnionem delirantes confundunt, & paſſibilem in eo Diuinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in vna perſona Chriſti geminæ naturæ proprietatem oſtendere: paſſionemque eius in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare, vt ſi fortè aliqui ſtultorum huius ſententiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, rectæque fidei veritatem firmiter teneant. Ergo (ſicut immaculata fides & ſancta Dei Eccleſia docet) confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ęternaliter ex Patre Deum natum, temporaliter ex vtero glorioſę Virginis Mariæ hominem editum, & ob hoc in vna perſona duas naturas habentem, Deitatis, qua ante ſæcula genitus eſt; & humanitatis, qua in tempore editus eſt. Cuius geminæ naturæ diſtinctio primùm ex literis Legis, deinde ex Propheticis, & Euangelicis, atque Apoſtolicis depromenda eſt paginis, vt ea quæ aſſerimus, non argumentis, ſed exemplis Scripturarum firmemus. Primò ex illo: *Ecce mitto Angelum meum, qui* Exod. 23.
præcedat te. Obſerua eum, &c. *quia eſt nomen meum in illo.* Hîc diuina demonſtratur natura. Et illud: *In ſemine tuo* Gen. 22.
benedicentur omnes gentes, id eſt in carne Chriſti, quæ de Abrahæ ſtirpe deſcendit. Hîc humana demonſtratur natura. Secundò, in Pſalmis Dauid ſub vna Chriſti perſona ſic oſtendit vtramque naturam; Diuinam, ſecundùm illud: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Huma- Pſal. 109.
nam ibi, *Homo natus eſt in ea.* Rurſus Pſal. 86.
diuinam ibi, *Eructauit cor meum ver-* Pſal. 44.
bum bonum. Humanam ibi, *Speciofus* Ibid.
forma præ filiis hominum. Tertiò, Iſaias ſub vna eademque Chriſti perſona vtramque oſtendit naturam. Deitatis ibi,

ized by Goog

Iſa. 66. ibi, *Numquid qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Humanitatis verò, ſecundùm illud: Iſa. 7. *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium.* Rurſus Deitatis: Iſa. 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Iſa. 6. Humanitatis ibi, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et iterùm humanitatis ibi, *Paruulus natus eſt nobis.* In Euangelio quoque, in vno eodemq; Chriſto diuinæ naturæ ſignificatio: Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Humanæ naturæ inſinuatio ibi, Ioan. 14. *Pater maior me eſt.* Item diuinæ naturæ ibi, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Matth. 26. Humanæ naturæ, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Paulus quoque Apoſtolus in vno eodemque Chriſto naturam Diuinitatis exprimit ibi: Col. 1. *Primogenitus omnis creaturæ, ipſe eſt ante omnes.* Ibid. Humanitatis, cùm dicit: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* De paſſione verò, quam in ſola humanitate, non in Deitate ſuſtinuit, Legis & Prophetarum auctoritas, Euangeliorum & Apoſtolorum prædicatio adhibenda eſt. Lex de paſſione corporis Chriſti ſic dicit: Gen. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Quid hîc pallium, quid ſtola, niſi caro Chriſti, paſſionis ſanguine decorata? & alia multa, quæ ſuperuacaneum eſt referre. Probatur ergo veteris ac noui Teſtamenti teſtimoniis, in quibus duæ naturæ Chriſti patefactæ ſunt, in vna ſubſiſtentes perſona, in quibus & paſſio eius apparuit in homine ſolo expleta. Deinde oportuit ſententias ſubnecti ſanctorum Patrum, qui in Sacris literis ingenti gloria refulſerunt, vt etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex duabus naturis & vna perſona ſubſiſtit, & quia mortem & paſſionem in ſola carne ſuſcepit.

Recenſentur ad hoc Hilarius, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Cyrillus, Athanaſius, Auguſtinus, Leo Papa, Fulgentius: quorum etiam teſtimoniis concluditur quæſtio.

Hæc quidem, quæ tam diuinæ Scripturæ, quàm etiam ſanctorum Patrum Eloquia docuerunt, Decretis noſtris breuiter inſerta protulimus, demonſtrantes geminam carnis & Deitatis naturam in vna Domini & Saluatoris noſtri perſona, paſſum quoque eumdem in ea natura quæ corporis eſt, non tamen paſſum in ea natura quæ Deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus Secretariis definitis, pro confirmatione ſubſcriptionem ſubiecimus. Iſidorus in Chriſti nomine Eccleſiæ Hiſpalenſis Epiſcopus ſubſcripſi. Malacitanus Epiſcopus, Cordubenſis Epiſcopus, & ceteri omnes fecerunt ſimiliter.

CONCIL. RHEMENSE

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE REFORMANDAE *circa annum Domini 630. tempore* HONORII *Papæ celebratum.*

In hac Synodo multa leguntur ANNO DOMINI DC.XXX.
vtilia conſtituta: de rebus ſcilicet Eccleſiæ, qualiter tractandæ ſint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab Eccleſia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vſurpentur, & Eccleſiæ defraudentur. De Clericis, ſi qui rebellionis auſu Sacramentis ſe aut ſcripturæ coniuratione conſtrinxerint, atque inſidias Epiſcopo ſuo callida allegatione confecerint: vt ſi admoniti emendare contempſerint, gradu proprio omnino priuentur. Vt Capitula Canonum Pariſiis acta in Generali Synodo, in Baſilica S. Petri, Lotharij Regis ſtudio congregata, omni firmitate cuſtodiantur. Vt ſi qui hæretici adhuc eſſe ſuſpicantur in Galliis, à Paſtoribus Eccleſiarum perquirantur: & ſi veraciter fuerint inuenti, ad fidem Catholicam reuocentur. Vt temerè nullus excommunicetur: & ſi excommunicatus exiſtimat ſe iniuſtè damnatum, in proxima Synodo habeat licentiam reclamandi: & ſi iniuſtè damnatus fuerit, abſoluatur: ſin autem iuſtè,

iuſtè; impoſitum pœnitentiæ tempus exoluat. Vt ſi quis Iudex cuiuſlibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare præſumpſerit, aut pro quibuſlibet abſque conſcientia & permiſſu Epiſcopi diſtringere, aut contumeliis vel iniuriis afficere præſumpſerit, communione priuetur. Epiſcopus tamen de reputatis conditionibus Clericorum negligentias emendare non tardet. Hi verò, quos publicus cenſus ſpectat, ſine permiſſu Principis, vel Iudicis, ſe ad Religionem ſociare non audeant. Si quis fugitiuum ab Eccleſia abſque ſacramento, quo ei iurandum eſt, vt de vita, tormento, & truncatione ſecurus exeat, qualicumque occaſione abſtraxerit, communione priuetur. Similiter ſi quis ius ſacramenti præſtitum violauerit, communione priuetur. Ille verò qui ſanctæ Eccleſiæ beneficio liberatur à morte, non priùs egrediendi accipiat libertatem, quàm pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi Canonicè imponetur, impleturum. De inceſtis coniunctionibus, ſi quis infra præſcriptum Canonibus gradum inceſtuoſo ordine cum his perſonis, quibus à diuinis regulis prohibetur, ſe coniunxerit, niſi pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, communione priuentur; & neque in Palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habeant. Et quando prædicti ſe inceſtuoſi coniunxerint, Epiſcopi ſeu Presbyteri, in quorum Diœceſi vel pago actum fuerit, Regi vel Iudicibus ſcelus perpetratum annuntient, vt cùm ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione aut cohabitatione ſequeſtrẽt, & res eorum ad proprios parentes perueniant, ſub ea conditione, vt antequam ſequeſtrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem Regiam, ad proprias peruenianr facultates, niſi præfati ſceleris ſeparatione pœnitentiam fateantur. Si quis homicidium ſponte commiſerit & non violentè reſiſtens, ſed vim faciens impetu hoc fecerit, cum iſto penitùs non communicandum: ſic tamen vt ſi pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis Viaticum non negetur. Clerici etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere præſumpſerint; aut id, quod ipſi donauerint Eccleſiis aut Monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut antè Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur. Vt Chriſtiani Iudæis vel Gentilibus non vendantur, & ſi quis Chriſtianorum neceſſitate cogente mancipia ſua Chriſtiana elegerit venumdanda, non aliis niſi tantùm Chriſtianis expendat. Nam ſi Paganis aut Iudæis vendiderit, communione priuetur, & emptio careat firmitate. Iudæi verò ſi Chriſtiana mancipia ad Iudaiſmum vocare præſumpſerint, aut grauibus tormẽtis afflixerint, ipſa mancipia fiſci ditionibus reuocentur: qui tamen Iudæi, ad nullas actiones publicas admittantur. Iudæorum verò conuitia in Chriſtianos penitùs refutanda ſunt. Item ſi Clericus proficiſcens de ciuitate, ad alias ciuitates voluerit aut Prouincias pergere, Pontificis ſui epiſtolis commendetur. Quòd ſi ſine epiſtolis profectus fuerit manifeſtis, nullo modo recipiatur. Item vt Epiſcopus mancipia, vel res ad ius Eccleſiæ pertinentes, neque vendere, neque per quoſcumque contractus, vnde pauperes viuunt, poſt mortem alienare præſumat. Item de his, qui auguria, vel Paganorum ritus inueniuntur imitari, vel cum Paganis ſuperſtitioſos comedunt cibos; quos benigna placuit admonitione ſuaderi, vt ab erroribus priſtinis reuocentur. Quòd ſi neglexerint, & idololatris, vel immolantibus ſe immiſcuerint, pœnitentiæ dignum tempus exſoluant. Item vt ſeruiles perſonæ ad accuſationem non admittantur: & qui perſonam ſuſceperit accuſantis, cùm vnum crimen non probatur, ad alia accuſandum

Y y dum

Digitized by Google

dum non admittatur. Item, ſi quis in quolibet gradu vel cingulo conſtitutus, aut poteſtate ſuffultus, decedente Epiſcopo res cuiuſlibet conditionis in domos vel agros Eccleſiæ poſitas ante reſerationem teſtamenti vel audientiam auſus fuerit occupare, vel Eccleſiæ repagula effringere, & ſupellectilem intra domum Eccleſiæ poſitam contingere vel ſcrutari prȩſumpſerit, à communione Chriſtianorum penitùs abdicetur. Item, ſi quis ingenuum aut libertum ad ſeruitium inclinare voluerit, aut fortaſſe iam fecit, & commonitus ab Epiſcopo, ſe de inquietudine eius reuocare neglexerit, aut emendare noluerit, tamquam calumniæ reum placuit ſequeſtrari. Item, vt Clerici cuiuſlibet Ordinis, neque pro propriis, neque pro Eccleſiaſticis cauſis aliter adire debeant forum, nec cauſas dicere audeant, niſi quas cum permiſſu & conſilio Epiſcopi agere eis fuerit omnino permiſſum. Item, vt in Parochiis nullus laicorum Archipresbyter præponatur: ſed qui ſenior in ipſis eſſe debet, Clericus ordinetur. Item Pontifices, quibus in ſummo Sacerdotio conſtitutis ab extraneis dumtaxat aliquid aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratum, aut dimittitur, aut donatur; quia ille qui donat, pro remedio animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis probatur offerre; non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ inter facultates Eccleſiæ computabunt: quia iuſtum eſt, vt ſicut Sacerdos habet quod Eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & Eccleſia habeat, quod relinquitur Sacerdoti. Sanè quidquid per fideicommiſſum aut Sacerdotis nomini, aut Eccleſiæ fortaſſe dimittitur, cuicumque alij poſtmodum profuturum, id inter facultates ſuas Eccleſia computatum retinere non poterit. Item, ſi quis Epiſcopus res, quæ ab alia Eccleſia præſentaliter poſſidentur, quocumque ingenio aut callida cupiditate peruaſerit, aut ſine audientia præſumpſerit vſurpare, ac ſuis, vel Eccleſiæ ſuæ ditionibus reuocare, dum communione priuari non poteſt, vt necator pauperum ab officio deponatur. Item, ſi quis Epiſcopus, excepto ſi venerit ardua neceſſitas pro redemptione captiuorum, miniſteria ſancta frangere pro qualicumque conditione præſumpſerit, ab officio ceſſabit Eccleſiæ. Item viduas, quæ ſe Domino conſecrari petierunt, vel puellas Domino conſecratas nullus, neque per auctoritatem Regiam, neque qualicumque poteſtate ſuffultus, aut propria temeritate rapere aut trahere audeat. Quòd ſi vtriq; conſenſerint, communione priuentur. Iudices, qui ſuper auctoritate & Edicto Dominico Canonum ſtatuta contemnunt; vel Edictum illud Dominicum, quod *Pariſius factum eſt, violauerint aut contempſerint, placuit eos communione priuari. Item, vt decedente Epiſcopo, in locum eius non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quē vniuerſale & totius populi elegerit votum, ac comprouincialium voluntas aſſenſerit. Aliter qui præſumpſerit, abiiciatur è ſede quā inuaſit potiùs, quàm accepit. Ordinatores autem triennio ab officio adminiſtrationis ſuæ ſedis ceſſare decernimus. *Pariſi

SYNODVS ALEXANDRINA

à CYRO *Monothelita coacta ſub* HONORIO, *anno Domini 633.*

HANC Synodum menſe Maio, anno Domini 633. collegit Cyrus Alexandrinus Epiſcopus: quæ ſub nomine pacis, Monothelitarum hæreſi viam aperuit; eo ſimulato prætextu, quòd hæreticos omnes in Aegypto poſitos, Eccleſiæ Catholicæ iungere poſſet, ſi duarum voluntatum & operationum voces ſilentio ſupprimeret: ſatis eſſe dicens, ſi in Chriſto tantùm Deiuirilis voluntas & operatio diceretur, ex qua duarum naturarum in Chriſto exacta profeſſio ederetur, eò quòd, etſi non voces, res ipſæ tamen expreſſæ haberentur. Hac itaque de cauſa ANNO DOMINI DCXXXIII.

edidit

edidit Synodale Decretum, quod SATISFACTIO inſcribitur, in quo nouem ſunt Capita, quibus non quidem apertè, ſed tantùm callidè & latenter Monothelitarum hæreſis confirmabatur. Acta Concilij vnà cum Synodali epiſtola, quæ ſimul extant Act. 13. Sextæ Synodi, ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum tranſmiſerunt. Sophronius Ieroſolymorum Epiſcopus de his Conſtitutionibus certior factus, ad eumdem Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum non ſolùm ſcripſit, vt illud de vnica operatione Capitulum huius Synodi deleretur; verùm etiam ipſe (vt teſtatur Sergius in epiſtola ad Honorium Papam) hac de cauſa ad eumdem Sergium Conſtantinopolim profectus fuit: metuebat enim id, quod exitus poſteà declarauit, ne hæc ad deſtructionem Catholicæ veritatis hæretici molirentur. Verùm dum fraudulento relatu Sergij, hæreſim ſuam hoc tempore adhuc occultantis, Sophronius Præſul Ieroſolymitanæ vrbis ſanctiſſimus audiuit, rem bona fide & intentione pacis ineundæ agi, duaſque naturas in Chriſto inconfuſè & indiuiſè vnitas aſſeri, ſuſpicione fraudis ſepoſita, Sergio de vna aut duabus naturis ad tempus ſilendum eſſe ſuadenti (vt fatetur ipſe in epiſtola ad Honorium) conſenſit. Vide Baronium anno 633.

CONC. TOLETANVM IV.

ſeptuaginta Epiſcoporum, Æra 671. ſub HONORIO, *anno Domini 633. celebratum.*

ANNO DOMINI DC.XXXIII. CVM conueniſſemus Sacerdotes Domini apud vrbem Toletanam, vt, Regis imperiis atque iuſſis commoniti, à nobis agitaretur de quibuſdam Eccleſiæ diſciplinis tractatus, primùm gratias Saluatori noſtro Deo omnipotenti egimus. Poſt hæc antefato miniſtro excellentiſſimo, & glorioſo Regi, cuius tanta erga Deum deuotio extat, vt non ſolùm in rebus humanis, ſed etiam in cauſis diuinis ſolicitus maneat. Hic quippe dum in Baſilica beatiſſimę & ſanctæ martyris Leocadiæ omnium noſtrûm pariter iam cœtus adeſſet, pro merito fidei ſuæ cũ magnificentiſsimis & nobiliſsimis viris ingreſſus, primùm coram Sacerdotibus Dei humi proſtratus, cum lacrymis & gemitibus pro ſe interueniendum Domino poſtulauit. Deinde religioſa proſecutione Synodũ exhortatus eſt, vt paternorum decretorum memores, ad conſeruanda in nobis Iura Eccleſiaſtica ſtudium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in vſum venerunt, contra Eccleſiaſticos mores licentiam ſibi de vſurpatione fecerunt. Talibus eius monitis congaudentes, neceſſarium extitit (iuxta eius noſtrumq; votum) quæ conueniunt tractare. Et quoniam Generale Concilium agimus, oportet primùm noſtræ vocis ſermonem de cælo eſſe, vt poſt profeſſionem fidei ſequentia operis noſtri vota quaſi ſuper fundamentum firmiſsimum diſponantur.

CANON I.

De oratione & fidei confeſſione.

IN iſto primo Canone pronuntiatur publicè generalis profeſſio omnium pertinentium ad fidem per formam Symboli: ſpecialiterque explicatur illud Symboli, Deſcendit ad inferos, vt ſanctos qui ibi tenebantur, erueret: per quem & nos ſumus in nouiſſimo die reſuſcitandi in ea qua nunc viuimus carne, & in ea qua reſurrexit idem Dominus forma, percepturi ab ipſo, alij pro iuſtitiæ meritis vitam æternam, alij pro peccatis ſupplicium ęternum. Quæ omnia in aliis Symbolis explicitè non tradita ſunt.

ANNOTATIO I.

IN hoc primo Canone habentur hæc verba, *Suſcipiens hominem*: quæ licet ſit phraſis Patrum, Scholaſtica tamen Theologia propter hæreſes meritò eam non recipit, quin potiùs hac vtitur, *Suſcepit humanitatem*. Priorem dicendi formulam vſurpat Auguſtinus lib. 83. QQ. quæſt. 9. & de Fide

& Symbolo, cap. 4. & Ambroſius libro 5. de Fide, cap. 5. Origenes in Matth. 13. Hieronymus ad Galat. Gregorius Nyſſenus in Sermone Natalis Domini, Hilarius lib. 9. de Trinit. & Concilium Toletanum VI. c. 1. & D. Thomas 3. part. quæſt. 4. art. 3. ad princip. affirmat, hanc locutionem nõ eſſe tamquam propriam extendendam, ſed piè exponendam, vt dicamus, hominem ſuſceptum, quia eius natura eſt aſſumpta; & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt Filius Dei ſit homo. Concilio Toletano VI. cap. 1. dicitur hominem aſſumpſiſſe.

ANNOTATIO II.

IN hoc etiam Canone determinatur de deſcenſu Chriſti ad inferos, & ponitur eius vera intelligẽtia. Si dicas, quòd in Concilio Nicæno, ſeu Conſtantinopolitano, non ſit mentio de deſcenſu Chriſti ad inferos; Reſpondeo, quòd tunc non erat de hoc aliqua difficultas, & Patres illi ſolùm declararunt, quæ tunc controuertebantur. Et quantum ad veritatem, ſufficit quòd id ponatur in Symbolo Apoſtolorum.

CANON II.

Diuerſitas in his quæ ad religionem pertinent, prohibetur.

PLACVIT, vt vnus ordo orandi atque pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliciam conſeruetur. Vnus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, vnus in Veſpertinis officiis, nec diuerſa ſit vltrà in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia in vna fide continemur & Regno.

ANNOTATIO.

VT Concilium Venetum ſtatuit ſub Leone I. cap. 15. & Bracarenſe I. anno tertio Ariamiri Regis, cap. 1. & Epaunenſe, ſub Gelaſio I. cap. 4. & Concilium Gerundenſe, ſub Hormiſda, cap. 1. Atque hæc quidem ſunt antiqua Patrum decreta, quibus præſcribitur, vt vnus pſallendi & orandi ordo ſeruetur in Miſſarum ſolemnibus, & Veſpertinis & Matutinis officiis. Idem etiam poſteà ſtatutũ eſt in Concilio Toletano XI. cap. 3. vt is ordo vbique ſeruetur, qui in Metropolitana Eccleſia noſcitur inſtitutus. Demum in Tridentino Concilio Catechiſmũ, Miſſale, & Breuiarium fieri decretum eſt, quibus vniuerſalis Eccleſia vteretur. Quod à ſancto Pontifice Pio V. confectum, magna Chriſtiani populi vnitate obſeruatur. Sunt qui affirment, curam in hoc Concilio S. Iſidoro Hiſpalenſi huius rei traditam (vtpote qui primas partes in hoc Concilio tenuit) vt Miſſale & Breuiarium reformatum ex more Gothico omnibus Eccleſiis vtendum cõficeret, quod nunc dicitur Mozarabe; eò quòd hanc ſacrorum formam poſteà Chriſtiani inter Arabes in captiuitate miſerabili preſſi, religiosè ſeruauerint: ipſi Mixtarabi, Officium Eccleſiaſticum Mixtarabum appellatum.

CANON III.

Statuitur formula pro Conciliis celebrãdis.

STATVIMVS vt ſaltem ſemel in anno à nobis Concilium celebretur, ita tamen, vt ſi fidei cauſa eſt, aut quælibet alia Eccleſiæ communis, generalis Hiſpaniæ & Galliciæ Synodus celebretur. Si verò talis non extiterit cauſa, ſpeciale erit Conciliũ. Omnes autem, qui cauſas aduerſus quoſcumque habere noſcuntur, ad idem Conciliũ concurrant, & pro compellendis quibuſcumq; perſonis quidam executor à Principe poſtuletur, &c. Deinde annotatur modus obſeruandus in Concilio celebrando, & in tractandis rebus Synodalibus.

ANNOTATIO.

ANTIQVVM Apoſtolorum decretum fuit, vt bis in anno Concilia haberentur, Can. 38. Idem Concilium Nicænum ſancit, & Hormiſda Papa in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniẹ, cap. 3. & Zacharias ep. 4. & Aurelianenſe Concilium III. cap. 1. & IV. cap. 36. Poſteà decretum fuit, vt ſemel in anno congregarentur, vt in Concilio Toletano III. cap. 18. Idem Gregorius Magnus ad Epiſcopos Siciliæ. Poſteà iterùm idipſum temperatum, vt tertio quoque anno cogerentur Concilia Prouincialia. Sic in Concilio Matiſconenſi II. c. 20. & Lateranenſi III. ſeſſ. 10. & Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. c. 2. Tempus verò congregationi aptum decernitur Autumnale, vt liquet ex III. Concilio Toletano, cap. 18. Vernale, vt hîc: vel poſt Octauam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti; ſeu alio deniq; commodiore tempore fieri id conceditur, pro more cuiuſque Prouinciæ.

CANON IV.

De ſolemnitate Paſchali.

PLACVIT, vt ante tres menſes Epiphaniarum, Metropolitani Sacerdotes literis ſe inuicẽ inquirant, vt diem Reſur-

Digitized by Google

Reſurrectionis Chriſti comprouincialibus ſuis inſinuent, & vno tempore celebrandum annuntient.

CANON V.

De Baptiſmi Sacramento.

(Lib. 1. Regiſtri, epiſt. 41. De Cóſec. diſt. 4. De trina merſione.) IN iſto Canone docetur, quòd in vſu Baptiſmi teneatur modus ille, quem Gregorius Primus, conſultus à Leandro Epiſcopo Hiſpano, definiuit; ſcilicet, vt ſiue trina ſiue ſimpla merſione fuerit infans baptizatus, cenſeatur baptizatus: quia in illa trina merſione, triduanæ ſepulturæ ſacraměta ſignificamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimitur, etiam & Trinitas deſignatur; in ſimpla verò merſione vnitas ſubſtan- (De Cóſec. d. 4. Papa vtandum.) tiæ in Trinitate datur intelligi. Ne tamen hæreticis videamur conſentire, (qui tertiò mergunt) dum eorum morem ſeruamus; cautum eſt, ne in Hiſpania fiat Baptiſmus niſi in vna merſione. In reſiduo Capituli declaratur pulchrè myſterium, quare in vna merſione debeat fieri Baptiſmus.

CANON VI.

Vt paſſio Chriſti populis prædicetur.

STATVIMVS in ſexta Feria Paſsionis Domini, myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis annuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum præſtolari, vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabile feſtum Dominicæ Reſurrectionis, remiſsis iniquitatibus ſuſcipere mereamur, Corporiſque eius & Sanguinis Sacramentum mundi à peccato ſumamus.

CANON VII.

In die paſſionis Chriſti ieiunium ſolui non debet.

QVICVMQVE in die paſsionis Domini ieiunium, præter paruulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces ſoluerit, à Paſchali gaudio depellatur, nec in eo Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Paſsionis per abſtinentiam non honorauit.

CANON VIII.

De benedicendo cereo & lucerna in Vigiliis Paſchæ.

LVCERNA & cereus in Vigilia ſacræ Reſurrectionis, propter glorioſum noctis ipſius ſacramentum, ſolemniter benedicatur, vt ſacræ Reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore huius noctis votiuè aduenit, benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus.

ANNOTATIO.

IN cerei nouique luminis benedictione Theodorus Papa 73. ſub Petro, & D. Ambroſius, diuus etiam Auguſtinus, & Petrus Diaconus Caſſinenſis, elaborarunt. Eam autem, qua nunc Romana Eccleſia vtitur, à D. Gregorio Magno compoſitam, muſiciſque tonis ornatam ferunt.

CANON IX.

De efficacia Orationis Dominicæ.

NONNVLLI Sacerdotum in Hiſpania reperiuntur, qui Dominicam Orationem, quam Saluator noſter docuit & præcepit, non quotidie, ſed tantùm die Dominica dicunt. Attamen, quia quotidiana Oratio eſt, quotidie quoque vt detur, dici oportet. Delet enim hæc quotidiana Oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa, à quibus vita fidelium (etiam ſceleratè geſta) pœnitendo in melius diſcedit mutata. Quiſquis ergo Sacerdotum, vel ſubiacentium Clericorum hanc Orationem quotidie, aut in publico, aut in priuato Officio præterierit, Ordinis ſui honore priuetur. Pro confirmatione huius Canonis adducitur Cyprianus in Sermone de Oratione Dominica, Hilarius, & Auguſtinus in libro Enchiridij, vltra medium.

CANON X.

In quo tempore Alleluia *decantari debeat.*

STATVIMVS, vt omnibus diebus Quadrageſimæ *Alleluia* non cantetur, quia tempus mœroris eſt. In temporibus verò reliquis, id eſt, Kalendis Ianuarij, quæ propter errorem Gentilium aguntur, omnino *Alleluia* non decan-

cantabitur. In quibus etiam, præter piſcem & olus, ſicut & in illis quadraginta diebus, ceteris carnibus abſtinetur, & à quibus etiam nec vinum bibitur. Si quis ergo Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus contrà fecerit, Ordinis ſui officio carere cogatur, & communione eiuſdem Paſchæ priuetur.

CANON XI.

Vt poſt Euangelium decantentur laudes.

ITEM decreuimus, vt in Miſſa laudes poſt Epiſtolam non decãtentur, donec prædicetur Euangelium. Nam laudes ideò Euangelium ſequuntur, propter gloriam Chriſti, quæ per idem Euangelium prædicatur. Qui verò hunc ordinem perturbauerint, excommunicationis pœnam ſuſcipiant.

CANON XII.

De Hymnis canendis.

De Cõſec. diſt. 1. De Hymnis. DE Hymnis & Pſalmis etiam canendis publicè in Eccleſia, & Saluatoris & Apoſtolorum habemus exẽplum: *Et hymno dicto*, &c. Paulus hoc etiam docet: *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis*, &c. Et quia nulli Hymni humano ſtudio in laudem Dei compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi quos Hilarius & Ambroſius ediderunt, quos tamẽ quidam ſpecialiter reprobant, pro eo quòd de Scripturis ſanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt. Reſpuant ergo illum Hymnum ab hominibus compoſitum, quem in fine omnium Pſalmorum dicimus, *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, &c. Similiter & totum illud quod ſequitur poſt Angelicum Hymnum, *Gloria in excelſis Deo*, &c. quod tamen Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo nec ipſi in Eccleſiis canendi ſunt, quia in ſanctarum Scripturarum libris non inueniuntur? Componuntur Miſſæ, ſiue Preces, vel Orationes, ſiue Cõmendationes, ſeu manus impoſitiones; ex quibus ſi nulla decantentur in Eccleſia, vacant omnia Officia Eccleſiaſtica. Admonet enim hæc fieri atque hortatur Apoſtolus Timotheum dicens: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Excommunicatione ergo plectendi ſunt, qui Hymnos reiicere fuerint auſi.

Matth. 16. Epheſ. 5. 1. Tim. 2.

CANON XIII.

De Hymno trium puerorum.

HYMNVM quoq; trium puerorum, in quo vniuerſa cæli & terrę creatura Deum collaudat, & quem Eccleſia tota Catholica per totum orbem diffuſa celebrat, publicè ſanctum Concilium decantari inſtituit.

CANON XIV.

Quid in fine Pſalmorum dicendum.

STATVIMVS, vt in fine Pſalmorum non *Gloria Patri*, ſed *Gloria & honor Patri* dicatur, Dauid dicente, *Afferte Domino gloriam & honorem.* & Ioannes Euangeliſta audiuit vocem dicentem, *Honor & gloria Deo noſtro*, &c. Qui verò hoc prætererit, excommunicetur. Pſal. 28. Apoc. 5.

ANNOTATIO.

DE verſu illo, *Gloria Patri, & Filio*, &c. ſuprà diximus. Verùm ſunt qui dicant à Flauiano Antiocheno, adiutore Chryſoſtomo, compoſitum, vt Nicephorus lib. 9. c. 24. & 18. c. 51. & aliter à Catholicis Grecis in fine Pſalmorum decantari, aliter ab Arianis; Sozomenus lib. 3. cap. 20. Theodoretus lib. 2. cap. 24. Nicephorus 9. cap. 24. Poſteà conſilio Hieronymi in Eccleſia Latina additum finibus Pſalmorum à Damaſo, ipſe refert in epiſtola ad Damaſum. Et hic mos Romanus præualuit in Eccleſia, & ita non *Gloria & honor*, ſed *Gloria Patri* dicitur.

CANON XV.

De diſcretione Gloriæ in fine Reſponſoriorũ.

STATVIMVS, vt Gloria in fine Reſponſoriorum in lætis ſequatur: in triſtioribus verò repetatur principium.

CANON XVI.

De libro Apocalypſeos.

APOCALYPSIM librum multorum Conciliorum auctoritas, & Synodica ſanctorum Præſulum Romanorum Decreta Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter Diuinos libros recipiendum conſtituerunt. Et quia plurimi

rimi

Digitized by Google

rimi ſunt qui eius auctoritatem non recipiunt, eumque in Eccleſia Dei prædicare contemnunt; ſi quis eum deinceps aut non receperit, aut à Paſcha vſque ad Pentecoſten Miſſarum tempore in Eccleſia non prædicauerit, excommunicationis ſententiam habebit.

CANON XVII.

Quo loco & tempore communicandum.

NONNVLLI Sacerdotes poſt dictam Orationem Dominicam ſtatim communicant, quod deinceps interdicimus; ſed data benedictione ad populum, tunc Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum ſumatur, eo videlicet ordine, vt Sacerdotes & Leuitæ ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus.

CANON XVIII.

A quibus debet eſſe immunis, qui in Epiſcopum ordinatur.

Diſt. 51. Qui in aliquo crimine. IN iſto Canone notantur qui ſunt indigni ad honorem Sacerdotij, quos Ius nunc vocat irregulares. Inter quos etiam recenſentur & iſti, qui muneribus honorem obtinere moliuntur. Qui à deceſſoribus in Sacerdotium eliguntur. Qui inſcij literarum ſunt. Qui nondum ad 30. annos peruenerunt. Qui nec à Clero nec à populo propriæ ciuitatis electi ſunt. Qui verò probatus inuentus fuerit, ab vniuerſis comprouincialibus Epiſcopis, aut certè à tribus in Sacerdotem die Dominica conſecrabitur. Epiſcopus verò comprouincialis ibi conſecrandus eſt, vbi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem non niſi in ciuitate Metropoli, comprouincialibus ibi conuenientibus. Si quis autem ad gradum Sacerdotij indignus aſpirare contenderit, cum Ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubiacebit.

CANON XIX.

Quo tempore in veteri Lege Leuitæ ordinabantur.

D. 77. In veteri Lege. DECREVIMVS, vt 25. annorum ætatis Leuitæ conſecrentur, & 30. Presbyteri ordinentur, ita vt ſecundùm præceptum Apoſtolicum probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Quoniam & in veteri Lege ab anno 25. Leuitæ in Tabernaculo ſeruire mandantur.

CANON XX.

De Sacerdotibus, quales eſſe debeant.

QVICVMQVE in Sacerdotio Dei poſiti ſunt, irreprehenſibiles eſſe debent, Paulo atteſtante: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* 1. Tim. 3. Inoffenſos ergo & immaculatos decet Dei exiſtere Sacerdotes: nec vllius eos fornicationis contagio pollui. Abſtineamus ergo nos ab omni opere malo, vt mundi corpore, purgati mente, poſſimus ad Sacrificium Chriſti digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

CANON XXI.

De eiſdem.

QVAMVIS conſcientiā puram apud Deum nos habere oporteat, tamen apud homines famam optimam cuſtodire oportet. Ideò conuenit Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum conuerſationis & vitæ in conclaui ſuo habere: vt & Deo placeant per conuerſationem bonam, & Eccleſiæ per optimam famam.

CANON XXII.

De Presbyteris & Leuitis.

ITEM placuit, vt quemadmodum Antiſtites, ita Presbyteri atque Leuitæ, quos fortè infirmitas atque ætatis grauitas in conclaui ſuo manere non ſinit, vt & ijdem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita meritis teneant.

ANNOTATIO.

CLERICOS ſelectos ad ſanctiorem vitam aſpirantes, ab Epiſcopo aſſumptos, manere cum eo in clauſura, paupertate, & Præpoſitorum obedientia, & ad teſtimonium vitæ Epiſcopi, conſtat ex Concilio Toletano II. cap. 1. & ex Auguſtino in Serm. 22. de Communi vita Clericorum; & Serm. 36. ad Presbyteros. Inde ortum habuit Canonicorũ ordo & regula in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis. Poſſidonius in Vita D. Auguſtini refert, communi menſa in conclaui, cum

Digitized by Google

cum Preſbyteris & Clericis vti ſolitum Auguſtinum.

CANON XXIII.

Quòd adoleſcentes probatiſſimo ſeniori deputentur.

12. qu. 1. Omnis ætas. Gen. 6. Prou. 30. OMNIS ætas ab adoleſcentia prona eſt in malum. Nihil enim incertius, quàm vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituere oportuit, vt ſi qui in Choro impuberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ, & teſtem vitæ habeant.

ANNOTATIO.

INSTITVTIONEM huius Seminarij Clericorum primùm ortam inuenio in Concilio Toletano II. deinde in Conſtitut. Alexandri IV. & in Primo Lateranenſi, c. 11. demum in exactam formam redegit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 18.

CANON XXIV.

Quòd Sacerdotibus maximè ignorantia vitanda eſt.

Diſt. 38. Ignorantia. IGNORANTIA mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei euitanda eſt, qui docendi officium in populo Dei ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas Scripturas frequenter admonet Paulus, dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, &c. Sciant ergo Sacerdotes Scripturas ſanctas, & Canones meditentur; omne opus eorum in prædicatione diuina & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quàm operum diſciplina.

1. Tim. 4.

CANON XXV.

Libellum officialem Preſbyteri, cùm ordinantur, ab Epiſcopo accipiant.

Diſt. 38. Quando Preſbyteri. QVANDO Preſbyteri in Parochiis ordinantur, Libellum officialem à ſuo Sacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedãt, ne per ignorantiam etiam in ipſis diuinis Sacramentis Chriſtum offendant: ita vt quando vel ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Epiſcopo ſuo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrent, vel baptizent.

ANNOTATIO.

NOMINE Libelli officialis intelligitur Sacramentorum Manuale: in quo etiam Decreta Patrum de Sacramentorum vſu & ritibus contineri, apparet ex Concilio Moguntino, cap. 22. vbi de Libro Officiorum fit mentio, & duæ Regulæ ex eo de Clericis vagis adducuntur: Concilio Toletano VIII. vocatur Supplementum.

CANON XXVI.

De caſtitate ſeruanda, tempore ſuæ Ordinationis Presbyteri & Diaconi votum emittant.

QVANDO Presbyteri aut Diaconi per Parochias cõſtituuntur, oportet eos primùm profeſſionem ſuo Epiſcopo facere, vt caſtè & purè viuant ſub Dei timore; vt dum eos talis profeſſio obligauerit, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

CANON XXVII.

Presbyteri iniuſtè depoſiti in priſtinum reſtituantur.

EPISCOPVS, Presbyter, aut Diaconus à gradu ſuo iniuſtè deiectus, ſi in ſancta Synodo innocens inueniatur, gradus amiſſos recipiat coram Altari de manibus Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, Orarium, Annulum, & Baculum: ſi Presbyter, Orarium & Planetam: ſi Diaconus, Orarium & Albam: ſi Subdiaconus, Patenam & Calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparatione ſua recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperunt.

ANNOTATIO.

ORARII meminit S. Ambroſius in Orat. de Obitu fratris Satyri. Orarium dicitur ſtola oraria apud Burchar. lib. 6. cap. Presbyter: & in ſiniſtro humero à Leuita geſtandum ex decreto Silueſtri Papæ, & in Concilio Romano ab eodem coacto, cap. 6. & infrà in hoc Concilio, cap. 39. dicitur, quòd non debet Leuita illud geſtare coloribus aut auro ornatum. Non erat autem vna eadémque

Digitized by Google

que ratio geſtandi Orarium Diacono & Subdiacono conceſſa, vt ex Bracarenſi I. patet, cap. 9. *Orarium*, inquit, *habeat Subdiaconus, & Diaconus: ſed Diaconus infra tunicam abſconſum habeat Orarium: Subdiaconus ſuperpoſito ſcapulæ vtatur Orario.* De eo vide VValdenſem lib. de Sacram. tit. 4. cap. 29. & Hugonem lib. 2. cap. 10. quartæ Partis de Sacramentis. In Concilio Aurelianenſi I. c. 21. dicitur: *Monacho Orarium in Monaſterio, vel zonas habere non liceat.* Erat verò Orarium ſolummodò his perſonis conceſſum, quibus prædicandi munus eſt delegatum: vnde c. 39. infrà dicitur: *Orarium oportet Leuitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quòd orat, id eſt prædicat.* Beda verò in Collect. cap. De ſeptem ordinibus, Orarium dicit ab oratione appellatum. *Benè etiam*, inquit, *orationibus conuenit Orarium, conueniens veſtimentum officio.*

CANON XXVIII.

Clericus ſortilegos conſulens, honore priuetur.

26. q. 5. Si quis Epiſcopus. SI QVIS Epiſcopus, aut Presbyter, aut quilibet de Ordinibus Clericorum magos, aut aruſpices, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes, conſuluiſſe fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, Monaſterij cenſuram excipiat: ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegi ſoluat.

ANNOTATIO.

CONCILIVM Ancyranum II. c. 23. idem diſcernit, & eamdem pœnam ſtatuit. Agathenſe cap. 42. prohibet, ne fiant ſub nomine fictæ religionis, Sanctorum ſortes, aut ſcripturarum inſpectio, vt inde futura promittantur. Fiebant autem ſortes Sanctorum de ligno, aut pane, vt conſtat ex Antiſiodorenſi, cap. 4. & Aurelianenſi I. c. 32. in Concilio Lateranẽſi III. ſub Leone X. huius pœna eſt temperata, relictaque Ordinarij arbitrio.

CANON XXIX.

De Sacerdotibus ad gentem extraneam nuntios mittentibus.

CONFINITIMI hoſtium Sacerdotes nullum mandatum ad gentem extraneam occultè accipere vel dirigere præſumant.

CANON XXX.

Sacerdos non ſit Iudex, vbi ſanguinis ſententia præparatur.

SI QVIS Sacerdotum, vbi ſanguinis ſententia præparatur, Iudex extiterit, reus effuſi ſanguinis ſit apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum.

CANON XXXI.

Ne pauperes à potentibus opprimantur, Epiſcopis cura imponitur.

EPISCOPI (quibus hæc cura à Deo impoſita eſt) dum conſpiciunt Iudices ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos Sacerdotali admonitione redarguant: & ſi contempſerint emendari, eorum inſolentiam Regis auribus intiment, vt quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad iuſtitiam, regalis poteſtas ab improbitate coërceat. Si quis Epiſcoporum id neglexerit, Concilij erit reus.

CANON XXXII.

Epiſcopi nihil de iure ſuæ Diœceſis præſumant auferre.

AVARITIA radix eſt cunctorum malorum: cuius ſitis etiam Sacerdotum mentes obtinet. Ideò conſtitu- 16. q. 1. Conſtitutum. tum eſt à præſenti Concilio, Epiſcopos Diœceſes ſuas ita regere, vt nihil ex earum iure præſumant auferre: ſed iuxta priorum auctoritatem Conciliorũ tam de oblationibus, quàm decimis, tributis, ac frugibus tertiam conſequantur, vt conceſſa à fidelibus in Chriſti & Martyrum honorem, ipſorum Epiſcoporum Parochiis intacta maneant. No- 10. q. 1. Nouerint. uerint tamen conditores Baſilicarum, in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed iuxta Canonum inſtituta, ſicut Eccleſia, ita & dos eius ad ordinationem Epiſcopi pertineat.

CANON XXXIII.

Tricennalis poſſeſſio ſeruari debet.

QVICVMQVE Epiſcopus alterius E- 16. q. 3. Quicũque Epiſcopus. piſcopi Diœceſim per triginta annos ſine aliqua interpellatione poſſederit, admittenda non eſt contra eum actio

actio repoſcendi. Sed hoc intra vnam Prouinciam; extra verò, nullo modo: ne dum Diœceſis defenditur, Prouinciarum termini confundantur.

CANON XXXIV.

Territorij poſſeſſio conuentum non adimit.

16.q.3. Sicut Diœceſim. SICVT Diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit, ita territorij poſſeſſio conuentum non adimit.

CANON XXXV.

Inualitudine grauatus Epiſcopus, viſitationis officium aliis committat.

10.q.1. Epiſcopũ per. EPISCOPVM per cunctas Diœceſes Parochiaſq; ſuas per ſingulos annos ire oportet, vt exquirat, quo vnaquæque Baſilica in reparatione ſui indigeat. Quòd ſi ipſe aut languore aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiuerit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui & redditus Baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

CANON XXXVI.

Exoluat Prælatus quod in remunerationem obſequij Eccleſiæ impenſi alicui promiſit.

12.q.2. Quicumque. QVICVMQVE ſuffragio cuiuſlibet aliquid Eccleſiaſticæ vtilitatis prouiderint, & pro eo quodcumque commodum in remunerationem promiſerint, promiſſi ſolutionem eos exoluere oportebit.

CANON XXXVII.

Fundatores Eccleſiarum ſi ad inopiam deuenerint, ab eiſdem alimenta accipiant.

QVICVMQVE fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid deuotione propria contulerint, ſi fortè ipſi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ (pro temporis vſu) percipiant. Si enim omnibus aliis neceſſitatem ſuſtinentibus (pro ſolo religionis intuitu) in vſum res Eccleſiæ largiuntur; quantò magis conſulendum eſt, quibus retributio iuſta debetur?

CANON XXXVIII. eſt Canon 7. Sextæ Synodi, quem vide in Concilio Quiniſexto.

CANON XXXIX.

Leuita vnum tantùm humerorum ambiat Orario.

VNVM Orarium oportet Leuitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quòd orat, id eſt prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditiùs ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat. Caueant ergo Leuitæ gemino vti Orario, ſed vno tantùm, & puro, nec vllis coloribus aut auro ornato. Diſt. 25. Vnum orarium.

CANON XL.

Clerici tonſuram deferant.

OMNES Clerici vel Lectores, ſicut Leuitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperiùs capite toto, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut huc-uſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis (vt laici) comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis hucuſque hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur. Qui ſecùs fecerit, fidei Catholicæ reus erit.

ANNOTATIO.

PRIMVS tonſuræ modum decreuit Anicetus Papa in epiſtola Decretali ad Epiſcopos Galliæ, *Comam*, inquit, *Clerici non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Habetur diſt. 23. cap. Prohibet. & Concilio Carthaginenſi IV. cap. 44. Iſidorus lib. de Eccleſ. Offic. 2. cap. 4. tonſuram ortum habuiſſe à Nazaræis, & huius exempli vſum ab Apoſtolis in Eccleſiam introductum, auctor eſt. Quod etiam Conc. Aquiſgranenſe c. 1. probat. Aduerte, in Galleçia laicos vti ſolitos prolixis comis. D. Hieronymus (& habetur 12. q. 1. c. Duo ſunt.) ſic inquit: *Coronam* (loquitur de Clericis) *habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum Regni, quod in Chriſto expectatur: raſio verò capitis, eſt temporalium omniũ depoſitio.*

CANON XLI. & XLII. idem continent, quod & Canon 5. Sextæ Synodi, quem vide in Concilio Quiniſexto.

CANON XLIII.

De Clericis qui ſine conſultu Epiſcopi ſui vxores duxerint.

CLERICI, qui ſine conſultu Epiſcopi ſui vxores duxerint, ſepa- Diſt. 32. Quidam Clerici.

tari

rari eos à proprio Epiſcopo oportebit.

CANON XLIV.

Clerici voluntariè arma ſumentes, puniantur.

23.qu.8. Clerici. CLERICI, qui in quacumque factione arma volentes ſumpſerunt, amiſſo Ordinis ſui gradu, in Monaſterio pœnitentiæ tradantur.

CANON XLV.

Clerici ſepulchra non demoliantur.

SI QVIS Clericus in demoliendis ſepulchris fuerit deprehenſus, à Clericatus ordine ſubmoueatur, & pœnitentiæ triennio deputetur.

CANON XLVI.

De libertate Clericorum.

PRAECIPIENTE domino noſtro Siſſebuta Rege, id conſtituit ſanctum Concilium, vt omnes ingenui Clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo ſeruiant.

CANON XLVII. eſt Canon 25. Concilij Chalcedonenſis.

CANON XLVIII.

Paterna deuotio Monachum facit, ſicut propria Profeſſio.

22.qu.1. Monachũ. De hoc vide inf. in Concilio VVormat. cap.5. MONACHVM aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi recludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus.

CANON XLIX.

Liberum ſit Clericis monaſticam profiteri vitam.

CLERICI, qui Monachorum propoſitum appetunt (quia meliorem vitam ſequi cupiunt) liberos eis ab Epiſcopo in Monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.

CANON L.

Quale ius Epiſcopi in Monaſteriis habeant.

NVNTIATVM eſt præſenti Concilio, quòd Monachi Epiſcopali imperio ſeruili opere mancipentur, & iura Monaſteriorum illicita præſumptione vſurpentur: ita vt pænè ex Cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſeruitutemque perueniat. Quapropter monemus eos qui Eccleſiis præſunt, vt vltrà talia non præſumant. Sed hoc tantùm ſibi in Monaſteriis vindicent Sacerdotes, Abbates aliaque Officia inſtituere, atque extra Regulam facta corrigere. Qui contrà fecerit, excommunicetur. 18.qu.2. Hoc tantùm.

CANON LI.

De Monachis à Monaſterio egredientibus.

NONNVLLI Monachorum egredientes à Monaſterio non ſolùm ad ſeculum reuertuntur, ſed etiam vxores accipiunt. Igitur reuocati in eodem Monaſterio à quo exierant, pœnitentiæ deputentur.

CANON LII.

Seipſos infamiâ notantes, ad Clerum peruenire non poſſunt.

HI, qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta crimina confitentes, ſed tantùm ſe peccatores eſſe prædicantes, huiuſmodi ſi reualuerint, poſſunt etiam per morum probitatem ad gradus Eccleſiaſticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum ſe perpetraſſe publicè fateantur, ad Clerum vel honores Eccleſiaſticos peruenire nullatenus poterunt, quia ſe confeſſione propria notauerunt.

CANON LIII.

Pœnitentiæ ſtatum qui ſemel acceperint, mutare non poſſunt.

QVICVMQVE ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus præuaricantes laici effecti ſunt, ab Epiſcopo ſuo ad pœnitentiam reuocentur. Quòd ſi aliqui admoniti, ad pœnitentiam reuerti noluerint; vt verè apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententia condemnentur. Hoc etiam totum ſeruetur in Religioſis: etiam in viduis, virginibuſque ſacris ac pœnitentibus feminis, quæ habitum Reli-

Digitized by Google

Religionis mutauerunt, aut ad nuptias tranſierunt.

CANON LIV.

In Canone LIV. idem habetur, quod de viduis in præcedenti dictum eſt.

ANNOTATIO.

De viduis Iſidorus agit lib. 2. Offic. De velo viduarum Sanctimonialium, diuerſa tradidere antiqui Patres, pro temporum varietate. Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam, cap. 15. docuit, viduas non eſſe velandas: & fuſiùs c. 23. propter periculum incontinentiæ. Idem in Epaunenſi Concilio ſub Gelaſio, cap. 21. vbi viduæ conſecratæ Diaconiſſæ vocantur. In Secunda Synodo Turonica extat Decretum De virginum & viduarum profeſſione & cælibatu, ex Decreto Innocentij Papæ ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem. Idem ſtatuitur Concilio Tribunenſi, ſub Arnulpho Imperatore, cap. 25. vbi cauetur, ſi vidua ſpontè velamen, quamuis non conſecratum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, ſanctimoniæ habitum vlteriùs habere debere. Aliis Decretis cauetur, ne citò velentur viduæ iuuenes, vt in Turonenſi Synodo ſub Carolo Magno, cap. 27. & Concilio Moguntino II. cap. 26. & VVormatienſi, cap. 21. ibi poſt probationem conceditur velum. Inde exiſtimo, viduas ſæculares Hiſpaniæ etiam nunc prolixum atque album velum pro capitis tegumento geſtare, quaſi profeſſionis viduitatis antiquæ indicium. Profeſſio autem illa viduarum Sanctimonialium Concilio X. Toletano c. 4. in manu Sacerdotis fieri iubetur ſcriptis, ſignoque, ac ſubſcriptione Notarij: iubenturque viduæ pallio purpureo vel nigro caput contegere. Idem ferè in Concilio Arauſicano cap. 27.

CANON LV.

Iudæi ad fidem non ſunt cogendi: & nec conuerſi, ab ea recedere permittuntur.

Dist. 45. de Iudæis. De Iudæis præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miſe- Rom. 9. retur, & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti ſaluandi ſunt, ſed volentes: vt integra ſit forma iuſtitiæ. Sicut enim Gen. 3. homo propria arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit; ſic (vocante ſe gratia Dei) propriæ mentis conuerſione quiſque credendo ſaluatur. Qui autem iam pridem ad Chriſtianitatē venire coacti ſunt (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti) quia iam conſtat, eos Sacramentis diuinis aſſociatos, & Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & Chriſmate vnctos eſſe, & Corporis Domini & Sanguinis extitiſſe participes; oportet, vt fidem etiam, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur; & fides, quam ſuſceperunt, contemptibilis habeatur.

CANON LVI.

Iudæis contra fidem Chriſtianam dare ſuffragium prohibetur.

Qvicvmqve Iudæis contra fidem Chriſtianam ſuffragium qualecumque præſtiterit, verè vt profanus & ſacrilegus anathemate effectus, ab Eccleſia Catholica & regno Dei habeatur extraneus.

CANON LVII.

De præuaricatione eorum, qui ad fidem Chriſtianam promoti fuerant.

Ivdaei, qui ad fidem Chriſtianam promoti, abominandas circumciſiones, & alios Iudaicos vſus exercuerint, Pontificali auctoritate corrigantur, & ad cultum Chriſtiani dogmatis reuocentur. Eos autem quos circumciderunt, ſi filij eorum ſint, à parentum conſortio ſeparentur. Si ſerui, pro iniuria corporis ſui, libertati tradantur. De Conſ. d. 4. Pleri-que.

CANON LVIII.

Iudæorum filij poſt Baptiſmum à parentibus ſeparentur.

Ivdaeorvm filios vel filias baptizatos, ne parentum inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus. Deputandos autem Monaſteriis, aut Chriſtianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, vt in moribus & fide proficiant. 28. q. 1. Iudæorum filios.

CANON LIX.

Perfidia parentum filiis obeſſe non debet.

Ivdaei baptizati, ſi poſteà præuaricantes in Chriſtum qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia ſcri- 1. q. 4. Iudæi baptizati.

Digitized by Google

Ezech. 18. ſcriptum eſt: Filius non portabit iniquitatem patris. Hoc deſideramus obſeruari.

CANON LX.

Iudæi ad fidem conuerſi, cum remanentibus in veteri ritu non communicent.

28.qu.1. Sæpè malorum. NVLLA communio ſit Hebræis ad fidem Chriſtianam tranſlatis cum his qui adhuc in veteri ritu conſiſtunt, ne eorum participatione ſubuertantur. Quicumque hoc non ſeruauerint, & hi Chriſtianis donentur: & illi cum quibus prohibitum eſt eis conuerſari, publicis cædibus deputentur.

CANON LXI.

Iudæus ab vxore fideli ſeparetur, niſi ad fidem acceſſerit.

28.qu.1. Iudæi, qui. IVDAEI, qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Epiſcopo ciuitatis illius, vt ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quòd ſi admoniti, noluerint, ſeparentur. Filij autem, qui ex talibus nati ſunt, fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter & illi, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Chriſtianam religionem ſequantur, non Iudaicam ſuperſtitionem.

CANON LXII.

Iudæi teſtes eſſe non poſſunt.

2.quæſt. 7. Nō poteſt. IVDAEI, qui Chriſtiani effecti ſunt, & Chriſti fidem præuaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent, quamuis ſe eſſe Chriſtianos annuntient: quia ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita in teſtimonio humano dubij habentur.

CANON LXIII.

Iudæi publicis officiis non præficiantur.

17.qu.4. Conſtituit ſanctum. CONSTITVIT ſanctum Concilium, vt Iudæi, aut hi qui ex Iudæis ſunt, officia publica nullatenus appetant, nec illa exercere Iudices Prouinciarum permittant. Si quis Iudex hoc permiſerit, excommunicetur; & is qui ſubrepſerit, publicis cædibus deputetur.

CANON LXIV.

Non liceat Iudæis Chriſtianos ſeruos habere.

IVDAEIS nullo modo liceat Chriſtianos ſeruos, nec Chriſtiana mancipia emere. Si contrà fecerint, ablati ab eis, à Principe libertatem conſequantur.

CANON LXV.

Epiſcopi qui nihil Eccleſiæ conferunt, famulos eius libertate non donent.

NVLLVS Epiſcoporum libertos ex familiis Eccleſiæ facere præſumat. 12.qu.2. Etſi illi, qui. Si ſecùs fecerit, per ſucceſſorem Epiſcopum ad Eccleſiam reuocentur.

CANON LXVI.

Liberti Eccleſiæ à patrocinio Eccleſiæ non recedant.

LIBERTI Eccleſiæ (quia numquam moritur eorum patrona) ne à patrocinio Eccleſiæ aliquando diſcedant, 12.qu.2. Liberti Eccleſiæ. neceſſe eſt, vt tam hi liberti, quàm ab eis progeniti, profeſſionem Epiſcopo ſuo faciant. Qui ſi à patrocinio Eccleſiæ præmiſſa admonitione nihilominùs diſceſſerint, manumiſſio eorum irrita ſit.

CANON LXVII.

Conſecutus integram libertatem, ad Clericatum ſuſcipi poteſt.

QVICVMQVE libertatem à dominis ſuis ita percipiunt, vt nullum ſibi in eis obſequium patronus retentet; iſti, Diſt. 54. Quicumque. ſi ſine crimine capitali ſunt, ad Clericatus ordinem ſuſcipiantur.

CANON LXVIII.

De familiis Eccleſiæ licet Presbyteros conſtituere.

DE familiis Eccleſię conſtituere Presbyteros & Diaconos per Parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo commendat. Ea tamen ratione, vt anteà manumiſſi libertatem ſtatus ſui percipiant.

In vltimo Canone excommunicantur omnes, qui contra Regis Regnique Hiſpaniæ conſeruationem aliquid tyrannicè attentauerint.

Quibus omnibus ſubſcripſerunt omnes Epiſcopi.

Digitized by Google

CONC. TOLETANVM V.

viginti Epiſcoporum habitum Aera 674. anno CHINTILLANI *Regis* I. *tempore* HONORII *Papæ* I. *anno Domini 636. celebratum. Eſt Prouinciale.*

CANON I.

Quando Litaniæ dici debeant.

ANNO DOMINI DC.XXXVI. IN cuncto Regno, ſpecialis & propria hæc religioſa omni tempore teneatur obſeruantia, vt à die Iduum Decembrium Litania triduo vbique annua ſucceſſione peragatur. Quòd ſi dies Dominica interceſſerit, in ſequenti hebdomada celebretur.

In CANONE II. nil aliud tractatur, niſi de cuſtodia ſalutis Regum, & defenſione prolis præſentium Principum.

CANON III.

Sine voto omnium nullus præficiatur in Regem.

SI QVIS ad Regiæ Maieſtatis ambit peruenire faſtigia, quem neç electio omnium præficit, nec Gothicæ Gentis nobilitas ad hunc apicem trahit; ſit conſortio Catholicorum priuatus, & diuino anathemate condemnatus.

In reliquis autem Canonibus cauetur ſub anathemate, ne quis in Principem maledicta congerat, aut illi aliquo modo inſidietur.

Subſcripſerunt omnes Epiſcopi.

CONC. TOLETANVM VI.

LII. *Epiſcoporum, Aera 676. anno* 2. CHINTILLANI *Regis, qui eſt Chriſti Domini 638. ſub* HONORIO *celebratum. Eſt Nationale.*

DC.XXXVIII. IN primo Canone pronuntiatur Symbolum fidei, in quo explicatiùs habetur illud; Quòd ex tribus perſonis ſolum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter & noſtro libero arbitrio contraximus, reſoluenda, à ſecreto Patris arcanoque prodiiſſe, & humanitatem ſine peccato de ſancta Virgine aſſumpſiſſe; vt idem Filius Dei Patris, eſſet filius hominis; Deus perfectus, & homo perfectus; in duabus naturis vna perſona, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto gemina perſona eſſet.

Et ibidem etiam habetur: Et cùm tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis (quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis) ſolus tamen Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate Diuinæ naturæ, id eſt, in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati: quoniam conſtat, naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam. Hic ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus mortuus eſt propter expiationem noſtram, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Quem etiam venturum in fine expectamus ſæculorum cum reſurrectione omnium, æquiſſimo ſuo iudicio redditurum iuſtis præmia, & impiis pœnas, &c.

In CANONE II. agitur tantùm de obſeruantia Litaniarum pro ſucceſſu Regum.

CANON III.

Vt Hiſpaniarum Reges iuramentum præſtent de expellendis à ſuo Regno infidelibus.

SANCTVM Concilium ſimul cum conſenſu Chriſtianiſſimi Principis, ſuorumque Optimatum illuſtriumque virorum, hanc promulgamus Deo placituram ſententiam, vt quiſquis ſuccedentium temporum Regni ſortitus fuerit apicem, non antè conſcendat Regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum permittere in ſuo Regno degere. Si verò poſtquam ad Regni gubernacula acceſſerit, ſi ipſe temerator huius extiterit promiſſi, ſit anathema maranatha in cõſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni. Similiter & omnes qui cum eo conſenſerint.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO.

HORVM Patrum ſententia vſus eſt Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, cognomento Catholicus, cùm à tota ditione ſua expulit Iudæos & Saracenos. Et nouiſſimè Philippus III. paucis ab hinc annis idem fecit, expellendo à tota Hiſpania Moros ad numerum 200. millium, qui quamplurà contra Regnum & Regem moliebantur.

CANON IV.

De his, qui per pecuniam Eccleſiaſticos gradus aſſumunt.

EST Canon 22. Sextæ Synodi, quem vide in Concilio Quiniſexto.

CANON V.

Qui beneficium ab Eccleſia accipit, eius profeſſionem nomine precariæ faciat.

12. q. 2. Sæpè fit. SI QVIS Clericorum ſtipendium de rebus Eccleſiæ cuiuſquam Epiſcopi percepit largitate, ſub precariæ nomine debeat profeſſionem ſcribere, ne per retentionem diuturnam præiudicium afferat Eccleſiæ.

CANON VI.

De tonſura Clericorum, & punitione eorumdem ſi fuerint præuaricatores.

20. q. 3. Proſlinis autem. SI QVIS virorum vel mulierum habitum ſemel induerit ſpontaneè religioſum; aut ſi vir deditus Eccleſiæ choro, vel femina fuerit, ac fuit deligata puellarum Monaſterio, in vtroque ſexu præuaricator ad propoſitum inuitus reuerti cogatur: vt vir detondeatur, & puella Monaſterio reintegretur. Si autem quolibet patrocinio deſertores permanere voluerint, Sacerdotali ſententia ita de Chriſtianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locutio cum eis vlla ſit communis. Viduæ quoque, ſicut Vniuerſalis iam dudum ſtatuit Synodus, profeſſionis vel habitus ſui deſertrices, ſuperiori ſententia condemnentur. Conc. Tolet. IV. c. 56.

ANNOTATIO.

TONſVRÆ Eccleſiaſticæ vſus ab Apoſtolis fluxit, vt ait Rabanus de Inſtitutis Clericorum, c. 3. *Vt hi, qui diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei, crine præciſi innouentur.* Beda etiam lib. 5. de Geſtis Anglorum, affirmat, quòd B. Petrus in memoriam Dominicæ coronæ, coronam ſimilis tonſuræ geſtabat in capite. Et Iſidorus lib. 2. de Origine Offic. c. 4. *Tiara*, inquit, *apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum: hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hæc ſignificatur in parte capitis tonſa.* Vnde tonſura Eccleſiaſticis viris ſemper fuit peculiaris, propter honorem, & ſignificationem. Præſertim qui Monaſticam vitam profitebantur, ante omnia tondebantur, vt conſtat ex Concilio Toletano IV. c. 55. De Monachorum tonſura ſic dicit Epiphanius hæreſi 80. aduerſus Maſſalianos: *Oportet filios virginis matris Eccleſiæ eſſe reuerendos in tonſura.* Apud Gothos autem decaluatio erat in vſu; ſed hæc perpetuæ infamiæ nota erat, vt patet ex multis Conciliis, præſertim Toletano & Emeritenſi, c. 15. Vide Baronium in Martyrolog. die 20. Septembris.

CANON VII. eſt Canon 53. ſuprà in Concilio Toletano IV.

CANON VIII.

Quòd quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur coniugia.

QVI in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, peruenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi coniugatus, & fortè fuerit incontinens, ne poſteà adulterij incurrat lapſum, redeat ad priſtinum coniugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quod nos ſicut de viris, ita de feminis æquo modo cenſemus: non quidem hoc generaliter & Canonicè præceptum, ſed pro humana fragilitate conſtat à nobis indultum: eâ dumtaxat ratione, vt ſi is, qui pœnitentiæ non eſt legibus deditus, antè ab hac vita diſceſſerit, quàm ex communi conſenſu ad continentiam vnus eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò tranſire ad vxoris amplexus. Si autem illius vita ſuperſtes extiterit, qui non acceperit abſolutionem * pœnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & alterius conſortio fruatur vxoris. In omnibus tamen Sacerdotis expectetur ordinatio: vt iuxta quod ætatem aptam perſpexerit, pœnitentiæ abſolutionis tribuat legem. 33. q. 2. c. fin. *vel benedictionem

Digitized by Google

ANNOTATIO.

CVM coniugatus in ęgritudine vouet continentiam, ſi poſteà non poteſt continere, redibit ad vxorem. Ea tamen mortua, non tranſibit ad ſecundas nuptias. Viſum eſt Synodo diſpenſandum cum illo in vſu primi matrimonij, & arcere eum à ſecundis nuptiis; quod tamen licebit coniugi non vouenti. Atqui hic eſt ſcopus huius Canonis.

CANON IX.

Profeſſionem ſuæ conditionis liberti Eccleſiæ faciant.

12. q. 2. Longinquitate.

NOVO adueniente Pontifice omnes Eccleſiæ liberti, & ab eis progeniti, chartulas & profeſſiones ſuas in conſpectu Eccleſię renouare debent. Quòd ſi intra annum non fecerint, vacuæ & inanes chartulæ remaneant.

CANON X.

Libertorum filij ab Eccleſia non euagentur.

LIBERTORVM filij intra Eccleſiam erudiendi nutriantur, & Epiſcopo debitum reddant famulatum.

CANON XI.

Ne ſine accuſatore legitimo quiſpiam condemnetur.

3. q. 9. Dignum eſt.

QVISQVIS à quolibet criminatur, non anteà accuſatus ſupplicio detur, quàm accuſator præſentetur.

CANON XII.

De confugientibus ad hoſtes.

QVISQVIS patrator culparum extiterit, & ad hoſtium refugium confugerit, excommunicetur. Quòd ſi ipſe mali ſui priùs reminiſcens, ad Eccleſiam fecerit confugium, interceſſu Sacerdotum, & reuerentiâ loci, regia in eos pietas reſeruetur, comitante iuſtitia.

ANNOTATIO.

AD immunitatem Eccleſiæ ſeruandam, duæ cauſæ afferuntur in hoc Canone: prima eſt, Interceſſio Sacerdotum: ſecunda, Reuerentia loci. Semper fuit religioſum, ad Eccleſiam confugientes, pro loci cultu & obſeruantia, inde non abſtrahi, vt conſtat ex Codice Iuſtiniani & Theodoſij De his qui ad Eccleſiam confugiunt. Quas Leges laudat S. Gregorius lib. 11. ep. 54. S. Chryſoſtomus Serm. in Eutropium, Zoſimus lib. 8. c. 7. Socrates lib. 6. cap. 5. Nicephorus lib. 13. cap. 4. Gratianus varia decreta Auguſtini & Gelaſij adfert, aduerſus eos, qui ad Eccleſiam confugientes, è templo abſtrahunt. Extantque leges Gothorum de eadem re, lib. 9. Fori Iudicum, tit. 13.

CANON XIII.

De honore primatus Palatij.

QVI primatum dignitatis habent in Palatio, his à iunioribus modeſtus honor per omnia deferatur, & minores à ſenioribus dilectionis amplectantur affectu, & vtilitatis imbuantur auxilio.

CANON XIV. eſt Canon 6. Concilij Toletani V.

CANON XV.

RES Eccleſiis à quibuslibet iuſtè collatæ, in earum iure firma ſtabilitate permaneant.

ANNOTATIO.

QVANTVM piaculum ſit, res à fidelibus ſincera fide Eccleſiis datas, ab eis auferri ac diſtrahi, multa hoc tempore extant doctiſſimorum virorum ſcripta, quæ breuitatis cauſa prudens omitto: vnum tantùm ſubiiciam, quod in Conſtitutionibus Orientalibus ſcriptum inuenio, lib. 1. Nicephorum Phocam donationes Monaſteriis ac templis relictas prorſus aboleuiſſe: lege etiam lata, ne Eccleſię immob. libus locupletarentur bonis; cauſatus, Epiſcopos malè prodigere ea, quæ pauperibus darentur; militibus interim deficientibus. Cuius temerariam hanc impietatiſque plenam Legem Prophyrogenneta Dominus Baſilius Iunior alia lege lata ſuſtulit, quam dignam, quæ hic apponeretur, exiſtimaui: *Imperium noſtrum*, inquit, *quod à Deo profectum eſt, cùm & à Monachis, quorum pietas & virtus eſt teſtata, & à multis aliis, legem de Dei Eccleſiis & ſanctis domibus, vel potiùs contra Dei Eccleſias & ſanctas eorum domos, à Domino Nicephoro, qui Imperium inuaſit, conditam, præſentium malorum cauſam fuiſſe & radicem, & vniuerſalis huius ſubuerſionis & confuſionis (vt quæ ad iniuriam & contumeliam, non ſolùm Eccleſiarum & ſanctarum domorum, ſed etiam ipſius Dei facta ſit) intellexiſſet, & maximè, cùm id reipſa expertum eſſet (ex quo enim hac lex eſt obſeruata, nihil boni penitùs in hodiernum vſque diem vitæ noſtræ occurrit, ſed contrà nullum penitùs calamitatis genus defuit) ſtatuit, per præſentem auream Bullam, vt lex prædicta ab hoc præſenti die ceſſet, & deinceps infirma & irrita permaneat, & locum habeant, & in vſu ſint,*

Digitized by Google

ſunt, quæ de Dei Eccleſiis, & ſanctis & religioſis domibus facta ſunt leges.

CANON XVI. eſt Canon 2. Concilij Toletani V.

CANON XVII. eſt Canon 4. Concilij Toletani V.

CANON XVIII. eſt 18. Canon Concilij Toletani V.

CANON XIX. conſummatur in gratiarum actionibus Deo; & deinde Regi, cuius ſtudio & inſtantia collecti ſunt Epiſcopi.

Subſcripſerunt omnes Epiſcopi.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT.

quo per SERGIVM *Epiſcopum Conſtantinopolitanum Ecthesis* HERACLII *confirmata fuit, anno Domini 639. ſub Pontificatu* SEVERINI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCXXXIX ACTA Synodalia extant in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa, in tertio Secretario. Incipiunt ſic: *Sancta Synodus congregata dilectiſſimorũ conſacerdotum noſtrorũ*, &c.

Poſt promulgatam Ecthesin Heraclij Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha Synodum indixit, in qua allegata expoſitio fidei probata, retenta, & ſtabilita fuit: Seuerinus Pontifex vt idem faceret, à Sergio rogatus, impiam & fraudulentam expoſitionem fidei ſimul cum Actis Synodalibus huius Conciliabuli, vſque ad ſanguinem & vitæ internecionem impugnauit. Vide Binium.

CONCILIVM ROMANVM

ſub IOANNE IV. *celebratum, anno Domini 640. quo* ECTHESIS HERACLII, *&* MONOTHELITARVM *hæreſis condemnantur.*

DCXL. DE hoc Romano, aliiſve in eadem cauſa Africanis Conciliis, hęc breuiter Theophanes: *Ioannes Romanus Præſul, collecto Epiſcoporum Concilio, Monothelitarum hæreſim anathematizauit: ſimiliter & in Africa penes Byzantium, Numidiam, & Mauritaniam diuerſi Epiſcopi conuenientes, Monothelitas anathemate perculerunt.* Baronius anno 640.

CONCILIVM NVMIDIÆ IN AFRICA,

Indictione quarta ſub præſidio COLVMBI *Metropolitani, contra* MONOTHELITARVM *hæreſim Conſtantinopoli publicè promulgatam, tempore* THEODORI *Papæ celebratum.*

CONCIL. BYZACENVM

Epiſcoporum XLII. *ſub præſidio* STEPHANI *Primatis eodem tempore, eademque de cauſa celebratum.*

CONCILIVM CARTHAGINENSE

Epiſcoporum LXVIII. *prædicto tempore ob cauſam prædictam celebratum.*

CONC. TOLETANVM VII. DC.XLVI.

anno 5. Regis CHINDASVINDI, *Æra 684. tempore* THEODORI *Papæ celebratum. Eſt Nationale.*

CANON I.

De euentu languoris in Sacerdote miniſtrante.

CENSVIMVS conuenire, vt cùm à Sacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, 7. q. 1. Nihil contra. ſi ægritudinis accidit quilibet euentus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo vel Presbytero alteri, conſecrationem exequi officij cœpti. Non enim aliud ad ſupplementum initiatis myſteriis competit, quàm aut incipientis, aut ſubſequentis completa benedictio Sacerdotis; quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfectionis ordine compleantur. Dum enim ſumus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium perſonarum diuerſitas format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat. Quod etiam conſultum cuncti Ordinis Clerici indiuiduum eſſe ſibi non ambigant, ſed præcedentibus liben-

benter alij pro complemento ſuccedát. Ne tamen, quod naturæ languoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur; nullus poſt cibum potumque quemlibet minimum ſumptum Miſſas facere, nullus abſque patentis prouentu moleſtiæ miniſter, vel Sacerdos cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Qui contrà fecerit, excommunicetur.

ANNOTATIO.

QVOD Sacerdos ieiunus Sacrificium offerat, decreuit Soter Papa, vt eſt apud Gratianum de Conſecr. d. 1. cap. Vt illud. & Concilio Antiſiodorenſi, c. 19. & Bracarenſi I. cap. 16. & II. cap. 10. & Salegunſtadienſi, cap. 4. & Carthaginenſi III. cap. 29. Si igitur Celebrans ante Conſecrationem decedat, nihil aliud fiat: ſi verò poſt Conſecrationem, debet perfici Sacrificium ab alio ieiuno Sacerdote, ſi reperiatur; ſi verò non aderit ieiunus, etiam à non ieiuno Sacerdote debet perfici.

CANON II.

De exequiis morientis Epiſcopi.

SI quis Sacerdotum ad humanda decedentis Epiſcopi membra venire commonitus diſtulerit, appellantibus Clericis abeuntis Epiſcopi apud Synodum vel Metropolitanum Epiſcopum, tempore anni vnius nec faciendi Miſſam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri autem, ſiue ceteri Clerici, quibus maior honoris locus apud eamdem Eccleſiam fuerit, cuius Sacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis, aut iam mortui, aut continuò Antiſtitis morituri, ad commonendũ Epiſcopum tardi inueniantur, aut per quamcumque moleſtiam animi id negligere comprobentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in Monaſteriis deputentur.

ANNOTATIO.

DE hac re decreuit Concilium Rheginenſe, cap. 5. & 6. & Valentinum Hiſpaniæ, cap. 2. Arelatenſe II. cap. 5. *Qui defunctum*, inquit, *Epiſcopum aduenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam nihil pretij pro fatigatione depoſcat.* Vnde in C. A. Toletani, pro Valentini. De exequiis mortuorum ſuprà diximus. Nec de Epiſcopi electione tractatus haberi poteſt, Epiſcopi defuncti corpore nondum tradito ſepulturæ, cùm ſit contra Canonicas ſanctiones, vt in cap. Bonæ memoriæ. 36. de Electione.

CANON III.

VLTRA duos ſolidos à Parochianis Eccleſiæ Epiſcopus non præſumat accipere, & ampliùs quàm vna die per vnamquamque Baſilicam morandi licentiam non habeat. 10. q. 1. Inter cetera.

Omiſimus alios tres Canones aliàs repetitos.

CONCIL. ROMANVM,

quo PAVLVS *Conſtantinopolitanus Epiſcopus, &* PYRRHVS *in hæreſim* MONOTHELITARVM *relapſus, condemnati ſunt, anno Domini 648.*

CVM Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, à Pontifice per literas paternè admonitus non reſipiſceret; ſed potiùs reddita Epiſtola (quæ extat in Concilio Lateranenſi, Secretario 4.) hæreſim ſuam teſtimoniis Scripturarum, Patrum & Conciliorum corroboraret, adeoque Pius Pontifex de futura conuerſione hominis ſuperbi & contumacis parum ſperaret, neceſſarium eſſe putauit, vt Apoſtolica ſecuri ad arborem admota, arbor periculoſa & inutilis ſuccideretur. Quamobrem hanc Synodum indicens mandauit, vt quæ in Africanis Conciliis aduerſus nouam hæreſim nouumque hæreſeos patronum ſtatuta ac deciſa fuerunt, diligenter inquirantur & cognoſcantur. Quibus omnibus ſedulò peractis, hæreſim Monothelitarum cum Typo à Conſtante promulgato condemnauit: Paulum Epiſcopum non ſemel excommunicauit; ſede Conſtantinopolitana per ſententiam priuauit. Similis ſententia hoc eodem Concilio pronuntiata eſt in Pyrrhum, qui poſt abiuratam hæreſim, operâ Olympij Exarchi ad vomitum rediit. De quibus vide quæ habet Anaſtaſius in Vita Theodori Papæ, quæque ibidem prolixiùs notat Binius. ANNO DOMINI DC.XLVIII.

CON-

CONCILIVM LATERANENSE ROMANVM,

in quo centum & quinque Epiſcopi, Typo CONSTANTIS *Imp. proſcripto,* MONOTHELITARVM *hæreſim, eiuſque promotores,* CYRVM *Alexandrinum,* SERGIVM, PAVLVM, *&* PYRRHVM *Conſtantinop. condemnarunt, anno Domini* 649. *tempore* MARTINI *Papæ* I. *celebratum.*

ANNO DOMINI DC.XLIX.

CAVSA congregandi hoc Concilium fuit talis: Poſtquam Conſtans Imperator electionem S. Martini more ſolito confirmaſſet, ab eoque in ſignum gratitudinis exegiſſet, vt promulgatam à ſe perfidiam Pontifex ſuo conſenſu, ſuaque ſubſcriptione approbaret; non modò impium aliquod petenti Imperatori non conſenſit; ſed potiùs in contrarium niſus, Synodum indixit, in qua promulgatam perfidiam condemnauit. Cauſa igitur primaria huius Synodi cogendæ non tam fuit, vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus, iam anteà condemnati, iterato iudicio damnarentur, quàm vt recens credendi Formula ab Imperatore ſuo Edicto (quod *Typum* nominauit) propoſita, omnino proſcriberetur, atque anathemati ſubiiceretur.

Hæc ſancta Synodus tantæ eſt amplitudinis, dignitatis, ac maieſtatis, vt ad plenam fidei Catholicæ profeſſionem, poſt quinque Vniuerſalium Synodorum aſſertionem, huius quoque confeſſionem vſque ad plenam Sexti Oecumenici Concilij promulgationem fideles adiicere ſolerent. Conſtat illud ex Synodo Anglicana ſub Theodoro Archiepiſcopo celebrata apud Bedam libro 5. Hiſt. Anglic. cap. 17.

Acta Synodalia integra extant apud Binium, & continet ipſa Synodus quinque Secretarios, ſiue Conſultationes, Seſſiones, vel Actiones, quę ſummatim hîc ponentur.

In primo Conſulto, 3. Nonas Octobris celebrato, præparatis per Primicerium Notariorum ad bellandum animis Epiſcoporum, S. Martinus Papa ad Synodū Orationem habuit, qua oſtendit, per hæreſim Monothelitarum myſterium Incarnationis euerti: nominatiſque prædictæ hæreſeos auctoribus Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, & Paulo Conſtantinop. Epiſcopis, auctoritate S. Scripturæ & SS. Patrum, Catholicum dogma confirmauit: quæque ab aduerſariis adducta erant, doctè & ſolidè refutauit, eo ipſo, quòd poſita vna voluntate, vna inferatur natura, adeoque totum Incarnati Verbi myſterium deſtruatur. Poſt hæc lecta eſt epiſtola Mauri Epiſcopi Rauēnatis, quam per Legatos Epiſcopi Ceſenatis ad Synodum deſtinauerat. Qua cùm ille abſentiam ſuam per incurſiones barbaricas excuſaſſet, fideique Catholicæ profeſſionem emiſiſſet, Martinus Papa de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus diſertam diſputationem adhibuit, qua abſoluta, auditaque ſuggeſtione Deusdedit Epiſcopi, finis impoſitus eſt primo Synodi Secretario.

Secundus Secretarius habitus eſt octauo Idus Octobris, quo dum Martinus Papa de qualitate iudicij Eccleſiaſtici paucula præfatus fuiſſet, oblati ſunt duo libelli, alter à Stephano Dorenſi Epiſcopo, Sediſque Apoſtolicæ in Palæſtina Vicario: alter ab Abbatibus, Presbyteris, & Monachis Græciæ; petebatur in vtroque, vt impij hæretici cum ſua hæreſi, cumque abominabili Typo ſub Imperatoris nomine promulgato, damnarentur. His auditis, iuſſa ſunt edi ſcripta eorum, qui prædeceſſori Theodoro Papæ aduerſus eoſdem hæreticos querelarū libellos obtulerant. Primùm lectæ ſunt Sergij Epiſcopi cuiuſdam in Cypro: deinde epiſtolæ Africanorum Epiſcoporum, quas ad Theodorum Papam, Conſtantem Imperatorem, & Paulum Conſtantinopolitanum tranſmiſerant.

Tertius Secretarius ſeu Conſultatio celebrata fuit 16. Kalendas Nouembris.

In hac Martinus Pontifex pręmiſit, quo ſtudio, quáve vigilantia & cura mandato Dei hæreſibus reſiſtere debeat is, qui vniuerſæ Eccleſiæ præeſt. His præuiis, iuſſu eiuſdem Pontificis eduntur ſcripta Theodori Pharanitæ Epiſcopi de vna voluntate & operatione. Ad hæc confutanda, SS. Patrum ſententiæ in medium allatæ ſunt. Deinceps nouem Capitula Cyri Alexandrini cum epiſtola, quam Sergius Conſtãtinopolitanus ad ipſum ſcripſerat, recitata fuerunt. Et quoniam Cyrus teſtimonio S. Dionyſij ſuam ſententiam confirmabat, iuſſus eſt adferri Codex Dionyſij, legique eius epiſtola ad Caium, in qua Deiuirilem Chriſti operationem appellat. Interlocutus S. Martinus Papa, detecta hæreticorum fraude, textum Dionyſij corruptè citantium, oſtendit, quòd cùm Dionyſius Areopagita dixiſſet, nouam Deiuirilem operationem; loco *nouam* illi *vnam* dixerint, eiectaq; voce *Deiuirilis*, vnam in Chriſto operationem dumtaxat aſſeruerint. Iuſſa ſunt etiã legi ſcripta Themiſtij hæretici de vna operatione ex Dionyſij Deiuirilis operationis malè accepta ſententia. Quæ cùm lecta fuiſſent, Martinus Papa Dionyſium per Deiuirilem operationem, non vnam, ſed vnius perſonæ duas, humanam ſcilicet & diuinam, ſignificare voluiſſe, pluribus oſtendit. Idem per Sophronium Ieroſolymitanum Epiſcopum anteà detectum, & in hæreticos obiectum, malè verò à Pyrrho excuſatum fuiſſe, Deusdedit Calaritanus Epiſcopus interlocutione ſua demonſtrauit. His peractis iuſſa eſt edi Ecthesis Sergij Conſtantinopolitani Epiſcopi, nomine Heraclij Imperatoris edita & promulgata: addita eſt lectio epiſtolarum, quas pro confirmatione prædictæ Ectheſeos Sergius ad Cyrum, & contrà Cyrus ad Sergium reddidit.

Quarta Conſultatione Martinus Papa Ectheſim Heraclij, eiuſque defenſores, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum, fortiſſimis rationibus impugnauit, additque de Paulo, qui Typum edendum propoſuit, iudicium peragi. Iuſſæ igitur ſunt literæ ipſius Pauli ad Theodorum Romanum Pontificem recitari; ex quibus refractarius illius animus cognitus fuit. His adiecta eſt lectio Typi, quem cùm S. Synodus ſubdolum, inconſtantem, mendacem, atque in omnibus impium eſſe reperiſſet, eumdem condemnauit. His prauis germinibus euulſis, iuſſu ſanctiſſimi Pontificis Nicænum & Conſtantinopolitanum Symbolum, duodecim Anathematiſmi Concilij Epheſini, Definitio fidei Catholicæ facta in Chalcedonenſi Concilio, & quatuordecim Capita Quintæ Synodi recitata fuerunt. Quibus lectis, nomine totius Synodi locutus eſt Maximus Aquileienſis Epiſcopus, pluraque in commendationem Conciliorum, & in deteſtationem hæreſeos eiuſq; ſectariorum inculcauit: quæ verò à ſanctis Patribus pro Catholica veritate ſcripta fuerunt, in ſequentem Conſultationem reiecit.

Quinta & vltima Conſultatione, quam pridie Kalendis Nouembris habuerunt, hortatu Martini Papæ, allata ſunt nomina ſanctorum Patrum, ex quibus Patres Concilij, velut è pharetra ſagittas, quibus aduerſarij ferirentur, acceperunt. Deinde iuſſa ſunt legi veterum hæreticorum ſcripta, eo fine, vt hęreticos recentiores conuincerent, qui ſe Patres Orthodoxos ſequi, Concilia tueri, antiquorum hæreticorum ſententias de fide nequaquam ſectari, ad decipiendum ſimpliciores, mentiebantur. Poſt fidem Orthodoxam de vera Verbi Incarnatione ſtabilitam, ad confutandas aduerſariorum aſſertiones, viginti Canones ſanciuerunt; quibus ſingulis ad finem appoſita eſt cõdemnatio eorum, qui ſecùs ſentirent. Demum verò poſt hæc ſecuta eſt omnium Epiſcoporum ſubſcriptio, cui tamquam appendix addita poſteà fuit ſubſcriptio trium aliorum Epiſcoporum, nempe Ioannis Epiſcopi Mediolanenſis, Iuſtini Epiſcopi Calaritani, & Melliodori Dertonenſis Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi. Abſoluta Synodo, ſcripta eſt à S. Martino Romano Pontifice & Concilio epiſtola Synodalis & Encyclica ad omnes Chriſti fideles, de rebus pro fide Catholica in hac Synodo geſtis. Exemplaria Synodalium Actorum ad ſingulos ferè Epiſcopos tranſmiſſa fuerunt; vt conſtat ex ea Epiſtola, quam Martinus Papa ad Amandum Traiectenſem Epiſcopum reddidit. Hæc de Synodo Lateranenſi compendioſè excepta ſunt ex Baronij Annalibus anno 649. num. 1. & ſeq.

CANONES *viginti* CONCILII LATERANENSIS *ſub* MARTINO I. *ſub anathemate recipiendi.*

I. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & veraciter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc eſt, vnum Deum in tribus ſubſiſtentiis conſubſtantialibus, & æqualis gloriæ vnam eamdemque trium Deitatem, naturam, ſubſtantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem inconditam, ſine initio incomprehenſibilem, immutabilem, creatricem omnium & protectricem, condemnatus ſit.

II. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ipſum vnum ſanctæ & conſubſtantialis & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cælo deſcendiſſe, & incarnatum ex Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos ſponte paſſum ſepultumque, & reſurrexiſſe tertia die, & aſcendiſſe in cælos, atque ſedentem in dextera Patris, & venturum iterùm cum gloria paterna cum aſſumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius, iudicare viuos & mortuos, condemnatus ſit.

III. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem Dei genitricem ſanctam ſemperque virginem & immaculatam Mariam, vtpote ipſum Deum Verbum ſpecialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia ſæcula natus eſt, in vltimis ſæculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu ſancto, & incorruptibiliter eam genuiſſe, indiſſolubili permanente & poſt partum eiuſdem virginitate, condemnatus ſit.

IV. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ipſius & vnius Domini noſtri & Dei Ieſu Chriſti duas natiuitates, tam ante ſæcula ex Deo & Patre incorporaliter & ſempiternaliter, quamque de ſancta virgine ſemper Dei genitrice Maria corporaliter in vltimis ſæculorum, atque vnum eumdemque Dominum noſtrum & Deum Ieſum Chriſtum conſubſtantialem Deo & Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialem homini & matri ſecundùm humanitatem, atq; eumdem paſſibilem carne, & impaſſibilem Deitate; circumſcriptum corpore, incircumſcriptum Deitate; eumdem inconditum & conditum, terrenum & cæleſtem, viſibilem & intelligibilem, capabilem & incapabilem, vt toto homine eodemque & Deo totus homo reformaretur qui ſub peccato cecidit, condemnatus ſit.

V. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfectè in Chriſto Deo & indiminutè, abſque tantummodò peccato, ſignificata, condemnatus ſit.

VI. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duabus, & in duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, inconfuſè & indiuiſè vnum eumdemque eſſe Dominum & Deum Ieſum Chriſtum, condemnatus ſit.

VII. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ſubſtantialem differentiam

tiam naturarum inconfusè & indiuiſè in eo ſaluatam , condemnatus ſit.

VIII. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem naturarum ſubſtantialem vnitionem indiuiſè & inconfusè in ea cognitam, condemnatus ſit.

IX. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem naturales proprietates Deitatis eius & humanitatis indiminutè in eo & ſine deminoratione ſaluatas, condemnatus ſit.

X. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas vnius eiuſdemq; Chriſti Dei noſtri voluntates cohærenter vnitas, diuinam & humanam, ex hoc, quòd per vtramque eius naturam voluntarius naturaliter idem conſiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit.

XI. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas vnius eiuſdemq; Chriſti Dei noſtri operationes cohærenter vnitas, diuinam & humanam, ab eo, quòd per vtramque eius naturam operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit.

XII. Si quis ſecundùm ſceleroſos hęreticos vnam Chriſti Dei noſtri voluntatem confitetur, & vnã operationem, in peremptionem ſanctorum Patrum confeſſionis, & abnegationem eiuſdem Saluatoris noſtri diſpenſationis, condemnatus ſit.

XIII. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos in Chriſto Deo in vnitate ſubſtantialiter ſaluatis, & à ſanctis Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, diuinam & humanam, contra doctrinam Patrum, & vnam voluntatem atque vnam operationem confitetur, condemnatus ſit.

XIV. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos cum vna voluntate & vna operatione, quę ab hæreticis impiè confitetur, duas voluntates pariterque & operationes, hoc eſt, diuinam & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo in vnitate ſaluantur, & à ſanctis Patribus Orthodoxè in ipſo prædicantur, denegat & reſpuit, condemnatus ſit.

XV. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos Deiuirilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, vnam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundùm ſanctos Patres, hoc eſt, diuinam & humanam, aut ipſam Deiuirilis, quæ poſita eſt, nouam vocabuli dictionem vnius eſſe deſignatiuam, ſed non vtriuſquę mirificæ & glorioſæ vnitionis demonſtratiuam, condemnatus ſit.

XVI. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos in peremptione ſaluatis in Chriſto Deo eſſentialiter in vnitione, & ſanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, hoc eſt, diuina & humana, diſſenſiones & diuiſiones inſipienter myſterio diſpenſationis eius innectit, & proptereà Euangelicas & Apoſtolicas de eodem Saluatore voces non vni eidemque perſonæ & eſſentialiter tribuit eidem ipſi Domino & Deo noſtro Ieſu Chriſto ſecundùm beatum Cyrillum, vt oſtendatur Deus eſſe & homo idem naturaliter, condemnatus ſit.

XVII. Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem omnia, quæ tradita ſunt & prædicata ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, perindeque à ſanctis Patribus & venerandis Vniuerſalibus quinque Conciliis vſque ad vnum apicem verbo & mente, condemnatus ſit.

XVIII. Si quis ſecundùm ſanctos Patres conſonanter nobis, parique fide non reſpuit & anathematizat anima & ore omnes, quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conſcriptis vſque ad vnum apicem ſancta Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica, hoc eſt, ſanctæ & Vniuerſalis quinque Synodi,

odi, & conſonanter omnes probabiles Patres, &c. huiuſmodi condemnatus ſit.

XIX. Si quis ea, quæ ſceleroſi hæretici ſapiunt, indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proteruiam dicit hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt ab initio ſpeculatores & miniſtri verbi, hoc eſt dicere, ſanctæ & Vniuerſales quinque Synodi, calumnians vtique ſanctos Patres, & memoratas ſanctas quinque Synodos in deceptione ſimplicium, vel ſuſceptione ſuæ profanæ perfidiæ, huiuſmodi condemnatus ſit.

XX. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos remouens illicitè, quos poſuerunt firmiùs ſancti Catholicæ Eccleſię Patres, id eſt, ſanctæ & Vniuerſales quinque Synodi, nouitates temerè exquirere, & fidei alterius expoſitiones, aut typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, &c. & vſque in finem ſine pœnitentia permanet hęc impiè agens, huiuſmodi in ſæcula ſæculorum condemnatus ſit, & dicat omnis populus, Fiat, fiat.

CONCILIVM AVRELIANENSE,

in quo hæreticus quidam tranſmarinus, à SALINO *Epiſcopo damnatus, eiectus fuit: anno Domini 650. ſub* MARTINO *Papa.*

ANNO DOMINI DC.L. REFERT Audoënus in Vita ſancti Eligij, c. 34. apud Surium, 1. Decembris, quòd hæreticus quidam, hoc tempore à partibus tranſmarinis in Gallias profectus, Auguſtodunum venerit, ibiq; virus ſuum ſpargere cœperit: quodque ea occaſione Aurelianenſe hoc Concilium celebratum fuerit, in quo homo nequiſsimus à Salino Epiſcopo confutatus, damnatus, & eiectus eſt. Baronius anno 650. num. 23. &c.

CONC. TOLETANVM VIII.

LII. *Epiſcoporum, 17. Kalendis Ianuarij, anno Domini 653. celebratum tempore* MARTINI *Papæ. Æra 691. Eſt verò Prouinciale.*

IN principio huius Concilij habetur allocutio Regis ad Pátres Concilij, in qua duo præcipuè annotanda ſunt. Vnum eſt, quòd ipſe Rex ab Epiſcopis vult doceri. ait enim ſic: *Vnde iam veſtrum erit, inſpirante vobis miſeratione diuina, ita vtriuſque diſcriminis temperare menſuram, ne aut in iuramento conditio teneat reos, aut impietatis vltio habeat inhumanos, ſicque veſtri nos inſtruat forma iudicij, vt ſubiectos populos, nec in profanationibus habeamus ſubditos, nec impietatis vinculis doleamus comminutos.* Alterum eſt, quòd profitetur fidem Catholicam à Conciliis traditam, & à traditionibus acceptam. ſic enim ait: *Itaque coram ſe reuerentia veſtra habeat, quod veſſe non ambigit, me Orthodoxæ fidei veram, ſanctam, & ſinceram regulam, de corde puro & cõſcientia bona pleniſſimè habere, veraciter ſcire, & fortiſſimè retinere: atque ita eam complecti, venerari, atque diligere, ſicut eam Apoſtolica traditio dedit, ſicut eam ſancta Synodus Nicæna conſtituit, ſicut Conſtantinopoli ſanctorum Patrum congregatio definiuit, ſicut Epheſini Primi cœtus vnitas affirmauit, ſicut Chalcedonenſis Concilij definitio protulit.* Sic Receſuinthus Rex ad Synodum. DC.LIII.

ANNOTATIO.

NOTA hîc, quàm rectè, quàm ſapienter Rex iſte Traditiones & Concilia Generalia veneretur & recipiat. Quid ergo garriunt modò hæretici, non eſſe recipiendas Traditiones Eccleſiæ? quas, vt benè docet S. Bonauentura in 4. diſt. 8. part. 2. art. 2. q. 2. in corp. ab Apoſtolis Petro & Paulo accepit Eccleſia Romana. Vide etiam eumdem Seraphicum Doctorem in dub. 3. lit. diſt. 20. Lutherus tum aduerſus Regem Angliæ, tum in Commentariis Epiſtolæ ad Galatas, tam canino dente in Traditiones inuehitur, vt omnibus, qui in Eccleſia aliud præterquam Scripturam, aut docent, aut audiunt, anathe- De Traditionibus.

Digitized by Google

anathema dicat: quem poſteà ſecuta eſt tota Zuinglianorum turma, tametſi Lutheraniſinimica. Caluinus quoque totius Galliæ peſtis, non tam famelico quàm rabido ore illud ipſum aggreditur, Inſtitut. lib. 4. cap. 10. §. 13. 14. 15. 16. 17. vbi ſacras Eccleſię Traditiones variis modis lacerat, illo propoſito Axiomate, non tam Luthero quàm reliquis hæreticis communi, *Nihil præter ſcriptum Dei verbum ab Apoſtolis in Eccleſia fuiſſe relictum. Iam verò*, inquit, *referre ad Apoſtolos Traditionum originem, quibus hactenus oppreſſa eſt Eccleſia, mera fuit impoſtura.* Et poſt pauca: *Nec garriant, pleraq; eorum placita vſu & moribus recepta fuiſſe, quæ ſcriptis tradita non fuerunt.* Verùm, hæreticum Caluini & aliorum Axioma oppoſitis nonnullis Aſſertionibus eſt proſternendum.

Assertio prima. Præter Scripturam, neceſſe eſt dari viuum aliquod Dei verbum ad ſalutem neceſſarium, nulla Scriptura explicatum, quod Traditio nuncupatur. Hanc Aſſertionem ſic probo: Aliquam fidei doctrinam, non ſcripto, ſed verbo tenus, quam idcircò verbum Dei viuum appellamus, ab Apoſtolis traditam, & ad nos vſque traditione Patrum tranſmiſſam, quæ altiora Dei myſteria contineret, pleraque Scripturarum oracula teſtantur. Ac primùm D. Paulus id apertè docet 2. Theſſal. 2. *State*, inquit, *& tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Quæ verba pertractans D. Chryſoſtomus in hunc locum ait: *Hinc patet, quòd non omnia per epiſtolam tradiderunt, ſed multa etiam ſine literis: eadem verò fide digna ſunt, tam iſta, quàm illa: itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.*

Prætereà 1. Cor. 11. *Laudo*, inquit, *vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis; & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Quē locum de Traditionibus Apoſtolicis exponit Epiphanius hæreſi 61. vbi ait: *Oportet & traditione vti: non enim omnia à diuina Scriptura poſſunt accipi: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apoſtolus: Sicut tradidi vobis.* Et alibi: *Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſiis.* Quem ſenſum etiam proſequitur Ioannes Damaſcenus cap. 17. de Imaginibus. *Quòd autem Apoſtoli*, ait, *quamplurima nullo ſacræ Scripturæ loco prodita nobis tradiderint, his verbis teſtatur ille Gentium Apoſtolus: State igitur fratres, & tenete traditiones*, &c. *Et ad Corinthios ſcribens: Laudo vos fratres, quòd per omnia memores mei eſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones tenetis.* Porrò ſi Apoſtolus eos laudat, qui ore tenus, nullo ſcripto illis ab eo pręcepta ſeruabant; qua ratione nos aduerſarij damnant, qui ore tenus ab Apoſtolis tradita, ac nobis ab Eccleſia conſignata cuſtodimus? S. Bonauentura vbi ſuprà refert, Innocentium Papam dicere, quòd Romana Eccleſia illud ſemper integra fide ſeruauit, quod ab ipſis Apoſtolis, qui eam præſentialiter factis & doctrinis Eccleſiaſticos ritus docuerunt, accepit, ab ipſis ſcilicet Apoſtolis Petro & Paulo, quos viuos auctores habuit, defunctos cuſtodit, hunc actum Sacrificij accepit, quem hactenus immobili vultu ſeruauit. Vide Innocentium lib. 4. de Sacr. Alt. myſter. cap. 6.

Idem prætereà docet 1. Tim. 6. cùm Timotheo depoſitum cuſtodiendum tradit. *O Timothee*, ait, *depoſitum cuſtodi.* Quale autem illud depoſitum ſit, declarat Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. ipſam nimirum eſſe Traditionem. *Cognitio*, inquit, *quæ datur ex Traditione per Dei gratiam, veluti depoſitum quoddam committitur iis, qui ſe ipſos doctrina dignos exhibuerint: ex qua eluceſcit charitatis dignitas ex luce in lucem.*

Sed ab aduerſariis quæro, num Euangeliſtæ aliquid de Chriſto ſcribendum prætermiſerint. Id ſi negant, apertè à Ioanne redarguuntur, qui cap. 21. ita ſcribit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Si affirmant, cur etiam fateri non debent, pleraque viua voce tantummodò, non ſcripto ab Apoſtolis tradita fuiſſe, quæ ad fidei dogmata pertinent.

Quod confirmatur etiam auctoritate omnium Patrum. Dionyſius Areopagita cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia teſtatur, Apoſtolos ſumma illa & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis (iuxta quod ſacræ diffiniunt leges) nobis tradidiſſe.

Irenęus lib. 3. cap. 3. *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire.* & cap. 4. *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?*

Origenes paſſim Eccleſiaſticas Traditiones defendit: Hom. 5. ſuper Num. Tract. 29. in Matth. ad c. 6. Epiſt. ad Rom. item Procœmio in lib. 1. de Principiis, vbi Catholicum illud Axioma contra aduerſarios profert: *Illa*

Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica Traditione diſcordat.

Baſilius acerrimus Apoſtolicarum Traditionum propugnator, cùm in lib. 1. contra Eunom. tum ep. 60. & 61. præſertim verò in lib. de Spiritu ſancto, c. 27. de Traditionibus ſic diſſerit: *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædā habemus è doctrina ſcripto prodita, quædā rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt occulto tradita recepimus.* Tum Hom. 28. cōtra Sabellium, Arrium, & Anomæos, ita aduerſarios ad Traditiones prouocat: *At ne Spiritum ſanctum à Patre & Filio ſeparet, abſterreat te Dominica Traditio: Dominus ita docuit, Apoſtoli prædicarūt, Patres obſeruauerunt, Martyres confirmarunt: ſatis tibi ſit, vt dicas ſicut edoctus es.*

Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Demonſtr. Euangel. c. 8. ait: *Quæcumque à Chriſto quaſi ſapientioribus & magis ſpiritualibus præcepta fuerant, illa ijs tantùm, quos capaces eſſe eorum intellexerunt, ſine ſcripto Apoſtoli tradiderūt.*

Ambroſius epiſt. 83. Hieronymus ep. 28. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 24. vbi præclara illa regula, aduerſariorum impietatem proſternit: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritatē Apoſtolica traditum rectiſſimè traditur.* Et de Conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. c. 1. Euangeliſtas in exſcribendo Euangelio magna ex parte Traditionem ſecutos eſſe ſcribit his verbis: *Apoſtoli non ſolùm ea quæ ex ore Chriſti audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta, & facta meminerunt; verùm etiam quæ priuſquam illi per diſcipulatum adhæſerant, in eius natiuitate, vel infantia, vel pueritia diuinitus geſta & digna memoria, ſiue ab ipſo, ſiue à parentibus eius, quibuſlibet alijs certiſſimis indiciis, & fideliſſimis teſtimoniis requirere & cognoſcere potuerunt, impoſito ſibi Euangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt.*

Tandem Concilium Nicænum, cui ſe tum Lutherus tum Caluinus ſponte ſubiiciunt, pro Apoſtolicis & Eccleſiaſticis Traditionibus ita definit Act. 1. *Qui doctrinas ſanctorum Patrum & Traditionem Catholicæ Eccleſiæ contemnit, anathema ſit.* Hinc meritò Lutherani & Caluiniſtæ diuino anathemate feriuntur, qui Apoſtolicas Traditiones non ſolùm contemnunt, ſed omnibus, quibus poſſunt viis, opprimunt, & diſcerpunt.

Et denique, Traditiones in Eccleſia neceſſariò dari, probant quàm efficaciſſimè multa fidei dogmata ab Eccleſia recepta, quæ nulla Scriptura continentur: nam quòd aliquos Canonicos Scripturarum libros eſſe de fide credimus; non Scriptura, ſed Eccleſiæ Traditio efficit. Quòd Symbolum fidei Apoſtolicam doctrinam eſſe fatemur, cùm in eo multa ſint, quæ omnino Scriptura reticet; veluti deſcenſum Chriſti ad inferos, ſanctam Eccleſiam Catholicam credendam, item Sanctorum communionem: hæc non Scripturis, ſed Traditionum Apoſtolicarum fidei debemus. Quòd infantibus, qui propriç fidei actu carent, Baptiſmū adminiſtramus: quòd Dominicum diem pro Sabbato colimus, & plura alia, quæ tum Tertullianus lib. de Corona militis, tum Baſilius in lib. de Spiritu ſancto, c. 27. commemorant: ſanè exploratum eſt, horum dogmatum fidem non ex Scripturis, ſed Eccleſiæ Traditione ad nos profectam eſſe. Hæc de prima Aſſertione.

Assertio secvnda. Traditio, quæ non ſcriptum Dei verbum dicitur, æquè ab omnibus fide excipienda eſt, ac ipſum verbum ſcriptum. Huius Aſſertionis veritas inde pendet, quòd omne ac ſolum Dei verbum, quoquomodò illud habeatur, ſiue ſcripto exaratum, ſiue voce traditum, veræ fidei regula agnoſci debet, vt docet Tertullianus lib. de Præſcript. hæret. cap. 87. *Illis*, ait, *veritatem adiudicat, quicumque in ea regula incedunt, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit.* Et D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 27. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione, in myſterio, id eſt in occulto tradita recepimus: quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem.* Et D. Hieronymus aduerſus Luciferianos, cap. 4. ait: *Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ Legis vſurpauerunt.* Quibus conſentit D. Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum: *In his rebus*, inquit, *de quibus nihil certò ſtatuit Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Denique id decernit ſub pœna anathematis Nicæna Synodus II. Act. 7. *Fatemur*, inquit, *vnanimes nos Eccleſiaſticas Traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas retinere velle.* Et poſt pauca: *Si quis Traditionem Eccleſiæ, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentem non curauerit, anathema.*

Assertio tertia. Catholica & Apoſtolica Traditio in Eccleſia tam neceſſaria eſt, quàm Scriptura. Ratio eſt, quia Catholici Patres vniuerſas ferè hæreſes non ſolis Scripturis, ſed Traditione etiam iugularunt. Sic Origenes non alio iaculo Celſum confodit,

quàm Eccleſiaſtica Traditione. *Nos* (inquit Tract. 20. in Matth.) *illis credere non debemus, nec exire à primâ & Eccleſiaſtica Traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſia Dei tradiderunt nobis.*

Athanaſius tali etiam argumento inuadit in Decretis Synodi Nicænæ contra Euſebium. *Ecce,* inquit, *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtrauimus: vos autem, ô noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?*

D. Baſilius Eunomium ſola Traditione cõfutat lib. 1. contra Eunomium. *Quid tu narras,* ait, *non dabimus plus antiquitati? non verebimur Chriſtianorum multitudinem, tam eorum qui ſunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum eſt? Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni ſpirituali gratia claruerunt?*

Eodem argumento Epiphanius Arianos confutat, hæreſi 69. *Reſpondete nobis,* inquit, *Arij diſcipuli: Ingenitum dicimus ſimul omnes Patrem, & increatum, & admirabilis eſt dictio videlicet: vbi ergo eſt dictio hæc ſcripta, oſtendite. Nec enim Lex dicit, neque Prophetæ, neq; Euangelium, neque Apoſtoli. Si itaque piè dicimus dictionem non ſcriptam, eſtq́; recepta, dum pro gloria Dei dicitur; quis nos reprehenderit, etiamſi non eſſet vox coëſſentialis ſcripta.*

Denique vniuerſa Concilia, quę aduerſus hæreſes celebrata fuere, hac præcipuè argumentandi ratione vſa ſunt: neque alia via citiùs hæreſes extinxerunt, quàm inuiolata Patrum Traditione illis obiecta: ſic Romana Synodus ſub Fabiano vel Cornelio Nouatianam hæreſim confodit, Antiochena Paulum Samozatenum, Nicæna Arium, Gangrenſis Euſtachium, Conſtantinopolitana I. Macedonium, Aquileienſis Palladium & Secundianum, Telenſis Iouinianum, Mileuitana Pelagium, Epheſina Neſtoriũ, Chalcedonenſis Eutychianos, Bracarenſis Priſcillianiſtas, Nicæna II. Iconomachos: vt hinc addiſcere liceat, quàm neceſſaria tum ad fidem confirmandam, tum ad profligandas hæreſes ſemper in Eccleſia fuerit Apoſtolica Traditio.

Finem huic rei imponã cum verbis D. Baſilij in lib. de Spiritu ſancto, cap. 27. & 29. vbi ſic loquitur: *Si conſuetudines & Traditiones,* **tamquam non multùm habentes momenti conemur reijcere, quòd ſcripto proditæ non ſunt: neceſſe erit multa damnare, multa reijcere, improbare multa, multa abolere, plura tollere, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, & continentur. Imò ipſam fidei prædicationem, totamq́; Religionis Chriſtianæ formam ad exiguas & tenues rerum anguſtias, & ad nudum nomen redigere & contrahere.** Ex quibus omnibus patet, quàm rectè Traditiones in Eccleſia ſeruentur, & quàm piiſſimè Rex Receceſuinthus eas amplexatus fuerit.

Nunc Canones Concilij ſummatim proſequamur.

In Canone I. pronuntiatur tantùm Symbolum fidei, quomodo nunc proponit publicè Eccleſia.

Canon II.

De incauto iuramento.

In ſecundo Canone de incautis iuramentis diſſerit multa. Primò, Quòd iuramenta reſolui non poſſunt. Probat per illud Exodi, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum,* id eſt, fruſtrà. Secundò, Quòd iuramenta illicita non ſunt ſeruanda, & comminatoria ſunt mitiganda. Tertium quod tractat, eſt: Vbi periculi neceſſitas compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligari. Quid autem ex his leuius, quídve ſit grauius, pietatis acumine inueſtigemus. Etenim dum periurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, ſed nos tantummodò maculamus. Cùm verò noxia promiſſa complemus, & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & noſipſos crudeliori gladio trucidamus. Exod. 20.

In Canone III. agitur de his, qui ſacros Ordines muneribus aſſequuntur: qui quidem Canon multoties eſt repetitus, ideò hoc loco omittitur.

Annotatio.

Gratis Ordines conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum eius donum pretio æſtimatur, docuerunt antiqui Patres, Hormiſda Papa in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Concilium II. Aurel. cap. 3. & Turonenſe II. cap. 28. & Toletanum IV. cap. 18. & Bracarenſe II. cap. 3. & nouiſſimè Concilium Tridentinum, ſeſſ. 21. cap. 1. *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & Ordinum collatores accipiant.*

In Canone IV. agitur de continentia

tia Epiſcoporum : adeò vt ſi deinceps Epiſcopi detecti fuerint execrabilibus flagitiis cum quibuſlibet feminis pollui, nouerint ſe irreuocabili ſententia Patrum vlciſci, id eſt, & loci, & Ordinis dignitate priuari.

In CANONE V. agitur de continentia Presbyterorum & Diaconorum.

In CANONE VI. agitur de continentia Subdiaconorum. De quibus aliàs ſtatutum eſt.

ANNOTATIO.

Ex Apoſtolis fluxit, vt coniugati non ordinentur, vt conſtat ex epiſtolis Siricij Papæ, cap. 7. & Innocentij Papæ I. epiſt. 2. cap. 9. & Hormiſdæ Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, c. 1. Hinc qui coniugati ordinabãtur, à Subdiaconatu deinceps, nõ ſinebãtur vxoribus miſceri. Toletano I. c. 1. Carthaginẽſi V. c. 3. Agathenſi c. 9. Aurelianẽſi III. c. 2. Poſt Sacerdotium adeptum nullus matrimonio iungebatur. Itaque licebat ex coniugato Sacerdotem fieri; ex Sacerdote verò coniugatũ minimè.

CANON VII.

De his qui poſt aſſumptum Eccleſiaſticum gradum ad coniugia redire volunt.

SICVT ſanctum Chriſma collatum, & Altaris honor propter conſecrationem (quæ per Epiſcopos tantùm exercenda & conferenda ſunt) euelli non queunt; ita quoque ſacrum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnimodè inconuulſum: ſicut enim & ſono ſancti Baptiſmatis inappretiabile donũ ſemper, & ſæpè non ſolùm nolentibus, verùm etiam (quod maius eſt) neſcientibus impartitur, tamen hoc à nullo penitùs profanari permittitur; ſic nec quod diuina iuſſione, ſimulque Apoſtolicæ Traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe, à quoquam aliquando profanari licebit. Vnde quicumque, etiamſi inuiti, ad Eccleſiaſticarum officia dignitatum aſſumuntur, deſerere quam ſemel receperunt gratiam donumque nequaquã audeant. Si verò ad coniugia moreſque ſęculi redire attentauerint, omni Eccleſiaſtica dignitate priuẽtur, & apoſtatæ habeantur: & in Monaſterio, donec vixerint, ſub pœnitentia retrudantur.

In CANONE VIII. decernitur, vt quis non ordinetur, niſi ſciat Pſalteriũ. In fine cuius Canonis hæc aurea verba habentur: Solus ergo accedat ad ſacra myſteria Dei tractanda, quem morum innocentia & literarum ſplendor reddunt illuſtrem.

CANON IX.

De his qui ieiunium Quadrageſimæ ſoluunt.

QVISQVIS ſine ineuitabili neceſſitate atque fragilitate, & euidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione; & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ętas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita violare præſumant, quàm à Sacerdote permiſſum percipiant. *Quàm ſeuerè olim cauebatur eſus carnium in Quadrageſima.*

In CANONE X. commendatur obſeruantia Decretorum.

In CANONE vltimo tantùm definitum eſt, vt circa Iudæos ſeruentur Decreta in Concilio Toletano IV. capitulis 56. 57. 58. 59. 60. & in multis aliis cap. illius Concilij.

Subſcripſerũt quinquaginta & quinq; Epiſcopi. Subſcripſerũt & Abbates, deinde Vicarij Epiſcoporum abſentium; vltimò, viri illuſtres Officij Palatini.

CONC. TOLETANVM IX.

Epiſcoporum ſexdecim habitum anno 7. RECCESVINTHI *Regis, poſt diem Kal. Nou. Aera 693. quæ coincidit cum anno Chriſti 655. &* VITALIANI *Papæ II. Eſt Prouinciale.*

PRAEFATIO.

QVIA nequaquam rectè ſubditos iudicat, qui non ſeipſum priùs iuſtitiæ cenſura caſtigat, aptum nobis & expedibile viſum eſt, antè *ANNO DOMINI DC.LV.*

quàm Eccleſiaſtica Traditione. *Nos* (inquit Tract. 20. in Matth.) *illis credere non debemus, nec exire à primâ & Eccleſiaſtica Traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſia Dei tradiderunt nobis.*

Athanaſius tali etiam argumento inuadit in Decretis Synodi Nicænæ contra Euſebium. *Ecce*, inquit, *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtrauimus: vos autem, ô noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?*

D. Baſilius Eunomium ſola Traditione cõfutat lib. 1. contra Eunomium. *Quid tu narras*, ait, *non dabimus plus antiquitati? non reuerebimur Chriſtianorum multitudinem, tam eorum qui ſunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum eſt? Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni ſpirituali gratia claruerunt?*

Eodem argumento Epiphanius Arianos confutat, hæreſi 69. *Reſpondete nobis*, inquit, *Arij diſcipuli: Ingenitum dicimus ſimul omnes Patrem, & increatum, & admirabilis eſt dictio videlicet: vbi ergo eſt dictio hæc ſcripta, oſtendite. Nec enim Lex dicit, neque Prophetæ, neq; Euangelium, neque Apoſtoli. Si itaque piè dicimus dictionem non ſcriptam, eſtq́; recepta, dum pro gloria Dei dicitur; quis nos reprehenderit, etiamſi non eſſet vox coëſſentialis ſcripta.*

Denique vniuerſa Concilia, quę aduerſus hæreſes celebrata fuere, hac præcipuè argumentandi ratione vſa ſunt: neque alia via citiùs hæreſes extinxerunt, quàm inuiolata Patrum Traditione illis obiecta: ſic Romana Synodus ſub Fabiano vel Cornelio Nouatianam hæreſim confodit, Antiochena Paulum Samozatenum, Nicæna Arium, Gangrenſis Euſtachium, Conſtantinopolitana I. Macedonium, Aquileienſis Palladium & Secundianum, Telenſis Iouinianum, Mileuitana Pelagium, Epheſina Neſtoriũ, Chalcedonenſis Eutychianos, Bracarenſis Priſcillianiſtas, Nicæna II. Iconomachos: vt hinc addiſcere liceat, quàm neceſſaria tum ad fidem confirmandam, tum ad profligandas hæreſes ſemper in Eccleſia fuerit Apoſtolica Traditio.

Finem huic rei imponã cum verbis D. Baſilij in lib. de Spiritu ſancto, cap. 27. & 29. vbi ſic loquitur: *Si conſuetudines & Traditiones, tamquam non multùm habentes momenti conemur reijcere, quòd ſcripto prodita non ſunt: neceſſe erit multa damnare, multa reijcere, improbare multa, multa abolere, plura tollere, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, & continentur. Imò ipſam fidei prædicationem, totamq́; Religionis Chriſtianæ formam ad exiguas & tenues rerum anguſtias, & ad nudum nomen redigere & contrahere.* Ex quibus omnibus patet, quàm rectè Traditiones in Eccleſia ſeruentur, & quàm piiſſimè Rex Receceſuinthus eas amplexatus fuerit.

Nunc Canones Concilij ſummatim proſequamur.

In Canone I. pronuntiatur tantùm Symbolum fidei, quomodo nunc proponit publicè Eccleſia.

CANON II.

De incauto iuramento.

In ſecundo Canone de incautis iuramentis diſſerit multa. Primò, Quòd iuramenta reſolui non poſſunt. Probat per illud Exodi, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id eſt, fruſtrà. Secundò, Quòd iuramenta illicita non ſunt ſeruanda, & comminatoria ſunt mitiganda. Tertium quod tractat, eſt: Vbi periculi neceſſitas compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligari. Quid autem ex his leuius, quídve ſit grauius, pietatis acumine inueſtigemus. Etenim dum periurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, ſed nos tantummodò maculamus. Cùm verò noxia promiſſa complemus; & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & noſipſos crudeliori gladio trucidamus. Exod. 20.

In Canone III. agitur de his, qui ſacros Ordines muneribus aſſequuntur: qui quidem Canon multoties eſt repetitus, ideò hoc loco omittitur.

ANNOTATIO.

Gratis Ordines conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum eius donum pretio æſtimatur, docuerunt antiqui Patres, Hormiſda Papa in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Concilium II. Aurel. cap. 3. & Turonenſe II. cap. 28. & Toletanum IV. cap. 18. & Bracarenſe II. cap. 3. & nouiſſimè Concilium Tridentinum, ſeſſ. 21. cap. 1. *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & Ordinum collatores accipiant.*

In Canone IV. agitur de continentia

tia Epiſcoporum: adeò vt ſi deinceps Epiſcopi detecti fuerint execrabilibus flagitiis cum quibuſlibet feminis pollui, nouerint ſe irreuocabili ſententia Patrum vlciſci, id eſt, & loci, & Ordinis dignitate priuari.

In CANONE V. agitur de continentia Presbyterorum & Diaconorum.

In CANONE VI. agitur de continentia Subdiaconorum. De quibus aliàs ſtatutum eſt.

ANNOTATIO.

Ex Apoſtolis fluxit, vt coniugati non ordinentur, vt conſtat ex epiſtolis Siricij Papæ, cap. 7. & Innocentij Papæ I. epiſt. 2. cap. 9. & Hormiſdæ Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, c. 1. Hinc qui coniugati ordinabãtur, à Subdiaconatu deinceps, nõ ſinebãtur vxoribus miſceri. Toletano I. c. 1. Carthaginẽſi V. c. 3. Agathenſi c. 9. Aurelianẽſi III. c. 2. Poſt Sacerdotium adeptum nullus matrimonio iungebatur. Itaque licebat ex coniugato Sacerdotem fieri; ex Sacerdote verò coniugatũ minimè.

CANON VII.

De his qui poſt aſſumptum Eccleſiaſticum gradum ad coniugia redire volunt.

SICVT ſanctum Chriſma collatum, & Altaris honor propter conſecrationem (quæ per Epiſcopos tantùm exercenda & conferenda ſunt) euelli non queunt; ita quoque ſacrum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnimodè inconuulſum: ſicut enim & ſono ſancti Baptiſmatis inappretiabile donũ ſemper, & ſæpè non ſolùm nolentibus, verùm etiam (quod maius eſt) neſcientibus impartitur, tamen hoc à nullo penitùs profanari permittitur; ſic nec quod diuina iuſſione, ſimulque Apoſtolicæ Traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe, à quoquam aliquando profanari licebit. Vnde quicumque, etiamſi inuiti, ad Eccleſiaſticarum officia dignitatum aſſumuntur, deſerere quam ſemel receperunt gratiam donumque nequaquã audeant. Si verò ad coniugia moreſque ſeculi redire attentauerint, omni Eccleſiaſtica dignitate priuẽtur, & apoſtatæ habeantur: & in Monaſterio, donec vixerint, ſub pœnitentia retrudantur.

In CANONE VIII. decernitur, vt quis non ordinetur, niſi ſciat Pſalteriũ. In fine cuius Canonis hæc aurea verba habentur: Solus ergo accedat ad ſacra myſteria Dei tractanda, quem morum innocentia & literarum ſplendor reddunt illuſtrem.

CANON IX.

De his qui ieiunium Quadrageſimæ ſoluunt.

QVISQVIS ſine ineuitabili neceſſitate atque fragilitate, & euidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione; & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ętas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita violare præſumant, quàm à Sacerdote permiſſum percipiant.

Quàm ſeuerè olim cauebatur eſus carnium in Quadrageſima.

In CANONE X. commendatur obſeruantia Decretorum.

In CANONE vltimo tantùm definitum eſt, vt circa Iudæos ſeruentur Decreta in Concilio Toletano IV. capitulis 56. 57. 58. 59. 60. & in multis aliis cap. illius Concilij.

Subſcripſerũt quinquaginta & quinq; Epiſcopi. Subſcripſerũt & Abbates, deinde Vicarij Epiſcoporum abſentium; vltimò, viri illuſtres Officij Palatini.

CONC. TOLETANVM IX.

Epiſcoporum ſexdecim habitum anno 7. RECCESVINTHI *Regis, poſt diem Kal. Nou. Aera 693. quæ coincidit cum anno Chriſti 655. &* VITALIANI *Papæ* II. *Eſt Prouinciale.*

PRAEFATIO.

QVIA nequaquam rectè ſubditos iudicat, qui non ſeipſum priùs iuſtitiæ cenſura caſtigat, aptum nobis & expedibile viſum eſt, antè

ANNO DOMINI DCLV.

Digitized by Google

antè noſtris exceſſibus imponere modum, & ſic errata corrigere ſubditorum. Tunc namque meliùs iudiciorum exordia ducuntur, cùm vita Iudicum antè diſponitur; eò quòd potiùs iudicij forma completur, cùm negotiorum principiis ęquitas iudicantium anteferatur. Ideò exordium æquitatis inchoari à Iudicibus debet, vt perfecta iuris cauſatio limitem apertiùs formet.

Canon I.

Qualiter heredes fundatoris Eccleſiæ ſollicitudinem eius gerant.

NVLLVS Sacerdotum vel miniſtrorum, ex rebus Eccleſiæ quæ in quibuſcumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel iuri ſuo cōnectat. Et vt huius rei potior ſoliditas habeatur, condignis filiis, vel nepotibus, honeſtioribuſque propinquis eius qui conſtruxit vel ditauit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, vt ſi Sacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex Altaris rebus præuiderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conuentione compeſcant, aut talia Epiſcopo vel Iudici corrigenda denuntient. Qui verò hæc monita temerare voluerit, excommunicetur.

Canon II.

Fundatores Eccleſiarum, miniſtros eligant ibi ſeruituros.

QVAMDIV fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, atque rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant ſeruituros.

Canon III.

Si de rebus Eccleſiæ pro præſtatione aliquid dari dicatur, cauſa præſtiti cognoſcatur.

SI Sacerdos vel miniſter de rebus Eccleſiæ quidpiam alicui ſub præſtationis obtentu concedat, inſtrumento cauſam præſtiti euidenter exponat. Aliter verò pro huius negotij cauſa deinceps ſcriptura non valeat.

Canon IV.

De rebus conquiſitis à Clericis, qualis diuiſio fiat.

DE rebus conquiſitis per eos quibus Eccleſiaſticarum rerum cura commiſſa eſt, inter Eccleſiam & Sacerdotis heredes æqualis diuiſio fiat. Quicumque verò de prædictis Sacerdotibus vel miniſtris pro ſui vtilitate atque amicitia, vel præſtatione, aut quocumq; modo, aut per ſcripturę ſeriem aliquid meruerint à quolibet percipere, in rebus Eccleſiaſticis non poterit numerari: ſed quod exinde voluerint facere, in ipſorum voluntatis arbitrio ſubiacebit. 12. q. 4. Sacerdotes 12. q. 5. Quicumque de Sacerd.

Canon V.

Quid Monaſterio vel Eccleſiæ Epiſcopus conferre poſſit.

SI Epiſcopus Monaſterium facit, vel Eccleſiam Parochialem, quam pro ſuis magnificare voluerit ſepulturis, non amplius quàm centeſimam partem cenſus Eccleſiæ cui præſidet, ibidem conferre licebit. At verò Monaſterio quinquageſimam tantùm partem dare debebit. 12. q. 2. Bonæ rei dare.

Canon VI.

Epiſcopus tertiam partem ſibi debitam, cui voluerit, conferat.

CVM præteritis ſanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus Parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur, opportunè tamen duximus decernendum, vt ſi Epiſcopus tertiam partem, quam de rebus earumdem ſanctione ſibi debitam nouit, aut ipſi Eccleſiæ, cuius res eſſe patebit, aut alteri Eccleſiæ quam elegit, conferre decreuerit, & licitum maneat, & irrêuocabile robur eius ſententia ferat. 12. q. 3. Epiſcopus.

Canon VII.

Ne extra ordinem præſcriptum heredes morientis Sacerdotis rem eius adire præſumant.

PROPINQVI morientis Epiſcopi nihil de rebus eius abſque Metropolitani cognitione vſurpare præſumant. Quòd ſi is qui deceſſerit, Metropolitanus fuerit, ſucceſſoris eius ſententiam aut

Digitized by Google

aut conſilium ſuſtinebunt, ne paſſim hereditatis adeundæ data licentia de rebus Eccleſiæ, aut non retineatur ratiò plena, aut fraus inueniatur illata. Quòd ſi Presbyteri aut Diaconi fuerint, quos obiiſſe conſtiterit; non ſine agnitione ſui Epiſcopi rem eius heredibus adire licebit.

CANON VIII.

A quo tempore incipiat præſcriptio in rebus Eccleſiæ.

16.q. 3. Si Sacerdos. SI Epiſcopus, vel Sacerdos, vel miniſter, illicitè alienauit res Eccleſiæ, viuente ipſo nulla præſcriptio currit contra Eccleſiam in rebus illis, ſed eo mortuo incipit currere.

CANON IX.

Quantum commodum ſibi Epiſcopus tollat de Eccleſia, cuius tumulauerit Sacerdotem.

COMMVNI decreto ſancimus, vt cùm Pontificem mori contigerit, Epiſcopus qui ad humandum corpus aduenerit, deſcriptis theſauris atque ornamentis omnibus, ſi locuples decedētis Eccleſia fuerit, non amplius quàm libram auri in rebus, quibus ei placuerit (exceptis ornamentis Eccleſiæ) cum gratia offerentium auferre pertentet. Si verò minor rebus extiterit, dimidiam libram ſibi ſcienter vſurpet.

CANON X.

De filiis Clericorum.

15.q. 8. Cum multæ. CVM multæ ſuper incontinentia Ordinis Clericorum hactenus emanauerint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum reformari quiuerit correctio morum: ideoque quilibet ab Epiſcopo vſq; ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ vel ex ingenuæ deteſtando connubio, in honore conſtituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probantur, Canonica cenſura damnentur: proles autem ex tali pollutione nata, non ſolùm hereditatem parentum numquam accipiet, ſed etiam in ſeruitutem eius Eccleſiæ, de cuius Sacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt.

ANNOTATIO.

PROLES *autem*, &c. Concilium Lateranenſe II. cap. 31. ita de hac re ſancit: *Firmiter prohibemus ne Canonicorum filij, maximè ſpurij, Canonici fiant in ſacularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres: & ſi fuerit contrà præſumptum, decernimus non valere. Qui verò (vt dictum eſt) Canonicare præſumpſerit, à ſuis beneficiis ſuſpendatur.* Idē Alexander III. part. 19. cap. 1. 3. & 4. & ſequentibus: & Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. can. 15. Quinimò ad Ordines non debent admitti, etiamſi probatæ vitæ fuerint, niſi in Monaſterio vel Regulari vita degentes: Alexander Papa III. part. 19. cap. 2. Concubinæ verò Clericorum, ſeu mulieres illę quæ contra Eccleſiæ Leges Clericis cohabitabant, vnde infamiæ nota illis inureretur, ab Epiſcopis olim venumdabantur in ſeruas, pretium verò pauperibus erogabatur, vt conſtat ex Concilio III. Toletano can. 5. & Concilio Toletano IV. cap. 48. Concilio Toletano VIII. cap. 5. & aliis multis locis. A Reccaredo verò Rege lib. 3. tit. 4. leg. 18. Fori Iudicum ſancitur, vt huiuſmodi mulieres centenis flagellis verberentur. De illegitimis multa decreuit hoc tempore Sixtus V. Sanctiſſimus Pontifex, ad optimum regimen Eccleſiæ ſtabiliendum. Apud Gratianum tota quinquageſima ſexta Diſtinct. de hac re agitur. Verùm de Sacerdotibus quid tradat Philo Iudæus in Decalogo, perpendendum duxi. *In Sacerdote*, inquit, *& hominum genus examinatur, vt ſit inculpabile, & competens, partibus ſui corporis vſquequaque integrum.* Quod licet loquatur de Sacerdote veteris Legis, qui ex decreto Domini debebat eſſe iuſtis natalibus ortus, & integer corpore, verùm id etiam ſeruatur in noua, vbi ad altius & præſtantius ſumus vocati Sacrificium & cultum.

CANON XI.

Serui Eccleſiarum non ordinandi.

SERVI Eccleſiarum ordinari non debent, niſi priùs libertatem ab Epiſcopis conſequantur. Et ſi honeſtè in Clericatu vixerint, poterunt ad officia maiora promoueri. D. 54. Qui ex familiis.

CANON XII.

SI ſeruis Eccleſiæ à Sacerdote libertas conferatur, tempus annorum à die mortis eius tantùm computari debet.

CANON XIII.

Vt liberti Eccleſiæ abſtineant à coniugio Gothorum.

CVNCTIS Eccleſiarum libertis, tam viris quàm feminis, eorumque propagini interdicitur iudicio generali, ne deinceps cauſa connubij, aut Romanis ingenuis copulentur, aut Gothis. Quòd ſi hoc factum quandoq; patuerit, permiſtione tali genita proles numquam merebitur ius debitę dignitatis, nec Eccleſiæ vmquam carebit obſequiis.

CANON XIV.

QVOD ſi tales liberti ad Eccleſiam reuerti noluerint, quæcumque vel parentes eorum, vel ipſi ab Eccleſia ſunt adepti, inſiſtente Pontifice, in ditionem propriæ reducantur Eccleſiæ.

CANON XV.

IN Canone xv. tantùm agitur de obſequio & diſciplina libertorum Eccleſiæ.

CANON XVI.

LIBERTIS Eccleſiæ eorumque propagini, ex omnibus quæ de iure Eccleſiæ noſcuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium transferre: ſuis autem filiis, vel propinquis, eiuſdem Eccleſiæ vel ſeruitio, vel patrocinio ſubiugatis, quæcumque donare vel vendere voluerint, poterunt.

CANON XVII.

Baptizati Iudæi cum Epiſcopis celebrent dies feſtos.

BAPTIZATI Iudæi quocumque loco certo tempore conuerſentur. Feſtis tamen pręcipuis noui Teſtamenti ſerie conſecratis, ac diebus illis, quos olim ſanctione veteris Legis ſibimet cenſebant eſſe ſolemnes, in ciuitatibus publiciſque conuentibus cum ſummis Dei Sacerdotibus celebrare præcipimus, vt eorum conuerſationem & fidem Pontifex approbet, & veritas ſeruet. Huius verò temerator edicti, prout Epiſcopus permiſerit, aut flagris, aut abſtinentiæ ſubiacebit.

CONCILIVM TOLETANVM X.

Epiſcoporum viginti, anno 8. RECCESVINTHI *Regis, Æra 694. celebratum ſub* VITALIANO *Papa. Eſt Prouinciale.*

CANON I.

De celebritate Annuntiationis Dominicæ.

ANNO DOMINI DCLVI. *Hac Feſtiuitas in ſola Hiſpania celebratur.*

QVONIAM die, qua inuenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nuntiaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem die Feſtiuitas non poteſt celebrari condignè, quòd interdum Quadrageſima, vel Paſchale feſtum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, conuenit celebrari: cùm ſecundùm ipſam Incarnationem Verbi non cōueniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat, ipſum Verbum poſt mortem carnis, gloria Reſurrectionis attolli. Ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, vt ante octauum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, vt ſicut Natiuitatem Filij ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtiuitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolemnitas. Nam quod Feſtum matris eſt, niſi Incarnatio Verbi? Cuius feſtum ita debet eſſe ſolemne, ſicut eſt & eiuſdem Natiuitas Verbi. In multis itaque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Solemnitas itaq; Dominicæ matris die quintadecima Kalendarum Ianuariarum omnimodò celebretur.

CANON II.

QVI contra ſalutem Principum, gentis, aut patriæ aliquid machinatur, ab Epiſcopo vſque ad extremum Ordinis Clericorum, aut Monachorum, mox omni dignitate & honore priuetur.

CA-

CANON III.

Contra Epiſcopos, qui Monaſteriis vel Eccleſiis conſanguineos vel ſibi fauentes præficiunt.

AGNOVIMVS enim quoſdam Pontifices præcepti Principis Apoſtolorum, qui ait, Paſcite, qui in vobis eſt, gregem, non coactè, ſed ſpontaneè: neque vt dominantes in Clero, &c. ita eſſe immemores, vt quibuſdam Monaſteriis, Parochialibuſque Eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui fauoris participes, iniquum ſæpè ſtatuant in Prælatum, ita illis prouidentes commoda inhoneſta, vt aut eiſdem deferantur, quæ proprio Epiſcopo dari iuſtus ordo depopoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violētia poterit. Proinde placuit nobis, & in præſenti tale reſcindere factum, & non eſſe de cetero faciendum. Nam quiſquis Pontificum deinceps, aut ſanguine propinquis aut fauore perſonis quibuſcumque ſibi coniunctis, talia commendare lucra tentauerit, ad ſuum nefandæ præſumptionis excidium, & quod iuſtum fuerit, deuocetur in irritum; & qui ordinauit, annuæ excommunicationi ſubiaceat. Quæ verò ablata fortaſſe fuerint, ab eo qui tulit, reddantur in duplum.

1.Pet.5.

Diſt. 89. Decenter omnibus placet.

CANON IV.

De profeſſione & habitu viduæ profeſſæ.

VIDVA, quæ ſanctæ Religionis obtinere propoſitum voluerit, Sacerdoti, vel miniſtro, ad quem aut ipſa venerit, aut quem ad ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem faciat, à ſe aut ſigno, aut ſubſcriptione notatam, continentem, ſe & Religionis propoſitum velle, & hoc perenniter inuiolatè ſeruare. Tunc accepta à Sacerdote vel miniſtro apta huius Religionis veſte, ſeu lectulo quieſcens, ſiue in quocumq; loco conſiſtens, incunctanter ea vtatur. Nec diuerſi coloris aut diuerſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, ſed religioſa, & non ſuſpecta, quæ careat varietatibus colorum. Pallio purpureo, vel nigri coloris caput contegat ab initio ſuſceptæ Religionis, vt dum illic tulerit ſignum probabilis ſanctitatis, vbi nullius falli poterit viſio intuentis, numquam auſus attentet deteſtandæ præſumptionis.

CANON V.

De feminis, quæ propoſitum religionis abiecerunt.

SANCTIMONIALES feminæ, quæ propoſitum abiecerunt Religionis, commoneantur Sacerdotis auctoritate, vt redeant ſpontè. Quæ ſi redire noluerint, impulſu Sacerdotis ad Religionis cultum reducantur, & in Monaſteriis redactæ excommunicationis ſententia feriantur. Hic idem quoque ordo in illarum condemnatione manebit, quæ quamlibet à Sacerdote ſanctimoniæ veſtem non accepiſſent, ipſæ tamen aut indutæ ſunt, aut illo indui habitu conſenſerunt, qui Religionis eſſe cultus ab intuentibus crederetur, ſi coram Eccleſia, vel Sacerdote, aut etiam competentibus teſtibus quandoq; indutæ certis indiciis aut teſtimoniis approbantur.

17.qu.1. Omnes feminæ.

CANON VI.

Quoto anno liceat parentibus filios tradere Religioni.

SI in qualibet minori ætate, vel Religionis tonſuram, vel Religioni debitam veſtem in vtroque ſexu filiis, aut vnus, aut ambo parentes dederint, certè, aut nolētibus, vel neſcientibus ſeſe ſuſceptam, & non mox viſam in filiis abdicauerint, ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia palamq; in conuentu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reuerti habitum ipſis filiis quandoque penitùs non licebit; ſed conuicti, quòd tonſuram aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad Religionis cultum habitumque reuocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione huiuſcemodi obſeruantiæ inſeruire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos Religioni contradere non ampliùs quàm vſque ad quartumdecimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe.

20.q.1. Si in qualibet.

Digitized by Google

In CANONE VII. agitur, vt nullus ex Sacerdotibus, Leuitis, vel ex Catholicorum cœtu, audeat mancipia Chriſtiana Iudæis vel Gentilibus venumdare.

Deinde ponitur Decretum pro Potamio Bracarenſi Epiſcopo, qui cùm tactu femineo ſorduiſſet, depoſitus fuit à ſede: ad quam promotus fuit Fructuoſus Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus.

ANNOTATIO.

Sic autem erat Can. Apoſtolorum 25. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus eſt, deponatur; non tamen communione priuetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum.* Habetur Diſt. 81. cap. Presbyter.

CONCIL. CLYPIACENSE

à CLODOVEO *Galliarum Rege celebratum anno Domini 662. ſub* VITALIANO *Papa.*

ANNO DOMINI DCLXII. DE hac Synodo, quæ in Clypiaco, id eſt, in villa quadam territorij Pariſienſis, habita fuit, apud Aimoïnum lib. 4. cap. 41. hæc leguntur: *Anno 16. ex quo ſceptra ſuſceperat regalia Clodoueus, Pontifices & totius gentis Principes Clypiacum conuenire iubens, mediuſque inter eos ſolio reſidens, hoc habuit ſermonis exordium. Quamquam, inquiens, Francigenæ ciues, terreni nos cura Principatus admonuerit, publicis nos rebus conſultores aduocare; tamen priùs nobis conuenit ea quæ Dei & Sanctorum eius ſunt, diſponere, vt poſtmodum ea quæ noſtra ſunt, Deo dante, ex ſententia cedant.* Et poſt pauca: *Noſtri itaque deuotio hæc extat animi, vt Monaſterium Patroni noſtri Domini Dionyſij, in quo ipſe cùm conſortibus teſtimonij veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitores noſtri, Dominus videlicet Dagobertus ore Dominæ Nantildis ſe ſepeliri mandauerunt, ab omni ſoluamus dominio mortalium; quatenus Abba, vel fratres eo loco commanentes, poſſeſſiones à parentibus noſtris ſiue ab aliis fidelibus Chriſtianis ſibi traditas, abſque vllius dominationis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra ac ſtatu Regni noſtri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis Landericus Pariſiacæ vrbis Præſul, in cuius Diœceſi Cœnobium illud ſitum eſt, & cui vſque ad præſens tempus ſubiectũ fuit. Hanc ergo libertatem ſerui Dei inibi conſtituti dum fuerint adepti, nulliuſque præter Dei & Sanctorum, noſtrumque, cui etiam tota Francorum natio paret, fuerint perpeſſi dominatum, ſciant ſe debito tali genitoribus noſtris & nobis, eiſque qui noſtro (vt ſperamus) per Dei gratiam orientur ex ſemine, fore obnoxios: & pro noſtra, eorumque quos commemorauimus, præſenti ac futura requie non deſinant Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum circumſtantes poſtquam auſcultauerunt intentè, in laudibus eius proclamantes, manſura ei optant gaudia. Huic conuentui interfuere propè omnes Gallicani Epiſcopi, inter quos quidam ſancti extiterunt viri, quos ſancta Eccleſia dignis effert honoribus, eò quòd ad eorum ſepulchra variis vexati ſanarentur infirmitatibus: id eſt, B. Audoënus, S. Rado frater ipſius, & Dominus Eligius, cum B. Sulpitio, necnon S. Eucherio.*

CONCILIVM CABILONENSE

ſub CLODOVEO *Rege tempore* VITALIANI *Papæ celebratum. Eſt Prouinciale.*

PRAESENTIA Clodouei Regis, quem anno Domini 664. diem obiiſſe ſcribit Auctor Appendicis ad Gregorium Turonenſem, non patitur poſt prędictũ annum 664. hanc Synodum collocari: & vt eadem anteponatur Clypiacenſi Concilio, non admittit ſubſcriptio Audoberti Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopi. Nam Clypiacenſis habita fuit ſub Landerico Pariſienſi Epiſcopo, vt patet ex verbis Aimoïni ſuprà allegatis. His itaque de cauſis viſum eſt mihi, hanc Synodum Cabilonenſem ad hæc Vitaliani tempora referendam eſſe. DCLXIII.

CA-

CANON I.

Omnes vna conſpiratione & conniuente animo ſentiant.

OMNES inſpirante Domino vno animo definimus, vt fidei norma, ſicut & in Nicæno Concilio pia eſt profeſſione formata, vel à ſanctis Patribus tradita, atque ab ipſis expoſita, vel poſtmodum à ſancto etiam Chalcedonenſi Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conſeruetur.

CANON II.

CANONVM ſtatuta ab omnibus intemerata ſeruentur.

CANON III.

De Clericorum cum extraneis mulieribus familiaritate fugienda.

SI QVIS Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quicumque ex Sacerdotali Catalogo, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habuerit, quæ dedecoris vel adulterij poſſit afferre ſuſpicionem, ab Ordine degradetur.

CANON IV.

VT duo in vna ciuitate penitùs vno tempore nec ordinentur aut habeantur Epiſcopi.

CANON V.

Sæculares commiſſionem ſeu regimen Parochiarum non habeant, nec rerum earum.

SAECVLARES verò, qui necdum ſunt ad Clericatum conuerſi, res Parochiarum, vel ipſas Parochias ad regendum non habeant commiſſas.

CANON VI.

Nullus ante audientiam res quorumlibet inuadere aut auferre præſumat.

NVLLVS ante audientiam res quorumlibet inuadere aut auferre pręſumat. Quod qui fecerit, vt necator pauperum habeatur.

CANON VII.

Res defuncti Presbyteri aut Abbatis, intactæ ad tempus permaneant.

DEFVNCTO Presbytero, vel Abbate, nihil ab Epiſcopo auferatur, vel à quocumque de rebus Parochiæ, vel Xenodochij, vel Monaſterij aliquid debeat * minuere. Quod qui fecerit, iuxta Decreta Canonum coërceatur.

* minui.

CANON VIII.

De pœnitentia peccatorum, quæ eſt medela animæ.

DE pœnitentia verò peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem omnibus hominibus eſſe cenſemus, & vt pœnitentibus à Sacerdotibus facta confeſſione indicatur pœnitentia.

CANON IX.

Ne mancipia Chriſtiana alienis vendantur.

NVLLVS mancipium extra fines vel terminos, qui ad Regnum Clodouei Regis pertinent, penitùs debeat venumdare, ne per tale commercium, aut captiuitatis vinculo vel Iudaicæ ſeruituti mancipia Chriſtiana teneantur implicita.

CANON X.

De electione Epiſcopi poſt alicuius mortem.

SI QVIS Epiſcopus de quacumque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio niſi à comprouincialibus, Clero & ciuibus ſuis, vlteriùs habeatur electio: ſin autem, huius Ordinatio irrita habeatur.

CANON XI.

Ne coram Iudicibus publicis Eccleſiaſtici compareant.

STATVIMVS, vt ſi Iudices publici, præſumptione vel poteſtate qua pollent, Clericos vel Abbates coram ſe comparere fecerint, à communione omnium Sacerdotum eos conuenit ſequeſtrari.

CANON XII.

Ne duo Abbates vni Monaſterio præficiantur.

DVO Abbates in vno Monaſterio eſſe non debent, verumtamen ſi quilibet Abbas ſibi elegerit ſucceſſorem, ipſe qui ſic eligitur, de facultatibus ipſius Monaſterij ad regendum nullam habeat poteſtatem.

CANON XIII.

Vt nullus alterius Clericum, illo inuito, retinere præſumat.

NVLLVS alterius Clericum retinere præſumat, nec ad ſacrum Ordinem

Digitized by Google

nem ſine voluntate Epiſcopi penitùs promouere.

CANON XIV.

Ne his, qui curam habent Oratoriorum per villas potentum exiſtentium, vis inferatur, aut impedimentum, quo minùs illis intendant.

STATVIMVS vt Epiſcopis cura & poteſtas ſit tam de ordinatione Clericorum, quàm de facultatibus collatis Oratoriis, quæ per villas fiunt, qualiter ad ipſa Oratoria & officium diuinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari. Quòd ſi aliqui, etiam fundatores illorum, contradixerint, communione priuentur.

CANON XV.

Ne Eccleſiaſtici patrociniis Principum vtantur, vbi vitari poteſt.

ABBATES, vel Monachi, aut Agentes Monaſteriorum patrocinio ſæculari penitùs non vtantur, nec ad Principis præſentiam, ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant. Aliàs excommunicentur.

CANON XVI.

Nullus promoueatur ad ſanctos Ordines pecuniâ vel præmio: contraueniens, digna pœna puniatur, honore adepto priuatus.

NVLLVS Epiſcopus, nec Presbyter, vel Abbas, ſeu Diaconus per præmium ad ſacrum Ordinem accedat. Si acceſſerit, ipſo honore priuetur.

CANON XVII.

Quòd Eccleſiaſticorum locorum emunitas omnino tueatur & defenſetur.

NVLLVS ſecularium nec in Eccleſia, nec infra atrium ipſius Eccleſiæ, qualecumque ſcandalum aut ſimultates excitare præſumat, nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum appetere. Quod ſi fecerit, communione priuetur.

CANON XVIII.

Die Dominico nulla ruralia opera fiant, ſed dies ille celebris habeatur.

HIC agitur de obſeruatione Dominici diei tantùm, ſecundùm Statuta Concilij Aurelianenſis III. Canone 17.

CANON XIX.

Ne turpia cantica in Eccleſiis cantentur.

VALDE enim omnibus noſcitur indecorum, quòd per dedicationes Baſilicarũ, aut Feſtiuitates Martyrum, ad ipſa ſollemnia confluentes, chorus femineus turpia quædam & obſcœna cantica decantare videntur, dum aut orare debeant, aut Clericos pſallentes audire. Vnde conuenit, vt Sacerdotes loci talia à ſeptis Baſilicarum vel porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetare debeant. Et ſi voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut diſciplinę aculeum ſuſtinere.

CONCIL. EMERITENSE

in Luſitania ſub VITALIANO *Papa duodecim Epiſcoporum, die octaua Iduum Nouembris anno 18.* RECCESVINTHI *Regis. Et fuit confirmatum ab* INNOCENTIO III. *in epiſtola ad* PETRVM *Compoſtellanum Archiepiſcopum, quæ incipit:* Licet vnum ſit. *quæ extat apud Binium.*

IN primo CANONE pronuntiatur fides Catholica, & recitatur Symbolum Nicænum ſimul cum Conſtantinopolitano. ANNO DOMINI DC.LXVI.

CANON II.

De Veſpertini officij ſeruando ordine.

SICVT in fide ſancta noſtra eſt vnanimitas, ita pro ſancto Dei officio debet eſſe intentio ſumma. Oportet igitur, vt ſicut in aliis Eccleſiis veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, priùs dicitur Veſpertinum, quàm ſonum in diebus Feſtis; ita & à nobis cuſtodiatur in Eccleſiis noſtris. Si quis hunc ordinem minimè cuſtodierit in ſua Eccleſia, excommunicationis ſe nouerit feriri ſententia.

ANNOTATIO.

DE Veſpertinis officiis, & Lucernario (hoc eſt enim *lumen oblatum*) vide ſuprà in Concilio Toletano I. cap. 19. offerebatur verò lumen his verbis, vt à Baſilio traditur

Digitized by Google

ditur libro de Spiritu ſancto, cap. 29. *Laudemus Patrem, & Filium, & ſanctum Spiritum*. Iſidorus in Regula Monachorum, cap. 6. ſic habet: *In Veſpertinis officiis, primò Lucernarium, deinde Pſalmi duo, Reſponſorium vnum, & Laudes, Hymnus, atque Oratio dicenda eſt*. Quod ab Iſidoro vocatur *Laudes*, eſt *Sonus* in hoc Canone poſitus: fortè quia ſonora voce decantabatur.

In Canone III. ſtatuitur, Vt fiat oratio pro Rege, pro patriæ ſtatu, atque ſalute.

In Canone IV. agitur, Vt inter Metropolitanum & ſuos finitimos Epiſcopos ſit intelligentia, & vnus alium certiorem faciat de ſua promotione.

In Can. V. ſtatuitur, Vt quando celebrandum ſit Concilium, ad id vadat Epiſcopus in perſona, ſi poterit: quòd ſi non poterit, mittat pro ſe Archipresbyterum, aut Presbyterum; non autem Diaconum.

In Can. VI. decernitur, Vt dum quiſquam comprouincialis Epiſcopus Metropolitani ſui admonitionem acceperit, pro diebus feſtis Natiuitatis Domini & Paſchæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excuſationem.

In Can. VII. determinatur, Vt ſemel in anno fiat Concilium, vbi elegerit Metropolitanus Epiſcopus. Quiſquis ergo Epiſcopus ad Concilium venire diſtulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus, vbi cum his, qui præſentes fuerint, elegerit Metropolitanus.

In Can. VIII. ſtabilitur, Vt vnuſquiſque Epiſcopus non vſurpet de Parœcia ſeu Epiſcopatu alterius: & qui in poſſeſſione per triginta annos aliquid tenet, teneat, donec per Metropolitanum aliud determinetur, qui Saiones mittat, & per euidentia ſigna Diœceſes ipſas conſpiciant, & vnuſquiſque quod illi debitum eſt, accipiat, & habeat.

In Can. IX. decernitur, Vt pro Chriſmate & Baptiſmo conferendo nihil accipiatur.

In Can. X. determinatur, Vt quicumque ad gradum Eccleſiaſticum peruenerit, humilitatem Pontifici ſuo & reuerentiam præbeat.

In Can. XI. agitur; Vt tam à Presbyteris quàm ab Abbatibus Epiſcopo honor debitus impendatur: & quandocumque contigerit, eum iuxta Canonicam ſententiam viſitare ſuam Parochiam, dignè eum ſuſcipiant, & prout habuerint, aut ratio permiſerit, illi præparent quæ fuerint neceſſaria.

ANNOTATIO.

Loquitur de illis Abbatibus, qui non ſunt exempti.

In Can. XII. Vt Epiſcopus, qui illi placiti fuerint de Parochia ſua, Presbyteros atque Diaconos Cathedrales ſibi faciat.

In Can. XIII. Vt Epiſcopus, quem viderit de Cleris ſuis ad bonum profectum tendere, honorandi & magnificandi de rebus Eccleſiæ licentiam habeat.

In Can. XIV. Vt pecunia, quæ in Eccleſia Dei offertur, fideliter colligatur, & fideliter diuidatur.

In Can. XV. Vt Epiſcopi atque Presbyteri pro grauibus cauſis (quod Legum damnat ſententia) ſine Iudicis examine familiam Eccleſiæ non debeant extirpare.

In Can. XVI. Vt Epiſcopo non liceat tertiam partem de Parochitanis Eccleſiis tollere: ſed quæ inſtituta ſunt, debeat obſeruare.

In Can. XVII. Vt poſt mortem Epiſcopi, nulli ſubiectorum liceat de eo quidquam tollere.

In Can. XVIII. Vt Parochitani Presbyteri, iuxta vt poſſe habuerint, de familia Eccleſię ſuę Clericos ſibi faciant, & habeant.

In Can. XIX. Vt Presbyter, qui plures Eccleſias habuerit commiſſas, pro ſingulis Dominicis diebus, in ſingu-
lis

Digitized by Google

lis Sacrificium Deo offerre intendat.

In CAN. XX. Vt quiſquis dignè iuxta Canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Eccleſiæ, ipſe aut poſteritas eius numquam diſcedat.

In CAN. XXI. Vt ſi Epiſcopus Eccleſiæ ſuę, in qua præſidet, de rebus ſuis inuentus fuerit plurima cōtuliſſe, quidquid amicis ſuis, ſeruis, aut libertis, vel quibuſlibet perſonis de Eccleſiæ ſuæ rebus compertus fuerit aliquid donaſſe, ſi triplum, aut multò plus patuerit eſſe quod conſcripſit in nomine Eccleſiæ ſuæ, firmum maneat. Nec licebit ſuccedenti Epiſcopo prioris ſui irrumpere voluntatem.

ANNOTATIO.

Modò aliter ſeruandum eſt circa alienationes rerum Eccleſiaſticarum, vt in tit. De rebus Eccleſ. non alienand. & in Concilio Tridentino eod. tit.

In CAN. XXII. Vt excommunicatione feriatur, qui huius Canonicæ regulæ ſtatuta non ſeruauerit.

In CAN. XXIII. gratiæ aguntur Deo, & Regi, cui etiam vita felix optatur.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa LAPPENSIS EPISCOPI *anno Domini 667. celebratum.*

ANNO DOMINI DC.LXVII. IOANNES Lappenſis Epiſcopus in Creta, ab Archiepiſcopo ſuo iniuriā paſſus appellauit ad Sedem Apoſtolicam, & ne interpoſitam appellationem ipſe proſequi poſſet, inuitus detinebatur. Elapſus, tandem venit Romam ad Vitalianum Papam, ipſumque obnixè poſtulauit, atque coniurauit per terribilem aduētum magni Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, vt ſecundùm ſacratiſſimos Canones inſtitutaque ſanctorum Patrum cauſæ meritum inquireretur, & ſententia promulgaretur. Non deſpexit iuſtam appellationem appellantis Vitalianus; verùm deferens ipſius appellationi, hanc Synodum Epiſcoporum collegit, in qua eius cauſa cognoſceretur. Poſt cauſæ diligentem inquiſitionem & diſcuſſionem cognitum fuit, ipſum appellantem graui iniuria affectum fuiſſe; ideoque communi ſuffragio abſolutionis ſententiam Patres huius Concilij eidem communicarunt. Hæc ex epiſtola Vitaliani ad Paulum Cretenſem, quæ extat apud Binium.

CONC. ANGLICANVM

anno Domini 672. habitum.

DE hoc Concilio in Anglia celebrato Beda lib. 4. cap. 5. Hiſt. Eccleſ. Anglic. hæc præfatur: DC.LXXII. *Eiuſdem Regis Ecgfridi anno tertio, Theodorus* (Dorouernenſis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Vicarius) *cogit Concilium Epiſcoporum vnà cum eis, qui Canonica Patrum ſtatuta diligerent & noſſent, Magiſtris Eccleſiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ vnitati pacis Eccleſiaſticæ congruerent, eo quo Pontificem decebat animo, cœpit obſeruanda docere.* Baronius anno 672. nu. 4. & ſeqq.

CONC. TOLETANVM XI.

Epiſcoporum XIX. *in quo* SEDIVM EPISCOPALIVM *diuiſio facta eſt, anno 4.* BAMBAE *Regis, 7. Idus Nouembris, anno Domini 675. tempore* ADEODATI *Papæ. Eſt Prouinciale.*

PRIMVM omnium publicè pronuntiatur fides Catholica, & declarantur vniuerſa dogmata fidei, maximè quæ ad Incarnationis & Trinitatis myſteria pertinent, & hoc longa & elegantiſſima diſputatione. Ex quibus omnibus nonnullos articulos hoc in loco cenſuimus annotandos. DC.LXXV.

Primus, De proceſſione Spiritus ſancti.

SPIRITVM quoque ſanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, vnum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus eſſe Deum, vnius ſubſtantiæ, vnius quoque eſſe naturæ, non tamen genitum vel creatum, ſed ab vtriſque procedentem, amborum eſſe Spiritum.

Hic

Hic etiam Spiritus ſanctus nec ingenitus nec genitus creditur, ne, aut ſi ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremur; qui tamen nec Patris tantùm nec Filij tantùm, ſed ſimul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificãdam creaturam, ſed ſimul ab vtriſque proceſſiſſe monſtratur, quia charitas ſiue ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur. Hic ergo Spiritus ſanctus miſſus ab vtriſque creditur, ſed minor Patre & Filio non habetur, ſicut Filius propter aſſumptam carnem, minorem ſe Patre & Spiritu ſancto eſſe teſtatur. Hæc eſt ſanctæ Trinitatis relata narratio, quę non triplex, ſed Trinitas & dici & credi debet. Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas, ſed vnus Deus Trinitas. In relatiuis verò perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur. Quæ cùm relatiuè tres perſonæ dicantur, vna tamen naturalis ſubſtantia creditur.

Secundus: Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum numerus cernitur, in Diuinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur. Ergo hoc ſolum numerum inſinuat, quòd adinuicem ſunt; & hoc numero carent, quòd in ſe ſunt. Nam ita ſanctæ huic Trinitati vnum naturale conuenit nomen, vt tribus perſonis non poſſit eſſe plurale. Ob hoc ergo credi-

Psal. 146. mus illud in Sacris literis dictum: *Magnus Dominus noſter, ac magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.*

Tertius: Tres igitur perſonæ iſtæ dicuntur, iuxta quod Maiores definiunt, vt agnoſcantur. Nam ſi attendamus illud quod Scriptura ſancta dicit de Sa-

Sap. 7. pientia, *Splendor eſt lucis æternæ*, ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Tres ergo illas vnius atque inſeparabilis naturæ perſonas ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: quandoquidem hoc nobis dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere, vt etiam in omnibus quibus voluit ſigillatim perſonas agnoſci, vnam ſine altera non permittat intelligi. Nec enim Pater abſque Filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli, perſonalis, perſonas ſeparari vetat.

Quartus: De his tribus perſonis ſolam Filij perſonam pro liberatione humani generis, hominem verum ſine peccato de ſancta & immaculata Maria Virgine credimus aſſumpſiſſe, de qua nouo ordine, nouaque natiuitate eſt genitus. Nouo ordine, quia inuiſibilis Diuinitate, viſibilis monſtratur in carne. Noua autem natiuitate eſt genitus, quia intacta virginitas, & virilem coïtum neſciuit, & fecundata per Spiritum ſanctum, carnis materiam miniſtrauit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monſtratur. Quòd ſi ratione colligitur, non erit mirabile; ſi exemplo, non erit ſingulare. Nec tamen Spiritus ſanctus Pater eſſe credendus eſt Filij, pro eo, quòd Maria eodem Spiritu ſancto obumbrante concepit, ne duos Patres Filij videamur aſſerere, quod vtique nefas eſt dici. In quo mirabili conceptu, ædificante ſibi Sapientia domum, *Verbum caro factum* Ioan. 1. *eſt, & habitauit in nobis.*

Quintus: Nec tamen quia duas in Filio diximus eſſe naturas, duas cauſabimur in eo eſſe perſonas, ne Trinitati (quod abſit) accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit perſonam hominis, ſed naturam; & in æternum perſona Diuinitatis, temporalem accepit ſubſtantiam carnis.

Sextus: Item idem Chriſtus in his duabus naturis, tribus extat ſubſtantiis; Verbi, quod ad ſolius Dei eſſentiam referendum eſt; corporis & animæ, quod ad verum hominem pertinet. Habet

ergo in ſe geminam ſubſtantiam, Diuinitatis ſuæ, & humanitatis noſtræ. Hic tamen per hoc, quòd de Deo Patre ſine initio prodiit, natus tantùm: (nam neque factus neq; prędeſtinatus accipitur) per hoc tamen, quòd de Maria Virgine natus eſt, & natus & factus & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.

Septimus: Exemplo ergo capitis noſtri, confitemur vera fide reſurrectionem carnis omnium mortuorum, nec in aërea, vel qualibet alia carne (vt quidam delirant) reſurrecturos nos credimus; ſed in iſta qua viuimus, conſiſtimus, & mouemur. Peracto huius ſanctæ Chriſti reſurrectionis exemplo, idem Dominus noſter paternam aſcendendo ſedem repetiit, de qua numquam per Diuinitatem diſceſſit. Illic ad dexteram Patris ſedens, expectatur in fine ſæculorum iudex omnium viuorum & mortuorum. Inde cum Sanctis omnibus veniet ad ferendũ iudicium, reddere vnicuique mercedis propriæ debitum, prout quiſque geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.

Octauus: Hæc eſt confeſſionis noſtræ fides expoſita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, & per quam omnium fidelium corda mundantur, per quam & ad Deum glorioſè acceditur.

In CANONE I. tantùm decernitur, Ne tumultu Concilium agitetur.

CANON II.

Quòd neceſſe ſit Epiſcopum prædicare, & ab aliis curis ceſſare.

QVANTVM quis præcelſi culminis obtinet locum, tantum neceſſe eſt præcedat ceteros gratia meritorum, vt in eo quòd præſidet ſingulis, ſingulariter ornetur eminentia ſanctitatis, habens ſemper & in ore gladium veritatis, & in opere efficaciam luminis, *vt*, iuxta Paulum, *potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere*. Nos proinde noſtri ordinis gradum, vel ſuſcepti regiminis modum magnopere cogitare debemus, vt qui officium prædicationis ſuſcepimus, nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorumdam mẽtes Pontificum ita corporis otio à lectionis gratia ſecluduntur, vt quid doctrinæ gregibus ſubditis exhibeat, non inueniat præco mutus. Inſiſtendum ergo ſemper erit maioribus, vt quos ſub regiminis ſui cura tuentur, fame verbi Dei perire non ſinant. Tit.1.

In reſiduo Canonis tractatur id quod habetur in Concilio Toletano VIII. Can. 8.

CANON III.

Quòd etiam Epiſcopi eumdem habeant modum pſallendi.

PONTIFICES, rectoreſque Eccleſiarum, vnum eumdemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana ſede cognouerint inſtitutum. Qui contrà fecerit, ſex menſibus communione priuatus apud Metropolitanum ſub pœnitentiæ cenſura permaneat corrigendus. D.12. De his qui.

CANON IV.

De diſcordia Sacerdotum componenda.

RELATVM eſt nobis, quoſdam Sacerdotes in tantam obſtinationis efferbuiſſe diſcordiam, vt non ſolùm illos ab ira occaſus ſolis non reuocet, ſed nec annoſa quidem tranſactio temporum ad bonũ charitatis reclinet, quippe in quorum cordibus Sol iuſtitiæ Chriſtus occubuit, vt ad lumen charitatis redire vix poſſint. Horum ergo & ſimilium diſcordantium fratrum oblationes nullo modo recipiendas cenſuimus. De perſonis tamen diſcordantium id præcipimus, vt antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad Altare Domini audeat, vel gratiam communionis ſanctæ percipiat. Quòd ſi vnus eorum, alio contemnente, ad ſatisfactionem charitatis occurrerit, ex eo tempore, vt pacificus intra Eccleſiam reputetur, ex quo ad concordiam feſtinaſſe conuincitur. Hoc tamen ſeruato, vt tempus, quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ ſatisfactione perſoluat.

Digitized by

In CANONE v. agitur de corrigendis exceſſibus Sacerdotum. Nihil tamen habet nouum, quod aliàs non ſit determinatum.

CANON VI.

A Clericis cauſa ſanguinis non iudicatur.

23.q.8. His,à quibus. HIS, à quibus Domini Sacramenta tractanda ſunt, iudicium ſanguinis agitare non liceat. Aliàs verò, & ordinis honore priuentur, & loco: ſub perpetuo quoque damnationis teneantur relegati ergaſtulo.

CANON VII.

ECCLESIARVM rectoribus diſcretio eſſe debet, ne per indiſcretam diſciplinam ſubeant homicidij notam.

CANON VIII.

Ne merces aliqua pro diuinis Sacramentis ſumatur.

1.q.1. Quidquid inuiſibilibus. QVICVMQVE in Eccleſiaſtico ordine conſtitutus, pro baptizandis conſignandiſque fidelibus, aut collatione Chriſmatis, vel promotionibus graduum pretia quælibet, vel præmia, niſi voluntariè oblata, ſuſceperit; ſi ſciente loci Epiſcopo, hoc impunè euaſerit, idem Epiſcopus duobus menſibus excommunicationi ſubiaceat. Sin autem, patrator, ſi Presbyter eſt, trium menſium excommunicatione plectatur: ſi Diaconus, quatuor; Subdiaconus, vel Clericus, excommunicetur.

ANNOTATIO I.

CONSIGNATIO, eſt Confirmatio: munus ſolius Epiſcopi, vt aliàs dictum eſt, vt in cap. Omnes fideles. de Conſecr. diſt. 5.

ANNOTATIO II.

VOLVNTARIE *oblata.* Modò verò neque ſpontè oblata accipi poſſunt. Sic in Concilio Tridentino ſeſſ. 21. c. 1. de Reform.

CANON IX.

Quid fieri debeat, ſi per præmium quis Epiſcopus fiat.

QVISQVIS Pontificale culmen ante Domini Altare percepturus acceſſerit, Sacramenti exactione aſtringatur, quòd pro conferenda ſibi conſecratione honoris, nulli perſonæ cuiuſlibet præmij collationem vel aliquando dediſſet, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus accedat, aut publicato hoc ſcelere, denudatus coram Eccleſia, ad talem honorem non accedat. Quos autem poſt prælationem per pretium ordinatos fuiſſe patuerit, vt verè Simoniaci ab Eccleſia ſeparentur, & duorum annorum ſpatio exilio relegentur, vt lacrymis & pœnitentia honorem conquirere & reparare intendant, quem præmiis emerant. Vnde ſi digna eos ſatisfactio commendauerit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore, non tantùm communioni, ſed & loco, & totius Ordinis officiis, à quibus ſeparati fuerant, reſtaurandi ſunt.

CANON X.

Quæ ſint promittenda in Ordinatione Pontificum.

OMNES Pontifices, rectoreſque Eccleſiarum, tempore quo ordinandi ſunt, ſub cautione promittant, vt fidem Catholicam ſincera cordis deuotione cuſtodientes, iuſtè & piè viuere debeât, atque obſequij reuerentiam præminenti ſibi dependant.

CANON XI.

Quomodo puniendus, qui acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit.

QVICVMQVE fidelis ineuitabili qualibet infirmitate coactus, Euchariſtiam perceptam reiecerit, in nullo Eccleſiaſticæ damnationi ſubiaceat. Similiter nec illos cuiuſquam pœnitentis cenſura redarguet, qui talia aut tempore infantiæ faciût, aut in qualibet mentis alienatione poſiti, qui quod fecerint, ignorare videntur. Iam verò quicumque aut de fidelium, aut infidelium numero Corpus Domini abſque ineuitabili infirmitate proiecerit, ſi fidelis eſt, perpetua communione priuetur: ſi infidelis, & verberibus ſubdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quòd ſi horum quilibet huiuſmodi exceſſus digna pœnitentiæ ſatisfactione defleuerit, poſt quinquennium licebit illum communioni priſtinæ reformari.

ANNOTATIO.

TEMPORE *infantiæ faciunt.* Infantibus poſt Baptiſmũ Euchariſtiæ Sacramentum dari ſolitum, teſtatur Ambroſius lib. De his, qui myſteriis initiantur, cap. 7. & lib. 3. de Sacramentis, c. 1. & Concilio Laodicenſi cap. 28. ita habetur: *Oportet baptizatos poſt Baptiſmum, ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cæleſtis regni participes fieri.* Idem Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcion. & Hieronymus aduerſus Luciferianos, Auguſtinus epiſtola 23. Verùm hæc conſuetudo in Eccleſia Latina antiquata eſt: quamuis in Græca ſint qui dicant adhuc permanere.

CANON XII.

Qualiter agendum cum pœnitente in mortis articulo.

QVI pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differendus eſt. Sed ſi præcincto mortis vrgeatur periculo, pœnitentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt, ne priùs ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis accipiat. Vnde iuxta Papæ Leonis Edictum, his, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ ex more reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda; quia in miſericordia Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire. De his autem qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita receſſerint, Placuit nobis, vt & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.

ANNOTATIO I.

TRIA ſunt pro hoc Canone conſideranda: Pœnitentia, Manus impoſitio, & Reconciliatio. Accipere pœnitentiam, nihil aliud erat, quàm pœnitentium ſubdi legibus, per animi contritionẽ, & oris confeſſionem. Manus impoſitio, erat abſolutio Sacerdotis poſt peractam peccatorum confeſſionem. Reconciliatio verò, erat Euchariſtiæ ſumptio: ad quam perceptionem in mortis extremo periculo maximè feſtinandum eſt. Id conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. c. 76. vbi ſic habetur: *Accipiat pœnitentiam* (loquitur de infirmis in phreneſim verſis) *& ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Idipſum explicatur in Concilio Arauſicano I. cap. 3. *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare.*

ANNOTATIO II.

PLACVIT *nobis.* Sic in Concilio Epaunẽſi, & apud Gratianum 26. q. 6. c. Si aliquis. *Si quis fuerit mortuus, qui iam ſit confeſſus, & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, ſed præoccupauit eum mors in domo, vel in via; faciant parentes eius pro eo oblationem ad Altare, & dent redemptionem pro captiuis.*

ANNOTATIO III.

MEMORIA *talium in Eccleſiis commendetur.* Veteris Eccleſiæ mos fuit, pro quibus offerebatur, nomina in Miſſæ Sacrificio recitari, tam viuorum, quàm defunctorum. Id conſtat ex Concilio Emeritenſi, c. 19. Defunctorum in Miſſa memoria ab Apoſtolis eſt inſtituta, vt tradit Iſidor. lib. 1. de Offic. cap. 18. *Sacrificium,* inquit, *pro defunctorum fidelium requie offerre vel orare pro eis, quia per totum nunc orbem cuſtoditur, credimus, quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique Catholica tenet Eccleſia.* Cyprianus pro mortuis ſemper offerebat Sacrificium, vt in epiſt. ad Clerum dicit de Celerino confeſſore. & Gregorius lib. 7. Regiſtr. epiſtola, quæ incipit, *Vtilis ſemper.* & Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 13. vbi agit de morte Monicæ matris ſuæ.

CANON XIII.

De Sacerdotibus, qui vexantur à ſpiritu.

BENE ſiquidem Maiorum regulis definitum eſt, vt dæmoniis, aliiſque paſſionibus irretitis myſteria ſacra tractare non liceat. Cui præcepto conſenſu rationis adhibito, id communiter definiuimus, vt nullus de his qui in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare Altaribus, vel indiſcuſſi ſe diuinis ingerant Sacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in huiuſmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi. Qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officij ſui & Ordine & loco ſuſpenſi, quouſque vnius anni ſpatio

Digitized

tio per diſcretionem Epiſcopi inueniantur ab incurſu dæmonum alieni.

CANON XIV.

Vt qui Domino ſacrificant, ſecum ſemper habeant adiutoria conſtituta.

SVMMOPERE cauendum eſt, ne horis illis atque temporibus quibus Domino pſallitur vel ſacrificatur, vnicuique diuinis ſingulariter Officiis inſiſtēti pernicioſa paſſio, vel corporis quælibet valetudo occurrat, quæ aut corpus ſubitò ſubrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Ob hoc ergo inſtituimus, vt vbi temporis, vel loci, ſiue Cleri copia ſuffragatur, habeat ille quiſquis canens Deo atque ſacrificans, poſt ſe vicini ſolaminis adiutorē, vt ſi aliquo caſu ille qui Officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, à tergo ſemper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.

In CANONE XV. habetur tantùm, vt omni anno conueniant Epiſcopi ad celebrandum Concilium.

In CANONE XVI. agitur ſolùm de gratiarum actione Deo & Regi.

Subſcripſerunt præſentes Epiſcopi, & Abbates Monaſteriorum, & Egila Diaconus agens vicem Epiſcopi Arcobricenſis, & Liberatus Diaconus agens vicem Epiſcopi Segouienſis.

CONC. BRACARENSE III.

habitum anno 4. BAMBAE Regis, tempore ADEODATI Papæ, anno Domini 675. Eſt Prouinciale.

ANNO DOMINI DCLXXV.

INITIO pro fidei conſenſu repetunt Symbolum Nicænum.

CANON I.

Vt excluſis omnibus opinionibus ſuperſtitionum, panis tantum & vinum aquâ permixtum in Sacrificio offerantur.

De Conſ. d. 2. Cùm omne crimen.

AVDIVIMVS quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra diuinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones, lac pro vino in diuinis Sacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigere: quoſdam etiam expreſſum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre. Quod quàm ſit Euangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini Eccleſiaſticæ aduerſum, non difficile ab ipſo Fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipſa Sacramentorum myſteria proceſſerunt. Ait enim Euangeliſta: *Accepit Ieſus panem & calicem,* &c. Ceſſet ergo lac in Sacrificio offerri, quia euidens exemplum Euangelicæ veritatis aliud offerri non ſinit. Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum teſtimonium ex Euangelio recipit, vbi Apoſtolis Corpus ſuum & Sanguinem commendauit. Nam quòd Dominus intinctam buccellam Iudæ dedit, id fecit, vt proditorem oſtenderet, non tamen vt Sacramenti huius inſtitutionē monſtraret. Quod verò de expreſſo botro, id eſt de vuarum granis populus communicatur, valdè eſt omnino confuſum. Calix enim Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi Sanguinem Chriſti. Ergo quando in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſimul miſceatur.

Math. 26.

CANON II.

Ne vaſa Domino ſacrata, humanis vſibus ſeruiant.

SI QVIS ſcienter diuina vaſa, vel miniſteria, aut in vſus ſuos tranſtulerit, aut comedere in his, vel poculum ſibi ſumendum elegerit, gradus ſui vel officij periculum ſuſtinebit. Si ſæcularis fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: ſi Religioſus, ab officio deponatur. Sub hac ſententia tenebuntur, qui Eccleſiaſtica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam vtenſilia, ſcienter in ſuos vel aliorum vſus tranſtulerint.

Digitized by Google

CANON III.

Ne Sacerdos ſine Orario ſacrificet.

D.23. Eccleſiaſtic. QVANDO Sacerdos Miſſam celebraturus accedit, non aliter accedat, quàm Orario vtroq; humero circumſeptus, ſicut & quando fuit conſecratus: ita vt de vno eodemque Orario, ceruicem pariter & vtrumq; humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet Crucis. Si quis aliter egerit, excommunicationi ſubiaceat.

CANON IV.

De vitanda extranearum mulierum familiaritate.

NVLLVS de Clero, abſque honeſto & competenti teſtimonio, excepta ſola matre, cum quibuſlibet feminis ſecretè ſe præſumat adiungere. Et non ſolùm cum extraneis mulieribus, ſed nec cum ipſis etiam ſororibus, vel propinquis: ne licentia ſororum vel propinquarum mulierum, quiſque ſolus familiarior habeatur ad perpetrandum ſcelus. Huius præceptionis tranſgreſſor, ſex menſibus pœnitentiæ ſubiaceat.

CANON V.

A quibus, & quo modo geſtandæ Martyrum Reliquiæ.

IN feſtis quibuſq; diebus arcam Domini cum Reliquiis, non Epiſcopi, ſed Leuitæ in humeris geſtent, quibus
1.Par.15. & in veteri Lege onus idem impoſitum nouimus eſſe præceptum. Quòd ſi Epiſcopus per ſe Reliquias deportare elegerit, non ipſe à Diaconibus in ſella vehatur, ſed potiùs pedeſtri eo vnà cum populis progreſſione procedente, ad Eccleſias per eumdem ſanctæ Dei Reliquiæ portabuntur.

CANON VI.

Quomodo plectendi Eccleſiaſtici ab Epiſcopo.

Diſt.15. Cùm beatus Paulus. QVI gradus iam Eccleſiaſticos meruerunt, id eſt, Presbyteri, Abbates, & Leuitæ, exceptis grauioribus & mortalibus culpis, nullis debent verberibus ſubiacere. Non eſt dignum, vt paſſim vnuſquiſque Prælatus honorabiliora membra ſua, prout voluerit, verberibus ſubiiciat & dolori, ne dum incautè ſubdita percutit membra, ipſe quoque debitam ſibi ſubditorum reuerentiam ſubtrahat.

CANON VII. eſt ſecundus Canon in Chalcedonenſi Concilio.

In CANONE VIII. habetur, vt rectores Eccleſiarum curent magis Eccleſiaſtica Iura, quàm ſua. 12. quæſt. 4. Quicumq; ſub hoc.

CONC. ANGLICANVM

in quo FIDES ORTHODOXA *confirmata eſt ſub præſidio* THEODORI *Dorouernenſis Epiſcopi, anno Domini 679. celebratum.*

THEODORVS Dorouernenſis Epiſcopus, natione Græcus, vir huius rudioris ſæculi doctiſſimus, peritiaque Sacrarum ſcientiarum celeberrimus, à Pontifice per Ioannem Abbatem Monaſterij S. Martini vocatus erat & expectatus, qui Concilio Romano, Romæ celebrando intereſſet. Sed cùm non liceret ipſi coaleſcentem Eccleſiam, atque lacte adhuc opus habentem relinquere, placuit fidem Catholicam hoc Conuentu publico cognitam, & confirmatam conſcribere. Cumque Theodorus reſciuiſſet, S. Wilfridum Romam abiiſſe, cumque hoc anno ab Agathone Pontifice auditum & abſolutum eſſe, eidem Legationem credidit, vt nomine totius Eccleſiæ Anglicanæ Synodo intereſſet. Vide Bedam lib. 4. Hiſtor. Anglic. cap. 13. & epiſtolam Synodalem Concilij Romani ſub Agathone, quę extat apud Binium. ANNO DOMINI DCLXXIX.

CONC. MEDIOLANENSE

auctoritate MANSVETI *in cauſa* MONOTHELITARVM *anno Domini 679. tempore* AGATHONIS *Papæ congregatum.*

DIXERAT Agatho Pontifex futurum, vt anno ſequente in cauſa Monothelitarum cum conſenſu Imperatoris Conſtantini Pogonati, Vniuerſale Concilium indiceretur, adeoque neceſſarium videri, DCLXXIX.

vt

Digitized by Google

vt Epiſcopi omnes Italiæ habitis Synodis eamdem cauſam inquirant ac decidant, factamque deciſionem, vel ipſi coràm, ſi poſſent, vel ſaltem per literas in conſeſſu Oecumenici Concilij manifeſtent. Paruerunt Pontifici Inſubres Epiſcopi, atque Mediolani hanc Synodum coëgerunt, qua Monothelitarum hæreſim condemnarunt, Orthodoxæque fidei profeſſionem ediderunt. Cùm autem plerique eorum partim ob difficultates itineris, partim per ætatem & morbos ad Concilium Oecumenicum Conſtantinopolim proficiſci non poſſent, Synodalem epiſtolam ad Conſtantinum Imperatorem mittendam eſſe cenſuerunt, vt ſaltem ſcripto ſuo ſuffragio condemnarent pernicioſam hæreſim, quam præſentes impugnare & anathematizare non poſſunt. Baronius anno 679. nu. 2. 3. 4. 5.

CONCIL. ROMANVM,

in quo CXXV. *Epiſcopi* ORTHODOXAM FIDEM *confirmarunt*, MONOTHELITARVM *hæreſim condemnarunt, atque Legationem Conſtantinopolim ad Synodum Oecumenicam decreuerunt anno Domini* 680. *ſub* AGATHONE *Papa.*

ANNO DOMINI DCLXXX. ACCEPTA ab Imperatore, quam de cogenda Vniuerſali Synodo ad Donum ſcripſerat, epiſtola, Agatho Papa Romanus id Romæ adimpleuit, quod eiuſdem iuſſu præſtiterant Mediolani Epiſcopi Inſubres; nimirum, vt Epiſcopi Occidentales, qui vel per ætatẽ, vel corporis morbum, vel itineris difficultates ipſi Synodo Oecumenicæ præſentes eſſe non poſſent, per Legationem ſuo nomine deputatam profiterentur, quid pro fide Catholica aduerſus Monothelitas decernendum eſſe ſentiant. Cùm itaque Epiſcopi 125. auctoritate Agathonis Papæ conueniſſent, damnataque Monothelitarum hæreſi, Orthodoxam fidem egregiè corroboraſſent, tres Legatos hoſce, Ioannem Portuenſem, Abundantium Paternenſem, & Ioannem Regienſem ſiue Regitanum Epiſcopos delegerunt, dato illis Commonitorio tali, vt de incertis & dubiis nihil contendant, eaque dumtaxat, quæ Romano hoc Concilio de fide conſtituta fuerant, in Vniuerſali Patrum conſeſſu proponant. Hoc Commonitorio inſtructi, ſtatim Conſtantinopolim ad Concilium Vniuerſale profecti ſunt, editaq; ibidem Synodali epiſtola, quam ſecum attulerant, iniunctum munus Legationis fideliter executi fuerunt. Huic publicæ Legationi ſuam Agatho Papa adiunxit, munuſque Legationis Apoſtolicæ Theodoro & Georgio Presbyteris, Ioanni Diacono, & (vt ſcribit Anaſtaſius in Agathone) Conſtantino Subdiacono commiſit. Epiſtolam quamdam priuatam ſuo ſolius nomine ad Imperatorem conſcriptam iiſdem communicauit: atque ita duplex Legatio, duplici Epiſtola ab Agathone accepta, ad Concilium Vniuerſale ſimul profecta fuit: dumque circa initium Septembris anni 680. Conſtantinopolim perueniſſet, eo honore, quem Anaſtaſius in Vita Agathonis deſcribit, exceptus, Oecumenicum Cõcilium inchoari procurarunt. Teſtatur Anaſtaſius in Vita Agathonis, Theodorum Rauennatis Eccleſiæ Epiſcopum ſchiſmaticum hoc tempore Romam veniſſe, Romanoque Pontifici ſe iterùm ſubmiſiſſe. Non dubito quin illud hac Synodo, cui ipſe præſens interfuit & ſubſcripſit, factum fuerit; cùm eius hîc tantùm, alibi verò nulla memoria reperiatur. Tanta enim Rauẽnatis Eccleſiæ Epiſcoporum, à Mauro vſque ad hunc Theodorum contumacia fuerat, vt eam nullo modo diſſimulare poſſent Romani Pontifices, qui nec quidem faſtum & vſurpatam prærogatiuam Conſtantinopolitanorum Pręſulum hactenus ſufferre potuerunt. In priore epiſtola, quam Agatho priuatim per ſuam Legationem ad Imperatorem tranſmitti curauit, dignum eſt notatu quod ad defenſionem Honorij

ait Pōtifex, Apoſtolicam Sedem, eiuſq; Pontifices numquam in fide aberraſſe, ſed potiùs iuxta promiſſionem Petro factam, deuios quoſque à veritatis tramite reduxiſſe, atque in vera & Orthodoxa fide confidenter confirmaſſe. Quod ſanè non tam liberè aſſeruiſſet Agatho Pontifex, ſi eamdem hæreſim, quam ipſe Agatho hac ſua epiſtola adeò validè inſectatur, Honorius fouiſſet, ſuoq́ue ſcripto confirmaſſet. In epiſtola Synodica hoc pro eiuſdem Honorij expurgatione diligenter eſt obſeruandum, quòd Legati limitatum dumtaxat acceperunt mandatum, ea tantùm proponendi, quæ in Synodo Romana pro fide Catholica aduerſus Monothelitas acta fuerant.

Cùm itaque allegata Synodo Romana nihil in cauſa Honorij propoſitum vel actum fuerit, nullam fidem meretur id, quod deprauata Acta Sextæ Synodi atteſtantur, Honorium auctoritate Legatorum Sedis Apoſtolicæ & totius Concilij, non conſulto Agathone Pontifice, cum Sergio, Cyro, Pyrrho, aliiſve Monothelitis hæreticis condemnatum & excommunicatum fuiſſe.

Secundò circa eamdem epiſtolam eſt annotandum, quòd (vt in Concilio Florentino Iulianus S. R. E. Cardinalis in diſputatione quam habuit contra Græcos poſt Emanuelem Calecam aduertit) Græci impoſtores eam corruperunt, eoq́ue loco quo legebatur olim, *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum & viuificatorem, ex Patre Filioq́ue procedentem*, illi nomen *Filioq́ue* expunxerunt.

Hæc Lectori veritatis amanti ingerimus, atque conſideranda proponimus, ne mireris, cùm infrà dicemus Acta Synodalia Sexti Concilij in iis præſertim, quæ de Honorio Romano Pontifice atteſtantur, Græcorum impoſturâ vbique deprauata fuiſſe.

De rebus in hac Synodo geſtis extant duæ epiſtolæ in Act. IV. Sextæ Synodi. Vide apud Binium.

SANCTA SYNODVS VI. GENERALIS CONSTANTINOP. III.

In qua ducenti octoginta nouem Epiſcopi MONOTHELITARVM *hæreſim condemnarunt ſub* AGATHONE *Papa &* CONSTANTINO POGONATO *Imperatore, anno Domini* 680. *inchoatum, & ſequente abſolutum.*

ANNO DOMINI DC.LXXX. De auctore huius Synodi, à quonam indicta fuerit, quidam Salomon Geſnerus in Epitome Conciliorum dicit ſic: *Indixit autem iſtum Conuentum Imperator Conſtantinus, & fratres eius Heraclius & Tiberius, & non Romanus Pontifex, vt patet ex Conſtantini Diuali ſacra, vt vocant, ad Donum Romanum Epiſcopum.* Sed mentitur, vt ſolet: nam hæc ſancta Synodus auctoritate Agathonis Papæ indicta, hortatu, ope, & conſilio Imperatoris congregata eſt, vt patet ex eadem Sacra ad Donum Papam ſcripta, vbi ſumma obteſtatione illum rogat & monet, vt ad pium hunc conatum promouendum,

Lega-

Digitized by Google

Legatos ſuos mittere velit. Hæc ſunt verba ipſius: *Poſtquam igitur tempus recipit perfectam Congregationem fieri, adhortamur veſtram paternam Beatitudinem per præſentem noſtram piam ſacram, dirigere viros vtiles, modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatis, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eiuſque Concilij, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes*, &c. Ponderet hæc vltima verba hæreticus Geſnerus, & videbit quòd Papæ auctoritate indicta ſit Synodus: Imperator enim ſciens, citra conſenſum Romani Pontificis Vniuerſale Concilium celebrari non poſſe, nec debere, aliorum Epiſcoporum neminem aduocauerat, donec Legati Sedis Apoſtolicæ præſentes eſſent, vel certo tempore ſe affuturos promiſiſſent. Ita ergo certum eſt, quòd hæc ſancta Synodus hortatu, conſilio, & auxilio piiſſimi Imperatoris congregata, non aliter quàm debita & legitima auctoritate Pontificia indicta & conuocata fuerit.

Fuit autem habita Conſtantinopoli in Secretario ſacri Palatij, quod cognominatū eſt Trullus; ideò fortaſſe, quòd ipſum Secretarium, eiuſmodi Trullo faſtigiatum, teſtudine ſurſum erecta, ſua rotunditate hemiſphærium conficeret. Nam apud eos qui ſcripſerunt de ædificiis Conſtantinopolitanæ ciuitatis, item apud Anaſtaſium in Vita Sergij, Trullus ſiue Trulla ſignificat ſublimem fornicem deſuper in altum porrectum, & in rotundum concameratum, quem Italicè dicimus *Cuppula*. Baronius an. 680. num. 41.

Acta Concilij multis in locis deprauata ſunt, præterquam, quòd non vno in loco mendoſa eſſe infrà demonſtrentur, deſiderantur nonnulla, quæ recenſet Anaſtaſius in Vita Agathonis, vbi Synodalium Actorum breue Compendium congeſſit. Quorum impoſturâ ex Epiſtola Synodali Concilij Romani hæc particula *Filioque* expuncta fuerit, dixi ſuprà in Annot. eiuſdem Concilij Romani ſub Agathone. Dolo ac fraude Monothelitarum ſuperadditum eſt Synodalibus Actis, quidquid in cauſa Honorij Pontificis dictum aut factum eſſe pluribus in locis commemoratur. Impoſturæ auctorem ſi quis Theodorum Conſtantinopolitanum Epiſcopum fuiſſe dicat, non fecerit illi fortaſſe iniuriam, ſi diligenter conſiderentur ea, quæ dicam infrà in Notis Actionis 13. 14. &c. Centum & tres Canones, qui ſub nomine Sextæ Synodi Oecumenicę hactenus vulgati fuerunt, non à Patribus Cōcilij Oecumenici ſanciti fuerunt; ſed potiùs à quodam Conciliabulo, quod poſt annos decem habitum eſt Conſtantinopoli in Trullo, tempore Sergij Papæ & Iuſtiniani Imperatoris Iunioris, anno Domini 692. quodque à viris doctis Quiniſextum Concilium nominatur ideò, quòd profiterentur Epiſcopi eiuſdem Conciliabuli, ſe allegatos Canones, nomine Quintæ & Sextæ Synodi, tamquam Appendicem quamdam neceſſariam edidiſſe. Vide quæ dicturi ſumus in Notis Concilij illius ſub Sergio. Græca ſimul & Latina editio, quæ ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ anno 1612. in lucem prodiit, ex quibus antiquis exemplaribus recognita fuerit, indicat Collector initio Tom. 3. his verbis: Sexta Synodus Generalis cum quatuor Græcis Codicibus manuſcriptis collata, duobus Bibliothecæ Vaticanæ, tertio olim Cardinalis Sirleti, nunc Bibliothecæ Ducis ab Altaemps; quarto Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, Latina interpretatio ex Codd. Manuſcriptis Vat. emendata; & vbi Interpres in ſuo textu Græco aliter legiſſe videtur quàm nunc in noſtris Codicibus habeatur, vel Græcorum verborum ſenſus non eſt ritè expreſſus, diuerſitatem in margine indicauimus. Nonnulla etiam Græca ex Latina verſione ad marginem annotauimus.

Vt autem facilè cognoſcatur, quo re-
rum

Digitized by Google

rum ordine omnia facta ſint in hoc Concilio, ſummatim, & quaſi per compendium ſingularum Actionum hiſtoriam recenſebo.

Actio Prima. Prima Seſſione, quæ habita fuit 7. Nouembris, Legati Sedis Apoſtolicæ cauſam indicti Concilij proponentes, à Sergio eiuſque ſucceſſoribus Conſtantinopolitanis Epiſcopis nouam hæreſim de vna Chriſti voluntate & operatione in Eccleſiam inuectam eſſe dixerunt. Cumque Macarius Antiochenus iuſſu Imperatoris ad obiecta Legatorum ſuo nomine ſuorumque ſectariorum reſponderet, nullam à ſe nouitatem in Eccleſiam introductam eſſe; ſed potiùs ſe credere & prædicare, quæ à ſanctis Conciliis & Patribus accepta, Honorius Papa & Cyrus Alexandrinus profeſſi eſſent, mandauit illi Imperator, vt allegatam exceptionem probaret. Obtemperauit Macarius, & ex Patriarchio codices quinque Synodorum Oecumenicarum proferri præcepit. Qui cùm allati fuiſſent, à diſcipulo Macarij Stephano, tertia Synodus Epheſina, vſque ad illum locum Cyrilli, *Eſt enim eius omnipotens voluntas*, perlecta fuit. Conſtitit ibi Lector, atque intulit ex eo Macarius, *Unam in Chriſto voluntatem eſſe.* Legati Sedis Apoſtolicæ hanc illationem nullam eſſe, & planè ineptam, ex eo oſtenderunt, quòd manifeſtiſſimum eſſet, loqui Cyrillũ allegato loco de diuina dumtaxat voluntate, quam Filius cum Patre & Spiritu ſancto communem habet. Cumque deinceps Imperator ea quæ Epheſini Concilij reliqua erant, lectione abſolui mandaſſet, eorumque recitationi plures horæ impenſæ fuiſſent, concluſa Seſſione prima, lectio ceterorum Conciliorum Oecumenicorum in ſequentem Seſſionem dilata fuit.

Actio Secunda. Decima Nouembris, Actione ſecunda lectum eſt ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium, ex quo Macarius Orthodoxæ fidei nihil aduerſum inuenire aut obiicere potuit; ſed potiùs Legatorum inſtantia, quando legebatur epiſtola S. Leonis ad Flauianum, qua duæ naturæ & operationes in Chriſto apertè prædicantur, & ſuis quaſi iaculis confoſſus, deque turpiſſimo mendacio conuictus, quæſiuit effugium, vt auctoritate Dionyſij Areopagitæ, Deiuirilis tantùm operatio Chriſti diceretur, duarumque voluntatum & operationum vocabulis abſtineretur. Sed ne extraneis interlocutionibus à propoſito themate diſcederetur, quod reliquum erat Chalcedonenſis Concilij legendo abſolui, Actioneque ſequente Quintam Synodum recitari imperatum fuit.

Tertia Actione, cùm 13. Nouembris eodem loco, tempore, & ordine Patres Concilij cum Imperatore cõueniſſent, Quinta Synodus, prout antè conſtitutum fuerat, recitata eſt. *Actio Tertia.* Eius initio ex quadam commentitia epiſtola ſub nomine Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Vigilium Papam, legebatur vnam eſſe in Chriſto voluntatẽ. Quod vt ſolidè refutaretur, Legati Sedis Apoſtolicæ dixerunt, fictam & commentitiam ſub nomine Mennæ epiſtolam, Vigilio inſcriptam, dolo ac fraude Monothelitarum Actis Synodalibus inſertam fuiſſe; idque eo argumento manifeſtiſſimè comprobarunt, quòd Mennas ſex annis ante Quintam Synodum ſub Vigilio celebratam, ex hac vita migraſſet. Qua de re cùm diligentior inquiſitio haberetur, euidentiſſimo indicio numeri deprehenſum fuit, tres quaterniones priores, quibus continebatur commentitia Mennæ epiſtola, Actis Synodalibus (impoſturâ haud dubiè Monothelitarum) ſuperadditos fuiſſe. Iuſſit itaque Imperator vt reliquum commentitiæ epiſtolæ præteriretur, potiuſque legeretur quidquid Actorum Synodalium Quinti Concilij ſupereſſet. Obtemperatum eſt Imperatori, cúmque 7. Actione ventum eſſet ad anathematiſmum aduerſus Theodorum Mopſueſtenum, ibique legeretur eum anathemati ſubiectum fuiſſe ideò, quòd non

non confiteretur vnam in Chriſto perſonam; additamento Monothelitarum iungebatur, *Et vnam operationem.* Nouam impoſturam Legati audientes, Vigilium à calumnia hæreticorum defenderunt, obiectoſque ſub nomine Vigilij libellos, partus eſſe ſuppoſititios conuicerunt hac euidenti ratione, quòd de fide Orthodoxa non aliter quàm ſacroſancta Synodus Quinta Oecumenica ſentire potuerit; cùm alioquin ſi aliter ſenſiſſet, à ſancto Concilio receptus non fuiſſet. Poſt hæc interlocutione Patrum & Iudicum cognitorum dictum eſt, nihil inuentum eſſe in Synodis, quod Monothelitis faueret: additum eſt, operæpretium videri, vt alterũ illud, quod Macarius initio primæ Actionis pollicitus erat, præſtaretur: nimirum, vt ſuam ille de vna Chriſti voluntate & operatione nouam hæreſim auctoritate Patrum, ſicut promiſerat, confirmaret. Verùm cùm Georgius Conſtantinopolitanus petiiſſet legi priùs epiſtolas illas duas, quas Agatho & Romana Synodus ad Imperatores tranſmiſerant, placuit iſtam gratiam præſtare petentibus: ſed dilata eſt recitatio longiuſcularum epiſtolarum in ſequentem Actionem.

Quarta Actio. Vno itaque die interlapſo, quartam Actionem 15. Nouembris celebraturi ijdem qui ſuprà cõuenerunt, iuxta Synodalem Conſtitutionem præcedente Actione factam. Duæ epiſtolæ, quarum altera Agathonis, altera Concilij Romani erat, à capite vſque ad calcem perlectæ fuerunt. Priore ſcribit Agatho, quòd nemo ſuorum Prædeceſſorum à recta Orthodoxa fide Catholica aberrauerit: cui aſſertioni cùm Monothelitæ ne verbo contradixerint, nihilq́ue in Honorium alióſve Romanos Pontifices obiecerint, qua fide infrà in poſterioribus Actionibus affirmari putas, eumdem Honorium Synodali iudicio condemnatum eſſe? maximè cùm Patres ibidem pfiteantur, hãc epiſtolam Agathonis velut oraculum Spiritus ſancti colendam & ſuſpiciendam eſſe.

Quinta Actio. Septima Decembris quinto Patrum Conuentu celebrato, Macarius edidit duos Codices, quibus, vt aſſerebat, de vnica in Chriſto voluntate & operatione teſtimonia continebãtur: quibus perlectis decretum fuit, vt reliqua teſtimonia, ſi quæ haberet, ſequenti Actione produceret.

Sexta Actio. Dum igitur 12. Decembris ſexta Seſſio haberetur, Macarius reliqua teſtimonia ad ſuam ſententiam confirmandam vno codicillo collecta edidit: cumq́ue ea perfecta eſſent, Legati Sedis Apoſtolicæ aduerſariorum teſtimonia detruncata eſſe allegarunt, ſimulq́; petiuerunt decerni, vt ad impoſturam eorum detegendam, authentici Codices ex Patriarchio vrbis adferantur. Qua occaſione iuſſit Imperator vtriuſque partis productas probationes ſigillo cõſignari, diligenterq́ue cuſtodiri, deq́ue allegatis vtriuſque teſtimoniis proximo Conuentu ſedulò & fideliter inquiri. Hæc anno Chriſti 680.

Septima Actio. Anno Redemptoris noſtri 681. decimotertio Februarij, cùm per duos menſes à ſacris Comitiis ceſſatum fuiſſet, habita eſt Actio ſeptima, qua Legati Sedis Apoſtolicæ obtulerunt codicem teſtimoniorum ex SS. Patribus deſumptorum, quibus duæ voluntates & operationes in Chriſto aſſerebantur: addita eſt lectio & ſeries eorum, qui Orthodoxam huius articuli fidem impugnabant. His auditis, petitione Georgij Conſtantinopolitani & Macarij Antiocheni iuſſum eſt, vt loca citata cum codicibus Patriarchij conferantur, & an Latina exemplaria cum Græcis conſona ſint, in præſentia plurium exploretur: & ne fraus committi poſſet, oblatum teſtimoniorum codicem cõſignarunt. Poſt hanc Actionem die 13. Februarij, rurſum 14. die eiuſdem menſis ibidem loci cõuentum eſſe; eóque Conuentu Georgium Conſtantinopolitanum Patriarcham, fidem Catholicam & Orthodoxam profeſſum eſſe, ſcribit Anaſtaſius in Vita Agathonis his verbis:

bis: *Sequenti die in eodem Secretario reſidente Synodo vnà cum Principe, Synodica ſanctiſſimi Agathonis relecta eſt*, &c. Quæ cùm in Actis Synodalibus deſiderentur, credanturque datâ operâ à Theodoro Conſtantinopolitano Epiſcopo ablata, ne inde hæreticus probaretur; certiſſimo argumento conſtat, Acta huius Concilij hoc loco mutilata eſſe: quæ alibi eorumdem hæreticorum corruptela vitiata & deprauata fuerunt.

Octaua Actio.

Eodem anno, ſeptima die Martij octaua Actio celebrata fuit, qua Georgius alijque plures Epiſcopi, qui teſtimoniorum collationi cum authenticis exemplaribus factæ interfuerant, retulerunt, ſe loca Patrum in Codice Legatorum Sedis Apoſtolicæ pro duabus voluntatibus & operationibus Chriſti allegata fideliter cognouiſſe, eaque authenticis Patrum voluminibus planè cõſona reperiſſe: addiderunt, ſe hac occaſione motos, cum ſanctis Patribus de Chriſti voluntatibus & operationibus ſentire ac credere, deſertaque Monothelitarum perfidia, fidem Orthodoxam profiteri; quaſque direxerat Agatho Papa ſuggeſtiones, *tamquam ex Spiritu ſancto dictatas per os ſancti ac beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas*, ſuſcipere, & amplecti.

Poſt hæc Theodorus Melitenus Epiſcopus obtulit acceptum (vt ille dicebat) à Stephano Abbate Macarij diſcipulo libellum, quo continebatur, nihil in fide decernendum, prçter ea quæ in SS. Concilijs decreta eſſent; & quòd ſufficeret in duabus naturis vnam operationem confiteri, ideoque de duabus voluntatibus in Chriſto tacendum eſſe videri. Cùm poſt factam ſuffragiorum collationem, ille ab Imperatore interrogatus, vnde libellum accepiſſet, iterumque Stephanum Abbatem diſcipulum Macarij nominaſſet, atq; adeò ipſum reliquoſque Macarij diſcipulos de Monothelitarum hęreſi ſuggillaſſet, exurgentes Macarij diſcipuli, conteſtati ſunt, Theodorum Melitenum Epiſcopum eſſe mentitum, ſeque paratos eſſe fidem Catholicam profiteri. Quod vt facerent, ſequente Actione nona per decretum Synodi illis mandatum fuit.

His itaque peractis, ſuggeſſit Georgius Conſtantinopolitanus, ſibi neceſſarium atque vtiliſſimum videri, vt nomen Vitaliani Papæ ſacris Dipty chis, è quibus illud Theodorus Conſtantinopolitanus & Macarius Antiochenus inuito Imperatore expunxerant, iterùm reſtitueretur; ideò maximè, quòd ea de cauſa plures ſe ab Eccleſia Catholica ſeparaſſent, de quibus hac de cauſa conuertendis ſpes maxima foret. Conſilio optimo acquieſcit Imperator, totamq; Synodum immenſa lætitia perfudit. Cumque poſt hæc Macarius, ceterique Syriæ Epiſcopi rogarentur, an literis S. Agathonis Papæ conſentirent? præter Macarium, omnes Syriæ Epiſcopi affirmatiuè reſponderunt, fideique Catholicæ publicam profeſſionem ediderunt. Deinde recitata ſunt loca Patrum à Macario collecta, in quibus falsò affirmabat, vnicam in Chriſto poſitam eſſe voluntatem. Sed cùm inter legendum Patres Concilij animaduertiſſent, veternoſum hæreticum ſententias Patrum diuinæ voluntati competentes, Chriſti perſonæ attribuiſſe, recitatiſque interciſis Patrum teſtimoniis eorumdem ſenſum deprauaſſe, iuſſus eſt hæreticus manifeſtus edere profeſſionem fidei Catholicæ: quod cùm ille contumaciter recuſaret, diceretq; numquam id futurum eſſe, etiamſi membratim incideretur, & in mare mitteretur; iterùm ſententiarum illarum SS. Patrum, quas Macarius protulerat, facta eſt collatio cum aliis Codicibus è Patriarchio vrbis deſumptis. Verùm dum manifeſto indicio ſententias obtruncatas & interciſas fuiſſe reperiſſent, acclamatione vniuerſæ Synodi, Macario tamquã nouo Dioſcoro dictum eſt anathema, iuſſuſque Epiſcopatu deponi, ipſe cum Stephano Diacono eius nudatus eſt

pallio,

Google

pallio, & per Baſilium Baſileenſem Epiſcopum ſpoliatus eſt Orario, eaque tunc temporis perpeſſus fuiſſe videtur, quæ ſcribit Anaſtaſius in Agathone his verbis: *Ea hora ſancta Synodus vnà cum Principe eius Oraria auferri iuſſit. Et exiliens Baſilius Epiſcopus eius Orarium abſtulit: anathematizantes eum dicebant: Foras Synodum procedant, ſimulque & thronum eius. Stephanum autem diſcipulum eius, ceruicibus à S. Synodo Romana eijcientes, expulerunt. Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur, eò quòd ſordes hæreticorum expulſæ eſſent, & Deo auxiliante vnitæ ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ.* Hæc Anaſtaſius in ſuo Compendio ſextæ Synodi.

Nona Actio. Nonò conuenit S. Synodus octaua Martij anno 681. factaque publica teſtimoniorum Macarij collatione, poſt eorumdem deprauationem coram omnibus publicatam & manifeſtatam, ſententia damnationis in Macarium & Stephanum lata eſt, & executa.

Decima Actio. Decima Actione, quæ habita fuit 18. Martij eiuſdem anni, publicata eſt collatio locorum, quæ citata fuerunt ex SS. Patribus in epiſtolis Agathonis & Romani Concilij, eſtque in omnium conſeſſu manifeſtè cognitum, probatum, & declaratum, ipſa teſtimonia cum Græcis Codicibus in omnibus conuenire, prorſuſque iiſdem conſentire. Deinceps Petri Nicomediæ Epiſcopi palinodiam recantantis confeſſio lecta eſt, omniumque iudicio approbata. Demum à Theodoro Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Legato petitum fuit, vt legeretur ea epiſtola Sophronij Ieroſolymitani, quam Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad ſe tranſmiſſam non ſuſcepit.

Vndecima Actio. Vigeſimo die Martij, Actione vndecima, iuxta petitionem Theodori Ieroſolymitani lecta eſt epiſtola Sophronij ad Sergium: quæ cùm omnium iudicio approbata fuiſſet, ad hęreſim Macarij eiuſque diſcipuli magis publicandam & confundendam, vtriuſque ſcripta blaſphemiis pleniſſima recitari mandatum fuit: ſed dum vix ad medium ventum eſſet, lectio eorum interrupta eſt, & prohibita; eò quòd metueretur, ne horrendæ blaſphemiæ, & portentoſi, quos continebat, errores, auditoribus noxij forent: tandem iudicatum fuit non abs re futurum, ſi in deteſtationem hæreſis Monothelitarum ex ſcriptis Macarij blaſphemiæ illius exciperentur, collectæq; in vnum cum aliis blaſphemiis hæreticorum, qui recenſentur in Epiſtola Agathonis, coniungerentur. Inter alias blaſphemias exceptus eſt ille locus, quo ille veterem Monothelitarum calumniam reſuſcitans, Honorium in ſuas partes attrahere conatus fuit. Sed cùm huic calumniæ pro defenſione beatiſſimi Pontificis ſimilem calumniam paſſi, Legati Sedis Apoſtolicæ nihil contradixiſſe inueniantur; qui tamen pro Vigilio ſe fortiſſimos defenſores antè oppoſuerãt: cumque eadem blaſphemia vniuerſæ Eccleſiæ obiecta, Epiſtolæ Agathonis expreſsè repugnaret: (vtpote quòd ille diſertis verbis atteſtaretur, neminem ſuorum Anteceſſorum in Catholica & Orthodoxa fide aberraſſe) in eam ferè deſcendo ſententiam, quam tenet etiam Baronius, hanc cum duabus ſequentibus Actionibus à Græcis impoſtoribus magna ex parte Synodalibus Actis ſuperadditam fuiſſe.

Duodecima Actio. Actione duodecima miſſæ ſunt ab Imperatore ad Synodum chartæ quædam, quas à Macario acceperat: quarum numero dum poſt ſermonem acclamatorium ſuperiore Actione recitatum, continerentur epiſtola Sergij ad Cyrum Alexandrinum, eiuſdemq; alia ad Honorium Pontificem: item Epiſtola Honorij prima ad Sergium reddita; Mennæ ad Vigilium, & contrà Vigilij ad Mennam; à lectione ſermonis acclamatorij, & commentitiarum epiſtolarum ſub nomine Mennæ & Vigilij effictarum, ceſſatum eſt: reliquæ au-

Digitized by Google

autem epiſtolæ non tantùm perlectæ, verùm etiam cum ipſis originalibus in Patriarchio contentis collatæ fuerunt. Quibus ſimul conſentientibus, rurſum à S. Synodo eſt declamatum in Macarium, velut indignum qui ampliùs ad conſeſſum Synodi admittatur. Poſt hęc Syriæ Epiſcopi ac Clerici vnanimi voto in locum Macarij alium Orthodoxum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum ſurrogari petierunt. Sed dilata ſunt hęc omnia in ſequentẽ Actionem: in qua cùm deſiderentur Acta, quæ in electione Theophanis Antiocheni Epiſcopi, in locum Macarij ſurrogati contigerunt, certiſſimo argumẽto oſtenditur, Acta huius Concilij non ſolùm additione ſcriptorum commentitiorum, verùm etiam mutilatione & obtruncatione rerum geſtarum, viriata, corrupta, ac deprauata etiamnum extare. Ex eo enim quòd Theophanes in ſingulis ſequentibus Actionibus titulo Antiocheni Epiſcopi nominatus reperitur, conſtat, Theophanem Actione 13. in locum Macarij ſuffectum fuiſſe, adeoque ſine dubio deprauata & mutilata eſſe Acta Concilij, quibus huiuſmodi res geſtæ deſiderantur.

Decimatertia Actio. Actione decimatertia, die [illegible]menſis Martij celebrata, aduerſus hæreticos hoſce, Cyrum, Sergium, Pyrrhũ, Paulum & Petrum nominatim recenſitos lata eſt ſententia condemnationis: quæ cùm recitata fuiſſet, addita eſt lectio nouem Capitulorum Conciliabuli Alexandrini, earumq; epiſtolarum, quas Cyrus ad Sergium, Pyrrhus ad Ioannem Romanum Pontificem, Petrus, Paulus, aliique plures ad alios tranſmiſerant. Quæ ſcripta dum Quinta Synodus condemnaſſet, eadem igne cremari mandauit. Eamdem ſententiam in Honorium Pontificem, eiuſq; poſteriorem epiſtolam promulgatam fuiſſe, Acta Concilij atteſtantur: verùm mendoſè, & per ſummam impoſturam Theodori Conſtantinopolitani Epiſcopi: qui cùm nomen Vitaliani inuito Imperatore à ſacris Diptychis expunxiſſet, nõ tantùm Epiſcopatu amotus, verùm etiam propter hæreſim à Concilio damnatus fuit, ſubſtituto illi Georgio, de quo ſuprà Actione ſeptima: poſt obitum Georgij, per ſimulationem Orthodoxę fidei, anno ſequenti reſtitutus eſt priſtinæ Sedi & dignitati, vt teſtatur Nicephorus in Chronico. Nactus igitur originale exemplar Concilij ea occaſione, vt illud auctoritate Pontificia confirmandum, ad Leonem II. mitteret, ſuo vbique nomine expuncto, in odium Romani Pontificis nomen Honorij, quem propter epiſtolam ad Sergium ſcriptam, antiquiores Monothelitæ ſuarum partium eſſe iactauerant, vbique ſubſtituit. Ipſum Theodorum Synodali iudicio de hæreſi condemnatum fuiſſe, teſtatur Anaſtaſius in Vita Agathonis, quamquam nomen illius nuſquam apud Acta Concilij inueniatur.

Honorium Pontificem à Patribus huius Concilij ob hæreſim Monothelitarum non condemnatum, ſed hanc dumtaxat calumniam fraude ac dolo Græcorum eidem impoſitam fuiſſe, plurimæ rationes perſuadent. Prima quarum eſt, quòd non potuerit damnare Honorium, niſi cum Agathonis epiſtola pugnaret, ſibique ipſi contradiceret. Agatho enim in epiſtola ſua ad Conſtantinum Imperatorem apertè ſcribit, Sedem Petri neq; defeciſſe vnquam, neque deficere, ſuorum prædeceſſorum neminem in fide vera aberraſſe. Quod ſi verum eſt, quis credat, Patres ſanctiſſimi Concilij, Honorium Agathonis prædeceſſorem, ob hæreſim Monothelitarum cõdemnaſſe? Actione 8. & 18. profitentur ijdem Patres, Petrum allegata epiſtola per Agathonem locutum fuiſſe, ſcriptamque epiſtolam à Spiritu ſancto dictatam eſſe; quis credat, eumdem Spiritum ſanctum in hoc Concilio contrarium eſſe locutum, iudicioque Synodali ob crimen hæreſeos Honorium Papam condemnaſſe?

Digitized by Google

naſſe? Quæ cùm nemo virorum prudentium vnquam aſſeruerit, neceſsum eſt fateri, Acta huius Concilij omnibus iſtis locis, quibus Honorius Monothelitis adnumeratur, ab æmulis Romanæ Eccleſiæ corrupta eſſe.

Secunda ratio, qua idem firmiſſimè confirmatur, hæc eſt: Quòd niſi concedatur, Acta Synodalia in iis quæ cauſam Honorij concernunt, corrupta & deprauata fuiſse, oporteat fateri, vniuerſam Synodum ſanctiſſimam intolerabilis erroris, impudentiæ, & iniuſtitiæ notam indelebilem incurriſse. Intolerabilis error foret, ſi vnam atque alteram epiſtolam Honorij, ducenti octoginta nouem Patres non intellexiſſent, quáve intentione ea ſcripta fuiſſet, ex circumſtantia temporis, loci, ac perſonarum non aduertiſſent: item quæ locorum dubiorum foret interpretatio, ex vulgata illa & celebri diſputatione Maximi cum Pyrrho habita non audiuiſsent. Magna eſſet impudentia, ſi Apoſtolicam Sedem, quæ communi antiquiſſimorum Patrum ſententia iudicat omnes, & à nemine iudicatur, ipſi iam præcipitato iudicio condemnare præſumpſiſſent, cùm aliàs ob damnationem Theodori Mopſueſteni, aliorumque minoris auctoritatis & dignitatis Epiſcoporum, totum terrarum orbem commoueri, Synodumque Oecumenicam congregari oportuiſſet. Grauis eſt iniuſtitia, ſine cauſa iuſta damnare innocentem, atq; citra legitimam debitamque proceſſus formam, etiam nocentem & criminis reum condemnare. Si Patres Oecumenici Concilij Honorium condemnaſſent, ſine cauſa damnationis ſententiam in eum intuliſſent. Epiſtolæ enim, quas ad Sergium ſcripſit, & quarum cauſa in Actis damnari perhibetur, Catholicæ ſunt, nulla hæreſeos ſuſpicione laborant, vt prolixè notat Binius in epiſtolis ipſis, & in Vita ipſius Honorij. Siquidem ambæ clariſſimè teſtantur, ipſum ſenſiſſe & docuiſſe in Chriſto eſſe duas voluntates & operationes, & ſolùm voluiſse abſtineri à nominibus *vnius* vel *duarum*, ad ſcandalum tollendum, & contentionem ſedandam. Non poteſt autem iuſtè de hæreſi condemnari is qui rem ipſam confitetur, licet nomen, præſertim ante definitionem Eccleſiæ, iuſta de cauſa tacendum eſſe arbitretur: alioquin B. Hieronymus poſſet iam pro hæretico condemnari; quia in epiſtola ad Damaſum cenſuit, non eſſe dicendas in Deo tres hypoſtaſes, cuius contrarium poſteà Eccleſia non ſemel definiuit. Imò ſi reus obiecti criminis fuiſſet Honorius, priuſquam damnaretur, erat inquirendum, an errorem vmquam reuocauerit, vel potiùs in eodem vſque ad obitum perſeuerauerit? Quare cùm tantam ignominiæ notam, nemo etiam hæreticorum huic ſanctæ Synodo impingendam eſſe ſentiat, dubium non eſt, quin Acta Concilij in hac cauſa Honorij deprauata fuerint.

Tertiò, confirmatur idem hac ratione: Legati Sedis Apoſtolicæ rerum agédarum certum ac præſcriptum acceperant Commonitorium, nimirum vt eam fidem eaque dogmata conſtanter defenderent, quæ epiſtola S. Agathonis continebantur. Cùm itaque iidem Legati, omnia quæ contra Honorium dicta aut facta enarrantur, ſilentio præterierint, nihilque eorum, quæ pro defenſione Sedis Apoſtolicæ & Honorij (quem Agatho velut prædeceſſorem ſuum ab hæreſi immunem fuiſſe dixerat) iuxta tenorem ſui Commonitorij feciſſe debebant, peregerint; non imprudenter iſthinc inferre licet, aliquem impoſtorem ſuo nomini expuncto nomen Honorij ſubſtituiſſe.

Actione decimaquarta, quæ habita fuit 2. Aprilis, lecta ſunt Mennæ & Vigilij Papæ ſcripta de vnica voluntate. Quæ cùm Patres veluti partum ſuppoſititiũ redarguiſſent, atque anathemati tradidiſſent, Epiſcopi Cyprij tomum quemdam nomine Athanaſij inſcriptum protulerunt, ex quo per inductio- *Actio decimaquarta.*

nem longiùs petitam probarunt, in Chriſto duas eſſe voluntates & operationes.

Actio decimaquinta. Actio decimaquinta celebrata eſt 26. Aprilis, qua permiſſu Synodi Polychronius Presbyter & Monachus Monothelita, homo inſanus, falſiſque dæmonum illuſionibus deceptus, Formulam ſuæ fidei, qua vnam voluntatem in Chriſto profitetur, in medio vrbis mortuo impoſuit, ea præſumptione & iactantia, quaſi ille ſuam perfidiam non verbo tantùm, ſed & virtute miraculorum, mortuorumque reſuſcitatione confirmare poſſet. Cumque pluribus horis defuncto, cui chartula impoſita erat, adſtitiſſet, eiq; plura ſine vllo effectu eorum, quæ ſtolidè ac blaſphemè promiſſa erant, inſuſurraſſet, confeſſus tandem ſe mortuum ſuſcitare nō poſſe, à populo deluſus abiit. Citatus à Synodo vt errorem reuocaret & pœnitentiam ageret, contumaciter in errore perſeuerans, depoſitionis & anathematis ſententiam iuſto iudicio incurrit.

Actio decimaſexta. Actione decimaſexta, quæ propter amotos ab Imperio fratres & collegas Imperij, Heraclium & Tiberium, dilata eſt vſque ad nonum Auguſti, quidam Presbyter Monothelita, nomine Conſtantinus, profeſſus eſt, ſe ad docendam Synodum veniſſe, atque ad cōcordiam inter Monothelitas & Catholicos ineundam inueniſſe hunc modum, vt dicerentur in Chriſto duæ operationes, voluntas autem vna. Cumque interrogatus à Synodo dixiſſet, Chriſtum ab humana voluntate carne & ſanguine tempore crucis deſertum eſſe, aſſertio eius tamquam Manichæa exploſa eſt & damnata. Conſtantinus verò Presbyter hæreticus, dum pro ſuo merito parem damnationis ſententiam accepiſſet, foras eiectus eſt. Deinde poſt acclamationes Imperatori, Agathoni Papæ, & vniuerſo Concilio oblatas, póſtque hæreticos omnes ac ſingulos anathematizatos Actio 16. finem accepit.

Actio decimaſeptima. Vndecimo Septembris habita eſt Actio 17. quæ Græcè non extat. Huius initio Decretum Orthodoxæ fidei Patres confirmarunt, publiceque legi ac promulgari curarunt. Poſteà Nicęnum cum reliquis Quatuor Oecumenicis Conciliis ſuo Decreto corroborarunt, eorumq; Symbola recitari mandarunt: quibus abſolutis, Patres Concilij hæreſim Monothelitarum, eiúſque auctores, ſectarios ac defenſores, iuxta regulam ac normam, ab Agathone Papa & Romano Concilio, vt profitentur, ſibi pręſcriptam, magno omnium Catholicorum applauſu condemnarunt.

Conſiſte Lector, & obſerua euidentem Actorum Synodalium corruptelam. Si iudicatum eſt iuxta epiſtolas Agathonis & Romanę Synodi, malè in ſententia apponitur nomen Honorij, quod in neutra epiſtolarum reperitur: ſi verò ſententia lata eſt in Honorium ea, quam aduerſus Sergium alióſve Monothelitas pronuntiarunt, falſum eſt quod aiunt, ſe ſecundùm præſcriptum Agathonis & Romani Concilij iudicaſſe, cùm horum auctoritate Honorius non tantùm de hęreſi Monothelitarum non condemnandus, ſed etiam ab omni calumnia hæreticorum abſoluendus fuiſſet; vt indicant ea, quæ ſuprà hac de re copioſiùs annotaui.

Actio decimaoctaua. Decimaſexta die eiuſdem menſis Decembris Actio vltima celebrata fuit: qua cùm ad petitionem Imperatoris Definitio fidei ſuperiore Actione edita ac promulgata, iteratò lecta & approbata fuiſſet, Patres Orthodoxi fauſtas dignaſq; Imperatore Catholico acclamationes Conſtantino Imperatori detuliſſent, ipſe Imperator Synodum allocutus dixit, ſe ideò hortatu ſuo Concilium hoc legitima auctoritate indici & conuocari voluiſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ benè conſultum foret. Lectúſque eſt deinde ſermo acclamatorius ſacroſanctę Synodi ad Imperatorem, quo Patres Orthodoxi iterùm profeſſi ſunt, ſe in Definitione dogmatis Catholici, Agathonis diuinam illam & Apoſtolicam

Digitized by Google

eam (vt aiunt) epiſtolam literaſque Synodales Romani Concilij ſecutos fuiſſe, adeò vt iterata eorumdem Patrum confeſſio, magis magiſque confirmet id, quod ſuprà frequẽter annotaui, nomen Honorij per corruptelam & deprauationem alicuius impoſtoris hæretici huic ceteris præcedentibus Actionibus nonnullis ſuperadditum fuiſſe. His peractis, contigiſſe videntur ea, quæ Anaſtaſius in Vita Agathonis deſcribit his verbis: *Deinde abſtulerunt è Diptychis Eccleſiarum nomina Patriarcharum*, &c. Hæretici à ſententia definitiua Concilij ad Sedem Apoſtolicam appellarunt; Patres verò Orthodoxi eorum appellationi deferentes, illos ad Romanum Pontificem miſerunt. De rebus in Synodo geſtis ad eumdem Pontificem epiſtolam Synodalem miſerunt, petentes ab Agathone vt res in ſancta Synodo piè geſtas ſua auctoritate confirmare non grauetur. Quæ epiſtola hactenus in Latina editione, nunc ex noua verſione cum Græca Romana deſiderata in fine Actorum apud Binium Lectori exhibetur. Ad finem huius Actionis appoſita eſt epiſtola Conſtantini Imperatoris, tribus ferè menſibus poſt abſolutam hanc Synodum data & ſcripta, quæ illorum qui ad Synodum conuenerant, in defendenda fide Catholica ſtudium commendat.

De hac autem Synodo ſciendum eſt etiam, quòd Patres Concilij Toletani XIV. Can. 7. eam Synodum Quintam numerant, non ſanè ea intentione, quaſi Concilium Oecumenicum verè Quintum ſub Vigilio Papa habitum abiicerent: ſed quòd eas tantùm illi enumerarent, quibus de fidei definitionibus agitur. Quare cùm illi de fide tractarent, & in Quinta Synodo Oecumenica tantùm de perſonis ageretur, illam velut ad dogmata fidei ſtabilienda minùs neceſſariam prætermiſerunt. Baronius anno 684. num. 6.

Circa approbationem huius Synodi ſciendum, quòd communis ſententia Eccleſiæ eam inter approbatas Oecumenicas ſemper hucuſque recenſuit. Eamdem auctoritate B. Leonis Papæ II. confirmatam fuiſſe per epiſtolam, quam ad Synodicam Concilij ipſe reddidit, à pluribus huius ſæculi Scriptoribus doctiſſimis hactenus exiſtimatum fuit. Sed cùm Auctor allegatæ epiſtolæ confirmet ſententiam anathematis, quæ in corruptis Synodalibus Actis in Honorium Pontificem lata dicitur, adeoque nulla ratione defendi poſſint ea, quæ ſuprà pro defenſione & expugnatione allata fuerunt; de memorata ſæpiùs epiſtola diuerſi diuerſa iudicarunt. Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontifice, cap. 11. epiſtolam Leonis corruptam eſſe ſcribit. Ioannes de Turrecremata vniuerſam Synodum cum Leone Pontifice in facti quæſtione aberraſſe concedit. Baronius autem allegatam epiſtolam Leonis commentitiam eſſe probat pluribus rationibus. Primùm ideò quòd circa finem menſe Maio Indictionis decimæ, reſcripta ponatur ad epiſtolam Imperatoris, quam ſe menſe Iulio eiuſdem Indictionis accepiſſe fatetur, quæ niſi mendoſa probentur, manifeſtiſſimè ſibi contradicunt. Secundò, Quòd nullo modo menſe Iulio Pontifex eſſe potuerit, qui menſe Auguſto creatus, decem tantùm menſibus Pontificatum adminiſtrauit. Tertiò, Quòd profiteatur, ſe hãc epiſtolam ſcripſiſſe Indictione decima, qua nondum Pontifex creatus erat. Quartò, Quòd Honorium in Monothelitarum hæreſi defunctum, adeoque iuſta anathematis ſententia condemnatum eſſe ſcribat, quem publico funere Romana Eccleſia ſepeliuit inter ſanctos Pontifices in Eccleſia S. Petri, cuique, vt Catholico Pontifici, in omnibus paruit. Quàm plura alia de his, vide apud Binium hîc.

CANONES, qui huic Concilio ſolent apponi, commodiùs ponentur infrà ſub anno 692. ſub nomine CONCILII, ſeu CONCILIABVLI QVINISEXTI: Epiſcopi enim qui

huic Concilio Sexto interfuerunt, poſt decem annos redierunt, & Canones ſcripſerunt, vt infrà loco ſuo.

CONCILIVM TOLETANVM XII.

Epiſcoporum XXXV. *ad* REGEM CONFIRMANDVM, *circa tempora* AGATHONIS *Papæ habitum, anno primo Regis* ERVIGII, *quinto Idus Ianuarij, anno Domini* 681. *Aera* 719. *Eſt Prouinciale.*

ANNO DOMINI DC.LXXXI

REX ad Patres ingreſsus, offert tomum, in quo petit, vt Synodus terram prauitatis contagione repurget, & in primis Iudæorum peſtem, quòd in nouam ſemper recrudeſcat inſaniam, radicitus extirpet. Deinde poſtulat prędeceſsoris ſui Regis Hiſpaniæ leges quaſdam nimis ſeueras abrogari: denique diſciplinam corrigi flagitat.

Patres autem in initio, pro Confeſſione fidei, repetunt Symbolum Nicænum. Deinde recognoſcentes ſcriptum Bambæ, & ſeniorum Palatij manu & ſigillis confirmatum, & teſtimonium Iuliani Archiepiſcopi, quibus indicabatur, Bambam tonſura accepta, Magiſtratu ſe abdicantem, Eruigium eligere & exoptare ſucceſsorem, eumdem ſolemniter pronuntiant Regem, & populum à Bambæ fide & iureiurando abſoluunt, & Eruigio parere iubent. Et denique plura ſtatuuntur vtilia, vt ſequitur.

CANON I.

IN hoc Canone agnoſcitur verus Rex & legitimus Bambæ ſucceſſor Eruigius, quem & diuinum iudiciũ in Regno præelegit, & deceſſor Princeps ſucceſſorẽ ſibi inſtituit, & totius populi amabilitas exquiſiuit, vnde ſubiecit Synodus ſic: Dignum eſt, vt Sacerdotum ordo honorabiliter veneretur & ſuſcipiat in Regem. Vnde non erit iam deinceps ab anathematis ſententia alienus, quiſquis contra ſalutem eius erexerit vocem.

CANON II.

De his qui pœnitentiam neſcientes accipiunt.

MVLTOS ſæpè aſpeximus in ſalute poſitos, vltimum deſiderantes pœnitentiæ fructum: & rurſus nimietate ægritudinis ita loquendi & ſentiendi naturale perdidiſſe officium, vt nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ deuotionis noſcerentur deſiderio anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens ita talium neceſſitates in fide ſuſceperit ſua, vt vltimum illis tribuatur Viaticum, ſcilicet, ne ſine fructu pœnitentiæ videantur tranſire à ſæculo. Quòd ſi forſitan reſpiciente Domino, ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cautionibus vanis & oppoſitionibus execrãdis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum Religionis abiiciant, impudentiſſimè aſſerentes, ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipſi petierunt, nec conſentientes acceperunt: quorum impudentia, diuinæ bonitatis, quæ eos ad tam venerabile ac fecundi fructus vocauit ſacramentum, turpiter immemor, & obſtinata procacitas, non aliquando diceret talia, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lauacri gratiam veniret, meminiſſet. Etenim paruulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli propter ætatem diſcernendi vel expetendi ſenſui aptior iudicetur, niſi ex ſponſione fidelium Baptiſmi accipiãt Sacramentum, nullo ſenſu, nulla etiam diſcretionis induſtria id appetere poſſunt. Vnde ſicut Baptiſma, quod, neſcientibus paruulis, ſine vlla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque impugnantia violationis, hi qui illud acceperint, obſeruabunt. Si quis autem quolibet modo pœnitentiam accipiens, hoc violauerit Synodale inſtitutum, vt verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur. Nec enim iſta ſtatuentes,

tes, Sacerdotes quoſque, vt paſſim & licenter donum pœnitentiæ non pœnitentibus audeant prorogare, abſoluimus: ſed hos, qui qualiter fortè pœnitentiam ſuſceperint, ne vlteriùs ad militare cingulum redeant, religamus.

CANON III.

Vt quos Regia admittit poteſtas, Clerus non euitet.

VIDIMVS nonnullos, & fleuimus, ex numero culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres extitiſſe à collegio Sacerdotum: ab eis nulla ſe abſtinebit Sacerdotum communio, ſed quos Regia poteſtas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos Sacerdotum & populorum conuentus ſuſcipere in Eccleſiaſticam communionem debebit; vt quod principalis pietas habeat acceptum, non à Sacerdotibus Dei habeatur extraneum.

CANON IV.

VT in villulis nullus ordinetur Epiſcopus. In Sardicenſi Concilio 26. in Laodiceno 57. in Carthaginenſi II. c. 5. & Carthaginenſi III. c. 42.

CANON V.

Contra Sacerdotes, qui non ſemper ſacrificantes communicant.

De Conſ. d. 2. Relatum eſt nobis. RELATVM nobis eſt, quoſdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot Sacrificia in vna die videntur offerre: ſed in vno die, ſi plurima per ſe Deo offerant Sacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantùm extrema Sacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt, cùm dicat Apoſtolus: Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? (1. Cor. 10.) Certum eſt quòd hi qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps diuino Altari Sacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa qua ſe indecenter priuauit, gratia communionis anno vno repulſum ſe nouerit.

ANNOTATIO I.

EX hoc Canone patet in more fuiſſe, plures vno die Miſſas dici, aliqua vrgente neceſſitate. Vnde Concilio Salegunſtadienſi cap. 5. *Item decretum eſſe dicitur, vt vnuſquiſque Presbyter in die non amplius quàm tres Miſſas celebrare præſumat*: & Altiſiodorenſi cap. 10. *Non licet ſuper vno Altario in vna die duas Miſſas dicere.* Liberum verò aliquando fuiſſe, vna die plures Miſſas celebrari, tradit etiam VValafridus Strabus, de Rebus Eccleſiaſticis, cap. 21. vbi ad ſuam notitiam perueniſſe grauium virorum relatu teſtatur, Leonem Papam ſæpè ſepties aut octies vno die celebrare ſolitum: contrà verò D. Bonifacium Archiepiſcopum & martyrem, ſemel dumtaxat per diem. Neceſſitate verò exigente, pluries fieri permiſſum, ex Gratiano de Conſ. d. 1. cap. Sufficit, ex Alexandro Papa, qui ſic habet: *Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt, vnam Miſſam facere, & valdè felix eſt qui vnam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit. Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus ſæcularium, vna die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo euadere damnationem.* Hoc Alexander. In ſeptem caſibus vno die plures dicere Miſſas licet: primus, die Natiuitatis, quo tres dici poſſunt. Can. Nocte ſancta. media nocte, & diluculo, & tertia hora, & aliis, vt tradit Doctor inſignis Nauarra capit. 25. Summæ, num. 78. Idem Durandus in Rational. lib. 4. cap. 1. Turrecremata in dict. Can. Sufficit. Silueſter in Sũma, voce Miſſa. Soto 4. Sent. diſt. 13. q. 2. art. 2. Leo Primus epiſt. 81. ad Dioſcorum addit, Sacerdotem Miſſam iterare poſſe, cùm ſolemnior Feſtiuitas conuentum populi numeroſioris indixerit, & ad eadem tanta multitudo conuenerint, quam recipere Baſilica ſimul vna non poſſit. *Tum enim*, ait Leo, *Sacrificij oblatio proculdubiò iteratur.* Idem Innocentius cap. Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum. Hodie id fit, cùm ſub vna Parochia, vnus Sacerdos duo habet oppida vnita. Ex aliis etiam cauſis idem licere, tradunt Doctores Scholaſtici. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 4. & Paludanus in 4. d. 15. q. 2. VValafridus de Rebus Eccleſ. c. 21.

ANNOTATIO II.

IN *ſola tantùm extrema Sacrificij*, &c. Hunc morem celebrandi ſæpiùs in die Miſſæ ſacrificium, & in vltimo ſumendi Communionis ſanctæ gratiam, tempore Cypriani in vſu fuiſſe, patet ex eius ep. 63. ad Cæcilium.

Digitized by Google

CANON VI.

De auctoritate conceſſa Pontifici Toletano in promotione Epiſcoporum.

Diſt.63. Cùm lógè lateque.

ILLVD quoque decernendum nobis occurrit, quòd in quibuſdam ciuitatibus, decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu Ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur Officiorum diuinorum offenſio. Vnde placuit omnibus (ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque Prouinciæ) vt licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Pontificis iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouinciis præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis, eligere ſucceſſores. Sic tamen, vt quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt Ordinationis ſuæ tempus infra trium menſium ſpatium proprij Metropolitani præſentiam viſurus accedat, qualiter eius auctoritate vel diſciplina inſtructus, condignè ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat. Quòd ſi per deſidiam aut neglectum quilibet conſtituti temporis metas exceſſerit, excommunicetur. Hanc quoq; Definitionis Formulam ſicut de Epiſcopis, ita de ceteris rectoribus placuit obſeruandam.

ANNOTATIO.

LIBERA *Principis electio.* Studium & labor eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos, penes Reges tempore Gothorum erat: quod vſque, Romanorum Pontificum indulgentia, ad noſtra tempora penes Hiſpaniæ Reges reſedit. Conſtat id ex epiſtola Braulionis ad Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum. *Vt quia,* inquit, *Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordia curam: & hoc filiolo tuo, noſtro domino ſuggeras, vt illum illi loco præficiat, cuius doctrina ſanctitas ceteris ſit vitæ forma.* Cui Iſidorus ſic reſpondet: *De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi, non eam quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis: ſed tamen & ipſe adhuc, vbi certiùs conuertat animum, illi manet incertũ.* Et Concilio XVI. Toletano in tomo Egicæ Regis cauetur, vt ſi quis Epiſcopus in ſua Diœceſi idololatriam fieri permiſerit, officio ſuo deponatur; alio tamen Principali electione ibidem conſtituto, qui poſſit huius inſtitutionis ordinem ſeruare. Vnde conſtat, ad Regiam curam pertinere, nominare Epiſcopos: quod fiebat hoc pacto: Rex de ea re nominationem referebat ad Concilium. Concilium autem inquirebat, an nominatus dignus eſſet eo munere, vt ad Epiſcopatum eueheretur: quòd ſi inuentus eſſet moribus & doctrina ornatus, ſtatim à Concilio confirmabatur. Patet hoc etiam ex Concilio XVI. Toletano in Decreto iudicij ab vniuerſis edito, de depoſitione Suberti Præſulis Toletani, his verbis: *Igitur quoniam fauente Domino, Concilium eſt quò citiùs inchoandum ſecundùm prælectionem atque auctoritatẽ totiens dicti noſtri domini, per quam in præteritis iuſſit venerabilem fratrem noſtrum Felicem Spalenſis ſedis Epiſcopum, de priuata ſede Toletana, iure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſeruans ibidem decreto firmandum, ob id nos cum conſenſu Cleri ac populi, ad ſæpedictam Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum, de Spalenſi ſede, quam vſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem Canonicè transducimus.* Confirmatus iam à communi Concilio Epiſcopus, cogebatur ſe coram Metropolitano intra duos menſes ſiſtere; vt conſtat ex Concilio Tarraconenſi, cap. 5. eſtque apud Gratianum diſtinct. 65. cap. Si quis in Metropol. Tota hæc poteſtas probandi & confirmandi Epiſcopos, à Rege libera electione deſignatos, quæ antè penes Concilium Generale erat, in hoc Concilio, ob cauſas in Canone aſſignatas, in Archiepiſcopum Toletanum transfertur, veluti in totius Regni Primatem. Omnia autem hæc fiebant conceſſione Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, cuius auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper maiorem in modum coluit & obſeruauit. & habetur Diſtinct. 63. cap. Cùm longè lateque.

CANON VII.

IN hoc Canone agitur de recepto teſtimonio perſonarũ, quæ per legem teſtificandi licentiam perdiderunt. Nihil habet annotatione dignum.

CANON VIII.

De his qui vxores ſuas temerè relinquunt.

PRAECEPTVM Domini eſt, vt excepta cauſa fornicationis vxor à viro dimitti non debeat. Et ideò quicumq; citra culpam criminis ſupradicti vxorem ſuam quacumque occaſione dimiſerit, quia quos Deus coniunxit, ille ſeparare 32. q. 5. Præcepti Domini.

patare

parare diſpoſuit, tamdiu ab Eccleſiaſtica communione priuatus, & à cœtu omnium Chriſtianorum maneat alienus, quamdiu ſocietatem relictæ coniugis ſinceriter amplectatur & foueat. Ita tamen, vt qui iam admoniti à Sacerdote ſemel, bis terque, vt corrigerentur, ad torum ſuæ coniugis noluerint redire, & à Palatinæ dignitatis officio ipſi ſe ſeparabunt, & inſuper generoſæ dignitatis teſtimonium, quamdiu in culpa fuerint, amiſſuri ſunt.

CANON IX.

Diſt. 54. Iſi Iudæorum ſerui.

DE confirmatione legum, quæ contra Iudæorum nequitiam promulgatæ ſunt per Eruigium Regem.

CANON X.

17. q. 4. Definiuit ſanctum.

DE conſentiente pariter Domino noſtro Eruigio Rege hoc ſanctum Concilium definiuit, quòd nullus audeat eos, qui confugiunt ad Eccleſiam metu vel terrore, vel qui ibi reſident, inde vi abſtrahere.

ANNOTATIO.

AN & quomodo ad Eccleſiam confugientes rei criminum, ſint ab ea extrahendi, habetur ex L. VViſegoth. lib. 9. tit. 3. De iis, qui ad Eccleſiam confugiunt. & ex libro 6. tit. 4. Lege 16. quæ agit de homicida ad Eccleſiam confugiente: verba ſunt: *Sed etſi contigerit, eum ad Altare ſanctum fortaſſe confugere, non quidem præſumat eum abſque conſultu Sacerdotis perſecutor eius abſtrahere; conſulto tamen Sacerdote, ac reddito ſacramento, ne eumdem ſceleratum publica mortis pœna condemnet, Sacerdos eum ſua intentione ab Altari repellat, & extra Chorũ proijciat: & ſic ille, qui eum perſequitur, comprehendat. Cui ab Eccleſia eiecto non alias mortales inferat pœnas; ſed in poteſtate parentum, & eorum, cuius propinquus occiſus fuerit, contradendus eſt; vt, excepto mortis periculo, quid de eo facere voluerint, licentiam habeant.*

CANON XI.

IN hoc Canone agitur contra cultorès idolorum, vt per Regiam poteſtatem puniantur. Exod. 22. Deut. 17.

CANON XII.

IN hoc Canone determinatur, vt annis ſingulis in vnaquaque Prouincia Concilium celebretur.

CANON XIII.

IN hoc vltimo Canone agitur de gratiarum actionibus Deo & Regi Eruigio, & ſubſcriptionibus Epiſcoporũ.

CONC. ROTHOMAGENSE

anno 682. ſub THEODORICO *Rege Galliarum, tempore Interregni Pontificij celebratum.*

ACTA huius Concilij deſiderantur. Binius. ANNO DOMINI DCLXXXII.

CONCILIVM TOLETANVM XIII.

Epiſcoporum XL. *actũ anno* 4. ERVIGII *Regis, Æra* 721. *anno Domini* 683. *ſub* LEONE *Papa* II. *Eſt Prouinciale.*

ANNO 4. Eruigij Regis iterùm Toletum Epiſcopi conuenerũt. Et primò Rex offert tomum, in quo indicat, ſe velle leges conſtituere De accuſatis, ne cuiuſque violentia opprimantur: & De relaxandis fiſcalium exactionibus: & De libertis & ſeruis, ne ad Palatina tranſeant officia: ac rogat Synodum, vt de iis rebus diſpiciat. DCLXXXIII.

Patres primùm Confeſſionem fidei ex Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolis concinnant, deinde decreta faciunt.

Primò, De reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis cum Paulo traxit in ſocietatem tyrannidis.

Secundò, De accuſatis Sacerdotibus, ſeu etiam Optimatibus Palatij, atque Gardingis, ſub qua eos iuſtitiæ cautela examinari conueniat.

Tertiò, De tributorum Principali relaxatione in plebe.

Quartò, De munitione prolis Regiæ, vt ſcilicet nullus occultè vel publicè malitiæ ſuæ contra eam vota extendat: non eam gladio vel qualibet pernicioſa factione interimat: nullus conſilium, vel opus, quibus iniuſtè deiiciatur, vel nudetur rebus, exhibeat, &c. Qui ſecùs fecerit, ſit æterno anathemate

Canon VI.

De auctoritate conceſſa Pontifici Toletano in promotione Epiſcoporum.

Diſt.63. Cùm lógè lateque. ILLVD quoque decernendum nobis occurrit, quòd in quibuſdam ciuitatibus, decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu Ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur Officiorum diuinorum offenſio. Vnde placuit omnibus (ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque Prouinciæ) vt licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Pontificis iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouinciis præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis, eligere ſucceſſores. Sic tamen, vt quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt Ordinationis ſuæ tempus infra trium menſium ſpatium proprij Metropolitani præſentiam viſurus accedat, qualiter eius auctoritate vel diſciplina inſtructus, condignè ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat. Quòd ſi per deſidiam aut neglectum quilibet conſtituti temporis metas exceſſerit, excommunicetur. Hanc quoq; Definitionis Formulam ſicut de Epiſcopis, ita de ceteris rectoribus placuit obſeruandam.

Annotatio.

LIBERA *Principis electio.* Studium & labor eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos, penes Reges tempore Gothorum erat: quod vſque, Romanorum Pontificum indulgentia, ad noſtra tempora penes Hiſpaniæ Reges reſedit. Conſtat id ex epiſtola Braulionis ad Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum. *Vt quia*, inquit, *Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam: & hoc filiolo tuo, noſtro domino ſuggeras, vt illum illi loco præficiat, cuius doctrina ſanctitas ceteris ſit vitæ forma.* Cui Iſidorus ſic reſpondet: *De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi, non eam quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis: ſed tamen & ipſe adhuc, vbi certiùs conuertat animum, illi manet incertū.* Et Concilio XVI. Toletano in tomo Egicæ Regis cauetur, vt ſi quis Epiſcopus in ſua Diœceſi idololatriam fieri permiſerit, officio ſuo deponatur; alio tamen Principali electione ibidem conſtituto, qui poſſit huius inſtitutionis ordinem ſeruare. Vnde conſtat, ad Regiam curam pertinere, nominare Epiſcopos: quod fiebat hoc pacto: Rex de ea re nominationem referebat ad Concilium. Concilium autem inquirebat, an nominatus dignus eſſet eo munere, vt ad Epiſcopatum eueheretur: quòd ſi inuentus eſſet moribus & doctrina ornatus, ſtatim à Concilio confirmabatur. Patet hoc etiam ex Concilio XVI. Toletano in Decreto iudicij ab vniuerſis edito; de depoſitione Suberti Præſulis Toletani, his verbis: *Igitur quoniam fauente Domino, Concilium eſt quò citiùs inchoandum ſecundùm prælectionem atque auctoritatē totiens dicti noſtri domini, per quam in præteritis iuſſit venerabilem fratrem noſtrum Felicem Spalenſis ſedis Epiſcopum, de priuata ſede Toletana, iure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſeruans ibidem decreto firmandum, ob id nos cum conſenſu Cleri ac populi, ad ſæpedictam Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum, de Spalenſi ſede, quam vſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem Canonicè transducimus.* Confirmatus iam à communi Concilio Epiſcopus, cogebatur ſe coram Metropolitano intra duos menſes ſiſtere; vt conſtat ex Concilio Tarraconenſi, cap. 5. eſtque apud Gratianum diſtinct. 65. cap. Si quis in Metropol. Tota hæc poteſtas probandi & confirmandi Epiſcopos, à Rege libera electione deſignatos, quæ antè penes Concilium Generale erat, in hoc Concilio, ob cauſas in Canone aſſignatas, in Archiepiſcopum Toletanum transfertur, veluti in totius Regni Primatem. Omnia autem hæc fiebant conceſſione Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, cuius auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper maiorem in modum coluit & obſeruauit. & habetur Diſtinct. 63. cap. Cùm longè lateque.

Canon VII.

IN hoc Canone agitur de recepto teſtimonio perſonarū, quæ per legem teſtificandi licentiam perdiderunt. Nihil habet annotatione dignum.

Canon VIII.

De his qui vxores ſuas temerè relinquunt.

PRAECEPTVM Domini eſt, vt excepta cauſa fornicationis vxor à viro dimitti non debeat. Et ideò quicumq; citra culpam criminis ſupradicti vxorem ſuam quacumque occaſione dimiſerit, quia quos Deus coniunxit, ille ſeparare 32. q. 5. Præcepit Domini.

parare diſpoſuit, tamdiu ab Eccleſiaſtica communione priuatus, & à cœtu omnium Chriſtianorum maneat alienus, quamdiu ſocietatem relictæ coniugis ſinceriter amplectatur & foueat. Ita tamen, vt qui iam admoniti à Sacerdote ſemel, bis terque, vt corrigerentur, ad torum ſuæ coniugis noluerint redire, & à Palatinæ dignitatis officio ipſi ſe ſeparabunt, & inſuper generoſæ dignitatis teſtimonium, quamdiu in culpa fuerint, amiſſuri ſunt.

CANON IX.

Diſt. 54. Et ſi Iudæorum ſerui. DE confirmatione legum, quæ contra Iudęorum nequitiam promulgatæ ſunt per Eruigium Regem.

CANON X.

17. q. 4. Definiuit ſanctum. DE conſentiente pariter Domino noſtro Eruigio Rege hoc ſanctum Concilium definiuit, quòd nullus audeat eos, qui confugiunt ad Eccleſiam metu vel terrore, vel qui ibi reſident, inde vi abſtrahere.

ANNOTATIO.

AN & quomodo ad Eccleſiam confugientes rei criminum, ſint ab ea extrahendi, habetur ex L. VViſegoth. lib. 9. tit. 3. De iis, qui ad Eccleſiam confugiunt. & ex libro 6. tit. 4. Lege 16. quæ agit de homicida ad Eccleſiam confugiente: verba ſunt: *Sed etſi contigerit, eum ad Altare ſanctum fortaſſe confugere, non quidem præſumat eum abſq; conſultu Sacerdotis perſecutor eius abſtrahere; conſulto tamen Sacerdote, ac reddito ſacramento, ne eumdem ſceleratum publica mortis pœna condemnet, Sacerdos eum ſua intentione ab Altari repellat, & extra Chorũ proijciat: & ſic ille, qui eum perſequitur, comprehendat. Cui ab Eccleſia eiecto non alias mortales inferat pœnas; ſed in poteſtate parentum, & eorum, cuius propinquus occiſus fuerit, contradendus eſt; vt, excepto mortis periculo, quid de eo facere voluerint, licentiam habeant.*

CANON XI.

IN hoc Canone agitur contra cultorès idolorum, vt per Regiam poteſtatem puniantur. Exod. 22. Deut. 17.

CANON XII.

IN hoc Canone determinatur, vt annis ſingulis in vnaquaque Prouincia Concilium celebretur.

CANON XIII.

IN hoc vltimo Canone agitur de gratiarum actionibus Deo & Regi Eruigio, & ſubſcriptionibus Epiſcoporũ.

CONC. ROTHOMAGENSE *anno 682. ſub* THEODORICO *Rege Galliarum, tempore Interregni Pontificij celebratum.*

ACTA huius Concilij deſiderantur. Binius. ANNO DOMINI DC.LXXXII

CONCILIVM TOLETANVM XIII.

Epiſcoporum XL. *actũ anno* 4. ERVIGII *Regis, Æra* 721. *anno Domini* 683. *ſub* LEONE *Papa* II. *Eſt Prouinciale.*

ANNO 4. Eruigij Regis iterùm Toletum Epiſcopi conuenerũt. Et primò Rex offert tomum, in quo indicat, ſe velle leges conſtituere De accuſatis, ne cuiuſque violentia opprimantur: & De relaxandis fiſcalium exactionibus: & De libertis & ſeruis, ne ad Palatina tranſeant officia: ac rogat Synodum, vt de iis rebus diſpiciat. DC.LXXXIII

Patres primùm Confeſſionem fidei ex Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolis concinnant, deinde decreta faciunt.

Primò, De reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis cum Paulo traxit in ſocietatem tyrannidis.

Secundò, De accuſatis Sacerdotibus, ſeu etiam Optimatibus Palatij, atque Gardingis, ſub qua eos iuſtitiæ cautela examinari conueniat.

Tertiò, De tributorum Principali relaxatione in plebe.

Quartò, De munitione prolis Regiæ, vt ſcilicet nullus occultè vel publicè malitiæ ſuæ contra eam vota extendat: non eam gladio vel qualibet perniciosa factione interimat: nullus conſilium, vel opus, quibus iniuſtè deiiciatur, vel nudetur rebus, exhibeat, &c. Qui ſecùs fecerit, ſit æterno anathemate

te vltus, & futuri examinis iudicio condemnatus.

Quintò, Ne defuncto Rege, relictam eius coniugem aut in coniugio ſibi quiſquam, aut in adulterio audeat copulare. Non hoc ſecuturis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit eſſe permiſſum. Qui hanc ſententiam violare præſumpſerit, ſit ab omni Chriſtianorum communione ſecluſus, & ſulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus.

Sextò, Vt exceptis ſeruis vel libertis fiſcalibus, nullus de ſeruitute quorumlibet, aut libertis, deinceps ad Palatinum officium quocumque tempore tranſeat.

Septimò, Ne Altaria quis nudare præſumat, vel luminaria Eccleſiæ ſubtrahere.

Octauò, Ne admonente Metropolitano, quiſquam ex finitimis ad locum, vbi inuitatur, venire contemnat, alioquin ſe nouerit excõmunicatione mulctari. Quam pœnam etiam merebuntur excipere, qui exortos contra ſe clamores negotiorum, admoniti à Metropolitano, diſtulerint emendare atque compeſcere: aut, ſi admoniti, vt ad iudicium primæ Sedis accedant, aut per ſe noluerint properare, aut vades ſuos neglexerint legaliter informatos dirigere.

ANNOTATIO.

HAEC tria nomina ſupremam dignitatem in Eccleſia in ſuo ordine ſignificant, *Prima ſedes*, *Primas* ſeu *Primatus*, & *Metropolitanus*. *Prima ſedes* ſuprema Eccleſiæ poteſtas, & quæ eſt caput totius Catholicæ Eccleſiæ, is eſt Romanus Pontifex. Ita Synodus 300. Epiſcoporũ in cauſa fidei Marcellino Summo Pontifici reſpondit: *Ore ſuo condemnatus eſt, ore ſuo anathematizatus, accepit maranatha: nemo enim iudicauit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem Summum: quia prima Sedes non iudicatur à quoquam.* Vſurpatur tamen *Prima ſedes* interdum pro ſede Archiepiſcopali, ea videlicet cauſa, quòd ſicut Summus Põtifex omnium Eccleſiarum in vniuerſo orbe primus, & Princeps, & Pater, & caput eſt; ita & Archiepiſcopus, Epiſcoporum, quos in ſua habet Prouincia, obtinet primum locum. Hinc Concilium IV. Carthaginenſe in ſubſcriptionibus, Donatianus Talabricenſis primæ ſedis Epiſcopus ſubſcribit: & in Toletano V. & aliis Hiſpaniæ Conciliis, Carthaginenſis, Tarraconenſis, Narbonenſis, Emeritenſis, Bracarenſis, & Hiſpalenſis, ſedes primę dicuntur. Et Concilio Carthaginẽſi III. cap. 26. cauetur, vt primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi; ſed tantùm Primæ ſedis Epiſcopus: eſtque apud Gratianum, diſt. 99. Primæ ſedis. De qua re vide Rufum in Molinæum. *Primas* dicitur Epiſcopus, qui eſt caput totius Prouinciæ. Sic Concilio Carthaginenſi II. c. 12. vt inconſulto Primate cuiuſlibet Prouinciæ, nemo præſumat Epiſcopum ordinare: ibi enim pro Metropolitano accipitur; vtpote cùm hoc munus ad ſolum Metropolitanum pertineat, vt ex multis Conciliis liquet, & Concilio Mileuitano Primas ponitur Numidiæ & Mauritaniæ. Vnde in vnaquaque Prouicia Metropolitanus Primas vocabatur. Accipitur etiam vniuerſaliùs Primatus appellatio pro iis, qui ius habent ſupra Metropolitanos, ex Concilio Chalcedonẽſi cap. 9. *Si verò contra ipſius Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopum, Epiſcopus, ſiue Clericus habeat controuerſiam, pergant ad ipſius Diœceſis Primates, aut certè ad Conſtantinopolitanæ Regiæ ciuitatis ſedem.* Qui Canon doctiſſimè & erudiuſſime explicatur à Franciſco Turriano lib. 3. pro Epiſt. Pontif. c. 4. Principem Diœceſis, vel Primatem, Romanum Pontificem intelligente. Sic in Hiſpania Archiepiſcopus Toletanus vocatur Primas, eò quòd ſupra Hiſpalenſem, Compoſtellanam, Bracarenſem, Elborenſem, Vliſſiponenſem, Granatenſem, Cæſarauguſtanam, Valentinam, Burgenſem, Tarraconenſem & Narbonenſem Eccleſias Metropolitanas ius & Primatum habeat. De qua re fuſiùs diſſerit Binius in Opuſculo ſuo de Primatu Eccleſiæ Toletanæ.

Nonò, De confirmatione Concilij Toletani XII. quod factum eſt anno 1. glorioſiſſimi Eruigij Regis.

Decimò, Quomodo gerere ſe debeant qui pœnitentiam accipiunt in Sacerdotio conſtituti.

Vndecimò, Ne quis alienum Clericum vel Monachũ ſuſcipiat fugientem.

Duodecimò, De non excommunicandis à proprio Epiſcopo perſonis illis, qui

qui ad Metropolitanum ſuum, negotia ſua geſturi acceſſerint.

Decimotertiò, Hîc aguntur gratiæ Deo & Principi poſt Concilium.

CONC. TOLETANVM XIV.

Epiſcoporum decem & ſeptem, Aera 722. anno quinto ERVIGII *Regis, & Chriſti Redemptoris 684. celebratum ſub* BENEDICTO II. *Ex Garçia Loayſa deſumptum.*

ANNO DOMINI DCLXXXIV. IN hoc Concilio agitur de infraſcriptis.

I. De premem oratione aggregati Concilij & relatione Principalis Edicti, quo iuſſum eſt Synodum agitari.

II. De initio relationis, quo Concilium cœpit geſtorum Synodalium & Epiſtolæ Romani Pontificis facere mentionem.

III. De aduerſitate duplici, qua non potuit Generale Concilium fieri.

IV. De reſponſis partis noſtræ.

V. De iterata diſcuſſione præmemorati Concilij.

VI. De præmemorati Concilij honore collato.

VII. De loco, vel ordine, quo iam dictum Concilium collocari oporteat.

VIII. Allocutio ad totius compagem Eccleſiæ, de duabus Chriſti naturis inſeparabilibus & perfectis.

IX. De duarum naturarum Chriſti voluntatibus & operibus.

X. De hæreticorum contentionibus euitandis; & vt non diſcutiantur, quæ ſumma ſunt, ſed credantur.

XI. De communi omnium iudicio, quo reſponſa partis noſtrę firmata ſunt.

XII. De relatione gratiarũ ad Deum pro peracto Concilio.

CONCILIABVLVM GALLICANVM

ſub THEODORICO *Rege anno Domini 685. in Galliis celebratum.*

DC.LXXXV. HAEC Pſeudoſynodus & tyrannica Conſultatio conuocata eſt à Theodorico Rege, operâ Ebroïni Magiſtri domus: in qua hoc tantummodò conſilio Tyranni prædicti concluſum eſt, vt de Lamberto Traiectenſi & Leodegario Auguſtodunenſi Epiſcopis pœnæ ſumerêtur, amotique ſuis Epiſcopatibus relegarentur. Acta Concilij breuiter deſcribit Sigebertus in Chronico his verbis: *Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recipit, eius conſilio Synodum Epiſcoporum cogit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroini Epiſcopatu priuat: aliquos etiam eorum irreuocabili exilio damnat. Sub tam proceloſo domeſticæ perſecutionis tumultu, ſanctus etiam Lambertus à Traiectenſi amotus Epiſcopatu, & Cœnobio Stabulenſi Monachicæ quietis expetit portum, ibique per ſeptem annos habitauit ſecũ S. Leodegarius diu ab Ebroino tormentatus, poſt famem & carceris ſqualorem, poſt oculorum euulſionem, poſt plantarum conciſionem, poſt linguæ & labiorum exciſionem, tandem conſummauit martyrium poſt capitis abſciſſionem.* Hæc Sigebertus in Chronico anno 685. Vide Baronium anno prædicto. Item Acta Leodegarij apud Surium die 2. Octobris, Tom. 5.

CONCIL. TOLETANVM XV.

Epiſcoporum LXI. *anno Domini 688. tempore* SERGII *Papæ celebratum.*

IN Præfatione huius Concilij habetur, quòd cùm eſſent conciliariter congregati Patres, adfuit etiam Egica Princeps, qui in medio Pontificum poſitus, humoque proſtratus, Sacerdotum Dei ſe commendat orationibus. Deinde obtulit eis tomum ſuarum petitionũ. Poſteà Patres Symbolum Nicęnum profeſſi ſunt. Quibus peractis, ad illa ſe conuerterunt contuenda Capitula, pro quibus ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus eos literarum ſuarum ſignificatione monuerat. Quæ Rodericus Toletanus Archiepiſcopus lib. 3. c. 13. ſic deſcribit. *Eius in tempore,* inquit, *liber de Tribus ſubſtantiis, quem dudum Romam miſerat Primas ſanctiſſimus Iulianus,* DC.LXXXVIII.

Digitized by Google

nus, & minùs cautè tractando, Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id, quòd voluntas genuit voluntatem. Sed ſanctus Iulianus veridicis teſtimoniis in hoc Concilio, ad exactionem præfati Principis, per oracula corũ quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmauit; & apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos Legatos, Presbyterum, Diaconem, & Subdiaconem, viros eruditiſſimos, & in omnibus Dei ſeruos, & in diuinis Scripturis imbutos, cum verſibus etiam acclamatoriis, ſecundùm quod & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperij. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum ſæpiùs notum fecit, qui & reſcriptum Domino Iuliano per ſuprafatos Legatos cum gratiarum actione & cum honore remiſit, & omnia quæcumque ſcripſit, iuſta & pia eſſe deprompſit. Hæc Rodericus.

Alia pauca deinde tractant Patres, quæ nihil annotatione dignum continent: extant tamen apud Binium.

CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM III.

tempore SERGII *Papæ celebratum anno Domini 691.*

ANNO DOMINI DC.XCI.

IN hoc Concilio hæc ſummatim tractantur:

I. Vt non liceat Epiſcopis, citra diebus Dominicis, conſecrationes Eccleſiarum exercere.

ANNOTATIO.

De conſecratione Eccleſiarum multa tradita ſunt à SS. Patribus, vt conſtat ex Conc. Bracarenſi II. c.3. VVormatienſi c.3. & ex Felice Papa IV. c.4. eius epiſt. & ex Euſebio lib.2. Eccleſ. Hiſtor. c.8. & Gelaſio Papa ep.1. c.27. & Nicolao Papa I. vt habetur de Conſecr. diſt.2. cap. Eccleſia.

II. Vt confinitimi Epiſcopi de ſacra ſolemnitate Paſchali annua vice Primatem ſuum requirant.

ANNOTATIO.

Vide Concilium Toletanum IV. c.4. Bracarenſe II. c.9. & Carthaginenſe III. cap.1. & 41. Arelatenſe I. cap.1. & Carthaginenſe IV. & V.

III. Vt Monaſteria, diuerſoria ſæcularium non fiant.

IV. De libertis, qui ab Epiſcopis ex familia Eccleſiæ manumittuntur.

V. Vt defuncto Principe, ſuperſtes Regina ſtatũ & veſtem ſæcularem deponat, & in Cœnobio Virginum mancipetur permanſura.

Vltimò dant laudes Deo, & Principi.

Hoc Concilium exſcriptum eſt ex C.M.S. vetuſto Monaſterij S. Æmiliani. Vide Loayſam, vel Binium hîc.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

Pſeudoſextũ Vniuerſale, & reprobatum, quo ſub nomine V. & VI. *Synodi Oecumenicæ, centum & duo Canones editi fuerunt, anno Domini 692. ſub Pontificatu* SERGII, *& Imperio* IVSTINIANI IVNIORIS.

CONCILIABVLVM hoc, ſeu erratica Pſeudoſynodus auctoritate Callicini Cõſtantinopolitani Epiſcopi, qui hoc tempore poſt obitum Pauli Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſidebat, in Trullo Conſtantinopoli congregata fuit. DC.XCII. Cauſam indicti Conciliabuli, Epiſcopi illi qui conuenerant, in ſua Præfatione ad Iuſtinianum Imperatorem indicarunt his verbis: *Quoniam autem ſanctæ & Vniuerſales duæ Synodi* (Quinta nimirum & Sexta Oecumenica) *nequaquam conſcripſerunt ſacros Canones,* &c. *per quos populi quidem à deteriore & abiectiore viuendi ratione recedant, ad meliorem autem & altiorem vitam ſe reducant. Proptereà ergo tuæ pietatis iuſſu, in hac Dei obſeruatrice & imperante vrbe congreſſi, ſacros Canones ſcripſimus.* Idem in Nomocanone Photij recenſens Theodorus Balſamo, ſchiſmaticorum patronus, pro defenſione Synodi erraticæ iſta ſcribit: Theodorus Balſamo ſchiſmaticorum patronus. *Cùm, inquit, duæ Vniuerſales Synodi, Quinta ſcilicet, quæ fuit regnante Magno Iuſtiniano, & Sexta, quæ fuit regnante Conſtantino Pogonato, non fecerint Canones ad Eccleſiarum conſtitutionem, hæc facta eſt ad*

Digitized by Google

ad ſupplementum duarum. Addit: *Propterea enim nec Sexta propriè nominatur, ſed Quiniſexta: nam quod Quintæ & Sextæ Synodo deerat, repleuit.*

Sed quænam quæſo neceſſitas illud exigebat? Synodus Sexta Oecumenica ob cauſam fidei congregata fuerat: imò ipſi Legati ab Agathone Pontifice ad eamdem ſanctam Synodum miſſi, mandatum acceperant, ne quidquam aliud in Concilio Oecumenico proponi ac definiri permitterent, quàm quæ fidem & controuerſias fidei concernerent: nulla ergo neceſſitate opus erat, vt poſt decennium ſub prætextu perficiendarum Synodorum vafrè quæſito conueniretur, & ad Quintam & Sextam Synodum noua & erratica iſta Appendix adiiceretur. Eapropter mentitur, vt ſolet, Salomon Geſnerus, qui in Epitome Conciliorum dicit, Pontificem Romanum ad hanc Synodum ſuos remiſiſſe Legatos. Et teſtimonio Bedæ & Pauli Diaconi certiſſimè conſtat, quòd neque Sergius per vim, neq; Ioannes VII. & Conſtantinus Pontifices per fraudes & blanditias, ad confirmandos impios Canones, prout Monothelitæ expetebant, ab Imperatore induci potuerunt. Et ſanè, nemo prudens dixerit, in Spiritu ſancto legitimè congregatam fuiſſe illam Synodum, cui Summus Pontifex neque per ſe, neque per Legatos interfuit: & in qua plurima Apoſtolicis Conſtitutionibus & Conciliorum Oecumenicorum decretis contraria, De cœlibatu, De ieiunio, aliiſque infrà deſignandis, conſtituta fuerunt.

Ex quo ſequitur, quòd qui hos Canones ab Eccleſia Romana indifferenter receptos eſſe ſentiunt, longiſſimè à veritatis ſcopo aberrant. Nam Anaſtaſij Bibliothecarij manifeſta teſtificatione liquet, prædictos Canones non modò non à Romana Eccleſia, ſed neque ab aliqua trium Patriarchalium Sedium receptos fuiſſe: imò eorumdem iudicio habitos fuiſſe indignos qui exſcriberentur, & in Archiuis Eccleſiarum ſuarum inter alios aſſeruarentur. Addit tamen Anaſtaſius (in epiſtola ſcilicet, quâ poſt Septimam Synodum tranſlatam ſcripſit ad Ioannem VIII. eius nominis Pontificem) ſanctam Romanam Eccleſiam eam conſueuiſſe ſeruare regulam, vt quos ſciret eſſe ſecundùm decreta Romanæ Eccleſiæ atque SS. Conciliorum ſancita, non reſpueret, ſed vt veritati conſentientes amplecteretur: non quòd ex hac Synodo haberent aliquid auctoritatis; ſed quòd veritas vbicumque reperiatur, & à quocumque dicta ſit, ſui firmitate ſubſiſtat, ſuoque robore permaneat. Reliquos Canones SS. Patrum decretis aduerſos, ſancta Romana Eccleſia ſemper fuit deteſtata. Canonem 82. quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtar Agni immaculati depingi prohibetur, & nonnullos, quos infrà deſignabo, vſu contrario penitùs improbauit.

Refellitur prima Obiectio.

Benè verum eſt, quòd Gregorius II. & Adrianus Romani Pontifices, nec non Patres Concilij Nicæni II. aduerſus impios Iconoclaſtas agentes, hunc Canonem citarunt, ſed non alia ratione, quàm vt Iconoclaſtas pium ſacrarum imaginum vſum repudiantes, auctoritate huius Canonis, quem illi velut legitimum ſacroſanctæ Oecumenicæ Synodi partum venerabantur, conuincerent, proprioque quaſi gladio conuictos, ad ſacrarum imaginum cultum piè & religioſè exercendum inducerent.

Dicet fortaſſe quiſpiam, in Decreto Gratiani diſt. 16. can. 5. ex epiſt. Hadriani ad Tharaſium (quæ extat Act. 2. Septimæ Synodi Nicænæ II.) citari fragmentū, quo habentur iſta: *Sextam Synodum recipio cum omnibus Canonibus ſuis.* Quę ſi vera ſunt, ſuſtineri nequeunt ea, quæ de improbatis hiſce Canonibus ſuprà dicta ſunt.

Refellitur ſecunda Obiectio ex Gratiano.

Reſpondeo, fragmentum hoc malè à Gratiano citari: nam germana verſio epiſtolæ Hadriani ad Tharaſium, quā

vertit Anaſtaſius Bibliothecarius, ita legit: *Inuenimus autem in prædicta Synodica Epiſtola Sanctitatis veſtræ, poſt plenitudinem fidei, & confeſſionem ſacri Symboli, & omnium ſanctarum ſex Synodorum, & de ſacris venerabilibus characteribus miraculum laude ac veneratione digniſſimum contineri. Quare & eaſdem ſanctas Synodos ſuſcipio, cum omnibus regulis, quæ iure ac diuinitus ab ipſis promulgatæ ſunt.* Ita in Notis prædicti Canonis Decretum Gratiani iuſſu Gregorij XIII. recens emendatum. Quibus verbis ea, quę de horum Canonum auctoritate ſuprà dixi, manifeſtè confirmantur.

Sequuntur CANONES CONCILIABVLI.

CANON I.

PRIMO in Canone proponitur fides tenenda, vt per Apoſtolos & ſacra Concilia tradita eſt: & explicatur ratio ex Synodorum Vniuerſalium, ſicut in multis aliis Conciliis explicata eſt. Sub anathemate autem decernitur tenenda vniuerſa, quæ in eis ſunt à Patribus definita.

CANON II.

Vt tam Synodorum Generalium, quarumdamque Prouincialium, Apoſtolorum, & aliorum Patrum Canones ſtabiles maneant, definitur.

HOC quoque huic ſanctæ Synodo pulcherrimè & honeſtiſſimè placuit, vt ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi ſtabileſque maneant, qui à ſanctis Patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti ac confirmati ſunt, ſanctorum Apoſtolorum nomine 85. Canones.

ANNOTATIO.

Non omnes Canones Apoſtolicos auctoritate SS. Patrum ab Eccleſia receptos fuiſſe, patet ex cenſura Gelaſij, qui in Concilio Romano ſciens prudens horum nonnullos inter Apocrypha reiecit, vt ibi diximus.

Quoniam autem in his Canonibus nobis præceptum eſt, vt eorumdem SS. Apoſtolorum per Clementem Cōſtitutiones ſuſciperemus, quibus iam olim ab iis qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam & à pietate aliena introducta ſunt, quæ diuinorum nobis Decretorum elegantem & venuſtam ſpeciem obſcurarunt; has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem vtiliter reiecimus, hæreticæ falſitatis fetus nequam miſcentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes. Obſignamus etiā reliquos omnes Canones, qui à ſanctis & beatis noſtris Patribus expoſiti ſunt, id eſt à trecentis decem & octo diuis Patribus, qui Nicææ conuenerunt: ab iiſque qui Ancyræ, etiam ab iis qui Neocæſareæ, ſimiliter & qui Gangris, Antiochiæ Syriæ, ac Laodiceę Phrygiæ. Prætereà autem & à centum quinquaginta Patribus, qui in hac Dei cultrice & Regia ciuitate conuenerunt; & ducentis, qui in Epheſiorum Metropoli priùs coacti ſunt; & 630. ſanctis Patribus, qui Chalcedone, Sardicæ, Carthagine, & qui rurſus in hac Regia vrbe ſub Nectario, qui Regię huic ciuitati præſidebat; & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiſcopus. Quin etiam Canones Dionyſij Archiepiſcopi Alexandrinorū Megalopolis: & Petri Alexandriæ Archiepiſcopi & martyris, Gregorij Neocæſareæ Epiſcopi, qui θαυματυργὸς, id eſt, mirabilium operum effector dictus eſt, Athanaſij Alexandrini Archiepiſcopi, Baſilij Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, Gregorij Epiſcopi Nyſſeni, Gregorij Theologi, Amphilochi Iconij, Timothei Archiepiſcopi Alexandrini, Cyrilli eiuſdem Alexandriæ Archiepiſcopi, & Gennadij Patriarchæ huius Regiæ ciuitatis. Prætereà verò, & à Cypriano Afrorum regionis Archiepiſcopo & martyre, &c.

ANNOTATIO.

Cyprianum non fuiſſe Archiepiſcopum totius Africæ, neque vmquam hoc nomine antehac appellatum fuiſſe, indicat Canon 26. Concilij Carthaginenſis III. quo pro-

Digitized by Google

prohibetur, ne quis aliorum Epiſcoporum Africæ ſeſe Primatem appellet.

Et Synodo quæ ſub ipſo fuit, emiſſum Canonem, qui in prædictorum Præſulum locis, & ſolùm ſecundùm traditam eis conſuetudinē ſeruatus eſt.

ANNOTATIO.

Emiſſum Canonem. Nimirum de rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis anteà baptizati fuerant. Ita in odium totius Eccleſiæ Romanæ erratica Synodus confirmauit id, quod Stephanus Papa, eiuſque omnes poſteri Pontifices & Epiſcopi plurimis Conciliis improbarunt & reiecerunt.

Et nulli licere priùs declaratos Canones adulterare vel abolere, vel alios præter priùs hîc propoſitos Canones admittere, à quibuſdam falſa adiecta inſcriptione compoſitos, qui veritatem cauponari nati ſunt. Si quis autē, quòd prædictorum Canonum aliquem innouare vel ſubuertere conetur, cõuictus fuerit, reus erit ſecundùm eum Canonem, vt ipſe pronuntiat Canon, pœnam luens, & per ipſum in eo, in quo offendit, medelam ſuſcipiens.

CANON III.

Qualiter puniendi Clerici, qui præter Canonicas ſanctiones vxores duxerint.

REx noſter allocutus eſt Synodum, vt miniſtros Eccleſiæ puros, & eo miniſterio dignos exhiberet. At cùm hi, qui ſunt Romanæ Eccleſiæ, Canonis ſummum ius ſeruare propoſuerint, huius autem ciuitatis ſedes benignitatem; nos verò vnum ex duobus componentes (vt nec ex lenitate diſſolutionem, nec ex rigore auſteritatem) ſancimus, vt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, nec à peccato, cui mancipati ſunt, reſipiſcere voluerint, depoſitioni Canonicæ ſubiacere. Qui verò ad hanc ſecundarum nuptiarum affectionem tranſierunt quidem, ſed ante noſtram cognitionem, procul peregrinam ſpuriamq; coniunctionem abiecerunt, vel quorum vxores ſecundæ obiere, vel ipſi ad conuerſionem prouidentes, in animum ſobrietatem reuocarunt, & ſubitò eorum omnium, quæ priùs contra Leges erant, obliti ſunt, ſiue Presbyteri, ſiue Diaconi ſint, viſum eſt eos ceſſare debere ab omni ſacro munere & actione, in certum tempus damnatos, dummodò honores quidem ſuæ ſedis & ſtatum retineant, contenti primo accubitu: lacrymis à Domino efflagitantes, vt ſibi remittat illud ignorantiæ peccatum: ineptum enim eſt, vt aliis benè precetur, qui neceſſe habet curare ſua vulnera. Ceterùm, qui vni quidem coniuncti ſunt vxori, ſed quę vidua eſſet cùm aſcita fuit, ſimiliter & qui poſtquam fuere electi, nuptiis illegitimis adhæſere, hoc eſt, Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi, ad breue aliquod tempus damnati, ſemotique à ſacra adminiſtratione, rurſus ad eoſdem reſtituantur gradus, dummodò ad maiorem non procedant gradum, latenter illegitimo contubernio ſoluto. Et hæc quidem ſolùm in Sacerdotibus diſpoſuimus, definientes ab hoc tempore, & reſtituentes Canonem illum, qui prohibet, Vt qui ad ſecundas nuptias tranſierit poſt Baptiſmum, vel pellicem habuerit, non poſſit Epiſcopus aut Presbyter creari, vel Diaconus, aut omnino Ordinis ſacri. Similiter & qui viduam aſſumpſerit, vel repudiatam, vel amitam, vel ancillam, vel meretricem, eſſe non poteſt Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino Ordinis ſacri. Can. Apoſt. 27. & 18. Diſt. 33. Si quis poſt. Diſt. 34. Si quis viduam.

CANON IV.

Clericus vitians Monacham, deponatur.

SI QVIS Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Oſtiarius cum muliere Deo dicata coïerit, deponatur, vt qui Chriſti ſponſam violauerit: ſi autem laicus, ſegregetur. Ex 25. Cã. Apoſt.

In CANONE V. ſtatuitur, Ne quis ex Clero habeat ſecũ mulierem extraneã. Canon repetitus in multis Conciliis. 27. q. 1. Si quis.

CANON VI.

Soli Cantores & Lectores poſſunt vxorem ducere.

QVONIAM in Apoſtolicis Canonibus dictum eſt, eorum qui non Diſt. 32. Si quis eorũ.

 ducta

ducta vxore in Clerum promouentur, ſolos Lectores & Cantores vxorē poſſe ducere: & nos hoc obſeruantes, decernimus, vt deinceps nulli penitùs Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui Ordinationem cõiugium contrahere liceat. Si autem hoc facere auſus fuerit, deponatur: ſi quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonij mulieri coniungi; antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

CANON VII.

Diaconi non ſedeant loco honoratiori quàm Presbyteri.

QVONIAM in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere cognouimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros ſedere; ſtatuimus, vt Diaconus etiamſi in dignitate, ideſt, in quouis ſit officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum non ſedeat, præterquam ſi proprij Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia ciuitate ſuper aliquo capite. Tunc enim vt locum illius implens, honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia, tale quid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu deiectus, ſit omniũ vltimus eius Ordinis, in cuius eſt catalogo in ſua Eccleſia.

ANNOTATIO.

HIC Canon erat renouandus, quoniam videmus Diaconos in dignitate conſtitutos ante Preſbyteros ſedere: imò ante Epiſcopos ſedent Diaconi Cardinales.

Can. Apoſt. 36. In CANONE VIII. ſtatuitur, Vt quotannis Synodi Prouinciales fiant: eſtque Canon 5. Nicænus, & Chalcedonenſis 19. Addit tamen, vt ſaltem ſemel in anno fiat Synodus.

CANON IX.

Can. Apoſt. 54. & Diſt. 44. c. Nulli. NVLLI liceat Clerico cauponariam habere tabernam. Canon Apoſtolicus in cauponam ingredi Clericum non permittit.

ANNOTATIO.

IN hoc Canone *habere* pro *exercere* debet intelligi.

CANON X.

Clerici vſuras non accipiant.

EPISCOPVS, Presbyter, aut Diaconus, qui vſuras vel centeſimas accipit, vel ceſſet, vel deponatur. Can. Apoſt. 44. & Nic. Conc. 18.

CANON XI.

Nulli fidelium licet Iudæorum azyma comedere.

NEMO eorum qui in ſacro Ordine cenſentur, aut laicus, Iudæorum azyma comedat, vel vllam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel medicinas ab eis ſuſcipiat, vel vnà cum eis in balneis lauetur. Si quis contrà fecerit, ſi ſit Clericus, deponatur; ſi laicus, excommunicetur. 28. q. 1. Nullus.

ANNOTATIO.

NON prohibent hîc Patres panem azymum comedere, ſed azyma more Iudaico feſta celebrare.

CANON XII.

Epiſcopi poſt Ordinationem ſuam à propriis vxoribus ſecedant.

IVBET omnino, Antiſtites, poſtquam ſunt ordinati, à propriis vxoribus ſecedere. Ne autem contra quintum Apoſtolicũ Canonem facere videantur, qui Epiſcopis cum vxoribus ſuis habitare permittit, inferunt, quòd non diuinis Apoſtolis aduerſantes hæc decernunt, ſed ſtatum Eccleſiaſticum in pulchriorem ordinem prouehi volentes: quoniam Apoſtoli, cùm fides inciperet, ad fidelium imbecillitatem ſe magis demittebant: cùm autem Euangelij prædicatio ſit magis ampliata, oportet & Pontifices ad perfectam continentiam vitam ſuam dirigere, ne ſtatus Eccleſiaſticus vllo opprobrio afficiatur.

CANON XIII.

Subdiaconi, & ſupra, vicis ſuæ tempore ab vxoribus ſeparentur.

HOC Canone Patres decernunt, Primò, eos, qui vt ordinentur Hypodiaconi, Diaconi, aut Presbyteri, digni ſunt, à prioribus ſuis legitimis vxoribus non ſeparari. Adiiciunt autem, eos non cum ſuis coniugibus coniunctionē indiſcriminatim habituros, ſed ab eis abſten-

tenturos vicis ſuæ tempore, eo ſcilicet tempore quo ſacrificant, ſicut definit Carthaginenſis Synodus II. Can. 2.

Secundò decernit, deponendos eos, qui audent poſt Ordinationem Diaconos & Sacerdotes cum prioribus ſuis legitimis vxoribus conſuetudine priuare: & ipſos, qui ordinantur, ſuas vxores pietatis prætextu expellentes, excommunicandos ſtatuit.

Tertiò dicunt Patres, ſe id facere, cognoſcentes Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditum eſſe, vt Diaconi vel Presbyteri in ſua ordinatione profiteantur, ſe non ampliùs ſuis vxoribus coniungendos.

ANNOTATIO.

QVAE contra cælibatum Clericorum hoc loco conſtituuntur, Apoſtolicis Conſtitutionibus repugnant: quare non immeritò hunc Canonem cum quibuſdam aliis velut ſpurium & illegitimum partum Catholica Eccleſia hactenus ſemper eſt aueſata. Baronius anno Domini 692. numero 19. & ſeqq.

Diſt. 77. Subdiacono. In CANONE XIV. & XV. prohibetur, ne Diaconus ante 25. annum creetur, ne Hypodiaconus ante 20. ne Presbyter ante 30. nec Diaconiſſa ante 40.

CANON XVI.

De quibus Diaconibus loquantur Acta Apoſtolorum.

QVONIAM Actorum liber ſeptem Diacones ab Apoſtolis cõſtitutos eſſe tradit, & Neocæſarienſis Synodus in Canonibus ſuis ſic apertè diſſeruit, quòd ſeptẽ debent eſſe Diaconi, &c. Nos cùm dicto Apoſtolico mentem Patrum adaptaſſemus, inuenimus eos eſſe locutos non de viris qui miniſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, quod in vſu menſarum adhibeatur, cùm liber Actorum ſic habeat: *Cùm diſcipulorum multitudo*, &c. Quod & accepimus à Ioanne Chryſoſtomo ſic hæc verba interpretante in Comment. ſuper Acta Apoſtol. cap. 6.

ANNOTATIO.

ERRONEVM eſt, Diaconos non ſacris ſed profanis tantùm menſis miniſtraſſe: nam Diaconi erant etiam Philippis, & Epheſi, & in Creta, vt patet ex Epiſtolis Pauli ad Philippenſes, & ad Timotheum; & tamen in illis locis non viuebant Chriſtiani in communi, vt eſſet opus miniſtris menſarum. Deinde illa tam ſolemnis Ordinatio per manus impoſitionem, certè indicat aliud, quàm ſolum menſarum miniſterium. Præterea Philippus ex Diaconis primis non dabat operam menſis præcipuè, ſed prædicationi, & Baptiſmo: Actor. 8. Denique ab antiquiſſimis temporibus Diaconi ſunt miniſtri Altaris & Sacramentorum, vt patet ex Iuſtino Apolog. 2. in fine, & ex omnibus antiquis Auctoribus. Bellarmin. de Sacr. Ordin. lib. 1. c. 6. verſus finem. Vide etiam Canonem 14. Synodi Neocæſarienſis.

CANON XVII.

Sine dimiſſoriis Epiſcopi, Clerici à propriis Eccleſiis non recedant.

STATVIMVS, vt nullus omnino Clericus poſſit ſine proprij Epiſcopi ſcriptura dimiſſoria in alienæ Eccleſiæ catalogum referri. Qui ſecùs fecerit, deponatur.

CANON XVIII.

Ceſſante cauſa receſſus, Clericus ad propriam Eccleſiam redeat.

CLERICVS, qui propter Barbaricam incurſionem, vel aliquo alio modo reliquit ſuam Eccleſiam, ceſſante hac circumſtantia propter quam receſſit, redeat ſtatim ad Eccleſiam.

CANON XIX.

Epiſcopi diebus omnibus, præcipuè Dominicis, docere populum debent.

QVOD oportet eos qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere pietatis ac rectæ Religionis eloquia, ex diuina Scriptura colligentes intelligentias, & indicia veritatis, & non tranſgredientes iam poſitos terminos, vel diuinorum Patrum traditionem. *Traditiones Eccleſiæ.* Sed etſi ad Scripturam pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt; & maiorem ex ijs laudem aſſequentur, quàm ſi quæ à ſe dicuntur, *De Scriptura ſuborta controuerſia per Patrum interpretationem diluenda.*

componant: ne dum quandoque ad id hæſitant, ab eo, quod conuenit, excidant.

CANON XX.

Ne in alia ciuitate Epiſcopus doceat.

NON licet Epiſcopo in aliena ciuitate publicè docere. Si hoc facere deprehenſus fuerit, ceſſet ab Epiſcopatu, Presbyteri autem munere fungatur.

CANON XXI.

CLERICI propter Canonicum crimen depoſiti, ſi reſipiſcant, recipiantur ab Eccleſia.

CANON XXII.

OB pecuniam promotos, ſiue Epiſcopos, ſiue Clericos, deponi iubemus.

CANON XXIII.

Pro Euchariſtiæ adminiſtratione nihil exigendum eſt.

1.q.1.Nullus Epiſcopus aut. NVLLVS Epiſcopus, ſiue Presbyter, ſiue Diaconus puriſſimam præbens communionem, ab eo qui communicat, eius participationis gratiâ, obolos vel quamuis aliam ſpeciem exigat. Non eſt enim venalis gratia, nec pecuniis Spiritus ſanctificationem impartimur: ſed ea ijs qui digni ſunt, abſque vlla fraude eſt communicanda. Qui ſecùs fecerit, deponatur.

CANON XXIV. eſt 25. Canon Concilij Laodicenſis, & 11. Canon Concilij Carthaginenſis III. Ne Clerici aut Monachi interſint ludis theatricis.

CANON XXV. eſt Canon 17. Synodi Chalcedonenſis.

CANON XXVI.

Ignorantia non impedit, quin ab illicitis nuptiis Preſbyter abſtinere teneatur.

D.28.Presbyterum. PRESBYTER qui per ignorantiam illicitis nuptiis eſt implicatus, ſit quidem cathedræ particeps, à reliquis autem operationibus abſtineat. Ei enim qui talis eſt, ſatis eſt ſi venia detur. Nec ergo publicè nec priuatim benedicat, nec Chriſti Corpus aliis diſtribuat, nec aliquod aliud miniſterium obeat: ſed prima ſede contentus, Domino defleat, vt illi ex ignorantia peccatum condonetur. Manifeſtum eſt quòd nefarium coniugium diſſoluetur.

CANON XXVII.

CLERICVS veſtem ſibi conuenientem induat, tam in vrbe quã in via.

CANON XXVIII.

Vua non diſtribuatur ſimul cum Euchariſtia.

QVONIAM in diuerſis Eccleſiis intelleximus vuam ad Altare allatam miniſtros cum incruento illo oblationis Sacrificio cõiunctam, ex quadam quæ inualuit conſuetudine, vtraque ſimul populo diſtribuere: decernimus, vt nullus Sacerdos hoc ampliùs faciat, ſed ad viuificationem & peccatorum remiſſionem ſolam oblationem populo impertiat. Sacerdotes verò has vuas allatas priuatim benedicentes, non ſecùs ac primitias quaſdam diſtribuant pœnitẽtibus ad laudem datoris fructuum, per quos noſtra corpora diuina diſpoſitione augentur & nutriuntur. Si quis ſecùs fecerit, deponatur. De Conſ. d.2. Didicimus.

CANON XXIX.

Ne Feria quinta in Cœna Domini ſoluatur ieiunium, nec non ieiuni communicent.

HOC Canone abrogatur Synodi Carthaginenſis Tertiæ decretum, vt Quinta Feria in qua Cœna Domini peragitur, fideles cœnati communicent. Et renouatur Canon 50. Synodi Laodicenſis, Ne ea die ſoluatur ieiunium. 29. Can. Carthaginenſis III.

CANON XXX.

Sacerdotes Barbarici cùm ordinantur, vxores relinquere poſſunt.

DISPENSAT hic Canon cum Sacerdotibus qui ſunt in Barbaricis Eccleſiis, vt mutua conſuetudine ſuarum vxorum abſtineant; ſic tamen, vt cum illis non ampliùs cohabitare contingat. Hoc autẽ indulgetur propter extemos, ac non ſatis firmos, ſed agreſtes mores.

CANON XXXI.

Sine Epiſcopi licentia Clerici intra domos non baptizent.

CLERICOS, qui in Oratoriis, quæ ſunt intra domos, miniſtrant, vel bapti- De Conſ. d.1. Clericos.

baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere decernimus. Qui hoc ſic non ſeruauerit, deponatur.

CANON XXXII.

Vt in Sacrificio vinum aquâ mixtum offeratur.

QVONIAM nouimus, in Armeniorum regione vinum tantùm in ſacra menſa offerri, aquam illi non miſcẽtes, qui incruentum Sacrificium peragunt, prætexentes Eccleſiæ Doctorem Ioannem Chryſoſtomum in interpretatione Matthæi hoc aſſerentem: vt iam nunc ab ignorantia liberentur, illius Patris mentem Orthodoxè aperimus. Cùm enim antiquam Hydroparaſtarum hæreſim, qui pro vino ſola aqua in Sacrificio vſi ſunt, ſubuerteret, illam Orationem compoſuit, in qua aquæ in Sacrificio Miſſæ adiunctionem amouere illi exiſtimant; cùm tamen non doceat Sanctus, per ſolum vinum oblationem fieri; quandoquidem & ſuæ Eccleſiæ, vbi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi Sacrificium oportet, ex pretioſo & honorando noſtri Redemptoris Sanguine & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi viuificationem effuſa eſt, & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Eccleſia, vbi ſpiritalia luminaria refulſerunt, hic ordo diuinitus traditus ſeruatur. Nam & Iacobus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem frater, & Baſilius Cæſarienſis Archiepiſcopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruaſit, myſtico nobis in ſcripto tradito Sacrificio, ita peragendum in ſacro miniſterio ex aqua & vino ſactum poculum ediderunt. Et qui Carthagine conuenerunt ſancti Patres, ita apertè tradiderunt. Si quis ergo Epiſcopus vel Presbyter non ſecundùm traditum ab Apoſtolis ordinem facit, deponatur, vt imperfectè ac ſimpliciter myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt, innouans.

De Conſ. d.1. Iacobus.

ANNOTATIO.

Ex præſenti Canone duæ hæreſes ſubuertuntur, Hydroparaſtarum, & Armeniorum. Iſti in ſolo vino, illi in ſola aqua Sacrificium peragebant. Prætereà apparet ex præſenti Canone, ritum ſacri myſterij à Iacobo fratre Domini, qui fuit primus Ieroſolymorum Epiſcopus, fuiſſe traditum; quæ quidem traditio apud nos non inuenitur, nec recognoſcitur, vt quæ exoleuerit. Tertiò apparet, à S. Baſilio & S. Ioanne Chryſoſtomo traditos nobis myſterij ritus, quos nunc obſeruant Græci. Carranza.

CANON XXXIII.

Non attendatur genus, ſed mores, ad manus impoſitionem.

QVONIAM cognouimus, in Armeniorum regione eos ſolos ad Clerum admitti, qui ſunt ex genere Sacerdotali: imò & nonnullos eorum non attonſos, Cantores & diuinæ Legis Lectores conſtitui: decernimus, vt deinceps non liceat ad eius, cui manus imponitur, genus reſpicere; ſed examinantes an digni ſint, expoſitis in ſacris Canonibus decretis, eos in Cleri catalogum referri, & Eccleſiaſticè promoueri, ſiue ſint ex maioribus ſuis Sacerdotibus, ſiue non. Item, vt nulli eorum liceat populo in ſuggeſtis diuinas Scripturas explicare, niſi is Sacerdotali tonſura vſus fuerit, & benedictionem à ſuo paſtore Canonicè ſuſceperit. Si quis ſecùs fecerit, deponatur.

CANON XXXIV. eſt Canon 18. Synodi Chalcedonenſis De coniurationibus.

CANON XXXV.

Spolia defuncti Epiſcopi indiminuta futuro ſeruentur.

NVLLI omnium Metropolitarum liceat, mortuo Epiſcopo, qui eius throno ſubeſt, res eius, vel ipſius Eccleſiæ ſibi vendicare; ſed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, vſque ad alterius Epiſcopi promotionem: præterquam ſi in eadem Eccleſia non relicti ſint Cleri; tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſeruabit, ordinando Epiſcopo omnia reddens. Can. 22. Chalced. Apoſt. c. 40

Digitized by Google

CANON XXXVI.

Sedes Conſtantinopolitana æquatur Romanæ.

RENOVANTES quæ à ſanctis Patribus 150. qui in hac Regia vrbe conuenerunt, & à 630. qui Chalcedone cõuenerunt, conſtituta ſunt, decernimus, vt thronus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotiis vt illa emineat, ſecundus poſt illam exiſtens. Poſt quem Alexandrinorum Metropolis numeratur thronus: deinde Antiochiæ, & poſt eum Ieroſolymitanæ ciuitatis.

ANNOTATIO.

ERRONEVS eſt Canon, ſuaſuque Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum primatum iam diu ambientium conſtitutus. Vide notata in Canone 5. Concilij Conſtantinopolitani I. Item diſt. 22. Renouantes.

CANON XXXVII.

Epiſcopi ſi Epiſcopali vrbe priuentur, ſua tamen priuilegia non amittunt.

EPISCOPO, qui propter Barbaricam incurſionem, ad ſuam Eccleſiam venire non potuit, ſuus honor deferatur, vt in Canone 18. Antiochenæ Synodi decretum eſt.

CANON XXXVIII.

Noua ciuitas nouam habeat dignitatem, Epiſcopalem vel Metropolitanam.

Chalc. Synod. can. 12.

CANONEM, qui à Patribus factus eſt, nos quoque obſeruamus, qui ſic dicit: Si qua ciuitas à Regia poteſtate innouata eſt, vel innouabitur, ciuilem ac publicam formam Eccleſiaſticarum quoque rerum ordo conſequatur.

CANON XXXIX.

HIC Canon confirmat Canonem octauum Epheſinæ Synodi, quo conceſſum eſt Cypri Eccleſiam eſſe principalem & primam; & prohibitum eſt, Antiochenum Epiſcopum facere Ordinationes.

CANON XL.

De ætate ingredientium Monaſteria.

MAGNVS Baſilius in 18. ſuo Canone eas, quæ poſt ſexdecim annos ſe virginitatem ſuſcipere profitentur, admittit, vt quæ bonum à malo poſſint ſecernere. Præſens autem Canon eum, qui decem annos natus eſt, ſi Monachus eſſe elegerit, non reiicit; ſed eum ad vitam Monaſticam non aliter recipiendum decernit, quàm ſi ab Epiſcopo probatus examinatuſque fuerit, vt ſua prudentia admittatur, vel repellatur, vel prorogetur tempus. Adiicit autem, ſe hoc ſtatuere, quoniam Eccleſia Dei gratia ad anteriora procedat, & ad diuinorum mandatorum obſeruationem firmior & validior euadat.

CANON XLI.

Quomodo probandi qui profitentur Monachatum.

EOS, qui in vrbibus vel villis volunt ſecedere, ac ſibi ſeparatim attẽdere, priùs quidem in Monaſterium ingredi oportet, & anachoriticam (hoc eſt ab aliis ſeparatam ac ſemotam viuendi rationem) exercere, & ſpatio triennij ei, qui in manſione præeſt, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus (vt æquum eſt) implere. Et ità huius vitæ eligendæ inſtitutũ profitentes, & quòd eam ex toto corde ſua ſponte amplectantur, ab eius loci Præſule examinari approbentur. Deinde ſic alio anno extra clauſuram fortiter ſe gerere debent, vt ſcopus eorum magis manifeſtetur: tunc enim planè ac perfectè ſignificabunt, quòd non inanem gloriam captantes, ſed propter ipſum pulchrum & honeſtum hoc ſilentium proſequantur. Poſt tanti autem temporis cõplementum, ſi in eodem eligendæ vitæ inſtituto permaneant, includi ipſos; & eis non ampliùs licere, quando voluerint, ex tali manſione egredi, præterquam ſi propter communem vtilitatem, vel aliam neceſſitatem ad mortem vrgentem, ad id trahantur, & ita cum benedictione eius loci Epiſcõpi. Qui autem exceptis his caſibus exierint, primò quidem, vel inuitos ipſos dicta clauſura coërceri, deinde ieiuniis & aliis afflictionibus ipſos curare; ſcientes, quoniam nemo qui manum ſuam aratro immi-

Digitized by Google

immiſit, & retrò conuerſus eſt, aptus eſt regno cælorum.

CANON XLII.

Eremitæ habitum ceterorum Monachorum ſumant.

DE Eremitis qui quidem nigris veſtibus induti, & capite comati vrbes obeunt, & cum viris ac mulieribus verſantur, & propriç profeſſioni faciunt iniuriam, ſtatuimus tonſis comis reliquorum Monachorum amictum ſuſcipere, eoſque in Monaſterio conſtitui. Quòd ſi hoc non elegerint, eos omnino ex vrbibus expelli, & ſolitudines, quæ eremi dicuntur, habitare, ex quibus ſibi etiam denominationes contraxere.

CANON XLIII.

Propter nullum crimen arcendus aliquis à Monachatu.

LICEAT omni Chriſtiano vitam therapeuticam eligere, & rerum ad vitam pertinentium depoſita tempeſtate, Monaſterium ingredi, atque inſtar Monachi tonderi, in quocumque crimine deprehenſus fuerit. Saluator enim
Ioan.6. noſter Deus inquit, Eum qui ad me venit, non eiiciã foras. Nam ſicut columna id quod in ea deſcribitur, exprimit: ita & Monachica profeſſio, Monachi pœnitentiã deſcribit. Ei ergo qui ad illud germanè ac ſincerè accedit, acquieſcimus ac fauemus, nec vlli ei mores impedimentum afferent, quò minùs proprium votum adimpleat.

CANON XLIV.

Monachus fornicator Iure communi punitur.

MONACHVS fornicator, vel qui ad matrimonij communionem vitæque ſocietãtem vxorem duxerit, fornicatorum pœnis ſubiiciatur.

CANON XLV.

Futuræ Monaſtriæ non induantur ſumptuoſis veſtibus eo die quo ingreſſuræ ſunt Monaſterium.

QVONIAM intelleximus in nonnullis mulierum Monaſteriis mulieres, quæ ſacro illo amictu dignæ habentur, priùs ſericis & omnis generis veſtibus, prætereà autem & mundis auro & gemmis variegatis, ab ijs qui illas ducunt exornari, & ſic ad Altare accedentes exui tanto materiæ apparatu; & ſtatim in illis fieri habitus benedictionem, illaſque nigro amictu indui: ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſt, vt quæ iam propria voluntate omnem vitæ iucunditatem depoſuit, & eam quæ eſt ſecundùm Deum vitæ agendæ rationem amplexa eſt, & ita Monaſterium acceſſit, per eum qui interit ac fluit mundum, & quorum iam oblita erat memoriam reuocet, & ex eo anceps reddatur, & eius anima perturbetur inſtar exundantium fluctuum hucque & illuc verſantiũ, adeò vt aliquam nonnumquam lacrymam emittens, cordis per corpus compunctionem oſtendat: ſed etſi exigua aliqua lacryma exilierit, non tam propter affectionem quam habet propter exercitatorium certamen, quàm proptereà quòd mundum relinquat, & ea à videntibus profluxiſſe putetur.

CANON XLVI.

Monaſtriæ non exeant à Monaſterio niſi ſub certa forma.

QVAE vitam exercitatoriam eligunt, & in Monaſteriis ſunt conſtitutæ, ne omnino progrediantur. Si qua autem inexorabilis neceſſitas ad hoc trahit, cum benedictione eius quæ præeſt hoc agant. Tuncque non ſolæ per ſe, ſed cum mandato eius quæ præfecta eſt. Eis autem omnino extrà cubare non licet. Hoc idem & de viris, qui Monaſticam vitam perſequuntur, ſtatuimus.

CANON XLVII.

Vir in Monaſterio mulierum non dormiat, nec è diuersò.

NEC mulier in virorum Monaſterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & ſcandalum fideles eſſe debent. Qui ſecùs fecerit, ſegregetur.

CA-

Digitized by Google

CANON XLVIII.

Vxor Epiſcopi reponatur in Monaſterium.

VXOR eius qui ad Epiſcopalem dignitatem promotus eſt, communi ſui viri conſenſu priùs ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt ac conſecratus, Monaſterium ingrediatur, procul ab Epiſcopi habitatione exſtructum, & Epiſcopi prouidentia fruatur. Sin autem digna viſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem prouehetur.

CANON XLIX. eſt Canon 24. Synodi Chalcedonenſis.

CANON L.

Alea Clericis interdicuntur.

NVLLVM omnino ſiue Clericum, ſiue laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere. Qui ſecùs fecerit, excommunicetur.

CANON LI.

Ne mimi aut venationes ſpectentur.

OMNINO prohibet hæc ſancta & Vniuerſalis Synodus eos qui dicuntur mimos, & eorum ſpectacula, deinde venationum quoque ſpectationes, eaſque quæ fiunt in ſcena ſaltationes perfici. Qui ſecùs fecerit, ſi ſit Clericus, deponatur; ſi laicus, ſegregetur.

CANON LII.

Vt Sabbato & Dominica in Quadrageſima conſecratio tantùm fiat.

IN omnibus ſanctæ Quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum Sacrificium.

ANNOTATIO.

HVNC Canonem, inquit Surius, Eccleſia Occidentalis non obſeruat, niſi in ſola Paraſceue, quando in Miſſa non conficitur Euchariſtia; ſed ſumitur pridie eius diei conſecrata. Habent Græci ſuos quoſdam peculiares ritus, & pleroſque neutiquam probandos. Multa de his ſcribit Humbertus Cardinalis doctiſſimus, qui ante annos quingentos floruit ſub Leone eius nominis Nono ſanctiſſimo Pontifice.

CANON LIII.

Ordo cognationis ſpiritualis obſeruetur.

QVONIAM ſpiritualis cognatio corporum cognatione maior eſt, nouimus in quibuſdam locis exceptores puerorum ex ſancto & ſalutari Baptiſmate, poſteà cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere: ſtatuimus, ne in poſterum tale aliquid fiat. Si qui verò ſecùs fecerint, hi quidem primò ab illicito matrimonio ſeparentur, deinde fornicatorum pœnis ſubiiciantur.

CANON LIV.

Nuptiæ prohibitæ.

DECERNIMVS, vt qui deinceps cum fratris ſui filia matrimonij ſocietatem coïerit, vel pater & filius, qui cum matre & ſorore, vel cum duabus puellis ſororibus pater & filius, vel cum duobus fratribus mater & filia, in ſeptennij Canonem * incidant, ſeparatis ipſis publicè à nefario contubernio. *videlicet, in Canonem ſeptemannorũ pœnitentiæ.*

CANON LV.

Ne Sabbatis aut Dominicis diebus Quadrageſimæ ieiunetur.

QVONIAM intelleximus, in Romanorum ciuitate in ſanctis Quadrageſimæ diebus, in eius Sabbatis ieiunare, præter Eccleſiæ traditam conſuetudinem; ſanctæ Synodo viſum eſt, vt in Romanorum Eccleſia Canon inconcuſsè obtineat, qui dicit: *Si quis Clericus inuentus fuerit in ſancto Dominico vel Sabbato ieiunans, præter vnum & ſolum, deponatur: ſi autem laicus, ſegregetur.* Can. Apoſt. 66.

ANNOTATIO.

HIC quoque Canon, ait Surius, quinquageſimus quintus, qui matrem Eccleſiarum omnium Romanam Eccleſiam reprehendit, non recipitur. Nam tametſi hic citetur Canon Apoſtolicus 66. attamen certum eſt, quemadmodum Epiphanius quoque dicit, poſſe ſancto propoſito omnibus diebus ieiunari. Eſt autem veriſimile, Apoſtolicum Canonem pertinere ad Marcioniſtas, qui, vt idem Epiphanius teſtis eſt, eo die ieiunabant in inuidiam Dei Iudæorum, qui Sabbato ab omni opere ſuo quieuiſſet. Hæc Surius. Vide quæ dicta ſunt in prædicto Canone Apoſtolorum.

CA-

Digitized by Google

CANON LVI.

Ne oua & caſeus in Quadrageſima comedatur.

ACCEPIMVS, in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis diebus ſanctæ Quadrageſimæ quoſdam oua & caſeum comedere. Viſum eſt ergo, vt omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe, vnum ordinem ſequens, ieiunium perficiat: & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic & ab ouis & caſeo: quæ quidem ſunt fructus & fetus eorum à quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſeruauerit, ſi ſint Clerici, deponantur; ſi laici, ſegregentur.

CANON LVII.

Canon. Apoſt. 3. AD Altare mel & lac offerre non oportet.

CANON LVIII.

Ne laicus Sacramenta ſibi miniſtret.

NEMO eorum, qui ſunt ex ordine laicorum, diuina ſibi Myſteria impartiat præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Qui ſecùs fecerit, vna ſeptimana ſegregetur.

ANNOTATIO.

LAICI à ſacrorum tactu, & ab Eccleſiaſticis muneribus arcentur. Clemens I. lib. 3. Conſtitut. Apoſtol. cap. 10. narrat, ſic Apoſtolos ſtatuiſſe. Vide Gratianum de Conſecr. diſtinct. 2. cap. Ordinatio Clementis. Sozomenus libro 7. Hiſtor. cap. 24. & Theodoretus lib. 5. Hiſtor. cap. 17. narrant, ſanctum virum Ambroſium ſic reſpondiſſe Imperatori ingerenti ſe in loca Sanctuarij: *Adyta templi ſcito, ô Imperator, ſolis peruia eſſe Sacerdotibus: ceteris verò vniuerſis imperuia, nec licere cuiquam ea contingere. Quare egreditor, cumq; ceteris in commune conſiſtito. Purpura enim Imperatores, non item Sacerdotes facit.* Hinc Concilium Generale VI. Conſtantinopolitanum III. in Trullo celebratum, Canone hoc 58. nemini eorum, qui ſunt in ordine laicorum, diuina ſibi Myſteria impertire permittit. & Can. 69. eiſdem laicis interdicit ingreſſum in Sanctuarium, & intra ſacrum Altare, præterquam Imperatori ſoli. ſic etiam precipit Concilium Turonenſe II. ſub Pelagio I. can. 4. Concilium Colonienſe III. part. 3. cap. 31.

CANON LIX.

Baptiſmus in Eccleſiis tantùm celebretur.

IN Oratorio priuato, quod domi eſt, nullatenus Baptiſmus peragatur, ſed qui digni habebuntur huius puriſſimi luminis, ad Catholicas Eccleſias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis contrà fecerit, ſi Clericus eſt, deponatur; ſi laicus, excommunicetur.

ANNOTATIO.

EXCIPITVR hîc caſus neceſſitatis, & quando ob aliquam rationabilem cauſam Pontifex aliter diſpenſaret.

CANON LX.

De his qui ſe ſimulant dæmoniacos.

EOS, qui ſe à dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum ſimulare præ ſe ferunt, viſum eſt omnimodò puniri, & eiuſmodi afflictionibus & laboribus eos ſubiici oportere, quibus hi, qui à dæmone verè correpti ſunt, vt à dæmonis operatione liberentur, verè ſubiiciantur.

CANON LXI.

De ſortilegis damnandis.

QVI ſe vatibus tradiderunt, vel ijs qui Centuriones dicuntur, aut iis ſimilibus, vt ab illis diſcant, ſi quid ſibi reuelari velint, ſecundùm ea quæ priùs à Patribus ſancita, Canoni, qui eſt de ſexennio, ſubiiciantur. Eidem pœnæ ſubiicere oportet eos, qui vrſas aut ſimiles beſtias ob luſum & perniciem ſimpliciorum circumferunt: & eos, qui fortunam, fatum, genealogiam, aut ſimilium verborum turbam ad nugas deceptorias obloquuntur: eoſque qui nubes fugare dicũtur, & Imprecatores, & Amuletarios, & Vates. In his autem perſeuerantes, nec mutantes ſentẽtiam, nec fugientes hæc pernicioſa & Ethnica inſtituta, omnino eiiciendos ab Eccleſia definimus, ſicut ſacri Canones dicunt. Nam quæ luci cum tenebris communio? aut quæ concordia Chriſti & 2. Cor. 6. Belial?

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO.

PRAESENS Canon vniuerſas dæmoniacas operationes auertit. Vates dicuntur palmæ inſpectores, & qui in pelui diuinant, aut per ſacrificia aliqua ſatanam interrogant, ſe dæmoni addicentes. Centuriones dicebantur ſenes quidam, qui ſe reliquis conſulere præ ſe ferentes, per eiuſmodi execrabiles operationes ſimpliciores ſeducebant, & vt Pſeudothei colebantur. Vrſas trahere dicebantur, qui Vrſorum altores appellabantur, qui quidem in capite & totius animalis corpore cincturas appẽdentes, & pilos tondentes, eos vnà cum cincturis dabant vt remedia, & tamquam in morbis, & faſcinantibus oculis conferre poſſint. Alij verò ſerpentes in ſinu geſtantes, hunc quidem die maligno natum eſſe, illum verò felici ſidere natum dicunt, & futuras felicitates annunciant, & alia multa nugãtur. Nubium inſpectores dicũtur, qui quę multis ignota ſunt, ex nubibus ſignificant; maximè autem ſi ſole occidente inſpiciantur. Imprecatores ſunt, qui diuina quædam cantica dicunt, & nominum Martyrum & ſanctiſſimæ Virginis meminerunt. Quæ omnia diuina Patres & Eccleſiæ Doctores fugienda ſtatuunt, & pluſquam alij Chryſoſtomus. De qua materia latè Sayrus in ſua Claui regia lib. 4. cap. 5. per totum, & nos in noſtro Tractatu de Caſibus, in 2. p. in explicatione primi caſus, qui eſt *Veneficia, Sortilegia, Incantationes.*

CANON LXII.

Ne feſta Gentilium celebrentur.

Brumalia fortè ſunt Saturnalia, quæ brumã, menſe ſcilicet Decembri, fiebant.

KALENDAS, & vota, & Brumalia quæ vocantur, & qui in primo die Martij menſis fit, conuentum ex fidelium ciuitate omnino tolli volumus: ſed & publicas mulierum ſaltationes multam noxam exitiumque afferẽtes. Prætereà & eas, quę nomine eorum qui falsò apud Græcos Dij nominati ſunt, vel nomine virorum ac mulierũ fiunt ſaltationes ac myſteria more antiquo, & à ritu Chriſtianorum alieno, reiicimus: ſtatuentes vt nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, nec mulier veſte viro conueniente. Sed nec Comicas, nec Tragicas, nec Satyricas perſonas induant, nec execrandi Bacchi nomen, vuam in torcularibus exprimentes, inuocent, nec vinum in doliis effundentes, riſum moueant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à dæmonis impoſtura procedunt, exercentes. Qui ſecùs fecerint, ſi Clerici ſint, deponantur; ſi laici, ſegregentur.

ANNOTATIO.

IN menſe Martio fiebat Græca vniuerſalis concio, propter temporum & aëris temperiem, in qua indecoræ ſaltationes à mulieribus viriſque fiebant. Quas & indecora alia ſimilia Patres nullo modo permittebãt.

CANON LXIII.

Martyrum hiſtoriæ ab infidelibus ſcriptæ damnantur.

QVAE à veritatis hoſtibus falsò confictæ ſunt Martyrum hiſtoriæ, vt Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerentur, in Eccleſia non publicari iubemus, ſed eas igni tradi. Eos autem, qui eas admittunt, vel tamquam veris eis mentem adhibent, anathematizamus.

CANON LXIV.

Prohibetur laico publicè docere.

NON oportet laicum publicè diſputare, vel docere, ſed ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis qui docendi gratiam acceperint, aperire, & diuina ab eis doceri. Qui hæc tranſgreſſus fuerit, quadraginta diebus excommunicetur.

CANON LXV.

Ne rogi in Nouiluniis ritu Gentili accendantur.

QVOS in Nouiluniis quidam ante ſuas officinas & domos accendunt rogos, ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine ſalire ineptè ac delirè ſolent, deinceps ceſſare iubemus. Qui contrà fecerit, ſi Clericus ſit, deponatur; ſi laicus, ſegregetur.

CANON LXVI.

A die Reſurrectionis per integram hebdomadam fideles ferientur.

A SANCTA die Reſurrectionis vſq; ad nouam Dominicam tota ſeptimana Eccleſiis vacare fideles iugiter oportet, Pſalmis, & Hymnis, & ſpiritualibus Canticis in Chriſto gaudentes,

tes, feſtumque celebrantes, & diuinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis iucundè & lautè fruentes. Sic ergo cum Chriſto exultabimus, & vnà reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.

CANON LXVII.

Vt abſtineant à ſanguine & ſuffocato.

SACRA Scriptura nobis præcipit, vt abſtineamus à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione. Meritò igitur damnamus eos, qui cuiuſcumque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit, Clericus deponatur, laicus excommunicetur.

ANNOTATIO.

DE hac materia vide quæ annotata ſunt in Concilio Ieroſolymitano I.

CANON LXVIII.

Libri ſacri communi & profano vſu non conſumantur.

NVLLI ex omnibus licere veteris & noui Teſtamenti librum, nec ſanctorum noſtrorum Præconum ac Doctorum corrumpere, vel conſcindere, vel librorum cauponatoribus, vel vnguentariis, vel alicui alij delendum tradere, niſi vtiq; vel à tineis, vel ab aqua, vel alio modo redditus fuerit inutilis. Qui tale aliquid fecerit, vno anno excommunicetur.

CANON LXIX.

Laicus non ingrediatur Chorum, excepto Cæſare.

NVLLI omnium, qui ſit in laicorum numero, liceat intra ſacrum Altare ingredi. Ab eo tamen nequaquam prohibita poteſtate & auctoritate Regia, quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquiſſima traditione.

ANNOTATIO.

ADVLATIONE & timore victi, per grauem errorem concedunt Imperatori, quod magna cum laude SS. Patrum Ambroſius Theodoſio negauit. Theodorus Balſamon, vt Canonem hunc malè ſancitum tueatur, nõ erubuit cuncta referre munera Epiſcopalia, quæ Orientales Imperatores ſacrilegè facere ſolebant, ſic enim ait: *Orthodoxi Imperatores, qui per SS. Trinitatis innocationem Patriarchas prouehunt, & ſicut chriſti Domini ſine vllo impedimento quando voluerint ad ſacrum Altare accedunt, & ſufficiunt, & cum cera characterem imprimunt, ſicut Antiſtites, ſed etiam populum ad eum inſtituendum docent, quod ſolis illius regionis Antiſtitibus conceſſum eſt.* Rationem ſubiungens ait: *Quoniam autem Domini quoq; chriſtus eſt; qui hoc tempore Imperator eſt, propter chriſma, id eſt, vnctionem Reghi: Chriſtus autem & Deus noſter cum aliis Pontifex quoquè prædicatur; iure & ipſe quoque Pontificalibus gratiis exornatur.* Sic ille. Eouſque Græcorum adulatio erga Imperatorem proceſſit, vt etiam Pontificalia munera eidem credenda putarint, quantumuis ſacræ Scripturæ, Hiſtoriæ, & exempla repugnarent.

CANON LXX.

Mulieres in Eccleſia taceant.

NE liceat mulieribus in celebrationis tempore loqui, ſed, vt eſt vox Pauli, ſileant. 1. Cor. 14.

CANON LXXI.

A quibus cauere debent Iuris Profeſſores.

EOS, qui docentur Leges ciuiles Græcis moribus vti non oportere, & neque in theatrum induci, aut quæ volutabra dicuntur, celebrare, vel præter vſum communem ſibi veſtem induere, neque quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem eius perueniunt. Qui ſecùs fecerit, ſegregetur.

CANON LXXII.

Ne Orthodoxus Ethnicam ducat, aut contrà.

NON licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Orthodoxam cum viro hæretico copulari; ſed ſi quid eiuſmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium coniugium diſſolui. Si autem adhuc infideles ſunt inter ſe legitimo matrimonio coniuncti, deinde alter eorum conuertatur ad fidem, altero in infidelitate remanente, ſi fideli placeat cum infideli habitare, non à ſeinuicem ſeparentur, iuxta Pauli ſententiam. 1. Cor. 7.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

CONIVGIA cum hæreticis contracta, neque irrita ſunt, vt hîc decernitur, neque vlla ratione diſſoluenda. Etſi enim Catholicus ducens hæreticam vxorem, vel contrà, vxor Catholica nubens hæretico marito, grauiſſimè peccet; tamen propter characterem Baptiſmi, quem hæreticus retinet, matrimonium, Sacramentum eſt indiſſolubile. Bellarminus lib. 2. de Conc. auct. c. 8.

CANON LXXIII.

Ne Crucis figura in pauimento fiat.

CVM Crux viuifica illud ſalutare nobis oſtenderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, vt ei, per quam ab antiquo lapſu ſaluati ſumus, eum, qui par eſt, honorem habeamus. Vnde & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in ſolo ac pauimento fiunt, omninò deleri iubemus, ne incedentiũ conculcatione victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. Qui ſecùs fecerit, excommunicari decernimus.

CANON LXXIV.

Vt ne agapes fiant in Eccleſia.

NON oportet in Dominicis locis, vel Eccleſiis, charitates, quas vocant, facere: & intus in æde comedere, & accubitus ſternere. Qui hoc fecerint, ceſſent, vel excommunicentur.

CANON LXXV.

Vt Cantores Eccleſiaſtici non vtantur modulatione inordinata.

EOS, qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus vti, nec naturam ad clamorem vrgere, nec aliquid eorum quæ Eccleſiæ non conueniunt; ſed cum magna attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre.

CANON LXXVI.

Ne intra Eccleſiarum ambitum mercimonia vendantur.

NON oportet intra ſacros ambitus, cauponam, vel aromatum ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſiis ſeruantes. Saluator noſter nos inſtituit non facere domum Patris noſtri, domum negotiationis. Qui ſecùs fecerit, ſegregetur.

CANON LXXVII.

Ne fideles cum mulieribus vnà lauentur.

NON oportet ſacris initiatos vel Clericos, vel Exercitatores ſiue Monachos lauari cum mulieribus, nec omnem Chriſtianum laicum. Hæc eſt enim prima condemnatio apud Gentes. Qui hoc fecerit Clericus, deponatur; laicus excommunicetur.

CANON LXXVIII.

Vt fideles 5. Feria apud Catechiſtas fidem recitent.

QVOD oportet eos qui illuminantur, fidem addiſcere, & quinta ſeptimanæ Feria Epiſcopo vel Presbyteris renuntiare.

CANON LXXIX.

Partus Virginis fuit citra vllum dolorem.

ABSQVE vllo dolore Virginis partum eſſe confitentes (vt qui ſine ſemine conſtitutus ſit) eos, qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni ſubiicimus. Vnde quando aliqui poſt diem Natalis Chriſti Dei noſtri reperiuntur coquentes ſimilam, & ſe hac mutuò donantes, prætextu ſcilicèt honoris ſecundinarum impollutæ Virginis matris, ſtatuimus vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Nec enim hoc honor eſt Virginis (quæ ſupra mentem & ſermonem, quod comprehendi non poteſt, Verbum peperit carne) ex communibus & ijs quæ in nobis fiunt, inenarrabilem eius partum metiri ac deſcribere. Si quis hoc fecerit Clericus, deponatur; laicus ſegregetur.

CANON LXXX.

Clericus vel laicus per tres hebdomadas abſens ab Eccleſia punitur.

SI QVIS Epiſcopus, vel eorum qui in Clero cenſentur, vel laicus, nullam grauiorem habeat neceſſitatem vel negotium difficile, vt à ſua Eccleſia abſit frequentiùs, ſed in ciuitate agens, tribus diebus Dominicis vnà non conueniat; ſi Clericus eſt, deponatur; ſi laicus, à communione ſeparetur.

CA-

CANON LXXXI.

In Triſagio non apponendam crucem.

QVONIAM nouimus in quibuſdam locis in Triſagio acclamari poſt illud, *Sāctus immortalis*, hoc, *Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*: nos cum antiquis Patribus ſtatuentes, anathematizamus eos, qui deinceps talem ſuſceperint vocem in Eccleſia, vel alias ter ſancto Hymno apponentes. Si tranſgreſſor fuerit Sacerdos, deponatur; ſi laicus, excommunicetur.

CANON LXXXII.

Vt Chriſtus deinceps in figura humana pingatur, non Agni.

INTER venerabilium imaginum picturas, Agnus digito Præcurſoris monſtratus depingitur, qui in figuram receptus eſt gratiæ, adumbrans nobis verum illum (per Legem) agnum Chriſtum demonſtratum. Antiquas ergo illas figuras & vmbras velut quaſdam veritatis notas, adumbrationeſque Eccleſiæ traditas vendicantes, gratiam eiuſdem proponimus, & veritatem hanc (vt Legis complementum) ſuſcipimus. Itaque hoc iam quidem re perfectum, pictorum artibus ante omnium oculos præſcribatur, & picturam illius Agni Chriſti Dei noſtri, qui tollit peccata mundi, vt humanus character valet exprimere, & in imaginibus in poſterum pro vetere Agno erigendam ſancimus, per quam humilitatem Dei Verbi contemplamur, & velut manu ducimur ad memoriam illius conuerſationis in carne, & paſſionis, eiuſque mortis ſalutaris, & redemptionis quæ huic pro mundo facta eſt.

CANON LXXXIII.

Mortuis non danda Euchariſtia.

NEMO cadaueribus mortuorum Euchariſtiam impartiatur. Scriptum eſt: Accipite, & comedite. Cadauera nec accipere valent, nec comedere.

CANON LXXXIV. eſt Canon VI. Concilij Carthaginenſis V. De baptizandis infantibus, quando non eſt certum eos baptizatos.

CANON LXXXV.

Quomodo libertas donata ſeruis valeat.

SERVI à propriis dominis libertate donati coram tribus teſtibus, vt hoc honore fruantur, ſancimus.

CANON LXXXVI.

Contra alentes ſcorta.

QVI ſcorta in perniciem animarum congregant, & alunt, ſi Clerici fuerint, deponantur; ſi laici, ſegregentur.

CANON LXXXVII.

Vir qui relicta vxore aliam ducit, adulter eſt.

QVAE virum reliquit adultera, ſi ad alium ſe contulit (ſecundùm ſacratum Baſilium, qui optimè hoc ex Propheta Ieremia colligit, &c.) qui reliquerit legitimam vxorem & aliam duxerit, iuxta Domini ſententiam, adulter eſt. Sancitum eſt, vt hi tales per annum lugeant, per biennium ſint audientes, per triennium ſubiaceant, & tandem ſexto anno cōgregentur cum fidelibus, & ita demum menſa Domini digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnituerint.

CANON LXXXVIII.

Ne quis iumentum in templum inducat.

NEMO in ſacra templa iumentum inducat, præterquam ſi quis iter faciens maxima opprimatur neceſſitate, & carens domuncula aut diuerſorio, ad huiuſmodi templum diuertit. Si enim iumentum non introduceret, fortè illud periret, & ipſe ob iumenti iacturam, inops conſilij, ad celeriter viam capeſſendam mortis periculo obiiceretur. Sabbatum enim propter hominem eſſe factum docemur. Quare præ omnibus æſtimanda eſt hominis ſalus & commoditas. Qui ſecùs fecerit, Clericus deponatur, laicus ſegregetur.

CANON LXXXIX.

Dies paſſionis Domini noſtri ieiunio celebretur vſque ad mediam noctem.

QVI dies ſalutaris paſſionis in ieiunio & oratione & compunctione cordis peragunt, oportet circa horam mediæ noctis magni Sabbati ieiunos eſſe, cùm Euangeliſtæ Matthęus & Lucas,

Digitized by Google

cas, ille per dictionem, *veſpere autem Sabbati*, hic verò per *valdè diluculò*, tarditatem noctis nobis perſcribant.

CANON XC.

Ne Dominicis diebus genua flectamus.

NE Dominicis diebus genua flectamus, à diuinis Patribus noſtris Canonicè accepimus. Quare poſt veſpertinum ingreſſum Sacerdotum in Sabbato ad Altare (vt more obſeruatum eſt) nemo genu flectit vſque ad ſequentem veſperam poſt Dominicam: in qua poſt acceſſum ad candelabrum, rurſus genua flectentes, ſic preces Domino offerimus, ſi celebramus Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

CANON XCI.

Contra feminas, quæ abortus procurant.

QVAE pharmaca procurant abortus facientia, & quæ venena ſuſcipiunt partus perimentia, pœna occiſoris accuſentur.

ANNOTATIO.

EXTAT nunc Conſtitutio Sixti V. Romæ publicata die 16. Nouembris 1588. contra procurantes abortum, & venena ad hoc propinantes, &c. Moderata tamen poſteà à Gregorio XIV. vt refert Stephanus Quaranta, verbo *Abortus*.

CANON XCII.

Puniantur raptores, & conſcij.

RAPTORES feminarum ſub nomine conſortij, ſiue patratores ipſi, ſanciuit ſancta Synodus, vt Clerici deponantur, & laici anathematizentur.

CANON XCIII.

Ne quis ad ſecunda vota tranſeat, niſi certus de morte coniugis.

MVLIER quæ viro ſecedente & incomperto quo terrarum agat, antequam de morte certa ſit, alteri ſi nupſerit, mœchatur. Similiter & militum vxores quæ nubunt, ignorantes virorum fata, eidem ſubiaceant rationi, vt quæ non expectant reditum viri peregrinantis. Quamquam in hac re eſt quodammodò venia digna, quia plerumque mors præſumitur.

CANON XCIV.

Ne quis ethnicè iuret.

IVRANTES iuramenta ethnica, nos huiuſmodi homines excommunicandos decernimus.

CANON XCV.

Qualiter ſuſcipiendi hæretici.

VENIENTES ad Eccleſiam hæreticos ſuſcipimus ſecundùm morem & ordinem traditum. Arrianos quidem & Macedonianos & Nouatianos (qui ſe puros ſinceroſque vocant) & Tetradiſtas, & Apollinariſtas ſuſcipimus, ſi libellos afferant & execrentur quamlibet hæreſim. De Paulianiſtis autem Conſtitutio ab Eccleſia Catholica facta eſt, vt omnino rebaptizentur. Eunomianos verò, qui vna ſubmerſione baptizantur, & Montaniſtas, qui hîc Phryges dicuntur, & Sabellianos, & reliquas omnes hæreſes, præſertim qui à Galatarum regione ſunt profecti, venientes ad Eccleſiam non ſecùs ac gentes ſuſcipimus. Et primò die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo verò catechumenos, tertio tamen ipſos auctoramus, poſtquam ter inſufflauimus in faciem & aures. Sic illos initiamus, facimuſque vt in Eccleſia numerentur, & audiant Scripturas, & tunc illos baptizamus. Manichæos verò, & Valentinianos, & Marcioniſtas, & huiuſmodi hæreſum, libellos oportet facere, & execrari hæreſim, & Neſtorium, & Eutychea, & Dioſcorum, & Seuerum, & reliquos huiuſmodi hæreſum principes, & omnes prolatas hæreſes: & ſic participes eſſe ſanctæ communionis.

CANON XCVI.

Ne quis calamiſtratis crinibus incedat.

QVI per Baptiſmum Chriſtum induerunt, conuerſationem eius in carne imitaturos profeſſi ſunt. Qui igitur capillos in perniciem intuentium excogitata quadam implicatione digerunt, intenteque ornant, veluti quaſdã eſcas infirmis animabus ex eo proponentes, ea ratione paterna pœna curamus, vt pædagogi ipſos inſtruentes, & mode-

modeſtè viuere docentes, vt cùm reliquerint deceptionem hanc & ineptias, ad perpetuam beatamque vitam aſſiduè mentem conuertant, & in timore purè & caſtè conuerſentur, ad Deumque, quantum fieri poteſt, accedant, & interiorem potiùs quàm exteriorem hominem virtutibus ornent, vt nullas ſecum reliquias ferant aduerſæ ſtoliditatis. Qui ſecùs ſe geſſerit, excommunicetur.

CANON XCVII.

Qui templa profanant, reijciendi.

QVI cum vxore habitant, vel temerè aliàs ſacra loca profanant, & ſic in ipſis diuerſantur, eiiciendos ſancimus à penetralibus ædium ſanctarum. Qui hoc non ſeruauerit, ſi Clericus eſt, deponatur; ſi laicus, ſegregetur.

CANON XCVIII.

QVI mulierem alij deſponſatam, viuente adhuc ſponſo, in vxorem duxerit, iudicio adulterij ſubiaceat.

CANON XCIX.

Ne particulæ ſtatæ Sacerdotibus offerãtur.

ET hoc in Armeniorum regione fieri intelleximus, quoſdam intus in ſacris Altaribus, cùm carnium portiones elixauerint, offerre particulas quaſdam Sacerdotibus, quæ ſolemniter à victimis abſcindebantur, eas Iudaicè diſtribuentes. Quare ſancimus, ne Sacerdotibus liceat præcipua certaque tomacula carnium ab offerentibus accipere, ſed illis contenti ſint, quæ offerenti placuerint, & huiuſmodi oblatio extra Eccleſiam fiat. Qui ſecùs fecerit, excommunicetur.

CANON C.

Ne turpes imagines pingere liceat.

FACILE ſenſus corporei, quæ ſua ſunt, in animam deriuant. Picturas igitur oculorum præſtigiatrices, ſiue in tabulis, ſiue aliàs propoſitas, & mentis corruptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices, ſancimus, vt nullatenùs in poſterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit, excommunicetur.

CANON CI.

Quo geſtu accedere oportet ad Euchariſtiã.

HOMINEM ad Dei imaginem factum, &c. Quare ſi quis voluerit Synaxis tempore communicare puriſſimo Chriſti corpore, & coram ipſo participatione eſſe, manus in formam crucis figurans, ſic adeat, & ſuſcipiat gratiæ communionem. Eos enim qui pro manu vaſcula quædam aurea, vel ex alia materia conſtruunt ad ſuſceptionem diuini doni, & per illa immaculatam communionem volunt, nullo modo admittimus, vt præferentes materiam inanimem, hominique obnoxiam, Dei imagini. Si quis Sacerdos participes fecerit communionis huiuſmodi vaſcula admouentes, excommunicetur qui hæc infert.

CANON CII.

In abſoluendis hominibus à peccatis quæ cura adhibenda.

OPORTET, qui facultatem abſoluendi & ligandi à Deo receperunt, peccati qualitatem ſpeculentur, & peccatoris promptitudinem ad reuerſionem: vt ſic medicamentum admoueant ægritudini aptum: ne ſi de peccato ſine diſcrimine ſtatuant, aberrent à ſalute ægrotantis.

CONC. TOLETANVM XVI.

Epiſcoporum LIX. *tempore* SERGII *Papæ, anno Domini* 693. *celebratum.*

IN hoc Concilio poſt confeſſionem fidei ſtatuuntur quædam, ad diſciplinam Eccleſiaſticam, moreſque malè errantium componendos neceſſaria. ANNO DOMINI DC.XCIII.

In CANONE I. ſtatuitur de Iudæis, Vt qui eorum ad Chriſtum plena mentis intentione ſe conuerterint, & fidem Catholicam abſque aliquo infidelitatis fuco ſeruauerint, ab omni exactione, quam ſacratiſſimo fiſco perſoluere conſueti ſunt, cum his, quæ habere poterunt, ſecuri extorreſque perſiſtant.

In CAN. II. decernitur, Vt Epiſcopi

Digitized by Google

pi, ſeu Presbyteri, vel hi qui iudicandis cauſarum negotiis præſunt, ſolerti cura inuigilent, vt ſacrilegos omnes, cultores idolorum, veneratores lapidum, accenſores facularum, auguratores quoque, ſeu præcantatores extirpare ſatagant.

In Can. III. ſtatuitur contra Sodomiticos, Vt ſi talis fuerit Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, de proprij honoris gradu deiectus, perpetuo exilio damnetur: alij verò excommunicentur, & cétenis verberibus correpti, ac turpiter decaluati, exilio mácipentur perpetuo.

A N N O T A T I O.

Extant modò duæ Conſtitutiones Pij Quinti contra Clericos Sodomitas, quarum prima eſt ſub Datum Romę Kal. Apr. 1566. §. Si quis, vbi dicit: *Si quis crimen nefandum contra naturam perpetrauerit, curiæ ſæculari puniendus tradatur: & ſi Clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus, ſimili pœna ſubijciatur.* Altera verò Conſtitutio fuit publicata Romæ die tertio Septembris, 1568. & incipit, *Horrendum ſcelus.* quæ idem determinat. Vide Stephanum Quaranta verbo *Sodomia.* & in noſtro Tractatu de Caſibus, in explicatione noni Caſus, vbi plura de hoc diximus.

In Can. IV. præcauentur fideles, Ne deſperati ſeipſos laqueo ſuſpendant, ferro, vel aliis mortiferis caſibus ſe interimant.

In Can. V. determinatur, Vt plures Eccleſiæ vni nequaquam committantur Presbytero: quia ſolus per totas Eccleſias nec officium valet perſoluere, nec populis Sacerdotali iure occurrere, ſed nec rebus earum neceſſariam curam impendere.

In Can. VI. Quia aliqui Sacerdotes in Hiſpania partim ex ignorantia, partim temerario auſu, nō panes mundos & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in Sacrificio offerant, ſed de panibus ſuis vſibus præparatis, cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper Altare cum vino & aqua pro ſacro libamine offerant, &c. propterea ſtatuitur, vt non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, &c.

A N N O T A T I O.

Materia Sacramenti Euchariſtiæ eſt panis, ſeu azymus, ſeu fermentatus, & vinum aqua mixtum: de qua re in Concilio Florentino in Deciſ. ad Armen. & Alexander Papa I. epiſt. 1. ad vniuerſos; Iulius Pontifex I. de Conſecr. diſt. 12. cap. Cùm omne. Concilium Carthaginenſe II. cap. 24. Africanum ſub Bonifacio c. 4. Bracarenſe III. cap. 1. Cyprianus epiſt. 3. lib. 2. Ab ipſo Domino vinum aquâ mixtum fuiſſe conſecratum, tradit Innocentius III. lib. 4. de Celebrat. Miſſarum. Algerius lib. 2. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 10. aduerſus huius temporis impios hæreticos annotat, in more ſanctis Patribus fuiſſe ex antiqua traditione, hoſtiam Euchariſtiæ offerre in Miſſarum ſolemniis rotundam, integram, nitidam, ex ſtudio præparatam: non grande fruſtum panis, ſed modica quantitate formatum; ne grauaret ſumentem, neque in digeſtionem ſpecies moleſtè irent; poſſeque poſt conſecrationem in partes, & fragmenta diuidi, vt fideles alimonia ſpirituali reficiantur; recondique etiam in modico loculo ſine iniuria: neque ſub vtraque ſpecie, ſed vna tantùm ſeruari, & laicis tradi, & ad adorandum populis proponi poſſe. Ego verò addo, in hoc Sacramento ſanctè colendo ſitam eſſe vitæ ſpiritualis & temporalis omnem honeſtatem, & cunctam in negligendo turpitudinem: populumque ſine hac ſalutari Hoſtia & Sacrificio eſſe veluti mundum ſine ſole, in tenebris Aegypti à Deo derelictum.

In Can. VII. præcipitur, Vt Decreta Synodalia populo annuntientur, quia ex hoc grandis ſperatur correctio.

In Can. VIII. ſtatuitur, Vt nullus Regi & filiis malum aliquod intentet.

In Can. IX. Quia Siſbertus Toletanæ Sedis Epiſcopus contra Regem machinaſſe ad mortem repertus eſt, ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem fuit honore & dignitate ſpoliatus, à conuentu Catholicorum excommunicatione repulſus, omnibuſque rebus exutus, & in perpetui exilij ergaſtulo relegatus.

In Can. X. decernitur, Vt contra Regem non machinetur.

Deinde gratiæ ſunt Deo & Principi actæ, & ſubſcripti fuerunt Canones.

CONC.

CONC. TOLETANVM XVII.

tempore SERGII *Papæ, anno Chriſti 694. celebratum.*

ANNO DOMINI DC.XCIV. IN principio huius Concilij præmittitur de more Profeſſio fidei. Deinde in honorem ſanctiſſimę Trinitatis indicitur trium dierum ieiunium.

In CANONE I. ſtatuitur, Vt tempore Quadrageſimali oſtia Baptiſterij Pontificali manu obſignata maneant vſq; ad Cœnam Domini: in quo tempore nullus abſque neceſſitate baptizetur, ſed omnes reſeruentur in die Paſchę; vt quia cõſepulti ſunt cum Chriſto in Baptiſmo, cum ipſo pariter reſurgãt.

In CAN. II. determinatur, vt in die Cœnæ Domini, ad exemplum Chriſti, omnes Põtifices per Hiſpaniam & per Galliam, pedes ſuorũ lauare ſtudeant.

In CAN. III. decernitur, Vt nullus Sacerdotum de ſacris miniſteriis, vel Eccleſiæ ornamentis confringere, vendere, aut naufragare pertentet. Qui ſecùs fecerit, vt ſacrilegus perenni infamia denotatus, à ſacræ communionis perceptione (excepto in ſupremo temporis curſu) omnibus diebus vitæ ſuæ maneat alienus.

In CAN. IV. prohibetur, Vt pro viuis non dicatur Miſſa de defunctis. Si quis hoc perpetrauerit Sacerdos, à proprio deponatur gradu: & tam ipſe Sacerdos, quàm ille qui ad talia peragẽda incitaſſe perpẽditur, exilij perpetui ergaſtulo religati, excepto in ſupremo vitæ curriculo, cunctis diebus vitæ ſuæ ſacrę communionis eis denegetur perceptio.

Vltimo loco fit precatio pro vita Regis Egicæ, & gratiæ Deo aguntur.

CONC. TRAIECTENSE

auctoritate S. WILLEBRORDI *congregatum, anno Domini 697. tempore* SERGII *Papæ.*

DC.XCVII. HOC Concilium habitum eſt in ciuitate inferioris Germaniæ, quæ Vltraiectum vulgò nominatur. Cuius auctoritate indictum, quidve in eo conſtitutũ fuerit, refert Marcellinus in Vita Suuiberti apud Surium die 1. Martij, cap. 14. his verbis: *Cui ſancta Synodo præfuerunt S. VVillebrordus & Suuibertus Antiſtites conſtantiores. In qua concluſum & definitum fuit, vt omnes primi Prædicatores in exteras Prouincias prædicarent verbum Dei*, &c. Vide Surium vbi ſuprà.

CONCILIABVLVM AQVILEIENSE

contra QVINTAM SYNODVM, *habitum tempore* SERGII *Papæ, anno Domini 698.*

AVCTORITATE venerabilis Bedæ libro de Sex ætatibus, Pauli Diaconi lib. 5. cap. 14. & Sigeberti in Chron. conſtar, hoc tempore Aquileiæ contra Quintam Synodum habitum fuiſſe Concilium, quo ipſam Quintam Synodum Oecumenicam reſpuendam eſſe decreuerunt, ſeque ab vnione Eccleſiæ Catholicæ præſciderunt ea de cauſa, quòd damnationem trium Capitulorum in Quinta Synodo factã, in odium & præiudicium Chalcedonenſis Concilij contigiſſe interpretarentur. Eadem de cauſa habita eſt Synodus Aquileiæ tempore Vigilij Papæ anno Domini 553. vt viſum eſt ſuprà. Eoſdem ab antiquo ſchiſmate opera S. Gregorij reſipuiſſe, conſtat ex Actis Synodalibus Concilij Romani ſub Agathone, vbi quidam Aquileienſis Epiſcopus Agatho nominatus eidem Concilio interfuiſſe & ſubſcripſiſſe reperitur. Quamobrem neceſſe eſt dicere, eamdem Eccleſiam bis in eumdem errorem relapſam, duabus vicibus operâ SS. Gregorij & Sergij Pontificum ab eodem errore reſipuiſſe. DC.XCVIII.

CONC. TOLETANVM XVIII.

tempore WITIZAE *Regis celebratum, anno Domini 701. ſub* IOANNE VI.

DE hoc Cõcilio Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 14. *Hic in Eccleſia S. Petri, quæ eſt extra Toletum, cum Epiſcopis, & magnatibus ſuper* DCC.I.

ordinatione Regni Concilium celebrauit: quod tamẽ in corpore Canonum nõ habetur. Sic ille. Exiſtimo celebratum fuiſſe hoc Concilium ſub Gunderico Toletano Antiſtite, *qui* (vt Rodericus ait) *ſanctimoniæ dono illuſtris fuit, & in multis mirabilibus clarior celebratur.* Hęc Garçias.

Quid de Actis Concilij ſentiat Baronius, vide in anno 701. num. 15.

CONCIL. ROMANVM,

auctoritate IOANNIS *Papæ, ad inſtantiam* IVSTINIANI *Imperatoris pro* CANONIBVS SEXTAE SYNODI *confirmandis, vel reprobandis indictum, anno Domini 705. tempore* IOANNIS VII.

ANNO DOMINI DCC.V. HAEC Synodus qua occaſione Romæ coacta fuerit, indicat Anaſtaſius in Vita Ioãnis VII. nimirum, quia per epiſtolas & Legationem Imperator Iuſtinianus petiuit, vt ſancitos Conſtantinopoli Canones, Ioannes Papa congregato Concilio examinaret, & quos Catholicæ diſciplinæ conſentientes repeꝛiſſet, reiectis ceteris, probaret & confirmaret. Indecenti poſtulato nihil Pontifex detulit, & rectè: nam inconueniens eſt, & valdè indecorum, vel minimum approbare eorum, quæ in Pſeudoſynodo conſtituta fuerant.

Hac eodem Synodo Wilfridus Eboracenſis Epiſcopus, poſtquam iam antè ſub Agathone Papa ſemel iniuſtè accuſatus in Romano Concilio ſub eodem Agathone Romæ abſolutus fuiſſet, ab Aldfride Rege ſecundò accuſatus, ſecundò Synodali iudicio Romę abſolutus fuit. Hæc Beda teſte acciderunt anno 4. ante obitũ Wilfridi, adeoq; anno Chriſti 705. tempore Ioannis Papę VII. Nam cùm teſtetur, eumdem poſt hanc Synodum quadriennio vixiſſe, anno Redemptoris noſtri 709. poſt obitum Oſredi Regis quarto, Epiſcopatus ſui anno 45. diem ſuum obiiſſe; negari non poteſt, hanc Synodum prædicto tempore celebratam fuiſſe.

CONC. ANGLICANVM

in reſtitutione S. WILFRIDI *anno Domini 705. celebratum ſub* IOANNE VII.

CVM poſt impetratam abſolutionem Wilfridus Romam deceſſiſſet, venienſque in Galliam in morbum grauiſſimum incidiſſet, apparitione & medela S. Michaëlis miraculosè liberatus, hoc anno venit in Angliam. Cumque lectis epiſtolis Apoſtolicis ab Archiepiſcopo honorificè acciperetur, ab Aldfrido autem Rege accuſatore ſui contemneretur, poſt mortem Regis ſubitò defuncti, *factum eſt,* inquit Beda lib. 5. cap. 20. *vt regnante Oſredo filio eius, mox Synodo facta, iuxta fluuium Nidd, poſt aliquantum vtriuſque partis conflictum, tandem cunctis fauentibus, in Præſulatum ſit ſuæ receptus Eccleſiæ: ſicque quatuor annis, id eſt, vſque ad diem obitus ſui vitam duxit in pace.* Hæc Beda. DCC.V.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM

à IOANNE *Epiſcopo Monothelitarum Anteſignano indictum, quo innumera Orientalium Epiſcoporũ multitudo congregata,* SEXTAM SYNODVM *Oecumenicam damnauit, anno Chriſti 712. tempore* CONSTANTINI *Papæ, &* PHILIPPICI *Imperatoris.*

EXCAECATVS quidam corporis & mentis oculis Monothelita Monachus, ad ſe venienti Philippico, teſte Theophane, dixit: *Imperium tibi eſt repoſitum.* Qua de cauſa cùm ille turbaretur, ait Monachus: *Si iubet Deus, tu quamobrem contradicis? Hoc autem dico, quia Sexta Synodus malè facta eſt. Si ergo imperaueris, hanc proijce, & Imperium fiet tibi forte atque longæuum.* Credens Philippicus impoſtoris vanitati, iuramento ſpopondit, ſe hoc facturum. Imperium adeptus, exturbato è ſede Conſtantinopolitana Cyro Patriarcha, Ioannem ſuæ impietatis ſocium, teſte DCC.XII.

Ce-

Cedreno, eidem ſolio præpoſuit, eaque deinceps opera Monothelitarum anteſignani Ioannes in vrbe Regia in conuentu innumeræ multitudinis Epiſcopus peregit, quæ his verbis deſcripſit Theophanes: *Et cùm regnaret, fecit Pſeudoſynodum Epiſc. iuxta Pſeudomonachi & Incluſi ſermonem, & abiecit ſanctam & Vniuerſalem Sextam Synodum.* Ita ad nutum Imperatoris, ad libitum Patriarchæ Monothelitæ, ſancta Sexta Synodus condemnatur, & ea, quæ de duabus in Chriſto voluntatibus, & duplici operatione, ſententia ſancita fuerat, pluſimorum Epiſcoporum Orientalium ex Catholicis vno momento in Monothelitas conuerſorum, decreto & ſubſcriptione retractatur. Baronius anno 712. n.3.4.&c.

CONCIL. LONDINENSE

pro IMAGINIBVS, *quod recentiores Hiſtorici citra auctoritatem Maiorum, tempore* CONSTANTINI *Papæ habitum fuiſſe ſcribunt.*

ANNO DOMINI DCC. XIV. REFERVNT Vrſpergenſis aliique recentiores Hiſtorici, Eguuinum Monachum deſignatum Epiſcopum, Wiceis diuinitus admonitum, vt Dei Genitricis imaginem in ſua Eccleſia collocaret: rem autem in controuerſiam deductam, fuiſſe delatam ad Apoſtolicã Sedem: iuſſumque Eguuinum ſiſti coram Pontifice, & iuratum de viſione quam viderat, aliiſque teſtatum eſſe. Tunc verò Conſtantinum Legatum miſiſſe Bonifacium in Britanniam, qui Londini Synodum celebraret. Celebrataque Synodo, fuiſſe in ea probatas viſiones Eguuini, & de cultu ſacrarum Imaginum promulgatum eſſe Decretum. Quæ cùm maiorum teſtimonio deſtituantur, ſcriptiſque Bedę omnino aduerſentur illis, quibus ait, Anglos vnà cum S. Euangelio, vſum ſacrarum Imaginum ab Auguſtino Apoſtolo ſuſcepiſſe; facilè inducimur, vt commentum eſſe putemus. Vide Baronium anno 714. num. 3. & 4.

CONCIL. ROMANVM I.

Epiſcoporum XXII. *ſub* GREGORIO II. *aduerſus illicita connubia habitum, anno Domini 721. ipſis Nonis Aprilis.*

CAP. I.

Vt nullus audeat Presbyteram in coniugium ducere.

SI QVIS Presbyteram duxerit in coniugiũ, anathema ſit. Et reſponderũt omnes tertiò, Anathema ſit. DCC. XXI.

ANNOTATIO.

PRESBYTERA dicitur (vt aliàs notatum eſt) quæ ex mutuo conſenſu à viro ad ſacrum Ordinem promoto, relinquebatur, & caſtitatem ſeruare tenebatur. Diacona ſimiliter appellatur Canone ſequẽte, quæ ex mutuo conſenſu à viro ad Diaconatus Ordinem promoto relinquebatur, caſteq; deinceps viuere cogebatur. Quæ cùm exemplo Orientalium propter Canonem Pſeudoſextæ Synodi ad aliorum connubia tranſirent illicitè, propterea quòd toro ſeparati, veri coniuges remanerent, hoc Conſtituto Synodali opus erat.

CAP. II.

Item de Diacona.

SI QVIS Diaconam in coniugium duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. III.

Item de Monacha, quam Dei ancillam vocant.

SI QVIS Monacham, quam Dei ancillam appellamus, in coniugium duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. IV.

Item de commatre ſpirituali.

SI QVIS commatrem ſpiritualem duxerit in coniugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. V.

Item de fratris vxore.

SI QVIS fratris vxorem duxerit in coniugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP.

CAP. VI.

Item de nepte.

SI QVIS neptem duxerit in coniugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. VII.

Item de nouerca aut nuru.

SI QVIS nouercam aut nurum ſuam duxerit in coniugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. VIII.

Item de conſobrina.

SI QVIS conſobrinam duxerit in coniugium, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. IX.

Item de propria cognatione, vel quam cognatus habuit.

SI QVIS de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. X.

Ut viduam nemo furetur in vxorem.

SI QVIS viduam rapuerit vel furatus fuerit in vxorem, cum ſibi conſentientibus anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XI.

Item vt virginem nemo furetur in vxorem.

SI QVIS virginem, quam ſibi non deſponſauerit, rapuerit vel furatus fuerit in vxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XII.

De aruſpicibus, vel incantatoribus, ſeu phylacteriis.

SI QVIS ariolos, aruſpices, incantatores obſeruauerit, aut phylacteriis vſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XIII.

De præceptis Eccleſiæ obſeruandis.

SI QVIS in quamlibet partem præcepta antemiſſa Apoſtolicę Eccleſiæ de oliuetis & locis diuerſis temerauerit, & non in omnibus obſeruauerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XIV.

De Adriano filio Exhilarati.

ADRIANVS filius Exhilarati, qui poſt præſtitum ſacramentum in Apoſtolica confeſſione Epiphaniam Diaconam illicito auſu in vxorem habet, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XV.

De Epiphania Diacona.

EPIPHANIA Diacona, quæ poſt præſtitum ſacramentum, cum Adriano Exhilarati filio fugâ lapſa eſt, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XVI.

Vt nullus audeat aſſenſum eis tribuere.

SI QVIS ei in tam crudeli actu conſenſum præbuit, anathema ſit. Et reſponderũt omnes tertiò, Anathema ſit.

CAP. XVII.

De coma Clerici non relaxanda.

SI QVIS ex Clericis relaxauerit comam, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.

CONCIL. ROMANVM II.

in cauſa S. CORBINIANI *Friſingenſis Epiſcopi, ſub* GREGORIO II. *celebratum, anno Domini* 724.

ARIBO in Actis Corbiniani Epiſcopi apud Surium die 8. Septembris refert, quòd Corbinianus Romam profectus, ad pedes Pontificis proſtratus, amore quietis, dimiſſionem ab Epiſcopatu petiuerit: quodq́; tantam eius humilitatem Summus Papa miratus, poſt illũ à ſe dimiſſum, ad ſecreta neceſſaria Synodum Presbyterorum & Epiſcoporum in Vrbe præſentium congregarit, & in eorum præſentia petitionem Corbiniani recitarit. *Quibus illi auditis*, inquit Aribo, *vna voce eum reuereri debere proclamabant, multis teſtimoniis Scripturarum id confirmantes. His ita dicentibus, virum Dei in medium venire iuſſit, quorum verbis*

ANNO DOMINI DCCXXIV

Digitized by Google

bis ſe victum conſiderans, vt iniunctum ſibi à S. Patre officium nullo modo omitteret, & à lucro vacuus rediret ad aream, cum ſummo ibi aliquantum temporis retentus honore, & benedictione accepta, valefaciens omnibus, triſtis receſſit. Hæc de Actis Synodi Aribo prædicto loco.

CONCIL. ROMANVM III.

quo ICONOCLASTARVM *hæreſis eſt condemnata, vſuſq; SACRARVM IMAGINVM confirmatus, ſub* GREGORIO II. *anno Domini* 726.

ANNO DOMINI DCCXXVI De huius Concilij auctoritate, hæc Adrianus Papa I. in epiſt. ad Carolum Magnum: *Pro his firmiſſimis exemplis prædeceſſor noſter, Dominus Gregorius* II. *iunior Papa, in ſuo ſacro Concilio (quod etiam in alio Concilio prædeceſſoris noſtri Stephani Papæ vnà cum Sacerdotibus partium Franciæ atque Italiæ acto, ſuſceptum & veneratum eſt) in eo ipſo præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo quondam Domino Gregorio Papa per ſemetipſum ſimiliter dixit: Si contraria ſentientibus, & irritas facere quærentibus antiquas Patrum traditiones, ſalutis concurreret conuerſio*, &c.

Poſt hæc autem teſtimoniis ſacræ Scripturæ demonſtrat, cultum ſacrarum Imaginum antiquitus in Eccleſia piè receptum fuiſſe. Hoc eodem Concilio Iconoclaſtarum hæreſi, eiuſque ſectatoribus anathema dictum eſſe, teſtatur Zonaras. Vide Binium.

CONCIL. ROMANVM I.

in cauſa GREGORII *Preſbyteri Legati Sedis Apoſtolicæ, anno Domini* 731. *celebratum ſub* GREGORIO III.

DCC.XXXI. AD extirpandam Iconoclaſtarum hæreſim, ſcripſerat Gregorius ad Leonem Imperatorem Epiſtolam adhortatoriã, qua eum ab errore auocare conabatur. Hanc Gregorius Presbyter Legationis Apoſtolicæ munere functurus acceperat, vt eam Imperatori coràm traderet: ſed humano terrore motus, non porrexit. Quod cùm ille Romam reuerſus Pontifici enarraſſet, literaſq; acceptas agnita culpa tradidiſſet, hac Synodali congregatione ſententiam depoſitionis à Presbyterio incurriſſet, niſi cœtus Epiſcoporum præſentium pœnam deprecati fuiſſent. Rem geſtam narrat Anaſtaſius in Vita Gregorij.

CONCIL. ROMANVM II.

pro IMAGINVM CVLTV *celebratum anno* 732. *ſub* GREGORIO III.

GREGORIVM Presbyterum ſecunda vice cum literis Commonitoriis ad Leonem Imperatorem deſtinauerat Pontifex: quem cùm Imperator Iconomachus in Sicilia aliquamdiu retinuiſſet, ablatiſque ſcriptis in exilium amandaſſet; collecto hac de cauſa Romæ 93. Epiſcoporum Concilio, primùm ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de vſu ſacrarum Imaginum Conſtitutum edidit, eoſque diro anathemate percuſſit, qui huic Decreto aduerſarentur. Additum præterea, ex Synodo ad eumdem Imperatorem Commonitoriam epiſtolam mittendam eſſe. Habet hæc omnia Anaſtaſius in Vita Gregorij III. his verbis: *Maiore ardore permotus Gregorius Papa, Synodale fecit Decretum*, &c. DCC.XXXII.

CONCILIVM I.

auctoritate S. BONIFACII *Ratiſbonæ vel Auguſtæ Vindelicorum celebratum anno Chriſti* 742. *tempore* ZACHARIAE *Papæ*.

ZACHARIAS Papa per literas præceperat S. Bonifacio, vt iuxta ripam Danubij Concilium celebraret: quas cùm accepiſſet, ſollicitus iuſſa illius implere, continuò ſe contulit ad Carolomannum, deque congreganda Epiſcoporum Synodo conſenſum impetrauit, vt patet in Vita S. Bonifacij apud Surium Tom. 3. die 5. Iunij. DCC.XLII

In hoc Concilio multa ſancita ſunt ad reformationem Eccleſiæ, & ad mores

tes

res rectè componendos, quæ aliàs etiam decreta ſunt. Inter cetera verò determinatum eſt, vt Monachi, & ancillę Dei Monaſteriales, iuxta Regulam S. Benedicti viuere ſtudeant. Vide omnia apud Binium.

CONCIL. LIPTINENSE

auctoritate S. BONIFACII *congregatum menſe Martio, anno Redemptoris 743. Indictione* 11 *ſub* ZACHARIA *Pontifice.*

ANNO DOMINI DCCXLIII De hac ſecunda Synodo Bonifacij Benedictus Leuita in exordio lib. 5. Capitularium Regum Francorum, hæc ſcribit: *Item altera Synodus à ſupraſcriptis Epiſcopis ac Principe, auctoritate Apoſtolica Kal. Martias ad Liptinas habita.*

In hoc Synodali Conuentu omnes venerabiles Sacerdotes Dei, Comites, & Præfecti prioris Synodi Decreta cõſentientes firmauerunt: ſeque ea implere velle & obſeruare promiſerunt. Abbates verò & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti, ad reſtaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores, & adulteros Clericos, qui ſancta loca, vel Monaſteria antè tenentes coinquinauerunt, præceperunt inde tollere, & ad pœnitentiam redire.

Item ſtatuerunt, vt propter imminentia bella, ſub precario & cenſu aliqua pars Eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineatur, ea conditione, vt annis ſingulis de vnaquaque caſata, ſolidus, id eſt, duodecim denarij ad Eccleſiam vel Monaſterium reddantur, &c. Et omnino obſeruetur, vt Eccleſia vel Monaſterium penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit. Plura apud Binium.

ANNOTATIO.

PRECARIVM, pecunia eſt, quæ alicui ad eius preces, ſeu precariò datur mutua, quoadusque voluerit, qui dederit. L. 1. ff. De precario.

CONCILIVM ROMANVM

Romæ congregatum à ZACHARIA *Papa, anno Domini 743. Indictione* 12. *anno* 3. ARTABASDI, *&* LVITHPRANDI *Regis* 32.

In hoc Concilio Zacharias Papa hæc decreuit: DCCXLIII

I. Vt Epiſcopi cum mulieribus omnino non habitent.

II. Vt Presbyteri vel Diaconi ſubintroductas mulieres nullo modo ſecum audeant habere.

III. Vt Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus ſæculari indumento minimè vtatur, niſi, vt condecet, tunica Sacerdotali: ſed nec dum ambulauerit in ciuitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumat ambulare, præter ſi in itinere longo ambulauerit.

IV. Vt Epiſcopi propinqui viſitent limina Apoſtolorum annuè. Qui verò de longinquo, per chirographum impleant.

V. Vt Presbyteram, Diaconam, Nonnam, aut Monacham, vel etiam ſpiritualem commatrem nullus ſibi præſumat nefario coniugio copulare.

VI. Itidem vt nec conſobrinam, neptem, nouercam, fratris vxorem, vel etiam de propria cognatione.

VII. Si quis temerario auſu præſumpſerit virginem aut viduam furari in vxorem, præter ſi deſponſatam habuerit, anathema ſit.

VIII. Vt nullus Clericorum aut Monachorum comam laxare præſumat. Si quis Clericus aut Monachus comam laxare præſumpſerit, anathema ſit.

IX. Vt nullus Kalendas Ianuarias, & broma colere præſumat, &c. qui fecus faxit, anathema ſit.

X. Si quis Chriſtianus filiam ſuam Iudæo in coniugio copulare præſumpſerit, vel ſeruum aut ancillam eidem Iudæo Chriſtianus vendiderit, anathema ſit.

Alia plura ad mores pertinentia ſtatuit idem Pontifex: vide apud Binium.

SYN-

Digitized by Google

SYNODVS SVESSIONENSIS

ſub CHILDERICO *Rege, Duce* PIPINO, *&* ZACHARIA *Papa celebrata, anno Domini* 744.

ANNO DOMINI DCCXLIV. IN hac Synodo ſtatuitur, vt annis ſingulis Synodus renouetur, vt qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animarum peruenire poſſit, & vt hæreſis ampliùs in populo non reſurgat. Et plura alia bona ad mores ſtatuta ſũt. Vide apud Binium.

CONC. GERMANICVM

auctoritate S. BONIFACII *congregatum, in quo* ALDEBERTVS *&* CLEMENS *ſecundò damnati: & poſt* GERVILIVM *Moguntiæ Epiſcopum, ob crimen homicidij depoſitum,* S. BONIFACIVS *factus eſt primus Archiepiſcopus Moguntinus, anno Domini* 745. *tempore* ZACHARIAE *Papæ, &* CONSTANTINI COPRONYMI.

DCCXLV. DE hac Synodo lib. 3. Hiſtor. Mog. Notat. 31. circa medium plura Serarius. Vide Binium hîc.

CONCIL. ROMANVM II.

contra ALDEBERTVM *&* CLEMENTEM *hæreticos à* BONIFACIO *condemnatos, Romæ celebratum ſub* ZACHARIA *Papa, anno Domini* 745.

DCCXLV. SVMMVS Pontifex Zacharias, poſt Legationes & literas S. Bonifacij de confirmandis Actis Synodalibus contra Aldebertum & Clementem acceptas, Concilium Epiſcoporum collegit, in quo eoſdem hæreticos condemnauit.

Epiſtola Bonifacij quam Deneardus Presbyter ad Sedem Apoſtolicam Legatus attulerat, inter Acta Synodalia recitatur.

Aldebertus in ſua Oratione octo nomina Angelorũ inuocauit, ſic inquiens: *Precor vos, & coniuro vos, & ſupplico me ad vos, Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michaël, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel.* Sed hæc nomina, præter Michaëlis, omnia ſunt nomina dæmonum. Hinc pulchrè infert Baronius, perſpicuò intelligis, librum quartum Eſdræ nomine vulgatum, in quo frequens eſt mentio Angeli Vriel, ab Eccleſia Romana proſcriptum, penituſque reiectum.

Ad ſententiæ huius confirmationem addo Concilij Aurelianenſis c. 3. quod à D. Burchardo citatur lib. 3. cap. 198. *Nihil aliud in Eccleſia legatur, aut cantetur, niſi ea quæ auctoritatis diuinæ ſunt, & Patrum Orthodoxorum ſanxit auctoritas. Ne falſa Angelorum nomina colant; ſed ea tantùm, quæ Prophetica & Euangelica docet Scriptura, id eſt Michaël, Gabriel, Raphaël.* Sunt tamen aliqui moderniores, qui contendunt, nomina illa, Vriel, Iehudiel, Sealthiel, & ſimilia, eſſe vera nomina Angelorum, non dæmonum.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT.

Pſeudoſeptimum Vniuerſale, & reprobatum, CCCXXXVIII. *Epiſcoporum: à* CONSTANTINO COPRONYMO *aduerſus* CVLTVM SANCTARVM IMAGINVM *congregatum anno Domini* 754. *tempore* STEPHANI *Papæ* III.

CAVSAM, locum, tẽpus, numerum Epiſcoporum, & Acta Conciliabuli Theophanes ſummatim enarrat his verbis: *Eodem quoque anno Conſtantinus impius contra ſanctas & venerabiles Imagines Concilium iniquum trecentorum trigintaocto Epiſcoporum congregauit in Palatio Hieriæ: quorum primi erant Ephiſinus filius Abſimari, & Paſtillus Pregenſis, qui apud ſe, quæ viſa ſunt, dogmatizarunt, &c.* DCCLIV.

Qua ratione, quáve auctoritate hęc Pſeudoſynodus congregata fuerit, indicant Acta Stephani Papæ apud Baronium, anno 754. extantia, quibus ſcribitur, quòd in templo B. Mariæ Virginis, nullo Catholico Patriarcha præſente,

Digitized by Google

ſente, ipſe Imperator Conſtantinus ambonem cóſcenderit, atq; ex eo Conſtantinum Monachum ex Sylei Epiſcopo Patriarcham homo laicus deſignauerit: & paulò pòſt per laicum Epiſcopum laicus Imperator ſacroſanctum Vniuerſale Concilium Septimum, vt aiebant, congregauerit.

In hac Pſeudoſynodo non ſolùm ſacrarum Imaginũ cultum damnarunt, S. Germanum Constantinopolitanum Patriarchã, Georgium Cyprium, Ioannem Damaſcenum, aliosq́ue omnes ſacrarum Imaginum cultores anathematizauerunt, & idololatras vocauerunt; verùm etiam ſanctorum Martyrum Reliquias igne & aqua perdiderunt, per lignum S. Crucis, perq́ue Corpus ac Sanguinem Domini in Sacraméto Euchariſtiæ iuratam exegerunt à ſuis profeſſionem, ſe numquam Imagines culturos; ſed potiùs eaſdem velut idola execraturos, numquam inuocaturos eſſe. Vide Baronium anno 754. n. 19. 20. & ſeqq.

Reprobata fuit hæc Synodus, Primùm auctoritate Stephani Papæ, vt teſtatur Hadrianus in epiſt. ad Conſtantinum & Ioannem Auguſtos: deinde etiam totius Oecumenici Concilij Nicæni vnanimi conſenſu. Rectè igitur in libello Secundæ Nicænæ Synodo oblato Orthodoxi Orientales Act. 3. aiunt: *Sex Generales Synodos antè habitas vna voce Legati prædicant: aliam autem illam, quam Septimam dicunt, nõ modò non recipiunt, ſed vno animo & voce deteſtantur, vtpote quæ ex hereſi contra Apoſtolicam & Patrum traditionem ſit congregata, non aliam ob cauſam, quàm vt ſacroſanctas & venerabiles Imagines euertat.* Apud Acta Stephani Martyris, cùm legeretur initio, *Decreta S. Concilij*; interlocutus S. Stephanus, dixit: *Quonam modo ſanctum exiſtimari queat, quod ſancta profanare minimè dubitauit? Quid enim? an non ſancta à vobis protrita ſunt? An non cùm in Concilio veſtro ſederitis, libellus vobis à quibuſdam piis viris oblatus eſt, qui Epiſcopum quemdam eo nomine deferret, quòd lancem ſanctam, in qua Chriſti ac Dei Genitricis imagines ſculptæ erãt, contriuiſſet?* Actione ſexta Concilij Nicæni Secundi in principio contra titulum Pſeudoſynodi ait Ioannes Cancellarius: *Quo pacto autem ſancta dicenda erit, quæ quid ſit ſanctum non intelligit? Execrabilis & profana eſt, & adulterina.* Et meritò: nam qui in hac congregati fuerunt, inter ſanctum & profanum, inter purum & impurũ non diſtinxerunt, quippe qui imaginem Domini Dei noſtri cum imagine ſimul ſatanæ idolum appellarint. Omnes Auctores, qui de Conciliis Generalibus aliquid ſcripſerunt, hanc Synodum vel inter Concilia Eccleſiæ non enumerant, vel ſaltem apertè reprehendunt. Hæretici noſtri temporis, Pſeudoſynodum reprobatam & damnatam à vera & germana Septima Synodo Nicæna (à qua ipſi cum ſuis dogmatibus De cultu & inuocatione Sanctorum, De meritis bonorum operum, De veritate Corporis & Sanguinis in Sacramento Euchariſtiæ expreſsè anathematizantur) magna cum admiratione multorum laudant, & ſummopere deprædicant: idq́; ſanè illa Dei ſecreta prouidentia, vt ſuam ipſius incredibilem ſtupiditatem & impudentiam ipſi prodant, & antiquiores Iconoclaſtas Nouatoribus meliores eſſe iidem propria confeſſione iuſtè deponant. Nam ſi noſtros cum illis Copronymianis conferas, duplo triploq́ue deteriores eſſe inuenies. Copronymiani inter ſacras Imagines abiectas, cultum venerandæ Crucis, per quam in medio poſitam ſuos aſtringebant iuramento, retinebant: Nouatores Iconoclaſtæ indifferenter omnem imaginem reiiciunt. Cultum diuiniſſimi Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti Copronymus cum ſuis retinebat: funeſta autem Nouatorum ſecta eumdẽ calumnioſè deteſtatur. Vide Bellarminũ lib. 1. de Conciliis, c. 9. & 2. de Imag. c. 14. Baronium anno 754. n. 19. 20. &c.

CON-

CONCILIVM IN PALATIO VERNIS

ſub PIPINO *Rege Francorum habitum, anno Domini* 756. STEPHANO *Papa* III.

ANNO DOMINI DCCLVI. CONGREGATVM eſt Concilium hoc, vt recuperarentur aliquantiſper inſtituta Canonica; & ordinata ſunt plura.

I. Vt Epiſcopi debeant per ſingulas ciuitates eſſe.

II. Vt Metropolitano ceteri Epiſcopi obediant.

III. Vt vnuſquiſque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua Parochia, tam de Clero, quàm de Regularibus vel ſæcularibus, ad corrigendum & emendandum ſecundùm ordinem Canonicum ſpiritualem, vt ſic viuant, qualiter Deo placere poſſint.

ANNOTATIO.

Regulares ſunt exempti ab Ordinariis.

IV. Vt bis in anno Synodus fiat.

V. Vt Monaſteria tam virorum quàm puellarum, ſecundùm Ordinem regulariter viuant.

VI. Nulla Abbatiſſa duo Monaſterio præſumat habere: nec extra Monaſterium licentiam habeat exire, niſi hoſtilitate cogente; & niſi eam Rex vocauerit, & iuſſerit ad ſe venire: tunc enim per conſenſum Epiſcopi, in cuius Parochia eſt, poterit exire.

ANNOTATIO.

Sed nunc nullo pacto Monacha poteſt à Monaſterio exire, niſi neceſſitate cogente, vel hoſtilitatis, vel ignis, vel ruinæ, vel huiuſmodi: aliàs in perpetua clauſura manere debet.

VII. Vt publicum Baptiſterium in nulla Parochia ſit, niſi vbi Epiſcopus conſtituerit.

VIII. Vt omnes Presbyteri, qui in Parochia ſunt, ſub poteſtate Epiſcopi eſſe debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præſumat in illa Parochia baptizare, nec Miſſas celebrare, ſine iuſſione Epiſcopi, in cuius Parochia eſt.

IX. Presbyter degradatus, ſi poſteà per contemptum aliquid de ſuo officio ſine commeatu facere præſumpſerit, & poſteà ab Epiſcopo ſuo correptus & excommunicatus fuerit; qui cum ipſo communicauerit ſcienter, ſciat ſe eſſe excommunicatum.

X. Si quis omnia iſta contempſerit, & Epiſcopus emendare minimè potuerit, Regis iudicio, exilio condemnetur.

XI. Monachi, qui verè regulariter viuunt, ad Romanam Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, niſi obedientiam ſui Abbatis exerceant.

XII. Qui dicunt ſe tonſuratos eſſe propter Deum, in Monaſterio habitent ſub Ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico.

XIII. Non ſuſcipiantur alterius Eccleſiæ Clerici abſque Commendatitiis. Chalced. Conc. c. 13

XIV. Epiſcopi vagantes extra ſuam Parochiam non poſſint in aliena Parochia miniſtrare, nec vllam Ordinationem facere, ſine iuſſione proprij Epiſcopi. Et ſi hoc facere præſumpſerint, ab officio ſuſpendantur.

XV. In diebus Dominicis opera ſeruilia non fiant.

XVI. Vt omnes homines publicas nuptias faciant, tam nobiles, quàm ignobiles.

XVII. Clerici non habeant actiones ſæculares, niſi pro cauſa Eccleſiarum, orphanorum, vel viduarum, ordinante Epiſcopo ſuo. Chalced. Conc. c. 3.

XVIII. Poſt mortem Epiſcopi, non liceat Epiſcopatum eſſe ſine Paſtore ſupra menſes tres, niſi neceſſitas grandis euenerit, vt hoc nullo modo aliter fieri poſſit.

XIX. Nullus Clericus ad iudicia laicorum publica conueniat ſine iuſſione Epiſcopi ſui, vel Abbatis, iuxta Concilij Carthaginenſis c. 8.

Digitized by Google

XX. Omnes immunitates in vniuerſis Eccleſiis conſeruatæ ſint.

XXI. Monaſteria pro ſuorum Religioſorum victu ad illos recurrant, à quibus fundata ſunt.

XXII. Peregrini, qui propter Deum vadunt, telonium non ſoluant.

XXIII. Iudices, primò viduarum, orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant & definiant, & poſteà alias cauſas.

XXIV. Nullus per pecuniam ad honorem vel gradum Eccleſiaſticum accedere debeat, quia hæreſis Simoniaca eſſe videtur.

XXV. Nullus Epiſcopus, nec Abbas, nec laicus pro iuſtitia facienda ſportulas accipiat: quia vbi dona intercurrunt, iuſtitia euacuatur.

XXVI. Omnes iuſtitiam faciant, tam laici quàm Eccleſiaſtici.

CONCILIABVLVM GERMANIÆ,

in quo OTHMARVS *Abbas Monaſterij* S. GALLI *ob crimen impudicitiæ iniuſtè condemnatus eſt, anno Domini 759. tempore* PAVLI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCC.LIX. CVM Warinus & Ruithardus, Fiſci Procuratores res Eccleſiæ inuaſiſſent, eaque de cauſa ab Othmaro ſemel accuſati, acriterque à Rege ad deſiſtendum moniti, non obtemperaſſent, Othmarum, cùm iterùm Regem adiret, ex itinere retraxerunt, & per ſubornatum & conductum accuſatorem Monachum, nomine Lambertum, impacto illi impudicitiæ delicto, in vincula coniecerunt. Cumque ad obiecta crimina non negãdo, & Deum ſuæ innocentiæ teſtem inuocando, iuſtè reſpondiſſet; iniqua tamen ſententia Conciliabuli incarceratus, & ſine alimento corporis relictus, fame interiit. Hæc Walfridus in Vita ſancti Galli apud Surium Tomo ſexto die 16. Nouembris.

CONCIL. ROMANVM

ſub PAVLO *Papa in cauſa immunitatis & Priuilegiorum Eccleſiis & Monaſteriis à ſe erectis conceſſorum, habitum anno Domini 761.*

DE hac re in epiſtola Pauli Papæ, quę extat apud Binium, ſic habetur: *Per huius noſtræ Apoſtolicæ præceptionis paginam, denuò ipſum venerabile Monaſterium beati Hilarij, cum omnibus ei pertinentibus, ſub iuriſdictione Rauennatis Eccleſiæ, atque reuerendæ fraternitatis tuæ, ſucceſſorumque tuorum, perpetuis atque perennibus temporibus ſtatuimus permanendum, & vt tuæ fraternitati ſucceſſoribuſque tuis placuerit, perenniter ipſe venerabilis locus diſponatur. Statuentes Apoſtolica cenſura ſub anathematis interdictione, & diuini iudicij obteſtatione, nulli cuilibet perſonæ paruæ vel magnæ licere, idem venerabile Monaſterium à iuriſdictione S. Rauennatis Eccleſiæ, atque tuæ fraternæ reuerentiæ, ſucceſſorumque tuorum auferre: ſed etſi quodlibet munimen de eodem Monaſterio contrarium Eccleſiæ veſtræ Rauennati repertum fuerit, vacuum & inane eſſe decernimus.* DCC.LXI.

CONC. GENTILIACENSE

de CVLTV SANCTARVM IMAGINVM, *& de* SANCTISSIMA TRINITATE *celebratum in Gallia, anno Domini 766. tempore* PAVLI *Papæ.*

LEGATIO illa, quam pro confœderatione Pipini Regis impetranda Conſtantinus Imperator miſerat in Franciam, hæc impietatis zizania ſeminauerat; pro quibus extirpandis, hiſce ſarculis opus erat. Nemo quidem Scriptorum illud expreſsè affirmat; ſed tamen quia Francorum Annales euidenter commemorant, per nobiliſſimam Legationem aliquanto tempore actum fuiſſe de fœdere ineundo, haud dubiè hæc impietatis ſemina ibidem ſparſa fuerunt. DCC.LXVI.

Præterea in hoc Synodali Conuentu tractatam fuiſſe quæſtionem hanc, An Spiri-

Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedat? tradit Ado Viennenſis in Chronico. Cùm enim Occidentales Conſtantino Copronymo eiuſque ſectatoribus Orientalibus ſacrarum Imaginum deſpectum & contemptū vitio verterent; ille cōtrà Latinis exprobrabat, quòd ad Symbolum vocem *Filioque* adiecisſent. Vnde patet, quòd cùm Græci ſchiſmatici hac in re Latinos impugnent, apertè profiteantur, ſe impiiſſimi Conſtantini Copronymi, quem ſuo ipſi iudicio condemnant, cauſam turpiſſimam turpiter agere, tueri, & defendere.

CONCIL. ROMANVM *de* ELECTIONE PONTIFICIS, *&* CVLTV SACRARVM IMAGINVM, *ſub præſidio* STEPHANI *Papæ* IV. *Romæ celebratum anno Domini* 769. *Indictione* 7.

ANNO DOMINI DCCLXIX. HVIVS Concilij Acta recitantur ab Anaſtaſio in Vita Stephani IV. Papæ. Cauſam habendi Conciliū præbuit Conſtantinus Pſeudopapa, qui Sedem Apoſtolicam inuadens, vno ferè momento, ex laico, tamquam in ſcena, prodiit Romanus Pontifex. Damnato Pſeudopontifice, & Sedis Apoſtolicæ raptore violento, Canone ſancito eſt prohibitum, ne in poſterum quis talia præſumere auſit. Quare damnatis omnibus Pſeudoſynodi Actis illegitimis, eadem combuſſerunt, addito Statuto tali, Ne quis in poſterum alius quàm Diaconus, aut Presbyter Cardinalis, ad Pontificatum aſſumatur. De his, qui ab eodem Pſeudopapa ordinati fuerunt, conſtitutum eſt, Ne deinceps vlla ratione in ſuo Ordine miniſtrare permittantur; præter collatum Baptiſmi & Chriſmatis Sacramentum, omnia eiuſdem Acta irritentur. Ad poſtremum planè improbata ſunt omnia illa, quæ contra ſacras Imagines ſub Conſtantino Copronymo Conſtantinopoli deciſa, ſtatuta, & ordinata fuerunt. Poſt hæc piè & legitimè conſtituta, lecta eſt epiſtola Synodalis Theodori Patriarchę Ieroſolymitani De cultu ſacrarum Imaginum illa, cui Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ ſubſcripſerant, quæque diu ante hæc tempora, teſte Adriano in epiſt. ad Carolum Magnum, ad Paulum Papam emiſſa fuerat.

Abſoluto Concilio, Stephanus Papa, & Epiſcopi cum vniuerſo Clero ac populo, nudis pedibus cum Hymnis & Canticis ad B. Petrum proceſſerunt, & ſingula Concilij Acta ex ambone ad populum clara voce lecta ſunt: & ne ſtatuta huius Concilij ab aliquo temerè violentur, trium Epiſcoporum promulgatione lecta eſt & promulgata ſententia anathematis in eos, qui piè ſanctéque decretas Conſtitutiones haſce Synodales transgrediuntur.

De rebus in hac Synodo pro cultu ſacrarum Imaginum geſtis, Stephanus Papa Conſtantinum Copronymum & Iconomachum per literas certiorem reddidit.

Hæc partim ex Anaſtaſio, partim ex diuerſis epiſtolis Adriani.

CONC. WORMATIENSE *tempore* CAROLI MAGNI, *&* STEPHANI *Papæ* IV. *celebratum anno* 770.

IN Vita Caroli Magni apud Scriptores Annalium Francorum reperitur Synodus quædam hoc anno Wormatiæ celebrata: quid in ea geſtum fuerit, non conſtat. DCCLXX.

CONCILIVM WORMATIENSE II. *tempore* ADRIANI *Papæ* I. *&* CAROLI MAGNI *Regis Francorum, habitum anno Christi* 772.

DE hoc Concilio extat vnum Capitulum De purgatione Sacerdotum lib. 7. Capitulariũ Francorum, cap. 205. DCCLXXII.

CONC. BAVARICVM *apud Dingoluingam 22. anno* TASSILONIS *Ducis Bauariæ celebratũ, tempore* ADRIANI *Papæ I. anno Chriſti 772.*

ANNO DOMINI DCCLXXII.

MARCVS Velſerus, vir doctiſſimus & nobiliſſimus, celeberrimæ Auguſtanæ Reip. Septẽuir, hãc Synodum, vel potiùs fragmentum Synodi ſupradicto tempore celebratæ, primus in lucem emiſit, dentibuſque tinearum & blattarum eripuit. Ex peruetuſto Codice, quem, vt ait Henricus Caniſius, vtendum acceperat à Reuer. & Magnif. Domino Georgio Lautherio, SS. Theol. Doctore, & Monachij ad D. Virginem Præpoſito, idem Velſerus propria manu exſcripſit. Agnoſcant hinc Bauari, ante annos pluſquam 800. in Bauaria receptam fuiſſe illam Religionem, quæ Epiſcopos, Abbates, Sacerdotes, & aliorũ Ordinum Clericos habet: quæ SS. Miſſæ Sacrificium pro viuis & defunctis religiosè immolat: quæ ſacrorum Canonum decretis debitam reuerentiam exhibet, Monialium matrimonia ſeueris pœnis coërcet. O felicem Bauariam, quæ fidem Theodonis, Taſſilonis, Caroli Magni, aliorumque generoſiſſimorum Heroum, tot luſtris labentibus, inter fluctus & procellas, ſartamtectam cuſtodiſti, neque impuros apoſtatas S. Ruperto & excellentiſſimis illis Regibus ac Ducibus antetuliſti. Hæc ex Henrici Caniſij Præfatione in dictam Synodum.

Hæc ſunt Decreta quæ conſtituit ſancta Synodus, in loco qui dicitur Dingoluinga, Domino Taſſilo mediante.

De die Dominico ita conſtitutum eſt, vt tali honore habeatur ſicut in Lege ſcriptum eſt, & in decretis Canonum. Et ſi quis præſumpſerit frangere contra Legem aut decreta Canonum, tali pœna ſubiaceat, ſicut ibi ſcriptum eſt.

De hereditate quæ tradita eſt ad Eccleſiam, ita conſtituit, vt quiſquis hereditatem ſuam ad Eccleſiam antè donauerat, aut poſteà donauerit, ſi quid mutare voluerit, chartam ſuam habeat ita ſcriptam, vt locum, & tempus, & perſonam habeat, aut tribus teſtibus fidelibus & nobilibus teſtificetur. Si Sacerdos non habeat chartam nec teſtem, vt prædiximus, tunc ſicut in Lege Baioariorum & index iudicat, ſic defendat.

De eo, quod Epiſcopi iuxta Canones, & Abbates Monaſteriorum iuxta Regulam viuentes, ita conſtituit.

De eo, quòd Sanctimoniales quæ in ſeruitio Dei ſunt, ita conſtituit, vt nullus auſus ſit in coniugium & matrimonium ducere; aut ſi quis auſus fuerit contra decreta Canonum, ita componat ſicut Canones decreuerunt.

De eo, quòd ius ad Legem, quam habuerunt in diebus patris ſui, nobiles & liberi & ſerui eius, ita donauerunt vt firma fieret.

De eo, quòd vt ſi qui de nobili genere de hereditate ſua dare ad Sanctuarium Dei in ſua poteſtate eſſet, nemo prohibuiſſet, nec mutaret in perpetuũ.

De eo, quòd vt ſerui Principis, qui dicuntur Adelſchalche, vt ſuam habeant Weregeldam, iuxta morem quem habuerunt ſub parentibus, & ceteri minores Weregeldi iuxta Legem ſuam, ita conſtituit.

De eo, quòd parentes Principis quodcumque præſtitum fuiſſet nobilibus intra Baioarios, hoc conſtituit, vt permaneret, & eſſet ſub poteſtate vniuſcuiuſq; relinquendum poſteris, quamdiu ſtabiles fœdere ſeruaſſent apud Principem ad ſeruiendum ſibi, & hæc firma permaneret, ita conſtituit.

De eo, vt nullus hereditate ſua priuetur niſi per tres cauſas * quas in pacto ſcribentur: Propter homicidium, hoc eſt, vt quiſquis hominem Principis ſibi dilectum occiderit, ob iniuriam Principis, & ad calumniam hominem componat, ſecundùm Legem tunc priuetur hereditate ſua. *quæ

De

De eo,quiſquis mulierem nobilem acceperit in coniugium, & non præſciuit,ita conſtituit,vt iterùm libera eſſet, dimittat ſeruum,& poſteà non redigatur in ſeruitium,ſed eſſet libera.

De eo,quòd etſi quis de quocumque reatu accuſatus ab aliquo poteſtatem accipiat cum accuſatore ſuo pacificare ſi voluerit , antequam pugnam , quæ Weda hinc vocatur,permittat.

De eo,quiſquis de nobili genere deprehenſus fuerit de illis IV. cauſis, de qua ſuprà diximus,ſi ille hereditate ſua portionem pro illius criminis reatu perdat,vxor autem illius ſuo iure non priuetur,ita conſtituit.

De collaudatione quam Epiſcopi & Abbates in Baioaria inter ſe fecerunt, pro defunctis fratribus.

CONCILIVM IN DVRIA *habitum tempore* CAROLI MAGNI, & ADRIANI *Papæ* I. *anno* 775.

ANNO DOMINI DCC.LXXV. CAROLVS contra Saxones hoc anno pugnaturus, ad componendum priùs ſtatum Eccleſię & Reipublicæ Chriſtianæ, pro more ſuo piiſſimo,Epiſcopos & Abbates cõuocauit in Duria: peractoque Concilio Saxones duobus prælijs profligauit. Hæc ex Annalibus Francorum. Quæ autem in hoc aliiſue ſequentibus Conciliis ipſius monitu celebratis ſtatuta fuerint, promiſcuè ſimul in vnum librum congeſſit Anſegiſus Abbas Lobienſis, quo centum & ſexaginta octo Capita continentur. Baronius anno 775.num. 9.

CONC. WORMATIENSE *ſub* ADRIANO *Papa* I. & CAROLO *Rege celebratum anno Domini* 776.

DCC.LXXVI. CVM Rex ad debellandum Rotgardam Ducem Longobardorum Foroliuienſem in Italia profectus fuiſſet,Saxones nouam rebellionem excitarunt, deſtructoque Eresburgo caſtello, Sigisburgum magna vi expugnare tentarunt: verùm diuino miraculo ab obſidione fugati, ſeipſos partim trucidarunt , partim etiam à Francis cæſi fuerunt. Quæ dum Carolus Rex audiuiſſet, in Wormatia hanc Synodum congregauit: qua habita, in Saxoniam feſtinauit. Saxones de aduentu Caroli certiores facti,terrore perculſi, ſua ſponte deditionem fecerunt, ſeque Chriſtianos futuros non tantùm promiſerunt,verùm etiam memorabilem multitudinem in nomine SS. Trinitatis baptizandam,obtulerunt. Hæc Annales Francorum in Vita Caroli Magni.

CONC. PADERBORNENSE *ad* SAXONVM *fidem ſtabiliendam, ſub* ADRIANO *Papa* I. & CAROLO *Francorum Rege habitum anno* 777.

HAEC Synodus Paderbonæ celebrata fuit, ad ſtabiliendos & DCC.LXXVIII. confirmandos Saxones in ea fide,quam ritè & legitimè in ſuſceptione Baptiſmi profeſſi erant: habito deſuper Synodali conſeſſu, conſtitutum fuit,& re ipſa obſeruatum,vt omnes in Saxonia baptizati,iuramento firmarẽt, ſe Chriſtianam fidem perpetuò ſeruaturos: & ſi qui iuratam promiſſionem non adimplerent, illi omnium bonorum ſuorum diſpendio priuarentur. Conſtitutionem Synodicam , præter vnum Principem , Widichindum nomine, qui cum paucis hac de cauſa in Normandiã fugerat, omnes receperũt.

In eadem hac Synodo tres Saracenorum Principes ab Hiſpania venientes, ſeque cum ſuis vrbibus, quibus à Rege Præfecti fuerant,dedẽtes, magno gaudio haud dubiè excepit:de quorum aduentu Annales ſub Ludouico per domeſticum illius ſcripti produnt hæc: *Venit iiſdem & loco & tempore ad Regis præſentiam de Hiſpania Saracenus quidam nomine Ibnalarabi, cum aliis Saracenis ſociis ſuis, dedens ſe, ac ciuitates, quibus eum Rex Saracenorum præfecerat.* Eadem Acta Caroli,vetus Chronicon , Annales Francorum & Regino tradunt.

CONC. IN VILLA DVRIA

ſub ADRIANO *Papa* I. *&* CAROLO *Rege celebratum anno Domini* 779. *in cauſa* SAXONVM *perfidorum.*

ANNO DOMINI DCC.LXXIX. SEDITIO Saracenorum Regum mouerat Carolum, vt in Hiſpaniam cum exercitu proficiſceretur, & contra iniquos ac infideles Hiſpaniæ detentores arma ſumeret. Quare cùm per hanc expeditionem Carolus longiùs abeſſet, Saxones & Weſtphali ſæpiùs periuri, ſuaſu Widichindi Principis, à Carolo defectionem fecerunt, ad Rhenum vſq; obuia quæque cæde atque incendio vaſtarunt. Quare cùm prædictam Saxonum rebellionem compeſcere firmiter conſtituiſſet, more ſuo optimo, primùm curâs quæ Dei ſunt quàm bellica inchoaret, pro reformandis ſubditorum moribus, & SS. Eccleſiæ ritibus, hanc Synodum in Villa Duria congregauit. Qua peracta, aduerſus Saxones profectus, incruento bello Saxoniam & Weſtphaliam debellauit, receptiſque ab iiſdem obſidibus, rebuſque ſingulis nouo iuramento iterùm firmatis, in Franciam rediit. Hæc Annales Francorum prolixiùs, Rhegino breuiùs.

CONCIL. LIPPIENSE

de SEDIBVS EPISCOPALIBVS *in Saxonia erigendis, tempore* ADRIANI *Papæ* I. *&* CAROLI *Regis Francorum habitum anno Domini* 780.

DCC.LXXX. HOC anno Lippiæ habitam eſſe Synodum, teſtatur Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 2. De ſedibus Epiſcopalibus in Saxonia erigendis hoc Synodali cõuentu actum fuiſſe, ex eodem Crantzio colligitur. Cùm enim ipſe fateatur loco ſupracitato, hoc anno fundamenta Oſnaburgenſis Eccleſiæ iacta fuiſſe: ipſe verò Carolus in ſuo Diplomate teſtetur, Oſnaburgenſem Eccleſiam in honorem ſancti Petri Principis Apoſtolorum, & SS. Martyrum Criſpini & Criſpiniani inter alias primam à ſe erectam & fundatam eſſe, veriſſimum eſſe videtur, quòd in hac Synodo de erigendis ſedibus Epiſcopalibus actum fuerit. Poſt Oſnaburgenſem, Eccleſiam Salingenſtadienſem in Epiſcopatum erexit, eamque nomine S. Stephani Protomartyris Deo Opt. Max. conſecrauit. Extát apud Surium Acta S. Nemulphi Diaconi, in quibus aſſeritur, anno 780. ab eodem Carolo Magno paruam eſſe conſtructã Eccleſiam Paderbornæ, eique poſt annos 15. datum eſſe Epiſcopum. Ita Saxones ſæpè Euangelium profitentes, ac deſerentes, tandẽ armis Caroli in Chriſtiana Religione retenti ſunt, ſuumque Idolum, *Krodo* nominatum, forma que ſenis ſuper piſcem ſtantis, atque rotam vtraque manu tenentis (quem Saturnum eſſe dixere Latini) depictum, planè repudiarunt & abdicarunt. Vide Crantzij Hiſtoriam Saxonum libro 2. cap. 7.

SYNODVS COLONIENSIS

tempore CAROLI MAGNI, *&* ADRIANI *Papæ* I. *habita anno Domini* 782.

CARDINALIS Baronius anno 782. auctoritate Eginhardi ſcribit à Carolo Magno Coloniæ habitam fuiſſe Synodum, eique in propria perſona interfuiſſe, ac Legatos diuerſarum Gentium excepiſſe: quid verò in illa geſtum fuerit, non liquet. DCC.LXXXII.

CONCILIVM PADERBORNENSE II.

ſub ADRIANO *Papa* I. *&* CAROLO *Francorum Rege celebratum anno Domini* 785.

IN hac Synodo ſtatus Eccleſiæ Saxonicæ diſpoſitus eſt: nam cùm Widichindus, qui cum Albione Saxoniæ Principe rebellare conſueuerat, Baptiſma ſuſcepiſſet, res Saxonum quodam modo in tuto collocatæ erant: adeoq; in rebus ſtatum Eccleſiæ concernentibus hunc Synodalem DCC.LXXXV.

lem conſeſſum receperant. Eodem Synodali conſeſſu iacta creduntur fundamenta Mindenſis Eccleſiæ, cui primus præfectus eſt Epiſcopus Herimbertus. Quomodo autem hæc ſe habuerint, in Hiſtoria Saxonum refert Crantzius l. 1. c. 9. & lib. 2. cap. 23. vbi hoc memoratu digniſſimum ſcribit, quòd Widichindus, rerum Chriſtianarum adhuc rudis, à Rege quæſitus, cur mendici habitu inter mendicos ſediſſet; quídve aſpectu iucundum vidiſſet, reſponderit: *Vidi, inquit, quòd mirabar ante biduum te demiſſo vultu triſtem, incertus quid contigiſſet, quod tantum Regem contriſtaret (commemoratio fuit Dominicæ Paſſionis, quæ die Paraſceues regium vultum obſcuraſſet) rurſum, inquit, vidi hodierna die te primùm ſolicitũ, & ad rem attentiſſimum: poſtquam verò menſam adieras in templo mediam, ita hilari mihi conſpectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor enim erat videre, quòd de manu purpurati Sacerdotis ſinguli pulchellum puerum in os ſuſciperent, quem quibuſdam ludibundum arridere, vltrò properare; aliis verò abhorrentem, auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem aſpexi. Hoc quid ſit, necdum accipio. Tum Rex, Benè, inquit, profeciſti: plus tibi aliquid, quàm cunctis Sacerdotibus, & omnibus nobis eſt oſtenſum. Inde mutata veſte, manu ſecum abſtractum docuit grande pietatis myſteriũ in Altaris Sacramento. Qua re cognita, exhilaratum Ducem oraſſe, vt proprium illi Sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriuſq́; in conſpectu perageret Altaris ſacratum Myſterium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modò illi habitationem Epiſcopo dignam prouiderit. Ducem verò arcem ſuam ad VViſeram vtriuſque capacem oſtendiſſe: deditque in eiuſdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Eccleſiæ. Ferunt proinde nomen Eccleſiæ proueniſſe, quòd* meum & *tuũ quaſi communis duorum poſſeſſio ſonat in lingua Saxonum vernacula* Min, din.

Erat vir præcipua religione Herimbertus: qui cùm Carolum latere non poſſet, dignus eſt habitus, quem primum præficeret eidem Eccleſiæ Mindenſi Epiſcopum: adiecit illi miniſteriales non paucos, nec paruos, vt haberet Eccleſia defenſores ſuos. Illi verò quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant, vt partim Comites, partim Duces fierent, ſpreuiſſe Matrem videntur.

ANNO DOMINI DCCLXXXVII.

SANCTA SYNODVS VII. GENERALIS NICÆNA II.

A quo indictũ fuerit hoc Conciliũ.

HAEC ſacroſancta Synodus, prout in reliquis anterioribus Conciliis Vniuerſalibus obſeruatum eſt, rogatu, auxilio & operâ Imperatorum, iuſſu autem & auctoritate Summi Pontificis Adriani indicta & celebrata fuit. Nam in ſacra illa Diuali epiſtola, quam Conſtantinus & Irena ad Adrianum per Legatos transmiſerunt, ſubiungunt: *Vnde nunc conſtanter cum mundo corde, & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, vnà cum omnibus ſubditis noſtris, & his Sacerdotibus doctiſſimis locuti ſumus, & cum conſilio decreuimus, vt fieret Vniuerſale Concilium. Et rogamus veſtram Paternam Beatitudinem, vt det ſeipſum* (id eſt ſuo conſenſu approbet, ſolitaq́; præſentia confirmet.) Paulò pòſt enim ſubiungunt: *Aſcendat huc in ſtabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis ſuper venerabilibus Imaginibus.* quaſi dicerent: Nihil firmum & ratum eſt in Eccleſia, quod

quod tua auctoritate non eſt confirmatum: rogamus ergo, vt ad Synodicè confirmandam antiquam de ſacrarum Imaginum cultu traditionem adeſſe dignetur is, ſine cuius auctoritate nulla Synodus Vniuerſalis vmquam celebrata fuit. Hoc eſt quod paulò infrà aiunt: *Et tamquam verus primus Sacerdos, & is qui in loco & ſede ſancti & ſuperlaudabilis Apoſtoli Petri præſidet, ſicut dictum eſt, aſcendat.* Hæc de auctoritate conuocati Concilij.

Qua occaſione congregatum fuerit. Qua verò occaſione hæc Sacroſancta Synodus indicta fuerit, narratur Act. 1. in Epiſtola Conſtantini & Irenæ ad Concilium ſcripta, & in Apologia Taraſij, quæ extat apud Theophanem & Anaſtaſium in tranſlatione Concilij VII. nimirum, quòd cùm Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus ob ſimulatam fidem, & iuramento confirmatam perfidiam Iconoclaſtiæ, pœnitentiã acturus thronum reliquiſſet, vitamque Monaſticam ſuſcepiſſet, dixerit: *Niſi Synodus Vniuerſalis fiat, & error, qui eſt in medio veſtri, corrigatur, ſalutem non habebitis*: eoque dicto deſignatum ſucceſſorem Taraſium adeò commouerit, vt non niſi ſub promiſſione Oecumenici Concilij celebrandi oblatum munus Epiſcopale acceptare voluerit.

A quibus Pōtificibus approbatũ fuerit. De approbatione verò huius Concilij ſciendum, illud auctoritate Leonis confirmatũ eſſe. Sic teſtatur Iuo 4. par. cap. 157. contra calumniam auctorum illius libelli, quem ſub nomine Caroli Magni anno 1545. ſuppreſſo nomine Typographi, & loci, doloſus impoſtor Eli-Phili euulgauit. Hanc ſacroſanctam Synodum defendit Adrianus Papa in epiſtola ad Carolum Magnum: quis neget eumdem Apoſtolica auctoritate Synodum ſacratiſſimam velut oraculum Spiritus ſancti recepiſſe & approbaſſe? Illi, qui ſub Ludouico Pio interfuerunt Conciliabulo Pariſienſi, apertè profitentur, Nicænam hanc Synodum ab Adriano Papa comprobatam fuiſſe: ſed paulò pòſt eumdem Adrianum reprobaſſe eamdem, quaſi ipſa Imagines veluti Deum venerandas eſſe ſanxiſſet: ſed hoc doctiſſimè refellit Baronius, & velut commentum & malitioſam calumniam reiicit.

Fuerit verò hæc ſacroſancta Nicæna Synodus à Patribus Concilij Francofordienſis condemnata, inter viros huius ſęculi doctiſſimos grauis eſt controuerſia: alij negant, alij affirmant: ſinguli ſuas habent rationes. Nos Baronium ſecuti, dicimus, quòd Patres Concilij, mendaciis & impoſturis auctorum libri Carolini decepti, Nicænam Synodum, quaſi ipſa Imagines cultu latriæ ſoli Deo debito colendas eſſe ſanxiſſet, ſuo decreto reprobarint & condemnarint: quodque non ſolùm Legati Sedis Apoſtolicæ, verùm etiã ipſe Adrianus Papa, poſtquam libellum à pluribus auctoribus contra Nicęnam Synodum & cultum Imaginum conſcriptum à Carolo Imperatore ad ſe miſſum accepiſſet, Concilium Oecumenicum propugnauerit, Actáque Francofordienſis Concilij illa, quæ contra Nicænam Synodum geſta erant, caſſa atque irrita reddiderit. Hanc eſſe communem Hiſtoricorum & antiquiſſimorum Scriptorum ſententiam, probat teſtimoniis plurimis.

Quantum ad rem principalem ergo, pro qua hæc Synodus congregata eſt, ſcilicet vt hæreſis Iconoclaſtarum condemnaretur, ſciendum, quòd hoc ſeptem Actionibus factum eſt.

Prima quarum habita fuit octauo Kalendas Octobris, Indictione 11. menſe Septembri tunc inchoata. Exordio illius ad rogationem Epiſcoporum Siciliæ, Taraſius cauſam cogendæ Synodi prælocutus, ſingulos admonuit, vt aduerſus exortam hæreſim ſtrenuè agerent. Ex ſuggeſtione Conſtantini Epiſcopi Conſtantiæ Cypri deinceps iuſſi ſunt adeſſe Epiſcopi, de hæreſi Iconoclaſtarũ accuſati. Quibus præſentibus, iuſſu Synodi lectæ ſunt literæ Imperatorum, *Actionis primæ compendioſa relatio.*

torum, quibus ſignificabant, quòd exemplo Pauli Conſtantinopolitani Patriarchæ ſe Epiſcopatu abdicantis, errorem deteſtantis, atq; ad Oecumenicum Concilium celebrandum adhortantis; animo perculſi, conſtituiſſent fidem Catholicā exulantem reuocare: quodque tantæ molis ſtructuram à creatione Taraſij Catholici Epiſcopi inchoaſſent. Porrò inter alia exhortationis verba ad Synodum habita, hęc, quæ obſcurè abſque germano ſenſu leguntur in Vulgatā editione, apud Anaſtaſium ita leguntur: *Igitur quoniam à toto terrarum orbe collegit nos Deus conſilium ſuum ſtatuere volens, ecce propoſitis ſanctis Euangelijs, & intelligibiliter clamantibus, Iuſtè iudicate, ſtate ſtabiles pietatis propugnatores, & omnem nouitatem vocum, & nouiter apparentem ſeditionē recidere procurate, quemadmodum & Petrus primus Princeps collegij Apoſtolici, qui ſeruilis deceptionis amentia percuſſa, Iudaicæ auditionis ſenſum gladio abſtulit: extendite ſecurim Spiritus, & omnem arborem germinantem fructum contentionis, & introductæ nouitatis, aut magiſtralibus vocibus tranſplantate, aut Canonicis increpationibus concidite, & in ignem futuræ gehennæ tranſmittite*, &c.

His præmiſſis, eas quas ab Adriano Pontifice de congreganda Synodo literas acceperat, produxit, eaſque legi procurauit: ſicut etiam quaterniones illos, quos tres Orientales Patriarchæ per ſuos Legatos ad Synodum deſtinauerant. Quibus perlectis, ſancta Synodus Imperatoribus de fide Catholica optimè merentibus benè precata, conuerſa eſt ad cognitionem lapſorum Epiſcoporum Baſilij Ancyrani, Theodoſij Myrenſis, atque Theodoſij Amorij. Qui omnes ante ſacrum Concilij conſeſſum ſtantes, ſuamque hæreſim abiurantes, in Eccleſiam recipi, & veniam petiuerunt, eamque non grauatè impetrarunt, quando alij poſt alios fidei Catholicæ profeſſionem edidiſſent, atque Iconoclaſtarum hęreſi anathema dixiſſent. Poſt hos ad Synodalem conſeſſum receptos, producti ſunt alij Epiſcopi pariter lapſi, ſcilicet Hypatius Epiſcopus Nicænus, Leo Rhodienſis, Gregorius Piſidię, Gregorius Peſſinuntis, Leo Iconij, Nicolaus Hierapolis, Leo Carpathi: cumque horum fides non adeò explorata eſſet; prolixior de ijs cognitio adhibita fuit. Taraſius Conſtantinopolitanus Patriarcha dum Leonis Rhodienſis fidem explorat, audiſſetque illum multo tempore in eadem hæreſi permanſiſſe, illam auream memoratu dignam dixit ſententiam: *Diuturniores paſſiones difficiliores ſunt ad curandum: ſic & anima, quæ in obſcuro eſt hæreſeos, lumen Orthodoxiæ difficilè recognoſcit.* Quomodo autem prędicti lapſi Epiſcopi, & qui ab ipſis fuerant ordinati, in Eccleſiam recipiendi eſſent, ex ſacris antiquis Canonibus, ſanctorumque Patrum Aſſertionibus ex Codicibus è Patriarchio in Synodum allatis, facta eſt prolixior diſquiſitio. Taraſius inter diſſerendum interlocutus oſtendit, eiuſdem hæreſim iam diu antè ab improbis hęreticis Marcioniſtis, Manichæis, Petro Fullone, Xenaia Hierapolitano, atque Seuero plantatam, adeòque potiùs hoc tempore renouatam quàm adinuentā eſſe. Cumque ad hoſce recipiendos quidam Epiſcopi Orthodoxi ſe difficiliores præberent, quidam Epiſcopus, Iuuenalis nomine, commiſeratione permotus, ex ſua ſede ſurgens, eamdem cum lapſis excepturus ſententiā ſe illis immiſcuit: idque vt faciliùs veniam, quam petebant, cōſequerentur. Quod cùm eadem intentione etiam Illyrici Epiſcopi feciſſent, receptionem eorum in ſequentem Actionem placuit differre.

Secunda Actio celebrata eſt 6. Kalendas Octobris, in qua Taraſius diligenter examinauit, num Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus lapſus, verè an fictè pœniteret, & Eccleſiæ Catholicæ reſtitui cuperet: ſed cùm ille ex intimis præcordiis verè pœnitentis ſigna edidiſſet, mandatum eſt illi, vt libellum ſupplicem, quo ſe verè Catholicum eſſe pro- *Actionis ſecunda compendioſa deſcriptio.*

profiteretur, ipſe conſcriberet, & ſequēti Actione Synodo offerret. Poſt hæc lectæ ſunt literæ, quas Adrianus Papa ad Imperatorem, & Taraſium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, De primatu Eccleſiæ Romanæ, De ſacrarum Imaginum cultu, aliiſve fidei articulis conſcripſit. His abſolutis, Legati Sedis Apoſtolicæ interloquentes rogarunt, quid Taraſius, quidve vniuerſa Synodus de iiſdem ſentiret. Reſpondet Taraſius: *Confirmamus, atque permanebimus in ſignificatione literarum quæ lectæ ſunt, imaginales deſcriptiones* (id eſt, quæ ad ſacras Imagines pertinent) *ſuſcipientes, ſecundùm antiquam Patrum noſtrorum traditionum*, &c. Cumque ad eorumdem Legatorum Sedis Apoſtolicæ interpellationem, ſancta Synodus de iiſdem literis reſpondiſſet: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus:* Legati Patriarcharum Orientalium magnis præconiis eaſdem Adriani Epiſtolas, fidemq; Taraſij extulerunt, ac deinceps cum reliquis Epiſcopis & Archimandritis omnibus eaſdem ſua ſubſcriptione confirmarunt.

Tertiæ Actionis compendioſa enarratio.

Tertia Actio, ſecundùm accuratiorem Anaſtaſij verſionem celebrata habetur 3. Kalendas Octobris. In hac propoſita eſt in primis cauſa Gregorij Neocæſarienſis Epiſcopi, quem cùm nonnulli ad Eccleſiam, non autem ad Epiſcopatum priſtinum recipiendum eſſe dixiſſent; ideò quòd Iconoclaſtarum anteſignanus fuiſſet, atq; Orthodoxos tempore perſecutionis in Oriente grauiter vexaſſet, decretum eſt tandem auctoritate Legatorum Sedis Apoſtolicæ, vt vnà cum collegis in ſedem ſuam recipiatur: maximè quia obiectum illi perſecutionis crimen probari non poſſet. Poſt hæc iuſſu Concilij recitatæ fuerunt Epiſtolæ, quas Taraſius dederat ad Patriarchas Orientales; quáſve eorumdem Patriarcharū nomine Monachi Palæſtinæ Taraſio reddiderant. Quibus approbatis, Legati Sedis Apoſtolicæ nomine trecentorum decem & octo Patrum, qui anteà in eadem ciuitate Nicænum Primum Concilium collegerant, aliter ſentientibus anathema dixerunt: cùmque eamdem ſententiam ſacroſancta Synodus planè approbaſſet, ſuaque ſubſcriptione corroboraſſet, fauſtis acclamationibus Imperatoribus oblatis, finis huic Actioni impoſitus fuit.

Quartæ Actionis deſcriptio breuis.

Quarta Actione, quæ iuxta tranſlationem Athanaſij ipſis Kalendis Octobris celebrata eſt; omnium ſententiâ iuſſa ſunt adferri ſacra volumina, ex quibus de cultu ſacrarum Imaginum teſtimonia recitarentur: primumq; ex diuina Scriptura tam veteris quàm noui Teſtamenti, inde ex ſanctorum Patrum ſacris voluminibus decerptæ ſententiæ. Addita eſt lectio hiſtoriæ de Imagine illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam Iudæi circa tempora Cōſtantini & Irenæ, Beryti in Syria iterùm crucifixerunt, clauis perforarunt, & poſt turpes irriſiones, contumelias, & conſpurcationes lanceâ transfoderunt. De qua memorabile illud cōtinet hiſtoria eadē, quòd cùm latus Imaginis lanceâ perforaſſent, ſanguis & aqua copioſè profluxerint: ex quo illi quidē in admirationem verſi, nec tamen conuerſi, nouum experimentum tentant, ſi homines malè affecti & morboſi, eo ſanguine aſperſi ſanarentur. Quod cùm reuerà præſtitum eſſet, Deo corda eorum attingente, omnes abnegata perfidia, in Chriſtum crediderunt, & Baptiſmum ſuſceperunt. Recitatam hiſtoriam Patres Concilij audientes, lacrymis ſunt perfuſi, non aliter, quàm ſi crucifixionem Saluatoris ex vno Euangeliſtarum acceptam recitari audiuiſſent. His locis, & auctoritatibus variis de ſacrarum Imaginum veneratione allatis & recitatis, ſubiuncta eſt lectio Epiſtolarum Gregorij Papæ II. & Germani Conſtantinopolitani Epiſcopi. Ad poſtremum ſacra Synodus ſe antiquis traditionibus & Patrum ſententiis inhærere profeſſa, anathematiſmos ſuperioribus

Imago Chriſti crucifixa, & lanceâ perforata ſanguinem & aquam emittit; quo infirmi aſperſi ſanantur.

Crucifixores omnes conuertuntur, & Baptiſmum recipiunt.

bus

bus ſimiles promulgauit, omniumque Epiſcoporum ſubſcriptione firmauit.

Quintæ Actionis compendioſa relatio.

Quinta Actio collecta eſt 4. Nonas Octobris, in qua Taraſius oſtendit, Iconoclaſtas Iudæorum, Saracenorum, Gentilium, Samaritanorum, & Manichæorum ſectarios eſſe; refutatiſque eorum argumentis, quæ pro confirmatione ſuæ hæreſeos attulerant, alia plura teſtimonia ad comprobandum ſacrarum Imaginum cultum recitari mandauit. Poſt hæc euidenter demonſtrauit, quòd Anaſtaſius, Conſtantinus, & Victor, Patriarchæ hæretici tempore vigentis perſecutionis ſacros Codices, in quibus de venerando cultu ſacrarum Imaginum mentio aliqua inueniebatur, corruperint, aboleuerint, & incenderint. Denique his peractis, ſententia & decreta Legatorum Sedis Apoſtolicæ iterati aduerſus Iconoclaſtas anathematiſmi, finiſque quintæ Actioni impoſitus fuit.

An Angeli & animæ definitione huius Concilij ſint corporea.

Notandum, quòd hac Actione Ioannes Theſſalonicenſis ait, Angelos & animas eſſe corporeas, idemq; cum Baſilio & Athanaſio vniuerſam Eccleſiam ſentire, falſum eſt, & ab Eccleſia nequaquam receptum: quod autem ex profeſſo & inſtituto Synodi allegabat, Angelos & animas pingi poſſe, iudicio Eccleſię probatum eſt: rationem, quam ille ibidem intulit, Synodus non curauit: vtpote quod de retinendo vſu Imaginum dumtaxat in ea ageretur.

Sexta Actio deſcribitur, & emẽdatur.

Sexta Actione, quæ non pridie (vt habet vulgata editio) ſed tertio Nonas Octobris, teſte Anaſtaſio, celebrata fuit Definitio fidei, quam in Pſeudoſeptima Synodo Conſtantinopolitana ſub Copronymo habita Iconoclaſtæ ediderunt, ſub nomine Gregorij Neocæſareenſis Epiſcopi recitata fuit: Ioannes & Epiphanius viri Orthodoxi eamdem doctiſſimè refutarũt. Vnde quòd Gregorius imaginem Chriſti Euchaſtiam nominat, Iconoclaſtis noſtri temporis parum patrocinatur: nam quod ille hac Actione dixiſſe fertur, ſub nomine Iconoclaſtarum propoſuit, & ab Orthodoxis verbum imaginis in Euchariſtia planè deteſtantibus eſt refutatum.

Septimæ Actionis res geſtæ.

Cumque ita ſuperioribus Actionibus perfidia Iconoclaſtarum iam ſatis refutata & condemnata fuiſſet, ſeptimam & vltimam Actionem tertio Idus Octobris celebrantes, ediderunt Catholicæ fidei Definitionem, in Concilio Florentino ſeſſ. 5. recitatam & approbatam, in qua ne cum Iconoclaſtis in aliquo dogmate communicarent, profeſſi ſunt, Spiritum ſanctum, quod illi negabant, à Patre Filioque procedere, atque imagines Deiparæ Virginis aliorumque Sanctorum, nòn minùs quàm S. Crucis retinendas & colendas, non tamen cultu latriæ propter ſe atq; ex ſua natura adorandas eſſe. Hanc limitationem addendam eſſe putaui, in gratiam Scholaſticorum quorumdam Theologorum, qui docent, Chriſti Redemptoris atque ſanctiſſimæ Crucis imaginem latriæ cultu reſpectiuè adorari poſſe. Qua in re à Definitione Concilij non reipſa, ſed verbis tantùm & modo loquendi diſcrepare videntur.

Imago Chriſti & Crucis latria cultu veneranda.

His itaque in Synodo definitis, decimo Kalendas Nouembris Actione (ſecundùm nouam editionem) octaua, editum fidei Decretum vniuerſa Synodus acclamando, & contrarium ſentientes anathematiſmis execrando approbauit, ſuaque ſubſcriptione firmiter corroborauit. Et denique viginti duos Canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinẽtes ediderunt, vt infrà.

DEFINITIO *ſancta, magna, & Vniuerſalis in* NICAEA SYNODI II. *quæ eſt Septima.*

In hac Definitione Primò approbant ſex Vniuerſales Synodos. Deinde pronuntiant, profitenturque Symbolum fidei. Tertiò damnant omnes hæreticos, quos & ſex Vniuerſales Synodi damnauerant. Vltimò ſubiiciunt ſic: Fatemur autem vnanimiter nos

Traditiones. Eccleſiaſticas Traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas, retinere velle: quatum de numero eſt Imaginum effiguratio, vt quæ hiſtoriæ Euangelicæ promiſſionis concinat ad credulitatem veræ & non phantaſticæ incarnationis Dei, & ad vtilitatem ſimilitudinis, quam nobis exhibet vtiliter inuentam. His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua ſanctus Spiritus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus, cum omni diligentia & cura venerandas & ſanctas Imagines ad modum & formam venerandæ & viuificãtis Crucis è coloribus & teſſellis, aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas habendaſque, tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in viis publicis; maximè autem Imaginem Domini & Dei Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorũ Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum. *Imaginũ cultus.* Quò ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplãtur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & deſiderium veniant, illiſque ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant. Non tamen ſecundùm fidem noſtram, veram latriã, quæ ſolùm diuinæ naturæ competit; ſed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis Crucis, & ſanctis Euangeliis, & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum, & luminarium reuerenter accendimus, quemadmodum veteribus piè in conſuetudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypum reſultat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum. Sic enim noſtrorum ſanctorum Patrum obtinet diſciplina, vel traditio Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus vſque ad fines Euangelium ſuſcepit. Igitur qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contaminare, aut nouam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de conſecratis in Eccleſia abiicere, Euangelij inquam depictum codicem, aut figurã Crucis, aut Imaginis alicuius picturam, aut Reliquias Martyrum, quas ſciuerit eſſe germanas & veras, *Reliquiæ Sanctorum venerãdæ.* aut contra iſta vafrè & improbè aliquid cogitare, quod ſit contra conſtitutionem Eccleſiaſticam, aut vti tamquam communibus, ſacratis Deo, repoſitis pretioſis, aut Monaſteriis reuerendis: ſi fuerint Epiſcopi aut Clerici, deponuntor; ſi Monachi aut laici, communione priuantor.

Sancta Synodus exclamauit: Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes approbantes ſubſcribimus. Hęc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmauit. Credentes in vnum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines amplexamur. Qui ſecùs agunt, anathemate percelluntor: qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſia depelluntor.

Quicumque ſententias ſacræ Scripturę de idolis contra venerandas Imagines adducunt, anathema.

Qui venerandas Imagines idola appellant, anathema.

Qui dicunt, quòd Chriſtiani Imagines vt Deos adorant, anathema.

ANNOTATIO.

Circa Imaginum adorationem ſciẽdum, quòd aliqui graues Doctores Scholaſtici tenent, quòd idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Chriſti imago ſit adoranda cultu latriæ: B. Mariæ cultu hyperduliæ: Sanctorum aliorum cultu duliæ. Ita S. Bonauentura in 3. diſt. 9. Marſilius, Almainus, Carthuſianus, Capreolus, S. Thomas in 3. par. quæſt. 25. art. 3. & ibidem Caietanus, Alexander de Ales, 3. p. q. 30. art. vlt. & alij. Sed Concilium hîc clamat, Imagines adorandas, ſed non latriã. Similiter noſtro tempore Concilium Senonenſe, c. 14. & Concilium Moguntinum, c. 41. dicunt, à Con-

à Concionatoribus debere moneri populum, ne Imagines adoret; quod ſine dubio intelligitur de adoratione latriæ. Et modus loquendi Conciliorum, eſt modus loquendi Eccleſię, & proinde ſequendus ab iis qui nolunt errare. Præterea, nullæ ſunt exactiores formulæ loquendi in materia fidei, quàm ex quibus vtuntur qui hæreſim abiurant: atque in hoc Concilio Act. 1. Baſilius Ancyranus, & Act. 3. Conſtantinus Cypri Epiſcopus abiurantes hæreſim, dicunt, ſe recipere & colere Imagines, non tamen latriâ. Item Gregorius lib. 7. epiſt. 109. & lib. 9. epiſt. 9. monet Serenum Epiſcopum, vt populum inſtruat, ne Imagines adoret: & ſæpiùs repetit, non debere Imagines adorari. At certè loquitur de adoratione latriæ; nam alioqui Imagines venerabiles eſſe non negat. Porrò Ioannes Damaſcenus lib. 1. & 3. Apolog. ſæpiùs repetit, Imagines honorari debere, ſed nullo modo latriâ.

Dicendum ergo, Imagines poſſe coli impropriè, vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar ipſum colitur; & ſic intelligi debent Scholaſtici citati: per ſe verò & propriè non ſunt adorandæ eodem cultu quo ipſum exemplar, ſicut Concilium prohibet.

Qui ſcienter communicant cum illis, qui contra venerandas Imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant, anathema.

Qui præter Chriſtum Dominum Deum noſtrum dixerit, alium nos à cultu idolorum liberaſſe, anathema.

Qui audent Eccleſiam Catholicam dicere idola aliquando ſuſcepiſſe, anathema.

Si quis ex Iconoclaſtarum hæreſi aliquem exiſtentem defenderit, anathema.

Si quis Deum ſecundùm humanitatem non circumſcriptibilem confeſſus fuerit, anathema.

Si quis Euangelicas narrationes per picturam repræſentatas non acceptauerit, anathema.

Si quis has non ſalutauerit in nomine Domini, & Sanctorum eius, anathema.

Si quis traditiones Eccleſiæ ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes non curauerit, anathema.

Sequuntur CANONES *Septimæ Synodi Generalis.*

IN CANONE I. huius ſanctæ Synodi hæc dicunt Patres: A ſanctis Apoſtolis priùs editos Canones, & à ſanctis Vniuerſalibus & localibus Synodis amplectentes, eos anathematizamus, qui ab ipſis anathematizati fuere; deponimus, qui depoſiti fuere; nihilque his adiicimus: non inexplebiles vt auari exiſtentes, ſed his quæ ab illis conſtituta ſunt, contenti ſumus. Atque hic eſt quidem ſcopus huius Canonis.

CANON II.

Non ordinandus quiſpiam, niſi ſaltem benè norit Pſalterium.

DECERNIMVS, quemlibet quidem, qui ad Epiſcopalem gradum eſt prouehendus, Pſalterium omnino noſſe, vt ex eo omnem quoque ſuum Clericum ita initiari moneat. A Metropolitano autem benè examinari, an ad ſacros Canones diligenter ac cum perſcrutatione, non autem curſim obiterq; legendos, prompto paratoque ſit animo, & ſacrum etiam Euangelium, & librum diuini Apoſtoli, omnemq; diuinam Scripturam & in diuinis præceptis verſari, & populum docere. Noſtrę enim Hierarchiæ ſubſtantia ſunt eloquia diuinitus tradita, diuinarum ſcilicet Scripturarum vera ſcientia; ſicut & Magnus Dionyſius oſtendit. Si quis autem dubius fuerit animi, & non lubenter hæc facere & docere voluerit, non ordinetur. Prophetice enim dicit Deus: Tu repuliſti ſcientiam, & ego te repellam, ne ſis mihi Sacerdos.

Diſt. 38. c. Omnes pſallentes. Oſee 4.

CANON III.

Electiones Epiſcoporum, quæ vi Principum procedunt, infirmari debent.

OMNEM electionem, quæ fit à Magiſtratibus Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere ex Canone dicente: Si quis Epiſcopus magiſtratibus ſæcularibus vſus, per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur, & ſegregetur, & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum qui eſt prouen-

31. Can. Apoſt. 16. q. 7. Si quis Epiſc.

mouendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi, quemadmodum à ſanctis Patribus Nicææ decretum eſt Canone 4.

CANON IV.

Pœna talionis puniendus Antiſtes, qui iniuſtè Clericos arcet, vel templa claudit.

PRAECO veritatis Paulus, quemdam veluti Canonem Epheſiorum Presbyteris imponens, vel vniuerſæ potiùs Sacerdotali multitudini, ſic liberè dixit: Argentum, vel aurum, vel veſtem nullius concupiui; omnia vobis oſtendi, quoniam oportet ſic laborantes infirmos acquirere & apprehendere, dare beatum exiſtimantes. Quocircà nos ab eo edocti ſtatuimus, ne turpis lucri gratia Antiſtiti in mentem veniat quærenti excuſationes in peccatis, aurum, vel argentum, vel vllam aliam ſpeciem ab ijs qui ſibi ſubſunt Epiſcopis, vel Clericis, vel Monachis exigere. Dicit enim Apoſtolus: Non debent liberi parentibus theſaurum parare, ſed parentes liberis. Si quis ergo per auri exactionem, vel alicuius alius ſpeciei, vel propter aliquam propriam affectionem à miniſterio arcere inuentus fuerit, vel ſegregare ſuorum Clericorum aliquem, vel venerandum templum claudere, ne in eo fiant diuina myſteria; talionis erit legi obnoxius, vt qui ſit mandati Dei tranſgreſſor. Præcepit enim & Petrus Apoſtolorum ſummus: Paſcite gregem Domini non coactè, ſed ſponte, &c.

Act. 20. 2. Cor. 12. 1. Pet. 5.

In CANONE V. definiunt Patres ſeuerè puniendos Clericos, qui per auri dationem primas ſedes, prioreſque honores quærunt.

CANONE VI. definitur, ſaltem ſemel in anno celebrari Synodos Prouinciales, ſicut Patres Sextæ Synodi in Trullo ſtatuerunt, Can. 8. Additur autem, non licere Metropolitano ex his quæ ſecum affert Epiſcopus, vel iumentum, vel aliquam rem aliam petere. Si verò hoc feciſſe deprehenſus fuerit, reddet quadruplum.

CANON VII.

Vt templa ſine Reliquiis Sanctorum non conſecrentur.

QVI venerabilium Imaginum aſpectum ex Eccleſia ſuſtulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oporteat renouari, & tam ex Iure ſcripto, quàm non ſcripto ſic obſeruari. Quæcumque ergo templa conſecrata ſunt abſque ſacris Reliquiis Martyrum, in eis fieri ſtatuimus Reliquiarum depoſitionem cum conſuetis precibus. Qui autem templum conſecrauerit ſine ſanctis Reliquiis, deponatur.

CANON VIII.

Quòd non oportet Hebræos recipere, niſi quando ſincero corde conuerſi fuerint.

QVONIAM Hebræorum Religionis quidam errantes Chriſtum Deum noſtrum ſubſannare viſi ſunt, ſeſe Chriſtianos eſſe fingentes, ipſi autem clanculùm eum negantes, Sabbata obſeruantes, & multa alia Iudaica facientes: ſtatuimus, vt nec ad communionem, nec ad orationem, nec ad Eccleſiam admittantur, ſed apertè ſint ſecundùm ſuam Religionem Hebræi; & nec filios eorum baptizent, nec ſeruum emant, vel poſſideant. Si autem ex pura & ſincera fide quis eorum conuertatur, & ex toto corde confeſſus fuerit, eum recipiant, & baptizent eorum filios. Et caueant ipſi, ſe ab Hebræorum ſtudiis & inſtitutis deſtituturos. Si autem non ita ſe gerant, eos nullo admittant modo.

CANON IX.

Hæreticorũ ſcripta vulgò non permittuntur.

PVERILIA omnia ludibria, furioſaque ac inſana dicta ac ſcripta, quæ aduerſus ſanctas Imagines edita ſunt, oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt cum reliquis hęreticis libris reponantur. Si quis autem hæc celare inuentus fuerit, ſi ſit Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur: ſi autem laicus, aut Monachus, ſegregetur.

CANON X. eſt Can. 17. & 18. Sextæ Synodi in Trullo, etiam 13. & 23. Chalcedonenſis.

CA-

CANON XI. eſt Can. 26. Concilij Chalcedonenſis.

CANON XII. eſt Can. 39. Apoſt. Cauit Synodus alienandas res Eccleſiæ aut Monaſterij.

CANON XIII. eſt Can. 24. in Concilio Chalcedonenſi, & 49. & Canon 9. Synodi in Trullo.

CANON XIV.

Abſque Epiſcopi manus impoſitione nullus fiat Lector.

NVLLVS efficiatur Lector abſque Epiſcopi manus impoſitione. Hoc ipſum etiam in Monacho ſeruetur. Lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio Monaſterio etiam ſoli Monaſterij Præfecto facere, ſi ipſi Præfecto ab Epiſcopo manus eſt impoſita. Similiter & ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos, Epiſcopi permiſſu, oportet per manuum impoſitionem Lectores creare.

CANON XV.

Ne aliquis Clericus in duabus collocetur Eccleſiis.

CLERICVS ab hoc deinceps tempore in duabus Eccleſiis non collocetur: hoc enim eſt negotiationis & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Ab ipſa enim Domini voce audiuimus, non poſſe quemquam duobus dominis ſeruire, aut vnum amplectetur, & alterum negliget. Vnuſquiſque ergo (vt vox eſt Apoſtolica) in eo in quo vocatus eſt, debet manere, & in vna Eccleſia aſſidere. Quę enim propter turpe lucrum fiunt in Eccleſiaſticis negotiis, ea à Deo ſunt aliena. Ad huius autem vitæ vſum ſunt diuerſa ſtudia: ex his ergo ſi quis velit, ea quæ ſunt corpori ad vſum neceſſaria, comparet. Dixit Apoſtolus: Vſui meo, & his qui mecum ſunt, ſubminiſtrauerunt manus meæ. Et hęc quidem in hac regia ciuitate; in his autem qui extra ſunt locis, propter hominum inopiam permittitur.

Math. 6.
1. Cor. 7.
Act. 20.

CANON XVI.

Ne inſignem veſtem induat Clericus.

OMNIS ornatus corporeus eſt à Sacerdotali Ordine alienus. Epiſcopos ergo vel Clericos, qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, corrigere oportet. Sin autem permaneant, ſupplicio tradi: ſimiliter & eos qui ſunt vnguentis delibuti. Et ſi inuenti fuerint aliqui, qui eos qui vilem & modeſtum amictum induti ſunt, irrideant, pœna corrigantur: à ſuperioribus enim vſque temporibus, omnis vir Sacerdotalis cum moderato & honeſto indumento verſatur.

21. qu. 4. Omnis iactantia.

In CANONE XVII. prohibetur, ne alicui Monacho permittatur Oratorium extra Monaſterium ædificare, ſi non habeat ea quæ ad perfectionem domus pertinent.

In CANONE XVIII. cauetur, ne vlla ratione in Epiſcopatu aut Monaſterio mulier aliqua, ancilla vel libera verſetur ad aliquod miniſterium. Si ſecùs fiat, Epiſcopus aut Præfectus deponatur.

CANON XIX. eſt Can. 2. Synodi Chalcedonenſis. Additur ad illud, ne quis admittatur in Monaſterio per largitionem pecuniæ, excepta ea quæ datur liberis à parentibus inſtar dotis, vel cùm ſponte offertur.

CANON XX.

Ne fiant duplicia Monaſteria.

STATVIMVS, non fieri duplex Monaſterium, quoniam hoc fit multis ſcandalum & offenſio. Si quæ autem ſunt duplicia, ſeruetur ſecundùm Conſtitutionem Patris Baſilij, quæ ſic definit: *In vno Monaſterio ne verſentur Monachi & Monachæ; nec Monachus liberè cum Monacha loquatur*, &c. *Si autem eueniat vt aliquam cognatam Monachus velit aſpicere, præſente Præfecta cum ea colloquatur exiguo & breui ſermone; mox ab ea recedat.*

18. qu. 2. Definimus.

CANON XXI.

NON oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monaſterium, & ad aliud ſe conferre. Si

Digitized by Google

autem hoc contigerit, ipſum in hoſpitem accipi eſt neceſſarium.

CANON XXII.

PRAESENS Canon prohibet laicis, ne cum ſcenicis ludicris, & ſaltationibus, aut meretriciis vocibus comedãt, ſed ei qui nutrimentum dat, gratias agant. Porrò Monachis & Sacerdotibus præcipit, ne ſimul cum mulieribus comedant, etiam ſi cognatę fuerint, niſi peregrè verſentur, & non haberent ea quæ ſunt ad vſum neceſſaria. Hic eſt huius Canonis ſcopus.

CONCIL. FOROIVLIENSE

à PAVLINO *Aquileiẽſi in cauſa* SS. TRINITATIS, *&* INCARNATIONIS VERBI DIVINI *congregatum ſub* ADRIANO *Papa* I. *anno Domini* 791. *&* CAROLI MAGNI 23.

ANNO DOMINI DCC. XCI.

HIS temporibus duæ diuerſæ hæreſes Eccleſiam indeuaſtabant: vna de proceſſione Spiritus ſancti: altera de Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. De Spiritu ſancto controuertebatur, An is à ſolo dumtaxat Patre, vel à Patre ſimul & Filio procederet? Antiquam controuerſiam aduerſus hæreſes ſæpiùs antehac damnatas Paulinus doctiſſimè decidit, oſtendens Patrem & Filium vnum eſſe principium proceſſionis Spiritus ſancti, adeoque impium & blaſphemum videri, contra ſententiam ab vniuerſæ Eccleſię temporibus ſancti Leonis Magni receptam, nouos errores concitare. De Incarnatione Verbi Diuini Elipandus Toletanus Epiſcopus in Hiſpania, & cum eo, quem ipſe ſeduxerat Felix Vrgelitanus Epiſcopus aſſerebant, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſecundùm naturam diuinam dicendum eſſe Dei Filium naturalem, ſecundùm humanitatem verò eumdem Filium Dei adoptiuum eſſe nominandũ. Quæ doctrina cùm duos Filios aſſereret, adeoque Neſtorianiſmum iam diu antè condemnatum reſuſcitaret, Paulinus recitatione Symbolorum Nicæni & Conſtantinopolitani eamdem ſolidiſſimè refutauit, exploſit, & condemnauit. Demùm verò in hac eadem Synodo poſt tractationem dogmaticarum diſputationum abſolutam, ſanciti ſunt 14. Canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes, prout ſequitur.

I. Vt nullus, Canonicas & Apoſtolicas definitiones ignorans, inordinatè vel inhoneſtè in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, conuerſetur. Illud ſummoperè vigilantique ſtudio præcauentes decernere curauimus, vt nullus Canonicæ deditus ditioni, donum ſancti Spiritus, pecuniæ pretio fraudulenter deceptus, vendere vel emere præſumat.

II. Vt longè altiùs excellat vita paſtoris comparata ſubditi gregis.

III. Vt ſobriè, piè, caſteque iuxta Apoſtolum viuentes, fugiamus turpis lucri gratiam.

IV. Vt nullus patiatur ſubintroductas mulieres ſecum in domo propria habitare, vel priuatè cum eis cohabitantes conuerſari.

V. Vt ſæcularia negotia vltra modum menſuræ nulli liceat exercere.

VI. Vt mundanas actiones in venationibus, vel in canticis ſæcularibus, aut in irreſoluta & immoderata lætitia in lyris, & tibiis, & his ſimilibus luſibus nullus Eccleſiaſticus audeat abuti: niſi fortè, ſi in Hymnis & ſpiritualibus Canticis delectatur, de ſacris videlicet Scripturarum voluminibus dignè honeſteque compoſitis vtatur.

VII. Vt nullus Epiſcoporum Presbyterum, vel Diaconum, vel Archimandritam in diſpendio honoris condemnare præſumat, abſque huius venerandæ Sedis conſultu.

VIII. Vt nemini liceat furtim raptimque nuptias contrahere.

IX. Vt nullus præſumat ante annos pubertatis, id eſt infra ætatem, puerum vel puellam in matrimonium ſociare, nec in diſſimili ætate, ſed coætaneos, ſibique conſentientes.

X. Vt quamdiu adultera viuit, non liceat

licead viro ab ea ſeparato aliam vxorem ducere: ſed nec adulteræ alium virum, ipſo priori viuente.

XI. Mulieres cuiuſcumque conditionis, quæ virginitatis ſiue continentię propoſitum ſpontaneè pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, & ob continentiæ ſignum nigram veſtem, quaſi religioſam, indutæ fuerint, licet non ſint à Sacerdote ſacratæ, in hoc tamen propoſito eas perpetuò perſeuerare mãdamus.

XII. Vt Monaſteria puellarum, quę ſub diſciplina Regulæ degunt, obſtructiùs munitis clauſtris, nullo pateant, niſi fortè ſumma neceſſitate compellente, aditu virorum.

XIII. Diem Dominicum inchoante noctis initio, quando ſignum inſonuerit, cum omni reuerentia & honorifica religione venerari omnino mandamus: abſtinere primùm ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à propriis coniugibus, & ab omni opere terreno, & ad nihil aliud vacare, niſi ad orationẽ, & concurrere ad Eccleſiam cum ſumma mentis deuotione.

XIV. Vt ſoluantur decimæ.

CONC. RATISPONENSE,

in quo FELIX *Vrgelitanus Epiſcopus condemnatus eſt, anno Domini 792. tempore* ADRIANI *Papæ &* CAROLI MAGNI. *Regis Francorum.*

ANNO DOMINI DCC. XCII. De huius Synodi cauſa & occaſione Annales Francorum ſub Ludouico conſcripti ſic habent; quòd Felix Epiſcopus Vrgelitanus, natione Hiſpanus, ab Elipando Toleti Epiſcopo per literas conſultus, quid de humanitate Saluatoris Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſentire deberet, vtrùm ſecundùm id quod homo eſt, proprius, an adoptiuus filius credendus eſſet, atque dicendus; valdè incáutè atque inconſideratè, & contra antiquam Eccleſiæ doctrinã adoptiuum non ſolùm pronuntiauit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris pertinaciſſimè prauitatem opinionis ſuæ defendere curauit. Et hac virulenta doctrina ipſe, & Claudius Taurinenſis Epiſcopus, Hiſpaniam magna ex parte infecerunt. Deinde Apoſtolorum Chriſti actus imitari videri volentes, vnuſquiſque ſeparatim diuerſas Prouincias eadem inſana ſua doctrina imbuendas appetiuere. Quibus apertiſſimè cognitis, cùm admoniti non deſiſterent, auctoritate S. Romanæ Eccleſiæ & Principis iuſſu coacto Concilio Patres eumdem Felicem condemnarunt, imò cum auctore ſui erroris Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipatunt. Sed Felix ductus ad Palatium Regis (Caroli ſcilicet) qui tunc apud Reginum Boioariæ ciuitatem, in qua hiemauerat, reſidebat, & ibi congregato Epiſcoporum Concilio, auditus eſt, & erraſſe conuictus, ad præſentiam Adriani Pontificis Romam miſſus, & ibi etiam coram ipſo in Baſilica S. Petri hæreſim confeſſus, benignè receptus eſt, & ad ciuitatem ſuam reuerſus eſt. Sic Annales Francorum.

CONC. FRANCOFORDIENSE

Prouinciale approbatum, quo 300. circiter Epiſcopi ELIPANDVM *&* FELICEM, *eorumque hæreſim de Filio Dei, quæ Feliciana nominatur, condemnarũt. Actaque* NICAENI CONCILII II. *in* CAVSA IMAGINVM *confirmarunt. Anno Domini 794. tempore* ADRIANI *Papæ I. &* CAROLI MAGNI, *anno Imperij illius 26.*

Cavsa celebrandi Concilij in Germania præbuit Elipandus Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui cùm audiuiſſet, Felicem Vrgelitanum Epiſcopum in Concilio Ratisbonenſi conuictum & damnatum fuiſſe, eumdemque apud Sedem Apoſtolicam poſt agnitionẽ erroris, & hęreſeos deteſtationem, ad Eccleſiam & Sedem priſtinam receptum eſſe, non deſtitit acerrimus hæreſeos ſuæ defenſor & propagator, neq; priùs quieuit, quàm Felicem ad Orthodoxos reuerſum, ad DCC. XCIV.

caſtra impietatis reuocaſſet. Imò ſcriptis ad Carolum Magnum literis priuatis, ad vniuerſos Galliæ & Germaniæ Epiſcopos patentibus & publicis, intrepidè hoc egit, vt cum Rege totam Germaniam & Galliam in ſuam ſententiam pertraheret. Itaque cùm hac ratione Felicem verè infelicem, inſtar canis ad vomitum, & lotę ſuis ad volutabrum luti reduxiſſet, ne malum longiùs ſerperet, infuſumq́; venenum ſana mẽbra inficeret, opus erat, vt vterq; ad plenarium iudiciũ citaretur. Sed an dicẽdum ſit hoc Concilium Prouinciale, an verò Generale, Scriptores variãt. Ex eo enim, quòd Legati Sedis Apoſtolicę, teſte Adone in Chronico, Concilio interfuerint, quodq́; Carolus Rex Generalem Synodum cõuocari petiuerit, ab aliquibus exiſtimatũ eſt, hunc Francofordienſem Conuentum, Vniuerſale & Oecumenicum Concilium fuiſſe. Alij, quibus magis aſſentior, Prouincialem Synodum rectiùs nominandam eſſe putant, cui Orientalium Epiſcoporum nemo interfuit, quamq́ue Romanus Pontifex Vniuerſalem eſſe non voluit. Alexandrinis & Toletanis Conciliis pluribus interfuerunt Legati Sedis Apoſtolicæ, quæ tamen nullo vmquam tempore Vniuerſalia & Oecumenica habita fuere. Si qui Legati Romani Pontificis Concilio interfuerunt, illi non ad præſidendum, ſed tantùm ad inſinuandum Acta Nicæni Concilij Româ ablegati fuiſſe videntur.

Baronius hîc, & ante ipſum Bellarminus lib. 2. de Imaginibus, cap. 14. putant, Nicænam II. Synodum à Patribus huius Concilij condemnatam eſſe: ſed veriorem exiſtimamus ſententiam Binij, quæ pluribus probat, Acta Concilij Nicęni II. in cauſa Imaginum in hoc Concilio confirmata eſſe: quod probat tum ex Alano, Dialog. 4. cap. 18. & 19. & Dial. 5. cap. 12. & 13. Sandero lib. de Imaginibus, cap. 5. & lib. 7. de Viſibili Monarchia, num. 613. Surio in Præfatione huius Concilij, quę apud Binium reperitur; Vaſquez lib. 2. de Adoratione imaginum, diſput. 7. cap. 5. & ſeqq. Suarez tom. 1. p. 3. diſput. 54. ſect. 3. & aliis, quos Binius refert. Sed quod me magis mouet, eſt, quòd Patres huius Concilij ſæpè profiteantur ſe procedere ſub obedientia Romani Pontificis; & in libro Sacroſyllabo ſub finem, dum ſententiam contra hæreticos proferunt, ſubiungunt hæc verba: *Reſeruato per omnia Iuris priuilegio Summi Pontificis Domini & Patris noſtri Adriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ.* Item quòd iidem Patres in hoc Concilio ſæpè profiteantur, ſe Maiorum traditiones ſequi, & ab eorum veſtigiis non diſcedere: & quòd Carolus Magnus, qui huic Concilio interfuit, in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ dicat, ſe in primis conſuluiſſe Apoſtolicæ Sedis Pontificem, quid de cauſa in illo Concilio tractata ſentiret; quodq́ue paulò infrà hæc verba ſubiũgat: *Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungar.* Quæ ſanè Patres Concilij profiteri non potuiſſent, ſi Sacroſanctam Nicænam Synodum à Sede Apoſtolica confirmatam condemnaſſent. Vide Binium hîc, qui latè hęc probat, & ad obiecta optimè reſpõdet.

In hoc ergo Concilio ſtatim in principio, & in præſentia Caroli Magni Regis recitatæ ſunt literæ Elipandi, quaſq́ue ad eos Pontifex hortatu Regis Caroli reſcripſerat. Quæ cùm recitatæ fuiſſent, inquit Paulinus in libello Sacroſyllabo, qui extat apud Binium, tempus deliberandi petitum eſt, & conceſſum ea conditione, vt præſtituto termino ſuam ſinguli ſententiam ſacræ Scripturæ auctoritate confirmatã proferrent. Qua occaſione Paulinus libellum Sacroſyllabum, quem ipſe ſuo ſuorumq́ue Epiſcoporum ſuffraganeorum nomine aduerſus nouam hæreſim Felicianam ediderat, huic Concilio obtulit; quo in publico Patrum conſeſſu recitato, & diligentiſſimè examinato, Eli- *Acta Concilij.*

Digitized by Google

Elipandus & Felix cum ſua hæreſi condemnati fuerunt.

Præterea quia Hiſtoriæ, quæ mentionem faciunt Concilij Fracofordienſis, referunt, aliquid de Imaginibus in eo actum eſſe; ideò credibile eſt, Adrianum Papam, cùm Legatos ſuos ad hoc Concilium mitteret, per illos etiam miſiſſe Acta Concilij Nicæni, quod illo eodem tempore finitum fuerat, vt Definitio illius toti Occidenti innoteſceret. Atque ita facilè fieri potuit, vt in Concilio Francofordienſi nihil de nouo de Imaginibus ageretur vel ſcriberetur, præter acceptationem Concilij Nicæni, & conſenſionem illorum Patrum in damnanda Pſeudo-Conſtantinopolitana Synodo: & hoc fortaſſe eſt, quod Ado breuibus verbis referre voluit. Confirmatur hoc auctoritate Concilij Senonenſis in Decretis fidei, cap. 14. vbi ſic ait: *Carolus Magnus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, Francofordienſi conuentu, eiuſdem erroris* (Iconomachiæ) *ſuppreſſit inſaniam, quam infeliciſſimus quidam Felix in Gallias & Germaniam inuexerat.* Platina in Vita Adriani ſic ait: *Biennio pòſt Theophylactus & Stephanus Epiſcopi inſignes Adriani nomine Francorum & Germanorum Synodū habuerũt, in qua & Synodus, quam Septimam Græci appellabant, & hæreſis Feliciana de tollendis Imaginibus abrogata eſt.* Idem ferè dicit Paulus Æmilius lib. 2. de Geſtis Francorum prope finem: ait enim, Concilium Francofordienſe egiſſe contra hæreticos damnantes Imagines. *Et Imaginibus*, inquit, *ſuus honor reſtitutus eſt.* Blondus Decad. 2. libro 1. Sabell. lib. & Enneade 8. Nauclerus Generat. 27. Gabliſardus Arelatenſis in Chronolog. anno 816. Alanus Dial. 4. cap. 18. refert, hæreticum quemdam Anſelmum Rijd affirmaſſe, Nicænam Synodum Pſeudoſeptimum Concilium Conſtantinopolitanum de abolendis Imaginibus, tamquam hæreticum execraſſe, idemq; feciſſe Adrianum Papã & Carolum Regẽ Francofordiæ.

SYNODVS ROMANA

in cauſa LEONIS III. *congregata in præſentia* CAROLI *Regis anno Domini* 800. *&* LEONIS *Papæ* III. *anno* 5.

ANNO Domini 800. Carolus Magnus Romam ſe contulit, vt Eccleſiam illam impiorum factionibus perturbatam, in priſtinam ſecuritatem reſtitueret. Ingreſſus eſt vrbem 8. Kalendas Decembris. Vt autem ea, quorum cauſa venerat, citiùs expedirentur, congregata eſt Synodus, qua Pontifex præſentes Epiſcopos ſuæ cauſæ, criminumque ſibi obiectorum Iudices eſſe mandauit, quamquam Apoſtolicam Sedem ab aliorum iudicio exemptam eſſe non ignoraret. Cumq; nemo inueniretur, qui obiecta crimina probare poſſet, ipſe Pontifex in Baſilica B. Petri ferens ſacrum Euangelium, ambonem conſcendit, & ab obiectis criminibus per inuocationem diuini Numinis ſe Canonicè & legitimè purgauit. Rem geſtam Annales Francorum deſcribunt. ANNO DOMINI DCCC.

CONCIL. ALTINENSE,

iuſſu PAVLINI *Aquileienſis Epiſcopi congregatum anno Domini* 802. *tempore* LEONIS *Papæ* III. *&* CAROLI MAGNI *Imperatoris.*

SCRIBVNT Annales Venetorum, quòd permiſſu Ioannis Venetorum Ducis, & gratia Nicephori Orientalis Imperatoris, Chriſtophorus homo Græcus, Vliuolenſis Epiſcopus conſtitutus fuerit. DCCC.II. Quod cùm Venetiarum Tribuni iniquo animo ferrent, orarunt Ioannem Gradenſem Patriarcham, ne Chriſtophorum hominem Græcum conſecraret: Ioannes verò eorum precibus obſecutus, illum non tantùm non conſecrauit, ſed etiam à piorum communione ſemouit. Quo facto Dux Venetorum vſque adeò commotus eſt, vt aſſumpto filio Mauritio claſſem ingentem Gradum duxerit, ipſumque oppidum primo aduentu occuparit: poſtq; immen-

Digitized by Google

immenſam tyrannidem in Sacerdotibus exhibitam, Ioannem Gradenſem Patriarcham arripuerit, & arreptum è turri celſiſſima præcipitem dederit, & interfecerit.

Cumque vicini Epiſcopi hoc ſcelus graui pœna expiandum eſſe ſentirent, Paulinus Aquileienſis Synodum iſtam conuocauit, qua, ſicut omnibus viſum fuerat neceſſarium & conueniens, Synodali epiſtola, Caroli Imperatoris & Francorum Regis auxilium implorarunt. In locum defuncti, Tribunorum ſtudio ſuffectus eſt Fortunatus, Ioanni defuncto ſanguine coniunctus, quem Pontifex pallio, & Carolus Imperator ſecuritatis Diplomate donarunt. Baronius anno 802.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

in cauſa IOSEPHI *Sacerdotis cuiuſdam, quem* TARASIVS *Sacerdotio amouerat, celebratum anno* 806. *tempore* LEONIS *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCC.VI.

De cauſa huius Concilij in Vita Theodori Studitæ hæc ſcribuntur: *Ioſephũ ſiquidem illum communi Eccleſiæ calculo à Taraſio iure olim eiectum, ob manifeſtum ab eo commiſſum crimen* (Theodorus eum adulterij Imperatoris Conſtantini copulatorem nominat) *quod nemini obſcurum eſt, non dubitauit iterùm tyrannicè & contra Canones in Eccleſiam reuocare, atque ademptum illi Sacerdotium reſtituere. Quod vt faceret, Patriarcha per vim aggreſſus, ægrè adductus præſtitit, veritus opinor, ne atrocius quippiam inſanus ille moliretur.* Theodorus in epiſt. 25. & 30. ad Leonem, hoc Conciliabulum appellat *Synodum hæreticorum & adulterantium,* quia Epiſcopi in eo congregati adulterium Conſtantini cum Theodote comprobarunt, & Ioſephum adulterij copulatorem amplexi fuerunt. Vide Baronium anno Domini 806. num. 13. & 14.

CONVENTVS OPTIMATVM GALLIÆ

in VILLA THEODONIS *celebratus, quo Imperator* CAROLVS MAGNVS *condito teſtamento inter tres filios Regnum diuiſit.*

Extat apud Baronium anno 806. num. 17. DCCC. VI.

In hoc Teſtamento illud eſt præcipuè notandum quòd piiſſimus Carolus dicit, nempe: *Super omnia autem iubemus, vt ipſi tres fratres curam & defenſionem S. Papæ ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab auo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis poſteà ſuſcepta eſt, vt eum cum omni adiutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & iuſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulat, habere faciant. Similiter & de ceteris Eccleſiis, quæ ſub illorum fuerint poteſtate, præcipimus, vt iuſtitiã ſuam & honorem habeant, & paſtores & rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad ipſa pia loca pertinent, in quocumque de his tribus Regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint.*

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOL. II.

contra THEODORVM & PLATONEM, *eorumque ſocios congregatum anno Domini* 809. *tempore* LEONIS *Papæ.*

Hoc Concilium Theodorus in epiſtola ad Euprepianum *proditorum carnificinam*, & *Mœchoſynodum* nominat: idque non immeritò: nam poſtquam Epiſcopi ibidem cõgregati Platonem ſanctiſſimum catenis vinctum in iudicium deduxiſſent, atque vniuerſam Eccleſiam Catholicam ſuos errores auerſantem anathematis ſententiâ perſtrinxiſſent, ſceleſtiſſimum protulerunt Decretum, vt coniugiũ Conſtantini cum Theodote, viuente adhuc legitima coniuge, quam in Monaſterium detruſerat, ex diſpenſatione legitimum dici deberet. Addiderunt in gratiam Imperatoris nefariam DCCC. IX.

riam & planè pudendam ſententiam, hanc nimirum: Leges diuinas aduerſus Reges nihil poſſe: Martyres non eſſe nominandos, ſi qui Ioannem vel Chryſoſtomum imitati, pro veritate & iuſtitia ſanguinem effudiſſent: Epiſcopos in omnibus Canonibus diſpenſandi poteſtatem habere. Plura in hac adulterantium Synodo decreta recenſet Theodorus in epiſtola ad Leonem.

De tempore huius Conciliabuli hæc Theophanes: *Tunc Nicephorus Imperator occaſione percepta, cùm Epiſcopos & Preſbyteros cõgregaſſet, Synodum aduerſus illos celebrari præcepit, per quam à Monaſterio & vrbe deiecti* (Theodorum & Platonem intelligit) *exilio ſunt deſtinati menſe Ianuario, Indictione 2.* anno nimirum Domini 809. Leonis 14. Caroli 9. & Nicephori Imperatoris Orientalis 8.

CONC. AQVISGRANENSE

de addita ad Symbolum voce FILIOQVE, *celebratum anno 809. tempore* LEONIS *Papæ* III.

ANNO DOMINI DCCC. IX. De tempore & cauſa huius Concilij Annales Francorum anno 809. hæc ſcribunt: *Imperator Arduennâ Aquiſgranum reuerſus menſe Octobri Concilium habuit de proceſſione Spiritus ſancti. Quam quæſtionem Ioannes quidam Monachus Ieroſolymis primò concitauit. Cuius definiendæ cauſa Bernarius Epiſcopus VVormatienſis, atque Ieſſe Epiſcopus, & Adelhardus Abbas Monaſterij Corbeiæ Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt. Agitatum eſt etiam in eodem Concilio de ſtatu Eccleſiarum, & conuerſatione eorum, qui in ijs Deo ſeruire dicuntur, nec aliquid tamen in ijs definitum eſt, propter rerum, vt videbatur, magnitudinem.* Hæc Annales. Baronius anno 809. à n. 54. vſque ad 63.

Quando autem, & qua occaſione illa verba FILIOQVE auctoritate Romani Pontificis in Symbolum in Romana Eccleſia ſint recepta, alibi dicitur.

CONC. ARELATENSE IV.

ſub LEONE III. *Papa, & Imperatore* CAROLO MAGNO *celebratum anno Domini 813.*

In primo Capite huius Concilij fit Profeſſio veræ fidei ex Symbolo. DCCC. XIII.

In Secundo ſtatuitur, Vt fiat oratio pro Rege & filiis.

In Tertio, Vt Archiepiſcopus ſuos Suffraganeos inſtruat de Baptiſmo, & myſterio ſanctæ fidei, & de reliquis neceſſariis.

In Quarto, Vt laici Presbyteros abſque iudicio proprij Epiſcopi non eiiciant de Eccleſiis, nec alios immittere præſumant. Diſt. 48. Quando Presbyteri. Concil. Tol. IV. c. 41.

In Quinto, Vt laici omnino à Presbyteris non audeant munera exigere, propter commendationem Eccleſiæ.

In Sexto, Vt Epiſcopus prouideat qualiter Canonici & Monachi viuere debeant, ſecundùm ordinem Canonicum, vel regularem.

In Septimo, Vt in Monaſterio puellarum non niſi probatæ vitæ & ætatis prouectæ viri, ad quaſcumque earum neceſſitates permittantur intrare.

In Octauo, Vt non ampliùs ſuſcipiantur in Monaſterio Canonicorum atque Monachorum, ſeu etiam puellarum, niſi quantum ratio permittit.

In Nono, Vt decimæ ſoluantur.

In Decimo, Vt Presbyteri ad populum verbum faciant, & vt benè viuere ſtudeant, & populo ſibi commiſſo prædicare non negligant.

In Vndecimo, Ne fiant inceſtuoſæ coniunctiones.

In Duodecimo, Vt pax & concordia inter Epiſcopos & Comites omnino indiſrupta teneatur.

In Decimotertio, Vt Iudices, ſeu reliquus populus, obedientes ſint Epiſcopo, & inuicem conſentiant ad iuſtitias faciendas, & munera pro iudicio non recipiant.

In Decimoquarto, Vt vnuſquiſque tem-

tempore famis gubernare ſtudeat ad ſe pertinentes.

In Decimoquinto, Vt pondera & menſuræ vbique æqualia ſint, & iuſta.

In Decimoſexto, Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque cauſationes diſceptationeſque exerceantur.

In Decimoſeptimo, Vt vnuſquiſque Epiſcopus ſemel in anno circumeat Parochiam ſuam.

In Decimooctauo, Vt Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel cuiuſlibet rei donare præſumant.

In Decimonono, Vt parentes filios ſuos, & patrini eos quos de Fōte lauacri ſuſcipiūt, erudire ſummopere ſtudeant.

In Vigeſimo, Vt Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ, nec decimis, nec alia vlla poſſeſſione priuentur.

In Vigeſimoprimo, Vt de ſepeliendis mortuis in Baſilicis antiqua conſuetudo ſeruetur.

In Vigeſimoſecundo, Vt placita publica & ſæcularia neque in atriis Baſilicarum, neque in Baſilicis ipſis fiant.

In Vigeſimotertio, Ne Comites, vel Vicarij, ſeu Iudices ſub mala occaſione res pauperum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argumento ſurripiant.

In Vigeſimoquarto, Vt Epiſcopus in ſua Parochia Presbyteros vel Diacones diligenter inquirat, & fugitiuos omnes Clericos ad ſua loca redire iubeat.

In Vigeſimoquinto, Vt beneficium Eccleſiaſticum habens, ad tecta eiuſdem Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſias ædificandas, omnino adiuuet.

In Vigeſimoſexto, Vt qui publico crimine conuicti ſunt rei, publicè iudicentur, & publicam pœnitentiā agant.

CONC. TVRONENSE III. *tempore* LEONIS III. *&* CAROLI MAGNI *celebratum anno Domini* 813.

ANNO DOMINI DCCCXIII.

IN hoc Concilio ſtatuta ſunt ſequentia:

I. Vt Eccleſiaſtici orationes fundant pro Imperatore.

II. Vt omnes Epiſcopi ſtudioſè operam dent diuinæ lectioni.

III. Nulli Epiſcopo liceat, Canones, aut librum Paſtoralem S. Gregorij, ſi fieri poteſt, ignorare: in quibus ſe debet vnuſquiſque quaſi in quodam ſpeculo aſſiduè conſiderare.

IV. Epiſcopus ſtudeat gregem ſibi commiſſum ſacra prædicatione informare.

V. Epiſcopus parco & moderato cibo ſit contentus.

VI. Peregrini & pauperes, conuiuæ ſint Epiſcoporum.

VII. Eccleſiaſtici ab hiſtrionibus, & obſcœnis iocorū inſolentiis abſtineant.

VIII. Sacerdotibus non expedit venationi incumbere, neque ſæcularibus & turpibus quibuſlibet iocis intereſſe.

IX. Presbyteri & Diacones in omnibus ſui Epiſcopi veſtigia ſectentur.

X. Epiſcopi pauperum & rerum Eccleſiaſticarum curam habeant.

XI. Epiſcopis liceat, præſentibus Presbyteris & Diaconibus, de theſauro Eccleſiæ, familiæ & pauperibus eiuſdem Eccleſiæ ſecundùm Canonicam inſtitutionem erogare.

XII. Eccleſiaſtici ante legitimam ætatem non ordinentur.

XIII. Epiſcopus ſuam Parochiam diligenter perſcrutetur.

XIV. De titulo minori ad maiorem migrare, nulli Presbytero licitum ſit, ſed in eo permaneat, ad quem ordinatus eſt.

XV. Presbyter qui per pretium Eccleſiam adeptus eſt, deponatur.

XVI. Decimæ ad vſum Eccleſiæ & pauperum ſumma diligentia diſpenſentur.

XVII. Epiſcopus habeat Homilias, quibus ſubiecti erudiantur: & vt eædem Homiliæ in linguam vulgarem transferantur, vt faciliùs ruſtici monita ſalutis capere poſſint.

XVIII. Epiſcopus declaret ſuis Presbyteris, quòd per Baptiſmum renuntiamus

tiamus diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius.

XIX. Euchariſtia pueris non detur.

XX. Presbyteri ſacrum Chriſma foras conclaue non dimittant, vbi à quolibet attingi poſſit.

XXI. Presbyteri non ingrediantur tabernas comedendi bibendíve cauſa.

XXII. Presbyteri hominibus ſua delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant.

XXIII. Clerici & Canonici, qui in Epiſcopio conuerſantur, in clauſtris habitent, ſimul omnes in vno Dormitorio dormiant, & ſimul in vno Refectorio reficiantur.

XXIV. Idem ſeruetur in Religioſis domibus à Regularibus.

XXV. Regulares qui Regulam B. Benedicti profeſſi ſunt, ſed nunc remiſſius ac diſſolutius eam cuſtodiunt, ad priſtinum reducantur ſtatum.

XXVI. In Monaſteriis puellarum Abbatiſſæ diſſolutè non viuant, ne ſuo malo exemplo alias ad ſic viuendum pertrahant.

XXVII. Iuuenes viduæ citò nequaquam velentur, vſque dum probetur illarum religio.

XXVIII. Virgines ante 25. annos ſacrum velamen non accipiant.

XXIX. Presbyteris, Diaconibus, ceteriſque Clericis intra clauſtra puellarum non ſit conceſſum habitare.

XXX. Abbatiſſæ abſque ſui Superioris licentia foras Monaſterium egrediendi non habeant poteſtatem.

XXXI. In Monaſteriis ſiue virorum, ſiue mulierum maior numerus non admittatur, quàm facultas Monaſterij poſſit ſufferre.

XXXII. Omnes homines ſtudeant inter ſe pacem habere.

XXXIII. Comites, Iudices, & reliquus populus, ſemper cum Epiſcopo ſint conſentientes, eique obediant.

XXXIV. Viles perſonæ ad teſtificandum non admittantur.

XXXV. Nullus Chriſtianus prò quolibet placito vel iudicio à qualibet perſona munera exigat, aut accipiat.

XXXVI. Vnuſquiſque ſuam familiam & ad ſe pertinentes inopes alere ſtudeat.

XXXVII. Oratio fiat flexis genibus, niſi in die Dominico.

XXXVIII. Fideles quando ad Eccleſiam conueniunt, ſine ſtrepitu ac tumultu eam ingrediantur.

XXIX. Placita ſæcularia in Eccleſiis vel in atriis Eccleſiarum non fiant.

XL. Mercata & placita in die Dominica non fiant.

XLI. Inceſtuoſi, parricidæ, & homicidæ, qui Sacerdotum admonitionibus nolunt aurem præbere, à ſæculari potentia coërceantur.

XLII. Infirmitatibus nō admoueantur artes magicæ, quæ nihil proſunt.

XLIII. Nomen Dei in vanum non aſſumatur.

XLIV. nihil habet adnotatione dignum.

XLV. Menſuræ & pondera iuſta vbique habenda ſunt.

XLVI. Decimæ Rectoribus Eccleſiarum ſoluantur.

XLVII. Ieiunia diligenter cuſtodiantur.

XLVIII. Ebrietatem & crapulam fideles non ſectentur.

XLIX. Admoneantur domini, vt circa ſuos ſubditos miſericorditer agant.

L. Laici homines ſaltem ter in anno communicent.

LI. Qui res ſuas Eccleſiis dederunt, & poſteà in neceſſitate reperiuntur, ab ipſa Eccleſia ſuſtententur.

CONC. CABILONENSE II.

ſub LEONE III. *Papa, & Imperatore* CAROLO MAGNO *celebratum anno Domini* 813.

HAEC Synodus eadem occaſione, eodemque tempore celebrata eſt, quo duæ præcedentes: conſtituti ſunt in ea 67. Canones ANNO DOMINI DCCC.XIII

Hhh ad

ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes: qui cùm in præcedentibus & in aliis ſimilibus poſiti ſint, hîc non ſummantur.

CONC. MOGVNTIACVM I.

ſub RICOLPHO *Archiepiſcopo celebratum anno Domini* 813. *ſub* LEONE *&* CAROLO *prædictis.*

ANNO DOMINI DCCC. XIII. HAEC Synodus Moguntina loco & occaſione eadem, qua præcedentes, celebrata fuit tẽpore Ricolphi Archiepiſcopi Moguntini, & Caroli Magni, die nono Iunij, anno Chriſti 813. in clauſtro Baſilicæ S. Albani. Poſt triduanum ieiunium inchoatum, in eo de Litaniis, Quatuor temporibus, Clericorum caſtitate, & exemptione à bellicis negotiis, de armis laicis hominibus conceſſis, plura vtiliter, piè, ac ſanctè conſtituta fuerunt.

CONCIL. RHEMENSE I.

anno Domini 813. *celebratum ſub* LEONE III. *Papa &* CAROLO MAGNO *Imperatore.*

DCCC. XIII. IN hoc Concilio conſtituta ſunt 43. Capitula, in quibus de fidei ratione, atque Dei Eccleſię honore, rectorumque ipſius ac miniſtrorum diſpoſitione, Regiſque fidelitate, atque totius Regni vtilitate tractatum eſt, vt in præcedentibus.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOL. III.

quo ICONOCLASTAE *heretici* NICAENAM II. SYNODVM *condemnarunt, &* PSEVDOSEPTIMAM SYNODVM *confirmarunt, anno Domini* 814. *tempore* LEONIS *Papæ.*

DCCC. XIV. POST Nicephorum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham Orthodoxum iuſſu Leonis Armeni Imperatoris Iconomachi, ſede Conſtantinopolitana amotum & relegatum, poſtquam Theodorum Meliſſenum Iconomachum illi ſuffectum, Iconoclaſtis auctoribus indicta eſt Pſeudoſynodus: citati & vocati ſunt Orthodoxi: quorum alij cum Theodoro Studita remanſerunt; alij intrepidè acceſſerunt, vt coràm ipſos hæreticos redarguerent. Præſentibus Orthodoxis inchoata eſt Synodus: qua cùm Iconomachi veterem illam impiam, puta Pſeudoſeptimam, & Orthodoxam, Nicænam ſcilicet, anathemate damnaſſent, ſanctoſq́; Patres ſub anathemate reieciſſent, Epiſcopos, qui diſſentiebant, partim in terram deiectos pedibus conculcabant: partim per poſticum eiiciendos à conſeſſu curarunt; partim in carceres miſerunt.

CONCILIVM APVD THEODONIS VILLAM

à XXXII. *Epiſcopis aduerſus* PERCVSSORES CLERICORVM, *occaſione* IOANNIS *Epiſcopi congregatum tempore* LEONIS III. *Papæ.*

IN hoc Concilio ſtatuuntur diuerſæ pœnæ iis, qui Clericos percuſſerint, calumniauerint, dehoneſtauerint, &c. Sed hodie extat cap. Si quis ſuadente diabolo. 17. q. 4. quod eſt in vſu. dicit autem ſic: *Si quis ſuadente diabolo manus violentas in Clericum vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere (niſi mortis vrgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat.* Sic Innocentius II. Idem habetur in cap. Cùm illorum. c. De monialibus, & cap. Veniens. De ſent. excom. DCCC. XIV.

CONCIL. NOVIOMENSE

de terminis duorum Epiſcopatuum Gallicanorum tempore LVDOVICI *Imperatoris &* LEONIS *Papæ* III. *celebratum anno* 814.

IN hoc Concilio ſententia ventilata eſt & definita, quòd loca trans fluuium Heram in pago Nouiomenſi pertinere deberent ad Parochiam Eccleſiæ Nouiomenſis. Cetera verò loca trans ſupradictum flu- DCCC. XIV.

Digitized by Google

fluuium in prædicto pago omnia pertinere deberent ad Parochiam S. Eccleſiæ Sueſſonicæ.

CONC. AQVISGRANENSE I.

anno Domini 816. celebratum tempore STEPHANI *Papæ* V. *&* LVDOVICI *Imperatoris* I.

ANNO DOMINI DCCC. XVI.

IN hoc Concilio à primo Capite vſque ad XXXVIII. incluſiuè ponuntur dicta Sanctorum de diuerſis Ordinibus Eccleſiaſticis. Deinde ſequentia ponuntur:

XXXIX. De ſubintroductis mulieribus.

XL. De Clericis vſuras accipiẽtibus.

XLI. De priuilegiis Presbyterorum.

XLII. De excommunicatis.

XLIII. Quòd non oporteat demigrate.

XLIV. Non tranſmigrandum de ciuitate in ciuitatem.

XLV. De his, qui in Eccleſiis, in quibus prouecti ſunt, minimè perdurarũt.

XLVI. De flectendo genu.

XLVII. De damnatis, & miniſtrare tentantibus.

XLVIII. De Clericis damnatis.

XLIX. De peregrinorũ ſusceptione.

L. Quòd liceat Clerico viduatarum ciuitatum Eccleſiis miniſtrare.

LI. Quòd non oporteat Clericos ſine Commendatitiis mitti.

LII. Quòd ſine literis ſacro Myſterio ſeruientes proficiſci non debeant.

LIII. De Clericis à communione remotis, ab alio Epiſcopo non recipiendis.

LIV. Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumpſerit, ipſe in ſe damnationem protulit.

LV. De non ſollicitandis Clericis alienis.

LVI. Si qui Clerici ab Epiſcopis ſuis promoti, contempſerint, nec illic maneant vnde recedere noluerunt.

LVII. De his qui ſemel legerint in Eccleſia, ab aliis non poſſe promoueri.

LVIII. Vt nullus alienum Clericum ſollicitare vel tenere præſumat, non præueniente ſui Epiſcopi conſenſu.

LIX. Vt in Eccleſiis minimè conuiuia celebrentur.

LX. Quòd nullus Eccleſiaſticorum in tabernis comedere præſumat.

LXI. De auaritia, & inordinata cupiditate Clericorum.

LXII. Quòd vſuram nec Clerici exigere debent, ſed nec laici Chriſtiani.

LXIII. De Clericis eſum carnium diffugientibus.

LXIV. De numero certo Diaconorum.

LXV. De his, qui abominantur eos qui carnibus veſcuntur.

LXVI. De his quæ in vſus pauperum conferuntur.

LXVII. De his quæ pro virginitate ſuperbiunt.

LXVIII. De his qui Dominica die ieiunant, tamquam nihil præ ceteris differente.

LXIX. De his qui Eccleſiaſtica ieiunia abſque neceſſitate diſſoluunt.

LXX. De his qui ſe à perceptione ſanctæ Communionis auertunt.

LXXI. De his qui præter conſcientiam ſuorum Epiſcoporum, in aliis Parochiis commorantur.

LXXII. De laicis & Clericis excommunicatis.

LXXIII. De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem.

LXXIV. De damnatis Epiſcopis, &c. vt ſuprà.

LXXV. Vt hi qui in ſacro ſeruiunt, vſuras non exigant.

LXXVI. De his qui debeant in pulpito pſallere.

LXXVII. De honore quem Presbyteris Diaconi, qui ſub ipſis ſunt, debeant exhibere.

LXXVIII. Quòd Subdiaconi non benedicant, nec benedictionem tribuant.

LXXIX. De exorciſtis, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati.

Digitized by Google

LXXX. In Eccleſia prandia fieri non debent.

LXXXI. Quòd præter Epiſcopi conſcientiã Clericus proficiſci non debeat.

LXXXII. Vt ad Sacrarium non introëant mulieres.

LXXXIII. Non licere Clericis ludicris intereſſe ſpectaculis.

LXXXIV. Oblationes in domibus offerre non oportere.

LXXXV. De Clericis & Monachis non permanentibus in ſuo propoſito.

LXXXVI. Quòd non oporteat Clericos habentes aduerſus inuicem negotia, relinquere ſuum proprium Epiſcopum, & ad ſæcularia iudicia conuocari.

LXXXVII. Quòd Clerici non tranſmigrent.

LXXXVIII. Quòd non liceat Clericis, poſt mortem ſui Epiſcopi, res ad eum pertinentes diripere.

LXXXIX. Si quis Clericorum pauper promotus, poſteà in Ordine aliquid habuerit, Eccleſiæ poteſtati ſubiiciat.

XC. Vt Clerici tabernas non ingrediantur.

XCI. Vt alienus Clericus minimè ſuſcipiatur ab alio.

XCII. Vt Clericus nec ſuo, nec alieno nomine fœnus exerceat.

XCIII. Vt Clerici nullas negotiationes inhoneſtas, aut turpia lucra ſectentur.

XCIV. Hieronymi Presbyteri ex epiſtola ad Nepotianum de Vita Clericorum.

XCV. Eiuſdem ex epiſtola ad Paulinum de Inſtitutione Clericorum.

XCVI. Eiuſdem ex epiſtola ad Ruſticum.

XCVII. Eiuſdem ex epiſtola ad Heliodorum, quid diſtet inter Monachum & Clericum.

XCVIII. Eiuſdem ex epiſtola ad Oceanum de Vita Clericorum.

XCIX. Iſidorus de Clericis.

C. Idem de Regulis Clericorum.

CI. Idem de Generibus Clericorum.

CII. Gregorij excerptum, Quales oporteat Clericos eſſe.

CIII. Eiuſdem, de Subditis bonis ſub Paſtorali regimine conſtitutis.

CIV. Iſidori, de Subditis.

CV. Gregorij, de Inuidis & proteruis.

CVI. Proſperi, Quòd ſecundùm ſermonem Prophetæ culpa ſua pereant, qui Sacerdotum increpationes peruerſa voluntate contemnunt.

CVII. Eiuſdem, Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia, quæ pauperes paſcit, accipiunt illi, qui de ſuo ſibi ſufficiunt.

CVIII. Eiuſdem, Qui ſint, qui etiam cum profectu animæ ſuę opibus ſuſtentantur Eccleſiæ.

CIX. Eiuſdem, Quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.

CX. Eiuſdem, Quæ ſint vera gaudia, vel veræ diuitiæ, & quid impedimenti afferant bona præſentia amatoribus futurorum.

CXI. Qualiter intelligatur quod dicit Apoſtolus: Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacro ſunt, edunt.

CXII. Auguſtinus de Vita & moribus Clericorum.

CXIII. Idem de eodem, vt ſuprà.

CXIV. Quæ precepta ſpecialiter Monachis, quæ generaliter ceteris conueniant Chriſtianis.

CXV. Quòd Canonica inſtitutio, Euangelica & Apoſtolica auctoritate ſuffulta, ceteris ſupereminet inſtitutionibus.

CXVI. Quid res Eccleſiæ ſint.

CXVII. Quòd diligenter munienda ſint clauſtra Canonicorum.

CXVIII. Vt in congregandis Canonicis modus diſcretionis tenendus ſit.

CXIX. De his, qui in congregatione ſibi commiſſa, ex familia ſolummodò Eccleſiæ Clericos aggregant.

CXX. Qui Clerici in congregatione Canonica conſtituti, Eccleſiaſtica accipere debeant ſtipendia.

CXXI. Vt in congregatione Canonica equaliter cibus & potus accipiantur.

CXXII.

CXXII. De menſura cibi & potus.

CXXIII. Quòd à Prælatis gemina paſtio ſubditis ſit impendenda.

CXXIV. Vt Canonici, ſicut in ceteris, ita etiam in cultu veſtium, modum teneant diſcretionis.

CXXV. Vt Canonici cucullas Monachorum non induant.

CXXVI. Iſidori ex libro Officiorum excerptum, Qua auctoritate Horæ Canonicæ celebrentur, quas ſcire & religioſè obſeruare Canonicos oportet.

CXXVII. De Horis veſpertinis.

CXXVIII. De Completorio.

CXXIX. De Vigiliarum antiquitate.

CXXX. De Horis matutinis.

CXXXI. Vt Horas Canonicas Canonici religioſè obſeruent.

CXXXII. Quòd cantantibus & pſallentibus Domino, Angelorum adſint præſidia.

CXXXIII. Quales ad legendum & cantandũ in Eccleſia conſtituendi ſint.

CXXXIV. Qui modus ſit correptionis.

CXXXV. Vt erga pueros, qui nutriuntur vel erudiuntur in congregatione Canonica, inſtantiſſima ſit cuſtodia adhibenda.

CXXXVI. Vt ab omnibus Canonicis ad Completorium veniatur.

CXXXVII. De Cantoribus.

CXXXVIII. De Prælatis.

CXXXIX. De Præpoſitis.

CXL. De Cellario.

CXLI. De magiſtro Hoſpitalis.

CXLII. De infirmis.

CXLIII. De clauſura portæ.

CXLIV. De cuſtodia clauſtri.

CXLV. Epilogus omniũ præmiſſorũ.

CONC. AQVISGRANENSE

in cauſa REGVLAE BENEDICTINAE *congregatum tempore* PASCHALIS *Papæ*, *&* LVDOVICI *Imperatoris*, *anno* 817.

ANNO DOMINI DCCCXVII. IN hoc Concilio ſtatuuntur LXXIX. Canones ad Regulam S. Benedicti pertinentes, qui non ſummantur, cùm in Regula ipſius ſancti Benedicti reperiantur.

In hoc eodem Conuentu Aquiſgranenſi (ne prætereamus rem magni momenti) quod Apoſtolicæ Sedis Legatione petebatur, Ludouicus Imperator confirmauit quæcumque à prædeceſſoribus ſuis donata vel reſtituta fuiſſent Romanæ Eccleſiæ, de his ſcribens publicam Conſtitutionem, quam tum ſua tum ſuorum ſubſcriptione firmauit, atque ſigillo muniuit. Meminit huius Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinate.

CONVENTVS IN VILLA ENGELHEIM

tempore PASCHALIS *Papæ*, *&* LVDOVICI *Imperatoris*, *anno Domini* 819. *celebratus.*

HVNC Conuentum celebratum eſſe anno Domini 819. teſtantur veteres Annales Francorũ. DCCCXIX Præter ea quæ ad res bellicas ſpectant, actum eſſe in eo de his qui res ſiue perſonas Eccleſiaſticas infeſtant, conſtat ex Capitularium à Benedicto Leuita collectorum libro 6. cap. 96. cui talis præfixa eſt inſcriptio: *De his qui rapinas intra Regnum faciunt, ex Capitulis Domini Ludouici in Engelheim Apoſtolica auctoritate, & Synodali ſanctione omnium videlicet Clericorum ac laicorum generaliter conſenſu atque hortatu decretis.* Capitulum, quod ſequitur, tale eſt: *Si quis infra Regnum rapinam fecerit, &c. Qui verò de rebus Eccleſiarum aliquid abſtulerit, grauiùs inde iudicetur: quia ſacrarum rerum ablatio, ſacrilegium eſt; & ſacrilegus vocatur, qui ex his aliquid abſtulerit aut rapuerit. Infames quoque tales perſonæ vſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, quam læſerunt, ſint habendæ.*

CONC. ATTINIACENSE,

in quo LVDOVICVS *Imperator publicam pœnitentiam egit, tempore* PASCHALIS *Papæ*, *anno Domini* 822.

BERNARDVS nepos Caroli Magni ex filio Pipino, poſt DCCCXXII. obitum patris Rex Italiæ creatus,

tus, Ludouico patruo ſuo ſtruxerat inſidias: quas cùm ille vlturus, armata manu Italiam ingreſſus eſſet, Bernardus ſe viribus imparem ſentiens, abiectis armis illi occurrit, veniamque initæ coniurationis deprecans, in terram ſe ſupplicem dimiſit: & tamen non eſt exauditus; ſed potiùs poſt aliquot menſes oculis orbatus, poſt triduum interiit. Addit Auctor Vitæ Ludouici, quòd Caroli Magni patris ſui naturales filios hos, Diogenem, Theodoricum, & Hugonem, in eiuſdem criminis ſuſpicionem adductos, in Monaſterium detruſerit. Quibus peractis, vulnus conſcientiæ inflictum cœpit dolorem vrgere, & lacrymas frequentiores excutere, eò quòd neci cauſam dediſſe ſibi videretur, dum ſponte venienti atque ſuppliciter veniã deprecanti, non indulſiſſet. Cùm multis gemitibus & lacrymis vulnus conſcientiæ ſanare non poſſet, frequentiſſimo Epiſcoporum cœtu conuocato, publicam peregit pœnitentiam, cum illis ritibus haud dubiè, quos lib. 1. Capitularium ſuorum cap. 58. 59. 62. 63. & 71. ipſe ab aliis publicam pœnitentiam agentibus iuxta Canones Eccleſiaſticos requirebat.

PSEVDOSYNODVS VEL POTIVS COLLATIO PARISIENSIS

de CVLTV IMAGINVM, *habita anno Domini, vt habet inſcriptio, 824. tempore* EVGENII *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCC.XXIV. ACTA Pſeudoſynodi, quæ incerto & innominato Auctore anno Domini 1596. nulla facta mentione loci vbi inuenta vel vnde accepta fuerint, in lucem prodierunt, tamquam ſpuria & illegitima, vel ſaltem de fide ſuſpecta, nequaquam hîc inſerenda putaui. Refutationem tamen eorum ſex Capitibus diſtinctam edidit Bellarminus in Appendice ad Tractatum de Cultu Imaginum. Videatur ibi.

CONCIL. ROMANVM

LXIII. *Epiſcoporum in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum anno Domini* 826. *ſub* EVGENIO *Papa* II.

VT Epiſcopus bono approbatus opere ordinetur. DCCCXXVI

Vt nullus Epiſcopus aliúſve Sacerdos muneribus ordinetur.

Qualiter Epiſcopum docere, & conſiſtere oportet.

De indoctis Sacerdotibus.

Vt in eligendis Epiſcopis Canonum regulæ ſeruentur.

Vt Epiſcopi extra proprias Parochias non morentur.

Vbi Clerici conſiſtere debent: ſcilicet, vt eis vnum ſit Refectorium, ac Dormitorium, ſeu ceteræ officinæ ad vſus Clericorum neceſſariæ.

De Sacerdotibus in ſubiectis baptiſmalibus plebibus conſtitutis.

Vt Clerici non plures quàm ſufficiant ordinentur.

De Sacerdotibus, qui in Eccleſiis vel Monaſterijs non habitent.

Ne Sacerdos aliquo ludo delectetur.

Vt Sacerdotes fœnoris aliquid, aut ruſtica miniſteria non exerceant.

Si Sacerdotes teſtimonium dicant, vt coram Epiſcopis tantùm pro ea re conueniri poſſint.

Vbi Sacerdotem poſt condemnationem eſſe oporteat.

De ſuſpectis Sacerdotibus, vt admoneantur ab Epiſcopis.

Vt Epiſcopis de ſubiectis plebibus aliiſque piis locis nihil liceat auferre.

De Presbyteris, qui oblationem alterius recipere nolunt.

Qua auctoritate dimiſſoriæ fiant, vt credantur.

Vt Epiſcopi & vniuerſi Sacerdotes habeant Aduocatos.

De

Digitized by Google

De his, qui Aduocatos inuenire nequeunt.

De Monaſterio vel Oratorio, quod à proprio domino ſoli ædificatum eſt.

De inuaſione quaſi pro parte Eccleſiæ facta.

De Xenodochiis, & aliis ſimilibus locis.

De piis locis, quæ ſine Presbyteris exiſtunt, nempe vt teneantur loca pia ſæcularium ſuſcipere Presbyterum illis ab Epiſcopo præpoſitum, ſi ipſi ſæculares infra tres menſes Presbyterum præficere ipſis locis piis neglexerint.

De deſtructis Eccleſiis, vt ab eis, qui eas poſſident, reædificentur, & ſi non ſufficiant, à populo adiuuentur.

Si Epiſcopus à ſubiectis Sacerdotibus & Clericis dominationes exigat.

Quales Abbates ſint conſtituendi.

De Monachis, qui ſolo habitu exiſtunt, & non vitâ viuunt.

De religioſo habitu feminis conſiſtentibus, ne viris ſociari permittantur.

De negotiis & laborationibus die Dominico non faciendis.

De criminalibus cauſis, & furtis, ceteriſque ſimilibus die Dominico inuentis.

De his, qui ſine oſtenſione criminis, inuiti Monaſterio ſunt introducti.

Vt laici ad Miſſas audiendas in Presbyterium non intrent.

De ſcholis reparandis pro ſtudio literarum.

De conuiuiis feſtis diebus non faciendis.

De his qui adhibitam ſibi vxorem reliquerunt, & aliam ſociarunt.

Non licere vno tempore duas habere vxores, ſiue concubinam cum vxore.

De inceſtis & inutilibus contractionibus.

Hucuſque Canones ſub Eugenio indicto, hoc anno, celebrato Romæ Concilio.

CONCIL. PARISIENSE *in cauſa* REFORMANDAE DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *ſub* LVDOVICO *&* LOTHARIO *Impp. &* GREGORIO IV. *anno Domini 829. celebratũ.*

IN nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, &c. Quapropter ſtatuimus atque decreuimus, cum conſultu Sacerdotum, &c. Conuentus eorumdem Epiſcoporum in quatuor Imperij noſtri locis congruentiſſimè fieri. ANNO DOMINI DCCC.XXIX. *Quatuor Synodi indicuntur.*

Primò ſcilicet in Moguntiacenſi vrbe, vbi conueniant Metropolitani Autgarius, Adubaldus, Hetto, Bernuinus, cum Suffraganeis ſuis.

Secundò quoque in Pariſiorum vrbe, vbi Futurus Antiſtes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landranus Metropolitani cum Suffraganeis ſuis conueniant.

Tertiò verò apud Lugdunum, vbi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum Suffraganeis ſuis ſimiliter conueniant.

Quartò etiam apud Toloſanam vrbem, quò ſimul conueniant Notho, Bartholomęus, Adalelmus, Agiulphus, cum Suffraganeis ſuis.

In quibus Conuentibus tractare, quærere, & cum Dei adiutorio inuenire debent de cauſis ad Religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus, quid à Principibus, & reliquo populo, vel ita vt diuina auctoritas docet, aut aliter teneatur: vel quid inde ex parte, vel ex toto dimiſſum ſit, vt non teneatur. Deinde quid in ipſorum, qui Paſtores populi conſtituti ſunt, moribus, conuerſatione, & actibus inueniri poſſit, quod diuinæ regulæ atque auctoritati non concordet: ſimulque inueniant, quæ occaſiones in vtroque ordine id effecerint, vt à recto tramite deuiatum ſit. Et quidquid de his cauſis inuentum fuerit, tam ſolerti cura cuſtodiatur, vt nullatenus ad aliorum no-

titiam peruenire permittant ante tempus conſtitutum, &c.

Eorumdem itaque glorioſorum & Orthodoxorum Principum iuſſionibus obedientes, immò non ſolùm noſtræ, ſed etiam eius, totiuſque populi ſibi commiſſi ſaluti, iuxta miniſterium nobis collatum conſulere cupientes, anno Incarnationis Domini octingenteſimo vigeſimo nono, imperantibus eiſdem præcellentiſſimis ac glorioſiſſimis, Deoque dilectis Auguſtis, Ludouico videlicet, filioque eius Lothario, ſub die 8. Iduum Iuniarum, nos indigni Epiſcopi ex Diœceſi, ſcilicet Durocortum, necnon & Diœceſi Senonica, & Turonica, atque Rothomagica, apud Pariſiorum vrbem conuenimus, &c.

In hoc Concilio plura & prolixa ſtatuta ponuntur in tribus libris comprehenſa: nos ſummatim ea recenſemus.

Ex libro I.

I. QVID propriè ad religionẽ Chriſtianam pertineat, nempe credere in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, &c. nam conſtat, quòd fundamentum Chriſtianæ Religionis fides ſit Catholica, &c.

II. Quòd vniuerſalis ſancta Dei Eccleſia vnum corpus, eiuſq; caput Chriſtus ſit.

III. Quòd eiuſdem Eccleſiæ corpus in duas principaliter diuidatur eximias perſonas, in Sacerdotalem videlicet & Regalem.

IV. Quòd in ſucceſſoribus Apoſtolorum religio Chriſtiana vigere, & ſaluatio ſubiectorum debeat conſiſtere.

V. De periculo quod Sacerdotibus imminet, & quòd vnuſquiſque in Parochiis ſuis populo ſpecialiter denuntiet, vt ſe corrigant, & ad Dominum ex toto corde conuertant, & pro periculis merito noſtræ iniquitatis imminentibus, nec non & pro vita coniugum, prolèque Imperatorum, populique ei ſubiecti, Domini miſericordiam humiliter exorent.

VI. Quòd inter cetera ad curam Epiſcoporum ſpecialiter pertineat, vt hi, qui fidem Chriſti expetunt, inſtruantur & fidei & Baptiſmatis Sacramento.

VII. Quòd tempus Baptiſmatis à nonnullis non ita vt Canonicus ordo edocet, obſeruetur.

VIII. Quòd hi qui extra ſtatuta tempora Canonum baptizantur, ad gradus Eccleſiaſticos prouehendi nõ ſunt.

IX. Quòd ſummopere omnes fideles meminiſſe oporteat pacti, quod in Baptiſmate cum Deo fecerunt.

X. Quid ſit abrenuntiare diabolo, operibus eius, & pompis eius.

XI. Qualiter obſeruandum ſit de electione & promotione eorum, qui ad formam & exemplum aliis præficiuntur: nempe vt poſthabita Simoniaca peſte eligantur, &c.

XII. De acceſſione ad Paſtorale magiſterium, & perſona Sacerdotis, eiuſque periculo.

XIII. Vt auaritiam Sacerdotes cauere ſtudeant.

XIV. Vt hoſpitalitatem maximè ab his, qui aliis præſunt, ſectari oporteat.

XV. Quòd nulli Sacerdotum liceat res Deo dicatas vt proprias tractare, & ad multifarios ſecũdùm libitum ſuum eas vſus retorquere, ſed potiùs ſecundùm Canonicam auctoritatem, &c.

XVI. Vt in rebus Eccleſiæ circa propinquos ſuos expendendis, modum Epiſcopi teneant diſcretionis.

XVII. Quòd nulli Epiſcoporum liceat res Eccleſiæ extra conſtituta Canonum paſſim in alterius iura transferre.

XVIII. Quòd res Eccleſiæ non ſint Sacerdotibus, ſi eas ſtrenuè diſpenſauerint, cauſa peccati: ſed potiùs ad Dei honorem, & fidelium commoditatem, &c.

XIX. Quòd vitam conuerſationemq; quorumdam Sacerdotum nonnulli ſubiecti, liuore potiùs, quàm zelo charitatis, reprehendant. In hoc Capite habentur hæc aurea verba: *Dum Prelati exemplo ſuæ peruerſitatis ſubditis detrahendi*

bendi locum dant, ſic & illos proculdubiò ad perditionem pertrahunt.

XX. Vt conuerſatio Sacerdotalis teſtes vitæ probabilis habeat.

XXI. Vt Epiſcopi ceterique Prælati, niſi id neceſſitas ineuitabilis impedierit, maximè cum Clericis ſuis Horas Canonicas cuſtodiant, & Scripturas diuinas quotidie in collatione tractent, eiſque in conuictu participes exiſtant.

XXII. De laicorum Clericis, eorumque examinatione, & promotione.

XXIII. Vt paſtores gregem ſibi cõmiſſum, non vt proprium, ſed vt Dominicum tractare meminerint.

XXIV. Vt Prælati carnalem ſpiritalemque cibum ſibi ſubiectis impendere ſtudeant.

XXV. Vt Epiſcopi non rapaces, ſed auaritiam odientes, vice ſua miniſtros per Parochias ſuas conſtituant.

XXVI. Quid dehonorationis & detrimenti Eccleſiaſtica Iura patiantur, pro eo quòd ſecundùm Canonicam auctoritatem, Epiſcoporum Concilia bis in anno non celebrantur.

XXVII. Vt Chorepiſcopi modum menſuræ ſuæ, qui in ſacris Canonibus præfixus eſt, non excedant.

XXVIII. Vt Presbyteri nullo modo fiant villici, & conductores agrorum, vel negotiorum ſecularium ſectatores, atque per diuerſa vagantes: quod & de Monachis ſimiliter conuenit obſeruari.

XXIX. Vt Presbyteri in Eccleſiis conſtituti non ſint paſſim, vt quibuſdam Prælatis moris eſt, per diuerſa mittendi.

XXX. Vt ab omnibus Epiſcopis propter honorem & vtilitatem Eccleſiaſticam, ſolicitior circa habendas ſcholas cura adhibeatur.

XXXI. Vt quando Epiſcopi Parochias ſuas circumeunt, hoc ſummopere ſtudeant, ne his, quibus prodeſſe debent, oneri ſint.

XXXII. Vt Codicilli, quos Pœnitentiales vocant, quia Canonicæ auctoritati reſtagantur, penitùs aboleantur.

XXXIII. Quòd Epiſcopis conueniat, vt ieiuni per impoſitionem manuum tradant Spiritum ſanctum.

XXXIV. Quòd patratores diuerſarum pollutionum, quas cum maſculis & pecoribus admittunt, iudicio Canonico, quod in Ancyrano Concilio ſub Titulo ſextodecimo continetur, plectendi ſint.

XXXV. Vt vnuſquiſque Epiſcoporum, non ſolùm Presbyterorum, verùm etiam ſequentium Ordinum Parochiæ ſuæ gradum amittentium, vitam, & conuerſationem, morumque emendationem, tam per ſe, quàm per miniſtros ſuos nouerit, eoſque Canonicæ pœnitentiæ ſubdere non negligat.

XXXVI. Quòd in recipiendis alterius Parochiæ Clericis, à quibuſdam ſtatuta Canonum violentur.

XXXVII. Quòd Abbates Canonicorum, forma & exemplum ſanctæ religionis debeant eſſe ſibi ſubiectis.

XXXVIII. De ſtultiloquio & ſcurrilitate cauenda.

XXXIX. De feminis, quas non contigit diſcipulas fuiſſe, Sanctimonialibus ne repentè matres ſpirituales præficiantur.

XL. Vt viduæ inconſultis Epiſcopis non velentur.

XLI. De puellis virginibus à Presbyteris non conſecrandis.

XLII. De feminis, quæ ſine conſenſu Sacerdotum, velum ſibi indiſcretè imponunt.

XLIII. Vt Abbatiſſæ, & ceteræ Sanctimoniales, neque viduas, neque puellas virgines velare præſumant.

XLIV. De nobilibus feminis, quæ amiſſis viris velantur, & in propriis domibus reſidere delectantur.

XLV. Vt illicitus acceſſus feminarum ad Altare, ſacraque vaſa contrectantium, fieri prohibeatur.

XLVI. Vt acceſſus Canonicorum & Monachorum ad Monaſteria Sanctimonialiũ, niſi cauſa vtilitatis nõ fiat.

XLVII.

XLVII. Quòd Miſſarum celebrationes in locis incongruentibus fieri non debeant.

XLVIII. Quòd nullus Presbyterorum ſolus Miſſam celebrare debeat.

XLIX. Vt Presbyteri duas Baſilicas non habeant.

L. De obſeruatione diei Dominici.

LI. De æquo modio, iuſtoque ſextario habendo.

LII. De interdicto quodam, quo apud pleraſque Prouincias, pauperes aggrauantur, ab Imperiali clementia prohibendo.

LIII. Vt vſuræ non exerceantur.

LIV. Vt hi, qui publica pœnitentia ſunt mulctati, neque in Baptiſmate, neque in percipiendo ſancti Spiritus dono patroni exiſtant pro aliis.

Ex libro II.

I. Regem eſſe, eſt, piè, & iuſtè, & miſericorditer regere: aliter tyrannus erit.

II. Regale miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare, & regere cum æquitate & iuſtitia, & vt pacem & concordiam habeant, ſtudere: ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum & ſeruorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium.

III. Rex benè agentes debet remunerare, malè verò agentes ſua auctoritate comprimere, cauſamque pauperum ad ſe ingredi debet facere.

IV. Quòd æquitas iudicij, ſtabilimentum Regni; & iniuſtitia ſit eius euerſio.

V. Quòd Regnum non ab hominibus, ſed à Deo, in cuius manu omnia Regna conſiſtunt, detur.

VI. Quòd vbi charitas non eſt, nulla bona ineſſe poſſint.

VII. Quòd multi profeſſionem Chriſtianam verbis tantùm teneant, ſed operibus negligant.

VIII. Quòd poteſtati Regali, quæ non niſi à Deo ordinata eſt, humiliter atque fideliter cuncti parêre debeant.

IX. De tranſgreſſoribus præceptorum Dei.

X. Quòd grauiùs puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finierunt; quàm illi qui ſine fide mortui ſunt, & tamen bona opera egerunt.

XI. Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conueniri debeat.

XII. Quòd in Eccleſia Dei non ſit otioſis turpibuſque fabulis vacandum: & quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccata non minuant, ſed etiam maiora accumulent.

XIII. Quòd & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & confeſſio peccatorum fieri poſſit, & debeat.

Ex libro III.

I. Vnusquisque Epiſcopus in Parochia ſua dictis & exemplis plebes ſibi ſubiectas ad meliora incitare ſtudeat.

II. Malorum patratores, quos & Lex diuina improbat & condemnat, pro quorum etiam diuerſis ſceleribus & flagitiis, populus fame & peſtilentia flagellatur, & Eccleſiæ ſtatus infirmatur, & Regnũ periclitatur, admoneantur, & corrigantur: hi ſunt præcipuè maſculorum & pecorum concubitores, propter quos venit ira Dei in filios diffidentiæ.

III. Vt iniuſta & inæqualia menſura & pondera remoueantur.

IV. De Presbyteris non paſſim per diuerſa mittendis.

V. De diei Dominici obſeruatione.

VI. Vt Miſſarum celebrationes in locis incongruentibus non fiant.

VII. Nulla vidua inconſulto Epiſcopo repentè veletur.

Capitula *quæ à Regia pietate adimpleri flagitant Epiſcopi.*

VIII. Vt per Regem filij & Proceres Regni, nomen, poteſtatem, vigorem, & dignitatē Sacerdotalem cognoſcant.

IX. Sa-

Digitized by Google

Sacerdotũ munia.

IX. Sacerdotes diuinæ voluntatis ſunt indices, Eccleſiarum Chriſti, poſt Apoſtolos, fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, &c. Ipſi ſunt decus Eccleſiæ, in quibus ampliùs fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentiũ. Ipſi ianuæ ciuitatis æternę, per quas, omnes qui credũt, ingrediuntur ad Chriſtũ. Ipſi ianitores, quibus claues datę ſunt Regni cælorũ. Ipſi etiam diſpenſatores Regię domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia ſingulorum.

X. Vt per Regem coërceantur populi, ne de Sacerdotibus ſcandalizentur, & de ipſis detractent, quando aliquid decernunt, quod contra corruptos aliquorum mores dirigitur: Sacerdotes enim mentiri non debẽt. Vnde licet aliquando veritas ſine graui periculo reticeatur; numquam tamen interrogati Sacerdotes de ipſa veritate, ſine graui diſcrimine poſſunt mentiri.

XI. Vt libera facultas concedatur Sacerdotibus celebrandi ſaltem ſemel in anno Concilia.

XII. Vt Scholæ publicæ ſaltem in tribus Imperij locis erigantur.

XIII. Vt Sacerdotes & Leuitæ in diuerſas regiones fugati, auctoritate Regia perquirantur, & redire cõpellantur.

XIV. Vt Monachi & Presbyteri à Palatio Regis deterreantur.

XV. Vt ſedes Epiſcopales propriis rebus viduatæ, reſtituantur in priſtinum.

XVI. Vt ex Parochiis angarij & rangarij quantocyùs radicitus euellantur.

XVII. Vt à ſanguinis effuſione Chriſtiani auctoritate Regia comprimãtur.

XVIII. Vt Abbates, & qui aliis præſunt, eis bonum exemplum præbeant.

XIX. Vt miniſtri Regis Eccleſiaſticos adiuuent.

XX. Vt Reges aliquando & ſæpiùs communicẽt, & vt eorum famuli idem faciant, procurent.

XXI. nihil particulare.

XXII. Vt in conſtituendis & præficiendis Paſtoribus & Curatis in Eccleſiis, magnum ſtudium adhibeatur.

XXIII. Idem de Abbatiſſis.

XXIV. Vt Conſiliatij Regis cunctis præbeant bonum exemplum, & in pace & charitate concorditer viuant.

XXV. Continet exhortationem ad Regem, vt rectè & ſanctè viuat.

XXVI. & XXVII. nihil particulare continent.

CONC. APVD COMPENDIVM,

in quo LVDOVICVS *Imperator Imperio depoſitur, anno Domini* 833. *ſub* GREGORIO *Papa* IV.

ANNO DOMINI, DCCC-XXXIII.

IN hoc Concilio Epiſcopi collecti apud Compendium palatium anno Domini 833. Indictione 12. & ſupponentes, imò clarè dicentes, ſe ſuper Imperio Ludouici Imperatoris eſſe conſtitutos, cùm idem Princeps multa delicta feciſſet, vocatuſque ad Conciliũ veniſſet, proſtratus in terram ſuper ciliciũ ante ſacroſanctum Altare, confeſſus eſt coram omnibus, miniſterium ſibi commiſſum ſatis indignè tractaſſe, & in eo multis modis Deum offendiſſe, Eccleſiamque Dei ſcandalizaſſe, populumque per ſuam negligentiam multifariè in perturbationem induxiſſe. Et ideò ob tantorum reatuum expiationem, publicam & Eccleſiaſticam ſe expetere velle dixit pœnitentiam. Et cùm ſpecificè plura facinora confeſſus fuiſſet, chartulamque ſuorum reatuũ & confeſſionis, ob futuram memoriam, Sacerdotibus tradidiſſet, quam ipſi ſuper Altare poſuerũt; ipſe Imperator cingulum militiæ depoſuit, ſuperque Altare collocauit, & habitu ſæculari ſe exuens, habitum pœnitentiæ per impoſitionem manuum Epiſcoporum ſuſcepit.

ANNOTATIO.

LVDOVICVS Imperator Bernardũ quemdam natione Hiſpanum ſuæ defenſionis cauſa cubiculi Præfectum conſtituerat. Quod cùm Optimates Regni ægerrimè ferrent, ſparſerunt, haud dubiè ex inuidia, eumdem

dem

dem Bernardum Iudith Imperatrici per adulterium admiſceri, idque ad filios Imperatoris deferri curarunt. Qua occaſione Pipinus, qui nouercam præ ceteris maximè oderat, contra patrem arma ſumpſit: Imperator verò timore illius perculſus, præcipuam iurgiorum cauſam tollere conatus, Bernardum à ſe dimiſit, Iudith verò Imperatricem in Monaſterio ad tempus morari præcepit. Qua re cùm pater ſoli Pipino Imperium affectanti non ſatisfeciſſet, hortatu Lotharij habitus eſt Neomagi Conuentus publicus, ad quem ſine armis vtrimque veniretur. Verùm cùm eodem Conuentu Optimates parentis Imperium legitimè prorogaſſent, Pipinus arma ſemel depoſita, contra patrem non ſine magno rerum ſuarum detrimento reſumpſit. Nam dum capto & incarcerato filio parens iuſtè Regnum ademiſſet, vitam quoque non iniuſte fortaſſe eripuiſſet, ſi non à ſuis noctu liberatus & eductus fuiſſet. Poſt hæc dum Ludouicus parens ereptum Pipino Italiæ Regnum inter Carolum & Rodulphum poſterioris matrimonij filios diuiſiſſet, eoque facto Lotharium etiam ſibi infenſum reddidiſſet, ſollicitati ſunt ad defectionem Epiſcopi eo conſilio, vt quem filij armis Imperio deponere non poſſent, horum ſaltem nundinariorum Antiſtitú ſuffragio & iudicio, honore ac poteſtate Imperiali priuarent.

Succeſſit impiis conatus impiiſſimus. Nam auctore Ebbone Rhemenſi Epiſcopo, quem Thaganus ex Originalium ſeruorum ſtirpe fuiſſe ſcribit, plures alij eiuſdem conditionis olim Antiſtites conuenerunt, inſtitutoque hoc Concilio, contra Iuris ordinem Imperatorem ſemel antè confeſſum, iterato iudicio abſentem condemnarunt: eaque omnia egerunt, quæ Auctor Vitæ Ludouici his verbis deſcribit: *Verentes ſceleris conſpiratores inauditi, ne verſa vice retrò lapſa ferrentur, quæ geſta erant, callido, vt ſibi viſum eſt, cum aliquibus Epiſcoporum vtuntur argumento: vt pro his, de quibus iam pœnitudinem geſſerat Imperator.* (nempe de nece Bernardi) *iterùm publica pœnitentia armis depoſitis irreuocabiliter quodammodò Eccleſiæ ſatisfacere iudicaretur. Cùm ne forenſes quidem leges contra vnam culpam ſemel commiſſam bis inuehant vindictam, & noſtra Lex habeat, non iudicare Deum bis in idipſum; cui iudicio pauci contradixere, plures aſſenſum præbuere: maxima pars, vt aſſolet in talibus, ne Primores offenderent, verbotenus conſenſere. Adiudicatum ergo eum abſentem, & inauditum, nec confitentem, neque conuictum, ante corpus S. Medardi Confeſſoris, & S. Sebaſtiani Martyris arma deponere, & ante Altare ponere cogunt, pullaq; indutum veſte, adhibita magna cuſtodia ſub tectum quoddam retrudunt.* Quo teſtimonio veriſſimum eſſe comprobatur, quòd tota hæc res per vim & metum acta, falſoque Religionis pigmento colorata ſit. Non enim oportebat Imperatorem iterato iudicio condemnari ad agendam pœnitentiam delicti illius, propter quod pœnam ab Eccleſia ſibi impoſitam ſuſtinuiſſet. Quare non immeritò Thaganus hac de cauſa in Ebbonem Rhemenſem Epiſcopum horum omnium architectum declamauit, dum eum impudicum & crudeliſſimum Epiſcopum nominat, qui ex Originalium ſeruorum ſtirpe procreatus, inaudita fecit, & inaudita locutus fuit. Cumque iſta ratione Ludouicus Imperio ſpoliatus fuiſſet, Gregorius Papa reſciſſo abrogationis Decreto, eumdem Imperio reſtituit, eaque omnia in reſtitutione Imperatoris peregit, quæ ab Auctore Vitæ Ludouici prolixiùs enarrantur. Vide Baronium anno 833. & 834. *Decretum Concilij à Gregorio Papa reſcinditur.*

CONCIL. METENSE,

quo Imperator ab EBBONE *Rhemenſi Archiepiſcopo iniuſtè excommunicatus, & ingreſſu Eccleſiæ interdictus, abſoluitur, anno Domini* 835. *ſub* GREGORIO *Papa* IV.

ANNO DOMINI DCCCXXXV.

CONGREGATA *Synodo* (ait Chronicon Cameracenſe l. 1. c. 41.) *in Metenſi Eccleſia S. Stephani, Imperator præ cunctis Ebbonem accuſat, quòd eum falsò fuerat criminatus, & iiſdem falſis criminibus appetitum à Regno deiecerat, armiſque ablatis, nec confeſſum, nec conuictum, contra regulas Eccleſiaſticas ab Eccleſiæ aditu eliminauerat. Qui obiecta erubeſcens, ſeque malè feciſſe recognoſcens, vt in Synodo omnia legaliter implerentur, ſecundùm Africanos Canones ſibi Iudices Epiſcopos delegit, inter quos etiam Theodoricum Epiſcopum conuocauit.*

CONVENTVS EPISCOPORVM

in THEODONIS VILLA *habitus, quo* EBBO *Rhemenſis Archiepiſcopus ſeipſum Epiſcopatu abdicauit anno Domini* 835. *tempore* GREGORII *Papæ* IV.

DCCCXXXV.

HOC Conuentu ſuaſu Coëpiſcoporum Ebbo Rhemenſis Archiepiſcopus, eò quòd deponendi Ludouici Imperatoris ab Imperio

perio auctor fuiſſet, ſeipſum Epiſcopatu abdicauit. Reliqui autem, qui conſentientes ei fuerant, ob neceſſitatem, qua coacti fuerant, vt exauctorationi Imperatoris intereſſent, ſeipſos excuſarunt, veniamque impetrarunt. Vide Baronium anno Domini 833. num. 1.

CONCILIVM AQVISGRANENSE

de ECCLESIASTICA DISCIPLINA, *celebratum Indictione 14. ſub* GREGORIO *Papa* IV. & LVDOVICO *Imperatore, anno* 836.

ANNO DOMINI DCCC. XXXVI. IN Præfatione Concilij fatentur Epiſcopi, ſe monitu Imperatoris ad hanc Synodum conueniſſe, eo fine, vt de tribus agerent Capitibus hiſce. Primò, De vita, doctrina, moribus, & officio Epiſcoporum. Secundò, De moribus & officio Abbatum, aliorumque inferioris Ordinis Eccleſiaſticorum. Tertiò, De Imperatore, eiuſque filiis ac miniſtris rectè diſponendis. Hæc tria Capita in tribus libris continentur: quæ, quia ſuprà in Concilio Aquiſgranenſi I. ſub anno 816. & Pariſienſi ſub anno 829. dicta ſunt, hîc non repetuntur.

CONCIL. LVGDVNENSE

in cauſa ECCLESIARVM LVGDVNENSIS & VIENNENSIS *Paſtoribus carentium, anno Domini* 836. *ſub* GREGORIO *Papa* IV. & LVDOVICO *Imperatore.*

DCCC. XXXVI. IN deponendo Ludouico Imperatore, Ebboni Rhemenſi Archiepiſcopo Agobertus Lugdunenſis & Bernardus Viennenſis Epiſcopi conſilium & auxilium præbuerunt; vocatique ad Concilium apud Theodonis Villam celebratum, fugerant: cumque ibidem de eorum cauſa ideò nihil vel parum actum eſſet, quòd in Italiam fugientes, ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe crederentur; opus erat, vt deſertis Eccleſiis de Paſtoribus prouideretur. Hoc igitur Concilio Lugduni indicto, cui Ludouicus Imperator cum filiis omnibus, excepto Lothario, interfuit, citatus eſt vterque, ſed neuter comparuit, ideò quòd cauſæ ſuæ bonitati & æquitati diffiderent. Et ne abſentes damnarentur, ſuſpenſum eſt iudicium; quid verò actum deinceps, non conſtat. Vide Baronium anno 836. n. 9.

CONVENTVS CABILONENSIS

de rebus ECCLESIASTICIS & POLITICIS *componendis, habitus anno Domini* 839. *ſub* GREGORIO.

CVM poſt obitum Pipini filij & Regis Aquitaniæ Ludouicus Imperator Regnum illud, præterito inofficioſo nepote Pipino iuniore, inter Lotharium dumtaxat & Carolum diuiſiſſet, Ludouicus filius Ludouici Imperatoris, & cum ipſo Optimates Aquitanię, iniuriam ſibi illatam eſſe proteſtatus, contra patrem arma exercitumque parauit. Vt ergo iſtæ turbæ componerentur, indictus eſt Cabilone Conuẽtus: quo abſoluto, Imperator filium Ludouicũ rebellantem, ad ſpontaneam reconciliationem adegit, & Aquitaniam compeſcuit. Vide Baronium anno Domini 839. num. 1. DCCC. XXXIX.

CONC. AQVISGRANENSE

quo Regnum Franciæ à LOTHARIO *ad* LVDOVICVM & CAROLVM *fratres eſt tranſlatum, anno Domini* 842. *tempore* GREGORII IV. & LOTHARII *Imperatoris.*

LOTHARIVS Imperator fratrum ſuorum Regna affectans, vt ſolus monarchicum teneret Imperium, ciuili bello eoſdem aggreſſus eſt: illi contrà, miſſis ad eum crebrioribus Legationibus pacem quidem expetiuerunt, ſed non impetrarunt antè, quàm ſemel atque iterùm eum in fugam adegiſſent. Conſulentes igitur Epiſcoporum Conuentũ Aquiſgrani congregatum, quid de Regno à fratre derelicto ipſis agendum videretur; omnibus DCCC. XLII.

Epiſcopi transferũt Lotharij Regnum in Ludouicũ & Carolum. vnanimiter viſum fuit, quòd ob nequitiam Lotharij, Dei vindicta illum eiecerit, Regnumque fratribus ſuis melioribus ſe iuſtè ad regendum tradiderit.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM,

quo hæreſi ICONOCLASTARVM *damnata,* CVLTVS IMAGINVM *Conſtantinopoli eſt reſtitutus, eiectoque* IOANNE *Patriarcha hæretico,* METHODIVS *Orthodoxæ fidei defenſor ſurrogatus fuit anno Domini* 842. *tempore* GREGORII *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCC.XLII. THEOPHANES Presbyter in Oratione, quam in ſanctum Nicephorum Patriarcham dixit, aperte fatetur, poſt obitum Theophili Imperatoris anno 842. collectam eſſe Conſtantinopoli hanc Synodum, qua Patres Concilij Iconoclaſtarum hæreſim condemnarunt, cultumque Imaginum reſtituerunt, atq; Ioanne Patriarcha amoto, Methodium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum conſtituerunt. *Iconoclaſtarum hæreſis 120. annis Eccleſiam vexauit.* Ita planè diſſipata eſt hæreſis Iconoclaſtarum, quæ centum viginti annis è portis inferi magno faſtu, auctore Imperatore, potens ac furens in Eccleſiæ damnum erupit.

CONC. BELLOVACENSE,

quo Rhemenſi Eccleſiæ poſt depoſitionem EBBONIS *datus eſt Archiepiſcopus* HINCMARVS, *anno Domini* 845. *tempore* SERGII II. & LOTHARII *Imperatoris.*

DCCC.XLV. ANNO Incarnationis Domini 845. Carolus Caluus conuocauit Synodum Epiſcoporum ſui Regni Bellouaci ciuitatis Prouinciæ Rhemeſis. In qua inter alia negotia Eccleſiæ & Regni, de Eccleſiæ Rhemenſis deſolatione agere cœpit, quam Fulquus Presbyter diu vſurpauerat, & poſt eum Hotho ſuus ſucceſſor. Quare Epiſcopi illi, & Clerus & populus Hincmarum eligũt, & eidem Eccleſiæ præficiunt, cuius electionem Carolus gratiſſimam habuit.

CONCIL. MELDENSE

contra laicos rerum Eccleſiaſticarum detentores, celebratum anno Domini 845. *ſub* CAROLO IVNIORE *Rege Francorum, &* SERGIO *Papa* II.

CAVSA habiti Concilij hæc eſt: Reges Francorum res Eccleſiaſticas laicis hominibus poſſidendas tradiderant, eaque re Deum optimum ſacrilegij vindicem acerrimum grauiſſimè offenderant. Quod cùm Galliæ Epiſcopis innotuiſſet, ad diuinam indignationem auertendam, Deique miſericordiam prouocandam, illi hoc Meldenſe Concilium collegerunt; in quo ante omnia iniquitatem temporum, hominumque fidelium mores corruptiſſimos deplorarunt, cauſamq; malorum omnium, quibus hoc tempore Gallia à Northmannis aliiſve barbaris nationibus infeſtabatur, ſacrilegio Regum Francorum attribuerunt. Quam vt planè è medio tollerent, pro rebus Eccleſiæ conſeruandis, plurima decreta ediderunt, ipſumque Carolum Regem inter alia admonuerunt, vt capitula à Carolo Magno atque à Ludouico collecta obſeruari præcipiat. Quæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata eſſe, fatetur in ſua Præfatione Bernardus Leuita. ANNO DOMINI DCCC.XLV.

Decreta huius Concilij à Carolo Rege non ſunt recepta, quamquam in gratiam Hincmari, quem plurimùm diligebat, recèns creati Epiſcopi Rhemenſis, ea quæ ab illa Eccleſia iam antè abſtulerat, pro virili, vt videre eſt apud Frodoardum lib. 3. Rhem. Hiſt. c. 40. reſtitui procurauerit. Principes Regni ſacris Epiſcoporum admonitionibus & decretis vehementer reſtiterunt, quia Abbatias, aliaſque res Eccleſiaſticas à Rege Carolo in beneficium acceperant. Quas ne dimittere cogerentur, magna importunitate apud Regem egerunt, ne cunctos illos Canones in hoc Meldenſi Concilio ſancitos acciperet; ſed paucos dumtaxat, aliis reiectis, ex ipſis ſuſcipiendos

Digitized by Google

piendos eſſe decerneret. Cumque Rex magis Comitibus quàm Dei Sacerdotibus auſcultaret, magno damno totius Regni contigit, vt nouis Northmannorum incurſionibus Regnum Deus affligi permiſerit, coactuſque fuerit iniquiſſimas ab hoſtibus propoſitas leges ſuſcipere, qui à Patribus ſanctè pieque ſtatutas recuſauit accipere.

Hæc Synodus Meldis anno 845. inchoata, Pariſiis anno ſequente abſoluta fuit, vel ſaltem illos Canones, quos Meldis conſtituerat, ſequente anno in Synodali Patrum conſeſſu nouo Pariſiis promulgauit, vt patet ex Præfatione Concilij, circa finem.

CONCIL. PARISIENSE *quo* MELDENSIS SYNODVS *abſoluta eſt, vel ſaltem illos quos conſtituerat Canones promulgauit, anno Domini 846. tempore* SERGII *Papæ* II. *&* LOTHARII *Imperatoris celebratum.*

ANNO DOMINI DCCC-XLVI. DE hoc dictum eſt in fine præcedentis Concilij.

CONCIL. PARISIENSE *in cauſa* EBBONIS *Rhemenſis quondam Archiepiſcopi congregatum anno Domini 847. tempore* SERGII *Papæ inchoatum, &* LEONIS IV. *abſolutum.*

DCCC.XLVII. IMPERATOR *Lotharius,* (vt ſcribit Frodoardus Hiſt. Rhem. lib. 3. c. 2.) *contra Carolū fratrem ſuum odia & diſſidia pro Regno perſequens, Hincmarum Caroli fideliſſimum poſt ordinationem ipſius à Papa Sergio diplomata obtinuit, vt cauſa & lis depoſitionis Ebbonis iterùm renouaretur. Quibus Papa ad Carolum ſcribebat, vt Guntbaldum Epiſcopum Rhotomagenſem cum Hincmaro & aliis Epiſcopis ſui Regni, quos ipſe Guntbaldus eligeret, ad Synodum Treuirenſem ad Legatos ſuos mitteret, & ibi rationes & ſcripta depoſitionis Ebbonis diſcuterentur. Verùm Legati Papæ Sergij non venerunt. Idcircò Guntbaldus conſenſu Regis Caroli cum aliis Epiſcopis Synodum indixit, ad quam auctoritate Sergij Papæ Ebbonem epiſtolis & nuntiis vocauit. Qui tamen nec in perſona propria, neque per procuratorem, neque per literas comparuit; imò nec vllam Synodum, nec Sedem Apoſtolicam interpellauit, nec de Epiſcopatu Rhemenſi, nec de Ordine ſuo conqueſtus eſt. Et poſtquam Epiſcopi & Rex ſuis literis Leonem Papam de his omnibus quæ geſta fuerant, certiorem feciſſent, & hic ordinationem Hincmari, qui ſuam confeſſionem fidei Romam miſerat, approbaſſet, eumdemque pallio donaſſet; ipſemet Ebbo adhuc quinq; annos vſque ad annum Incarnationis Domini 851. vixit.*

CONC. MOGVNTINVM I. *ſub* RABANO *Archiepiſcopo pro* IVRIBVS *&* IMMVNITATIBVS ECCLESIASTICIS *celebratum anno Domini 847. tempore* LEONIS *Papæ* IV. *&* LOTHARII *Imperatoris.*

OCCASIO huius Concilij celebrandi eadem fuit, quæ Meldenſis: nimirum, quòd cùm à laicis bona Eccleſiarum, iura pariter & perſonæ aſſiduè inuaderentur, deque his frequentes apud Regem querelæ eſſent, ille ad liberandum iſtis malis Eccleſiam, congregari fecit Synodum Prouincialem, cui Rabanus Archiepiſcopus, vir doctrina, probitate, atque ſcientia valdè inſignis, præeſſe deberet. DCCC. XLVII.

CANONES *ſummatim ſunt qui ſequuntur.*

I. DE fide Catholica, quam omnes debent profiteri.

II. Vt omnia Conciliorum decreta fidelibus proponantur.

III. Vt Sacramentum Baptiſmi vniformiter ab omnibus adminiſtretur.

IV. Vt in pace & concordia omnes viuere ſtudeant.

V. Vt contra Regem, vel Eccleſiaſticas dignitates, ſiue Reipublicæ poteſtates, cōſpirationes rebellionis non fiant.

VI. Qui poſſeſſiones Deo conſecratas, & ipſam domum Dei inhoneſtè tractauerit, vel infringere præſumpſerit, quaſi inuaſor & violator domus Dei excom-

excommunicetur. Hîc habetur, quòd Rex eſt defenſor & cuſtos rerum Eccleſiaſticarum diuinitus datus.

VII. Vt Epiſcopi poteſtatem habeant res Eccleſiaſticas præuidere, regere, & gubernare, atque diſpenſare ſecundùm Canonum auctoritatem: & vt laici in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias, viduas, & orphanos defendendos, & vt eis ſint obedientes ad eorum Chriſtianitatem ſeruandam.

VIII. Eccleſiaſtici nihil anteà habentes, & poſteà tempore ſui Clericatus agros vel quæcumque prædia ſuo nomine comparantes, tamquam rerum Dominicarum inuaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem contulerint.

IX. Si in Italia Sacerdotes manumiſſiones facere reperiuntur, etiam nos ſciant iſtorum ordinem ſequi.

X. Decimæ dentur, & in quatuor partes diuidantur.

XI. Eccleſiæ antiquæ ſua priuilegia habeant.

XII. Presbyteri ſine conſenſu Epiſcoporum per Eccleſias non conſtituantur, vel ab his recipiantur.

XIII. Clerici & Regulares regulariter viuant ſecundùm eorum Statuta.

XIV. Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat.

XV. Si quis ex Clericis laxauerit comam, anathema.

ANNOTATIO.

Hodie non eſt in vſu, cùm ex Clericis aliqui comam nutriant, aliqui verò minimè.

XVI. Abbatiſſa de Monaſterio non egrediatur abſque Epiſcopi licentia, niſi fortè Regali iuſſione cogatur.

XVII. Pauperes non opprimantur.

XVIII. Res pauperum per malam occaſionem non ſunt emendæ.

XIX. Non ſunt accipienda munera ad iuſtitiam ſubuertendam.

XX. Parricidis ſeueriùs pœnitentia iniungatur.

XXI. Idem de mulieribus partus necantibus.

XXII. Idem de homicidis.

XXIII. Cum homicidiis ſpontè non commiſſis mitiùs procedatur.

XXIV. Presbyterum occidenti, 12. annorum pœnitentia imponatur.

XXV. Presbyterum degradatum occidenti omnis Eccleſiaſtica communio denegatur.

XXVI. Ab infirmis in mortis periculo conſtitutis per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda.

XXVII. Suſpenſi in patibulis, ſi ſua peccata confeſſi ſunt, poſſunt etiam eorum cadauera ad Eccleſias deferri, & pro eis Miſſæ & oblationes offerri.

XXVIII. Inceſtuoſi impœnitentes de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam reuertantur.

XXIX. XXX. & XXXI. De damnatis nuptiis.

XXXII. De modo dandi pœnitentiam.

CONC. MOGVNTINVM II.

ſub RABANO *Archiepiſcopo contra* GODESCALCVM *hæreticum Preſbyterum anno Domini 848. celebratum tempore* LEONIS *Papæ* IV. *&* LOTHARII *Imperatoris.*

In hac Synodo multis quæſtionibus reſponſum eſſe videtur, quæ anno ſuperiore in Synodo priore fuerant quidem propoſitæ, ſed ob temporis anguſtias in aliud tempus dilatæ. Inter alias autem quæſtiones fuit vetus illa de Prædeſtinatione, quam Monachus quidam hæreticus Godeſcalcus nomine reſuſcitauit: nēpe quòd ſicuti Deus quoſdam prædeſtinauit ad vitam æternam, ſic etiam alios ad mortem æternā prædeſtinauit. Quòd Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed eos dumtaxat, qui ſaluantur: nam ſi hi omnes non ſaluantur, quos Deus vult ſaluari, non omne fecit quod voluit.

ANNO DOMINI DCCC-XLVIII.

Errores Godeſcalci hæretici.

voluit. Quòd ſi velit id quod non poteſt facere, non eſt omnipotens, ſed infirmus & impotens: attamen omnipotens eſt, quia fecit omne quod voluit. Quòd Ieſus Chriſtus non fuit crucifixus neque mortuus eſt pro redemptione totius mundi, id eſt pro redemptione & ſalute omnium hominum, ſed tantùm pro his qui ſaluantur.

Qua verò ratione iſtæ hæreſes cum ſuo auctore à Patribus huius Concilij condemnatæ ſint, quídve prætereà ab iiſdem conſtitutum vel geſtum fuerit, teſtâtur Annales Francorum à Pithœo editi his verbis: *Circa Kalendas autem Octobris generale Placitum Rex Ludouicus habuit apud Moguntiã, in quo Legatos fratrum ſuorum, & Northmãnorum, Sclauorumque ſuſcepit, audiuit, & abſoluit. Homines autem Rabani Epiſcopi aduerſus dominum ſuum conſpirantes publicè conuictos, cum eo pacificauit. Legatos ſuos ad fratrem ſuum Lotharium in Theodonis villa Placitum habentem pro Giſlaberto, qui eodem anno ad fidem eius venerat, reconciliationis gratia direxit. Godeſcalcus quoq; quidam Preſbyter de Prædeſtinatione Dei praua ſentiens, rationabiliter, vt plurimis viſum eſt, conuictus, & ad proprium Epiſcopum Hincmarum Rhemos tranſmiſſus eſt, priùs tamen iuramento confirmãs, quòd in Regnum Ludouici vltrà non rediret.* Hincmarus in epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, quæ extat apud Frodoardum lib. 3. cap. 13. ait: *Et quoniam hoc egiſſe Godeſcalcus in Conuentu Epiſcopali conuictus fuit, idem Concilium ſilentium ei impoſuit, mihi illum ad cuſtodiendum commiſit.*

CONC. TVRONENSE

aduerſus NOMENOIVM *Ducem Britonum Britanniæ Minoris, celebratum in Gallia anno Domini 849. tempore* LEONIS *Papæ* IV.

ANNO DOMINI DCCC.XLIX. CAROLVS Rex Francorum Britanniam Minorem Nomenoïo cuidam Duci ad regendam & adminiſtrandam commiſerat: qui cùm humana ſimul atque diuina vaſtaret, Epiſcopos à ſuis Eccleſiis pro animi furore expelleret, Leo Pontifex, vt hominem perditiſſimum ad meliorem frugem reduceret, literas ad eum ſcripſit Exhortatorias; quas cùm tyrannus ſuperbiſſimus non modò contempſiſſet, verùm etiam oblatas repudiaſſet, Francorum Epiſcopi viginti duo, Sedis Apoſtolicæ propugnatores, auctore Landrano ad hanc Synodum conuenerunt, miſerunt ad eum epiſtolam, qua illum ob contemptum Sedis Apoſtolicæ redarguerunt, pœnamque excommunicationis infligendam, niſi reſipiſcat, comminati ſunt: quo autem euentu, non conſtat, niſi quòd in Chronico Engoliſmenſi, Deo vindice, morte repentina ſublatus ſcribatur his verbis: *Anno 850. iubente Domino, Nomenoïus ab Angelo percuſſus interiit.* Baronius anno Domini 849. num. 14. *Pontificias literas contemnens, à Deo punitur ſubitanea morte.*

SYNODVS REGIATICINA

(*ſeu potiùs in vrbe Regia* TICINO *facta*) *ad* REFORMANDOS MORES ECCLESIASTICOS *celebrata anno Domini 850. Nunc primùm edita ex membranis MS. Monaſterij* S. GALLI.

IN hac Synodo plura ordinata ſunt. DCCC.L.

I. Vt Epiſcopi irreprehenſibiliter conuerſentur.

II. Vt Epiſcopi non tantùm Dominicis diebus & præcipuis Feſtiuitatibus Miſſas celebrent, ſed cùm poſſibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent.

III. Vt Epiſcopus moderatis epulis ſit contentus, ſuoſq; conuiuas ad comedendum & potandum non vrgeat.

IV. Vt Epiſcopus non canibus, non accipitribus, vel capis, quos vulgus Falcones appellât, per ſeipſum venationes exerceat: equorum quoque, mulorumque ſuperfluam curam contemnat, pretioſarumque veſtium cultum, & diſſolutum, ac velut ad pompam compoſitum vitæ.

Digitized by Google

V. Vt Epiſcopus Canonicas Scripturas,& ſancta dogmata iugi meditatione diſcutiat.

VI. Epiſcopus procuret, vt Curati plebis ſibi commiſſæ curam gerant.

VII. Presbyteri per oppida ſingula villaſque diſcurrant, & quomodo pœnitentes impoſitam ſibi pœnitentiam ſeruent,&c.perquirant.

VIII. Si quis infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum;&c.

IX. Monendi ſunt patresfamilias,vt filiabus ſuis tempeſtiuè nuptias prouideant, & calorem feruentis ætatis coniugali lege præueniant.

X. Non fiant raptus.

XI. nihil annotatione dignum.

XII. Idem.

XIII. Idem.

XIV. Monaſteria diruta vt reſtaurentur,Epiſcopi curent.

XV. Xenodochia pariter,quæ in Epiſcoporum ſunt poteſtate, ab ipſis gubernentur.

XVI. Idem.

XVII. Decimæ ſoluantur.

XVIII. Omnis Clericus Epiſcopo ſit ſubiectus.

XIX. nihil notandum.

XX. Iudæi à Chriſtianis vectigalia non exigant.

XXI. Nullus vſuras ſectetur.

XXII. Viduæ & orphani non opprimantur.

XXIII. Clerici vel Monachi vagantes, qui ſpargunt errores, ab Epiſcopo loci detineantur, & ad Metropolitanum deducti,diſcuſſione Eccleſiaſtica examinentur.

XXIV. Nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adulta femina iungatur, ſed cùm ad ætatem idoneam adoleſcentes venerint, tunc legitimo poſſint coniugio copulari.

XXV. Artes magicæ non exerceantur.

CONCILIABVLVM CORDVBENSE,

in quo vetitum eſt Martyrium,cultuſque ſanctorum Martyrum ſublatus fuit, anno Domini 852. tempore LEONIS *Papæ &* LOTHARII *Imperatoris.*

GENS perfida Saracenorum, quæ in Aſia, & Africa, & Europa his temporibus dominabatur,anno Domini 850. Cordubæ in Hiſpania, vbi ſedem Regni ſui habebant, duos inſignes Dei Confeſſores martyrio affecit:anno ſequente Cordubenſem Epiſcopum cum vniuerſo Clero, aliiſve Epiſcopis Mahometi ſectam deteſtantibus, quos nominatim recenſet Eulogius in Documento Martyriali, in carcerem detruſit: ex quibus aliis occiſis, alios ad lapſum & defectionem fidei reſeruauit. Cumque ex his nonnulli Regi Arabi crudeliſſimè ſuaſiſſent, vt curaret conuocari Concilium omnium Epiſcoporum Regni ſui,quorum decretis & conſtitutionibus Synodalibus Martyrium vetaretur; doloſo inuento approbato, omnes Epiſcopi & Sacerdotes carceribus ſunt educti, coactumq; eſt ea intentione Concilium. Antequam conueniſſent, plurimi fideles ſponte ad confeſſionem fidei,& perfidiæ deteſtationem proſilierunt, fidemq; liberè profeſſi, glorioſum martyrium ſubierunt. Quibus victoriis Martyrum Rex Arabum exaſperatus, ſtatuerat, Chriſtianos in arctiſſimum carcerem eſſe compingendos. Qua occaſione, fidelium plerique fugerunt, & latebras quæſiuerunt: alij deſerta fide, ſeſe infidelibus coniunxerunt. ANNO DOMINI DCCC.LII.

Pſeudoëpiſcopi qui conuenerant, habito Conuentu ſatanico,Martyrium prohibuerunt, cultumque ſanctorum Martyrum ſuſtulerunt,dicentes, quòd qui violenter ad abnegationem fidei non adigerentur, ſed propria voluntate diſcrimini ſe offerrent, inter Martyres non ſunt habendi, ideò maximè, quia miracula inſtar antiquorum Martyrum

rum non ederent, eorumque corpora non incorrupta permanerent. Impium Synodale decretum nō ſolùm refutauit & improbauit doctiſſimo ſuo Commentario, quem *Memoriale Sanctorum* inſcripſit, Eulogius: verùm etiam ipſa Dei vltio in Regem mox ſecuta oſtendit, quantopere Martyres eorumq; cultus diuinæ maieſtati placeret. Nam cùm ſublime ſolarium oppida luſtraturus, Rex Arabum crudeliſſimus conſcendiſſet, & è regione pendentia ſtipitibus Sanctorum corpora intueretur, centumque cremari iuſſiſſet, os illius repentè eadem hora diuinitus ita obſtructum fuit, vt fari non poſſet, manibuſque portantium in ſtratum reductus, eadem nocte extingueretur. Vide Baronium anno Domini 852. num. 16.

CONC. MOGVNTINVM III. *ſub* RABANO *celebratum anno Domini* 852. *tempore* LEONIS *Papæ* IV.

ANNO DOMINI DCCCLII. De hac Synodo Moguntina Annales Francorum à Pithœo editi iſta habent: *Habita eſt autem Synodus ex voluntate & præcepto eiuſdem Sereniſſ. Principis in ciuitate Moguntina Metropoli Germaniæ, præſidente Rabano venerabili eiuſdem vrbis Archiepiſcopo cum omnibus Epiſcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ, & Saxoniæ: & illi quidem de abſoluendis quæſtionibus Eccleſiaſticè tractatum habebant.* Hanc autem, aliáſve Prouinciales Synodos non ſine licentia Romani Pontificis celebratam fuiſſe, conſtat ex Baronio anno 852. nu. 25.

CONC. SVESSIONENSE *apud* S. MEDARDVM, *in cauſa eorum qui ab* EBBONE *Rhemenſi Archiepiſcopo ordinati fuerant, celebratum anno Domini* 853. *tempore* LEONIS *Papæ: ſed reprobatum fuit, vt infrà.*

DCCC.LIII. Ebbo Rhemenſis Archiepiſcopus ſub Ludouico Imperatore ſede priuatus, vt ſuprà vidimus, operaq; Lotharij Imperatoris per Synodum comprouincialium Epiſcoporum reſtitutus, complures in eadem Eccleſia Clericos ordinauerat. Verùm, dum Caroli Regis auxilio, Galliarum Epiſcopi eumdem iterùm ſede Rhemenſi amouiſſent, eique Hincmarum ſubſtituiſſent, mortuus eſt anno Domini 851. Subſtitutus in locū illius adhuc viuentis Hincmarus, poſt obitum eiuſdem Ebbonis, quos ipſe ordinauerat, recipere noluit, eaque de cauſa hanc Synodum celebrari curauit, in qua Clericos ab Ebbone ordinatos, damnarunt; ſimul etiam oſtendentes, iuſtè Ebbonem deiectum, Hincmarum verò eidem legitimè ſubſtitutum eſſe. Acta Concilij fuſiùs enarrat Frodoardus Hiſt. Rhem. lib. 3. cap. 11.

Sed reprobatum fuit hoc Concilium à Nicolao Papa epiſt. Decretali 46. qua refert, quòd cùm Hincmarus cognito Synodalis ſententiæ errore, iterata Legatione pro confirmatione huius Concilij apud Leonem IV. aliquoties inſtitiſſet, nihilque ab eo impetraſſet, Benedictum Leonis ſucceſſorem falſis narrationibus induxerit, Synodique confirmationem ſubreptitiè obtinuerit, cum illa clauſula, quam in epiſtola Benedicti & Nicolai 46. literis grandiuſculis exaratam & expreſſam apud Binium inuenies. Refert ibidem Nicolaus, quòd cùm Benedictus Papa per epiſtolam ſuam voluntati Hincmari Pontificis non planè ſatisfeciſſet, ille quædam eidem epiſtolæ addiderit, quædam verò pro ſuo arbitratu ab ea ſuſtulerit. Vide Baronium anno 853. num. 15. & Binium hîc.

CONCIL. ROMANVM LXVII. *Epiſcoporum, in quo* ANASTASIVS *Preſbyter Cardinalis tituli beati Marcelli, eſt depoſitus, octauo Decembris, anno Domini* 853. *tempore* LEONIS *Papæ* IV.

De rebus in hac Synodo geſtis DCCC.LIII.
in Vita Leonis Papæ IV. hæc ſcribit Anaſtaſius: *Et tunc co-*

ram omnibus, &c. In hac denique poſt cetera Synodo, Anaſtaſius Preſbyter Cardinalis tituli B. Marcelli, ab omnibus Canonicè eſt depoſitus, eò quòd Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit, & in alienis vſque hodie moratur. Qui neque ad duo pro eo congregata Concilia venire volens, neque per Apoſtolicas epiſtolas, neque per tres vocatus Epiſcopos: ideò meritò vno conſenſu, ſecundùm quod de talibus ſacris continetur Canonibus, eum ſancta Synodus depoſuit, & Sacerdotali honore priuauit, anno, menſe, die, & Indictione ſuperiùs annotata.

Hic Anaſtaſius Summi Pontificatus libidine incenſus, deſerta Vrbe, profectus eſt ad Imperatorem, cuius opera & auxilio Pontificatum obtineret. Cui dum per mera commenta, vt in electionem Pontificis ille manum iniiciat, perſuaſiſſet, idque Pontifici innotuiſſet, reuocatus eſt in Vrbem. Verùm contumaciter recuſans accedere, meritò cenſuris Eccleſiaſticis perculſus, ſuoque gradu depoſitus, hanc ſententiam Synodalem ſuſtinuit. Baronius hîc.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM *quo* GREGORIVS *Syracuſanus Epiſcopus damnatus eſt anno Domini 854. tempore* LEONIS *Papæ* IV.

ANNO DOMINI DCCC.LIV. HAEC Synodus auctoritate Ignatij Patriarchę Conſtantinopolitani celebrata, atque Romani Pontificis auctoritate firmata, Gregorium Syracuſanum Epiſcopum ſub ratificatione Romani Pontificis Epiſcopatu depoſuit. Totam ſententiam à Pontifice confirmari quidem petitum fuit; ſed non impetratum, donec pars altera audiretur. Cumque intereà Leo moreretur, ad ſucceſſorem delata eſt cauſa, quæ maximæ Tragœdiæ atque diri ſchiſmatis initium fuit: hac enim occaſione Gregorius Syracuſanus animo vlciſcendi ſe, in Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum malis artibus operatus eſt, vt ille à ſede Conſtantinopolitana deponeretur, atque in locum eius Photius eunuchus ex laico intruderetur, aliaque innumera mala ſubſequerentur.

CONCIL. VALENTINVM XIII. *Epiſcoporum contra* PRAEDESTINATIANOS *in Gallia celebratum, anno Domini 855. tempore* LEONIS *Papæ* IV.

OCCASIO huius Synodi congregandæ præcipua illa fuit, quòd Scoti quidam vagi homines, quorum princeps Godeſcalcus erat, de Prædeſtinatione & Præſcientia Dei, de Gratia & libero arbitrio prauas opiniones in vulgus ſpargere laborarent. Ex quibus dum Catholica doctrina moreſque Eccleſiæ corrumperentur, Epiſcopi nouitatis vltores conuenerunt, nihilque aliud in Eccleſiam inducendum eſſe cenſuerunt, quàm quod ſanctiſſimi Patres Doctores Eccleſiæ fideles, omni ſinceritate docuiſſent, quodque Patres Concilij Carthaginenſis in Africa, & Arauſicani II. in Galliis celebrati, ante aliquot ſæcula hac de re definiuiſſet: nimirum, bonos non niſi per gratiam Dei ſaluari; malos verò per ſuam iniquitatem damnari, non ideò quòd (vt illi aiebant) boni eſſe non potuerunt; ſed quia eſſe noluerunt. Vide quę dicta ſunt in Cõcilio Arauſicno II. DCCC.LV.

Poſt hæc in eadem Synodo ad corrigenda mala, quæ per laicos Eccleſiis inferebantur, Patres conuerſi, reliqua Capitula ad mores Eccleſiæ pertinentia ediderunt: quæ quia nihil noui continent, & in aliis ſunt ſtatuta, dimittuntur.

CONCIL. TICINENSE *Ciſalpinorum Epiſcoporum in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum anno Domini 855. tempore* LEONIS *Papæ* IV.

IN hoc Concilio nihil noui determinatum eſt, nam De electione Archipresbyterorum à laicis DCCC.LV.

laicis non faciendo, De reſtauratione Eccleſiarum, Xenodochiorum, & Monaſteriorum, De decimis, De damnatis nuptiis fugiendis, & ſimilibus, aliàs determinatum eſt.

CONCILIVM APVD CARISSIACVM

pro REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *congregatum in Gallia anno Domini 856. tempore* BENEDICTI *Papæ* III. *&* CAROLI CALVI *Regis Francorum.*

ANNO DOMINI DCCCLVI. CVM his temporibus in Gallia vndique factiones & ſubditorum rebelliones ebullirent, vbique furta, deprædationes, graſſationes, & cædes, omniaque violentiæ turpitudinis genera increbreſcerét, Carolus Rex ad euellenda illa incommoda anno Chriſti 856. in villa Cariſſiacum nominata, hanc Synodum congregauit, ex qua ad Epiſcopos, Miſſos & Comites Galliæ epiſtola ſub nomine Caroli Regis ſcripta & tranſmiſſa fuit, quæ extat apud Baronium.

Ex eadem Synodo nonnulla Capitula miſerunt ad reconciliandũ ſibi ſubditum populum, ne immemores præſtiti iuramenti fidelitatis, defectionem pararent.

De rebus quibuſdam hac Synodo geſtis Frodoardus lib. 3. cap. 24. iſta ſcribit: *Cum Synodo Epiſcoporum apud Cariſſiacum habita ſcribit Hilduino Caroli Regis Archicapellano, & pro Eccleſia Lingonica, quam Vulfadus Eccleſiæ Rhemenſis alumnus contra Canonica occupauerat decreta. Vnde ſuggeſſerat eadem Synodus Regi, vt alterum ad regendam præfatam conſtitueret Eccleſiam; & Rex iuſſerat, vt Epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in Epiſcopali miniſterio eidem Eccleſiæ præfici: eorumque vota in Iſaac ipſius Hilduini diſcipulum conuenerant, obſeruantes huius in hoc Hilduini conſenſum, & deprecationem ipſius pro eo apud Regem.*

CONCIL. MOGVNTINVM

tempore CAROLI *Archiepiſcopi anno Domini 857. celebratum ſub* LVDOVICO *Imperatore, &* BENEDICTO *Pontifice.*

DE tempore, loco, & cauſa huius Concilij hæc veteres Francorum Annales: *Habita eſt autem & Synodus apud Moguntiacum circa Kalendas Octobris, præſidente Carolo Archiepiſcopo: vbi inter alia, quæ ventilata ſunt de Iure Eccleſiaſtico, præſentata eſt epiſtola Gunthari Colonienſis Epiſcopi ad Altfridum Epiſcopum directa, in qua legebatur, contigiſſe Coloniæ 17. Kalendas Octobris terribilem valdè tempeſtatem, populo cuncto præ nimio horrore in Baſilicam S. Petri confugiente, & ſignis Eccleſiæ concrepantibus, vnanimiter Dei miſericordiam implorante, ſubitò fulmen informe, ignei draconis inſtar, Baſilicam ſcidiſſe ac penetraſſe, atque ex omni illa multitudine tres homines diuerſis quidem locis, ſed vno ictu in mortem deieciſſe, Presbyterum ſcilicet iuxta Altare S. Petri, Diaconũ verò iuxta Altare S. Dionyſij, laicum autem ad Altare S. Mariæ; alios etiam numero ſex, eodem impetu ita proſtrauiſſe, vt elati ſemiuiui vix conualeſcerent. Feruntur & alia prodigia his temporibus Treuiris contigiſſe, quæ ideò ſcribere diſtuli, quia de eis certum nuntium non habui.* Vide Baronium anno 857. num. 1. DCCCLVII.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM SIVE PHOTINVM I.

in quo IGNATIO *iam exturbato,* PHOTIVS *à* GREGORIO *Syracuſano ſchiſmatico inauguratus eſt, anno Domini 858. tempore* NICOLAI *Papæ.*

CVM Ignatius ſanctiſſimus Patriarcha Cõſtãtinopolitanus DCCCLVIII. Bardæ Patricio propter repudium innocentis vxoris, & conſuetudinem, quam cum cognata habebat, turpiſſimam, Eccleſiæ ingreſſum interdixiſſet, petentemque die Epiphaniæ ſacræ Euchariſtiæ participationem, ab

Eccleſia

Eccleſia eieciſſet: ille de venia impetranda deſperans, Ignatio vindictam parat, eumque ab Eccleſia expellere procurat. Et ne videatur rem illam tyrannicè magis quàm iuſtè conari, duas illi obiicit accuſationes. Primam, quòd Imperatori, cùm iuberetur Theodoram matrem inuitam in Monacham tondere, non obtemperaſſet. Secundam, quòd Gebum quemdam hominẽ ſtupidum, qui ſe Imperatricis Theodoræ ex alio viro filium eſſe dicebat, Patriarcha ſeduxiſſet. Has ob cauſas Ignatius Patriarcha iniuſtè condemnatus, in inſulam, cui nomen Terebinthus, relegatus fuit. Cumque exulantem ibidem ſępiùs ad Epiſcopatum reſignandum, per Epiſcoporum & Patriciorum comminationes fruſtrà ſollicitaſſent, hæc Pſeudoſynodus Epiſcoporum auctoritate Bardæ Patricij congregata, exturbato Ignatio Patriarcha ſanctiſſimo, Photium eunuchum ex laico indignè ſuffecit. Baronius anno 858. num. 49. & 50.

CONCIL. TVLLENSE

ob WENILONEM *Senonenſem Archiepiſcopum, pluresque alias cauſas celebratum anno Domini 859. tempore* NICOLAI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCCLIX.

CVM Wenilo Senonenſis Archiepiſcopus à Carolo Rege ad Ludouicum defeciſſet, ad inſtantiam Regis Caroli duodecim Prouinciarum Epiſcopi ad Tullum conuenerunt; atque propter ea, quæ infrà in Actis Synodalibus reperiuntur, fidem Catholicam confirmantes, Prædeſtinatianorum hæreſim atque errores Godeſcalci condemnarunt occaſione iſta: Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus Capitula quædam haud pridem in Conuentu Lingonienſi ſcripta in Synodali Patrum conſeſſu legi curauit: quæ cùm lecta fuiſſent, commoti ſunt plurimi Epiſcopi, eò quòd viderent in illis Prædeſtinatianorum hæreſim innouari. Cumq; parati eſſent publicè reclamare, cohibiti ſunt à Remigio: quia nimirùm ille vtilius eſſe iudicabat, vt quæ Catholicæ fidei eſſent, ipſi proferrent, atque iſta ratione Aſſertiones Catholicæ fidei aduerſantes cõdemnarent.

Acta huius Concilij hactenus numquam edita Baronius emiſit in lucem.

ACTA CONCILII TVLLENSIS.

VT charitas fraterna & concordia pacis reformetur inter fratres Principes ſcilicet, ac glorioſos Reges noſtros, Ludouicum & Carolum.

I. Qualiter ſchiſma, quod ortum eſt nuper in Eccleſia, ad vnitatem benignitatis valeat redintegrari, ſtatus Eccleſiæ pænè collapſus reſtitui, & pax & iuſtitia in populo Chriſtiano valeat procurari, & qui à fidelitate debita defecerunt, iudicio & iuſtitia per rectam rationem, & rationabilem miſericordiam poſſint ſaluari, & à peruerſo conamine ad ſalubriorem conuerti.

II. Epiſcopi namque ſecundùm illorum miniſterium ac ſacram auctoritatem vniti ſint, & mutuo conſilio atque auxilio Reges, Regumque Primores, atque populum ſibi commiſſum in Domino regant, & corrigant; & nemo ſe ſolatio mutuo ſubtrahat; ſed Synodales conuentus ſecundùm iuſſionem Canonicam frequentare procurent, quatenus Ordo Eccleſiaſticus, qui quaſi obliteratus iam fuerat (quoniam Synodi propter diſcordiam Regum frequentari non poterant) Epiſcopali collatione ad neceſſarium ac debitum ſtatum reduci præualeat: vnde etiam conſenſum apud Reges expetitum obtinuerunt.

III. Reges nihilominùs ac Principes noſtri, Carolus, Lotharius, atque iterùm Carolus, ad Dei voluntatem, atque ſanctæ Eccleſiæ ſtatum, ſuamque ſalutem, & populi ſubleuationem, gratias Deo, vniti & in eadem ſalutari vnitate firmati ſint.

IV. Peruentum eſt ante Conuentum Epiſcoporum, quemdam Diaconum, cui Tortoldus nomen eſt, Epiſcopalem dignitatem in vrbe Baiocenſium occupaſſe,

paſſe, & pollicitationibus atque minis ſollicitare multos, ac perturbare. Vnde definiuit ſancta Synodus, vt Wenilo Senonum Archiepiſcopus, cuius Diaconus fuit, adiunctis ſecum tribus aliis, memoratum Diaconum euocatum audiant, & ſecundùm auctoritatem Canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitẽte principali poteſtate, venire ad audientiam compellatur. Quòd ſi hanc quoque declinauerit, anathemate feriatur.

V. De quodam etiam Subdiacono Anſcario, qui viuo & incolumi Epiſcopo ciuitatis Lingonum ſedem peruaſit, ſimili eſt ſententia definitum: ſed interuenientibus Legatis eiuſdem Subdiaconi, humanior eſt prolata ſententia; videlicet, vt ſacramento confirmet, ſe numquam talia huiuſmodi præſumptione facturum: cuius ſacramenti tenorem huic Capitulo ſubnectere dignum exiſtimauimus.

Ego Anſcarius Subdiaconus confiteor coram Domino, & ſanctis Angelis eius, reuerentiæ ſanctæ paternitatis veſtræ, contra Dei voluntatem, & contra Canonica Statuta temerè me feciſſe in Iſaac venerabilem pontificem, vſurpando ſedem Eccleſiæ ſanctæ ſibi commiſſæ Lingonicæ, & ſollicitando Clericos & vaſallos eius, omnemq; familiam. Atque ideò pro tantæ præſumptionis exceſſu, per ſacri miniſterij veſtri vobis largitam à Domino poteſtatẽ veniam mihi pœnitenti largiri ſuppliciter deprecor. Deinceps verò nec in eumdem Antiſtitem, nec in alium quemlibet, nec in illa nec alia Eccleſia huiuſmodi prẹſumptionem facere tentabo. Et neque illi aut alicui ſuorum Clericorum aut laicorum in aliqua re impedimentum faciam pro hac cauſa, quia me grauiter deliquiſſe confiteor. Nec inſidias eis vllius inquietudinis parabo, neque per me, neque per aliquem meorum propinquorum, neque per quemcumque hominem; ſed adiutor pro viribus & intelligentia ipſi fuiſſeque ero, prout ſibi placuerit. Et quiſibi pro hoc ipſo inimici ſunt, quos ipſe voluerit, ſi potuero, colligare eidem procurabo. Sic me Deus adiuuet, & iſtæ ſanctæ Sanctorum Reliquiæ.

VI. Statuit etiam S. Synodus, vt numquam ad eamdem Lingonienſem Eccleſiam, ſiue ad Lanuacenſem, quam iam pridem pari modo afflixerat, debeat aſpirare. Et ſi ita, vt præmiſimus, iuſſis Epiſcopalibus obedire refugerit, ſententiam ſuperiùs Diacono datam incurrat.

VII. Deinde glorioſus Rex domnus Carolus ſacræ Synodo libellum appellationis, electorumque iudicium inter ſe & Wenilonem Senonum Archiepiſcopum, qui ab eo defecerat, & damnationis diploma porrexit. Vnde ſecundùm ſacram auctoritatem, & induciæ, & dierum prolatio per Epiſcopos & Synodicas literas præfato Archiepiſcopo eſt intimata, atq; conceſſa ſecundùm regulas diuinitus promulgatas.

VIII. Mota eſt etiam quæſtio de Attone Virdunenſium Epiſcopo, quòd oblatione regulari (vnde petitio ibidem eſt præſentata) in Monaſterio S. Germani Antiſiodorenſium extiterit, & contra regulas Eccleſiaſticas inde diſcedens, minùs prouiſè, quàm ſacra auctoritas doceat, ad ordinem Epiſcopalem peruenerit. Vnde etiam definitum eſt, dari ſibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, ſicut ſacra ſanxit auctoritas.

IX. Ad Epiſcopos ſiquidem Britonum, qui ſe contra auctoritatem à Metropoli ſua moliuntur diſcindere, Synodus literas ſecundùm auctoritatem ſacram direxit, quatenus ad ſuam Metropolim redeant, eique debito iure ſe ſubdant; nec à Canonica & Epiſcopali congregatione ſe ſegregent. Excommunicatis etiam, ſicut ſacræ decernunt regulæ, Britones communicantes, ipſi ſe ſacra communione non priuent.

X. Ad memoratos quoque excommunicatos ſancta Synodus literas direxit, eiſque vſque ad futuram proximam Syn-

Synodum corrigendi ſpatium tribuit, monens Eccleſiaſtica pietate, vt conuertantur, & viuant. Quia niſi ſe correxerint ad futuram Synodum, generali vnanimitate anathemate terribili ferientur.

XI. Relicta ſunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, ſuper quibus quorumdam fratrum ſenſus diſſentire probantur. Vnde conuenit inter Epiſcopos, vt Deo fauente, pace & tranquillitate impetrata, ſimul conueniant, & prolatis ſanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt, concordi vnanimitate ſequantur.

XII. Tandem poſtulauit humiliter Synodus Generalis, ſe ad terram vſque proſternens ante Carolum Regem, & Rodulphum Biturigum Archiepiſcopum obſecrans, & adiurans per Crucem & Chriſti Sanguinem, vt priuilegium Monaſterij S. Benedicti, quod annuente Rege præfato firmauerat, quodque idem Rodulphus ſubſcripſerat, inconuulſum ſeruare ſtuderent. Quòd ſi Abbas negligens, & ſacris Regulis inconueniens per directos Miſſos inuentus fuerit, ab eadem paternitate remoueatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, ſubſtituatur; & priuilegij regularis auctoritas in eodẽ Monaſterio quacumq; occaſione non deſtituatur.

XIII. Hæc de præcipuis in eadem ſacra Synodo fuere ſtatuta: ceterùm, ſpecialia de quibuſque Parochiis, prout viſum fuit, ſecundùm Eccleſiaſticam auctoritatem definita, & Epiſcopis in propriis Parochiis ſunt ad exequendum commiſſa.

XIV. Placuit omnibus (vt creditur) inſtinctu diuino, qui ad Vniuerſale Concilium in Viciniam Tullenſium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quò inuenirent aliquid, vbi conſolationis gratia reſpirarent. Statuerunt itaque vt pro ſe inuicem omnes dum aduiuerent, preces in eiuſmodi frequentarent, &c.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT. SIVE PHOTIANVM II.

aduerſus IGNATIVM *celebratũ anno Domini 859. tempore* NICOLAI *Papæ, &* MICHAELIS *Imperatoris Orientalis.*

POST relegatum Ignatium, Photius videns quamplurimos adhuc pro Ignatio ſtare, Imperatori Michaëli miniſterio Bardæ perſuaſit, vt congregaret Concilium ſibi adhærentium Epiſcoporum, qui eumdem Ignatium damnarent, atque hac arte Epiſcopos & populum ab Ignatij affectione diuellerent. Quod cùm Imperatori non ingratum fuiſſet, *Photius,* inquit Nicetas in Vita Ignatij, *congregata ſua iniquorum caterua in ſacro templo glorioſorum Apoſtolorum, priuationem promulgat aduerſus Ignatium abſentem, necnon illum anathemate damnat: ipſe ſcilicet accuſator factus & Iudex, & quoſcumque videbat huic animo ſuo, & iniquæ huic actioni adhærentes, & rebus quæ fiebant ſubſcribentes, inter præcipuos amicos & charos comminiſtros habebat: qui verò huic iudicio iniquè habito ſe obijcientes hæc approbare nolebant, hos Prætorio & carceribus variis modis puniendos tradebat.* Cumq; Acta Photij velut iniuſta plurimi reprehenderent, ipſeque à propria conſcientia redargueretur, Legationem miſit ad Nicolaum Papam, per ſummam fraudem allegans, quòd Ignatius propter ſenium & imbecillitatem Eccleſiæ Præfecturam reſignaſſet, & in quamdam inſulam profectus cum omni honore, cultu, & obſequio, tum ab Imperatore, tum etiam ab vniuerſa ciuitate habitus, in Monaſterio viueret. pietatem quamdam ſingularem ſimulatè præ ſe ferens, petebat, vt Eccleſiam corrigeret, illoſque à Chriſtiano nomine reſcinderet, qui Iconomachorum hæreſim tuerentur: ſub quo pietatis ſimulatæ prætextu hoc interim curabat, vt Ignatij depoſitionem Romanæ Eccleſiæ ANNO DOMINI DCCC. LIX.

Digitized by Google

cleſiæ auctoritate firmiorem redderet. Suaſu Photij Michaël Imperator ſuam adiunxit Legationem, literis, donis ac muneribus inſtructiſſimam. Impetratum eſt hoc vnum dumtaxat, vt Rodoaldus Portuenſis & Zacharias Anagniæ ciuitatis Epiſcopi ad cauſam non tam dirimendam quàm perueſtigandam Conſtantinopolim mitterentur. Quid verò illi hac in re effecerint, infrà patebit. Vide Baronium anno 859. num. 54. & 860. num. 1.

CONCILIVM CONFLVENTINVM,

quo inter quinque Reges Galliarum pax & concordia ſancitæ fuerunt, anno Domini 860. tempore NICOLAI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCC.LX. IN hoc Concilio nil aliud, quàm quod in titulo dictum eſt, conſtituitur. Vide Binium hîc.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM

Oecumenicum falsò nuncupatum, quo CCCXVIII. *circiter Epiſcopi* IGNATII *iniuſtam condemnationem, &* PHOTII *illegitimam intruſionem confirmarunt, anno Domini 861. tempore* NICOLAI *Papæ, &* MICHAELIS *Imperatoris.*

DCCC.LXI. IN hac Pſeudoſynodo à trecentis & octodecim (vt ipſi iactabant) ſchiſmaticis Epiſcopis, Ignatius ab exilio ad iudicium vocatus, iniquiſſimè damnatur, & quaſi cõtra trigeſimum Canonem Apoſtolorum ordinatus fuiſſet, à ſede Patriarchali deponitur, & planè degradatur. Legati Sedis Apoſtolicæ diu multumque reluctati, horrendis tandem terroribus inducti, iniquæ ſententiæ ſubſcripſerunt. Cumq; nullo ſupplicio Ignatium inducere poſſent, vt ſuam ipſius condemnationem ille propria manu & ſubſcriptione approbaret, ſubſcripſit pro eo Photius ita: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, & his annis non ſanctè me geſſiſſe, ſed tyrannicè.* Vnde Nicolaus Papa in epiſt. 8. ad Michaëlem Imper. hâc Synodum latrocinalem meritò appellat. Primùm, Quòd in ea omnia per vim, minas, & terrores, nec quidquam ſecundùm ordinem ſacrorum Canonum geſtum fuerit. Secundò, Quia à ſchiſmaticis & damnatis Epiſcopis Synodus celebrata eſt. Tertiò, Quia eidem Imperator contra Canones præſedit. Denique, Quòd in ea literæ Apoſtolicæ partim non fuerunt recitatæ, partim etiam Photius eaſdem deprauauit & corrupit. Hęc omnia prolixè Nicolaus Papa in epiſt. 9. ad Michaëlem Imperatorem.

Vocatur autem hoc Concilium Oecumenicum apud Balſamonem, idque ob numeroſitatem Epiſcoporum, & præſentiam Legatorum Sedis Apoſtolicæ: ſed Nicolaus Papa, vt dictum eſt, vocat hanc Synodum latrocinalem.

CONCILIVM ROMANVM I.

in cauſa IOANNIS *Rauennatis Epiſcopi celebratum, anno Domini 861. tempore* NICOLAI *Papæ, &* LVDOVICI II. *Imperatoris.*

CVM Ioannes Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubditos ſuos fideles grauiter afflixiſſet, innocentes excommunicaſſet, peregrinantium ſtudiis & piis operibus reſtitiſſet, monituſque hac de cauſa à Pontifice, nequaquam abſtinuiſſet, vel etiam ad Synodum vocatus, aliquoties non comparuiſſet; Pontifex eum in hoc Patrum cõſeſſu iuſta anathematis ſententia condemnauit. Cumque ab Imperatore Ludouico ſubſidium & auxilium fruſtrà implorasſet, omni præſidio deſtitutus tandem comparuit, actaque de commiſſis pœnitentia, in communionem Eccleſiæ iterùm receptus fuit. DCCC.LXI.

Digitized by Google

CONCIL. ROMANVM II.

quo occaſione quorumdam Orientalium hæreſis THEOPASCHITARVM *iterùm pullulans damnata eſt, anno Domini* 862. *tempore* NICOLAI *Papæ*.

ANNO DOMINI DCCC LXII. IN epiſtola Nicolai Papæ duo Canones in hac Synodo conſtituti reperiuntur poſt hoc Præambulum:

Inſuper autem quid in alia Synodo à nobis olim collecta decreuerimus aduerſus eos, qui Diuinitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti cum Valentino, Marco, Apollinari, & Eutyche ſectatoribus eorum contra primum Paſtorem & Apoſtolum, qui Chriſtum carne paſſum dicit, paſſibilem ore ſacrilego in quibuſdam regionibus veſtris prædicare dicuntur, ſubter annexis Capitulis declaratur. Quæ ſunt:

Veraciter quidem credendum eſt, & omnimodis profitendum, quia Redemptor noſter & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus & Dei Filius paſſionem crucis tantummodò ſecundùm carnem ſuſtinuit. Deitate autem impaſſibilis manſit, vt Apoſtolica docet auctoritas, & ſanctorum Patrum lucidiſſima doctrina oſtendit.

His autē, qui aiunt, quia Redemptor noſter & Dominus Ieſus Chriſtus Deus & Dei Filius paſſionem crucis ſecundùm Deitatem ſuſtinuit (quod impium eſt, & Catholicis mentibus execrabile) anathema ſit.

CONCILIABVLVM AQVISGRANENSE,

quo VIII. *Epiſcopi declararunt* LOTHARIVM *Francorum Regem à vinculo matrimonij cum* THEVTPERGA *contracto, liberum & ſolutum eſſe, ideò quòd ipſa cum fratre inceſtuoſum adulterium commiſiſſet. Celebratum fuit anno Domini* 862. *tempore* NICOLAI *Papæ*.

DCCC.LXII. HVNC Conuentum Epiſcoporum Lotharius Rex Francorum ea de cauſa indixit, vt honeſto aliquo prætextu Theutpergam vxorem legitimam dimitteret, & Waldradam pellicem, quam à pueritia adamauerat, in coniugem duceret. Promiſerat Gunthario Colonienſi Archiepiſcopo Lotharius, teſte Reginone, futurum, vt eius neptem acciperet in vxorem: qua varia ſpe ille elatus, Theutgaudum Treuirenſem Archiepiſcopum in ſuam ſententiam pertraxit. Variis itaque cauſis repudiandæ vxoris legitimæ excogitatis, per grauem errorem declararunt, quòd cùm Theutperga adulterij, inceſtus cum fratre Humberto commiſſi, ſe ream confiteretur, Lotharius eiuſdem cōiugio ſolutus, tamquam innocens, poſt dimiſſam adulteram, cum alia matrimonium licitè contrahere poſſit. Ad eiuſdem Regis cauſam firmiùs corroborandam, Aduentius oblato libello (qui extat apud Baronium anno 862. num. 29.) longam texuit fabulam, qua conatur probare, Waldradam Lotharij pellicem, ei iam à tenera ætate matrimonio iunctam fuiſſe; Theutpergam verò poſteà eidem inuito, à patre Lothario Auguſto obtruſam eſſe: ac proinde non Theutpergam, ſed Waldradam legitimam Regis Lotharij vxorem eſſe. Eos, qui Concilio interfuerunt, Nicolaus Pontifex excommunicauit. Vide Baronium vbi ſuprà.

CONVENTVS

trium Regum Francorum, & Epiſcoporum Galliæ in villa ad SABLONARIAS *dicta, quo inter tres,* LVDOVICVM, CAROLVM *&* LOTHARIVM *fratres, & Reges Galliæ, pax eſt conſtituta, anno Domini* 862. *tempore* NICOLAI *Papæ*.

CVM Lotharius apud Sedem Apoſtolicā accuſaretur, quòd Engeltrudem vxorem Boſonis Comitis fugitiuam & adulteram, alioſque homines nefarios & ſceleſtos in Regno ſuo contra literas Pontificias reciperet, ſcripta ad Reges Galliæ noua epiſtola, hunc Conuentum congregari mandauit. Laborauit in accelerando Conuentu Rex Ludouicus, ideò inprimis, DCCC.LXII.

mis, quòd Carolus ſe à Lothario planè ſeiunxiſſet, donec iuſſa Pontificis adimpleret. Res in Conuentu geſtas recitat Baronius anno Domini 862. num. 26. & ſeqq.

CONCILIABVLVM METENSE

in cauſa repudij THEVTPERGAE *Reginæ à* LOTHARIO *Rege facti, anno Domini 863. menſe Iunio, Indictione vndecima celebratum.*

ANNO DOMINI DCCCLXIII. HIC Conuentus Epiſcoporum, quem Nicolaus Papa in epiſtola Synodali Concilij Romani ſubſequentis, Synodi nomine indignum eſſe iudicat, congregatus eſt iſta occaſione: Poſt pacem & concordiam in Conuentu præcedente initam, Lotharius Rex, vt fratrem Carolum eluderet, eiuſque pœnam & vindictam ſubterfugeret, ad Sedem Apoſtolicam prouocauit, rogans Pontificem, vt Synodum in Galliis celebrandam indiceret, & ad eam Legatos mitteret, qui vnà cum Epiſcopis cauſam ſuam cognoſcerent, & iudicarent: Colonienſi enim & Treuirenſi Archiepiſcopis, quos in ſuas partes pertraxerat, confidebat, eorumque patrocinio ſuam cauſam approbandam eſſe firmiter ſibi perſuadebat. Detulit appellationi Regis ſanctiſſimus Pontifex, indixit Synodum Metis in Gallia celebrandam, conuocauit Galliæ & Germaniæ Epiſcopos, & ad eamdem Rodoaldũ & Ioannem Sedis Apoſtolicæ Epiſcopos, dato iis rerum agendarum Commonitorio, ablegauit. Factum eſt initium Concilij anno 863. per Indictionem vndecimam menſe Iunio in vrbe Metenſium. De Legatis hæc Regino: *In Franciam venientes, pecunia corrupti magis fauerunt iniquitati quàm æquitati. Tandem ad Regem peruenientes, cùm ei declaraſſent Legationis ſuæ cauſas, tale reſponſum acceperũt: Se nihil aliud egiſſe, niſi quod Epiſcopi ipſius Regni in Generali Synodo ſibi agendum præmonſtraſſent. Dederunt autem iidem Legati conſilium Regi, vt illos Epiſcopos, qui illi Synodo præfuerunt, ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret, qui verbis ac ſcriptis vniuerſali Papæ ſatisfacerent.* Hæc Regino. Vide Baronium anno 863. num. 18. & ſeqq.

CONCIL. ROMANVM III.

quo ACTA METENSIS CONCILIABVLI *reprobantur, &* GVNTHARIVS *Colonienſis,* THEVTGAVDVS *Treuirenſis Archiepiſcopi, vnà cum ſectariis & complicibus Epiſcopis excommunicantur & deponũtur, anno Domini 863. tempore* NICOLAI *Papæ.*

EA quæ apud Acta Concilij prolixiùs recenſentur, Annales Francorum Pithœi breuiſſimè commemorant his verbis: *Qui* (Nicolaus ſcilicet, Pontifex Romanus) *conuocato Romanæ Sedis Epiſcoporum Concilio, & Metenſem anathematizauit Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos, Guntharium ſcilicet & Theutgaudum depoſuit, & communione priuauit, iuſtè quidem & Canonicè, vt ſcriptis ſuis ipſe fatetur: iniuſtè verò, ſicut illi ſcriptis & aſſertionibus firmare conantur.* Vide Baronium anno 863. num. 20. 21. 22. & ſeqq. DCCCLXIII.

CONCIL. ROMANVM IV.

quo ZACHARIAS *Apoſtolica Legatione in Oriente malè functus, excommunicatur, & deponitur,* PHOTIVS *&* GREGORIVS *Syracuſanus condemnantur,* IGNATIVS *ſedi Conſtantinopolitanæ per ſententiam reſtituitur,* CVLTVSQVE IMAGINVM *aduerſus* ICONOCLASTAS *confirmatur, anno Domini 863. tempore* NICOLAI *Papæ.*

ACTA & Capitula huius Concilij extant in epiſt. 7. Nicolai Papæ, quæ apud Binium reperitur: de qua hoc obſeruatu dignum eſt, quòd ſex dũtaxat Synodos Oecumenicas citat ideò, quia Acta Septimæ Synodi Romæ extantia, ita ex Græco malè reddita & tranſlata habebantur, vt quantumuis ea ab Adriano Papa I. DCCCLXIII.

 eiuſ-

eiuſque ſucceſſoribus probata & confirmata eſſet: poſteri tamen non eodem præconio, titulo nimirum Oecumenico eadem proſecuti fuerint, quoaduſque fidelioribus adhibitis exemplaribus ex puriſſimis fontibus Latinitati darentur: quod præſtitit egregiè Anaſtaſius Bibliothecarius, vt in eius Præfatione ad Ioannem VIII. in Notis VII. Concilij apud Binium habetur. Dum itaque Nicolaus in hac epiſtola de Septima Synodo tacuit ex prædicta cauſa, circa ipſam iudiciũ ſuum dumtaxat ſuſpendit, numquam verò Oecumenicum eſſe dicendum negauit.

Photius calumniator, hanc rem in deteriorem partem accipiens, Nicolao Papæ negotium faceſſit, quaſi non niſi ſex Oecumenicas Synodos ille reciperet: cùm tamen pluribus literis edocuerit, eam ſemper ab Eccleſia Romana receptam atque ſeruatam, vniuerſalique Eccleſiæ ſeruandam fuiſſe propoſitam. Vide Baronium anno 863. num. 6.

In hoc ergo Concilio Zacharias, Apoſtolica Legatione in Oriente malè functus, excommunicatur & deponitur, Photius & Gregorius Syracuſanus condemnantur, Ignatius Sedi Conſtantinopolitanæ per ſententiam reſtituitur, cultuſque Imaginum aduerſus Iconoclaſtas confirmatur. Vide epiſtolam 7. Nicolai Papæ.

CONC. SILVANECTENSE,

quo auctore HINCMARO *Rhemenſi Archiepiſcopo,* RHOTALDVS *Sueſſionenſis Epiſcopus deponitur, ſubſtitutoque ei alio quodam Epiſcopo, in Monaſterium detruditur. Habitum fuit anno Domini 863. menſe Iunio, Indictione vndecima, tempore* NICOLAI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCC-LXIII. CVM Hincmarus Sueſſionenſis Concilij confirmationem à Nicolao Papa ſurreptitiè obtinuiſſet, opus quod diu contra Rhotaldum Epiſcopum Sueſſionenſem mente conceperat, perficere aggreditur; indictoque hoc Concilio, eumdem Epiſcopatu depoſitum in Monaſterium detruſit. Cumque ille ad Sedem Apoſtolicam appellaret, eidem non modò nihil honoris detulit, ſed etiam alium quemdam in eius locum ſurrogauit. Quod factũ Hincmari iniquiſſimum cùm vicini complures deteſtarentur, non tantùm ipſi iniuriam Rhotaldo illatam Pontifici denuntiarunt, verùm etiam libellum ſupplicem ipſius Rhotaldi eidem Nicolao Pontifici obtulerunt. Ab ipſa Synodo miſſa eſt Romam Legatio per Odonem Bellouacenſem Epiſcopum, quæ peteret auctoritate Apoſtolica confirmari, quæ ab ipſis in hac Synodo acta fuiſſent. Addiderunt Synodicam ad eumdem acerbiſſimam, quibus illi ea, quæ in Metenſi Concilio conſenſu Legatorum Sedis Apoſtolicæ pro illegitimo Lotharij coniugio geſta erant, à Nicolao Papa etiam approbata fuiſſe putantes, eumdem Papam rogarunt, vt ſententiam ſuam mutaret, & Generale Concilium conuocaret. Quibus omnibus acceptis, quid Pontifex egerit, quídve reſponderit, in ſequenti Concilio Romano V. ſubiungam. Vide Baronium anno Domini 863. num. 36. & 69.

CONCIL. ROMANVM V.

quo ACTA CONCILII SILVANECTENSIS *reprobantur, &* RHOTALDVS *ſedi Epiſcopali, à qua eiectus fuerat, reſtitui iubetur. Celebratum eſt anno Domini 863. tempore* NICOLAI *Papæ.*

CVM iudicium Siluanectenſis Synodi per Synodicam eiuſdem Concilij Nicolao Pontifici innotuiſſet, & ſuprà memoratus libellus appellationis Rhotaldi Sueſſionenſis Epiſcopi eidem Papæ redditus fuiſſet, accepiſſetque eas, quas Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus & Carolus Rex per eumdem Legatum miſerant epiſtolas, collecto Romanæ Eccleſiæ Presbyterio atque vicinis Epiſcopis, adhibita diligenti totius cauſæ conſultatione, Acta Synodalia Siluanectenſis DCCC-LXIII.

fis

ſis Concilij, vtpote quæ ſacris Canonibus aduerſarentur, omnino improbauit, & ſimul irrita reddidit. Eadem hac Synodo conſtitutum fuit, vt niſi Hincmarus, aliique complures Epiſcopi ter quatérve moniti Rhotaldum Sueſſionenſem Epiſcopum iniquiſſimè Sede ſua amotum, ſpatio triginta dierum reſtituerint, à Miſſarũ celebratione omnes ſuſpenſi habeantur eamdemque pœnam incurrant, quam ipſi Rhotaldo iniuſtè inflixerant. Cumque ijdem Siluanectenſis Concilij Patres ſua epiſtola Synodali allegaſſent, Rhotaldi appellationi non fuiſſe deferendum, ideò quòd ei Leges Imperiales aduerſarentur: reſponderunt Pontifex & Epiſcopi huius Concilij, non eſſe vtendum Legibus ſæcularibus, & Imperatoriis ſanctionibus, quando Leges Eccleſiaſticæ illis contradicunt. Vide Baronium anno 863. num. 82.

CONCILIVM
in loco qui dicitur PISTIS, *ad Sequanam fluuium celebratum, anno Chriſti* 863. *tempore* NICOLAI *Papæ* I.

ANNO DOMINI DCCCLXIII. CONCILIVM hoc videtur potiùs quidam eſſe Regni Procerum Conuẽtus, quàm Epiſcoporum Synodus: vnde Auctor Annalium huius Conuentus nuſquam meminit, fortaſſe quia politicus magis quàm Eccleſiaſticus conuentus eſt. Extat tamen apud Binium.

CONCIL. ROMANVM VI.
quo RODOALDVS *Portuenſis Epiſcopus in Legatione Apoſtolica præuaricator inuẽtus, Epiſcopatu depoſitus, & excommunicatus eſt, anno Domini* 864. *tempore* NICOLAI *Papæ.*

DCCCLXIV. RODOALDVS Portuenſis & Ioannes Ficodenſis Epiſcopi, rerum agendarũ Commonitorio inſtructi, Sedis Apoſtolicæ auctoritate in Galliam ablegati fuerant ad Concilium Metenſe, vt cauſam repudiatæ legitimæ coniugis Lotharij Regis diligenter examinarent. Verùm illi à Lothario Rege pecunia corrupti, vt ſuprà in Concilio Metenſi dictum eſt, *magis*, inquit Regino, *fauerunt iniquitati quàm æquitati*, datoque adulatoribus Epiſcopis conſilio, iniquæ ſententiæ Conciliabuli Metenſis cooperati fuerunt. Quare cùm, Actis eiuſdem Concilij reprobatis, atque Gunthario Colonienſi & Theutgaudo Treuirenſi Archiepiſcopis condemnatis, Legati Sedis Apoſtolicæ præuaricationis ſuæ nullam adhuc pœnam retuliſſent (Rodoaldus enim dum cognouiſſet, Zachariam Epiſcopum Anagninum ſuum in Legatione Orientali collegam, ſententiâ Sedis Apoſtolicæ damnatum, atque ab Epiſcopatu depoſitum eſſe, malè ſibi conſcius, & noui criminis patratione pauefcens, per loca incognita & inuia vagabatur, vt iudicium Pontificis ſubterfugeret) hæc Synodus auctoritate Nicolai Papæ congregata, Rodoaldum aliquoties citatum, & contumaciter emanentem, Epiſcopatu ſimul & communione Eccleſiæ priuauit. Hæc ex 7. & 10. epiſtola Nicolai Papæ Baronius anno Domini 864.

CONCIL. ROMANVM VII.
quo RHOTALDVS *Sueſſionenſis Epiſcopus iuſſu Pontificis per* HINCMARVM *Rhemenſem Archiepiſcopum poſt quartam admonitionem à vinculis ſolutus, Romamque citatus, pleniſſimè Sedi ſuæ reſtituitur, anno Domini* 865. *tempore* NICOLAI *Papæ.*

HINCMARVS Rhemenſis Archiepiſcopus, cum reliquis Galliarũ Epiſcopis qui Siluanectenſis Concilio interfuerãt, & Rhotaldum Sueſsionenſem Epiſcopum iniuſto iudicio Epiſcopatu ſuo amouerant, vinctũmque in Monaſterium detruſerant, à Nicolao Pontifice ter quatérve moniti, iuſſui Pontificis tandem obtemperantes, ipſum Rhotaldum vinculis ſoluerunt, idque Pontifici per Diaconum & ſcriptas ad eum epiſtolas ſigni- DCCCLXV.

ſignificarunt. Cumque Pontifex ſcripta ad Rhotaldum epiſtola 34. eum Romam venire iuſſiſſet, Hincmarus verò aliter quàm promiſerat, ab incœpto itinere eumdem aliquoties impediuiſſet, peremptorium terminum ſiſtendi illum Romæ præſcripſit: quo deuoluto, ille Rhotaldum liberè Romam abire permiſit: ſed noluit, vt Pontifex præceperat, ſuos Legatos mittere, qui aduerſus eum cauſam proſequi poſſent. Cùm verò iam octo menſes agerentur, ex quo Rhotaldus Romam veniens accuſatores expectaret, nec aliquis omnino cōpareret, qui pro Hincmaro & vniuerſo Concilio Siluanectēſi cauſā proſecuturus adeſſet, Nicolaus Pontifex non eſt paſſus diutiùs Romanæ Eccleſię maieſtatem aduerſariorum contumacia traduci. Quamobrem ex ſacrorum Canonum præſcripto ad Rhotaldi reſtitutionem iudicium præparauit. Quomodo autem id exorſus, atque ad finem vſque proſecutus fuerit, Anaſtaſius Bibliothecarius ſic enarrat: *Veniente Rhotaldo huc Romanam ſecundùm mandatum beati Papæ ad vrbem, & per nouem menſes hîc commorante, numquam penitùs ex accuſantium parte quiſpiam adfuit,* &c. His anno Domini 864. peractis, ſequente anno, menſe Februario hanc Synodum Pontifex conuocauit, in qua Rhotaldum per ſententiam Synodalem poſt multos labores exantlatos, ſuæ Eccleſiæ pleniſſimè reſtituit. Vide Baronium anno 865. nu. 1. & 864. num. 17. & 18.

CONC. SVESSIONENSE *de* ORDINATIONE CLERICORVM *congregatum, anno Domini 866.*

ANNO DOMINI DCCC.LXVI.

HANC Synodum auctoritate Nicolai Papę indictam fuiſſe, teſtatur epiſtola Nicolai Papę ad Henricum Turonenſem Archiepiſcopum: ex qua etiam videri poteſt, quid in hoc Concilio geſtum, factum, dictúmve fuerit: quę extat apud Biniū. Vide etiā Baron. an. 866. n. 48. 67. & 72.

CONCIL. TRECENSE *occaſione præcedentis Synodi Sueſſionenſis, de* ORDINATIONE CLERICORVM *Rhemenſium ab* EBBONE *facta, conuocatum anno Domini 867. tempore* NICOLAI *Papæ.*

DE rebus in hac Synodo geſtis Frodoardus in Hiſtoria Rhemenſi libro 3. cap. 17. hæc ſcribit: *Anno Dominicæ Incarnationis 867. Synodus Prouinciarum Rhemenſium, Rhotomagenſium, Turonenſium, Senonum, Burdigalenſium, atque Bituricenſium apud Trecas 8. Kalendas Nouembris conuenit. Vbi quidam Epiſcopi, vt aſſolet, gratia Regis Caroli Vulfado fauentes, quædam contra veritatem, & Canonum ſacram auctoritatem aduerſus Hincmarum moliri cœperunt. Sed iiſdem Hincmarus eorum molitionibus ratione & auctoritate obuians, plurimorum ſententia præualente, rerum geſtarum ordinem, de quibus agebatur, communi conſenſu epiſtolā ſcriptum per Arctardum venerabilem Nannetenſem Epiſcopum, Papæ Nicolao Epiſcopi qui conuenerant, tranſ. ſerunt. Cuius epiſtola tenor idem extitit, qui fuit in epiſtola Hincmari Rhemorum Epiſcopi, quā per Clericos ſuos ſub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas inſidias, præcedente Iulio menſe Romam miſerat. Epiſtolam autem in præſcripta Synodo factam, & Archiepiſcoporum qui conuenerant ſigillis ſignatam Arctardus perferendam ſuſcipiens, cum quibuſdam Epiſcopis ad Carolum, ſicut ipſe præceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro eius honore, & Regni obtentu ſæpè ſatus Hincmarus per plures annos ſubierat, eamdem epiſtolam ab Arctardo ſibi dari exegit, & Archiepiſcoporū ſigilla confringens, geſta Synodi relegit: & quia, ſicut voluerat, in eadem Synodo Hincmarus non extitit confutatus, epiſtolam ſuo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla ſui nominis ſigillauit, & cum epiſtola Synodali per ipſum Arctardum Romam direxit: Præfa-* DCCC.LXVII.

Præfati autem Hincmari Clerici in menſe Auguſto Romam venientes, Nicolaum Papam iam valdè infirmatum, & in contentione, quam contra Imperatores Græcorum Michaëlem & Baſilium, ſed & contra Orientales Epiſcopos habebat, magnopere laborantem inuenerunt. Quapropter vſque ad menſem Octobr. ibidem ſunt immorati. Nicolaus verò Papa gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ei ſcripſerat, de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram epiſtolam eidem, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens, præfatos Græcorum Imperatores, ſed & Orientales Epiſcopos calumniari S. Romanam Eccleſiam, imò omnem Eccleſiam quæ Latina vtitur lingua; quia ieiunamus in Sabbato: quòd Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere dicimus: quia Presbyteros ſortiri coniuges prohibemus: & quoniam eoſdē Presbyteros Chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicētes ipſi Græci, quòd Chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos, quòd octo hebdomadibus ante Paſcha, & 7. hebdomadibus à caſeo & ouorum eſu more ſuo non ceſſaremus: dicentes etiam, quòd in Paſcha, more Iudæorum ſuper altare pariter, cum Dominico corpore agnum benedicamus, & offeramus. Succenſentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas ſuas radunt, & dicentes, quia Diaconus non ſuſcepto Presbyteratus officio apud nos Epiſcopus ordinatur. De quibus omnibus per ſingulas Prouincias à Metropolitanis cum eorum coëpiſcopis ſibi reſcribi præcepit. Hæc Frodoardus, quæ ſummatim excerpta ſunt ex epiſtola Nicolai 70. quæ extat apud Binium.

CONCIL. ROMANVM

approbatum, in quo PHOTIVS *ter anathemate perculſus eſt, eiuſque volumen contra Nicolaum Papam editum, igni eſt adiudicatum, anno Domini 868. tempore* ADRIANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCC.LXVIII. ACTA huius Concilij infrà Actione VII. Octauæ Synodi ſatis perſpicuè & breuiter recitantur: ideò hîc reticentur.

CONC. WORMATIENSE

Prouinciale, ex parte reprobatum, habitum in cauſa ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, *anno Domini 868. tempore* ADRIANI *Papæ* II. *&* LVDOVICI *Imperatoris* II.

QVO tempore hæc Synodus celebrata fuerit, initium Actorum Synodalium apertè indicat, ſcilicet anno Incarnationis 868. Indictione I. decimo ſeptimo Kalendas Iunij. DCCC.LXVIII.

CANONES *huius* CONCILII *ſummatim hi ſunt.*

I. VT Baptiſmi Sacramentum non niſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte vnuſquiſque fidelium nouerit eſſe præbendum, excepto mortis periculo.

II. Vt præter Epiſcopum nullus Chriſma conficiat.

III. Epiſcopus conſecrans Eccleſiam, munus aliquod à fundatore non requirat.

IV. In Sacrificio Miſſæ præter panem & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet.

V. In adminiſtrando Baptiſmi Sacramento vniformitas ſeruetur.

VI. Vt Eccleſia cum rebus ſuis ad Epiſcopi ordinationem pertineat.

VII. Vt de redditibus Eccleſiæ quatuor fiant portiones.

VIII. Conſecratio Virginum, & benedictio vel vnctio Altaris à Presbyteris minimè fiat. Similiter non liceat eis Eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manuum Paracletum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publicè quidem in Miſſa quemcumque pœnitentium reconciliare. Quæ omnia Epiſcopis auctoritate Canonum conceduntur.

IX. Epiſcopi, & ceteri Altaris miniſtri, à coniugibus ſe abſtineant.

X. Epiſcopus, aut Presbyter accuſatus criminaliter, purgare ſe debet.

XI. Sacerdos in fornicationem lapſus publicè, Sacerdotij non poteſt habere honorem.

XII. Sacerdos, cui crimen fornicationis impingitur, & non fuerit comprobatum, iuramento ſe purget.

XIII. Epiſcopus pro leuibus & paruis cauſis neminem excommunicet.

XIV. Si Epiſcopi, innocentes, aut in minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſis noluerint, à vicinis Epiſcopis cuiuſlibet Prouinciæ communio illis vſque ad tempus Synodi non negetur.

De furtis in Monaſterio commiſſis.

XV. Sæpè contingit, vt in Monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcircò ſtatuimus, vt quando ipſi Fratres de talibus ſe expurgare debeant, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus Fratribus: & ſic in vltima Miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.

ANNOTATIO.

Hic Canon tamquam erroneus abrogatus eſt. Vide S. Thomam 3. p. q. 80. a. 6. ad 3. Bellarminum lib. 2. de Conc. c. 8.

XVI. Nulli Epiſcopo liceat à Synodo, vel ante peractam Synodum diſcedere.

XVII. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi canes ad venandum & accipitres habere non debent.

XVIII. Clerici ſine Antiſtitis ſui epiſtola ambulandi communionem in officio ſuo celebrãdo nullus impendat.

XIX. Clericus inobediens ab Epiſcopo compeſcatur.

XX. Feminæ Deo conſecratæ cum ſacro velamine, ſi fornicatæ fuerint, velamen deponere non præſumant, ſed pœnitentiæ iugo ſubmittantur.

XXI. Vidua, quæ ſacrum velamen capiti ſibi impoſuerit, & inter ceteras velatas feminas in Eccleſia orauerit, & obtulerit; ſi profeſſa eſt, ſic permaneat.

XXII. De paruulis à parentibus intra ſepta Monaſterij traditis. Vide Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. c. 17. & 18.

XXIII. De profeſſione Monachorum.

XXIV. Nullus ſæcularium, Eccleſiam aut Clericum fatigare præſumat.

XXV. Sacerdotis arbitrio pœnitentibus pœnitentiæ decernuntur, ſecundùm differentiam peccatorum. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare: originem quoque, modumque culparum, & affectus gemituſq; delinquentium diligenter examinare: temporum etiam, & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere.

XXVI. De his qui Sacerdotem ſponte occiderint. Aliàs dictum eſt.

XXVII. Idem. XXVIII. Idem.

XXIX. Idem.

XXX. De patricidis, & fratricidis.

XXXI. Leproſi, ſi fideles ſint, participationem Dominici Corporis & Sanguinis habeant.

XXXII. In quota generatione fideles copulentur.

XXXIII. De his qui cum duabus ſororibus fuerint fornicati, vel cum his perſonis de quibus ſacra Scriptura prohibet.

XXXIV. De eo qui cum commatre ſpiritali, vel cum ea quam de ſacro Fonte Baptiſmatis ſuſceperit, aut cum illa quam ante Epiſcopũ tenuerit, cùm ſacro Chriſmate fuerit vncta, fornicationem perpetrauerit.

XXXV. De mulieribus, quæ conceptos in vtero infantes voluntariè excutiunt, vel quæ dormiendo filios ſuffocant.

XXXVI. De eo qui viduam in matrimonium ſuſceperit, & cum filia eius, quam ex priori marito habuit, concubuerit, vel quæ patri filioque ſe ſubſternunt,

Digitized by Google

nunt, ſeu de his qui cum duabus ſororibus concubuerint.

XXXVII. Qui pro diuerſis erratibus pœnitentiam ſubierint, nullatenus legitimo matrimonio ſeparentur.

XXXVIII. Qui ſeruum proprium ſine conſcientia Iudicum, qui tale quid commiſerit quod morte dignum ſit, occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennij reatum ſanguinis emundabit.

XXXIX. De domina, quæ zeli cauſa ancillam ſuam occiderit.

XL. Epiſcopus non ordinet eum, quem alterius ſeruum eſſe cognouerit.

XLI. Qui odio ad pacem non reuertuntur, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione repellantur.

XLII. Ne ſine accuſatione legitima quiſpiam condemnetur.

XLIII. De refugis ac perfidis laicis.

De adulteris.

XLIV. Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem irruerit, ſeptem annos pœnitentiam agat.

ANNOTATIO.

Vſque ad hoc Cap. 44. placuit de hoc Concilio hîc ponere: nam quæ ſequuntur in Binio, ad hanc Synodum pertinere non videntur, cùm interdum repetantur, quæ iam ſuperius iiſdem penè verbis ſancita leguntur.

SANCTA SYNODVS VIII. GENERALIS CONSTANTINOP. IV.

Centum & duorum Epiſcoporum, quo IGNATIVS *ab exilio cum dignitate reuocatus, ſediq; Conſtantinopolitana reſtitutus eſt,* PHOTIO *cum ſequacibus, & omnibus Iconomachis exauctoratis, & anathemate damnatis, anno Domini* 869. *die* 5. *Octobris inchoata, anno autem ſequente* 870. *vltimo Februarij abſoluta ſub* ADRIANO *Papa* II. *&* BASILIO *Imperatore.*

ANNO DOMINI DCCCLXIX. ET DCCCLXX.

OECVMENICA eſt hæc ſacroſancta Synodus: ſic enim eam appellat Anaſtaſius in ſua Hiſtorica Præfatione. *Nuncupanda eſt,* inquit, *ſine vlla contradictione Synodus Vniuerſalis Octaua, vt & appellatio, quam cum aliis Conciliis ſortita eſt, non celetur, & nomen proprium, quod ſingulariter poſſidet, non veletur.* Sic etiam teſtatur Formula Profeſſionis fidei, quæ in Ordinatione Epiſcoporum & Romanorum Pontificum ex more vſurpari ſolet. Et quidem meritò Oecumenica cenſetur eſſe Synodus, quam Romanus Pontifex Adrianus indixit: cuique conuocatis ex toto orbe Chriſtiano Epiſcopos, per Donatum Hoſtienſem, Stephanum Nepeſinum Epiſcopos, & Marinum S.R.E. Diaconum, Apoſtolicæ Legationis munere fungentes, ideoque primùm loquentes, primumq; ſubſcribentes præſedit. Imperator Baſilius adfuit quidem: ſed in fine Concilij apertè teſtatus eſt longa Oratione, non eſſe ſuum, nec vllius hominis laici, miſcere ſe Eccleſiaſticis iudiciis: & tandem poſt omnes Patriarchas non definiens, ſed ſuſcipiens & conſentiens ſubſcripſit cum illa Præfatiuncula

tiuncula & Proteſtatione præuia, ſe debuiſſe ſubſcribere poſt omnes Epiſcopos, vt olim fecerunt Conſtantinus, Theodoſius, & Martianus: tamen ſe immediatè poſt Patriarchas ſubſcripſiſſe, quia tali eum honore Epiſcopi afficere voluerunt.

Oecumenica igitur Synodus eſt iſta vnica, quę tempore Adriani Papæ II. & Baſilij Imperatoris, anno Domini 869. celebrata eſt Conſtantinopoli in cauſa viuentis adhuc Ignatij eiuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarchæ. Scio quòd in cauſa Ignatij plures Synodi Romæ & Conſtantinopoli ſub Nicolao I. Adriano II. & Ioanne VIII. habitæ fuerint; verùm ex ijs tres tantùm legitimæ, reliquæ autem omnes damnatæ habentur. Cum hac vnica Conſtantinopolitana legitimæ ſunt duæ Romanæ, quarum altera ſub Nicolao, altera ſub Adriano II. Romæ celebrata eſt: reliquæ Pſeudoſynodi ſunt omnes, atque adeò eaſdem non aliter quàm Conciliabula ſuo loco nominauimus.

Obiectiones, quòd hæc Synodus octaua dici non debeat, & an eam Græci receperint, ſimul cum ſuis Reſolutionibus apud Binium inuenies.

In hac ergo Synodo Ignatius ab exilio cum dignitate reuocatur, Sedique Conſtantinopolitanæ reſtituitur: Photius cum ſequacibus & omnibus Iconomachis exauctoratur & anathemate damnatur. Qua verò ratione iſta contigerint, ex Actis Synodalibus breuiter & compendiosè referam.

Prima Actionis Epitome. Prima Actione, quæ die quinta menſis Octobris celebrata fuit, poſtquam Legati Sedis Apoſtolicæ cum Imperatoribus Auguſtis ordine debito conſediſſent, iuſſi ſunt ingredi Epiſcopi glorioſi Confeſſores, qui numquam ab Ignatio deſciuerant, ſed eius cauſa multa perpeſſi fuerant, numero tantùm duodecim: quibus hortatu Legatorum ordine debito ſedentibus, iuſſa eſt legi Imperatoris Baſilij ad Synodum Exhortatio, Epagnoſticon dicta, qua monuit eos, quæ recta ſunt, iudicare. His peractis, Bahanes famoſiſſimus Patricius & Præpoſitus, qui in Synodo Iudicis Cognitoris munus gerebat, rogauit Legatos Apoſtolicos, vt mandatum eius, à quo miſſi eſſent, oſtendere non grauarentur, non quòd eo ipſo Apoſtolicæ Sedi quidquam derogatum vellet; ſed potiùs, quia anterioris Legati Rodoaldus & Zacharias alia quàm mandatum erat agentes, fraude doloque Conſtantini Sedem decepiſſent. Legati, qui primo hortatu id facere recuſabant, hac ratione perſuaſi, obtulerunt legendas Adriani Papæ literas ad Imperatorem datas, quibus quæ ipſis mandata erant continebantur. Epiſtolam Adriani idiomate Latino quo ſcripta erat, Legatorum inferior Marinus Diaconus legit: tranſlatam à Regio interprete deinceps recitari mandarunt. Cumque pro tanto beneficio Pontificis Ignatius Patriarcha, aliique Epiſcopi gratias egiſſent, Legati Sedis Apoſtolicę exegerunt legi eas epiſtolas, quas Vicarij ceterorum Patriarcharum Orientalium Thomas & Elias à ſuis Patriarchis ſcriptas accepiſſent. Obtemperatum eſt petitioni Legatorum, & recitatæ ſunt literæ, quas Sedes Orientales Vicariis ſuis dederant. Addita eſt lectio iſtius libelli, quem Theodoſius Ieroſolymorum Patriarcha ad Ignatiū Patriarcham Conſtantinopolitanum tranſmiſerat.

Hic libellus poſtquam recitatus fuiſſet, & de eodem totius Synodi ſententia rogata eſſet, vna voce omnium eſt laudatus, adiunctaque eſt recitatio definitionis Legatorum Antiochenæ & Ieroſolymitanæ Eccleſiarum, quæ ante Legatorum Sedis Apoſtolicæ aduentum habita eſt Conſtantinopoli, cùm morantes diu venire ab Vrbe Legatos diutiùs expectare recuſarent, qui iam integrum annum, vt habet Anaſtaſius, illic morati erant. Porrò eorum definitio non alia fuit, quàm vt in omnibus obediretur Nicolai Papæ decretis. Approbata

bata iſtorum Legatorum definitione, ad petitionem Bahanis Patricij ijdem Legati Sedis Apoſtolicæ ediſſeruerunt, quomodo Nicolaus Papa abſentem Photium condemnaſſet, & quare ipſi Conſtantinopolim venientes Photium non cõuenerint, ſed vt execrabilem habuerint: nimirũ, quòd legitima auctoritate à Romano Pontifice iuſtè condẽnatum, & à nulla Patriarchaliũ ſedium receptum, planè vitandum eſſe putauerint. Et cùm iſta reſponſione ipſũ Conciliabulum Photij aduerſus Nicolaum Romanum Põtificem celebratum (cui Legatos Oriẽtalium Patriarcharum interfuiſſe, & ſcripſiſſe mentiebatur) falſitatis redargutum eſſet, factæque eſſent acclamationes in Synodis fieri conſuetæ, primæ Actioni finis impoſitus fuit.

Actionis ſecunda compendiũ. Secunda Actio celebrata eſt ſeptima die menſis Octobris, qua per oblationem libelli ſupplicis, Epiſcopi illi, qui à S. Methodio & Ignatio ordinati, partes Photij ſectati fuerant, ad veniam & Eccleſiæ communionem recipi petiuerunt, & impetrarunt cum ea conditione, vt libellos ab Eccleſia Romana Synodo oblatos acceptarent, impoſitoſque ſuper lignum S. Crucis, & ſancta Dei Euangelia quatuor iſthinc ſumerent, ſuoque Patriarchæ Ignatio offerrent: idcircò haud dubiè, vt iſta ratione fidem prædicto libello contentam approbarent, ipſumque Photium cum ſuis artibus execrarentur. Quæ cùm illi paratiſſimo animo præſtitiſſent, Ignatius ſuperhumeralibus Epiſcoporum ipſis impoſitis, conſenſu totius Synodi eoſdem in Eccleſia recepit. Simili modo qui pòſt ad pœnitentiam ſecuti ſunt Presbyteri & Diaconi, redditis iis orariis tamquam inſignibus, ab Ignatio Eccleſiæ reconciliati ſunt. Poſt hos pœnitentes Subdiaconi, per interceſſionem ſanctiſſimæ Dei Genitricis, ſanctorum Apoſtolorum, & ſanctiſſimi ac beatiſſimi Nicolai Papæ rogantes ad veniam recepti, & ad Eccleſiæ reconciliationem admiſſi fuerunt iſta lege, vt ob lapſum ſubirent pœnam Epitimij in hunc modum à Synodo præſcriptam: *Sit remedium & ſalutem animæ ferens, ac valdè diſcretum Epitimium Sacerdotum, qui per multam conſuetudinem ceciderunt*, &c. vt apud Anaſtaſium. Qua perlecta, conſuetis acclamationibus, ſecundæ Actioni finis impoſitus eſt.

Tertia Actio habita legitur vndecima menſis Octobris, qua duo refractarij Archiepiſcopi Ancyræ & Nicææ, eam quam petiuerunt veniam non ſunt adepti, ideòquòd libellum à Pontifice miſſum ad ſatisfactionem ſuſcipere noluiſſent. Inſuper iuſſu Legatorum Sedis Apoſtolicæ recitatæ ſunt epiſtolæ Baſilij, Ignatij ad Nicolaũ, nec non Adriani ad Ignatium: quibus lectis & collaudatis, tertia Actio finita fuit. *Actionis tertia compendioſa deſcriptio.*

Decimatertia Octobris quartam Actionem celebraturi Patres, ad eumdem ſacrum Conſeſſum conuenerunt, in qua duo Legatorum illorum, qui ex parte Photij ad Nicolaum Papam miſſi fuerant, ad Synodum intromitti & audiri petiuerunt. Patres Concilij ſupplicantibus initio reſtiterunt, propterea quòd qui ſententia Nicolai Papæ condemnati fuerant, nequaquam in Synodum intromitti & audiri deberent: verùm cùm Senatores qui aderant, pro ijs audiendis intercederent, ex indulgentia & gratia in Conſeſſum Synodalem intromiſſi, vltimo loco ſtantes dixerunt, ſe vnà cum Photio non tantùm à Nicolao Papa, verùm etiam à Patriarchalibus Eccleſiis receptos eſſe. Quod cùm Marinus Apoſtolicæ Sedis Legatus Diaconus teſtimonio Legatorum Orientalium Eccleſiarum, & lectione epiſtolarum à S. Nicolao Papa de Photio non ſemel condemnato ſcriptarum manifeſtè refutaſſet, opifices mendaciorum Pſeudoëpiſcopi magno cum dedecore foras eiecti fuerunt. Atque ita peracta eſt Actio quarta, cùm poſt eiectos Photianæ partis Legatos Metrophanes Smyrnenſis Archiepiſcopus coram omnibus teſtatus eſſet, ſe ea de cauſa ſe- *Actionis quarta compendium.*

ſa ſeductum à Photio, quòd ille ſe à Romano Pontifice omnibuſque Patriarchis receptum aſſereret.

Actionis quinta compendiũ. Quinta Actione, quæ ſolito ritu ſolemni celebrata eſt 15. Octobris, monitu Imperatoris iuſſus eſt accedere ipſe Photius. Per miniſtros laicos, qui ex laico per ſaltum factus fuerat Epiſcopus, primò citatus non comparuit: ſecunda autem vice vocatus, cùm de vi proteſtaretur, & accedere recuſaret, introductus eſt, & in medio Synodi conſtitutus, quantumuis ipſe reluctaretur. Interrogatus à Legatis, an conſtituta SS. Patrum ſuſciperet, non ſe ea ſuſcipere reſpondit. Cumque iidem vrgerent, an conſtitutis Romanorum Pōtificum acquieſceret, planè obmutuit, nec verbum vllum reſpondit; ne, ſi affirmaret, ſuo ſe iudicio condemnaret: ſi negaret, famæ ſuę periculum incurreret. & cùm reſponſum vrgerent, ſe, cùm iudicaretur, Chriſti exemplo tacere, non ſine magna fraude & vafritie reſpōdit. Sciebat enim ſe à Nicolao Pontifice non ſemel damnatum fuiſſe: quare ſi Reſcripta Romanorum Pontificum approbaſſet, ſuo ſeipſum gladio interfeciſſet. Cumque de communione Apoſtolicę, aliarumq́; Patriarchalium ſedium aliquoties gloriatus fuiſſet, ſummam turpitudinis notam ſibi intuliſſet, ſi Conſtitutiones Pontificum in pleno Patrum conſeſſu recepiſſet. De auctoritate igitur Sedis Apoſtolicæ quæſitus, non tam exemplo Chriſti, quàm inſtinctu diaboli tacuit, vt vniuerſo Synodali cōſeſſui, ipſiuſque, ſi poſſet, Spiritus ſancti iudicio imponeret. Sed detecta eſt impoſtoris fraus & verſutia: recitatæ ſunt ipſo pręſente Epiſtolæ Nicolai Papæ, audita ſunt teſtimonia Legatorum Orientalium, quibus omnibus ille de mendacio & efficta Sedium Patriarchalium communione conuincebatur, & à Pontifice damnationis & depoſitionis ſententiam retuliſſe oſtendebatur. Quare cùm turpiter conuicto tempus ad reſipiſcendum illi Patres Synodi benignè conceſſiſſent, illeque oblatam gratiam reſpuiſſet; meritò è conſeſſu Synodali cum quadam ignominia foras eiectus fuit.

Sexta Actione, quæ 25. Octobris habita fuit, Metrophanes Smyrnenſis Epiſcopus habuit Orationem: qua abſoluta Legati Sedis Apoſtolicæ ab Imperatore petierunt executioni mandari, quæ contra Photium definita fuiſſent. *Actionis ſexta compendium.* Ad confirmandam Photij condemnationem, relectę ſunt literę Nicolai, quibus ſententia damnationis in eum Romæ prolata continebatur. Orientales iterùm aperta voce conteſtati ſunt coram Imperatore, Photium ab Orientalibus Sedibus numquam fuiſſe receptũ. Quæ cùm plures Epiſcopi partis Photianæ, in Synodum admiſsi coràm audiuiſſent, eoſque Imperator quæſiuiſſet, an manifeſto communiq́; omnium iudicio de cauſa Photij acquieſcerent; illi non tantùm non acceſſerunt ad communem totius Eccleſiæ ſententiã, verùm potiùs defendendi Photij veniam ſibi concedi petiuerunt. Qua impetrata, vnus ex iis, nomine Zacharias Chalcedonenſis Epiſcopus, prolixa Oratione, ſed à ratione vacua, Ignatij depoſitionem iuſtam fuiſſe conatus eſt oſtendere; ſed fruſtrà: nam Metrophanes Smyrnenſis Epiſcopus ſingula ab eo propoſita argumenta reſumpſit, eaq́; vana eſſe oſtendit. Quod cùm factum fuiſſet, ſperabatur fore vt veritati cederent; monitiſque Imperatoris, eorum Ordinationem vitioſam (qua aliis ex laicis Curialibus & Patriciis, aliis ex Spathariis & ſtabulariis creati erant Epiſcopi) reprehendentis & grauiter taxantis omnino acquieſcerent: ſed reſtiterunt illi, & ſumma Imperatoris clementia abuti perrexerunt. Qua de cauſa Legati Sedis Apoſtolicæ interlocuti dixerunt, excommunicatis in Synodo loqui negatum eſſe, nihilque aliud licere, quàm vt libellum ab Eccleſia Romana oblatum, ſi velint, accipiant, & ſic veniam petant. Cúmque illi pertinaces

naces eſſe pergerent, oblatámq; reconciliationis gratiam recuſarent, Imperator eos hortatus eſt ad pœnitentiam, & quadam mirabili benignitate eoſdem ad reſipiſcentiam prouocauit, illa Oratione ad perditiſſimos Pſeudoëpiſcopos Photianos habita, quæ aureis literis meritò exaranda extat apud Anaſtaſij verſionem.

Hanc Orationem dum pius Imperator abſoluiſſet, eius erga lapſos pietatem & miſericordiam vniuerſa Synodus admirata deprædicauit, & plurimùm collaudauit. Schiſmatici verò inſtar aſpidis ſurdæ aures ſuas obturarũt, nullumque piiſsimi Imperatoris exhortationi locum dederunt. Antequam verò Synodali iudicio damnarentur, ad reſipiſcendum conceſſa eſt decem dierum dilatio, & tunc poſt ſolitas acclamationes Sexta Actio finita fuit.

Actionis ſeptimæ compendium. Decem his diebus elapſis Actione Septima (quæ habita eſt 29. Octobris) Photius baculo innixus cum Gregorio Syracuſano introductus eſt in Concilium: dempto è manu eius quo innitebatur baculo, interrogatus eſt à Legatis Sedis Apoſtolicæ, an pœniteret, & libellum ſupplicem offerre paratus eſſet; reſpondit, ipſos potiùs pœnitere debere. Ob quod reſponſum pertinax cùm à Legatis acriter reprehenſus fuiſſet, interrogati ſũt Epiſcopi partis Photianę, rogatique de libello pœnitentiæ offerẽdo, magis obſtinati quàm anteà ſunt reperti, adeò vt Imperator his verbis eos compellandos ſtatuerit: *Dicite vnde eſtis? De cælo eſtis, an de terra, in qua nos degimus? & oſtẽdite ab hac hora. Quis ſiue hæreſis mota eſt, ſiue ſchiſma emerſit in qualibet parte, & ſenſit aliquis extra quatuor Patriarchia, & ſaluatus eſt? & audio vos hodie. Quatuor Patriarchia, immò verò quinque, condemnatione condemnãt vos. Quid vobis videtur ad hæc? dicite.* At illi ſtulti prouocantes ad Canones, Synodi iudiciũ conati ſunt ſubterfugere. Tunc Apoſtolicæ Sedis Legati repetitum à Romano Pontifice Nicolao iudicium, quo Photius condemnatus erat, recitari iuſſerunt: quo recitato addita eſt lectio epiſtolarum, quibus eiuſdem Concilij Acta ab Adriano confirmabantur: item Acta Synodica illius Concilij Romani, quo ſub Adriano Papa Conciliabulum Photij cum omnibus ſuis ſcriptis igni adiudicatũ fuit. Poſt hæc Nicetas Archidiaconus nomine Legatorũ Apoſtolicorum inſtitit, vt quæ contra Photium eiuſque ſcripta in Commonitorio continebantur, executioni mandarentur. Deinde ſubſecuta eſt declamatio Ignatij Patriarchæ ad Synodum facta, qua cum ſumma gratiarũ actione Dei beneficia inter plurimas paſſiones ſibi collata commemorauit: qua abſoluta, per Stephanum Archidiaconum in fine Actionis in aſtãtem Photiũ anathematiſmi ex Romano Cõcilio tempore Adriani celebrato (vt in margine notat Anaſtaſius) recitati fuerunt.

Quibus abſolutis, pleniſſimæ & feliciſſimę acclamationes dictæ ſunt in Nicolaum & Adrianum Pontifices Romanos, reliquoſq; aliarum Sedium Patriarchas, & Iambi in Photium recitati ſunt, qui leguntur in fine Actionis ſeptimæ verſionis Anaſtaſij.

Actione Octaua, quæ habita eſt quinta Nouembris, Imperator rogationem propoſuit de comburendis chirographis ſcriptiſq; omnibus, quas Photius vel ab omni hominũ genere extorſerat, vel cõtra Nicolaum in publicum emiſerat. *Actionis octauæ compendium.* Cùm Imperatoris rogationi vtiliſſimæ Legati Sedis Apoſtolicæ cõſenſiſſent, in medio Synodi vaſe æneo extructus eſt ignis ampliſſimus, eoque combuſta ſunt omnia ſcripta & volumina, quæ vel ab ipſo Photio publicata, vel eius importunitate ab aliis Clericis & laicis extorta fuerant. Poſt hęc introducti ſunt Petrus & Baſilius, quibus impegerat Photius, quaſi ipſi Româ Conſtantinopolim profecti, in ſuo Cõciliabulo aduerſus Nicolaum libellos obtuliſſent. Hac de re examinati, planè negarunt, quod Photius doloſè vtriq;

 impo-

impoſuerat. Idem reſpondit Leontius, quem tamquam Alexandrini Patriarchæ Apocriſarium ſuo Conciliabulo ſubſcripſiſſe ſimili impoſtura vulgauerat. Detectis ergo his fraudibus, Legati Sedis Apoſtolicæ mandarunt recitari vigeſimum Canonem Concilij Lateranenſis ſiue Romani, ea haud dubiè intentione, vt Photius, qui in eumdem Canonem multis modis deliquerat, nonniſi in fine vitę ad pœnitentiam reciperetur. His abſolutis, introducti ſunt Iconomachi, quorum caput erat Theodorus quidam Chriſtinus cognominatus, qui cùm aſſereret ſe Imagines ſacras ideò non venerari, quòd non inueniretur ea de re aliquod Chriſti præceptum; reſponſum eſt illi, id à Chriſto præceptum eſſe, quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica eſt definitum. Cumq; ille in impietate perſeueraret, duo alij Iconomachi, Nicetas Clericus & Theophilus laicus, pœnitentiam agẽtes, non tantùm ad Eccleſiam reuerſi, verùm etiam ab Imperatore oſculo excepti fuere. Poſt hæc anathematiſmi quidam prolati ſunt in Iconomachos: quibus abſolutis repetiuerunt eoſdem, quos in Photium tulerunt Actione præcedente, atque ita collaudato ex more acclamationibus Imperatore atque vniuerſa Synodo, finita eſt Actio octaua & vltima anni Redemptoris noſtri DCCCLXIX.

Actionis nona compendium.

Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCC.LXX. duodecima menſis Februarij, ſolito loco ſolitiſque ritibus ſacri Patres conuenerunt, nonamque Actionem Concilij à Legato Michaëlis Patriarchæ Alexandrini, qui nuper aduenerat, omniaque Acta Concilij rata habuit & approbauit, inchoarunt. Poſt hæc plurimi iurati teſtes in Ignatium coram plena Synodo confeſſi ſunt, & pœnitentiam Epitimij, de qua ſuprà Act. 2. à Legatis Sedis Apoſtolicæ & vniuerſa Synodo ſibi impoſitam acceperunt.

Poſt hæc ſuggeſtione Legatorum Sedis Apoſtolicæ tres laici illuſores Sacerdotij, qui in vrbe Conſtantinopolitana Sacerdotalibus indumentis veſtiti per vrbem progreſſi, & Sacra ludicra facere conſueuerant, in conſeſſum Epiſcoporum introducti ſunt, deque ea re interrogati, confeſſi ſunt ſe id mandato Michaëlis Imperatoris egiſſe: petentibus verò ad pœnitẽtiam recipi reſponſum eſt, vt futura Seſſione redirent. Cumque hæc ſcelera Photius pro ſuo munere & officio non corrigeret, appellatus eſt à Synodo Compatriarcha mimi, poſt alios infamiæ titulos, qui hac eadem Actione in verſione Anaſtaſij reperiuntur expreſſi.

Poſt hæc iuſſi ſunt Synodum ingredi falſi Vicarij ſeu Legati, quibus contra Nicolaum vſus eſt Photius: qui cùm falſitatem ſua ſponte confiterentur, magna cum admiratione & deteſtatione Photij finis impoſitus eſt Actioni nonæ.

Antequàm verò Synodus abſolueretur, Legatio duplex, teſte Anaſtaſio in Præfatione ad Octauam Synodum, Conſtantinopolim adueniens, intromiſſa eſt in Synodum: Vna à Ludouico Occidentalis orbis Imperatore pro coniugio ineundo inter eius filiam atq; Baſilij Imperatoris Orientalis primogenitum: Altera à Rege Bulgarorum. Quid verò poſt abſolutam Synodum in cauſa vtriuſque Legationis actum fuerit, videre eſt apud Anaſtaſium in Vita Adriani, & Præfatione ad Octauam Synodum.

Actionis decima cõpendioſa deſcriptio.

Eodem anno 870. die vltima Februarij cœpta eſt decima & vltima Actio huius Synodi, in qua præter nominatos ſuprà Magiſtratus, præſentes fuerunt Legati Ludouici Imperatoris, & qui à Bulgarorum Rege miſſi fuerant: quorum nomina idem qui interfuit Anaſtaſius in Notis ſeu Scholiis ad dictam Synodum à ſe additis ita recenſet:

Hîc ſimiliter conſederunt in dextera parte glorioſiſsimi Principes & Apocriſarij perſpicui Ludouici Imperatoris

ris Italorum atque Francorum, videlicet Anaſtaſius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ, Suppo primus Contoſanariorũ,&conſobrinus vxoris eius, & Euerardus præpoſitus menſæ illius: ſimiliter glorioſiſsimi Iudices Michaëlis ſublimiſsimi Principis Bulgariæ, Staſiſzereo, Neſundicus, Vagartus, &c.

Quod autem pertinet ad res hac Actione geſtas, primùm omnium iuſsi ſunt legi Canones à Patribus conſtituti, omnes num. XXVII. apud Anaſtaſij verſionem extantes, quibus in primis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ opportunitatibus conſultum eſt.

Horum Canon primus eſt, De Apoſtolorum, Pontificum, Patrum, & Eccleſiæ Canonibus, decretis & traditionibus ad vnguem obſeruandis.

II. De perpetuò conſeruandis, quæ à SS. Romanis Pontificibus pro Ignatio contra Photium definita eſſent.

III. Vt cultus ſacrarum Imaginum firmus conſiſteret.

IV. Vt quæ collata ſunt Photio, & ipſe in alios contulit ſacra miniſteria, nullius ſint efficaciæ.

V. Ne quis laicus in Epiſcopalem prouehatur dignitatem, niſi in Ordine Lectoratus annum vnum, duos in Subdiaconatu, in Diaconatu tres, in Presbyteratu autem quatuor annos exegerit.

VI. Vt cunctæ res geſtæ per Photium, potiſsimùm in Nicolaum Romanum Pontificem, nullius ſint roboris.

VII. Ne ſacras Imagines anathematizati pingere audeant.

VIII. Ne chirographa ab Epiſcopis exigantur, niſi ex more, tempore conſecrationis. Hac enim arte Photius ſuam roborauit tyrannidem.

IX. Vt extorta per Photium huiuſmodi chirographa nullius ſint roboris.

X. Itemque, Ne quis ante ſententiam ſeparetur à communione proprij Patriarchæ.

XI. Anathematizati etiam ibi ſunt omnes cum Photio, credentes duas in vno corpore eſſe animas.

XII. Statutum eſt etiam iſtud admodum Eccleſiæ Dei proficuum, Ne fauore Principum eligantur Epiſcopi.

XIII. Vt non niſi, qui in eadem Eccleſia militarunt, ad maiores gradus promoueantur, & non aliunde petiti.

XIV. Ne promoti ad Epiſcopatum indecentia obſequia exhibeant Magiſtratibus, nimirum, ne obuiàm prodeant procul ab Eccleſiis ſuis: non ſe demittant ab equis vel mulis, vel procidant, & adorent, nec intrent ad Principes hora prandij, vbi indebita perſoluant obſequia. Sed veneratione digni habeantur, & qui liberè errantes Principes valeant redarguere.

XV. Vetantur omnes decimoquinto Canone alienare cimilia Eccleſiæ, ornamenta ſcilicet, poſſeſſiones vendere, vel date in Emphyteuſim.

XVI. Decimoſexto Canone vehementer prohibetur ſacrilegus ille vſus à Michaële Imperatore introductus, quo laici luſus cauſsâ ſacra indumenta geſtarent Sacerdotum, de quo ſæpè ſuperiùs, grauiſsimis pœnis eius criminis reos afficientes.

XVII. Decimusſeptimus ſancitur Canon, quo Patriarcharum iura in cõuocandis Metropolitanis illibata ſeruari vult; execraturque S. Synodus omnes dicentes inualidas eſſe Synodos, quibus non interſit perſona Principis, monens vt non interſint niſi Conciliis Oecumenicis Principes.

XVIII. Inde ſtatutum eſt vt priuilegia Eccleſiarum conſeruentur.

XIX. Vtque viſitationes Eccleſiarum ſine omni auaritiæ ſuſpicione peragantur.

XX. Itidem, Ne ſibi ius dicat Epiſcopus in rebus Eccleſiaſticis.

XXI. Vigeſimus primus autem ſancitus eſt Canon De exhibendo honore & reuerentia omnibus Patriarchis, præcipuè verò Romanæ Eccleſiæ, Summo

 Pon-

Digitized by Google

Pontifici, de quo ſpeciatim iſta: Neminem debere conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare atq; componere, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorumdam criminum, quod nuper Photius fecit, & antè Dioſcorus.

XXII. De ſummorum Sacerdotum electione.

XXIII. Inſuper ſtatutum, à rebus & perſonis & ſacris actionibus alienæ Diœceſis quemlibet abſtinere debere.

XXIV. Item illud: Ne Archiepiſcopi per alios ſuas Eccleſias curent Suffraganeos.

XXV. Ne qui hactenus adhærentes Photio Epiſcopi conſecrati à Methodio ſiue Ignatio, etiamſi reſipiſcant, ſpem vllam habeant reſtitutionis Epiſcopatus.

XXVI. Inſuper vt beneficium appellationis ad maiores Sedes ſit cuique Clerico liberum.

XXVII. Vltimo verò loco definitum, Ne Epiſcopi pallio vtantur niſi loco & tempore congruo, & ne Monachi ad Epiſcopatum aſſumpti Monaſticum habitum deponant.

His ſtatutis & comprobatis, facta commemoratione ſeptem aliorum Oecumenicorum Conciliorum præcedentium, eorumque confirmatione adhibita, Manichæorum & Iconomachorum hæreſibus, quæ adhuc alibi vigebant, damnatis, repetitaque ſententia in Photium prolata, ſacroſancta Synodus omnium conſenſu feliciſſimè abſoluta fuit. Et cùm Baſilius Imperator binas ad Epiſcopos & laicos Orationes recitaſſet, primò omnium Sedium Patriarchalium Legati ſubſcripſerunt: poſt illos Auguſti Imperatores iuſſu Legatorum ante alios Epiſcopos ſuam ſubſcriptionem non atramento, ſed potiùs rubramento ſiue literis phœniceis expreſſam Actis Synodalibus appoſuerunt.

CONCILIABVLVM METENSE,

quo REGNVM GALLIAE *à legitimo ſucceſſore* LVDOVICO *ad* CAROLVM *tyrannicè tranſlatum eſt, anno Domini 869. tempore* ADRIANI *Papæ* II.

CVM Carolus Caluus Rex Francorum occupaſſet Lotharij Regnum, quod iure hereditario eius fratri Ludouico Imperatori debebatur, neque frequentibus eiuſdem Ludouici expoſtulationibus ac monitis vllum locum dediſſet, ille Sedem Apoſtolicam interpellans, impetrauit quòd Adrianus Papa decerneret Legationem ad Carolum, de qua iſta apud Aimoïnum: *Carolus Legatos Adriani*, &c. ANNO DOMINI DCCC.LXIX.

Eidem Legationi addidit epiſtolas, quas apud Binium inuenies, plures, quarum vna ad Carolum, altera ad Epiſcopos, tertia ad Ludouicum Regem Germaniæ ſcripta erat. Antequam verò iſta Legatio ad Carolum perueniſſet, habita eſt iſta Metenſis Synodus, qua Carolus Regni coronam iniuſtè accepit, ideoque non immeritò Synodus Prædatoria nominatur. Abſoluta Synodo, Carolus Legationem cum oblatione duarum coronarum aurearum gemmis intextarũ, pro duobus Regnis quę poſſidebat, miſit ad Adrianum Papam: qui munera oblata reſpuens, nouam Legationem ad Carolum & Ludouicum deſtinauit; de qua fit mentio in epiſtola quadam ad Carolum, cuius initium: *Sacrorum itaque dogmatum*, &c.

Acta extãt apud Baron. an. 869. n. 101.

CONCILIABVLVM WERMERIÆ

habitum, quo XX. *Epiſcopi* HINCMARVM *iuniorem Laudunenſem Epiſcopum condemnarunt, quòd ille iuſſu* ADRIANI *Papæ excommunicationis ſententiam in* NORTHMANNVM *bonorum Eccleſiaſticorum detentorem tuliſſet.*

PRAECEPERAT Adrianus Papa II. vt Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, aliiq; Galliarum DCCC. LXX.

Digitized by Google

liarum Epiſcopi Northmannum, qui à Carolo Rege bona Eccleſiaſtica in beneficium acceperat, excommunicaret. Cumque Hincmarus ſenior Rhemenſis Archiepiſcopus huic Sedis Apoſtolicę mandato non obtemperaret, Hincmarus iunior Laudunenſis Epiſcopus, illius ſenioris nepos, pręcepto Pontificis ſatisfaciens, Northmannum excommunicauit. Quo facto, Hincmarus ſenior cum Rege plurimũ offenſus, hanc Synodum congregauit, qua nepotem ſuum, quaſi Metropolitano ſuo inobediens foret, condemnauit. Laudunenſis Epiſcopus iniuſtè damnatus appellabat ad Romanum Pontificem: ſed delatum non eſt illius appellationi, vtpote quòd hoc facto, vt aiebat, contra Canones egiſſet. Cumque ille per literas apud Sedem Apoſtolicã ſuam interpoſitam appellationem proſequeretur, atque Pontificis Reſcriptum pro ſe obtinuiſſet, Hincmarus Rhemenſis aduerſus nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem prolixam ſcripſit epiſtolam Apologeticam, qua ille huius Synodi Acta pro arbitrio conſcripſit, ideoque damnatum fuiſſe denuntiauit, quòd non eſſet obediens ſuo Metropolitano, quódque ob priuatas iniurias ſuas omnes Laudunenſes excommunicaſſet, & ſacros miniſtros omnes à ſacris miniſteriis, Sacramentorumque prohibitione ſuſpendiſſet. Hæc ex Frodoardo, & epiſtolis Adriani ad Hincmarum & Carolum apud Binium nunc recèns excuſis. Baronius anno 870. num. 37. & 38.

CONC. IN VILLA ATTINIACO, *quo* HINCMARVS *Laudunenſis Epiſcopus ſede ſua priuatus, vinculiſque ferreis ligatus eiicitur in exilium, & tandem ab hoſtibus, ne in Epiſcopatum redeat, excæcatur, anno Domini* 870. *tempore* ADRIANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCCLXX.

CVM Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus ob cauſam præcedente Conciliabulo expreſſam Reſcriptum Adriani Papæ pro ſe impetraſſet, illudque Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo & Carolo Regi inſinuaſſet, ex odio erga Laudunenſem vterque decreuit, vt hæc Synodus, quæ Latrocinalis dicitur, cogeretur. Præfuerunt illi Remigius Lugdunenſis, Ardouicus Veſontienſis, Bertulphus Treuirenſis, Archiepiſcopi, vnà cum ſubiectis ſibi Epiſcopis. In ea Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, vnà cum Carolo Rege accuſatorem agebat aduerſus Hincmarum nepotem ſuum, quem iam anteà Epiſcopum Laudunenſem conſecrauerat. Cauſa denuntiandi Hincmarum erat iſta, quòd ille iura Sedis Apoſtolicæ contrariis ſcriptis defenderat, quæ Rhemenſis Archiepiſcopus impugnare & euertere nitebatur, quodque contra iuramentum fidelitatis, quo Regi erat obſtrictus, eumdem Carolum Regem apud Romanum Pontificem accuſaſſet, atque ſine eius licentia aduerſus ipſum ſcripta miſiſſet. Cumque Hincmarus Laudunenſis iam, prout mandatum erat à Pontifice, itineri accinctus eſſet, vt Romam pergeret, ab hoſtibus captus & ſpoliatus, introductus eſt in hanc Pſeudoſynodum. Auditis querelis ſuprà commemoratis omnibus, obtulit ille libellum defenſionis ſuæ; ſed reiectus eſt, & nequaquam legi permiſſus. Qua de re cùm ille viciſſim ad Sedem Apoſtolicam prouocaret, non modò non eiuſdem appellationi detulerunt, verùm etiam humi proſtratus, defenſioniſque locum ſibi dari expoſtulans, nequaquam eſt exauditus. Ferentes ſententiam, eum Epiſcopatu depoſuerunt, vinctumque duriſſimis & ferreis vinculis in exilium eiecerunt; atque demum, quod omnem crudelitatem ſuperat, oculis euulſis excæcari fortaſſe procurarunt, vt redeundi ad Epiſcopatum ſpem omnem illi adimerent. Hæc ex libello Trecenſi Concilij ſub Ioanne VIII. celebrati Baronius anno 870. num. 35. & 36.

Digitized by Google

CONCIL. COLONIENSE

in cauſa ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE *celebratum 6. Kalendas Octobris, anno Domini* 870. *tempore* ADRIANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCCLXX. VETVS Francorum Chronicon nuper à Pithœo editum refert, quòd anno Redemptoris 870. 6. Kalendas Octobris, agente Rege Ludouico Synodus quædam Coloniæ Agrippinæ acta fuerit; & in qua, præter complura ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia pertractata, inſuper ab eiſdem qui conuenerunt Epiſcopis, dedicata fuerit Eccleſia S. Petri. De reliquis Actis ibidem nihil aliud extat.

CONCIL. DVZIACENSE,

quo HINCMARVS *Laudunenſis, ad placandum* CAROLVM *Regem, profeſſionem fidelitatis emiſit, atque obedientiam ſuo Metropolitano ſpopondit, anno Domini* 871. *tempore* ADRIANI *Papæ* II.

DCCCLXXI. DE rebus in hac Synodo geſtis Aimoïnus lib. 5. c. 24. in fine hæc ait: *Intereà poſt de multis impetitus, præcipuè autem de inſubiectione & inobedientia erga ſuum Archiepiſcopum, Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus; vt ſe ab impetitis expediret, in Synodo Epiſcoporum decem Prouinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit, hæc continentem:*

Ego Hincmarus Eccleſiæ Laudunenſis Epiſcopus amodò & deinceps Domino Seniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ſecundùm miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo Seniori, & Epiſcopus per rectum ſuo Regi eſſe debet, ac priuilegio Hincmari Metropolitani Rhemorum Eccleſiæ, ſecundùm ſacros Canones & decreta Sedis Apoſtolicæ ex ſacris Canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe, me obediturum profiteor. Et ſubſcripſit. Hucuſque Aimoïnus. Facta ſunt hæc in Synodo Duziacenſi in Rhemẽſi Prouincia cõgregata. Sed quoniam nec iſta ſatis fuere ipſi, ne damnaretur ab Epiſcopis, hac de cauſa Sedem Apoſtolicam appellauit; quam ne adiret, tum Rex, tum Epiſcopi à quibus damnatus fuerat, aliquamdiu impedimento fuere. Quæ cùm Adrianus audiſſet, cum Rege & Epiſcopis ſtudioſè literis egit, vt ſineretur idem Hincmarus Romam ſe conferre: qua etiam pendente cauſa (vt dictum eſt) idem Rex Carolus Legatum Romam miſit Actardum ad Adrianum Pontificem.

Porrò hanc Legationem reuerà eſſe diuerſã à priori, ne quid dubites, illud certum reddit, quòd illa contigit anno Domini octingenteſimo ſeptimo; hæc autem hoc anno, vt ex eiuſdem Adriani literis apud Binium excuſis intelliges, quæ datæ habentur hoc anno, ſeptimo Kalendas Ianuarij, Indictione quinta inchoata. Et licet inuentæ ſint magna ex parte decurtatæ, tamen ſatis proficuæ, dum temporis notam nobis conſeruant integram, qua veritas innoteſcat. Sic enim ſe habent:

Adrianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui apud Duziacenſem Rhemenſis Prouinciæ Synodum conuenerunt.

Charitatis veſtræ literas. Extat apud Binium inter epiſtolas Adriani Papæ II.

CONCIL. TICINENSE,

quo Imperium CAROLO *collatum confirmatur, anno Domini* 876. *tempore* IOANNIS *Papæ* VIII.

IN hoc Concilio nihil aliud geſtum eſſe conſtat, quàm quòd lecta & recitata fuerint Acta Coronationis, qua Carolus die Natalis Domini Indictione 9. à Ioanne Papa in Imperatorem electus, inunctus & coronatus fuit. Acta ipſa in fine Annalium Francorum à Pithœo Pariſiis editorũ, nec non apud Papirij Maſſonis Annales extant. Eadem Acta Coronationis citantur ab Abſelino Lucenſi de Poteſtate & Primatu Romanæ Eccleſiæ, cap. 81. Vtinam Nouatores refractarij, DCCCLXXVI.

qui

Digitized by Google

qui non ſine magna temeritate audent profiteri; Romanos Pontifices in coronationibus Imperatorum nihil aliud iuris habere, quàm quòd in ipſo vngẽdo & coronando ſolùm Sacerdotale miniſterium exhibeant, hæc Acta cognouiſſent; didiciſſent ex iis, quòd Ioannes Papa Carolum non tantùm vnxerit & coronauerit, verùm etiam Dei inſtinctu ad Imperium gubernandum elegerit, prouectumque ad tam ſublimem dignitatem Auguſtali nomine decorauerit priùs, quàm ab eodem vngeretur & coronaretur: quodq; eidem non iure hereditario ſuccedenti, ſed arbitrio Papæ eligentis & concedentis ſit collatum Imperium. Vide Baronium anno 876. num. 1. & 9.

ANNO DOMINI DCCCLXXVI.

CONCIL. PONTIGONENSE,

quo iuſſu Sedis Apoſtolicæ Galliarum Epiſcopi electionem CAROLI *confirmarunt, anno Domini* 876.

ACTA Concilij huius recitantur ab Aimoïno lib. 5. c. 32. & 33.

CONCIL. IN NEVSTRIA

celebratũ aduerſus HVGONEM LOTHARII *Regis filium illegitimum, anno* 877. *tempore* IOANNIS *Papæ* VIII.

DCCCLXXVII.

IN hoc Concilio Legati Ludouici Imperatoris III. conqueſti ſunt, quòd Hugo Lotharij Regis defuncti filius nothus & illegitimus, poſt obitum Caroli Imperatoris, collecta factioſorum hominum multitudine, eiuſdem Ludouici Regnum inuaſiſſet, & ſũmopere deuaſtaſſet. Quo cognito, Synodus per Hincmarũ Rhemenſem Archiepiſcopum, qui Concilij Præſes erat, literas Comminatorias ſcripſit: quarum ſummarium Frodoardus lib. 3. Hiſtor. Rhem. c. 18. ſcripſit.

DCCCLXXVIII.

CONCILIVM TRECENSE,

quo excõmunicatio in FORMOSVM, *alioſq; hoſtes Eccleſiæ à* IOANNE *Papa* VIII. *lata confirmatur,* HINCMARVS *Laudunenſis ſedi priſtinæ reſtituitur, &* LVDOVICVS *Imperator* III. *ab eodem Pontifice coronatur, anno Domini* 878.

CONCILIVM ROMANVM,

ob electionem noui Imperatoris poſt obitum LVDOVICI III. *cognomento* BALBI *cõgregatum, anno Domini* 879. *tempore* IOANNIS *Papæ* VIII.

CVM Ludouicus Tertius 4. Idus Aprilis die Paraſceues circa veſperum, anno Redemptoris noſtri 879. obiiſſet, eaque de re Ioannes Papa VIII. certior factus eſſet, Synodũ Romæ indixit, teſte Aimoïno, menſe Maio celebrandam. Ad Anſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, quẽ ad hanc Synodum vocabat, ſcribens epiſtolam 155. hæc ait: *Quia Carolomannus corporis, ſicut audiuimus, incommoditate grauatus, Regnum retinere iam nequit, de noui Regis electione, vt omnes pariter conſideremus, vos prædicto tempore adeſſe, nempe ad Kalendas Maias, validè oportet. Et ideò anteà nullum abſque noſtro conſenſu Regem debetis recipere. Nam ipſe, qui à nobis eſt ordinandus in Imperium, à nobis primùm atque potiſſimùm debet eſſe conuocatus atque electus*, &c. DCCCLXXIX.

Carolum Craſſum, filium Ludouici fratris Caroli Calui, erga quem propẽſior erat, Romam vocat. Cùmque Anſpertus ad Synodum vocatus venire noluiſſet, atque intereà de eligenda Caroli perſona propoſitum immutaſſet, poſt dictãm in Anſpertum excommunicationis ſententiam, ſuſpenſa eſt noui Imperatoris electio vſque ad biennium: quo elapſo, Carolus, poſt Italiam ſæpè armis ſubactam, anno Redemptoris noſtri 881. die Natiuitatis Romæ à Ioanne VIII. creatus & coronatus eſt, poſtquam biennio Interregnum fuiſſet. Ita Rhegino in Chron. & Aimoïnus l. 5. c. 39. Baronius anno 879. n. 2.

CONCIL. ROMANVM II.

quo PETRVS *in cauſa* PHOTII *reſtituendi miſſus eſt Conſtantinopolim, anno Dñi* 879. *tẽpore* IOANNIS *Papæ* VIII.

HAEC Synodus auctoritate Ioánis Papæ congregata, Petrum, alioſque adiunctos ei Legatos, DCCCLXXIX.

ea facultate dumtaxat inſtruxit atque communiuit, vt Photium à céſuris Eccleſiaſticis abſoluerent, & Sedi Conſtantinopolitanæ reſtituerent: ad veram & germanam Synodum Octauam ſub Adriano Pontifice habitam reprobandam, & particulam illam FILIOQVE è Symbolo penitùs tollendam, multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cùm pateant ex epiſtola Ioannis 199. ad Baſilium Imperatorem ſcripta, quâ ſe in Photio ſedi ſuæ reſtituendo, non Concilij diſſipatione vel abrogatione, ſed tantùm diſpenſatione vti ſignificat: Secundò ex epiſtolis 250. & 251. quibus indicat, ſe reprobare omnia, quæ præter reſtitutionem Photij acta ſunt. Tertiò ex ipſo Commonitorio, per Photium corrupto & falſato, in quo Epiſcopi ſubſcribentes, profitentur omnes, ſe Commonitorio pro Photij reſtitutione ſubſcribere. Nos verò & germano Commonitorio, cuius 203. & 250. aliiſq; pluribus Ioannes Papa epiſtolis mentio fit, deſtituti, Commonitorium illud, quod à Photio corruptū, & in Photianæ Pſeudooctauæ Synodi Act. 3. lectum fuit, inſerendum hîc putauimus, non totum, ſed ſummatim ea quæ ad rem faciunt, ponentes: tum vt inde Acta huius Concilij confirmentur: tum etiam, vt quæ auctoritate Legatorum in Pſeudooctaua Photiana Synodo Conſtantinopoli geſta dicuntur, falſitatis & impoſturæ manifeſtè redarguantur.

COMMONITORII *fragmenta ſic habent:*

IOANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Epiſcopis, ſimiliter & Petro Presbytero Cardinali, noſtris Conſtantinopoli Legatis.

Cùm primùm diuina fauente gratia, &c. Conſtantinopolim ingreſſi fueritis, illuc diuertite, quò præcipiet Imperator, &c. Poſtridie ſalutaturi Photium ſanctiſſimum accedite, & epiſtolam illi tradite, ſalutantes illum decenter, talibus verbis: Salutat te Dominus noſter Ioannes Apoſtolicus Papa, & vult habere te fratrem & comminiſtrum, ſicut ſcripſit Imperator, vt propter pacem Eccleſiæ reciperemus ſanctiſsimum Patriarcham Photium fratrem & comminiſtrum noſtrum, exaudiremus preces veſtras, & præciperemus, vt coram nobis veniat ad Synodum, & vt recipiat ipſum vniuerſa Eccleſia, &c.

Volumus prætereà, vt coram vniuerſa Synodo promulgetur, quòd Synodus habita aduerſus prædictum Patriarcham Photium tempore Adriani ſanctiſsimi Papæ tum Romæ, tum Conſtantinopoli, ex nunc habeatur nulla & irrita, & non numeretur cum alia ſancta Synodo, &c.

Sequuntur ſubſcriptiones.

Zacharias Epiſcopus Eccleſiæ Anagninæ, & Bibliothecarius Apoſtolicæ Sedis, in hoc Commonitorio pro receptione ſanctiſſimi Photij Patriarchæ, propria manu ſubſcripſi.

Martinus Epiſcopus Eccleſiæ Narnienſis in hoc Commonitorio Apoſtolicæ Sedis pro reſtitutione Photij ſanctiſſimi Patriarchæ propria manu ſubſcripſi. Sic & ſequentes reliqui.

Ex dictis patet, Lector, Additamenmentum Photij de abrogatione Concilij Oecumenici VIII. ſub Adriano Pontifice celebrati, iam ſuperiùs apertiſſimè redargutum falſitatis, ex epiſtolis Ioannis Papæ citatis. Sed detegitur in eodem Commonitorio eadem ritè impoſtura ex ipſa ſubſcriptione Epiſcoporum, qua (vt vidimus) profitentur omnes, ſe Commonitorio pro Photij reſtitutione ſubſcribere. Quòd ſi ex Synodi ſententia definita fuiſſet damnatio Oecumenicæ Synodi, eademque commiſſa Legatis in dato illis Commonitorio; vtique magis eam ſuis ſubſcriptionibus expreſsiſſent, quàm Photij reſtitutionem.

CON-

Digitized by Google

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT.

Oecumenicum Pſeudooctauum reprobatum, CCCXCV. *Epiſcoporum, quo poſt obitum* IGNATII *reſtitutio* PHOTII *eſt confirmata, ſancta & Oecumenica* SYNODVS OCTAVA *planè abrogata, & è Symbolo illa particula* FILIOQVE *ſublata fuit, anno Domini 879. tempore* IOANNIS *Papæ* VIII.

ANNO DOMINI DCCC.LXXIX. HAEC Synodus Baſilio Imperatore & Photio procurantibus, à Ioanne Papa eius nominis Octauo, ob Photij reſtitutionem dumtaxat, non verò (vt calumnioſè refert Commonitorium, quod Actione II. huius Conciliabuli à Photio falſatum & corruptũ inuenitur) ad Octauæ Synodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiamſi enim germanum illud verum & incorruptũ Commonitorium, quod Petro Legato Sedis Apoſtolicæ datum eſt, inter epiſtolas Ioannis Papæ non reperiatur: tamen illud, quod apud Baronium ex Actis Conciliabuli huius Latinè tranſlatis deſcriptum inuenitur, in fine, vbi Epiſcopi ſubſcripſerũt, manifeſtis verbis indicat, quòd tantùm pro receptione Photij, quo cum Ioannes Papa ob cauſas ſuprà commemoratas diſpenſandum putarat, Legatio Conſtantinopolim mittẽda fuit. Idem patet ex epiſtola Ioannis 203. ad Paulum Anconitanum & Eugenium Oſtienſem Conſtantinopoli degentes, qua dicit: *Vos huic Petro religioſo Preſbytero Cardinis noſtri, familiarique noſtro ſociamus, quatenus ea quæ pro pace & vnitate Eccleſiæ Dei agenda ſunt, ſecũdùm Apoſtolicas noſtræ auctoritatis apices, & ſecundùm Commonitorij noſtri tenorem capitulatim deſcriptum, ſagaci valdè intuitu ſimul agatis*, &c. Itaque Commonitorium rerum agendarum Legatos Sedis Apoſtolicæ quidem accepiſſe certum eſt; ſed non illud quod Actione ſecunda huius Conciliabuli recitatum corruptum, & à Photio falſatum reperitur. Quod verò de abolenda vera Synodo Octaua ſub Adriano Papa habita hoc Commonitorio continetur, Photij cõmentum eſt non minùs, quàm illa additamenta, quæ pro veræ Octauæ Synodi abrogatione, ſuique expurgatione epiſt. Ioannis 199. ad Baſilium Imperatorem, nec non 201. ad Photium ſcriptis, architectus falſitatis calumnioſè addidit. Magno Dei beneficio prædictæ epiſtolæ Ioannis Papæ integræ hucuſque aſſeruatæ fuerunt, vt ex earum collatione (quod præſtitit Reuerend. & Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius anno 879.) dolus, fraus & malitia Photij admirabilis falſitatum architecti toti mundo innoteſceret. Ex eiuſdem penetralibus prodiit epiſtola, de qua Binius poſt finem Epiſtolarum, ſub nomine Ioannis confiſta, qua calumniatus eſt inſuper eumdem Pontificem, quòd de proceſſione Spiritus ſancti eadem cum Græcis ſenſerit, atque particulam FILIOQVE è Profeſsione fidei Conſtantinopolitanæ tollendam eſſe voluerit. Hæc ſunt, quæ pro beneficiis à Pontifice acceptis, malitioſus homo & mendaciorum architectus reddidit, quibúſve eum, à quo reſtitutus fuerat, perdere curabat. Quamquam igitur ſucceſſoribus Pontificibus Ioannes culpabilis eſſe viſus fuerit, quòd per diſpẽſationem quamdam, vt aiebat, ſaluis manentibus Octauæ aliarumque Synodorum Conſtitutionibus, Photium reſtitui voluerit: tamen hoc iam ſummo Dei beneficio ex præcedentium epiſtolarum collatione manifeſtum eſt, quòd non ſit reus illorum criminum, quibus illum atque vniuerſam Eccleſiam Catholicam de proceſsione Spiritus ſancti, deque Octauæ legitimæ Synodi abrogatione, Photius in Actis huius Conciliabuli aſpergere & diffamare conatur.

Huius Pſeudoſynodi Acta Græcè conſcripta continentur in Bibliotheca Vaticana, & Columnenſi, atq; etiam, teſte

Digitized by Google

teſte Radero, in Codice Bauarico Auguſtano. Per Metium Latinè tranſlata poſſidebat Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius, ex quibus ſummatim decerpta ſunt, quę infrà ſuo loco ſubiungentur. De hac Pſeudoſynodo illud dignum eſt admiratione, quòd nemo Græcorum Scriptorum eorum qui res Baſilij Imperatoris proſequuntur, huius Photianæ Synodi vel verbo vnico meminerit: cùm econtrà fermè omnes de Octaua Synodo legitima Oecumenica, in qua Photius è throno depoſitus fuit, mentionẽ faciant. Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Conſtantinus Manaſſes de huiuſmodi Photiana Synodo ne quidem verbũ vnum habent, quam ſanè nequaquam prætermiſiſſent, ſi talis tamque numeroſa habita ſacroſanctam & legitimam Octauam Synodum damnaſſet. Hac de cauſa Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Cardinalis Bellarminus de Conciliis lib. 1. c. 5. vbi agit de Octaua Synodo, de hoc Pſeudooctauo & Photiano Conciliabulo poſt alia hæc ſubiungit: *Idcircò facilè mihi perſuadeo, aut eſſe omnia confiEta, quæ dicuntur de Ioanne* VIII. *vt S. Antoninus docet in Summa Hiſtoriali, parte 3. tit. 22. c. 13. §. 10. aut certè verum quidem eſſe, Photium à Ioanne* VIII. *per Legatos reſtitutum in Sedem Conſtantinopolitanam poſt mortem Ignatij; at cetera ſuppoſita & adulterina eſſe, & à Græcis confiEta, vt ex Manuele Calleca Turrianus oſtendit in lib. de Actis* VI. VII. *&* VIII. *Synodi. Confirmor autem in hac*, inquit, *ſententia, tum quia Zonaras meminit quidem reſtitutionis Photij, non autem abrogationis Concilij* VIII. *nec ablationis illius particulæ* FILIOQVE *ex Symbolo; tum etiam, quia Græci in Concilio Florentino ſeſſ. 6. non agnoſcunt pro Synodo Oecumenica Concilium illud ſub Ioanne* VIII. *etſi illis multùm prodeſſe potuiſſet, ſi legitimum & germanum Concilium fuiſſet.* Hæc Bellarminus de hac Pſeudoſynodo prædicto loco. Eamdem ob cauſam hæc prædicto loco Scriptor Annalium: *Vnde de ea* (Pſeudoſynodo Octaua) *ſuſpicio augeatur, vt ea tota ita fuerit Photij ſtilo confiEta, & eiuſdem penicillo mendacij colorata, ſicut ab eo aliàs factum eſſe ſuperiùs eſt demonſtratum.*

Fuiſſe autem hanc Synodum Oecumenicam aliquibus videtur, quia Legati Sedis Apoſtolicæ, Petrus nimirum, Eugenius Oſtienſis, & Paulus Anconitanus, eidem interfuerunt. Sed quia ex Actis conſtat, Photium pręſediſſe Concilio, cui, ſi Oecumenicum erat, Legati Pontificij iuxta tenorem Commonitorij, aliarumq; Synodorum morem præſediſſe debebant, Pſeudooctauam placuit potiùs appellare: quamquam nulla iniuria etiam Pſeudoſynodum nominaueris eamdem, qua per mille fraudes & impoſturas non ſolùm ſacroſancta & legitima Synodus Octaua eſt reprobata, proceſſio Spiritus ſancti à Patre & Filio procedentis impugnata; verùm etiam Ioanni Pontifici, & conſequenter vniuerſæ Eccleſiæ turpiſſimorũ criminum maculæ inuſtæ, vel ſaltem aſperſæ leguntur: Photium à Ioanne Papa non citra culpam per quamdam diſpenſationem, vt verba Commonitorij præ ſe ferre videntur, poſt obitum Ignatij, dignitati Patriarchali reſtitutum fuiſſe, nulla ratione negamus: à ceteris verò criminibus, de abrogata Synodo Octaua, & abnegata proceſſione Spiritus ſancti ex Filio, quæ hoc loco Photius illi per calumniam ſuo more impingere ſtudebat, ipſe Deus optimus maximus aſſeruando in Bibliotheca Vaticana integras illius epiſtolas, & proferendo eaſdem à Photio corruptas, cælitus illum defendiſſe videtur.

Quòd verò hæc Synodus reprobata fuerit etiam ab ipſo Ioanne Papa VIII. manifeſtè colligitur ex epiſtola eiuſdem Papæ 251. ad Baſilium reddita, vbi ad finem cautè admodum ſubiungit, ſic ſe probare quæ in Synodo de reſtitutione Photij dumtaxat egiſſent, vt ſi quid illi vel hac vel alia in re præter voluntatem Sedis Apoſtolicæ, & mandata accepti Commonitorij operati fuiſſent, id nullius

Digitized by Google

lius planè auctoritatis eſſet. Has literas Ioannes dedit Marino Epiſcopo, qui ſibi in Sede ſucceſſit, quemque ad hoc miſit, vt vir animo conſtantiſſimus, cuncta quæ perperàm per tres prædictos Legatos Conſtantinopoli geſta erant, planè infirmaret. Quòd verò paulòpoſt fraudem impoſtoris Photij hac ratione cognitam, idem Ioannes Papa VIII. ipſum etiam Photium damnauerit, & ſua, quæ priùs vel malè informatus, vel comminationibus Imperatoris Baſilij inductus, in cauſa Photij reſtituendi egerat, deinceps improbauerit, reſciderit, irritaque reddiderit, teſtatur epiſtola Formoſi Papæ ad Stylianum, in cuius fine poſt recitationem aliarum Synodicarũ & Pontificiarum ſententiarum in Photium pronuntiatarum, etiam Ioannis Papæ VIII. ſententia in eumdem prolata habetur. Vide Binium, qui plura ad hoc congerit ex Baronio, anno 880.

Qua verò ratione præfata omnia in hoc Conciliabulo facta ſint, ex Actis Synodalibus, ſeptem Actiones continentibus, ſummatim deſcribit Baronius his verbis:

Actio 1. In prima Actione recitatur numerus Epiſcoporum trecentorum octogintatrium. In omnibus magna adulatio, & Græca vanitas & leuitas. Inter alia autem præfatus in Synodo Photius iactat ſe, quòd Ioannes Romanus Pontifex ſemel & iterùm per ſuos Legatos eum inuiſerit, nimirum primùm per Paulum & Eugenium, deindeper Petrum; ſed falsò. Siquidem, vt patet in literis Ioannis, nequaquam cum eo communicauerunt primi Legati Paulus & Eugenius, de quo idem Photius conqueſtus eſt in literis ad Ioannem ipſum datis. Poſt hæc, eadem Actione Ioannes quidam Heracleæ Thraciæ Epiſcopus multa effutiit cõtra Romanam Eccleſiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem appellauit: ad quæ euertenda & curanda, illa eſſet Synodus congregata: multa etiam contra Nicolaum Papam, & eius ſucceſſorem Adrianum oblatrans ingeſſit: contrà verò, ipſum Ioannem Romanum Pontificem valdè laudauit. Deplorat verò poſt hæc multa, quæ (vt dicebat) iniuſtè paſſus ſit Photius. Inducit inſuper Actio illa Legatos Apoſtolicæ Sedis munera Photio offerentes, nempe Sacerdotales veſtes, & ornamenta Epiſcopalia, de quibus nihil in Ioannis Pontificis literis, in quibus eiuſmodi erant ſolita ſcribi. Et ſic poſt alia quædã friuola, finem accipit Actio prima.

Actio 2. Secũda Actio habita legitur decimaſexta die Nouembris, Indictione 13. in qua primùm lectæ ſunt litteræ Ioannis Papæ ad Imperatorẽ, deinde aliæ eiuſdem Pontificis ad Photium, quæ ſuperiùs ſunt recitatæ, duplicis editionis. Quibus lectis, Photius interlocutus ſuas laudes extollit, præcipuè ſuam humanitatẽ falsò oſtentat erga Ignatium exhibitam, qua etiam iam defunctum eum proſecuturum vanè pollicitus eſt. Lecta poſt hæc fuit epiſtola Michaëlis Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem, ad finem illum tendens, vt Octaua Synodus Oecumenica deſtruatur. His lectis, introductus eſt Thomas Metropolita, qui fuit vnus ex Legatis tribus Orientalium ſedium in Octaua Oecumenica Synodo, aliis duobus (vt illic dicitur) mortuis. Procuratum eſt à Photio, vt hic pœnitens recantet palinodiam de miniſterio exhibito in dicta Oecumenica Synodo. Lecta eſt poſt hæc epiſtola Theodoſij Patriarchæ Ieroſolymorum ad Photium ſcripta, tota, vt Photius voluit, encomiaſtica. Poſtquam autem lecta eſt epiſtola Patriarchæ Antiocheni, pariter Theodoſij nominati eius itidem argumenti, & alia eiuſdem generis Abrahami Metropolitæ Amydorum, continens acrem inuectiuam contra Octauam legitimam Synodum; terminata eſt Actio ſecunda Synodi Photianæ.

Actio 3. Tertia verò quæ ſecuta eſt Actio, incidit in decimumoctauum diem eiuſdem

Digitized by Google

dem menſis Nouembris eiuſdem decimætertiæ Indictionis: in qua lecta primùm eſt epiſtola Ioannis Papæ ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam, & Epiſcopos ipſi ſubiectos,& Patriarchas Orientis, eiuſdem argumenti quo priores ſuperiùs recitatæ. Quòd autem iiſdem literis Pontifex profitetur, pacem ſe procurare Orientalis Eccleſiæ; hinc magna ſecuta eſt concertatio aſſerentium, quòd iam ante Ioannis literas pace fruerentur, ſequentes Photium Patriarcham, arguentes Pontificis literas vti ſuperfluas. Et quod de Diœceſi Bulgariæ ſcripſerat, ad Imperatorem reiiciendum eſſe negotiũ clamitarunt, cùm agatur (vt aiebant) de Imperij terminis, qui ſub eius ſunt ditione. Lecta poſt hæc epiſtola Theodoſij Epiſcopi Ieroſolymorum ad Imperatorem, qua deplorat miſerias ſuas, quas pateretur à Saracenis: prouocans Imperatorem ad eleëmoſynas largiendas. Lectum poſt hæc fuit Commonitorium à Ioanne Pontifice Legatis datum, ſuo loco ſupèriùs recitatum. Et ſic clauſa eſt eius diei Actio tertia.

Actio 4. Contigit quarta Actio celebrari eodem menſe Decembri, Feria quinta in Vigilia Natiuitatis Domini, eadem decimatertia Indictione, quæ tamen in alia eiuſdẽ Pſeudoſynodi editione hæc ponitur ordine prima, vtpote quòd omiſſis tribus aliis ſuperiùs poſitis Actionibus hæc prima incipit numerari, & ſic deinceps vſque ad quartam. In hac igitur Actione primò habetur de Legato recèns miſſo à Patriarcha Antiocheno, afferente literas etiam à Patriarcha Ieroſolymitano, qui ingredi iuſſus literas dedit. Lectę ſunt ipſæ, multa in laudem Photij de cõmunicatione mutua conſeruata cum ipſo continentes, nec non aſſertionem illam, Legatos nimirum Patriarchalium ſedium miſſos anteà ad Octauam Synodum, fuiſſe non Patriarcharum, ſed Legatos Sarracenorum, iſtiuſmodi inculcantes in deſtructionẽ Oecumenicæ Synodi, quæ verè creditæ ſunt è Photij officina depromptæ. Poſt hæc introducti ſunt duo Patricij pœnitentes, de his quæ in Octaua Synodo contra Photium egiſſent, affirmantes ſe à falſis Legatis fuiſſe deceptos. Lecta ſunt Capitula quinq; tamquam à Legatis Romanis propoſita. Primum, De Diœceſi Bulgarię: Secundum, De non eligendo ampliùs laico in Epiſcopum Conſtantinopolitanum: Tertium, Ne ab alia ſumatur Eccleſia: Quartum, De Synodo habita contra Photium vt abrogetur: Quintum, Vt qui cum Photio non communicarent, excommunicati eſſent. Quæ omnia recepta à Synodo fuerunt, præter illud de Bulgarorum Diœceſi, quod Imperatoris voluntati commiſſum eſt. Et ſic exitum illum eſt conſecuta Actio quarta quem Photius voluit.

Quæ autem quinta eſt Actio celebrata, ponitur anno ſequenti, die vigeſima ſexta menſis Ianuarij, eadem Indictione decimatertia, in qua Photius de Septima Synodo ſermonem inſtituit, calumniamque ex ea ſtruxit aduerſus Romanam Eccleſiam, quòd de Septima Synodo recipienda, eſſetne Oecumenica, dubitaſſet; cui Legati ſatisfecerunt. Et firmatũ eſt omnium ſententia, vt Oecumenica Septima Synodus diceretur. His ſucceſſit citatio Metrophanis Metropolitani Smyrnenſis Eccleſię, cuius ſumma cum laude eſt crebra mentio in legitima Octaua Synodo, accedere iuſſus vt ſchiſmaticus, qui ſecutus Ignatij partes, cum Photio noluerit vllo pacto communicare. Inter hæc facta eſt ſuggeſtio (ſeu potiùs à Photio ficta) Legatorum Apoſtolicæ Sedis, vt ex ſententia Ioannis Pontificis Canon conſtitueretur, quo iuberetur, vt excommunicati vel depoſiti à Romano Pontifice, à Photio non ſuſciperentur, ſicut è contrà qui depoſiti eſſent à Photio vel excommunicati, non reſtituerentur nec abſoluerentur à Romano Pontifice. Sicque confectus de his eſt primus Canon: quo quis non videat ſumma Photij calliditate *Actio 5.*

lliditate interceptas eſſe appellationes ad Apoſtolicam Sedem & recurſum ad eam? ſiquidem ablata fuit per Canonem iſtum auctoritas Romani Pontificis, vt iudicare non poſſet quos Photius condemnaſſet. Quis animo concipere poteſt Legatos Apoſtolicæ Sedis adeò oſcitantes, & prodigentes Iura Apoſtolicæ Sedis, vt & aduerſus contra ea obnitentes non tantùm non reſtiterint, ſed vt iſthæc ſancirentur, ipſi ſuggeſſerint? an non manu palpantur commenta Photij?

Statutus eſt autem poſt hæc, eodem ſuggerente Photio, Canon ſecundus, Ne quis relinquens Epiſcopatum tranſiens ad ſtatum monaſticum, Epiſcopatum retinendi haberet ampliùs facultatem, nec ad illum reuertendi aditus pateſieret. Hîc non prætereundum, quòd Gratianus malè conſultus Canonem hunc tanquam ex legitimâ Octaua Synodo deſcripſit totidem verbis in libro Decretorum, qui planè odio Photij impoſtoris fuerat exſufflandus. Additus eſt in hac etiam Actione tertius Canō aduerſus ſęculares Magiſtratus, carceri mancipantes vel verberantes Epiſcopos. Secuta ſunt hæc ſubſcriptiones omnium, in primis verò Legatorum Apoſtolicæ Sedis, cum deteſtatione omnium Synodorū ſub Adriano Pontifice contra Photium collectarum.

Actio 6. Conuenerunt poſteà iidem die decima mēſis Martij (fuit Feria quinta) Indictione decimatertia, non in Eccleſia, vt anteà, ſed in Palatio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, vbi Actionem ſextam habuerunt, cui Imperator interfuit, qui ex ſuggeſtione Photij fidei Definitionem à Synodo poſtulauit. Sicque conſenſu omnium exhibita eſt Definitio fidei comprobata in ſeptem Synodis Oecumenicis, conteſtationibus appoſitis, ne quid ab aliquo adderetur vel minueretur omnino: recitatumque eſt Nicænum Symbolum ſiue Conſtantinopolitanum dictum: ita ſuggillantes Latinos, quòd appoſuiſſent verba illa, Filioque. His approbatis ab omnibus, ſubſcripſit Baſilius Imperator, improbans ſua ſubſcriptione cuncta quę contra Photium acta eſſent in Octaua legitima Synodo, cui ipſe ſubſcripſerat vnà cum filiis, quos & huic Pſeudoſynodo pariter ſubſcribere voluit. Sicque ſexta Actio eſt conſummata, acclamationibus præcedentibus.

Poſt triduum verò, nempe decimatertia mēſis Martij, die Dominico, eiuſdem decimætertiæ Indictionis habita eſt ſeptima atque nouiſſima Actio in magna Eccleſia, vbi iuſſa eſt legi fidei Definitio in præcedenti Actione probata, additis & multiplicatis anathematiſmis, ſi quis quid ei adderet vel minueret. Sicque abſoluta eſt Photiana Synodus, Octaua dicta & Generalis. Actio 7.

CONCIL. ROMANVM III.

quo ATHANASIVS *Epiſcopus ſimul & Princeps Neapolitanæ vrbis, propter fœdus cum* SARACENIS *initum excommunicatus eſt.*

ATHANASIVS Neapolitanus Epiſcopus ſimul & Princeps olim à Ioanne Papa ep. 66. 161. & 162. plurimùm laudatus, in tranſuerſum actus, & in arcum prauum conuerſus, ſceleſtiſſimus euaſit. ANNO DOMINI DCCCLXXXI. De ipſo enim Leo Oſtienſis lib. 5. cap. 42. iſta habet: *Idem verò Athanaſius Princeps illi, nempe Sergio, ſubrogatus, firmata cum Saracenis pace, Beneuentum, Capuam, Salericum, Romamque depopulari cum eis cœpit, multaque tunc Monaſteria, & Eccleſiæ cum villis & vrbibus impiorum incendio conflagrarūt.* Hæc Leo. Poſt fœdus cum Saracenis contractum Ioannes Papa per epiſt. 251. & 256. eum admonuit, vt fœdus cum Barbaris initum diſſolueret, & niſi parêret, anathematis ſententia feriendus eſſet. Imò quod magis eſt, ipſe Ioannes Papa hac de cauſa Neapolim ſe contulit: ſed fruſtrà. Quare dum in vrbem rediiſſet, hac Synodo ibidem congregata, anathematis ſententiam in eum tulit, eamque per epiſtolam Circularem

Digitized by Google

cularem 270. Epiſcopis circùm poſitis omnibus inſinuauit. Cumque excommunicatus Athanaſius pro abſolutione non ſemel inſtitiſſet, Pontifex ab eo ſæpiùs deluſus, nullam ipſi fidem adhibendam eſſe putauit, niſi primùm Saracenis ab ipſo necatis, vel captis, pœnitentiæ certa ſigna dediſſet. Quod vt illi conſtaret, Marinum Epiſcopum cum epiſtola 294. ad eumdem Athanaſium ſcripta huius rei cauſa ablegauit. Vide Baronium anno 881. num. 1. & ſeqq.

Princeps Athanaſius pluries petens ab excommunicatione abſolutionem, non exauditur.

CONCIL. COLONIENSE

celebratum anno Domini 887. tempore STEPHANI VI. *dicti* V.

ANNO DOMINI DCCCLXXXVII.

In hoc Concilio agitur & ſtatuitur contra raptores rerum Eccleſiaſticarum, oppreſſores pauperum, & contra inceſtas nuptias. Hoc quia aliàs determinatum eſt, hîc non ponitur, ſed extat apud Binium.

CONCIL. MOGVNTIACENSE,

occaſione ARNVLPHI *noui Regis*, DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *propter incurſiones* NORTHMANNORVM *reformandæ celebratū anno Domini* 888. *tempore* STEPHANI *Papæ* VI. *dicti* V. *& anno* 1. *Regis* ARNVLPHI.

DCCCLXXXVIII.

In hac Synodo hoc vnum in primis obſeruatu dignū eſt, quòd ſicut hîc, ita etiam apud omnes alios Scriptores antiquos Arnulphus non Imperator, ſed Rex dumtaxat nominatus reperiatur; eò quòd nefas eſſet, Imperatoris nomen aſſumere, niſi illud à Sede Apoſtolica priùs collatum eſſet. Quam ob rem perperàm agere conuincuntur, qui ſtatim poſt obitum Caroli, Arnulphum, tamquam heredem Imperij, Imperatorem nominant.

Hanc Synodum propter infelicem ſtatum Eccleſiarum Germanicarū congregatam eſſe, indicant Patres in Præfatione huius Synodi: cumque tribus prioribus Canonibus Arnulphus Rex inſtruatur & admoneatur, quo modo ſe in regimine Regni benè diſponendo gerere debeat; patet, nouam Regis Arnulphi electionem huic Synodo congregandæ occaſionem aliquam præbuiſſe.

In prrimo Canone ſtatuitur, Vt fiat oratio tam pro Rege Arnulpho & ſua coniuge, quàm pro ſtatu totius Chriſtianitatis.

In Secundo, Vt annuntietur Regi, quòd Rex à rectè regendo vocatur: & propterea piè, & iuſtè, & miſericorditer regere debet; alioquin his carens, tyrannus, non Rex erit.

In Tertio oſtenditur, munus Regis eſſe, Primò, Vt ſit defenſor Eccleſiarum & ſeruorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Secundò, Vt ſtudeat quantum poſſibile eſt, ne iniuſtitia aliqua fiat: quod ſi euenerit, non permittat eam vllo modo ſubſiſtere. Scire enim debet Rex, quòd cauſa, quā iuxta miniſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei cauſa exiſtit, cui pro miniſterio quod ſuſcepit, in die tremendi Examinis rationem redditurus eſt.

Notent Reges.

In Quarto, Vt Eccleſia cum rebus ad ordinationem Epiſcopi pertineat. Vide Concilium Toletanum III. c. 19. & in cap. Sic quidam. 10. q. 1.

In Quinto, Ne Presbyteri ſine conſenſu Epiſcoporum per Eccleſias conſtituantur, vel ab eis reiiciantur. Vide Turonenſe Concilium tempore Caroli, cap. 15.

In Sexto, Vt nullus Eccleſiaſticas res inuadere præſumat. Concilium Aurelianenſe V. c. 15. vel 16.

In Septimo ſtatuitur, Vt ſi quis Clerico aliquam iniuriam ſeu calumniam ingeſſerit, à liminibus S. Eccleſiæ arceatur vſque ad condignam ſatisfactionē.

In CANONE VIII. idem determinatur.

In CANONE IX. ſtatuitur, Vt ſicubi Eccleſiæ fuerint incenſæ, in Capellis Miſſas interim liceat celebrare, donec

donec ipſæ Eccleſiæ reſtaurari queant. In itinere verò poſitis, ſi Eccleſia deſuerit, ſub dio, ſeu in tentoriis, ſi tabula Altaris conſecrata, ceteraque miniſteria ſacra ad id Officium pertinentia adſunt, Miſſarum ſolemnia celebrari permittimus. Vide Concilium Triburienſe, & in cap. Miſſarum ſolemnia, de Conſecr. diſt. 1.

In Decimo, Vt mulieres in domo Clericorum ſimul cum Clericis non habitent.

In Vndecimo, Vt non inuadantur Eccleſiæ prædia. Vide cap. Attendendum. 17. q. 2.

In Duodecimo, Vt Presbyter Cardinalis non niſi 42. teſtibus damnetur: Diaconus Cardinalis conſtitutus vrbis Romæ non niſi in 26. condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius niſi in 7. teſtibus non condemnabitur. Teſtes autem ſine aliqua ſint infamia.

In Decimotertio, De decimis ab antiquis Eccleſiis non ſubtrahendis, & vt antiquæ Eccleſiæ honorem ſuum habeant.

In Decimoquarto, Nullus Epiſcopus alterius Parochianum præſumat retinere, aut ordinare.

In Decimoquinto, De eodem.

In Decimoſexto, Qui Sacerdotem occiderit, carnem non comedat, nec vinum bibat omnibus diebus vitæ ſuæ. Ieiunet autem à veſpera vſque ad veſperam, exceptis diebus Feſtis atq; Dominicis. Arma non ſumat: & vbicumque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed propriis pedibus proficiſcatur. Eccleſiam per quinquennij tempus non ingrediatur, ſed cùm ſacratum Orationum officia, aut Miſſarum ſolemnia celebrantur, ante fores Baſilicę perſeueret, &c.

In Decimoſeptimo, De decimis dandis.

In Decimooctauo, De quodam Altmanno, qui ſibi commatrem ſpiritualem in coniugium habet ſociatam, vt excommunicationi ſubiaceat.

In Decimonono, citantur aliqua Concilia contra Clericos fornicantes. In Concilio Neocæſarenſi cap. 1. ſcriptum eſt: *Presbyter ſi vxorem acceperit, ab Ordine deponatur: ſi verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* In Concilio Carthaginenſi II. c. 2. & Carthaginenſi V. cap. 5. idem ſtatuitur.

In Vigeſimo, De precariis iniuſtè & irrationabiliter factis.

In Vigeſimoprimo, De his qui in Eccleſiis ſeu atriis Eccleſiæ rixas mouerint, & mutuò inter ſe confligunt. Ex Concilio Moguntino tempore Caroli, c. 40. Turonenſi tempore Caroli, c. 39. & Arelatenſi tempore Caroli, c. 21.

In Vigeſimoſecundo, Vt decimæ ſoluantur. Ex Concilio Arelatenſi, cap. 9. & 20.

In Vigeſimotertio, De viris & feminis ſi adulterij reatu, ſiue alicuius flagitij crimine accuſati fuerint, iudicij examine, & ſacramenti proteſtatione ſe expurget.

In Vigeſimoquarto, De pace fruẽda.

In Vigeſimoquinto, Vt Monaſteriis Clericorum, Monachorum, & puellarum tales præficiantur Præpoſiti, ſicut in Cabilonenſi Concilio ſcriptum eſt, cap. 52. & 54.

In Vigeſimoſexto, Vt viduæ monachatæ non citò velentur.

CONCILIVM METENSE, *ad* REFORMANDOS MORES FIDELIVM *congregatum, tempore* ARNVLPHI *Regis.*

PROPTER mendum Actorum ſciri nequit, quoto anno Chriſti, quóve Pontifice præcisè hæc Synodus congregata fuerit: quia tamen Ratbodus Epiſcopus Treuirenſis huic, & præcedenti Moguntinæ interfuit, & propter Northmannorum incurſiones tempore Arnulphi Regis celebratam eſſe, conſtat ex cap. 1. & vltimo, ANNO DOMINI DCCCLXXXIX.

by Google

timo, nulla mihi ratio occurrit, ob quam ego hanc Synodum hactenus Moguntinæ ſtatim poſtpoſitam, nunc ab ea diſiungerem.

In primo Capite eſt tantùm hortatio ad emendatiorem vitam peragendam.

In Secundo, Vt vnus Presbyter vnam tantùm Eccleſiam habeat.

In Tertio, Vt Sacerdotes libros & veſtimenta Sacerdotalia ſuo Epiſcopo in proxima Synodo oſtendant: & vt Chriſma ſuum ſub ſigillo & ſera ſemper cuſtodiant, &c.

In Quarto, Vt Chriſtiani cum Iudæis cibum non ſumant.

In Quinto, Vt Baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ, ab Epiſcopis conſecrentur.

In Sexto, Vt velamina duabus Sanctimonialibus eiectis reſtituantur.

In Septimo, De aliquibus coniugiis non ineundis.

In Octauo, De mortuis in excommunicatione: de quibus S. Leo ſic decreuit: *Horum cauſa iudicio Dei eſt ſeruanda, in cuius manu fuit, vt talium obitus vſque ad communionis remedium differretur: nos autem, quibus viuentibus non communicamus, mortuis cõmunicare non poſſumus.*

In Nono, Vt fiat oratio pro Rege Arnulpho.

CONC. WORMATIENSE

in cauſa HERMANNI *Colonienſis &* ADELGARII *Hamburgenſis Epiſcoporum de* BREMENSI *Eccleſia contendentium celebratum, circa annum Domini 890. tempore* STEPHANI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCC.XC.

DE hac Synodo in libello de Vitiis Pontificum, quem ſub titulo Luitprandi iam recèns in lucem emiſit Nicolaus Serarius, in Vita Stephani VI. iſta deſcribuntur: *Hic Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum, & Adelgarium Hamburgenſem Archiepiſcopum de Bremenſi Eccleſia contendentes, VVormatium ad Synodum venire iuſſit, vbi Fulconi Rhemenſi Epiſcopo vice ſua commiſſa, cauſam eorum examinari mandauit.* Adelgarius & ſuam querimoniam direxerat, & poſtmodum per ſemetipſum acceſſerat, proclamans, ab Hermanno Eccleſiæ ſuę priuilegia violari. Sed quoniam Adelgario veniente, Hermannus defuit, tantæ liti finem imponere Papa diſtulit, ne quidpiam præproperè iudicare videretur, vnde rediuiua contentio futuris temporibus oriretur. Quocircà iniungit hanc Præſuli noſtro ſua ipſius Papæ vice Synodum conuocare apud Wangionem ciuitaté cum vicinis Suffraganeis, limitaneiſque Epiſcopis, ad quam Hermannum Agrippinæ Coloniæ, & Senderoldum Moguntinum cum ſuis Suffraganeis, nec non & eumdem Adelgarium occurrere iuſſerat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. Hæc Frodoardus lib. 4. cap. 1.

CONCIL. RHEMENSE,

quo CAROLVS SIMPLEX, *filius* LVDOVICI BALBI, *Francorum Regni legitimus ſucceſſor, à* FVLCONE *Rhemenſe Epiſcopo,* ODONE *Comite, qui tyrannice Regnum inuaſerat, reiecto, Rex Francorum vngitur, anno Domini 892. tempore* FORMOSI *Papæ.*

CVM Odo Comes Pariſienſis titulum Regni Franciæ ab obitu Caroli Craſſi Imperatoris, qui, teſte Reginone, anno Domini 888. ex hac vita migrauit, hucuſque tyrannicè vſurpaſſet, Regiaque poteſtate abuſus eſſet, neque ante hæc tempora Carolus Simplex heres vnicus Regni hereditarij ſuperſtes, per ætatem ad clauum Imperij tenendum ſatis aptus fuiſſet; iuſſu Fulconis conuenerunt Epiſcopi & Proceres Regni, atque vnanimi conſenſu definiuerunt, Regnum Galliæ hactenus per ſucceſſionem ad proximos heredes agnatos deuolutum fuiſſe: ideoque non alij, quàm Carolo Simplici, filio Ludouici Balbi, de Iure & conſuetudine antiquiſſima deberi. Poſt exauctoratum ergo Odonem Pariſienſem Comitem, Carolũ Fulconi coniungendum DCCCXCII.

tra-

tradiderunt. Cumque hac de cauſa Fulco Arnulphum contra ſe valdè commotum eſſe intellexiſſet, ſcribens ad eum literas (quas ſummatim recenſet Frodoardus huius temporis Scriptor probatiſſimus) cauſa reiecti Odonis, & electi Caroli Simplicis, & alia, quæ ſuprà recenſita ſunt, commemorat. Vide Binium hîc.

CONCIL. ROMANVM

ob graues perturbationes, quibus affligebatur Dei Eccleſia, celebratum Kalendis Martiis Indictione II. *anno Domini 893. tempore* FORMOSI *Papæ.*

ANNO DOMINI DCCCXCIII. RERVM in hac Synodo geſtarum nihil aliud ſupereſſe videtur, niſi quod Frodoardus ſcribit lib. 4. cap. 2. vbi epiſtolam Formoſi de hac Synodo congreganda ad Fulconem tranſmiſſam ſummatim recenſet his verbis: *Cui Fulconi reſcribens idem Papa Formoſus, monet eum compati debere Romanæ Eccleſiæ, atque imminenti eius ſubuenire ruinæ, nec ei ſuam præſentiam denegare: adiungens, hæreſes vndique ac ſchiſmata pullulare, nec qui ad reſiſtendum occurreret eſſe. Dicitque, longo retroacto tempore pernicioſas hæreſes Orientem confundere, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam nociua ſchiſmata perturbare, ſimul etiam regionis Africanæ Legatos inſiſtere, reſponſa petentes pro dudum exorto inter Epiſcopos ipſarum Prouinciarum ſchiſmate. Diuerſarum quoque partium Legationes diuerſa reſponſa petentes inſtare. Cuius rei gratia Generalem Synodum die Kalendarum Martiarum Indictionis vndecimæ ſe inchoare diſpoſuiſſe, ad quam eumdē remota omni dilatione admonet feſtinare, vt colloquendo largiùs de his valeant pertractare, & affluentiùs ad conſulta ſingula reſpondere. Northmannicæ gentis procellis, quibus aſſerebat ſe perturbari, plurimùm dolere; & vt eos Excelſi dextera reprimat, Apoſtolorum Principum ſuffragiis interuenientibus implorare; literas verò quas ſignificauerat ad eum per quaſdam perſonas primùm ſe direxiſſe, ad ipſum minimè perueniſſe. Miſerat etiam alias pro hac eadem Synodo celebranda pridem hinc menſe Indictionis decimæ, in quibus literis fatetur, Italiam tunc ſemel & ſecundò horrida bella perpeſſam, & penè conſumptam. Orientalium verò partium ſe deflere veſanam hæreſim in Chriſtum Ieſum blaſphemiam continentem.* Hęc de Synodo Romana ſub Formoſo Frodoardus.

CONC. TRIBVRIENSE

pro reformanda DISCIPLINA ECCLESIASTICA *celebratum anno Domini 895. tempore* FORMOSI *Papæ, &* ARNVLPHI *Imperatoris.*

IN CAP. I. fit communis oratio pro concordia tam Cleri quàm populi. DCCCXCV.

In CAP. II. & III. Quòd excommunicati, ſi poſt excommunicationem non ſe inclinauerint ad pœnitentiam, per Principem puniri debent.

In CAP. IV. & V. Quia Sacerdotes non ſunt lacerandi, ſed potiùs coronandi; ideò ſi quis Sacerdotem occiderit, quinquennio pleniſſimæ caſtigationi pœnitentiæ ſubſternatur, &c.

In CAP. VI. Ne quis euaginato gladio Eccleſiæ atrium intret, alioquin ſacrilegium facit.

In CAP. VII. Ne res Eccleſiæ rapiantur.

In CAP. VIII. De non contemnendo banno ab Epiſcopis impoſito.

In CAP. IX. Si Epiſcopus Eccleſiaſticum, & Comes ſæculare Placitum ſeu Conuentum vna die condixerint, effectum obtineat, qui prior indicauerat, ſalua tamen dignitate & poteſtate Epiſcopi.

In CAP. X. Vt Epiſcopus non deponatur, niſi à duodecim Epiſcopis, Presbyter à ſex, Diaconus à tribus.

In CAP. XI. Si Clericus homicidium fecerit, etiam ſi nimiùm coactus, ab Ordine ceſſare debet.

In CAP. XII. Vt præter Paſcha & Pentecoſten Baptiſma non celebretur, excepta neceſſitate periclitantium.

Digitized by Google

In CAP. XIII. Decimæ ſoluantur.

In CAP. XIV. Idem de eodem.

CAP. XV.

Vbi quis decimam ſoluit, ibi ſepeliendus.

VBICVMQVE facultas rerum & opportunitas temporum ſuppetat, ſepulturam morientium apud Eccleſiam vbi eſt Epiſcopi ſedes, ordinamus celebrari. Quòd ſi ex aliqua cauſa difficile æſtimetur; vbi decimam perſoluebat viuus, ſepeliatur mortuus.

CAP. XVI.

Ne ſepulturæ pro mortuis vendantur.

INTERDICTVM ſit omnibus Chriſtianis terram mortuis vendere, & debitam ſepulturam denegare, niſi fortè proximi & amici defuncti propter nomen Domini, & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.

CAP. XVII.

Vbi ſepeliendi ſunt laici.

NVLLVS laicus in Eccleſia ſepeliatur, niſi in communi cœmeterio: corpora tamen antiquitus in Eccleſia ſepulta nequaquam proiiciantur, ſed pauimento deſuper facto nullo tumulorum veſtigio apparente, Eccleſiæ reuerentia conſeruetur.

CAP. XVIII.

De vaſculis, quibus Myſteria ſacra conficiuntur.

De Conſecr. d. 1. Vaſa in quibus.

VASA in quibus ſacroſancta conficiuntur Myſteria, calices ſunt & patenæ: de quibus Bonifacius martyr & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc econtrà, lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zephyrinus XIV. Romanus Epiſcopus patenis vitreis Miſſas celebrare cōſtituit. Nos ſtatuimus, vt deinceps nullus Sacerdos ſacrum myſteriū Corporis & Sanguinis Domini in ligneis vaſculis vllo modo cōficere præſumat.

CAP. XIX.

Ne vinum ſine aqua in calice offeratur.

NON debet in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permiſtum, quia vtrumque ex latere eius profluxit: ſed ſic vt duæ partes ſint vini, tertia verò aquę, quia maior eſt maieſtas Sanguinis Domini, quàm fragilitas populi, qui per aquam deſignatur, iuxta illud: Populi multi, aquæ multæ.

CAP. XX.

Iniuriæ Clericorum.

SI QVIS in ſeruos Dei ſæuire pręſumpſerit, citetur ab Epiſcopo, & auctoritate Canonica conſtringatur, vt eidem Clerico iuſtam & debitam perſoluat compoſitionem.

In CAP. XXI. Ne Presbyteri iurare cogantur, ſed vice ſacramenti, per ſanctam Conſecrationem interrogentur. 2. q. 4. Si quis Presbyter.

In CAP. XXII. Qui infamia laborat, permittitur vt per ignem candenti ferro ſe purget. Sed hoc eſt modò abrogatum.

In CAP. XXIII. Deo velatæ virgines in coniugium non ducantur.

In CAP. XXIV. Virgo, quæ ante annos 12. non coacta, ſed propria voluntate ſacrum velamen ſibi impoſuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanſerit, ab eodem ſancto habitu vlteriùs non recedat, ſed ſponſa vero Chriſto incorrupta & immaculata deſeruiat.

CAP. XXV.

De viduis velatis.

NVLLVS Pontificum viduas velare attentet: quòd ſi ſponte velamen, quamuis non conſecratum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, ſanctimoniæ habitum vlteriùs habere debebit.

CAP. XXVI.

De Monachis à proprio Monaſterio exeuntibus.

MONACHVS pro lucro animæ à ſuo Monaſterio exire, & aliud intrare permittitur. Si verò id fecerit fugâ Regularis diſciplinæ, omnibus modis eſt coërcendus, atque omni onere eſt grauandus vt redeat. Si verò renuerit, retru-

Digitized by Google

retruſus ergaſtulo decoquatur pœnitudinis igne purgatorio, ſicut ſcriptum eſt in Chalcedonenſi Concilio cap. 4.

CAP. XXVII.

De Clericis ſemel in Clero deputatis.

SEMEL in Clero deputati, nec ad militiam, nec ad aliquã veniant dignitatem mundanam, vt in Synodo Chalcedonenſi ſtatutum eſt cap. 7.

In CAP. XXVIII. Vt nullus Epiſcopus alterius miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitet.

In CAP. XXIX. Vt nullum ſeruum ante perfectam libertatem Epiſcopus ordinare præſumat.

CAP. XXX.

De deferente falſam epiſtolam ab Apoſtolico.

SI QVIS Presbyter aut Diaconus redarguatur, falſam ab Apoſtolico detuliſſe epiſtolam, ſalua fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas, vtrùm eum in carcerem, aut in aliam detrudat cuſtodiam.

CAP. XXXI.

De furibus & latronibus.

SI inuentus fuerit quis furtum aut rapinam exercere, & in ipſo diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præſumat orare, aut eleëmoſynam dare; & eleëmoſyna pro ea data, in memoriam nec Clericorum nec pauperum veniat, ſed execrabilis ſordeſcat.

ANNOTATIO.

DVRA admodum eſt hæc ſanctio; niſi probabiliter præſumatur, eum in mortali peccato deceſſiſſe. De talibus enim ait S. Auguſtinus: *Nemo te poſt mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluiſti.*

CAP. XXXII.

De Eccleſia à pluribus coheredibus obſeſſa.

QVAECVMQVE Eccleſia à compluribus heredibus obſeſſa, concordi vnanimitate procuretur, ne propter aliquas diſceptationes ſeruitium Dei minuatur. Si verò contingat, pro ea comparticipes diſſidere, Epiſcopus tollat inde Reliquias, & ſub magna cura honorificè collocet eas: atque eiuſdem Eccleſiæ claudat oſtia, & ſub ſigillo conſignet ea, vt ſacrum miniſterium nullus celebret in ea, antequam concordi vnanimitate vnum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus ſit ſacroſanctum locum procurare, & populo Dei vtiliter præeſſe.

In CAP. XXXIII. ſtatuitur ex Concilio Nicæno, Vt ſi quis à Medicis per languorem defectus eſt, aut à barbaris abſciſſus, hic in Clero permaneat. Qui ſibi digitum abſcindit, ad Clerum non admittatur. Nemo literas neſciens, vel aliqua parte corporis imminutus, promoueatur ad Clerum. Ex Decr. Gelaſij, cap. 16.

In CAP. XXXIV. De eo, qui in hoſte cõtra Paganos interficit captiuos Chriſtianos, poſt quadraginta dies pœnitentiæ tranſactos, penes Epiſcopum ſit auctoritas, vt perpendat culpam, & agat indulgentiam.

In CAP. XXXV. Nullus Comes, nulluſque Iudex diebus Feſtis vel Dominicis, ſeu ieiuniorum, aut Quadrageſimę, Placitum habere præſumat. Et vt nullus Comes aliquem pœnitentem ad Placitum ire compellat, nec ipſe veniat.

In CAP. XXXVI. Si contingat duos fratres ſimul arborem ſuccidere, & cadente arbore alter alteri Fuge vel Caue dixerit, & ipſe ſtans, ſiue fugiens, ſubtus ipſam arborem deuenerit, & mortuus fuerit; ſuperſtes frater, innocens de morte defuncti diiudicetur.

CAP. XXXVII.

De muliere, cuius infans aliquo caſu propter negligentiam eius moritur.

SI QVAE mulier, vt ſæpè contingit, infantem proprium prope ignem collocauerit, & alius, qui caldariũ ſuper ipſum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipſa per ignem ferueus egreditur, & infanti ſuperinfunditur, &ححproptereà moritur; mater infantis, propter negligentiam, iudicio Sacerdotum pœniteat, &c.

CAP. XXXVIII.

Si quis libertam duxerit, vlteriùs habere debebit.

QVISQVIS libertam, hoc eſt, ex ancilla per manumiſſionem & regalem largitionem liberam factam, legitimè in matrimonium duxerit, vlteriùs habere debebit tamquam vnam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis cauſa: & quamdiu illa viuat, nullam aliam accipiat.

CAP. XXXIX.

Si quis alienigenam in matrimonium duxerit, habere debebit.

QVICVMQVE alienigenam in coniugium duxerit, velit nolit, tenenda erit, nec vltrà ab eo ſeparanda, excepta fornicationis cauſa.

CAP. XL.

Prohibetur matrimonium inter adulteros.

Extr. De eo qui dux. in matr. & c. Cū n haberet.

QVI vxorem alterius, eo viuente, conſtuprauit, & inſuper iuramento cōfirmauit, ſi ambo eius legitimum ſuperuixiſſent maritum, vt ille fornicator illam adulterā adulterio pollutam ſibi aſſociaret legitimo coniugio; nos tale coniugium anathematizamus, & Chriſtianis omnibus obſeramus.

CAP. XLI.

Si quis duxerit vxorem, & concumbere non valens cum ea, frater clàm violauerit illam.

SI QVIS legitimam duxerit vxorem, & impediente quacumq; domeſtica infirmitate, vxorium opus non valēs implere cum illa; frater verò eius, ſuadente diabolo, adamatus ab ipſa, clanculùm eam humiliauerit, & violatam reddiderit, omnino ſeparentur, & à neutro vlteriùs eadem mulier contingatur.

CAP. XLII.

De transmigrante ab vno in alium Epiſcopatum, & conſanguineam ſuam polluente, vel aliquod crimen committente.

SI QVIS de vno in alium omnino trāſmigrat Epiſcopatum, & ſi (quod abſit) contingat eum filiam ſororis ſuę, amitæ, aut materteræ, auunculi, vel patrui polluere, aut aliquod crimen committere: Epiſcopus Diœceſanus habeat ius & poteſtatem flagitioſum coërcere, & ad pœnitendum emollire.

CAP. XLIII.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente, filius eius vel frater inſcius violauerit illam.

SI QVIS cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente, filius eius, vel frater eiuſdem rei inſcius, cum eadem ſe polluerit, poſt peractam congruam pœnitentiam, legitimo vtatur matrimonio.

CAP. XLIV.

Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater eius ignarus duxerit illam vxorē.

SI QVIS cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater eius, eiuſdem ſceleris ignarus, duxerit illam vxorem, frater qui prior per fornicationem polluerat eam, quia non indicauit fratri vxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia, & condigna caſtigatione. Qua peracta, ſi continens eſſe non poſſit, indulgentia ſubleuetur, ne libidini proſternatur, quatenus legitimo conſoletur matrimonio. De muliere verò ſancimus, vt ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur vſque ad mortem. Ex Conc. Neocęſ. c. 2

CAP. XLV.

De illo, qui cum duabus ſororibus fuerit pollutus.

QVI cum duabus ſororibus fuerit pollutus, vſque ad exitum vitæ pœnitens & continens permaneat: & ſoror, quæ poſterior ſcienter ſe cum eodem commaculauerit, vſque ad finem vitæ pœnitens & continens perduret.

CAP. XLVI.

De confugiente ad Epiſcopum, ne ob adulterium à marito interficiatur.

SI cuius vxor conſtuprata fuerit, & propterea maritus capitali ſententia delere illam machinauerit: ipſa verò vrgentis mortis periculo ad Epiſcopum confugerit, & auxilium quæſierit, operoſiore, ſi poteſt Epiſcopus, labore deſudet, ne occidatur, ſi vitam ei obtinere poſſit,

Digitized by Google

poſſit, reddat; ſin autem, omnino non reddat. Maritus verò quamdiu ipſa viuat, nullo modo alteram ducat.

CAP. XLVII.

SI QVIS ſpiritualem habet compatrem, cuius vxor commater non eſt, eo defuncto, eius viduam licet ei ducere vxorem.

CAP. XLVIII.

De eo qui ſuæ ſpiritalis commatris filiam duxerit vxorem.

SI QVIS ſuæ ſpiritualis commatris filiam fortuitò, & ita contingente rerum caſu, in coniugium duxerit, conſilio maturiori ſeruato, habeat, atque honeſtè legitimo coniugio operam det.

CAP. XLIX.

QVI in adulterio filios genuerunt, omnino ſeparentur.

CAP. L.

QVI aliquem per illuſionem à recta fide ſubuerterit, vel perdiderit, dupliciter puniatur.

CAP. LI.

De eo, ſi quis cum vxore alterius, viuente eo, fornicatus fuerit.

ILLVD verò communi decreto ſecundùm Canonum inſtituta diffinita diffinimus & prædicamus, Vt ſi quis cum vxore alterius, viuente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali iudicio aditus ei claudatur inlicitus, ne vlteriùs ei coniungatur matrimonio, quam priùs polluit adulterio. Nolumus enim, nec Chriſtianæ Religioni oportet, vt vllus ducat in coniugium, quam priùs polluit per adulterium.

CAP. LII.

De homicidiis non ſpontè commiſſis.

PLACVIT nobis de homicidiis non ſpontè commiſſis hîc inſerere, quod in Ancyrano ſancto Concilio cap. 22. legitur, vbi dicitur: *De homicidiis non ſpontè commiſſis, prior quidem definitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit: ſecunda verò, quinquennij tempus explere. Modus autem huius pœnitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, vt ſecundùm conuerſationem pœnitentium, poſſint & extendere tardantibus, & minuere ſtudioſè feſtinantibus.*

CAP. LIII.

De eo, ſi quis filium ſuum non ſpontè, ſed caſu contingente, occiderit.

SI QVIS filium ſuum (quod abſit) non ſpontè, ſed caſu contingente occiderit, ſecundùm homicidia ſpontè commiſſa pœniteat, vt ſequenti ſubinfertur Capitulo.

CAP. LIV.

De his qui voluntariè homicidium fecerint.

DE his qui voluntariè homicidium fecerint, Ancyrano ſancto Concilio, cap. 21. legitur, Vt pœnitentiæ quidem iugiter ſe ſubmittant, perfectionē verò, id eſt communionis Chriſti gratiam, circa vitæ exitum conſequantur. Inſtituta Canonica & ſanctorum Patrum decreta, noſtro & omnium Orthodoxorum iudicio, inuiolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui paſtores Chriſti ouium ſumus, pro moderni temporis qualitate & hominum fragilitate, bonum & vtile videtur, vt his qui voluntariè homicidium fecerint, auctoritate Synodali & iudicio generali, & modum caſtigationis imponamus, & certum ac definitum pœnitentiæ tempus præmonſtremus: ne prolixum tempus pœnitentiæ generet faſtidium negligentibus: ſed curſim exercitatis, accreſcat opus ſalutis.

CAP. LV.

De pœnitentia 40. dierum.

SI QVIS ſpontè homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur: & nihil manducet illis 40. diebus præter ſolum panem & ſalem, neque bibat niſi puram aquam. Nudis pedibus incedat. Lineis non induatur veſtibus, niſi tantùm femoralibus. Sæcularia arma non portet. Nullo vehiculo vtatur. Ad nullam feminam, nec ad propriam vxorem, his diebus miſceatur. Nullam communionē illis 40. diebus cum aliis Chriſtianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu, aut vllis rebus. Si verò ſunt aliqui

Digitized by Google

aliqui vitæ ſuæ inſidiatores, vt præ illis non poſſit dignè pœnitere; interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab Epiſcopo proprio pax ei ab illis ſit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus ſit, vt non poſſit ritè ieiunare, adhibeatur ei miſericordia, quouſque conualeſcat, & tunc demum pœniteat. Si verò longo tempore eadem ſit occupatus infirmitate, ad Epiſcopum pertinebit, vt prudenter pertractet quomodo infirmum peccatorem curare diſponat: quia, vt Gregorius Paſtorali commemorat libro, occultiora ſunt vulnera mentium, quàm corporum: & ars eſt artium, regimen animarum.

Cap. LVI.

Poſt 40. dies, pœnitentia primi anni.

Post illos quadraginta dies, vnum annum integrum ab introitu Eccleſiæ ſuſpendatur. Et abſtineat ſe à carne & caſeo, à vino & medone ac mellita ceruiſia, niſi Dominicis diebus & Feſtis, qui per illum Epiſcopatum publicè celebrantur apud cunctum populum: & niſi vel in hoſte, aut in aliquo magno ſit itinere, vel longè aut diu ad Dominicam curtem, vel ſi infirmitate detentus ſit: tunc licitum ſit ei, tertiam Feriam & quintam atque Sabbatum redimere vno denario, vel pretio denarij, ſiue res pauperes pro nomine Domini paſcendo: ita dumtaxat, vt vel carne, vel vino, vel medone, id eſt, de tribus vna re vtatur, non omnibus veſcatur. Poſtquam autem de itinere domum reuertatur, aut de infirmitate liberetur, prędictas Ferias non redimat, ſed ſtatuto modo pœniteat. Completo verò vnius eiuſdemque anni curriculo, ita caſtigatus ritè & ordinabiliter more pœnitentium, introducatur in Eccleſiam.

Cap. LVII.

Pœnitentia ſecundi & tertij anni.

Secvndvm verò & tertium annum ſimili modo pœniteat: excepto, quòd prædictas tres Ferias redimere ius habeat, vbicumque eſt, ſiue in domo, ſiue in itinere. Cetera per omnia obſeruet, vt in primo anno faciebat.

Cap. LVIII.

Pœnitentia quarti, quinti, ſexti, & ſeptimi anni.

Qvartvm enim annum & quintum, ſextum & ſeptimum iſto modo obſeruet: Ieiunet autem his ſingulis tres Quadrageſimas: vnam ante Paſcha Domini à caſeo & pinguibus piſcibus, à vino & medone & mellita ceruiſia. Alteram ante natiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ. Si verò deſunt quadraginta dies ante natiuitatem, impleantur poſt natiuitatem. Tertiam Quadrageſimam antę Natiuitatẽ Domini Saluatoris ieiunet, & abſtineat ſe à carne & ceteris rebus prædictis. & in his quatuor annis, tertia Feria & quinta ac Sabbato, manducet & bibat quodcumque libeat. Et ſecundam atq; quartam Feriam denario, aut prædicto denarij pretio redimere ius habeat. Sextam verò Feriam cautè obſeruet. His ſeptem annis ritè expletis, reconcilietur, & more pœnitentium ſacris Altaribus & ſanctę communioni reſtituatur, atque perfectionem conſequatur.

CONCILIVM NANNETENSE.

Incertvm habemus quo tempore hoc Concilium actum ſit, & propterea hoc loco collocauimus. ANNO DOMINI DCCCXCVI.

In Cap. I. & II. determinatur, Vt vnuſquiſque fidelis ad propriam Parochiam Miſſam audiat.

In Cap. III. Vt nullus Sacerdos eas perſonas feminarum, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, in domo ſua habeat.

In Cap. IV. Vt Sacerdos viſitet infirmos in ſua plebe, & ingreſſus cubilum, Aquam benedictam ſuper eum, &per omne cubiculum aſpergat: poſteà dicat Septem Pſalmos: denique conſoletur infirmum, eique ſalutaria monita det. Aqua benedicta.

An-

ANNOTATIO.

De Aqua benedicta, aliqui affirmant eam inſtitutam eſſe ab Alexandro I. Pontifice. Verùm quòd hoc fiat ex Traditione Apoſtolica, ſic oſtendo: Clemens lib. 8. Apoſtol. Conſtitut.c.35. ponit ordinem conſecrationis Aquæ. Dionyſius de Eccleſ.Hierarch.cap.de Baptiſmo, dicit aquam ſacris inuocationibus conſecrari. Cyrillus Catecheſ. 3. dicit, ſicut mundi cibi fiunt immundi inuocatione diaboli, ita aquam ſimplicem fieri ſanctam inuocatione Dei. Cyprianus libro 1.epiſt. 12. *Oportet*, inquit, *mundari, & ſanctificari priùs aquas à Sacerdote.* Baſilius lib.de Spiritu ſancto, cap. 27. Apoſtolicam Traditionem eſſe dicit aquæ conſecrationem. Itaque fatemur, Aquæ luſtralis inſtitutionem non tribui Alexandro, ſed Apoſtolis: Alexandro autem tribui præceptum, vt hæc cærimonia frequentetur. De qua etiam meminit Ambroſius lib.4. de Sacram.cap.5. & lib. De his qui initiantur, c.3. Epiphanius Hæreſ. 30. Theodoretus libro 5. cap.21.Hiſtor. Auguſtinus Hom.27. ex libro 50. Homiliarum, & Serm. 19. de Sanctis, & libro 6. in Iulianum, cap. 8. vbi dicit, aquam ſigno Crucis in Eccleſia conſecrari.

In CAP. V. Infirmus neceſſitate mortis vrgente confitens peccata ſua, ſub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, vt ſi ei Dominus ſanitatem reddiderit, ſecundùm qualitatem delicti omnino pœniteat.

In CAP. VI. Vt Sacerdotes de hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant. Et vt non ſepeliantur in Eccleſia, ſed in atrio, aut in porticu, aut extra Eccleſiam. Intra Eccleſiam verò, aut prope Altare, vbi Corpus Domini & Sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam ſepeliendi.

In CAP. VII. Ne ſacri Ordines pro muneribus conferantur.

In CAP. VIII. Nullus Presbyter habeat duas Eccleſias.

In CAP. IX. Vt panis benedictus populo detur die Dominico.

In CAP. X. Vt de decimis quatuor fiant portiones: vna ad fabricam Eccleſiæ releuandam, altera pauperibus diſtribuenda, tertia Presbytero cum ſuis Clericis habenda, quarta Epiſcopo reſeruanda, vt quidquid exinde iuſſerit, prudenti conſilio fiat.

In CAP. XI. Vt qui ſacros Ordines accepturi ſunt, examinentur.

In CAP. XII. Vt vxor adultera dimittatur, ſi vir voluerit, & illa ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò eius, illa viuente, nullatenus aliam accipiat.

In CAP. XIII. Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

In CAP. XIV. Vt de adulteris, ſeptem annis pœniteat ille qui fœdus coniugij violauit: qui verò lege coniugij non tenetur, quinque annis pœniteat.

In CAP. XV. De fraternitatibus licitis & illicitis.

In CAP. XVI. Eccleſia vacans non eſt per ambitionem petenda.

In CAP. XVII. Qui voluntariè & per inſidias hominem interfecerit, iugi ſe pœnitentiæ ſubmittat.

In CAP. XVIII. Qui verò nolens, ſed caſu homicidium commiſerit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat.

In CAP. XIX. Vt feminæ publicis Conuentibus & Placitis non ſe immiſceant.

In CAP. XX. De cultu ſuperſtitioſo abolendo.

CONCILIABVLVM ROMANVM

in cauſa FORMOSI *Papæ celebratum, anno Domini 897.*

IN hac Pſeudoſynodo, cuius Acta recitantur infrà in Concilio Romano ſub Ioanne IX. Epiſcopi & Cardinales Presbyteri, qui ſummo odio Formoſum proſequebantur, Sergius nimirum, Benedictus, atque Marinus, aliique plures homines perditiſſimi, & Pontificiæ ſepulturæ violatores ANNO DOMINI DCCC.XCVII.

res in vnum congregati, ea quæ de Formoſo hîc ſubiiciam, diiudicarunt.

Stephanus Septimus, qui vulgò Sextus appellatur, ſucceſſit Formoſo: Bonifacius enim, qui inuadens Sedem Apoſtolicã, tenuit eam diebus quindecim, non eſt numerandus inter Pontifices, vtpote qui velut homo nefarius iam anteà bis gradu depoſitus, primùm à Diaconatu, ac deinde à Presbyteratu, in Romana Synodo ſub Ioanne Papa IX. dãnatus fuit. Et quamquam vterque per vim, metum & tyrannidem Sedem adepti fuerint, adeoque intruſus pariter intruſum expulerit; tamen Stephanus in numero & ſerie Pontificum communi ſententia numeratur, quia ad periculum ſchiſmatis auertendum, illum, quamquam homo ſceleſtiſſimus eſſet, vniuerſus Clerus approbauit, totaque Eccleſia Catholica pro Chriſti Vicario & ſucceſſore Petri agnouit. Nam cùm Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus eum Formoſo ſurrogatum intellexiſſet, obſequiis & officiis, quæ recèns creatis Pontificibus exhiberi ſolent, ſcriptiſque ad eum literis, teſte Frodoardo, eum veneratus eſt: non ignorans ſe etiam in ſucceſſoribus indignis Petrũ ac Chriſtum venerari, ſi iiſdem debitum cultum & obedientiam deferret: contrà verò in iiſdem eoſdem ſpernere, ſi quam debebat reuerentiam non exhiberet.

Pontificatum auſpicatus eſt à ſacrilegio illo, quo corpus Formoſi exhumatũ Sacerdotalibus indumentis indutum, tribuſque digitis mutilatum, in Tiberim proiecit, omneſque ab eodem ordinatos iteratò conſecrari & ordinari præcepit. Miror qua ratione Onuphrius in Annot. ad Platinam, hanc rei geſtæ hiſtoriam tamquam fabuloſam planè reiiciat; cùm præter antiqua monumenta & Synodalia Acta, de quibus infrà ſub Ioanne IX. Luitprandus lib. 1. cap. 8. eadem his verbis manifeſtiſſimè deſcribat & deteſtetur: *Formoſo defuncto*, inquit, *atque Arnulpho in propria reuerſo, is qui poſt mortem Formoſi Papa conſtitutus eſt* (Bonifacius nimirum, de quo ſuprà) *expellitur, Sergiuſque Papa* (memoriâ lapſus Luitprandus in nomine errat) *per Adelbertum conſtituitur. Quo conſtituto, vt impius doctrinarumque ſanctarum inſcius, Formoſum è ſepulchro extrahi, atque in Sede Pontificatus Sacerdotalibus veſtimentis indutum collocari præcepit, cui & ait: Cùm Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam vniuerſalem Sedem vſurpaſti? His expletis ſacratis exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſſis in Tiberim iactari præcepit; cunctoſque quos ipſe ordinauerat, gradu proprio depoſitos, iterùm ordinauit. Quod quàm malè egerit, Pater ſanctiſſime, animaduertere poteris; quoniam & hi qui à Iuda Domini noſtri Ieſu Chriſti proditore ante proditionem ſalutem ſeu benedictionem Apoſtolicam perceperunt, ea poſt proditionem, proprijque corporis ſuſpenſionem minimè ſunt priuati, niſi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui videtur Sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat, eſt aliquid, neque qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis Papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum à piſcatoribus poſtmodum eſſet inuentus, atque ad beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt. Hoc namque à religioſiſſimis Romanæ vrbis viris perſæpè audiui.*

Addidit culpam culpæ Stephanus Papa, quando collecta Synodo, nefarium, impium & deteſtandum facinus approbauit. Ipſi enim lapides tale portentum execrati, ſua tunc voce mutua colliſione clamarunt, ſpontaneam libentiùs pati ruinam, quàm vt Romana Eccleſia tanto ſcandalo depreſſa maneret. Accidit tunc, vt ſacroſancta Baſilica Lateranenſis, primaria Pontificis Sedes, impulſore angelo malo, ab Altari vſq; ad portas proſtrata corrueret: quia nequaquam ſtare poterant parietes, dum prima Cardinis porta tanti facinoris, terræ-

terræmotu concuſſa fuiſſet. Sacrilegi Pontificis facinus, quo à defuncto pœnam iniquè exegit, quóve legitimè collatos Ordines contra Chriſti inſtitutionem & Dei mandatum repetiuit. Nouatores hæretici noſtri temporis nobiſcum rectè quidem redarguunt & deteſtantur; verùm contra promiſſiones Chriſti Petro & Eccleſię factas, propter illud factum impium malè inſurgunt, & pręmaturè nimis de victoriâ gloriantes, triumphum agunt. Omnia enim quæ Stephanus contra Formoſum dixit vel egit, homo furore percitus egit, implens id quod exæſtuans rabies ſuaſit. Pontificia verò auctoritate legitimè vſurpata, nihil contra fidem vel bonos mores definiuit. Nam qui hac de cauſa ad Synodum conuocati ſunt Epiſcopi & Presbyteri Stephano non diſſimiles, ſimili odio Formoſum proſequebantur, adeoque in eamdem ſententiã pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præſciebant. Vnde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoſcimus, errorem autem in fide per Stephanum Pontificiam auctoritatem legitimè vſurpantem definitum vel approbatum fuiſſe, conſtanter pernegamus; quamquam nihil Sedi Apoſtolicæ præiudicaretur, ſi daremus inuaſorem non legitimè electum, ſed intruſum Pſeudopontificem, in articulis fidei aſſerendis aberraſſe. Huius temporibus poſt Arnulphum Regem Germaniæ pediculari morbo extinctum Widonem Imperatorem obiiſſe, teſtatur Luitprandus lib. 1. cap. 9. Stephanus Sedis Apoſtolicæ inuaſor, ab Optimatum factione aduerſus Adelbertum Etruriæ Principem præualente detruſus eſt in carcerem, anno Chriſti 900. & poſtquam Sedem Apoſtolicam ſex annis tenuiſſet, in eodem carcere ſtrangulatus, Deo vindice exitu infami vitam clauſit. Hæc ex antiquis monumentis & Diplomatibus de Stephano Baronius Tom. 10. Annalium.

CONCIL. OVETENSE,

quo XVIII. *Epiſcopi ex conceſſione Pontificis* IOANNIS VIII. *Eccleſiam Ouetenſem Metropolitana dignitate auxerunt, Aera* 939. *qui eſt annus Redemptoris noſtri* 901. *ſub* IOANNE IX.

IOANNES Papa VIII. ad petitionem Aldefonſi Regis inter alia, quorum fit mentio in epiſtola ad prædictum Aldefonſum, conceſſerat, vt Ouetenſis Eccleſia Metropolitanam dignitatẽ acciperet; ideò in primis, quia Aldefonſus Magnus illic Regiam ſedem collocaſſet. Interfuit inter alios huic Concilio Theodulfus Epiſcopus Legatus miſſus à Rege Francorum: reliqui autem qui ex propinquis Eccleſiis conuenere, numerati ſunt decem & ſeptem Epiſcopi. ANNO DOMINI DCCCCI.

Primùm igitur omnium (quod dictum eſt) cõſtituta ſede Metropolitana Eccleſia Ouetenſi, Ermenegildus eius Antiſtes Archiepiſcopus eſt appellatus: ſicque ea dignitas, quæ anteà inhærebat Eccleſiæ Lucenſi illi proximæ, in Ouetenſem tunc eſt tranſlata. Actum eſt etiam; vt inuigilarent Epiſcopi atque miniſtri eorum Eccleſiaſticæ diſciplinæ: cuius rei perficiendæ cauſa, bis in anno, vt antiqui Canones docent, Synodum cogerent, in qua ea quæ eſſent emendanda corrigerent. Additum prætereà, vt Epiſcopi illarum Eccleſiarum, quæ fuerant à Saracenis deſtructæ, Ouetum ſe conferentes, in ea Eccleſia militantes, ſtipem conſequerentur, ſi alias circumpoſitas ſub eadem Diœceſi conſtitutas Eccleſias curarent. His conſtitutis, appoſitum eſt anathema ea non ſeruantibus.

Poſt hæc Rex & Ermenegildus ad Epiſcopos ſermones hortatorios dixerunt: quibus abſolutis, Epiſcopi ex more Regi acclamantes, Regem laudarũt, quòd ingentia latifundia Ouetenſi Eccleſiæ tribuiſſet, eiuſque immunitates à prædeceſſoribus acceptas confirmaſſet. Decima quarta Iunij Aera 939. Synodus abſoluta fuit. Hæc ex Baronio.

Digitized by Google

CONCIL. ROMANVM

quo Acta STEPHANI VII. *contra* FORMOSVM *habita, reſcinduntur, & improbantur; & ſolius* LAMBERTI *coronatio tamquam citra vim legitimè facta confirmatur, anno Domini* 904. *tempore* IOANNIS IX.

De abrogatione PSEVDOSYNODI *habita à* STEPHANO *prædeceſſore.*

ANNO DOMINI DCCCC. IV

SYNODVM tempore piæ recordationis ° Sexti Stephani Papæ, deceſſoris videlicet noſtri celebratam, in quâ venerabile corpus Formoſi venerandi Papæ de ſepultura violata per terram tractum eſt, & quaſi ad iudicium deductum, iudicari & damnari præſumptum eſt, quod numquam deceſſorum noſtrorum temporibus factum fuiſſe traditum eſt, penitùs abrogamus. Et ne vlteriùs præſumatur fieri per quodlibet Spiritus ſancti iudicium, interdicimus: quia ad iudicium vocari mortuus non poteſt, cùm perſona, quæ ad iudicium vocatur, ideò vocatur, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis: & omnibus patet, quia mortui cadauer pro ſe nec reſpondere nec ſatisfacere poteſt.

° Septimi

Epiſcopi, & Presbyteri, & reliquus Clerus, qui eidem Synodo interfuerunt, quia ipſi veniam petentes, coactos ſe terroris metu ac formidine interfuiſſe confeſſi ſunt; prece ſanctæ Synodi eis indulſimus, &c. *Et infrà:*

Epiſcopi igitur, ſeu Presbyteri, atq; Diaconi, nec non & Subdiaconi, ceterique alterius Ordinis ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoſo Canonicè conſecrati, & pro quorumdam libitu temerè deiecti ſunt, in proprios Ordines & gradus communi ſanctæ Synodi conſultu reducimus, perpetuoque robore ac Canonica cenſura ſtabilitos, Deo auctore, decernimus, &c.

Violatores ſeu corruptores ſacri tumuli eiuſdem Domini Formoſi Papæ, qui ſub fœdere cõſpirationis ad capiendum theſaurum, corpus illud trahentes, in fluuium Tiberim iactare non timuerunt; diuina auctoritate, Synodalique noſtro conſultu, niſi reſipuerint, ſint à ſanctæ Dei Eccleſiæ liminibus ſeparati, &c. Et alia plura latè vide apud Binium hîc.

CONCILIVM RAVENNATE

LXXIV. *Epiſcoporum in eadem cauſa* FORMOSI *&* STEPHANI *Romanorum Pontificum, anno Domini* 904. *celebratum, tempore* IOANNIS *Papæ* IX. *&* LAMBERTI *Imperatoris.*

HVIVS Concilij Rauennatis meminit Sigebertus anno 903. his verbis: *Hic etiam ad confirmandam Formoſi Ordinationem, quem Stephanus Papa depoſuerat, Synodum* LXXIV. *Epiſcoporum præſentibus Francorum Archiepiſcopis & Rege apud Rauennam ſtatuit. Et coram eis combuſta eſt Synodus, quam Stephanus in damnationem Formoſi fecerat.* DCCCC. IV.

CONCILIVM SVESSIONENSE

de CORRECTIONE MORVM, *&* ECCLESIASTICA DISCIPLINA RESTITVENDA *habitum anno Domini* 909. *tempore* SERGII *Papæ* III.

IN hoc Concilio poſt deplorationem præſentis temporis miſerrimi ſtatus, tamquam tempus vltionis Domini, primùm omniũ de honore & cultu Eccleſiarum ponitur Cõſtitutio. Deinde ipſi Regi, vt potiſſimo poſt Sacerdotes Eccleſiæ membro, præſcribitur recta ſecundùm pietatem norma viuendi ex ſanctorum Patrum ſententiis concinnata: atque ex eiuſdem fontibus exhortatio ad eumdem Regem ſubiicitur. Tertio verò loco, Regularium ponitur reformatio, & diſciplinæ collapſæ integra reſtitutio. Quæ latè Binius hîc ex Baronio ponit. DCCCCIX

CON-

Digitized by Google

CONCILIVM CONFLVENTINVM,

octo Epiſcoporum, ne Chriſtiani intra ſeptimum cognationis gradum matrimonium contrahere præſumant. Habitum anno Domini 912. tempore IOANNIS *Papæ X.*

ANNO DOMINI DCCCCXII. De tempore, loco, rebuſque in hac Synodo geſtis, iſta apud Iuonem p.9.cap.66. *Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo duodecimo apud Confluentiam iuſſu venerabilium Principum, Caroli videlicet & Henrici Regum reuerendiſſimorum, congregati ſunt Epiſcopi numero* VIII. *cum Abbatibus, aliiſque ſacri Ordinis viris quamplurimis: Qui ipſo cooperante, ſententias eorum confirmante Domino Chriſto, in Synodali reſidentes Conuentu, multa vtilia, ac ſanctæ Dei Eccleſiæ profutura ſaluberrimo tractãtes conſilio, inter cetera quæ ſtatuerunt, hoc maximè neceſſarium, & inſtanti (proh dolor!) tempore per abuſionem frequentiſſimũ cognationis inceſtum, ſumma cautela vitandum firmauerunt: hoc eſt, ne vllus Chriſtianorum infra ſeptimam generationem nuptias copulare præſumat.* Hęc apud Iuonem. Præter hæc de ipſa nihil.

CONCILIVM APVD TROSLEIVM

in cauſa ISAACI *Comitis pœnitentiam agẽtis, habitum anno Domini 924. tempore* IOANNIS *Papæ X.*

DCCCCXXIV. De hoc Concilio in Galliis habito iſta Frodoardus l.4. c.19. *Synodus Epiſcoporum Rhemenſis Diœceſis apud Troſleium Octobri menſe habita, Seulfo Archiepiſcopo Rhemenſi præſidente, in qua Iſaac Comes ad emendationẽ & ſatisfactionem venit pro his, quæ praue aduerſus Eccleſiam Cameracenſem perpetrauerat: & vadatus argenti libris cẽtum, pacatur cum Stephano præfatæ vrbis Epiſcopo, præſente Heriberto, & pluribus Franciæ Comitibus.* Hæc in Chronico & in Hiſtoria Rhemenſi Frodoardus. Duarum aliarum Synodorum in eodẽ loco celebratarum idem Frodoardus meminit: quarum vna habita fuit ſub Præſidio Heruei Rhemenſis Archiepiſcopi, in præſentia Caroli anno 921. Altera verò poſt occiſum Seulfum, & quinquennalem Heriberti Comitis filium Rhemenſis Eccleſiæ Epiſcopum electum, celebrata eſt anno 927. in qua Heluinus Comes publicam egit pœnitentiam, eò quòd duxiſſet vxorem, alia adhuc ſuperuiuente. Vide Chronicon Cameracenſe, lib.1.cap.63.

CONC. DVISBERGENSE,

in quo illi, qui BENNONEM *Metenſem Epiſcopum excæcarant, excommunicantur, anno Domini 927. tempore* IOANNIS *Papæ X.*

DCCCCXXVII. ANNO Domini 925. Benno dum in Alpibus eremiticam vitam duceret, electus eſt Metenſis Epiſcopus, & poſt biennium à Metenſibus eſt excęcatus: cuius immanis ſacrilegij cauſâ hęc Synodus congregata, omnes illius ſceleris auctores excommunicauit, & Adalberonem loco eius ſubſtituit. Porrò Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ tolerantiæ relicto, cognominatus eſt Benedictus. Frodoardus in Chronico anno 928.

CONCILIVM ERPFORDIENSE

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum, anno Domini 932. tempore* IOANNIS *Papæ XI.*

DCCCCXXXII. IN hoc Concilio determinata ſunt plura.

I. Vt deinceps natalitia Apoſtolorum duodecim ſumma veneratione ſolemniter celebrentur: & in Vigiliis antiquitus ſtatutis, atque hactenus ab anteceſſoribus ſeruatis, ieiuniorum vota omni diligentia perſoluere decernimus.

II. Placita ſæcularia Dominicis vel aliis Feſtis diebus, ſeu etiam in quibus legitima ieiunia celebrãtur, ſecundùm Canonicam inſtitutionem, minimè fieri volumus.

III. Præcipimus vt nullus Chriſtianus Eccleſiam pro reuerentia petendo, ibique manendo, indeque reuertendo, alicuius publicæ poteſtatis banno ibidem conſtringatur: ne fortè dum ad Eccleſiam cauſa deuotionis properat, per bannum impediatur pro ſalute animæ deuotè inſiſtere.

IV. Eccleſiaſticus aliqua infamia notatus, admoneatur ab Epiſcopo tertio, vt vel prodendo reatum, culpabilem ſe eſſe cognoſcat, & ſic iuſtæ correptionis ſententiam excipiat: aut adhibitis ſecum collegis iuramento ſe expurgando, innocentem ſe eſſe demonſtret.

V. Vt nemo, niſi conſentiente proprio Epiſcopo, aut eius Miſſo, ſub obtentu religionis ieiunium ſibi imponat, vnum præ aliis excipiendo, omnimodò interdicimus.

CONCILIVM RHEMENSE

apud S. MACRAM *in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum anno* 935. *ſub* IOANNE *Papa* XI.

ANNO DOMINI DCCCCXXXV. HAEC Synodus celebrata eſt Rhemis apud S. Macram præſente Artaldo Archiepiſcopo Rhemenſi, cum ſex aliis Epiſcopis, in qua prædones, & Eccleſiaſticarum rerum inuaſores ad correctionem vocantur. Frodoard. l. 4. cap. 25.

CONCILIVM NARBONENSE

de finibus Diœceſeos inter VRGELLITANVM *&* PALLARIENSEM *controuerſis, celebratum anno Domini* 940. *ſub* STEPHANO *Papa* IX.

DCCCCXL. HAEC Synodus, teſte Mariana de Reb. Hiſpan. lib. 8. celebrata eſt apud Narbonam in oppido, cui nomen Fons coopertus, in qua controuerſia agitata reperitur de finibus Diœceſeos inter Epiſcopos Vrgellitanum & Pallarienſem, decretumque vt Pallaria vrbs ſua ſacra repeteret ab Vrgellitano Epiſcopo. Hæc Mariana anno 940.

CONCILIVM SVESSIONENSE

in cauſa HVGONIS *&* ARTALDI *Rhemenſium Archiepiſcoporum celebratum anno Domini* 941. *tempore* STEPHANI *Papæ* X.

HAEC Synodus celebrata eſt apud Sueſſiones in cauſa altercationis duorum, qui ſe Rhemenſes Archiepiſcopos profitebantur, videlicet inter Hugonem, quem in gratiam patris puerum adhuc quinquennalem electum fuiſſe, ſuprà dixi; & Artaldum, qui poſt illum eiectum ex Monacho in eam ſedem cooptatus fuit. Decretum eſt in hac Synodo, Artaldum amouendum eſſe, vtpote qui iuraſſet, nullum ſe vmquam Archiepiſcopatum accepturum: Hugonem verò recipi debere, eò quòd Clero populoque petente vocatus eſſet. Poſt abſolutam Synodum, & Hugonem ſedi Rhemenſi reſtitutum. Frodoardus, qué Heribertus Comes & pater Hugonis detinuerat, ab exilio liberatus fuit. Poſt hæc Epiſcopi Rhemos profecti, Hugonem Archiepiſcopum conſecrarunt. Frodoardus in Chronico, lib. 4. c. 28. DCCCCXLI.

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLIT.

quo TRYPHON *Patriarcha Conſtantinopolitanus doloſè depoſitus eſt, ſubſtituto in locum eius* THEOPHYLACTO *Imperatoris filio. Habitũ fuit anno Domini* 944. *tempore* MARINI *Papæ* II.

CVM tempore Ioannis XI. anno Chriſti 933. Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus obiiſſet, ſtatim exemplo Principis ſiue Comitis Heriberti, Imperator Conſtantinopolitanus inuaſit Patriarchatum iſta ratione: Tryphonem Monachum, quod numquam in Eccleſia eſt auditum, temporaneum conſtituit Antiſtitem, qui ſederet vſq; dum Theophylactus filius Cõſtantini Imperatoris legitimæ eſſet ætatis, qua poſſet Epiſcopus & Patriarcha ordinari: placuit DCCCCXXXV.

Try-

Tryphoni conditio. Exacto tempore, quod ipſe Tryphon definiuerat, de ſede, vt promiſerat, diſcedere nolebat, niſi legitimo Synodali iudicio conuinceretur. Congregato igitur ob eam rem Concilio, ibidem geſta ſunt quæ à Curopalate his verbis deſcribuntur: *Statim igitur cūctam Synodum alloquitur Patriarcha: Qui me de ſede iniuriâ detrahere cupiunt, ô ſacri miniſterij collegæ, multis admotis machinis, vt probabili cauſa inuenta me expellerent, non inuenere. Ad extremum hoc mihi obijciunt: expertem me literarum eſſe aiunt. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inſcribo, vt videntes, ac certiores facti calumniatores, deſinant iniuria mihi negotium faceſſere. Dixit, & ſumpta charta non ſcripta, coram omnibus ita ſcripſit: Tryphon miſeratione diuina Archiepiſcopus Conſtantinopolis nouæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha. Et ſcripta per Protothronum mittit Imperatori. Quibus ille acceptis, & alia in non ſcripta charta deſuper contenta, cauſam cur ſe abdicaret, ſcripſit, videlicet, indignum ſe throno cuicumque volenti cedere. Et ex hac excuſatione ad Synodum allata, ab Eccleſia Tryphon remouetur, multùm conquerens de fraude, & Protothronum grauiter accuſans: anno verò pòſt & mēſibus quinque (tantum enim temporis requirebatur ad perfectam Theophylacti ætatem, qua Princeps Sacerdotum deligeretur) Februarij menſe, Indictione 2. creatur Patriarcha Theophylactus Imperatoris filius.* Hæc Curopalates.

CONCIL. VIRDVNENSE
in cauſa HVGONIS *&* ARTALDI *Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum anno Domini 947. celebratum tempore* AGAPITI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCCC-XLVII. De hac Synodo Frodoardus libro 4. cap. 34. hæc ait: *Eodem anno Synodus Virduni habita eſt, præſidēte Roberto Treuirenſi Epiſcopo cum Artaldo Rhemenſi, Adelrico Aquenſi, Adelberone Metenſi, Goſlino Tullenſi, Hildebaldo Tranſrhenēſi, Mirnegardo VVurdenſi, Iſrâele Britone, præſente Brunone Abbate fratre Regis Ottonis, Agenoldo quoque & Odilone cum aliis quibuſdam venerandis Abbatibus.* Quid autem in eadem Synodo actum fuerit, ſubiungit his verbis: *Ad quam Hugo Epiſcopus euocatus, miſſis etiam duobus ad eum deducendum Epiſcopis, Adelberone & Goſlino, venire noluit. Vniuerſa Synodus verò domino Artaldo Rhemenſi tenendum indicauit Epiſcopium. Indicitur etiam Synodus Idibus Ianuarij habenda.* Hæc Frodoardus de Synodo Virdunenſi. Eadem referuntur in Synodali epiſtola Concilij Engelenheimenſis. Negotium nimis arduum dilatum eſt ad plenius Concilium, cui Legatus Pontificis intereſſet, & ad quod omnes Galliæ & Germanię Epiſcopi conuocarentur. Intereà Hugo effictis ſub nomine Epiſcoporū Rhemenſi Diœceſi ſubditorum literis, in ſede Rhemenſi confirmari petiit, & doloſè per ſurreptionem impetrauit. Pontifex enim ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ reſcribens, ſignificat Hugonem in poſſeſſione Archiepiſcopatus Rhemenſis eſſe manutenendum. Verùm qua ratione fraus Hugonis detecta fuerit, ſequentibus Conciliis patebit.

CONCIL. MOSOMENSE,
in prædicta cauſa celebratum tempore AGAPITI *Papæ* II. *anno 948. ipſis Idibus Ianuarij.*

Qvo tempore & loco, quoque DCCCC-XLVIII.
effectu hæc Synodus congregata fuerit, Frodoardus lib. 4. cap. 34. his verbis recenſet: *Anno nongenteſimo quadrageſimo octauo, Synodus prædicta, quæ ſcilicet indicta fuerat celebrāda, hoc anno Idibus Ianuarij celebratur in Eccleſia S. Petri ante conſpectum caſtri Moſomi à domino Rotberto, ceteriſque Treuirenſis Diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Rhemenſis. Veniens illuc Hugo, & locutus cum Rotberto Treuirenſi Archiepiſcopo Synodum noluit ingredi; literas verò quaſdam ex nomine Agapiti Papæ miſit ad Epiſcopos per Clericum ſuum qui eas Româ detulerat, nihil auctoritatis Canonicæ conti-*

nentes, hoc tantùm præcipientes, vt Hugoni Rhemenſe redderetur Epiſcopium. Quibus lectis, ineuntes Epiſcopi conſilium cum Abbatibus & ceteris ſapientibus qui aderant, reſponderunt, non eſſe dignũ vel congruum, vt mandatum Legationis Apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiſcopus, deferente Friderico Præſule Moguntinenſi, coram Regibus & Epiſcopis tam Galliæ quàm Germaniæ ſuſceperat, & partem iam petitionis ipſius exegerat, propter illas literas intermitterent, quaſi inſidiator Artaldi Præſulis exhibebat: imò quod regulariter cæptum fuerat, Canonicè pertractaretur. Sicque præceptum eſt, vt recitaretur Capitulum decimumnonũ Carthaginenſis Concilij, De accuſato & accuſatore. Quo recitato, iudicatum eſt, ſecundùm definitionem ipſius Capituli, vt Artaldo Præſule retinente communionem & Parochiam Rhemenſem, Hugo, qui ad duas Synodos euocatus venire contempſerat, à communione & regimine Rhemenſis Epiſcopij abſtineret, donec ad Vniuerſalem Synodum, quæ indicebatur ad Kalendas Auguſti, ſeſe purgaturus occurreret. Ipſúmque Capitulum mox in charta deſcribi fecerunt Epiſcopi coram ſe, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam, & eidem Hugoni miſerunt. Qui poſt alteram diem eamdem chartam Rotberto Præſuli remiſit, hoc verbis remandans, quòd ipſorum iudicio nequaquam obediturus ſit. Intereà proclamationis literæ à Domino Artaldo diriguntur ad Sedem Romanam.

CONC. ENGILENHEIMENSE *in cauſa* HVGONIS *&* ARTALDI, *Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, anno Domini 948. tempore* AGAPITI II. *celebratum, & nunc primùm ex m.ſ. Codice Monaſterij VVeingartenſis per Henricum Caniſium editum.*

ANNO DOMINI DCCCC-XLVIII.

CVM Marinus Sedis Apoſtolicę Legatus aduenifſet, alteram cauſam Legationis ſuę ad Rhemenſem Eccleſiam pertinentem executurus, congregata Generali quadam Synodo, definiri mãdauit ea, quæ compendioſè à Frodoardo lib. 4. cap. 3. his verbis commemorantur: *Dominus igitur Agapitus Papa Vicarium ſuum Marinum Epiſcopum mittit ad Ottonem propter euocandam & congregandam Generalem Synodum,* &c. *Quæ congregata eſt ex præcepto in Ergelenheim palatio Regali in Eccleſia B. Remigij honori dicata, ſeptimo Idus Iunij, cauſa videlicet maximarum diſſenſionum, quæ agitabantur inter Regem Ludouicum & Hugonem Principem, inter Artaldum quoque Rhemenſem Epiſcopum & Hugonem illicitè ſubſtitutum eiuſdem vrbis Præſulem, quæ diſſenſiones omne perturbauerant Regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam, adueniente prædicto Marino Sedis Apoſtolicæ Vicario, conuenerunt etiam Germaniæ Præſules cum quibuſdam Galliarum Epiſcopis.*

Et in prima Seſſione Artaldus iudicatur legitimus Epiſcopus Rhemenſis.

In ſecunda verò damnatur Hugo inuaſor ſedis Rhemenſis.

In reliquis verò Seſſionibus tractata ſunt quędam neceſſaria de inceſtis coniugiis, & Eccleſiis, quæ Presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imò venumdabantur indebitè, & auferebantur à laicis illicitè. Prohibitum igitur atque ſtatutum eſt, ne id præſumeretur ab aliquo. Sed & de aliis Eccleſiæ Dei vtilitatibus tractata ſunt & definita nonnulla.

CONCIL. TREVIRENSE *in cauſa* LVDOVICI *Regis &* HVGONIS *Principis, celebratum anno Domini 948. tempore* AGAPITI *Papæ* II.

MARINVS duplici de cauſa miſſus fuerat ab Agapito in Galliam. DCCCC. XLVIII. Quarum prima erat, Vt controuerſia inter Hugonem & Artaldum de Rhemenſi Archiepiſcopatu decideretur. Altera erat, Vt Regnum Ludouici, quod factione Hugonis Principis variis tumultibus nutabat, ille ſtabiliret. Illud prius præcedente Concilio peractum fuit, hoc poſterius præſtitum eſt Treuiris in iſta Synodo: in qua poſt multa, excommunicatur Hugo Comes ini-

Digitized by Google

inimicus Ludouici Regis pro ſuprà memoratis malis ab ipſo perpetratis, eo tamen modo, donec reſipiſcat, & ad ſatisfactionem coram Marino Vicario, vel Epiſcopis quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod ſi facere contempſerit, Romam pro abſolutione ſui proficiſcatur.

CONCIL. ROMANVM

quo Acta duarum præcedentium Synodorum ab AGAPITO *Pontifice confirmantur, celebratum eſt anno Domini 949.*

ANNO DOMINI DCCCC-XLIX. AGAPITVS *Papa*, inquit Frodoardus in Chronico, *Synodum habuit apud ſanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis Epiſcopi apud Ingelnheim factam confirmauit, excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludouico Regi ſatisfaciat.*

SYNODVS AVGVSTANA

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *anno Domini 956. tempore* IOANNIS *Papæ* XII. *celebrata, nunc primùm ex m.ſ. Codice celeberrimi euiſdem Monaſterij VVeingartenſis per Henricum Caniſium euulgata.*

CANONES SYNODI AVGVSTANAE.

DCCCC-LVI. I. SI QVIS Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque vxorem accepit, deponatur, ſicut in Concilio Carthaginenſi cap. 25.

II. Eccleſiaſticis non licet habere canes, nec accipitres. Ex Concilio Toletano cap. 10.

III. Eccleſiaſticus aleæ vacans, deponendus erit, vt in Can. 42. Apoſtol.

IV. Clericus non cohabitet cum muliere extranea.

V. Regulares extra Monaſterium non vagentur abſque licentia Abbatis.

VI. Epiſcopus curam gerat Monachorum, quorum Monaſterium in ſua Diœceſi erit, vt eis prouideat, & ſi opus eſt, etiam eos corrigat.

VII. Clerici Monachiſmum ingredi volentes, non impediantur.

VIII. Sanctimonialis, quæ ſpontè ſtrictiori vitæ propoſito ſe alligare voluerit, non impediatur.

IX. Laici non præſumant eiicere Presbyteros ab Eccleſiis eis Canonicè commendatis, ſine conſcientia & conſenſu proprij Epiſcopi.

X. Omnis decimatio ſit in poteſtate Epiſcopi.

XI. Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, quia diuina myſteria contrectant, ab vxoribus abſtineant.

CONCIL. MELDENSE

in cauſa RHEMENSIS EPISCOPI *celebratum anno Domini 962. tempore* IOANNIS *Papæ* XII.

PER obitum Artaldi Rhemenſis Archiepiſcopi vacabat ſedes Rhemenſis, in quam cùm Hugo nuper per Agapitum deiectus, fauore Lotharij Regis iterùm intruſus fuiſſet, conuocata eſt hæc Synodus XIII. Epiſcoporum, qui in Meldenſi pago cōgregati, decreuerunt, quę à Frodoardo in Chronico deſcribuntur his verbis: *Synodus tredecim Epiſcoporum in pago Meldenſi ſupra Maternam fluuium, ex Rhemenſi videlicet ac Senonenſi Diœceſi celebratur, præſidente Senonenſi Præſule, ſatagentibus quibuſdam Epiſcopis, vt Hugoni ſæpè dicto redderetur Rhemenſe Epiſcopium. Renitentibus autem præcipuè Roricone Laudunenſi & Gibuino Catalaunenſi Præſulibus, & aſſerentibus quòd à tot Epiſcopis excommunicatus, à minori numero abſolui non poterat. Ita relinquitur, vſque ad interrogationem Papæ Romani.* Et infrà: *Legatio veniens à Ioanne Papa, inſinuat, præfatum Hugonem tam ab ipſo Papa, quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum, ſed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cuius Legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiſcopum, elegimus ad Epiſcopium Rhemenſe Odalricum illuſtrem Clericum Hugonis cuiuſdam Comitis filium, fauente Lothario Rege cum Regina matre, præfatoque Brunone.* DCCCC-LXII.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

Ex quibus intelligis (quod ſæpè inculcandum eſt) qua reuerentia Epiſcopi colerent Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, licet ſedentem in ea iuuenculum, & prauis moribus deprauatum Pontificem: quem ſic obſeruant & venerantur, vt omnis ille Conuentus inter ſe diſſidens, ex eius reſponſione quieſceret.

CONCILIABVLVM ROMANVM,

quo IOANNES *Papa* XII. *deponitur, &* LEO *quidam (quem Scriptores perperàm Octauum eius nominis appellatum inter veros Pontifices adnumerant) in locum eius ſubrogatur. Habitum fuit anno Domini 963. in præſentia* OTTONIS *Imperatoris.*

ANNO DOMINI DCCCC. LXIII.

NVLLVS vmquam habitus eſt Orthodoxorum Conuentus Synodalis, in quo contra Ius Eccleſiaſticum, ſacros Canones, Traditiones Apoſtolicas peccatum fuit ſæpiùs, quàm in hoc Conciliabulo. Omnes Epiſcopi in Concilio Romano ſub Symmacho publicè conteſtati leguntur, quòd contra Pontificem abſque illius conſenſu cogendi Concilij facultatem nullam habeant. Illegitima eſt ergo hęc Synodus, quæ in cauſa Ioannis Papæ, quem Epiſcopi hîc congregati literis datis pro capite Eccleſiæ venerati fuerũt, ſine eius conſenſu & auctoritate indicta & congregata fuit. Secundò, In Concilio Sueſſionenſi contra Marcellinum habito, requiſitus eſt ſeptuaginta duorum teſtium numerus; contra Ioannem in hoc Patrum Conuentu, præter accuſatores vix vnus teſtis productus fuiſſe legitur. Tertiò, Vt minimũ ter vocari & citari debebat, cùm in nullo Concilio quiſquam hæreticus ante tertiam citationem legatur fuiſſe condemnatus. Quartò, Nulla conceſſa eſt dilatio Pontifici, quæ ne quidem viliſſimo homuncioni vmquam in iudicio etiã externo & politico negata fuit. Quintò, Contra morem omniũ Conciliorum hactenus habitorum petitum eſt ab Imperatore, vt ille Romanum Pontificem condemnet, qui nec Clericum vllum condemnare debebat. Sextò, Sine vlla ſententia abdicatus eſt Ioannes, & quidam Leo, quem Octauum nominant, in locum illius ſurrogatus fuit: adeoque, quod omni Iuris ordini repugnat, ab executione proceſſum inchoarunt. Septimò, Vniuerſa Synodus eum iudicare præſumpſit, qui à iuriſdictione ſua planè exemptus erat. In Concilio Sueſſionenſi ſub Marcellino, & Romanis duobus ſub Symmacho & Leone Tertio vna vox Epiſcoporum omnium erat iſta: *Prima Sedes non iudicatur à quoquam.* Inſigni ergo impudentia vel ignorantia hic Patrum Orthodoxorum Conuentus Romanum Pontificem condemnauit, in quem nemo alius quàm hęreticus vel ſchiſmaticus vllum ſibi iudicium hactenus vſurpauit. Accedit ad hæc, quòd in epiſtola ad Ioannem ſcripta apertè profiteantur, idq; exemplo Iudæ proditoris confirment, propter peccatum, clauium poteſtatem à Põtificibus auferri, eiſque tradita ſibi à Deo ligandi atque ſoluendi facultate priuari & deſtitui: quod hæreticum & erroneum eſſe, nemo Catholicus vmquam negauerit. Præterea, ab omni Eccleſiaſtica conſuetudine abhorret, quòd Romanos Pontifices Sedis Romanę Suffraganeos appellant: quodq; ſtultiſſimè reprehendunt Ioannem, quòd in ſua Reſponſione dixiſſet: *Non habeatis licentiam vllum ordinare*: putantes enim ipſi, idem eſſe *vllum* quod *nullum*, ſumma cum ignorantiæ ſuæ proditione redarguerunt eum quòd duabus negationibus affirmaſſet illud idem, quod prohibere intendebat. Ad extremum, Non eſt ſilentio prætereunda præpoſtera illa nomenclatura, qua contra morem maiorum, inuerſo penitùs loquendi vſu, Imperatorem Sanctiſſimum, & Pontificem Magnum nominant: cùm ante ſententiam conſuetos honorum titulos nemini adimere liceret, prout in Actis magnæ Chalcedonenſis

Digitized

nenſis Synodi factum apparet Neſtorio, qui quamuis hæreſiarcha accuſatus & conuictus eſſet, numquam tamen eum, niſi poſt prolatam ſententiam, Patres deſierunt Reuerendiſſimum & Sanctiſſimum nominare.

Cùm ergo propter tot nullitates, quas vocant, in hoc iudicio commiſſas, nulla ſit ſententia, ſitque nullum & irritum iudicium cum omnibus Actis quæ in eo geſta fuerunt, nullam & planè irritam eſſe oportet abdicationem Ioannis, & ſurrogationem alterius, qui vero Pontifici adhuc viuenti, nulloque iure abdicato ſuffectus fuit. Tollatur igitur & explodatur è numero & ordine Pontificum Leo ille ſchiſmaticus, quem Scriptores infiniti numero Octauum eius nominis Ioanni XII. ſubiungunt, omiſſoq; Benedicto V. tamquam Sedis inuaſore illegitimo, Ioanni XIII. anteponunt.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

in cauſa NICEPHORI *Imperatoris Orientalis, habitum anno Domini 963. tempore* IOANNIS *Papæ* XII.

ANNO DOMINI DCCCCLXIII. DEFVNCTIS hoc anno duobus in Oriente Impp. Leone, eiuſque filio Romano, acclamatus fuit ab exercitu ſucceſſor Imperij Nicephorus Phocas victoriis clariſſimus. Coronatus à Polyeucto Patriarcha Cōſtantinopolitano, voluit in vxorem accipere Theophanem relictam Romani Imperatoris defuncti viduam. Qua de cauſa cùm illi Polyeuctus reſiſteret, tū quòd non liceret ei abſq; quadam pœnitentia ſecundam vxorem ducere; tum etiam, quòd filium Theophanes in Baptiſmate ſuſcepiſſet; conuocata eſt hęc Synodus, eiuſque ſententia indultum (crimen enim quod illi obiiciebatur, probari non poterat) vt prędictæ Theophani connubio legitimo iungeretur. Curopalates.

CONCIL. ROMANVM

auctoritate IOANNIS *Papæ congregatum, quo* LEO *ſchiſmaticus Pſeudopapa eſſe declaratur, Actaque præcedentis* CONCILIABVLI ROMANI *reprobantur, anno Domini 964.*

DE hac Synodo Sigebertus, qui Acta Synodalia legiſſe viſus eſt dum ea ſummatim refert in Chronico, hæc ait: *Joannes Synodo collecta Leonem depoſuit, & eius geſta caſſauit: ſtatutum quoque eſt publico omnium iudicio Synodum à Leone habitam, nec nominandam Synodum, ſed Proſtibulum fauens adulteris* (ita Leonem nominabat, quòd is Romanam Eccleſiam alteri deſponſatam inuaſiſſet) *quicumque eo ordinante erant damnati, iuſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in charta, hac continente verba: Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit: & ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, quos habuerant, non à Leone ordinati. Si qui autem digni iudicantur, vt non accepta priùs conſecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnato à Conſtantino Neophyto.* Hæc Sigebertus. DCCCCLXIV.

Tollatur ergo & explodatur è numero verorum Pontificum Pſeudopontifex & Antipapa ſchiſmaticus; iterùm clamo, tollatur: faceſſat illorum, qui poſt hęc tempora vixerunt, & Pſeudo-Leonem inter legitimos ſacræ Romanæ Eccleſię Pontifices numerarunt, inſcitia; damnetur verò illorum, qui iſta tunc perpetrarunt, occaſionemque errandi poſteris dederunt, temeritas, & in Sacerdotibus non toleranda vel excuſanda ſacrorum Canonum ignorantia, & antiquarum Traditionum Eccleſiaſticarum imperitia. Imperatoris autem factum excuſetur verbis Apoſtoli dicentis Rom. 10. *Teſtimonium illis perhibeo, quòd zelum habent, ſed non ſecundùm ſcientiam:* nimis enim leuiter exiſtimabant, vnà cum moribus deprauatis minui atque penitùs tolli Romani Pontificis auctoritatem. Quod cùm erro-

erroneum ſit, vt in Apparatu annotaui, ſitque ab hęreticis Donatiſtis olim cum periculo totius Eccleſiaſticæ œconomiæ diſſeminatum, nemo ſanè prudens defenderit, quòd Ioannes Pontifex ob vitam non ſatis integram, per Conciliabulum Ottonis Imperatoris auctoritate collectum, rectè & legitimè depoſitus, & Leo eius nominis Octauus eidem iuſtè ſurrogatus fuerit.

Si dicas, Leonem hunc communi Scriptorum ſententia & conſenſu inter Romanos Pontifices numerari, Leonemque Octauum nominari, adeoque temerarium eſſe, qui ab iſta vulgari opinione diſſentit: Reſpondeo, Scriptorum error veritati nihil præiudicare poteſt. Nam ſicut canis aliquis leonis nomine inſignitus, vel etiam in numerum eorumdem leonum relatus, per ſolam nominationem vel numerationem, canis naturam non immutaret, neq; leo eſſe inciperet; ita non incipiet eſſe verus Leo Pōtifex eius nominis Octauus, *Gratianus & Crantzius redarguuntur.* quem errantium Scriptorum communis ſententia inter Pontifices veros numerat, & Leonem Octauum nominat.

CONCILIAB. ROMANVM, *quo per* LEONEM *Antipapam, & Sedis Apoſtolicæ inuaſorem ſchiſmaticum,* BENEDICTVS *Papa* V. *exauctoratur, & Hamburgum relegatur, anno Domini* 964. *ſub* OTTONE *&* NICEPHORO PHOCA *Imperatoribus.*

ANNO DOMINI DCCCC-LXIV. RESIDENTIBVS itaque domino Leone ſummo & vniuerſali Papa in Eccleſia Lateranenſi, *Luitprād. l.6.c.11.* nec non & Imperatore ſanctiſſimo Ottone, & Epiſcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia & Saxonia Archiepiſcopis, Presbyteris, Diaconis, omniq; Romanorum plebe, quorum nomina ſuperiùs adſcribuntur, aduenit Benedictus Apoſtolicæ Sedis inuaſor, eorum qui ſe elegerant manibus adductus, Pontificalibus veſtibus indutus. Quē Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali eſt ſermone aggreſſus: Qua tibi auctoritate, quáve lege, ô inuaſor, hæc Pontificalia indumenta vſurpaſti, ſuperſtite hoc præſente domino noſtro venerabili Papa Leone, quem tu nobiſcum, accuſato & reprobato Ioanne, ad Apoſtolatus culmen elegiſti? Num inficiari potes, præſenti domino Imperatori iuramento promiſiſſe, numquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, abſque illius filiique ſui Regis Ottonis conſenſu?

Benedictus reſpondit: Si quid peccaui, miſeremini mei. Tunc Imperator, effuſis lacrymis, quàm miſericors eſſet, oſtendens, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret; ſi vellet & poſſet, ad interrogata reſponderet: quòd ſi non poſſet, aut nollet, ac ſe culpabilem redderet, tamen pro timore Dei miſericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad domini Leonis Papæ pedes, ipſiuſque Imperatoris idem Benedictus concitè procidens, ſe peccaſſe, ſeque ſanctæ Romanæ Sedis inuaſorem eſſe clamauit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula quam manu geſtabat, domino Papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit. Cui Caſulam, quam Planetam vocant, cum Stola pariter abſtulit. Pòſt autem omnibus Epiſcopis dixit: Benedictum, ſanctæ & Apoſtolicę Sedis Romanæ inuaſorem, omni Pontificatus & Presbyteratus honore priuamus: ob eleëmoſynam verò domini Imperatoris Ottonis, cuius ſumus opera in Sedem debitam reſtituti, Diaconatus eum Ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.

CONCIL. RAVENNATE *in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum anno Domini* 967. *tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

DE hac Synodo fit mentio apud Reginonem his verbis: *Otto* DCCCC-LXVII. *Imperator vbi Natalem diem Domini*

mini celebraſſet, Rauennam profectus eſt vnà cum Ioanne Romano Pontifice, vbi celebrato Paſchate plurimos ex Jtalia & Romania Epiſcopos coadunauit, & habita Synodo multa ad vtilitatem Eccleſiæ ſanctæ adinuenit. Et Apoſtolico Ioanni vrbem & terram Rauennatium, aliaq; complura multis retrò temporibus Romanis Pontificibus ablata reddidit, (vel potiùs reſtitutionem iam antè factam confirmauit) *eumque Romam cum magna lætitia remiſit.* Hæc apud Reginonem.

CONCILIVM ANGLICANVM GENERALE,

aduerſus INCONTINENTES CLERICOS *celebratum anno 970. tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

ANNO DOMINI DCCCCLXX. HAEC Synodus celebrata eſt in Anglia à S. Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, auctoritate Ioannis Romani Pontificis; de qua in Actis S. Oſwaldi Epiſcopi Vigornienſis apud Surium 15. Octobris iſta habentur: *Per idem tempus auctoritate Ioannis Papæ Dunſtanus Archiepiſcopus coacto Generali Concilio ſtatuit, & Decreto firmauit, vt Canonici omnes, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi aut caſtè viuerent, aut Eccleſias, quas tenebant, dimitterent.*

Generale Concilium nominatur, quia in eo omnes Angliæ Epiſcopi conueniſſent. In eodem hoc Concilio Comitem quemdam præpotentem ob inceſtuoſas nuptias publicam egiſſe pœnitentiam, refert Osbertus apud Surium in Dunſtano, 19. Maij.

CONCIL. ROMANVM,

quo priuilegia Monaſterio S. MARIAE GLASTINGEBIRI *à Rege Anglorum* EDGARO *conceſſa confirmantur, anno Domini 971. tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

DCCCCLXXI. EDGARVS Rex Anglorum, & Dunſtanus Dorouernēſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Glaſtingebiri Monaſterium quoddam in honorem Dei & B. Virginis erexerant, plurimiſque opibus ditarant: & cùm metuerent, ne poſteris fortaſſe temporibus ab aliquo ſucceſſore ea quæ ipſi piè ſanctèque fundauerant, euerterentur; miſſo per Legationem ad Ioannem Papam fundationis inſtrumento, rogarunt illud auctoritate Apoſtolica muniri & confirmari. Pontifex cùm benignè directam Legationem ſuſcepiſſet, *concordi aſſenſu*, inquit Wilhelmus de Geſtis Regum Anglorum, *Romani Concilij ſancita ab eis firmauit, ſcribendo Apoſtolicæ auctoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, ſi qui fortè emerſerint, perpetui anathematis vltionem.* Diploma Ioannis extat apud Baronium, anno 971. num. 2.

CONCIL. IN INGELHEIM

celebratum anno Domini 972. tempore DONI *Papæ.*

CVM Otto Imperator vnà cum filio Ottone II. in Germaniam reuertiſſet, ad componendas res Eccleſiarum, Synodum per Epiſcopos congregauit in Ingelheim: in quo quid geſtum fuerit, nos præterit, niſi quòd in Vita S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani legitur, quòd ille relicto Epiſcopatu ad Monaſticam vitam tranſeundi poteſtatē ſibi fieri poſtulauerit, communique iudicio reſponſum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri ſanctiſſimi aliis peccandi occaſionem præbeat, qui in gratiam ſuorum nepotum, quos vellent iſta ratione Eccleſiis, non ſine graui totius populi detrimento, obtruderent. Vide Baronium anno 972. n. 3. & ſeqq. DCCCCLXXII.

CONCIL. MVTINENSE,

in quo controuerſia inter diſsidentes germanos Proceres PETRVM *&* LAMBERTVM *compoſita fuit, anno Domini 973. tēpore* BENEDICTI *Papæ* VI.

HAEC Synodus conuocata eſt ab Honeſto Archiepiſcopo Rauennate apud Mutinam, ad componendum diſſidium illud, DCCCCLXXIII.

quod

quod inter duos germanos Proceres, Petrum nimirum & Lambertum, agitatum fuerat. Id qua ratione factum fuerit, prolixiùs enarrat Rubeus lib.5. Hiſt. Rauen. anno 973.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM,

quo BASILIVS *Patriarcha depoſitus fuit, anno* 975. *ſub* BENEDICTO *Papa* VII.

ANNO DOMINI DCCCC-LXXV. IN hac Synodo, quæ, teſte Curopalate, habita fuit, Indictione tertia, Baſilius Patriarcha criminis accuſatus, deponitur, & in locum eius ſubſtituitur Antonius Studites. Baronius anno 975. num. 10.

CONCIL. WINTONIENSE

in cauſa CLERICORVM *contra* MONACHOS *inſurgentium, celebratum anno Domini* 975. *tempore* BENEDICTI *Papæ* VII.

DCCCC-LXXV. DVM Angliæ Clerici non ſatis probatæ vitę, operâ Principum & Optimatum, Abbates, eorumque Monachos optimè viuentes è Monaſteriis, ab Ethelwoldo Wintonienſi Epiſcopo, aliiſque Regibus & viris piè fundatis, eiecíſſent, eorumque bona inuaſiſſent, delatum eſt negotium ad Dunſtanum Cantuarienſem Epiſcopum, qui Synodum apud Wintoniam congregauit, in qua *circa medium vtriuſque partis diſputantis conflictum*, inquit Matthæus Weſtmonaſterienſis, *imago Dominica, quæ altercantibus aſtabat in Eccleſia expreſſè locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet, indicaſtis benè, malè mutaretis. Quare,* inquit idem Matthæus, *Clerici, omneſque eorum fautores elingues redditi, nullam deinceps Monachis controuerſiam mouerunt.* Vide Baron. an. 975. n. 12.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa GISELERI *Magdeburgenſis Epiſcopi ſecundi, celebratum anno* 983. *tempore* BENEDICTI VII.

DCCCC-LXXXIII. HOC tempore habitam fuiſſe Romæ Synodum, in qua inter alia agitata ſit cauſa Giſeleri Magdeburgẽſis Epiſcopi, teſtatur Dithmarus lib. 3. Chronici. Quòd ait, Giſelerum malis artibus ab Imperatore eam ſedem obtinuiſſe, fidem nullam meretur: cùm Adam probatæ fidei antiquus Chronographus lib. 2. c. 14. Giſelerum virum ſanctum & Winulorum Apoſtolum nominet. Vide Baronium anno 983.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa S. ADELBERTI *Epiſcopi Pragenſibus reſtituendi celebratũ anno* 989. *tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

DCCCC-LXXXIX. SANCTVS Adelbertus Pragenſis Epiſcopus, cùm Bohemos ſuos ſibi valdè contrarios eſſe experientiâ didiciſſet, ſecundùm Euangelicam ſententiam eos deſerens, anno Chriſti 983. ſub Benedicto Papa VII. Romam venerat, vt conſenſu Romani Pontificis Epiſcopatum dimitteret, ſibique ad loca ſancta peregrinari liceret. Peracta peregrinatione Romam reuerſus, Monaſterium S. Bonifacij ingreſſus eſt: cumque in eo, tamquam in paleſtra Chriſti, integro quinquennio ſe pugilem ſtrenuiſſimũ exhibuiſſet, Pragenſes emendationem polliciti, Epiſcopum ſuum repetiuerunt: eaque de cauſa duos viros ad Sedem Apoſtolicam ablegarunt. Quos cùm Pontifex audiuiſſet, Conuentum hunc Synodalem collegit, in quo poſt diligentem facti inquiſitionem, viſum eſt ſanctæ Patrum Congregationi, planè neceſſarium eſſe, vt Epiſcopus ad pœnitentem populum redire cogatur, quantumuis ille reluctetur. Addidit Pontifex hanc legem & conditionem: *Si audierint eum, teneant eum benedictione: ſi verò non audierint, abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet.* Sententiæ Concilij, & imperio Abbatis Adelbertus obtemperans, magno cum dolore plurimiſque lacrymis ad Epiſcopatum rediit. Qua ratione eumdem Epiſcopatum ob ingraueſcentia populi peccata iterùm deſeruerit, quáve occaſione poſteà Vngarorum Apo-

ogle

Apoſtolus effectus, Stephanum Regem baptizauerit, refertur apud Surium in Actis S. Adelberti die 23. Aprilis, To. 2. & in Vita Stephani Vngarorum Regis, apud eumdem, Tom. 4. die 25. Auguſti.

CONC. SILVANECTENSE,

quo iuſſu ARNVLPHI *Rhemenſis Archiepiſcopi, Galliarum Epiſcopi, prædonibus Rhemenſis ciuitatis anathema dixerũt, anno 990. tempore* IOANNIS XV.

ANNO DOMINI DCCCC.XC ARNVLPHVS Rhemenſis Archiepiſcopus ab Hugone Francorum Rege ad eam dignitatem promotus, venerat in ſuſpicionem, quaſi conſcius foret illius proditionis, qua per Presbyterum quemdam Rhemenſem, Girlebertũ nomine, Carolus frater Lotharij ciuitate Rhemenſi potitus erat, ipſumque Arnulphum captiuum abduxerat. Augebat ſuſpicionem, quòd filius Lotharij Regis defuncti, & Caroli nepos eſſet, adeòque eius iuſſu ciuitas Carolo Patricio ſuo tradita fuiſſet. Ad quam ſuſpicionem tollendam, cùm ille ſententiam excommunicationis, quæ extat in Concilio Rhemenſi cap. 12. aduerſus omnes qui tam nefaria perpetraſſent, priuatim intonuiſſet, voluit ille hoc loco Galliarum Epiſcopos conuenire, idemque quod ille fecerat præſtare. Obtemperarunt ſuo Archiepiſcopo aliarum Eccleſiarum Antiſtites, atque eoſdem prædones poſt habitam Orationem inuectiuam, ſententia anathematis condemnarunt. Recitata ſunt iſta omnia poſteà in Rhemenſi Concilio, atque inde à Gerberto in ſuum Commentarium tranſlata fuerunt.

CONCILIABVLVM SIVE PSEVDOSYNODVS RHEMENSIS,

qua ARNVLPHVS *Archiepiſcopus depoſitus, &* GERBERTVS *eidem ſubſtitutus fuit, anno Domini 992. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

DCCCC. XCII. QVID in hac Pſeudoſynodo geſtum fuerit, ex legitimis Actis Eguialdus in Auctario, quod eſt apud Aimoïnum, deſcripſit his verbis: *In illis diebus in Rhemenſium ciuitate erat Archiepiſcopus, vir bonus & modeſtus, frater Lotharij Regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharij Regis. Congreganſque in vrbe Rhemenſi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex inuitauit Archiepiſcopum Senonicæ vrbis, nomine Seguinum, cum Suffraganeis ſuis, in quo Concilio fecit degradari Dominum Arnulphum Archiepiſcopum Rhemorum dolo nepotis ſui, quem tenebat in carcere, dicens, non debere eſſe Epiſcopum natum ex concubina. In loco autem eius conſecrari fecit Dominum Gerbertum Monachum philoſophum, qui Gerbertus Magiſter fuit Roberti Regis, filij iſtius Hugonis, & Domini Leutherici Archiepiſcopi, ſucceſſoris venerabilis Seguini: Arnulphum autem mancipari cuſtodiæ in Aureliana ciuitate. Venerabilis autem Seguinus Archiepiſcopus non conſenſit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: iuſſio autem Regis vrgebat. Alij verò Epiſcopi, licet inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauarunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum, quàm terrenum Regem, noluit conſentire nequitiæ Regis, ſed magis quantum potuit redarguit ipſum Regẽ; propter quam cauſam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iuſſit Arnulphum de Eccleſia B. Mariæ Genitricis Rhemenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianæ ciuitatis, vbi detinebatur nepos eius Carolus, manſit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia Præſuli Romano, qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit Sacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant,* &c. Hæc de rebus in Pſeudoſynodo Rhemenſi geſtis Aimoïnus prædicto loco. Poſt hæc ibidem ſubiungitur, quomodo Ioannes Papa indicta alia Synodo Rhemenſi, in præſentia Leonis Abbatis à Sede Apoſtolica ablegati, Acta huius Conciliabuli retractari & planè improbari mandauerit.

Digitized by Google

dauerit. De quibus infrà ſuo loco.

Cauſam habiti Conciliabuli præbuit rumor, qui de vrbe Rhemenſi per Arnulphum prodita augebatur. Nam cùm Hugo Rex Francorum ſua promotione Arnulphum ad hanc dignitatem Archiepiſcopalem euexiſſet; hoc ſummo ſtudio deinceps peregit, vt Epiſcopum ſuo iudicio ingratum in ordinem redigeret, aliumque in eius locum ſurrogaret. Cumque Arnulphus ad iudicium Synodale vocatus, ad Pontificem tamquam competentem Iudicem prouocaſſet, miſſis iſthuc binis Legationibus hoc non ſine dolo ac fraude mandatum fuit, vt ſi poſt literas Sedi Apoſtolicæ ante triduũ exhibitas non audirentur, in Gallias redirent. Quod cùm Legati præſtitiſſent, ſuoque iudicio id quod Leges Eccleſiaſticæ de Pontifice hac in re conſulendo iubent, ſumma cum fraude perfeciſſent, & in Gallias reuertiſſent, indicta eſt Epiſcoporum Cõgregatio. Vocatus eſt de proditione aliiſque criminibus & irregularitatibus accuſatus Arnulphus Archiepiſcopus Rhemenſis. Cumque ille allegaret, ſe à Carolo Patricio ſuo Lauduni captiuum detineri, neque aliò proficiſcendi veniam impetrare poſſe, Hugo Rex Francorum Laudunum proditione Epiſcopi ſubegit, & Arnulphum, qui ibidem in vinculis detinebatur, captiuum abduci, & Synodali huic Patrum Congregationi iudicandum pręſentari, eoque modo, quo ſuprà dixi, diiudicari mandauit.

Acta Cõcilij germana, pura, ſimplicia, & ſincera, ſicut ab exceptoribus Notariis vel aliis ſcripta fuere, non extant.

Gerbertus Arnulphi aduerſarius, in hoc Conciliabulo ad Rhemenſem Archiepiſcopatum euectus, & à Romano Pontifice deinceps amotus, eadem Acta edidit; ſed paraphraſticè & Rhetoricè magis, quàm Hiſtorico more. Nam vt ipſe fatetur in Prologo, alibi quædam addidit; alibi verò ex iiſdem nonnulla ſuſtulit & exponit; quædam autem paraphraſticè tranſtulit & mutilauit.

Quod ſi ita eſt, veriſſimum eſſe apparet, libellum illũ, quem multis blaſphemiis & mendaciis intextis antehac ediderant Centuriatores, quemque hoc noſtro tempore in odium Romanę Eccleſiæ Nouatores anno 1600. Francofurti in lucem emiſerunt, non tam Acta Synodalia Rhemenſis Concilij, quàm ſcriptum quoddam & Opus Gerberti in ipſa Acta Synodalia pro arbitratu illius emiſſum continere, vanamque & mendacem eſſe inſcriptionem, qua Libellus & Opus ipſius Gerberti *Synodus Eccleſiæ Gallicanæ* nominatur. Si enim Romanus Pontifex, prout infrà dicemus, Acta huius Congregationis planè improbauit, amotumque iudicio Synodali Arnulphum ſedi ſuæ reſtitui demandauit; non tam Synodus, quàm Pſeudoſynodus appellanda erat. Quas blaſphemias & calũnias contra Deum & Eccleſiam, quótve mendacia huic ſuo Libello Gerbertus inſeruerit, videre eſt apud Baronium, à quibus recenſendis atque hoc loco memorandis ego propterea imprimis abſtineo, quòd non tam Actis alicuius Conciliabuli, quàm commentitio Gerberti ſcripto contineantur. Quiſquis ea ſcire voluerit, anno Domini nongenteſimo nonageſimo ſecundo num. 12. & ſeqq. Baronium conſulat.

CONCIL. ROMANVM

pro Canonizatione S. VDALRICI *Auguſtani Epiſcopi, celebratum anno Domini 993. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

CVM Conuentus eſſet factus in Palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarij, reſidente Ioanne ſanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Presbyteris, aſtantibus Diaconis & cuncto Clero, & diligenter examinata vita & miraculis S. Vdalrici, relatus eſt in Sanctorum numerum. ANNO DOMINI DCCCC. XCIII.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. MOSONIENSE,
quo eiecto GERBERTO ARNVLPHVS *ſedi ſuæ reſtituitur, anno Domini 995. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

ANNO DOMINI DCCCCXCV. MOSONIVM eſt oppidum Galliæ Belgicę, Rhemenſi Metropoli ſubiectum, hodie priſcum nomen retinens. *Hoc loco,* inquit Papyrius Maſo lib. 3. Annal. Francorum, *Leo Romæ in Monaſterio S. Boniſacij Abbas, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Synodum congregauit anno 995. Indictione octaua 4. Nonas Iunij, in qua Gerbertus, qui exauctorato Arnulpho ſuffectus erat, patientiſſimè auditus eſt.* In hac Synodo Gerbertus etiã inter cetera prolixa quadam Oratione, quæ reperitur in prænominato Gerberti libello, Arnulphi depoſitionem ſuique inuiti Ordinationem iuſtè factam defendit. Leo autem Sedis Apoſtolicæ Legatus eidem haud dubiè multùm contradixit, acceptaque Gerberti Oratiuncula, aliam Synodum Kalendis Iunij Rhemis habendam denuntiat. Interim Monachum ſuum idem Legatus ad Reges Francorum duci iubet, & per Epiſcopos Gerberto mandat, vt à diuino Officio vſque ad denuntiatam Synodũ abſtineat. Hęc ex Papyrio; qui Sedis Rhemenſis inuaſori Gerberto immeritò fauit. Baronius anno 995.

Non caret fraude, quòd Nouatores ediderint omnia illa quę Gerbertus pro ſe dixit vel ſcripſit: quæ autem contra ipſum in hac Synodo Leo Apoſtolicæ Sedis Legatus copioſiſſimè diſputauit, quæque inter Acta Rhemenſium Epiſcoporum fuiſſe recondita Aimoïnus verbis infrà recitandis teſtatur, nequaquam ediderint.

CONCIL. RHEMENSE II.
quo per LEONEM *Sedis Apoſtolicæ Legatum,* ARNVLPHVS, GERBERTO *depoſito, Rhemenſi Eccleſiæ reſtituitur, anno Dñi 995. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

DCCCCXCV. HAEC eſt illa vera & legitima Synodus Rhemenſis, qua Acta præcedentis Pſeudoſynodi auctoritate Apoſtolica improbantur, & planè annullantur. Quid in ea geſtum fuerit, in Appendice Aimoïni narratur his verbis: *Nuntiantur hæc omnia* (de quibus ſuprà præcedenti Conciliabulo Rhemenſi) *Præſidi Romano: qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit ſacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant. Miſit quoque Leonem Abbatem à Sede Apoſtolica ad dominum Seguinum Archiepiſcopum vrbis Senonicæ, qui vice ſua in vrbe Rhemenſi Synodum congregaret, mandans illi, vt ſine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum; & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterùm in vrbe Rhemenſi, ex iuſſione Apoſtolica reuocatus eſt Arnulphus de cuſtodia, & cum honore magno receptus in propria ſede. Gerbertus autem intelligens quòd iniuſtè Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pœnitentia ductus eſt. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valdè vtilem pleniùs inuenies in Geſtis Pontificum Romanorum.* Hæc de Actis huius Synodi Aimoïni Appendix.

Libellus Gerberti refert, quòd in hac Synodo Epiſcopi illi, qui Arnulphum ſede ſua eiecerant, dixerint in totius Regni diſcrimine nihil melius & vtilius fieri potuiſſe, quàm vt tyranno excluſo paſtor aliquis populo & Regno vtilis conſtitueretur. Cumque à Leone arguerentur, quòd illud ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate feciſſent; reſpondebant, binas hac de re Legationes Romam miſſas, non fuiſſe auditas, ideò, quia Creſcentium Palatij cuſtodem nullo munere corrupiſſent: nihilque (quod falſum eſſe conſtat ex verbis Aimoïni ſuprà in Pſeudoſynodo Rhemenſi recitatis) ſine conſenſu & auctoritate Seguini Senonenſis Archiepiſcopi, Sedíſque Apoſtolicæ Legati peregiſſe. Plura hac de re Baronius anno nongenteſimo nonageſimo ſecundo, & nongenteſimo nonageſimo quinto, &c.

Google

CONCILIVM ROMANVM,

quo conſtitutum fuit, vt IMPERATOR *deinceps à* VII. ELECTORIBVS *Germaniæ Principibus eligatur: habitum fuit anno Domini 996. tempore* GREGORII *Papæ* V.

ANNO DOMINI DCCCCXCVI.

HVIVS Concilij Acta omnia interierunt: ob cauſam tamen allegatam in titulo hoc tempore habitam fuiſſe, euidenter ſatis colligit Cardinalis Baronius ex quinque Aſſertionibus; quarũ prima eſt: Res magni momenti, non niſi conſultis Patribus, & collectis Epiſcopis, in Synodo fieri conſueuerunt. Hæc eſt talis: ergo. Secunda Aſſertio: Hoc tempore Synodum Romæ celebratam fuiſſe. Hoc probatur ex Vita S. Adelberti apud Surium, & Binium. Huius quoque Concilij mẽtio habetur in Vita S. Burchardi Wormatienſis Epiſcopi, vbi pariter dicitur interfuiſſe eidẽ Concilio Franco tunc Epiſcopus Wormatienſis, accepiſſeque ab eo Abbatiam, cuius inueſtituram in eadem Synodo recitatam tradit, eumque hoc anno eſſe defunctũ. Tertia Aſſertio: Ottoni Magno à Romano Pontifice conceſſum fuit, vt ſibi ſucceſſorem deligeret: ceteri autem Imperatores eo iure caruerunt. Quarta Aſſertio: Firma eſt, & in omnibus conſtans aſſertio, ſicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem tranſlatum eſt; ita ius eligendi Imperatorem Germanis conceſſum. Sic Innocentius Papa III. ſcripſit ad Ducem Thuringiæ, & habetur Extrau. de Elect. cap. Venerabilem. & in Concilio Viennenſi (vt habetur in Clement. de Iureiur. cap. 1.) Clemens V. Id quod adeò ſine contradictione à maioribus receptum eſt, vt ſemper ipſi Electores, & Imperatores ab eis electi, ingenuè hoc ipſum profeſſi ſint, intellexerintque pariter, eius eſſe facultatis qui dedit, & auferre pariter, cùm viderit expediens eſſe Reipublicæ Chriſtianæ, quod & cetera exempla demonſtrant. Quinta Aſſertio: Facultas eligendi Imperatorem conceſſa eſt Electoribus non ab alio, quàm à Gregorio Papa V. vt apud omnes eſt in confeſſo, quia ex ipſo rei vſu patet, quòd poſt ipſum Gregorium, Ottone Imperatore defuncto, non ampliùs per Imperatores, ſed per Electores Principes conſtat fuiſſe ſucceſſores electos.

Cùm ergo ex his manifeſtum ſit, hanc rem tanti momenti Romę in pręſentia Ottonis III. Imperatoris à Gregorio V. conſtitutam eſſe; ſine dubio ea de re actum fuiſſe oportet in illo, quod eodem tempore Dei prouidentia celebrabatur Romæ Concilio in cauſa Adelberti Pragenſis, & Burchardi Wormatienſis Epiſcopi.

ELECTORES IMPERATORVM.

LAICI ſunt	Dux Auſtriæ, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.
PRAELATI verò,	Archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Salſburgenſis.

Stetit autem numerus conſcriptus, perſeuerabitque in futurum: perſonæ autem quatuor mutatæ, nempe vt pro Salsburgenſi poſitus fuerit Archiepiſcopus Treuirenſis: proque tribus illis Ducibus, Auſtriæ, Bauariæ, atque Brabantiæ, fuerint ſubrogati, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgenſis, atque Rex Bohemiæ, qui potiùs locum tenet Definitoris, ſi diſcrepent Electores, quàm vnius ex Electoribus ipſis. A quo autem facta ſit hæc mutatio, nos latet. Vide Baronium anno 996. num. 54. & ſeqq.

CON-

CONCILIVM ROMANVM

in cauſa GISELERI *Magdeburgenſis Epiſcopi celebratum anno Domini 999. tempore* SILVESTRI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCCCXCIX. DITHMARVS vbi agit de ſecundo aduectu Ottonis in Vrbem, de rebus in hac Synodo geſtis ita ſcribit: *Synodus Romæ tunc, in qua accuſatus Giſelerus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quòd duas Parochias teneret; percuſſus ille paralyſi venire non potuit: res poſita ad Concilium Prouinciale Germaniæ I.* In eodem Concilio Imperatorem voluiſſe recitari priuilegium Wormatienſi Eccleſiæ conceſſum, teſtatur Baronius anno 999.n.12.

CONCILIVM TREMONIENSE

pro REFORMANDA ECCLESIA *celebratum anno Domini* 1005. *tempore* IOANNIS *Papæ* XVII. *aliàs* XIX.

n.I. DITHMARVS lib. 6. teſtatur, allegato tempore celebratum eſſe in Germania magnam Synodum Tremonienſem, in qua Rex Henricus de eius temporis S. Eccleſiæ deformatione conqueſtus, magnâ inſtantiâ apud Epiſcopos laborauit, vt collapſa Eccleſiæ diſciplina reformaretur. Præſtiterunt illud pro viribus quibus id potuerunt diligentiſſimè, communique conſenſu ediderunt ſacros Canones, quibus ſanctiſſimæ leges Eccleſiaſticę in priſtinum vſum reuocantur, prauique mores, qui in Clerum ac populum irrepſerant, exularent & corrigerentur. Quibus ſtatutis, Rex ſibi Deum propitium conciliauit, viamque ad victorias conſequendas, & Romanum Imperium obtinendum aperuit. Celeberrimi Concilij Acta planè interierunt.

CONC. FRANCOFORDIENSE

de ECCLESIA BAMBERGENSI *in Cathedram Epiſcopalem erigenda, celebratum anno Domini* 1006. *tempore* IOANNIS *Papæ* XVII. *aliàs* XIX.

IN hoc Concilio, teſtimonio Dithmari, qui eidem præſens interfuit, inter alia tractatum eſt de Eccleſia Bambergenſi in Cathedram Epiſcopalem erigenda: idque ad petitionem Regis Henrici, qui eam ciuitatem à puero dilexerat, & ſemper excoluerat, & vxori in dotem aſſignauerat. Henricus Wirceburgenſis Epiſcopus ad Synodum vocatus, venire non voluit, niſi poſt vnionem ſuæ Parochiæ cum Bambergenſi Eccleſia factam ipſe Archiepiſcopus conſtitueretur. n.II.

CONCIL. BAMBERGENSE

de controuerſiis quibuſdam Epiſcoporum, celebratum anno Domini 1011.

CVM Henricus Rex ad dedicationem Baſilicæ Bambergenſis à ſe cõſtructæ cœtum pluſquã triginta Epiſcoporum conuocaſſet, ab iiſdẽ iſta occaſione hoc loco congregatis habita eſt Synodus, in qua ſedatæ ſunt controuerſiæ illæ inter Epiſcopos, de quibus Dithmarus Merſepurgenſis Epiſcopus, qui eidem Synodo præſens interfuit, ſcribit. Idem Dithmarus fatetur, ſe pro recuperandis ſuæ Parochię bonis Synodo libellum dediſſe: atque Theodorico Metenſi Epiſcopo ab omnibus in Synodo præſentibus interdictum eſſe, vt ante purgationem, Miſſam non caneret. Baronius anno 1011. num. I. n.III.

CONCIL. LEGIONENSE

Æra milleſima quinquageſima, id eſt, anno Chriſti 1012. *ſub* ADELFONSO V. *Rege Legionenſe.*

DECRETA *huius* CONCILII *hæc ſunt:*

I. IN primis cenſuimus, vt in omnibus Conciliis, quæ deinceps celebrabũtur, cauſæ Eccleſiæ priùs iudicentur, n.III.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

Ex quibus intelligis (quod ſæpè inculcandum eſt) qua reuerentia Epiſcopi colerent Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, licet ſedentem in ea iuuenculum, & prauis moribus deprauatum Pontificem: quem ſic obſeruant & venerantur, vt omnis ille Conuentus inter ſe diſſidens, ex eius reſponſione quieſceret.

CONCILIABVLVM ROMANVM,

quo IOANNES *Papa* XII. *deponitur, &* LEO *quidam (quem Scriptores perperàm Octauum eius nominis appellatum inter veros Pontifices adnumerant) in locum eius ſubrogatur. Habitum fuit anno Domini 963. in præſentia* OTTONIS *Imperatoris.*

ANNO DOMINI DCCCC. LXIII.

NVLLVS vmquam habitus eſt Orthodoxorum Conuentus Synodalis, in quo contra Ius Eccleſiaſticum, ſacros Canones, Traditiones Apoſtolicas peccatum fuit ſæpiùs, quàm in hoc Conciliabulo. Omnes Epiſcopi in Concilio Romano ſub Symmacho publicè conteſtati leguntur, quòd contra Pontificem abſque illius conſenſu cogendi Concilij facultatem nullam habeant. Illegitima eſt ergo hęc Synodus, quæ in cauſa Ioannis Papæ, quem Epiſcopi hîc congregati literis datis pro capite Eccleſiæ venerati fuerũt, ſine eius conſenſu & auctoritate indicta & congregata fuit. Secundò, In Concilio Sueſſionenſi contra Marcellinum habito, requiſitus eſt ſeptuaginta duorum teſtium numerus; contra Ioannem in hoc Patrum Conuentu, præter accuſatores vix vnus teſtis productus fuiſſe legitur. Tertiò, Vt minimũ ter vocari & citari debebat, cùm in nullo Concilio quiſquam hæreticus ante tertiam citationem legatur fuiſſe condemnatus. Quartò, Nulla conceſſa eſt dilatio Pontifici, quæ ne quidem viliſſimo homuncioni vmquam in iudicio etiã externo & politico negata fuit. Quintò, Contra morem omniũ Conciliorum hactenus habitorum petitum eſt ab Imperatore, vt ille Romanum Pontificem condemnet, qui nec Clericum vllum condemnare debebat. Sextò, Sine vlla ſententia abdicatus eſt Ioannes, & quidam Leo, quem Octauum nominant, in locum illius ſurrogatus fuit: adeoque, quod omni Iuris ordini repugnat, ab executione proceſſum inchoarunt. Septimò, Vniuerſa Synodus eum iudicare præſumpſit, qui à iuriſdictione ſua planè exemptus erat. In Concilio Sueſſionenſi ſub Marcellino, & Romanis duobus ſub Symmacho & Leone Tertio vna vox Epiſcoporum omnium erat iſta: *Prima Sedes non iudicatur à quoquam.* Inſigni ergo impudentia vel ignorantia hic Patrum Orthodoxorum Conuentus Romanum Pontificem condemnauit, in quem nemo alius quàm hęreticus vel ſchiſmaticus vllum ſibi iudicium hactenus vſurpauit. Accedit ad hæc, quòd in epiſtola ad Ioannem ſcripta apertè profiteantur, idq; exemplo Iudæ proditoris confirment, propter peccatum, clauium poteſtatem à Põtificibus auferri, eiſque tradita ſibi à Deo ligandi atque ſoluendi facultate priuari & deſtitui: quod hæreticum & erroneum eſſe, nemo Catholicus vmquam negauerit. Prætereà, ab omni Eccleſiaſtica conſuetudine abhorret, quòd Romanos Pontifices Sedis Romanę Suffraganeos appellant: quodq; ſtultiſſimè reprehendunt Ioannem, quòd in ſua Reſponſione dixiſſet: *Non habeatis licentiam vllum ordinare*: putantes enim ipſi, idem eſſe *vllum* quod *nullum*, ſumma cum ignorantiæ ſuæ proditione redarguerunt eum quòd duabus negationibus affirmaſſet illud idem, quod prohibere intendebat. Ad extremum, Non eſt ſilentio prætereunda præpoſtera illa nomenclatura, qua contra morem maiorum, inuerſo penitùs loquendi vſu, Imperatorem Sanctiſſimum, & Pontificem Magnum nominant: cùm ante ſententiam conſuetos honorum titulos nemini adimere liceret, prout in Actis magnæ Chalcedonenſis

nenſis Synodi factum apparet Neſtorio, qui quamuis hæreſiarcha accuſatus & conuictus eſſet, numquam tamen eum, niſi poſt prolatam ſententiam, Patres deſierunt Reuerendiſſimum & Sanctiſſimum nominare.

Cùm ergo propter tot nullitates, quas vocant, in hoc iudicio commiſſas, nulla ſit ſententia, ſitque nullum & irritum iudicium cum omnibus Actis quæ in eo geſta fuerunt, nullam & planè irritam eſſe oportet abdicationem Ioannis, & ſurrogationem alterius, qui vero Pontifici adhuc viuenti, nulloque iure abdicato ſuffectus fuit. Tollatur igitur & explodatur è numero & ordine Pontificum Leo ille ſchiſmaticus, quem Scriptores infiniti numero Octauum eius nominis Ioanni XII. ſubiungunt, omiſſoq; Benedicto V. tamquam Sedis inuaſore illegitimo, Ioanni XIII. anteponunt.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM

in cauſa NICEPHORI *Imperatoris Orientalis, habitum anno Domini 963. tempore* IOANNIS *Papæ* XII.

ANNO DOMINI DCCCCLXIII. DEFVNCTIS hoc anno duobus in Oriente Impp. Leone, eiuſque filio Romano, acclamatus fuit ab exercitu ſucceſſor Imperij Nicephorus Phocas victoriis clariſſimus. Coronatus à Polyeucto Patriarcha Cõſtantinopolitano, voluit in vxorem accipere Theophanem relictam Romani Imperatoris defuncti viduam. Qua de cauſa cùm illi Polyeuctus reſiſteret, tũ quòd non liceret ei abſq; quadam pœnitentia ſecundam vxorem ducere; tum etiam, quòd filium Theophanes in Baptiſmate ſuſcepiſſet; conuocata eſt hęc Synodus, eiuſque ſententia indultum (crimen enim quod illi obiiciebatur, probari non poterat) vt prędictæ Theophani connubio legitimo iungeretur. Curopalates.

CONCIL. ROMANVM

auctoritate IOANNIS *Papæ congregatum, quo* LEO *ſchiſmaticus Pſeudopapa eſſe declaratur, Actáque præcedentis* CONCILIABVLI ROMANI *reprobantur, anno Domini 964.*

DE hac Synodo Sigebertus, qui Acta Synodalia legiſſe viſus eſt dum ea ſummatim refert in Chronico, hæc ait: DCCCCLXIV. *Ioannes Synodo collecta Leonem depoſuit, & eius geſta caſſauit: ſtatutum quoque eſt publico omnium iudicio Synodum à Leone habitam, nec nominandam Synodum, ſed Proſtibulum fauens adulteris* (ita Leonem nominabat, quòd is Romanam Eccleſiam alteri deſponſatam inuaſiſſet) *quicumque eo ordinante erant damnati, iuſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in charta, hæc continente verba: Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit: & ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, quos habuerant, non à Leone ordinati. Si qui autem digni iudicantur, vt non accepta priùs conſecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnato à Conſtantino Neophyto.* Hæc Sigebertus.

Tollatur ergo & explodatur è numero verorum Pontificum Pſeudopontifex & Antipapa ſchiſmaticus; iterùm clamo, tollatur: faceſſat illorum, qui poſt hęc tempora vixerunt, & Pſeudo-Leonem inter legitimos ſacræ Romanæ Eccleſię Pontifices numerarunt, inſcitia; damnetur verò illorum, qui iſta tunc perpetrarunt, occaſionemque errandi poſteris dederunt, temeritas, & in Sacerdotibus non toleranda vel excuſanda ſacrorum Canonum ignorantia, & antiquarum Traditionum Eccleſiaſticarum imperitia. Imperatoris autem factum excuſetur verbis Apoſtoli dicentis Rom. 10. *Teſtimonium illis perhibeo, quòd zelum habent, ſed non ſecundùm ſcientiam:* nimis enim leuiter exiſtimabant, vnà cum moribus deprauatis minui atque penitùs tolli Romani Pontificis auctoritatem. Quod cùm erro-

erroneum ſit, vt in Apparatu annotaui, ſitque ab hęreticis Donatiſtis olim cum periculo totius Eccleſiaſticæ œconomiæ diſſeminatum, nemo ſanè prudens defenderit, quòd Ioannes Pontifex ob vitam non ſatis integram, per Conciliabulum Ottonis Imperatoris auctoritate collectum, rectè & legitimè depoſitus, & Leo eius nominis Octauus eidem iuſtè ſurrogatus fuerit.

Si dicas, Leonem hunc communi Scriptorum ſententia & conſenſu inter Romanos Pontifices numerari, Leonemque Octauum nominari, adeoque temerarium eſſe, qui ab iſta vulgari opinione diſſentit: Reſpondeo, Scriptorum error veritati nihil præiudicare poteſt. Nam ſicut canis aliquis leonis nomine inſignitus, vel etiam in numerum eorumdem leonum relatus, per ſolam nominationem vel numerationem, canis naturam non immutaret, neq; leo eſſe inciperet; ita non incipiet eſſe verus Leo Pōtifex eius nominis Octauus, quem errantium Scriptorum communis ſententia inter Pontifices veros numerat, & Leonem Octauum nominat. *Gratianus & Crantzius redarguuntur.*

CONCILIAB. ROMANVM,

quo per LEONEM *Antipapam, & Sedis Apoſtolicæ inuaſorem ſchiſmaticum,* BENEDICTVS *Papa* V. *exauctoratur, & Hamburgum relegatur, anno Domini* 964. *ſub* OTTONE *&* NICEPHORO PHOCA *Imperatoribus.*

ANNO DOMINI DCCCCLXIV.

Luitpr. l. 6. c. 11.

RESIDENTIBVS itaque domino Leone ſummo & vniuerſali Papa in Eccleſia Lateranenſi, nec non & Imperatore ſanctiſſimo Ottone, & Epiſcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia & Saxonia Archiepiſcopis, Presbyteris, Diaconis, omniq; Romanorum plebe, quorum nomina ſuperiùs adſcribuntur, aduenit Benedictus Apoſtolicæ Sedis inuaſor, eorum qui ſe elegerant manibus adductus, Pontificalibus veſtibus indutus. Quē Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali eſt ſermone aggreſſus: Qua tibi auctoritate, quáve lege, ô inuaſor, hæc Pontificalia indumenta vſurpaſti, ſuperſtite hoc præſente domino noſtro venerabili Papa Leone, quem tu nobiſcum, accuſato & reprobato Ioanne, ad Apoſtolatus culmen elegiſti? Num inficiari potes, præſenti domino Imperatori iuramento promiſiſſe, numquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, abſque illius filiique ſui Regis Ottonis conſenſu?

Benedictus reſpondit: Si quid peccaui, miſeremini mei. Tunc Imperator, effuſis lacrymis, quàm miſericors eſſet, oſtendens, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret; ſi vellet & poſſet, ad interrogata reſponderet: quòd ſi non poſſet, aut nollet, ac ſe culpabilem redderet, tamen pro timore Dei miſericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad domini Leonis Papæ pedes, ipſiuſque Imperatoris idem Benedictus concitè procidens, ſe peccaſſe, ſeque ſanctæ Romanæ Sedis inuaſorem eſſe clamauit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula quam manu geſtabat, domino Papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit. Cui Caſulam, quam Planetam vocant, cum Stola pariter abſtulit. Pòſt autem omnibus Epiſcopis dixit: Benedictum, ſanctæ & Apoſtolicę Sedis Romanæ inuaſorem, omni Pontificatus & Presbyteratus honore priuamus: ob eleēmoſynam verò domini Imperatoris Ottonis, cuius ſumus opera in Sedem debitam reſtituti, Diaconatus eum Ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.

CONCIL. RAVENNATE

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratum anno Domini* 967. *tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

DE hac Synodo fit mentio apud Reginonem his verbis: *Otto Imperator vbi Natalem diem Domini* DCCCCLXVII.

mini celebraſſet, Rauennam profectus eſt vnà cum Ioanne Romano Pontifice, vbi celebrato Paſchate plurimos ex Italia & Romania Epiſcopos coadunauit, & habita Synodo multa ad vtilitatem Eccleſiæ ſanctæ adinuenit. Et Apoſtolico Ioanni vrbem & terram Rauennatium, aliaq; complura multis retrò temporibus Romanis Pontificibus ablata reddidit, (vel potiùs reſtitutionem iam antè factam confirmauit) *eumque Romam cum magna lætitia remiſit.* Hæc apud Reginonem.

CONCILIVM ANGLICANVM GENERALE,

aduerſus INCONTINENTES CLERICOS *celebratum anno* 970. *tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

ANNO DOMINI DCCCC-LXX. HAEC Synodus celebrata eſt in Anglia à S. Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, auctoritate Ioannis Romani Pontificis; de qua in Actis S. Oſwaldi Epiſcopi Vigornienſis apud Surium 15. Octobris iſta habentur: *Per idem tempus auctoritate Ioannis Papæ Dunſtanus Archiepiſcopus coacto Generali Concilio ſtatuit, & Decreto firmauit, vt Canonici omnes, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi aut caſtè viuerent, aut Eccleſias, quas tenebant, dimitterent.*

Generale Concilium nominatur, quia in eo omnes Angliæ Epiſcopi conuenissent. In eodem hoc Concilio Comitem quemdam præpotentem ob inceſtuoſas nuptias publicam egiſſe pœnitentiam, refert Osbertus apud Surium in Dunſtano, 19. Maij.

CONCIL. ROMANVM,

quo priuilegia Monaſterio S. MARIAE GLASTINGEBIRI *à Rege Anglorum* EDGARO *conceſſa confirmantur, anno Domini* 971. *tempore* IOANNIS *Papæ* XIII.

DCCCC-LXXI. EDGARVS Rex Anglorum, & Dunſtanus Dorouernēſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Glaſtingebiri Monaſterium quoddam in honorem Dei & B. Virginis erexerant, plurimiſque opibus ditarant: & cùm metuerent, ne poſteris fortaſſe temporibus ab aliquo ſucceſſore ea quæ ipſi piè ſanctèque fundauerant, euerterentur; miſſo per Legationem ad Ioannem Papam fundationis inſtrumento, rogarunt illud auctoritate Apoſtolica muniri & confirmari. Pontifex cùm benignè directam Legationem ſuſcepiſſet, *concordi aſſenſu*, inquit Wilhelmus de Geſtis Regum Anglorum, *Romani Concilij ſancita ab eis firmauit, ſcribendo Apoſtolicæ auctoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, ſi qui fortè emerſerint, perpetui anathematis vltionem.* Diploma Ioannis extat apud Baronium, anno 971. num. 2.

CONCIL. IN INGELHEIM

celebratum anno Domini 972. *tempore* DONI *Papæ*.

CVM Otto Imperator vnà cum filio Ottone II. in Germaniam reuertiſſet, ad componendas DCCCC-LXXII. res Eccleſiarum, Synodum per Epiſcopos congregauit in Ingelheim: in quo quid geſtum fuerit, nos præterit, niſi quòd in Vita S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani legitur, quòd ille relicto Epiſcopatu ad Monaſticam vitam tranſeundi poteſtatē ſibi fieri poſtulauerit, communique iudicio reſponſum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri ſanctiſſimi aliis peccandi occaſionem præbeat, qui in gratiam ſuorum nepotum, quos vellent iſta ratione Eccleſiis, non ſine graui totius populi detrimento, obtruderent. Vide Baronium anno 972. n. 3. & ſeqq.

CONCIL. MVTINENSE,

in quo controuerſia inter diſſidentes germanos Proceres PETRVM *&* LAMBERTVM *compoſita fuit, anno Domini* 973. *tēpore* BENEDICTI *Papæ* VI.

HAEC Synodus conuocata eſt DCCCC-LXXIII. ab Honeſto Archiepiſcopo Rauennate apud Mutinam, ad componendum diſſidium illud, quod

quod inter duos germanos Proceres, Petrum nimirum & Lambertum, agitatum fuerat. Id qua ratione factum fuerit, prolixiùs enarrat Rubeus lib.5. Hiſt. Rauen. anno 973.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM,

quo BASILIVS *Patriarcha depoſitus fuit, anno 975. ſub* BENEDICTO *Papa* VII.

ANNO DOMINI DCCCC-LXXV. IN hac Synodo, quæ, teſte Curopalate, habita fuit, Indictione tertia, Baſilius Patriarcha criminis accuſatus, deponitur, & in locum eius ſubſtituitur Antonius Studites. Baronius anno 975. num. 10.

CONCIL. WINTONIENSE

in cauſa CLERICORVM *contra* MONACHOS *inſurgentium, celebratum anno Domini 975. tempore* BENEDICTI *Papæ* VII.

DCCCC-LXXV. DVM Angliæ Clerici non ſatis probatæ vitę, operâ Principum & Optimatum, Abbates, eorumque Monachos optimè viuentes è Monaſteriis, ab Ethelwoldo Wintonienſi Epiſcopo, aliiſque Regibus & viris piè fundatis, eieciſſent, eorumque bona inuaſiſſent, delatum eſt negotium ad Dunſtanum Cantuarienſem Epiſcopum, qui Synodum apud Wintoniam congregauit, in qua *circa medium vtriuſque partis diſputantis conflictum*, inquit Matthæus Weſtmonaſterienſis, *imago Dominica, quæ altercantibus aſtabat in Eccleſia expreſſè locuta ita allegatur : Non fiet, non fiet, indicaſtis benè, malè mutaretis. Quare,* inquit idem Matthæus, *Clerici, omneſque eorum fautores elingues redditi, nullam deinceps Monachis controuerſiam mouerunt.* Vide Baron. an. 975. n. 12.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa GISELERI *Magdeburgenſis Epiſcopi ſecundi, celebratum anno 983. tempore* BENEDICTI VII.

DCCCC-LXXXIII. HOC tempore habitam fuiſſe Romæ Synodum, in qua inter alia agitata ſit cauſa Giſeleri Magdeburgẽſis Epiſcopi, teſtatur Dithmarus lib.3. Chronici. Quòd ait, Giſelerum malis artibus ab Imperatore eam ſedem obtinuiſſe, fidem nullam meretur: cùm Adam probatæ fidei antiquus Chronographus lib.2. c.14. Giſelerum virum ſanctum & Winulorum Apoſtolum nominet. Vide Baronium anno 983.

CONCIL. ROMANVM

in cauſa S. ADELBERTI *Epiſcopi Pragenſibus reſtituendi celebratũ anno 989. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

SANCTVS Adelbertus Pragenſis Epiſcopus, cùm Bohemos DCCCC-LXXXIX.
ſuos ſibi valdè contrarios eſſe experientiâ didiciſſet, ſecundùm Euangelicam ſententiam eos deſerens, anno Chriſti 983. ſub Benedicto Papa VII. Romam venerat, vt conſenſu Romani Pontificis Epiſcopatum dimitteret, ſibique ad loca ſancta peregrinari liceret. Peracta peregrinatione Romam reuerſus, Monaſterium S. Bonifacij ingreſſus eſt: cumque in eo, tamquam in paleſtra Chriſti, integro quinquennio ſe pugilem ſtrenuiſſimũ exhibuiſſet, Pragenſes emendationem polliciti, Epiſcopum ſuum repetiuerunt: eaque de cauſa duos viros ad Sedem Apoſtolicam ablegarunt. Quos cùm Pontifex audiuiſſet, Conuentum hunc Synodalem collegit, in quo poſt diligentem facti inquiſitionem, viſum eſt ſanctæ Patrum Congregationi, planè neceſſarium eſſe, vt Epiſcopus ad pœnitentem populum redire cogatur, quantumuis ille reluctetur. Addidit Pontifex hanc legem & conditionem: *Si audierint eum, teneant cum benedictione: ſi verò non audierint, abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet.* Sententiæ Concilij, & imperio Abbatis Adelbertus obtemperans, magno cum dolore plurimiſque lacrymis ad Epiſcopatum rediit. Qua ratione eumdem Epiſcopatum ob ingraueſcentia populi peccata iterùm deſeruerit, quáve occaſione poſteà Vngarorum Apo-

Apoſtolus effectus, Stephanum Regem baptizauerit, refertur apud Surium in Actis S. Adelberti die 23. Aprilis, To. 2. & in Vita Stephani Vngarorum Regis, apud eumdem, Tom. 4. die 25. Auguſti.

CONC. SILVANECTENSE,

quo iuſſu ARNVLPHI *Rhemenſis Archiepiſcopi, Galliarum Epiſcopi, prædonibus Rhemenſis ciuitatis anathema dixerũt, anno 990. tempore* IOANNIS XV.

ANNO DOMINI DCCCC.XC ARNVLPHVS Rhemenſis Archiepiſcopus ab Hugone Francorum Rege ad eam dignitatem promotus, venerat in ſuſpicionem, quaſi conſcius foret illius proditionis, qua per Presbyterum quemdam Rhemenſem, Girlebertũ nomine, Carolus frater Lotharij ciuitate Rhemenſi potitus erat, ipſumque Arnulphum captiuum abduxerat. Augebat ſuſpicionem, quòd filius Lotharij Regis defuncti, & Caroli nepos eſſet, adeoque eius iuſſu ciuitas Carolo Patricio ſuo tradita fuiſſet. Ad quam ſuſpicionem tollendam, cùm ille ſententiam excommunicationis, quæ extat in Concilio Rhemenſi cap. 12. aduerſus omnes qui tam nefaria perpetraſſent, priuatim intonuiſſet, voluit ille hoc loco Galliarum Epiſcopos conuenire, idemque quod ille fecerat præſtare. Obtemperarunt ſuo Archiepiſcopo aliarum Eccleſiarum Antiſtites, atque eoſdem prædones poſt habitam Orationem inuectiuam, ſententia anathematis condemnarunt. Recitata ſunt iſta omnia poſteà in Rhemenſi Concilio, atque inde à Gerberto in ſuum Commentarium tranſlata fuerunt.

CONCILIABVLVM SIVE PSEVDOSYNODVS RHEMENSIS,

qua ARNVLPHVS *Archiepiſcopus depoſitus, & GERBERTVS eidem ſubſtitutus fuit, anno Domini 992. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

DCCCC.XCII. QVID in hac Pſeudoſynodo geſtum fuerit, ex legitimis Actis Eguialdus in Auctario, quod eſt apud Aimoïnum, deſcripſit his verbis: *In illis diebus in Rhemenſium ciuitate erat Archiepiſcopus, vir bonus & modeſtus, frater Lotharij Regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharij Regis. Congreganſque in vrbe Rhemenſi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex inuitauit Archiepiſcopum Senonicæ vrbis, nomine Seguinum, cum Suffraganeis ſuis, in quo Concilio fecit degradari Dominum Arnulphum Archiepiſcopum Rhemorum dolo nepotis ſui, quem tenebat in carcere, dicens, non debere eſſe Epiſcopum natum ex concubina. In loco autem eius conſecrari fecit Dominum Gerbertum Monachum philoſophum, qui Gerbertus Magiſter fuit Roberti Regis, filij iſtius Hugonis, & Domini Leutherici Archiepiſcopi, ſucceſſoris venerabilis Seguini: Arnulphum autem mancipari cuſtodiæ in Aureliana ciuitate. Venerabilis autem Seguinus Archiepiſcopus non conſenſit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: iuſſio autem Regis vrgebat. Alij verò Epiſcopi, licet inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauarunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum, quàm terrenum Regem, noluit conſentire nequitiæ Regis, ſed magis quantum potuit redarguit ipſum Regẽ; propter quam cauſam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iuſſit Arnulphum de Eccleſia B. Mariæ Genitricis Rhemenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianæ ciuitatis, vbi detinebatur nepos eius Carolus, manſit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia Præſuli Romano, qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit Sacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant, &c.* Hæc de rebus in Pſeudoſynodo Rhemenſi geſtis Aimoïnus prædicto loco. Poſt hæc ibidem ſubiungitur, quomodo Ioannes Papa indicta alia Synodo Rhemenſi, in præſentia Leonis Abbatis à Sede Apoſtolica ablegati, Acta huius Conciliabuli retractari & planè improbari mandauerit,

dauerit. De quibus infrà ſuo loco.

Cauſam habiti Conciliabuli præbuit rumor, qui de vrbe Rhemenſi per Arnulphum prodita augebatur. Nam cùm Hugo Rex Francorum ſua promotione Arnulphum ad hanc dignitatem Archiepiſcopalem euexiſſet; hoc ſummo ſtudio deinceps peregit, vt Epiſcopum ſuo iudicio ingratum in ordinem redigeret, aliumque in eius locum ſurrogaret. Cumque Arnulphus ad iudicium Synodale vocatus, ad Pontificem tamquam competentem Iudicem prouocaſſet, miſſis iſthuc binis Legationibus hoc non ſine dolo ac fraude mandatum fuit, vt ſi poſt literas Sedi Apoſtolicæ ante triduũ exhibitas non audirentur, in Gallias redirent. Quod cùm Legati præſtitiſſent, ſuoque iudicio id quod Leges Eccleſiaſticæ de Pontifice hac in re conſulendo iubent, ſumma cum fraude perfeciſſent, & in Gallias reuertiſſent, indicta eſt Epiſcoporum Cõgregatio. Vocatus eſt de proditione aliiſque criminibus & irregularitatibus accuſatus Arnulphus Archiepiſcopus Rhemenſis. Cumque ille allegaret, ſe à Carolo Patricio ſuo Lauduni captiuum detineri, neque aliò proficiſcendi veniam impetrare poſſe, Hugo Rex Francorum Laudunum proditione Epiſcopi ſubegit, & Arnulphum, qui ibidem in vinculis detinebatur, captiuum abduci, & Synodali huic Patrum Congregationi iudicandum pręſentari, eoque modo, quo ſuprà dixi, diiudicari mandauit.

Acta Cõcilij germana, pura, ſimplicia, & ſincera, ſicut ab exceptoribus Notariis vel aliis ſcripta fuere, non extant.

Gerbertus Arnulphi aduerſarius, in hoc Conciliabulo ad Rhemenſem Archiepiſcopatum euectus, & à Romano Pontifice deinceps amotus, eadem Acta edidit; ſed paraphraſticè & Rhetoricè magis, quàm Hiſtorico more. Nam vt ipſe fatetur in Prologo, alibi quædam addidit; alibi verò ex iiſdem nonnulla ſuſtulit & exponit; quædam autem paraphraſticè tranſtulit & mutilauit.

Quod ſi ita eſt, veriſſimum eſſe apparet, libellum illũ, quem multis blaſphemiis & mendaciis intextis antehac ediderant Centuriatores, quemque hoc noſtro tempore in odium Romanę Eccleſiæ Nouatores anno 1600. Francofurti in lucem emiſerunt, non tam Acta Synodalia Rhemenſis Concilij, quàm ſcriptum quoddam & Opus Gerberti in ipſa Acta Synodalia pro arbitratu illius emiſſum continere, vanamque & mendacem eſſe inſcriptionem, qua Libellus & Opus ipſius Gerberti *Synodus Eccleſiæ Gallicanæ* nominatur. Si enim Romanus Pontifex, prout infrà dicemus, Acta huius Congregationis planè improbauit, amotumque iudicio Synodali Arnulphum ſedi ſuæ reſtitui demandauit; non tam Synodus, quàm Pſeudoſynodus appellanda erat. Quas blaſphemias & calũnias contra Deum & Eccleſiam, quótve mendacia huic ſuo Libello Gerbertus inſeruerit, videre eſt apud Baronium, à quibus recenſendis atque hoc loco memorandis ego propterea imprimis abſtineo, quòd non tam Actis alicuius Conciliabuli, quàm commentitio Gerberti ſcripto contineantur. Quiſquis ea ſcire voluerit, anno Domini nongenteſimo nonageſimo ſecundo num. 12. & ſeqq. Baronium conſulat.

CONCIL. ROMANVM

pro Canonizatione S. VDALRICI *Auguſtani Epiſcopi, celebratum anno Domini 993. tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

CVM Conuentus eſſet factus in Palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarij, reſidente Ioanne ſanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Presbyteris, aſtantibus Diaconis & cuncto Clero, & diligenter examinata vita & miraculis S. Vdalrici, relatus eſt in Sanctorum numerum. ANNO DOMINI DCCCC. XCIII.

CON-

CONCIL. MOSONIENSE,

quo eiecto GERBERTO ARNVLPHVS *ſedi ſuæ reſtituitur, anno Domini* 995. *tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

ANNO DOMINI DCCCC-XCV. MOSONIVM eſt oppidum Galliæ Belgicę, Rhemenſi Metropoli ſubiectum, hodie priſcum nomen retinens. *Hoc loco,* inquit Papyrius Maſo lib. 3. Annal. Francorum, *Leo Romæ in Monaſterio S. Bonifacij Abbas, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Synodum congregauit anno 995. Indictione octaua 4. Nonas Iunij, in qua Gerbertus, qui exauctorato Arnulpho ſuffectus erat, patientiſſimè auditus eſt.* In hac Synodo Gerbertus etiã inter cetera prolixa quadam Oratione, quæ reperitur in prænominato Gerberti libello, Arnulphi depoſiſitionem ſuique inuiti Ordinationem iuſtè factam defendit. Leo autem Sedis Apoſtolicæ Legatus eidem haud dubiè multùm contradixit, acceptaque Gerberti Oratiuncula, aliam Synodum Kalendis Iunij Rhemis habendam denuntiat. Interim Monachum ſuum idem Legatus ad Reges Francorum duci iubet, & per Epiſcopos Gerberto mandat, vt à diuino Officio vſque ad denuntiatam Synodũ abſtineat. Hęc ex Papyrio, qui Sedis Rhemenſis inuaſori Gerberto immeritò fauit. Baronius anno 995.

Non caret fraude, quòd Nouatores ediderint omnia illa quę Gerbertus pro ſe dixit vel ſcripſit: quæ autem contra ipſum in hac Synodo Leo Apoſtolicæ Sedis Legatus copioſiſſimè diſputauit, quæque inter Acta Rhemenſium Epiſcoporum fuiſſe recondita Aimoïnus verbis infrà recitandis teſtatur, nequaquam ediderint.

CONCIL. RHEMENSE II.

quo per LEONEM *Sedis Apoſtolicæ Legatum,* ARNVLPHVS, GERBERTO *depoſito, Rhemenſi Eccleſiæ reſtituitur, anno Dñi* 995. *tempore* IOANNIS *Papæ* XV.

DCCCC-XCV. HAEC eſt illa vera & legitima Synodus Rhemenſis, qua Acta præcedentis Pſeudoſynodi auctoritate Apoſtolica improbantur, & planè annullantur. Quid in ea geſtum fuerit, in Appendice Aimoïni narratur his verbis: *Nuntiantur hæc omnia* (de quibus ſuprà præcedenti Conciliabulo Rhemenſi) *Præſidi Romano: qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit ſacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant. Miſit quoque Leonem Abbatem à Sede Apoſtolica ad dominum Seguinum Archiepiſcopum vrbis Senonicæ, qui vice ſua in vrbe Rhemenſi Synodum congregaret, mandans illi, vt ſine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum; & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterùm in vrbe Rhemenſi, ex iuſſione Apoſtolica reuocatus eſt Arnulphus de cuſtodia, & cum honore magno receptus in propria ſede. Gerbertus autem intelligens quòd iniuſtè Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pœnitentia ductus eſt. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valdè vtilem plenius inuenies in Geſtis Pontificum Romanorum.* Hæc de Actis huius Synodi Aimoïni Appendix.

Libellus Gerberti refert, quòd in hac Synodo Epiſcopi illi, qui Arnulphum ſede ſua eiecerant, dixerint in totius Regni diſcrimine nihil melius & vtilius fieri potuiſſe, quàm vt tyranno excluſo paſtor aliquis populo & Regno vtilis conſtitueretur. Cumque à Leone arguerentur, quòd illud ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate feciſſent; reſpondebant, binas hac de re Legationes Romam miſſas, non fuiſſe auditas, ideò, quia Creſcentium Palatij cuſtodem nullo munere corrupiſſent: nihilque (quod falſum eſſe conſtat ex verbis Aimoïni ſuprà in Pſeudoſynodo Rhemenſi recitatis) ſine conſenſu & auctoritate Seguini Senonenſis Archiepiſcopi, Sedisque Apoſtolicæ Legati peregiſſe. Plura hac de re Baronius anno nongenteſimo nonageſimo ſecundo, & nongenteſimo nonageſimo quinto, &c.

Digitized by Google

CONCILIVM ROMANVM,

quo conſtitutum fuit, vt IMPERATOR *deinceps à* VII. ELECTORIBVS *Germaniæ Principibus eligatur: habitum fuit anno Domini 996. tempore* GREGORII *Papæ* V.

ANNO DOMINI DCCCCXCVI.

HVIVS Concilij Acta omnia interierunt: ob cauſam tamen allegatam in titulo hoc tempore habitam fuiſſe, euidenter ſatis colligit Cardinalis Baronius ex quinque Aſſertionibus; quarũ prima eſt: Res magni momenti, non niſi conſultis Patribus, & collectis Epiſcopis, in Synodo fieri conſueuerunt. Hæc eſt talis: ergo. Secunda Aſſertio: Hoc tempore Synodum Romæ celebratam fuiſſe. Hoc probatur ex Vita S. Adelberti apud Surium, & Binium. Huius quoque Concilij mẽtio habetur in Vita S. Burchardi Wormatienſis Epiſcopi, vbi pariter dicitur interfuiſſe eidẽ Concilio Franco tunc Epiſcopus Wormatienſis, accepiſſeque ab eo Abbatiam, cuius inueſtituram in eadem Synodo recitatam tradit, eumque hoc anno eſſe defunctũ. Tertia Aſſertio: Ottoni Magno à Romano Pontifice conceſſum fuit, vt ſibi ſucceſſorem deligeret: ceteri autem Imperatores eo iure caruerunt. Quarta Aſſertio: Firma eſt, & in omnibus conſtans aſſertio, ſicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem tranſlatum eſt; ita ius eligendi Imperatorem Germanis conceſſum. Sic Innocentius Papa III. ſcripſit ad Ducem Thuringiæ, & habetur Extrau. de Elect. cap. Venerabilem. & in Concilio Viennenſi (vt habetur in Clement. de Iureiur. cap. 1.) Clemens V. Id quod adeò ſine contradictione à maioribus receptum eſt, vt ſemper ipſi Electores, & Imperatores ab eis electi, ingenuè hoc ipſum profeſſi ſint, intellexerintque pariter, eius eſſe facultatis qui dedit, & auferre pariter, cùm viderit expediens eſſe Reipublicæ Chriſtianæ, quod & cetera exempla demonſtrant. Quinta Aſſertio: Facultas eligendi Imperatorem conceſſa eſt Electoribus non ab alio, quàm à Gregorio Papa V. vt apud omnes eſt in confeſſo, quia ex ipſo rei vſu patet, quòd poſt ipſum Gregorium, Ottone Imperatore defuncto, non ampliùs per Imperatores, ſed per Electores Principes conſtat fuiſſe ſucceſſores electos.

Cùm ergo ex his manifeſtum ſit, hanc rem tanti momenti Romę in pręſentia Ottonis III. Imperatoris à Gregorio V. conſtitutam eſſe; ſine dubio ea de re actum fuiſſe oportet in illo, quod eodem tempore Dei prouidentia celebrabatur Romæ Concilio in cauſa Adelberti Pragenſis, & Burchardi Wormatienſis Epiſcopi.

ELECTORES IMPERATORVM.

LAICI ſunt:
- Dux Auſtriæ,
- Dux Bauariæ,
- Dux Saxonum,
- Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.

PRAELATI verò,
- Archiepiſcopus Colonienſis,
- Archiepiſcopus Moguntinus,
- Archiepiſcopus Salſburgenſis.

Stetit autem numerus conſcriptus, perſeuerabitque in futurum: perſonæ autem quatuor mutatæ, nempe vt pro Salsburgenſi poſitus fuerit Archiepiſcopus Treuirenſis: proque tribus illis Ducibus, Auſtriæ, Bauariæ, atque Brabantiæ, fuerint ſubrogati, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgenſis, atque Rex Bohemiæ, qui potiùs locum tenet Definitoris, ſi diſcrepent Electores, quàm vnius ex Electoribus ipſis. A quo autem facta ſit hæc mutatio, nos latet. Vide Baronium anno 996. num. 54. & ſeqq.

CON-

CONCILIVM ROMANVM

in cauſa GISELERI *Magdeburgenſis Epiſcopi celebratum anno Domini* 999. *tempore* SILVESTRI *Papæ* II.

ANNO DOMINI DCCCCXCIX. DITHMARVS vbi agit de ſecundo aduētu Ottonis in Vrbem, de rebus in hac Synodo geſtis ita ſcribit: *Synodus Romæ tunc, in qua accuſatus Giſelerus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quòd duas Parochias teneret; percuſſus ille paralyſi venire non potuit: res poſita ad Concilium Prouinciale Germaniæ I.* In eodem Concilio Imperatorem voluiſſe recitari priuilegium Wormatienſi Eccleſiæ conceſſum, teſtatur Baronius anno 999.n.12.

CONCILIVM TREMONIENSE

pro REFORMANDA ECCLESIA *celebratum anno Domini* 1005. *tempore* IOANNIS *Papæ* XVII. *aliàs* XIX.

N.V. DITHMARVS lib.6.teſtatur, allegato tempore celebratum eſſe in Germania magnam Synodum Tremonienſem,in qua Rex Henricus de eius temporis S. Eccleſiæ deformatione conqueſtus, magnâ inſtantiâ apud Epiſcopos laborauit, vt collapſa Eccleſiæ diſciplina reformaretur. Præſtiterunt illud pro viribus quibus id potuerunt diligentiſſimè, communique conſenſu ediderunt ſacros Canones, quibus ſanctiſſimæ leges Eccleſiaſticę in priſtinum vſum reuocantur, prauique mores,qui in Clerum ac populum irrepſerant, exularent & corrigerentur. Quibus ſtatutis, Rex ſibi Deum propitium conciliauit, viamque ad victorias conſequendas,& Romanum Imperium obtinendum aperuit. Celeberrimi Concilij Acta planè interierunt.

CONC. FRANCOFORDIENSE

de ECCLESIA BAMBERGENSI *in Cathedram Epiſcopalem erigenda, celebratum anno Domini* 1006. *tempore* IOANNIS *Papæ* XVII. *aliàs* XIX.

IN hoc Concilio, teſtimonio Dithmari, qui eidem præſens interfuit, inter alia tractatum eſt de Eccleſia Bambergenſi in Cathedram Epiſcopalem erigenda: idque ad petitionem Regis Henrici, qui eam ciuitatem à puero dilexerat, & ſemper excoluerat, & vxori in dotem aſſignauerat. Henricus Wirceburgenſis Epiſcopus ad Synodum vocatus, venire non voluit, niſi poſt vnionem ſuæ Parochiæ cum Bambergenſi Eccleſia factam ipſe Archiepiſcopus conſtitueretur. N.VI.

CONCIL. BAMBERGENSE

de controuerſiis quibuſdam Epiſcoporum,celebratum anno Domini 1011.

CVM Henricus Rex ad dedicationem Baſilicæ Bambergenſis à ſe cōſtructæ cœtum pluſquā triginta Epiſcoporum conuocaſſet, ab iiſdē iſta occaſione hoc loco congregatis habita eſt Synodus, in qua ſedatæ ſunt controuerſiæ illæ inter Epiſcopos, de quibus Dithmarus Merſepurgenſis Epiſcopus,qui eidem Synodo præſens interfuit,ſcribit. Idem Dithmarus fatetur,ſe pro recuperandis ſuæ Parochię bonis Synodo libellum dediſſe: atque Theodorico Metenſi Epiſcopo ab omnibus in Synodo præſentibus interdictum eſſe, vt ante purgationem, Miſſam non caneret. Baronius anno 1011. num.1. N.XI.

CONCIL. LEGIONENSE

Æra milleſima quinquageſima,id eſt, anno Chriſti 1012. *ſub* ADELFONSO V. *Rege Legionenſe.*

DECRETA *huius* CONCILII *hæc ſunt:*

I. IN primis cenſuimus, vt in omnibus Conciliis, quæ deinceps celebrabūtur,cauſæ Eccleſiæ priùs iudicentur, N.XII.

Digitized by Google

tur, iudiciumque rectum abſque falſitate conſequantur.

II. Præcipimus etiam, vt quidquid teſtamentis conceſſum & roboratum aliquo tempore Eccleſia tenuerit, firmiter poſſideat: ſi verò aliquis inquietare voluerit illud, quod conceſſum eſt teſtamentis (quidquid fuerit;) teſtamẽtum in Concilium adducatur, & à veridicis hominibus, vtrùm verum ſit, exquiratur: & ſi verum inuentum fuerit teſtamentum, nullum ſuper * eum agatur iudicium; ſed quod in eo continetur ſcriptum, quietè poſſideat Eccleſia in perpetuum. Si verò Eccleſia aliquid iure tenuerit, & inde teſtamẽtum non habuerit, firment ipſum ius cultores Eccleſiæ iuramento, ac deinde poſſideat perenni æuo: nec præiudicet triennium iuri habito, ſeu teſtamento; Deo etenim fraudem facit, qui per triennium res Eccleſiæ reſcindit.

*illud

III. Decreuimus etiam, Vt nullus contineat ſeu cõtendat Epiſcopus Abbates ſuarum Diœceſeon, ſiue Monachos, Abbatiſſas, Sanctimoniales, refuganos, ſed omnes permaneant ſub ditione ſui Epiſcopi.

IV. Mandauimus adhuc, Vt nullus audeat rapere ab Eccleſia. Verùm ſi aliquid infra cœmeterium per rapinam ſumpſerit, ſacrilegium ſoluat; & ſi quid inde abſtulerit, vt rapinam reddat. Si autem extra cœmeterium abſtulerit rem Eccleſiæ, reddat eam, & calumniam ipſius Eccleſiæ, more terræ.

V. Item decreuimus, Vt ſi fortè aliquis hominem Eccleſiæ occiderit, & per ſeipſum Eccleſia iuſtitiam adipiſci non potuerit, concedat Maiorino Regis vocem iudicij, diuidatque per medium calumniam homicidij.

VI. Iudicato ergo Eccleſiæ iudicio, adeptaque iuſtitia, agatur cauſa Regis, deinde populorum.

VII. Decreuimus iterùm, Vt nullus emat hereditatem ſerui Eccleſiæ: qui autem emerit eam, perdat eam, & pretium. Baronius anno 1012.

CONCIL. AVRELIANENSE

contra NOVOS MANICHAEOS *hereticos in Gallia, celebratum anno Chriſti* 1017. *tempore* BENEDICTI *Papæ* VIII. *&* ROBERTI *Regis.*

CVm hoc tempore, anno nimirum Chriſti 1017. apud vrbem Aurelianenſem hæreſis Manichæa per mulierem Italam reſuſcitata & diſſeminata fuiſſet, eamque Heribertus & Liſoius, duo Palatij Proceres Regi familiares imbibiſſent, viciniſque locis ſpargere tentaſſent, libereq; pronuntiarent futurum breui, vt vniuerſus populus ſua dogmata amplecteretur: Rex Chriſtianiſſimus hac de re meritò turbatur, citiſſimè ad Aurelianos properans, conuocatis plurimis Epiſcopis, & Abbatibus, ac Religioſis, examinatâ cauſâ, omnes ad ignem damnati ſunt. ANNO DOMINI M.XVII.

CONC. SALEGVNSTADIENSE

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *celebratũ anno Domini* 1022. *tempore* BENEDICTI *Papæ, &* HENRICI *Imperatoris.*

CAP. I. De abſtinentia carnis & ſanguinis in diebus ieiunij. M.XXII.

CAP. II. De cuſtodiendo ieiunio Quatuor Temporum.

CAP. III. Nuptiæ non celebrentur in diebus vetitis.

CAP. IV. Presbyter qui pòſt galli cantum bibit, niſi neceſſitas cogat, ſequenti die Miſsâ celebrare non audeat.

CAP. V. Presbyter non ampliùs quàm tres Miſſas in die celebret.

CAP. VI. Nemo Corporale, ad extinguendum incendium, in ignem proiiciat.

CAP. VII. Si duo de adulterio inculpati fuerint, & vnus profiteretur, alter negaret; ille qui negauerit, probabili iudicio ſe expurget; & qui profeſſus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

CAP. VIII. Nemo gladium in Eccleſia portet.

CAP. IX. Mala colloquia in Eccleſia aut in attrio Eccleſiæ non fiant.

CAP.

Google

Cap. x. De Euangelio, *In principio erat Verbum*, & Miſſis peculiaribus, ne fiant non ſuis temporibus.

Cap. xi. De computatione conſanguinitatis.

Cap. xii. Ædificia laicorum in atrio Eccleſiæ non ponantur.

Cap. xiii. Vt nullus laicus Presbytero Eccleſiam ſuam commendet ſine licentia Epiſcopi ſui.

Cap. xiv. Si duo de adulterio accuſati fuerint, quid inde faciendum ſit.

Cap. xv. Vt bannitum ieiunium ab omnibus diligentiſſimè obſeruetur.

Cap. xvi. De illis qui Romam ituri ſunt.

Cap. xvii. Vt Carrina non diuidatur pœnitenti.

Cap. xviii. De illis qui pœnitentiam à Sacerdotibus accipere nolunt.

Cap. xix. Vt omnis pœnitens, dum Carrinam ſuam ieiunat, de loco ad locum non migret.

Cap. xx. Vt nullus Presbyter quemquam pœnitentem in Eccleſiam introducat.

CONC. AQVISGRANENSE,

quo controuerſia inter Pilegrinivm *Archiepiſcopum Colonienſem &* Dvrandvm *Epiſcopum Leodienſem, de ſubiectione Monaſterij* Bvrrithani *fuit terminata, anno Domini* 1022. *tempore* Benedicti *Papæ* VIII.

ANNO DOMINI M.XXII. De rebus in hac Synodo geſtis Chronicon Cameracẽſe lib. 3. cap. 35. iſta: *Sub his diebus, cùm fortè Imperator Henricus in Aquiſgrano palatio, tam de Eccleſiaſticis quàm & de ſecularibus pertractaret, in ipſa interim Eccleſia Prouincialis Synodus ab Epiſcopis celebrata eſt. Vbi ſiquidem inter Archiepiſcopum Colonienſium P. & D. Leodienſium Pontificem altercatio non parua recruduit pro Monaſterio Burritho, quod vterque ſuæ Parochiæ ſubijcere contendebat. Dominus autem Gerardus Epiſcopus, vt teſtimonio veritatis litem compeſceret, viua voce increpuit, quòd Epiſcopi Leodienſes quinque Abbates illius Monaſterij ſine vlla contradictione Archiepiſcopi conſecrauerunt; imò & ipſo Imperatore rogante, & Baldrico Epiſcopo Leodienſi petente, in præſentia Domini Imperatoris in Aquenſi Eccleſia S. Mariæ præfati Monaſterij Clericos ordinauit, ipſumque Monaſterium cum Archiepiſcopo Popone Treuirenſium, & Haymone Virdunenſium conſecrauit. Eo ergo ſibi videri rectiùs Leodienſi quàm Colonienſi regimini ſubiacere. Quod ita quoque ceteris teſtificantibus, Archiepiſcopus præter vllam Synodalem reuerentiam irâ commotus abſceſſit.* Hæc Chronicon Cameracenſe.

CONC. MOGVNTINVM

in cauſa Ottonis *Comitis ab Hamerſtein congregatum anno Domini* 1023. *tempore* Benedicti *Papæ* VIII.

De cauſa, loco & tempore huius Concilij Moguntiæ celebrati in Vita ſancti Gothardi c. 22. apud Surium iſta leguntur: M.XXIII.

Aribo Archiepiſcopus Moguntinus illo anno Imperatorem ad Pentecoſten Moguntiam inuitauit, vbi etiam Concilium Generale coëgit, in quo multa collapſa correxit; præcipuè verò Ottonem Comitem ab Hamerſtein & Limingardam præter fas ſibi cohærentes, ſeparare conſtituerat, quod tamen perficere non potuit, quandoquidem Comes partim Imperatoris metu, partim Epiſcopi commonitione, vtcumque ad meliorem ſe recepit frugem; femina autem bannos vel proſcriptiones negligens, ius ibi funditùs perdidit, vt hodieque perſpici poteſt.

Ad hoc Conciliũ etiam noſter Præſul, & Epiſcopi & Imperatoris iuſſu euocatus, non contemnendâ Cleri & militum frequentiâ, quamuis inuitus & nolens, ſtipatus eò properabat, & in quodam qui vicinus eſt illi caſtello, vbi Dei gratia & electus & cõſecratus fuit, iter faciebat: vbi tum mulier quædam ab immundo vexata dæmone, à parentibus & propinquis per Eccleſias ad Sanctorum imploranda patrocinia, cir-

cumducebatur. Qui cùm audirent nouum illuc aduenire Epiſcopũ, obuiàm ei cum dæmoniaca femina fidenter proceſſerunt, ſanctæ eius exiſtimationis fama illecti. Impurus autem ſpiritus illorum acceleratione pauefactus, per os feminæ anxiis cœpit percontari vocibus, quónam perduceretur. Dicentibus illis, ſe iam in occurſum Gothardi Epiſcopi properare: horrifico mugitu & vlulatu miſerè ſe oppoſuit, & ipſis etiam à quibus trahebatur, mirantibus & formidantibus reluctatus eſt, eiulans & vociferans, Gothardum ſe nec audire nec videre poſſe. Sub hac colluctatione cùm miſera illa à fidelibus fide & ſpe, vt patuit, feruentibus traheretur, & ſpiritus nequam omni cõtentione obniteretur: tandem profligato illo, mulier liberata eſt: & ad virum Dei ſub quadam arbore refrigerij cauſa reſidentem, ſana corde & corpore adducta eſt. Is verò cognitis iis quæ facta fuerant, timore & gaudio compunctis, lacrymabundus, gratias egit Deo, in faciem ſe proſternens. Ac deinceps feminæ manus imponens, ei benè precatus eſt, eamque in fide confirmatam, rectè valentem, atque etiam gaudentem, cum exultantibus amicis à ſe dimiſit, cœptoque perrexit itinere. Quotquot autem comitabantur eum, viſo hoc miraculo, plus eum reuereri & amare cœperunt, vtpote cuius tam præclara apud Deum merita cognoſcerent. At ille grauiter eis interdixit ne cuiquam id indicarent; ſed neque ægra mulier, quæ miraculum in ſe experta fuit, neque turba quæ ei interfuerat, id reticendum putauit.

Sed quia ex Ruperto Abbate Tuitienſi colligitur, expugnationem arcis Hamerſtein factam eſſe anno præcedente, eamque præceſſiſſe vexationem & anathematiſmum, effici omnino videtur, Concilium aliquod Generale Moguntiæ vel alibi celebratum fuiſſe, quo ſpiritali gladiò excommunicationis impurum nefariumque Comitis coniugium & publicum hoc vetiti matrimonij ſcandalum damnari meruit. Vide Serarium lib. 5. Hiſt. Mogunt. in *Erkenboldo & Aribone*.

CONC. LEMOVICENSE,

quo declaratum eſt, MARTIALEM *Lemouicenſis Sedis auctorem, Epiſcopum Apoſtolicum eſſe nominandum. Eiuſdem corporis eleuatio facta fuit anno Domini 1029. tempore* IOANNIS *Papæ* XVIII. *aliàs* XX.

HANC Synodum celebratam eſſe anno Chriſti 1029. Acta Lemouicenſis Concilij indicant. Dedicatio autem eiuſdem Eccleſiæ (vt habetur in ſcripto Chronico Goufredi Monachi S. Martialis) habita fuit anno 1028. Quæ in hoc Concilio geſta fuerunt, continentur Act. 1. Concilij Lemouicenſis II. ſub Benedicto IX. infrà. ANNO DOMINI M.XXIX.

CONC. PAMPILONENSE,

de EPISCOPATV PAMPILONENSI *antiquæ ſedi ſuæ reſtituendo, celebratum anno Domini 1032. tempore* IOANNIS *Papæ* XVIII. *aliàs* XX.

CVM antiquis temporibus, teſte Mariana Rerum Hiſpanicarum Scriptore, Pampilonenſes ſedem Epiſcopalem, ob Barbarorum incurſiones in Monaſterium Leirenſe, quod ſitum eſt in montibus Pyrenæis, tranſtuliſſent, atque vigore factæ tranſlationis Monachi eiuſdem Monaſterij iam recèns permiſſu Pontificis Pampilonenſium Epiſcopum creaſſent, habitum eſt iſta de cauſa hoc Concilium, actumque in eo, vt antiqua ſedes Pampilonenſi Epiſcopatui reſtituatur: idque poſt obitum eius, qui tunc erat Pampilonenſis Epiſcopus tempore ſucceſſoris fuit executioni mandatum. M.XXXII.

CONC. LEMOVICENSE II.

ob cauſam pacis, & Apoſtolatus S. MARTIALIS, *celebratum anno Domini* 1034. *tempore* BENEDICTI IX.

FRAGMENTA Actorum ex Baronio extant apud Binium. M.XXXIV.

CONC.

Digitized by Google

CONC. BELLOVACENSE

eadem de cauſa, eodemque anno celebratum in Gallia tempore BENEDICTI IX.

ANNO DOMINI M.XXXIV. ACTA huius recitantur in Synodalibus Actis Concilij Lemouicenſis II.

CONCIL. TRIBVRIENSE

anno Domini 1035. celebratum tempore BENEDICTI IX.

M.XXXV. ANNO ſuprà ſignato magnam Synodum Triburienſem collectam eſſe, teſtatur Hermannus in Chronico, quod ex Codice Auguſtano nuper edidit Caniſius. Acta eius ſummatim deſcribuntur in Chronico Cameracenſi, lib. 1. cap. 51. his verbis: *Triburiæ ſecus Moguntiam Imperator Conradus de diuerſis partibus Epiſcopos conuocauit, vt quæ vtilitatis & religionis ſunt, ad inuicem conferrent. Qui poſt aliqua dictorum ſuorũ hoc habuerunt Capitulum, Vt ſi quando ieiunium primi menſis in ea hebdomada, qua conſtat caput ieiunij ſicut ſolet euenire, amborum ieiuniorum celebritas vna officij expletione compleretur. In hoc rurſus moderatiſſimus Paſtor antiquam Patrum conſuetudinem ſeruari monebat, & in altera hebdomada officium primi ieiunij celebrandum, pro conſuetudine antiqua cenſebat, cuius oblata ſententia viſa eſt congrua, & ab ijs decreta eſt tenenda.* Hæc Chronicon Cameracẽſe prædicto loco.

CONCIL. SVTRINVM,

quo GREGORIVS VI. *ſeipſum Pontificatu abdicauit, anno Domini 1046.*

M.XLVI. DE rebus in hac Synodo geſtis Hermannus huius temporis Scriptor iſta refert: *Coadunato exercitu Papiæ Synodum celebrauit, inde Placentiam veniens Gratianum clariſſimum* (*nempe Gregorium Sextum*) *quem expulſis prioribus Romani Papam ſtatuerant, ad ſe venientem honorificè ſuſcepit, ſicque cunctis proſperè cedentibus, iuxta Natalem Domini non longè ab vrbe Roma apud Sutriam Synodo iterũ acta, cauſáque erroneorum Pontificum diligentiùs ventilata, Gratianum Papam baculo priuauit; deinde omnium, tam Romanorum quàm aliorum conſenſu, Suidgerum Epiſcopum, qui poſt Eberhardum primum ſecundus Bambergenſem ſexto iam anno regebat Eccleſiam, nimiùm reluctantem Summum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem, ſicque circa Vigilias Natalis Domini ipſam ingrediuntur Vrbem.* Hæc de rebus in Concilio geſtis Hermãnus. Sed quod refertur in hac Synodo tres ſchiſmaticos Pontifices depoſitos eſſe, non aliter intelligendũ eſt, quàm quòd priuati fuerint illis redditibus, quos cum illis tranſigens Gratianus ad quietem & vnionem Eccleſiæ redimendam illis aſſignauerat: & quorum gratia idem in hoc iudicio Simoniæ accuſatus, ſed nequaquam conuictus fuerat. Illud verò quod ait, Gregorium in hoc Concilio Sutrino depoſitum fuiſſe, nequaquam ſuſtineri poteſt; ſicut etiã quod de electione ſucceſſoris conſtitutum eſſe adiicitur. Scribit enim Leo Oſtienſis, quòd facta abdicatione Gregorij Imperator exultans cum omnibus ipſius Concilij Epiſcopis Romã venerit, & in Eccleſia beati Petri Apoſtoli congregato Clero populoq; Romano, quid Sutri geſtum eſſet expoſuerit, & de ordinando Pontifice tractatum fuerit: & prætereà quòd poſt factam diligentem inquiſitionem, cùm nullus alius tanto munere & officio dignus inueniretur, electione omnium Epiſcopus Bambergenſis Eccleſiæ ab Hamburgenſi præſentatus natione Saxo electus, eique nomen Clementis Secundi impoſitum fuerit. Vide Baronium anno 1046. num. 1. 2.

CONCIL. ROMANVM

ad REFORMANDVM ECCLESIAE STATVM, *contra* SIMONIACOS *imprimis celebratum anno Chriſti 1047. tempore* CLEMENTIS *Papæ* II.

CLEMENS recèns creatus hanc M.XLVII. Synodum, teſte Petro Damiani in epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem, ad reforman-

formandum Eccleſiæ ſtatum Romæ indixit, in quo illud potiſſimùm annitente Imperatore conatus eſt, vt Simoniacos vepres, qui adeò excreuiſſent, vt patrisfamilias ſementem ſuffocarent, non modò ſuccideret, ſed penitùs eradicaret. Quid verò contra Simoniacos hos conſtitutum fuerit, his verbis prædicta epiſtola recenſet: *Poſt longa ſanè diſceptationum hinc inde volumina, tandem ſuggeſtum eſt, reuerendæ memoriæ nuper eiuſdem Sedis Epiſcopum Clementem decreuiſſe, vt quicumque à Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo Ordinationis ſuæ tempore non ignorans Simoniacum eſſe, cui ſe obtulerit promouendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti Ordinis officio miniſtraret.*

In eadem hac Romana Synodo altercationem eſſe obortam inter Mediolanenſem & Aquileienſem & Rauennatem Antiſtites, de loco ſedendi, quinam ipſorum proximus apud Romanum Pontificem ſedere deberet: adiudicatam autem eſſe cauſam Rauennati, narrat Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Rauennate, deque his confectum eſſe Diploma, quod ſe vidiſſe teſtatur.

CONCILIVM ROMANVM I. *contra* SIMONIACOS *celebratum anno Domini* 1049. *tempore* LEONIS VIII. *qui vulgò* LEO IX. *appellatur.*

M.XLIX. HANC Synodum tempore ſuprà notato Romæ celebratã fuiſſe, teſtatur Hermannus in Chronico: & Decretum illud, quod contra Simoniacos in Concilio Romano ſub Clemente II. conſtitutum fuerat, in hac Synodo per Leonem Pontificem confirmatum eſſe, Petrus Damiani in epiſtola ad Hẽricum Rauennatem Epiſcopum teſtatur his verbis: *Veruntamen & hoc otioſum eſſe non credimus, ſi quod ſuper hoc negotio idem venerabilis Leo Papa ſtatuerat, exponamus. Nam cùm omnes Simoniacorum Ordinationes Synodalis vigoris auctoritas caſſaſſet; protinus à Romanorum Sacerdotum multitudine magnæ ſeditionis tumultus exortus eſt, ita vt non ſolùm ab ipſis, ſed à pleriſque diceretur Epiſcopis, omnes penè Baſilicas Sacerdotalibus Officiis deſtitutas, & præcipuè Miſſarum ſolemnia, ad ſubuerſionem Chriſtianæ Religionis, & deſperationem omnium circumquaque fidelium, funditus omittenda. Quid plura? Poſt longa ſanè diſceptationum hinc inde volumina, tandem ſuggeſtum eſt, reuerendæ memoriæ nuper eiuſdem Sedis Epiſcopum Clementem decreuiſſe, vt quicumque à Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo Ordinationis ſuæ tempore non ignorans Simoniacum eſſe, cui ſe obtulerit promouẽdum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti Ordinis miniſterio celebraret. Quam nimirum ſententiam protinus venerabilis Leo ratam percenſuit, & ſub huiuſmodi pœna hos in acceptis Officiis de cetero perſeuerare mandauit.*

CONCILIVM RHEMENSE *pro* DISCIPLINA & MORIBVS ECCLESIAE REFORMANDIS *celebratum anno Domini* 1049. *tempore* LEONIS *Papæ* IX.

IN hac Synodo Petrus S. Romanæ Eccleſię Diaconus propoſuit illa, de quibus in eadẽ Synodo ſermo eſſet habendus; nempe de multis illicitis, quæ contra Canonum inſtituta in Gallicis finibus exercebantur, id eſt, De Simoniaca hæreſi: De miniſteriis Eccleſiaſticis & Altaribus, quæ à laicis tenebantur: De prauis conſuetudinibus, quæ ab eis in atriis Eccleſiarum accipiebantur: De inceſtis coniugiis, & eis, qui legitimas relinquẽtes vxores, adulterinis iterùm nuptiis implicabantur: De monachis & Clericis à ſancto propoſito & habitu recedentibus: item De Clericis mundanæ militiæ ſtudentibus: De rapinis, pauperumque iniuſtis captionibus: De Sodomitico vitio, & quibuſdam hæreſibus, quæ in eiſdem pullulauerant partibus. M.XLIX.

Contra

Contra hæc omnia ſtatuta ſunt infraſcripta:

NE quis ſine electione Cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum proueheretur.

Ne quis ſacros Ordines, aut miniſteria Eccleſiaſtica, vel Altaria emeret, aut venderet. Et ſi quis Clericorum quidlibet eorum emiſſet, id cum digna ſatiſfactione ſuo Epiſcopo redderet.

Ne quis laicorum Eccleſiaſticum miniſterium vel Altaria teneret, nec Epiſcoporum quibus conſentirent.

Ne quis in atriis Eccleſiarum, præter Epiſcopum, & eius miniſtrum, quaſlibet conſuetudines exigere præſumeret.

Ne quis pro ſepultura, vel Baptiſmo, ſiue pro Euchariſtia, aut infirmorum viſitatione quidquam exigeret.

Ne quis Clericorum arma militaria geſtaret, aut mundanæ militiæ deſeruiret.

Ne Clericus vel laicus vſuras exerceret.

Ne quis Monachus vel Clericus à ſuo gradu apoſtataret.

Ne quis cum aliquibus ſacri Ordinis iter agentibus violentiam vllam inferre auderet.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

Ne quis inceſtuoſæ coniunctioni ſe copularet.

Ne quis legitima vxore relicta aliam duceret.

Et quia noui hæretici in Gallicanis partibus emerſerant, eos excommunicauit, illis additis, qui ab eis aliquod munus vel ſeruitium acciperent, aut quodlibet defenſionis patrocinium illis impenderent.

Pari modo damnauit & Sodomitas.

CONC. MOGVNTINVM CXLII. *Epiſcoporũ contra* SIMONIAM, *aliáve vitia Cleri, celebratum anno Domini* 1049. *tempore* LEONIS *Papæ.*

ANNO DOMINI MXLIX.

DE tempore huius Synodi variant Scriptores. Lambertus, quem ſequitur Serarius in Hiſtoria Moguntina, ad annum Chriſti 1050. Abbas Stadenſis eamdem ad annum Chriſti 1051. refert. Ego Baronium ſectatus, veriorem eſſe puto ſententiam Hermanni Contracti & Adami Bremenſis, qui hæc & ſcripſerunt & viderunt; nimirum hanc Synodum anno 1049. celebratum eſſe. De rebus in Synodo geſtis Hermánus nihil præter iſta: *Moguntiacum veniens, aliam Synodum 40. propè Epiſcoporum coram Imperatore & Regni noſtri Principibus celebrauit.* Adamus autem Bremenſis li. 3. c. 31. Acta huius Synodi prolixiùs enarrans, hæc ſcribit: *Tunc habita eſt Synodus Generalis apud Moguntiam, præſidente domino Apoſtolico, & Imperatore Henrico cum Epiſcopis, Bardone Moguntinenſi, Eberhardo Treuirenſi, Hermanno Colonienſi, Adelberto Hamburgẽſi, Engelhardo Magdeburgenſi, ceteriſq; Prouinciarum Sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirenſis Epiſcopus, nomine Sibicò, cui crimen adulterij intendebatur, examinatione Sacrificij purgatus eſt. Prætereà multa ibidem ſancita ſunt ad vtilitatem Eccleſiæ, pra quibus Simoniaca hæreſis, & nefanda Sacerdotum coniugia, holographa Synodi manu perpetuò damnata * eſt. Quod veniens domum noſter Archiepiſcopus non tacuiſſe probatur. De mulieribus ſtatuit eamdem ſententiam, quam prædeceſſor eius memorabilis Alebrãdus, & anteà Libentius inchoauerant, vt ſcilicet fierent extra Synagogam & ciuitatem, ne maleſuadâ pellicum vicinia caſtos violaret obtutus. Hæc Synodus facta eſt anno Domini 1049. ipſe eſt Archiepiſcopi ſeptimus. Et tunc maius Altare Tribunalis dedicatum eſt in honorem Genitricis Dei. De qua Synodo mentionem ideò feci, quòd dominus Adelbertus eo tempore, quo tam clari homines in Eccleſia fuerunt, ſapientiæ ac virtutum merito ferè omnes præcelluit. Tantus apud Papam, talis apud Cæſarem habebatur, vt de publicis rebus abſq; eius conſilio nihil ageretur.* Hæc Adam.

* *ſunt.*

Hac eadem Synodo, interceſſione Pontificis aliorumque Principum, Imperatori reconciliatus eſt Lotharingiæ

Digitized by Google

Dux Godefridus, de cuius animi magnitudine, bellica gloria, bellicisque contra Imperatorem & Eccleſias nonnullas expeditionibus, tandemque de admirabili voluntaria pœnitentia eiuſdem plura Lambertus, quamquam in tempore grauiter aberret. Hac Synodo (inquit Chapeauilla in Notis cap. 1. Tom. 2.) Imperator quæſtionem propoſuit coram S. Synodo de Legenda S. Seruatij Leodienſis Epiſcopi, de geſtis eius ac ſupputatione annorum: quæ omnia facta diligenti diſcuſſione, vt piè credenda, ſunt Synodali Decreto confirmata. Ioannes Presbyter Chron. Gembl.

CONC. ROMANVM II. *quo damnato* BERENGARIO, LANFRANCVS *ſententiã abſolutionis retulit, anno* 1050. *tempore* LEONIS *Papæ.*

ANNO DOMINI M. L.

QVo tempore iſta Synodus Romæ celebrata fuerit, Hermannus Contractus in Chronico, anno 1050. indicat breuiter his verbis: *Dominus Papa poſt Paſcha Synodum item Romæ collegit.* Qua de cauſa celebrata, quídve in ea actum fuerit, oſtẽdit Lanfrancus in Commentario quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore ſancti Leonis Papæ delata eſt hæreſis tua* (alloquitur Berengarium ipſum) *ad Apoſtolicam Sedem. Qui cùm Synodo præſideret, ac reſideret ſecum non parua multitudo Epiſcoporum, Abbatum, diuerſique Ordinis è diuerſis regionibus Religioſarum perſonarum: iuſſum eſt in omni audientia recitari, quas mihi de Corpore & Sanguine Domini literas tranſmiſiſti. Portitor quippe earum legatus tuus me in Northmannia non reperto, tradidit eas quibuſdam Clericis. Quas cùm legiſſent, & contra vſitatiſſimam Eccleſiæ fidem ſcriptas animaduertiſſent; zelo Dei accenſi, quibuſdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum eſt, vt non deterior de te quàm de me fuerit exorta ſuſpicio, ad quem videlicet tales literas deſtinaueris, putantibus multis, me fouere ac ſauere, quæ à te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem; vel fide, qua reuerà ita eſſe indubitanter tenerem. Igitur cùm à quodam Rhemenſi Clerico Romam perlatas recitator legerat, intellecto quòd Ioannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Eucharistia fidei aduerſa ſentires; promulgata eſt in te damnationis ſententia, priuans te communione ſanctæ Eccleſiæ, quam tu priuare ſancta eius communione ſatagebas. Poſt hæc præcepit Papa vt ſurgerem, praui rumoris à me maculam abſtergerem, fidem meam exponerem, expoſitam plus ſacris auctoritatibus quàm argumentis probarem. Itaq; ſurrexi, quod ſenſi dixi, quod dixi probaui: omnibus placuit, nulli diſplicuit.* Hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua dãnato, vt vidiſti, Berengario, ipſe Lanfrancus abſolutionis ſententiam retulit.

In hoc eodem Concilio contra Berengarium à Leone Pontifice celebrato, idem Pontifex decreuit pallium Dominico Patriarchæ Veneto, eidemque priuilegium conceſſit, vt Crucem ante ſe deferret, Patriarchalemque ſedem approbauit, & Epiſcopis Venetiæ Prouinciæ & Iſtriæ ſcripſit, vt huic tamquam Primati ſuo obedirent, eumque reuererentur. Hæc ex ſcripto Chronico Andreæ Danduli. Quæ omnia renouata & confirmata ab Alexandro Secundo in Concilio Mantuano idem Auctor affirmat. Sicq; plenè tranſlatus fuit Patriarchatus Gradenſis in Venetũ, qui hactenus titulo Gradenſis ſedis potitus erat.

CONCIL. VERCELLENSE *contra* BERENGARIVM, *& pro* LANFRANCO *celebratum anno* 1050. *tempore* LEONIS *Papæ* IX.

QVAE in hac Synodo contra Berengarium actitata fuerint, in prædicto Commentario Lanfranci contra eumdem Berengarium his verbis recenſentur: *Dehinc declarata eſt Synodus Vercellenſis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præſidente Pontifice, eſt celebrata Vercellis, ad quam euocatus non veniſti. Ego verò præcepto & precibus præfati Pontificis vſque ad ipſam Synodum ſecum* M. L.

ſecum remanſi. In qua, in audientia omnium qui de diuerſis huius mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt ac damnatus: ſententia tua expoſita ac damnata, fides ſanctæ Eccleſiæ, quam ego teneo, & tenendam aſtruo, audita, & concordi omnium ſenſu confirmata. Duo Clerici, qui Legatos tuos ſe eſſe dixerunt, volentes te defendere, in primo ſtatim auditi defecerunt, & capti ſunt. Ab hac ſententia numquam diſceſſit ſanctus Leo in omnibus ſuis Conciliis, ſeu quibus ipſe præſentiam ſuam exhibuit, ſeu quæ per Legatos ſuos in diuerſis Prouinciis congregari inſtituit. Quæ ſententia non effugit ſucceſſorem quoque ſuum felicis memoriæ Papam Victorem. Hucuſque Lanfrancus de Synodo Vercellenſi. Cuius meminit etiam Guitmundus in Commentario, quem ſcripſit de Corpore & Sanguine Chriſti, eidemque præfuiſſe Leonem Pontificem tradit.

CONCIL. COYACENSE
pro REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *in Diœceſi Ouetēſi Æra* 1088. *id eſt anno Chriſti* 1050. *ſub* FERDINANDO *Rege* I. *Caſtellæ, qui cognominatus eſt* MAGNVS, *tempore* LEONIS *Papæ* IX.

ANNO DOMINI M.L. IN hoc Concilio nihil noui ſtatuitur ab his, quę aliàs pro reformandis moribus ab aliis Conciliis ſtatuta ſunt; ideò non repetuntur.

CONC. ROMANVM III.
in cauſa GREGORII *Vercellenſis Epiſcopi de adulterio accuſati, eorumque qui à* SIMONIACIS *ordinati fuerant, congregatum anno Domini* 1051. *tempore* LEONIS *Papæ* IX.

M.LI. HVIVS Synodi res Hermannus Contractus in Chronico in cauſa Gregorij Vercellenſis Epiſcopi ſic recenſet: *Poſt Paſcha item Dominus Papa Leo Synodum Romæ collegit, vbi inter alia Gregorium Vercellenſem Epiſcopum propter adulterium cum vidua quadam auunculi ſui ſponſa admiſſum, & per iuria perpetrata, abſentem & neſcientem excommunicauit: quem tamen non multò pòſt Romam venientem, ſatisfactionemq; promittentem, officio priori reſtituit.*

In hoc etiam Concilio actum eſt contra Simoniacos, & contra incontinentiam Clericorum. Vide Binium.

CONC. ROMANVM IV.
de CANONIZATIONE S. GERARDI *Leucorū Epiſcopi: & de limitibus Diœceſeos inter* AQVILEIENSEM *&* FOROIVLIENSEM *Epiſcopos controuerſis, celebratum anno Domini* 1053. *tempore* LEONIS *Papæ* IX.

ANTEQVAM Leo Pontifex aduerſus Northmannos proficiſceretur, inquit Hermannus Contractus, poſt Paſcha Romæ Synodum habuit; in qua, auctore Sigeberto, Gerardum Leucorum ſupra ſe quintum Epiſcopum in Sanctorum numerum retulit. Ex epiſtola 2. Leonis Noni ad Thomam Africanum Epiſcopū apertè conſtat, in hac Synodo definitam eſſe veterem illam controuerſiam inter Foroiulienſem & Aquileienſem Antiſtites de limitibus Diœceſeos, ſtatutumque vt Aquileia totius Venetiæ & Iſtriæ Metropolis eſſet. M.LIII.

CONC. FLORENTINVM
contra ALIENATORES RERVM ECCLESIASTICARVM, *celebratū anno Domini* 1055. *tempore* VICTORIS *Papæ* II.

AVCTORITATE Leonis Oſtienſis conſtat, hanc Synodum in præſentia Victoris Papæ & Henrici Imperatoris celebratam eſſe. Conſtitutum fuiſſe in ea Decretum de bonis Eccleſiæ non alienandis, teſtatur Petrus Damianus in epiſtola ad Domnum V. Epiſcopum ſcripta, quam hactenus nondum editam, ex Codice Vaticano deſcripſit Baronius. In eadem hac Synodo damnatum fuiſſe Berengarium, conſtat teſtimonio Lanfranci, qui aſſerit, Victorem ipſum in omnibus Conciliis, quæ celebrauit, vel cele- M.LV.

branda curauit, cuncta à prædeceſſore ſuo conſtituta confirmaſſe, præcipuè quæ circa damnationem hæreſeos Berengarij per ipſum geſta fuerant. Vide Baronium.

CONCIL. LVGDVNENSE,

quo Epiſcopus quidã per HILDEBRANDVM *Sedis Apoſtolicæ Legatum miraculosè de crimine Simoniæ conuincitur, anno Domini* 1055. *tempore* VICTORIS *Papæ* II. *celebratum.*

ANNO DOMINI M. LV.

HILDEBRANDVS S. R. E. Cardinalis Subdiaconus, quem Victor Papa ad corrigendos prauos vſus Eccleſiæ Gallicanæ Legatum à latere miſerat in Galliam, Lugduni Concilium congregauit: de quo ex antiquioribus Geſtis Romanorum Pontificum à Nicolao Aragonio congeſtis, hæc deſcripſit Baronius:

Eodem tempore cùm Simoniaca hæreſis totam Italiam & Burgundiam occupaſſet, idem Pontifex miſit à latere ſuo eumdem Archidiaconum Hildebrandum ad vltramontanas partes cum quibuſdam Epiſcopis. Cùm autem ad Lugdunenſem Prouinciam perueniſſet, in ea Synodum celebrauit: in qua per ipſum Archidiaconũ Deus maximum dignatus eſt operari miraculum. Reſidentibus enim in ea Synodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis; Archiepiſcopus vir quidam literatus & eloquens, accuſatus eſt de crimine Simoniæ. Qui ſequenti nocte omnes ſuos accuſatores pecunia corrupit, & ſibi amicos fecit. Manè autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: Vbi ſunt qui me accuſant? Exeat in publicum quicumque me voluerit damnare.

Tunc obmuteſcentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tamquam vir diſcretus & ſapiens, conuertens ſe ad illum, dixit: Credíſne, ô Archiepiſcope, Spiritum ſanctum cum Patre & Filio vnam eſſe ſubſtantiam Deitatis? Quo reſpondente, Credo: addidit Archidiaconus: Dic, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Tunc ille, Gloria Patri, & Filio, expeditè dicebat; ſed Spiritum ſanctum nullatenus proferre poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns ſe per diuinum iudicium omnino confuſum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confeſſus eſt proprio ore, ſe Simoniacum eſſe. Poſtquam verò à Sacerdotali & Epiſcopali officio eſt depoſitus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, libera & clara voce decantauit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, quòd præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadraginta quinque Simoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus, abſque vlla alia accuſatione, renuntiauerunt. Celebrata Synodo, & aliis rebus ritè ordinatis & compoſitis, Legati ad Vrbem redierunt.

Archiepiſcopus miraculo arguitur Simoniacus.

CONCIL. TVRONENSE

per HILDEBRANDVM *Subdiaconum & Apoſtolicæ Sedis Legatum indictum, quo* BERENGARIVS *abiurata hæreſi, fidẽ Catholicam eſt profeſſus anno Domini* 1055. *tempore* VICTORIS *Papæ* II.

M. LV.

AVCTORITATE Apoſtolica per Hildebrandũ Subdiaconum & Legatum à latere, Berengarium poſt deteſtationem & abiurationẽ hæreſeos, Catholicæ fidei profeſſionem edidiſſe, ſcribit Guitmũdus Auerſanus Archiepiſcopus, & Lanfrancus.

Ad hanc Synodum Henricus Imperator ſuos Legatos miſit, per quos conquerebatur, quòd Ferdinandus Magnus Caſtellæ ac Legionis Rex, detrectaret Romano Imperatori parêre, ſibique maiorum nomen Imperatoris arrogaret. Quę cùm iniqua, inuſitata, nulloque more maiorum recepta eſſent, petebat per eoſdem Legatos, eum, ſi non monitus à cœptis deſiſteret, excommunicatione percelli, vniuerſamq; Hiſpaniam ipſi ſubiectam interdicto ſubiici. Petitionem Imperatoris iuſtam eſſe, Patres Concilij vnà cum Victore Pontifice iudi-

iudicarunt, ideoque Legatos quoſdam deputarunt, qui ad Ferdinandum Regem profecti, eum à cœptis deſiſtere monerent, ſimulque eidem intimarent, quòd ſi decreto Pontificis & Concilij non obtemperet, excommunicationis & interdicti ſententias metuere debeat. Hac Legatione audita, Rex Epiſcopos & Principes Regni conuenire, quidve Legatis reſpondere debeat, in conſultationem vocari præcipit. Quod cùm factum eſſet, potiori parti viſum fuit, Romano Pontifici obediendum, adeoque nomine Imperatoris & rebellione abſtinendum eſſe. Huic ſententię Rex Ferdinandus acquieſcens, reſpondit Legatis, ſe effecturum quod Sedes Apoſtolica præcepiſſet. Vide Baronium anno 1055. num. 23. & ſeqq.

CONCIL. COLONIENSE,

quo auctoritate VICTORIS *Papæ* BALDVINVS *&* GODEFRIDVS *Comites Flandriæ* HENRICO *Regi quinquennali cõciliati fuerunt, anno Domini* 1056.

ANNO DOMINI M. LVI. BALDVINVS & Godefridus, ambo Flandriæ Comites, hoſtes erant Imperiales, à quibus Rex quinquennalis iure ſibi metuere poterat. Cùm ergo Henricus Imperator moriturus filium ſuum Pontifici commendaſſet, ille neceſſarium eſſe iudicabat, vt perduelles Imperij, qui Regnum inteſtinis bellis grauiter inquietare potuiſſent, cum Rege adhuc puero conciliarentur. Qua de cauſa Generalem Synodum Coloniæ celebrandam indicens, *in ea*, inquit Sigebertus, *Balduinus & Godefridus, mediante Papa Victore, ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus ſedantur.* Baronius anno 1056. num. 11.

CONC. TOLOSANVM

XVIII. *Epiſcoporum contra* SIMONIAM, *aliáve Cleri & populi vitia celebratum anno* 1056. *tẽpore* VICTORIS *Papæ* II.

M. LVI. IN hoc Concilio multa contra Simoniam & contra alia vitia ſanciuntur; quæ cùm in aliis Conciliis ſancita ſint, non repetuntur.

CONC. COMPOSTELLANVM

à CRESCONIO *Compoſtellano Archiepiſcopo ad* DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM RESTAVRANDAM *celebratum anno* 1056. *tempore* VICTORIS *Papæ* II.

IN hoc Concilio ex ſchedis Antonij Auguſtini aſſerit Baronius, inter alia quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſeruandã ſpectant, illud ſancitum reperitur, vt Sacerdotes omnes, Epiſcopi, atque Presbyteri Miſſam quotidie celebrarent. Vt Clerici tempore ieiunij & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur. Baronius anno 1056. num. 16. M. LVI.

CONCIL. SVTRINVM,

quo BENEDICTVS *Pſeudopapa & ſchiſmaticus, cognomento* MINCIVS, *depoſitus, omnique Sacerdotali officio priuatus eſt, anno Domini* 1059. *tempore* NICOLAI II. *electi.*

IN hac Synodo inuaſorem Sedis Apoſtolicæ Benedictum depoſitum, omnique Sacerdotali munere priuatum eſſe, & poſteà veniam à Pontifice petiuiſſe, habetur, inquit Baronius, in Codice Vaticano, qui inſcribitur Liber cenſuum. M. LIX.

CONCIL. ROMANVM

centum & tredecim Epiſcoporum, quo BERENGARIVS *hereſi ſua tertiò abiurata, fidem Catholicam tertiò profeſſus eſt: & de electione Romani Pontificis Conſtitutio edita fuit, anno Domini* 1059. *tempore* NICOLAI *Papæ* II.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c. M. LIX.

Primò namque inſpectore Deo eſt ſtatutum, vt electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit: ita vt ſi quis Apoſtolicæ Sedi ſine præmiſſa concordi & Cano-

Canonica electione eorum, ac deinde ſequentium Ordinum Religioſorum, Clericorum & laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa, vel Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur.

Vt moriente Romano Pontifice, vel cuiuſcumque ciuitatis, nullus præſumat facultates eorum inuadere, ſed ſucceſſoribus eorum reſeruentur integræ.

Vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem, &c.

Vt decimæ, & primitiæ, ſeu oblationes viuorum & mortuorum, Eccleſiis Dei fideliter reddantur à laicis, & vt in diſpoſitione Epiſcoporum ſint. Quas qui retinuerint, à ſanctæ Eccleſiæ communione ſeparentur.

Vt per laicos nullo modo quilibet Clericus aut Presbyter obtineat Eccleſiam, nec gratis, nec pretio.

Vt nullus habitum Monachi ſuſcipiat, ſpem aut promiſſionem habens vt Abbas fiat.

Nec aliquis Presbyter duas Eccleſias ſimul obtineat.

Vt per Simoniacam hæreſim nemo ordinetur, vel promoueatur ad quodlibet Eccleſiaſticum officium.

Vt cuiuſlibet Ordinis Clericos laici non iudicent, nec de Eccleſiis eiiciant.

Vt de conſanguinitate ſua nullus vxorem ducat vſque ad generationem ſeptimam, vel quouſque parentela cognoſci poterit.

Vt laicus vxorem ſimul & concubinam habens, non communicet Eccleſiæ.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repentè promoueatur, niſi poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturna conuerſatione inter Clericos fuerit comprobatus.

Deinde ponitur Berengarij abiuratio, qui iterùm relapſus eſt.

CONCILIVM MALPHIÆ IN APVLIA

celebratum anno Domini 1059. *tempore* NICOLAI *Papæ* II.

MALPHIA vrbs eſt Apuliæ, in qua, teſte Leone Oſtienſi, Nicolaus Papa hanc Synodum celebrauit, & Tranenſem Epiſcopum, teſte Petro Damiani in epiſtola ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, throno depoſuit. Probabile eſt, eumdem Pontificem in hac Synodo duo illa iuramenta, fidelitatis & ſoluendi annui canonis, quæ ex Vaticano Codice recitantur apud Baronium, à Northmannis exegiſſe. ANNO DOMINI M.LIX.

CONCIL. PARISIENSE

XXII. *Epiſcoporum, quo* PHILIPPVS, HENRICI *Regis Francorum filius, titulo Regio condecoratur, & ſolemni ritu coronatur, anno* 1059. *tempore* NICOLAI *Papæ* II.

ACTA Concilij ex Annalibus Papirij Maſſonis accepta iſta ſunt: M.LIX.

Anno milleſimo * ſexageſimo, Indictione 12. Henrico regnãte trigeſimo ſecundo, & quarto Kalendas Iunij in die Pentecoſtes, Philippus Rex hoc ordine in maiori Eccleſia ante Altare ſanctæ Mariæ, à venerabili Archiepiſcopo Rhemenſi conſecratus eſt. Inchoata Miſſa, antequam Epiſtola legeretur, Dominus Archiepiſcopus vertit ſe ad eum, & expoſuit ei fidem Catholicam, ſciſcitans ab eo, vtrùm hanc crederet, & defendere vellet. Quo annuente, delata eſt eius Profeſſio, quam accipiens ipſe legit, dum adhuc ſeptennis eſſet, eique ſubſcripſit. Erat autem Profeſſio eius hæc: * M.LIX.

Ego Philippus, Deo propitiante mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & Sanctis eius, quòd vnicuique de vobis mihi commiſſis canonicum Priuilegium, & debitã legem, atque iuſtitiam con-

conſeruabo, defenſionem adiuuante Domino, quantum potero, exhibebo, ſicut Rex in ſuo Regno vnicuique Epiſcopo & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet. Populo quoque vobis credito me diſpẽſationem legum in ſuo iure conſiſtentem noſtra auctoritate conceſſurum. Qua perlecta, poſuit eam in manus Archiepiſcopi. Deinde accipiens Archiepiſcopus baculum ſancti Remigij, diſſeruit quietè & pacificè, quomodo ad eum pertineret electio Regis, & conſecratio, ex quo ſanctus Remigius Ludouicum baptizauit & conſecrauit. Diſſeruit etiam, quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſtatem, & totum Galliæ Principatum Hormiſdas Papa ſancto dederit Remigio, & quomodo Victor Papa ſibi & Eccleſiæ ſuæ conceſſerit. Tunc annuente patre ipſius Henrico, elegit eum in Regem poſt eum.

CONCILIVM IACCITANVM IN HISPANIA,
celebratum anno 1060. *tempore* NICOLAI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.LX. HAEC Synodus celebrata eſt Iaccæ in Hiſpania, in quam Oſcæ ſedes tranſlata fuit. Interfuerũt ei Auſtindus Archiepiſcopus Auxitanus, Sancius Epiſcopus Aragonius, Paternus Cæſarauguſtanus, Arnulphus Rotenſis, Gometius Calaguritanus, Wilhelmus Vrgelitanus, Heraclius Bigerrinenſis, Stephanus Olorenſis, & Ioannes Leontienſis. Sacri ritus qui temporũ iniuria vel deprauati vel aboliti erant, in eo ſunt reſtituti, diſciplina Eccleſiaſtica reſarcita, moreſq; ad normam ſacrorum Canonum reuocati. Inſuper, ne alio quàm Romano more ſacræ Preces in Eccleſia perſoluerentur, & vt is qui Oſcæ erat Epiſcopatus, in Iaccam transferretur, in eodem Concilio ſtatutum fuit. Hæc ſummatim Baronius anno 1060. nu. 13.

CONCILIABVLVM BASILEENSE
in cauſa ELECTIONIS PONTIFICIAE *celebratum anno Domini* 1061. *tempore Interregni Pontificij.*

HVIVS Synodi meminit Hermannus in Chronico, res verò N. LXI.
geſtas perpetuo ſilẽtio dignas ſupprimit. Conuenerũt enim in vnum Longobardorum Epiſcopi, & conſimilium Clericorum multitudine congregata, communiter ſtatuerunt, vt aliunde non deberent Papam recipere, quàm de Lombardia, & talem perſonam, quæ infirmitatibus eorum compateretur & condeſcenderet. Quo facto, Imperatrici per Legatos ſuggeſſerunt, quòd filius eius ita in honorem Patriciatus ſeu Pontificatus deberet ſuccedere, ſicut in Regia dignitate. Prętereà aſſerebant, quòd Nicolaus Papa ſtatuerat Decretis ſuis, quòd nullus deinceps haberetur Romanus Epiſcopus, niſi qui priùs à Cardinalibus eligeretur, cui poſteà accederet conſenſus Regis.

CONCILIVM IN OSBORIO GERMANIÆ,
auctoritate S. ANNONIS *Colonienſis Archiepiſcopi congregatum, quo in præſentia Regis poſt habitam diſputationem,* CADALOVS *Pſeudopapa omnium acclamatione eſt condemnatus, &* ALEXANDRI *legitimè facta electio eſt confirmata. Anno Domini* 1062. *ipſo Feſto Simonis & Iudæ.*

IN hoc Concilio fit diſceptatio N. LXII.
inter Defenſorem Romanæ Eccleſiæ & Regium Aduocatum: iſte enim contendit, non debere inthronizari Papam abſque conſenſu Regis; ille verò docet, hoc non eſſe neceſſarium, tum quia tot Pontifices anteà abſque tali conſenſu electi fuerint; tum etiam, quia ex Conſtantini Imperatoris Edicto, Sedes Apoſtolica conſtituitur ſuper omnem in orbe terrarũ

Principatum. Et infrà ex eodem Conſtantino: *Quoniam vbi Principatus Sacerdotum & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem.* Quæ verba dixit Conſtantinus, quando in Orientem diſceſſurus erat. Ex quibus verbis ſic infert Defenſor Romanæ Eccleſiæ: *Audiſti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Eccleſia poteſtatem? quomodo ergo ſine illius arbitrio, qui poteſtatem non habet, non licet eligi Sacerdotem?* Plura de hoc vide apud Binium.

CONCILIVM ARRAGONENSE IN HISPANIA

anno Chriſti 1062. celebratum tempore ALEXANDRI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.LXII. SEPTIMO Kalendas Iulij in Hiſpania apud S. Ioannem Rupenſem ſub Ramiro Rege eſt celebratum Concilium, multique Epiſcopi in eodem congregati fuerunt. Quid autem in eodem ſtatutum ſit, nihil reperimus, niſi vt Arragonij Epiſcopi ſumerentur ex Monaſterio S. Ioannis, quod anteà per Regem Sancium fuerat inſtitutum. De huius inſtitutione Concilij habentur Acta in Commentarijs rerum Arragonenſium apud Hieronymum Biclam. Vide Baronium anno 1062. num. 12.

CONC. ROMANVM I.

centum & ampliùs Epiſcoporum occaſione PETRI *Florentini Epiſcopi, de hæreſi & Simonia accuſati, aduerſus* SIMONIACOS *celebratū, anno Domini* 1063. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

M.LXIII. ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Epiſcopis Catholicis, cunctoque Clero & populo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Vigilantia vniuerſalis Eccleſiæ, &c. *Et infrà:*

De cetero ſtatuimus, Vt ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit: & conſecratus & conſecrans, non diſparem damnationis ſententiam ſubeant, vt vterque depoſitus agat pœnitentiam, & priuatus ab ea propria dignitate perſiſtat.

Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, vel ſubintroductam mulierem.

Vt Religioſi ſimul manducent, & dormiant, & omnia habeant in communi.

Vt decimæ, & primitiæ, ſeu oblationes viuorum & mortuorum reddantur à laicis, & in diſpoſitione Epiſcoporum ſint: quas qui tenuerit, à ſanctę Eccleſiæ ſeparetur communione.

Vt per laicos nullo modo quilibet Clericus aut Presbyter obtineat Eccleſiam, nec gratis, nec pretio.

Nec aliquis Presbyter duas Eccleſias obtineat.

Vt per Simoniacam hæreſim nemo ordinetur, vel promoueatur ad quodlibet officium Eccleſiaſticum, neque Eccleſiis præficiatur.

Vt de conſanguinitate ſua nullus vxorem ducat.

Vt laicus, vxorem ſimul habens & concubinam, non cõmunicet Eccleſiæ.

Vt nullus habitum Monachalem ſuſcipiat, ſpem aut promiſſionem habens, vt Abbas fiat.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repentè promoueatur, &c.

Quæ omnia etiam Nicolaus II. ordinauit.

CONCIL. MANTVANVM,

quo CADALOVS *Pſeudopapa iterùm condemnatur, &* ALEXANDER *à criminibus ſibi obiectis expurgatur, defenditur, & abſoluitur anno* 1064. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

CVM Cadalous ſchiſmaticus Romæ condemnatus fuiſſet, illi qui partes ipſius tuebantur, nouas calumnias nouaſque turbas creabant M.LXIV.

Digitized by Google

bant Alexandro, obiicientes illi, quòd collatâ pecuniâ thronum Apoſtolicum cōſcendiſſet: vt ſcilicet hac ratione alios ab Alexandro abriperent, alioſque mutuò inter ſe digladiantes hac de re conſtituerent, & ſic partes ſuas roborarent. Accedebat, quòd à Proceribus Imperij S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus, cui cura & adminiſtratio Imperij demandata fuerat, Romam ablegatus, coram Alexandro Pontifice & Cardinalibus diceret, per iſtam Alexandri electionem, priuilegiis & iuribus Regis Germaniæ ſummam iniuriam illatam, vtpote quæ aliter, quàm hactenus conſueuerit, ſine conſenſu & auctoritate Regis habita fuiſſet. Quod cùm Hildebrandus in præſentia Cardinaliū conſtanter refutaſſet, nihilque iuris in electione Romani Pontificis Regi conceſſiſſet, quodque illi prætendebant, non ius ſed tyrannidem eſſe oſtendiſſet; rogatu S. Annonis auctoritate Apoſtolica indicta eſt Synodus in partibus Lombardię celebrāda apud Mantuam, qua ipſe Pontifex, licet illud à dignitate ſua alienum foret, electionem ſuam legitimè & iuſtè factam oſtenderet. Et conuocatis multis Epiſcopis, ſtatuto tempore Alexander Papa ab Vrbe cum Epiſcopis & Cardinalibus ad præfixum locum proſperè Domino auxiliante peruenit. Et cùm in Synodo eadē cum Epiſcopis Alexander reſideret, cauſam electionis ſuę ita diſertè rationibus manifeſtis comprobauit, atque ſe de omnibus, quæ ſibi ab æmulis malitioſè obiecta fuerant, excuſauit ſufficienter, quòd Epiſcopos Lombardiæ, qui ſibi fuerant aduerſati, beneuolos reddiderit & ſubiectos. Sedato itaque per Dei gratiam Imperij & Eccleſiæ ſcandalo, poſt ſolutionem Synodi, Alexander Papa Romam, ac ceteri ad propria hilares redierunt.

De Cadaloo omnes affirmant, in eadem Synodo condemnatum fuiſſe: militem armaſſe, Vrbemque ingreſſum, vt Alexandrum à Sede Petri exturbaret, contumelioſè pulſum & victum fuiſſe: paucisq; pòſt diebus quàm ab Alexandro veniam petiiſſet & impetraſſet, malam mortem incurriſſe. Baronius anno 1064. num. 1. & ſeqq.

CONCILIVM BARCINONENSE HISPANICVM,

in quo LEGES GOTHICAE, *quibus* CATALAVNI *vtebantur, planè ſunt abrogatæ, anno Domini 1064. tempore* ALEXANDRI II.

EPISCOPI Hiſpani, qui Mantuano Concilio interfuerunt, reuerſuri in Hiſpanias, duxerunt ſecum ab Alexandro Papa decretum Legatum à latere Hugonem Cardinalem, cuius auctoritate Barcinone hæc Synodus congregata fuit, in qua Leges Gothicas, quibus Catalauni vtebantur, penitùs abrogauit, nouaſque ſanxit, quibus populus hactenus vtitur. Vt autem ritus Gothici in ſacris adhiberi ſoliti abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere voluit, cùm iidem in Concilio Mantuano Catholici eſſe cogniti fuiſſent. In eadem Synodo Alexander Papa tamquam germanus Pontifex eſt receptus, Cadalous autem communibus omnium votis eſt condemnatus. Baronius prædicto anno, num. 42. ANNO DOMINI M.LXIV.

CONC. ROMANVM II.

contra INCESTVOSORVM *hæreſim celebratum anno Domini 1065. tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

HOC tempore hæreſis Inceſtuoſorum à quibuſdam Iureconſultis excitata atq; defenſa eſt, qui auctoritate Iuſtiniani Imperatoris eadem ratione, qua in ſucceſſionibus, gradus conſanguinitatis numerandos eſſe docebant. Impugnauit eam hæreſim acerrimus Orthodoxæ fidei defenſor Petrus Damiani. Cumque eius ſcriptis tolli non poſſet, & ad eam comprimendam auctoritate Apoſtolica opus M. LXV.

 eſſet,

Digitized by Google

eſſet, Alexander Papa Romę hanc Synodum indixit, in qua contra defenſores illius hæreſis eiuſmodi Decretum edidit, quod à Gratiano refertur 35. q. 4. c. Ad Sedem Apoſtolicam.& c. Quod autem frater. ead.q.

CONCILIVM ROMANVM III.

quo ijdem INCESTVOSI *heretici excommunicantur, anno Domini* 1065. *ſub* ALEXANDRO *Papa* II.

ANNO DOMINI M.LXV. CVM Alexandri Papæ admonitio, de qua præcedenti Concilio, non ſufficeret, opus illi fuit eodem anno hanc ſecundam in eorumdem Inceſtuoſorum cauſa Synodum congregare, in qua verè inceſtuoſos & pertinaces hæreticos excommunicatione percelleret. Sed (quod doluit Petrus Damianus)id etiam ſine fructu: nam arte diaboli conglutinatis animis inceſtuoſorum coniugum, nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt, vt teſtatur idem Damianus in Libello de Contemptu ſæculi.

CONCILIVM WINTONIENSE,

in quo per Legatum Sedis Apoſtolicæ à latere miſſum, STIGANDVS *Cantuarienſis Eccleſiæ inuaſor deponitur, anno Domini* 1069. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

M.LXIX. IN hoc Concilio Stigandus Dorobemiæ Archiepiſcopus degradatur tribus de cauſis, ſcilicet, quòd Epiſcopatum Wintonienſem cum Archiepiſcopatu iniuſtè poſſidebat: & quòd viuente Roberto Archiepiſcopo, non ſolùm Archiepiſcopatum ſumpſit, ſed etiam eius pallio, quod Cantuariæ remanſit dum vi & iniuſtè ab Anglia pulſus eſt, in Miſſarum celebratione aliquamdiu vſus eſt: & à Benedicto, quem ſancta Romana Eccleſia excommunicauit, eò quòd pecuniâ Sedem Apoſtolicam inuaſit, pallium accepit. Et alia plura apud Binium.

CONC. MOGVNTINVM

auctoritate SIGEFRIDI I. *indictum in cauſa* HENRICI IV. *Regis, volentis* BERTAM *vxorem, quam ante biennium duxerat, repudiare, celebratum anno Domini* 1069.

POST Pentecoſten Wormatię cum Principibus Regni Rex colloquium habuit, ſibi cum vxore non conuenire; ſed tamen nullum ei crimen, quod iuſtè repudium mereatur, afferre; ſed ſe nullam cum ea maritalis operis copiam habere. Fœda res, & ab Regia maieſtate nimiùm abhorrens viſa ab omnibus qui aderant. Eapropter Epiſcopus Synodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ. Ad quam cùm Rex concitus properaret, obuium habuit Petrum Damianum Legatum Apoſtolicum, qui mandata Pontificis Romani ei expoſuit: quorum ſumma erat, vt à tali diuortio abſtineret; tum quia Canonicæ ſanctiones id prohibebant; tum etiam, vt ſaltè parceret famę & exiſtimationi propriæ, ne ſcilicet tam fœdi exempli venenum, à Rege ſumpto initio, totum commacularet populum Chriſtianum: & poſtremò, ſi non flecteretur conſiliis, ſe neceſſariò vim Eccleſiaſticam adhibuturum, & Canonum lege ſcelus prohibiturum. M.LXIX.

His auditis, omnes qui aderant Principes, aiebant, æqua cenſere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ ſuæ, & Regij nominis maieſtatem tam turpis facti colluuione macularet, & ne parentibus Reginæ iuſtam cauſam defectionis & turbandæ Reipublicæ daret.

Hac ratione fractus magis quàm inflexus, Si id, inquit, fixum obſtinatumque eſt vobis, imperabo egomet mihi; feramque (vt potero) onus, quod deponere non valeo. Et ſic annuit, vt in Regni

gni conſortium Regina reuocaretur, à qua tandem filium Henricum habuit, qui ipſi in Regno ſucceſſit.

CONCILIVM MOGVNTINVM II.

in cauſa CAROLI *Conſtantienſis Epiſcopi, quem Clerici eiuſdem Eccleſiæ ob crimen Simoniæ & ſacrilegij ſede deponi vrgebant, tempore* ALEXANDRI II.

ANNO DOMINI M.LXX. POST obitum Rumoldi Conſtantienſis Epiſcopi, Carolus Magdeburgenſis Canonicus ſucceſſit: qui accuſatus apud Pontificem propter Simoniacam hæreſim, per quam Epiſcopatum vſurpaſſe dicebatur; indicitur Synodus apud Moguntiam: cumque ſtatuta die Rex ipſe (qui Carolo fauebat) in Synodo cum Epiſcopis aſſediſſet, contra Carolum præſentem fratres Conſtantienſes magnam molem criminum obiecerunt: contra quos Rex dedita opera nitebatur, & modò obiecta purgare, modò verò quæ non poterat, ſaltem callidis ſermonibus nitebatur attenuare: cumque accuſatorum conſtantiam nec veritate reſponſionis, nec arte dicendi eludere poſſet, ad vltimum, probatis quæ obiecta fuerant criminibus, baculum Epiſcopalem ab eo recepit. Hunc finem accepit homo cupidiſſimus gloriæ, qui cùm malis artibus eam aſſequi conatus eſſet, metuit loco glorię ignominiam, ſimulque mortem ex mœrore cor exedente percepit.

CONCIL. ANGLICANVM

in cauſa PRIMATVS CANTVARIENSIS *ſuper Eboracenſem celebratum anno Domini* 1072. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

M.LXXII. IN hoc Concilio id decernitur, quod in titulo dictum eſt, de quo etiam Alexander Pontifex Romanus certior fit. Vide latè Binium.

CONCILIABVLVM ERPHORDIENSE

in cauſa DECIMATIONVM THVRINGIAE, *auctoritate Sigefridi Moguntini Archiepiſcopi congregatum anno Domini* 1073. *celebratum ſexto Idus Martij, tempore* ALEXANDRI *Papæ* II.

CVM in Palatio Regis frequens eſſet nundinatio Epiſcopatuum & Abbatiarum, S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus Regni adminiſtratione ſe abdicauit. Rex iſto pædagogo ſeueriſſimo liberatus, ſtatim in omnia vitiorum genera præceps ruit. Exorſus eſt ſplendidiſſima ædificia in omnibus ferè montibus & colliculis: quæ cùm perficere non poſſet, ne permittens præſidiorũ & operariorum liberam furandi & aliena contrectandi poteſtatem, manifeſtæ tyrannidis notaretur, Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum incitauit, vt decimationes Thuringiæ exigeret, ſibique earum mediam partem tribueret. Epiſcopus vaniſſima ſpe animatus, indixit Synodum in Erphiſfurd ſexto Idus Martij. Ad quam cum Epiſcopis & reliquis Eccleſiaſticis venit etiam Rex, habens circa ſe armatorum copias non modicas, quibus eos, ſi qui fortè negotium interturbare conarentur, militari manu coërceret. M.LXXIII.

Thuringi interrogati pro decimarum ſolutione, primò per Deum rogabant Archiepiſcopum, vt antiquitus tradita Monaſteriis ſuis, legitima, rata, inconuulſaque manere ſineret, quæ & Sedes Apoſtolica & veteribus & recentibus ſcriptis crebrò ſibi firmaſſet. Sed incaſsùm omnia: nam tandem, mediante Rege, Abbas & Archiepiſcopus conſenſerunt, vt Abbas in decem ſuis decimalibus Eccleſiis duas partes decimarum, tertiam Archiepiſcopus acciperet: in reliquis verò Eccleſiis dimidia Abbati, dimidia Archiepiſcopo contingeret. Vbi verò Eccleſia decimalis propria Archiepiſcopi eſſet, tota illic ei

decima

decima cederet. Ita abſoluta eſt tyrannicè cauſa. Sed quàm dignam tyranno ipſe Rex his appendicem tunc appoſuerit, audiamus. Tum Rex ſciens haud benè placitura Romano Pontifici quæ geſta fuerant, ſub interminatione gratiæ ſuæ vtrique Abbati præcepit, vt neque per ſeipſos, neque per nuntium, neque alio quouis modo pro inſimulanda Synodo Apoſtolicam Sedem interpellarent.

CONCIL. ROMANVM I. *pro* REFORMANDO ECCLESIAE STATV *celebratum anno Domini* 1074. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXIV.

GREGORIVS prędeceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, per epiſtolam ad Epiſcopos Longobardiæ datam indixit Synodum prima hebdomada Quadrageſimæ celebrandam. Statuto die Epiſcopi, qui conuocati fuerant, magno numero adfuerunt. Ad expurgandam Eccleſiam à concubinariis Sacerdotibus principio ſtatuerunt, *Vt ſecundùm inſtituta antiquorum Canonum,* inquit Lambertus, *Presbyteri vxores non habeant: habentes, aut dimittant, aut deponantur. Nec quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamq; cælibem profiteatur.*

Quam Conſtitutionem dum iuſſu Pontificis Epiſcopi in Germania promulgaſſent, acciderunt, quæ à Lamberto anno 1074. deſcribuntur his verbis: *Aduerſus hoc Decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & vęſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait: Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere, capiat. Et Apoſtolus: Qui ſe non continet, nubat: melius eſt enim nubere, quàm vri: violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum; & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Quòd ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium, quàm coniugium deſerere, &* (Math. 19. / 1. Cor. 9.)

tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, vnde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet.

Nihilominùs ille inſtabat, & aſſiduis Legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat, & niſi ocyùs iniunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolica ſe cenſura in eos animaduerſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non paruo conſtare operam hanc, vt tanto tempore inolitam conſuetudinem reuelleret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem iam mundum reformaret, moderatiùs agebat cum eis. Et primò eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos, vt quod neceſſariò faciendum ſit, ſpontè faciant, & tam ſibi quàm Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos, quod ſecùs ſit, decernendi. Ad vltimum congregata Synodo in Erfordia, menſe Octobri, preſſiùs iam imminebat, vt relegata omni tergiuerſatione, in præſentiarum aut coniugium abiurarent, aut ſacri Altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas econtrà illi rationes afferebant, quibus inſtantis perurgentiſque improbitatem eludere, ſententiamque caſſare niterentur. Cumque aduerſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, qua ſe ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes preceſq; proficerent, egreſſi tamquam ad conſultandum, conſilium ineunt, vt in Synodum non redeant, ſed iniuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, vt in Synodum regreſſi ipſum Epiſcopum, priuſquam execrabilem aduerſus eos ſententiam promulgaret, cathedra Epiſcopali deturbarent, & merita morte mulctato, inſigne monumentum ad poſteros tranſmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum eius talem Sacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. Cùm ad Epiſcopum relatum eſſet, hoc eos machinari, commonitus à ſuis, vt tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præuerteret; miſit ad eos foras, rogauitque vt ſedato pectore in Synodum regrederentur, ſe cùm primùm opportunitas arriſiſſet,

Romam miſſurum, & Dominum Apoſtolicum, ſi qua poſſet ratione, ab hac ſententiæ auſteritate deducturum. Poſtero die admiſſis in auditorium communiter laicis & Clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat, &c.

In hac eadem Synodo excommunicatus eſt Robertus Guiſcardus Northmannorum Princeps, de quo in fine lib. 1. epiſt. Gregorij hæc referuntur: *Celebrauit Romæ Synodum, in qua inter cetera quæ ibi geſta ſunt, excommunicauit atq; anathematizauit Robertũ Guiſcardum Ducem Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ cum omnibus fautoribus ſuis, quouſq; reſipiſceret.* Poſt hæc diuerſorum Abbatum & Epiſcoporum cauſæ cognitæ ſunt & diiudicatæ. Pictauienſibus Canonicis indultum fuit, vt eorum Epiſcopus, Decanus, vel alius aliquis Prælatus ius retineat certis diebus cantandi Miſſam in aliena & exempta Eccleſia, ſicut Romæ atque alibi in Stationibus obſeruari cõſueuerat. Decreto huius Synodi mandatum eſt Hiſpaniarum Eccleſiis, vt Romanum ordinem atque Officium recipiãt, prout Hiſpaniarum Epiſcopi, qui præſentes erant, ſe facturos promiſerant. Inſuper lectæ fuerunt literæ Geiſæ Hungariæ Regis, quibus idem Rex ſuum erga Sedem Apoſtolicam incomparabile ſtudium & obſeruantiam indicabat, petens ne aduerſantium hoſtium ſuorum querelis & calumnioſis accuſationibus vlla fides adhibeatur.

In eadem Synodo Guilhelmus Epiſcopus Bellouacenſis dignum exhibuit ſpecimen Chriſtianæ charitatis, & Epiſcopalis modeſtiæ, vt qui grauiſſima à ſuis, tam Clericis quã laicis, perpeſſus, pro iiſdem ea de cauſa excommunicatis apud Pontificem interceſſerit, eoſque ab excommunicatione abſolui petierit & impetrauerit. Ad hãc eamdem Synodum vocati ſunt Canonici Lucenſes, vt cauſam redderent, cur aduerſus Anſelmum Epiſcopum ſuum Lucenſem conſpiraſſent: qui de conſpiratione & inſidiis ſuo Epiſcopo inſtructis conuicti, iuxta Canones & Capitulũ S. Martyris & Pontificis Fabiani, quo conſpiratores & inſidiatores ſuorum Epiſcoporum Curiæ tradendos eſſe decernitur, iudicio totius ſanctæ Synodi etiam ipſi Curiæ traditi fuerunt. Hæc ex Gregorij epiſt. 51. & ſeqq. decem, Baronius anno 1074. num. 36. & ſeqq.

CONCIL. APVD S. GENESIVM *in cauſa* S. ANSELMI *Epiſcopi Lucenſis, contra* LVCENSES CANONICOS *celebratum anno Domini* 1074. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

De rebus in hac Synodo geſtis ex Scriptore quodam Anonymo Presbytero Pœnitentiario apud Baronium hæc recitantur: *Conuenerunt ergò quamplures iterùm Epiſcopi apud S. Geneſium, quod Caſtrum à ciuitate Lucana non multùm diſtat, inter quos Reuerendiſſimus Albanenſis Epiſcopus nomine Petrus* (Igneus cognomento dictus) *vicem Domini Papæ agebat, qui cum eodem Lucenſi Epiſcopo S. Anſelmo, & cum reliquis omnibus conſpiratores illos excommunicauit. Vnde inſolabiliter illi dolentes & indignantes, totam ciuitatem malitioſè commouerunt, atque freti auxilio perditiſſimi hominis quondam dicti Henrici Regis, religioſiſſimum Epiſcopũ à ciuitate repulerunt, ſed & prædictæ Dominæ Mathildæ rebelles penitùs facti ſunt. Huius itaque conſpirationis nefariæ caput & princeps fuit quidam nomine Petrus, falſa profeſſione Canonicus, ordine damnationis ſuæ Subdiaconus, mente ſuperbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompoſitus, vir ſanguinum, & fomes omnium ſpurcitiarũ, qui propter immenſitatẽ malitiæ ſuæ factus eſt ſubitò contumax præco Henricianæ tyrãnidis.* ANNO DOMINI M.LXXIV.

CONC. ANGLICANVM, *quo* S. VVLSTANVS *deponitur, anno Domini* 1074. *tẽpore* GREGORII *Papæ* VII.

In rebus geſtis S. Vulſtani apud Surium Tom. 1. die 19. Ianuarij legitur, quòd hoc anno 1074. habita fuerit in Anglia Synodus, M.LXXIV.

dus, qua iniuſto iudicio Synodali depoſitus eſt S. Vulſtanus, quem magno miraculo ipſe Deus paulò pòſt ſedi ſuæ reſtituit.

CONC. ROMANVM II. *pro* REFORMANDA ECCLESIA *celebratum anno Domini* 1075. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXV.

AD reformandam Eccleſiæ diſciplinã Gregorius anno 1074. Synodũ indixit, exordio Quadrageſimæ anni 1075. celebrandam, ad quam vocauit in primis longiùs diſtantes Britannos Epiſcopos, & Abbates, Tullenſemque Epiſcopum de Simonia & cohabitatione cum muliere, quam haberet vt coniugem, diffamatum. Iſnubertus Pictauienſis Epiſcopus, qui per milites irruerat in Epiſcopos cauſam inceſtuoſi Comitis cognoſcentes, eorumque quoſdam verberibus, quoſdam contumeliis affecerat, ab officio ſuſpenſus, iuſſus eſt Romam venire: ſicut etiam Benno Oſnaburgenſis Epiſcopus & Abbas Corbeienſis inter ſe litigantes. Citauit etiam Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum, ob cauſam ſuprà enarratam. Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum cum omnibus ſuis Suffraganeis Epiſcopis eidem Synodo aſſiſtere præſentes mandauit. Ab Henrico Rege per literas petiit, vt Legatos ad Synodum mittat, illoſque non audiat, qui diſcordias inter ſe ſeminent. Cunibertũ Taurinenſem Epiſcopum, qui de inuaſo Monaſterio S. Angeli accuſabatur, iuſſit etiam aduenire: ſicut etiam Guillelmum Papienſem, ob cauſam diuortij inter Azonem & Mathildem. Hugonem militem, qui bona Tauronenſis Eccleſiæ inuaſerat, ad reddendam rationem citauit. Et ea quæ de Herimanni Bambergenſis Epiſcopi ſuſpenſione, & Dionyſij Placentini Epiſcopi depoſitione in Actis Synodalibus recenſentur, inueniuntur etiam apud Gregorium lib. 2. epiſt. 54. & 76. & lib. 3. epiſt. 5. In eadem Synodo compoſitas fuiſſe diſcordias inter Pragenſem & Morauienſem Epiſcopos, declarat Gregorij epiſt. 53. lib. 2. Conſtituta Synodalia per vniuerſum orbem promulgari mandauit, ſcriptiſque ad S. Annonem Colonienſem & Sigefridum Moguntinum Epiſcopos epiſtolis, voluit ab iiſdem congregatis in ſua Diœceſi Conciliis, ea præcipuè, quæ de continentia Clericorum & prauitate Simoniaca corrigenda decreta & conſtituta fuerant, promulgari. Baronius anno 1075. num. 10. & ſeqq.

CONC. MOGVNTINVM *in quo Romanæ Synodi decretum contra* CLERICOS CONCVBINARIOS *iuſſu* GREGORII *Papæ eſt promulgatum, anno Domini* 1075.

EX Gregorij Pontificis epiſtola quarta libri tertij ad Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum ſcripta conſtat, quòd Pontifex poſt abſolutam Romanam Synodum ea quæ de continentia Clericorum, ac de corrigenda Simoniaca prauitate Romæ conſtituta fuerant, per Diœceſim Moguntinã Epiſcopis ac Clericis omnibus inſinuari voluerit: Sigefridum autem Archiepiſcopum eidem præcepto paruiſſe, Synodum Moguntiæ congregaſſe, Conſtitutionem Apoſtolicam Epiſcopis ſuis Suffraganeis & Clericis omnibus intimaſſe, nihil verò profeciſſe, teſtatur Lambertus his verbis: *Synodum autem hoc eodem anno mẽſe Octobri Moguntiæ congregauit, vbi inter alios Epiſcopos qui conuenerant, aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis literas & mandata deferens, quibus ei ſub interminatione gradus & Ordinis ſui præcipiebat, ſicut anteà quoque multis Legationibus præceperat, vt Presbyteros omnes, qui intra ſuam Diœceſim eſſent, cogeret aut in præſentiarum coniugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri Altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui vndique aſſidebant Clerici, ita eum verbis confundebant, ita manibus & totius* M.LXXV.

corporis

corporis geſtu in eum debacchabantur, vt ſe è vita comite è Synodo diſceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus; ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omnino ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, vt cauſam, quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, quando & quomodo vellet, peroraret.

CONC. ANGLICANVM,

auctoritate LANFRANCI *Dorouernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, pro* REFORMANDIS ECCLESIASTICIS CONSTITVTIONIBVS & MORIBVS ECCLESIAE *celebratum, anno Domini* 1075. *tempore* GREGORII *Papæ.*

ANNO DOMINI M.LXXV. ANNO Incarnationis Dominicę milleſimo ſeptuageſimoquinto, regnante glorioſo Anglorum Rege Wilielmo, anno Regni eius nono, congregatum eſt Londoniæ in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli Concilium totius Anglicæ regionis, Epiſcoporum videlicet, Abbatum, necnon & multarum Religioſi Ordinis perſonarum, iubente atque eidem Concilio prȩſidente Lanfranco ſanctæ Dorobernenſis Eccleſiæ Archipræſule, totiuſque Britanniæ inſulæ Primate, conſidentibus ſecum viris venerabilibus, Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo, Willermo Londonienſi Epiſcopo, Goiffrido Cõſtantienſi, qui cùm tranſmarinus eſſet Epiſcopus, in Anglia multas poſſeſſiones habens, cum ceteris in Concilio reſidebat. Et quia multis retrò annis in Anglico Regno vſus Conciliorum obſoleuerat, renouata ſunt nonnulla, quæ antiquis etiam noſcuntur Canonibus definita.

Vt ſinguli ſecundùm Ordinationis ſuæ tempora ſedeant.

Vt Monachi ordinem debitum teneant; infantes præcipuè, & iuuenes in omnibus locis, deputatis ſibi idoneis magiſtris, cuſtodiam habeant: nocte luminaria ferant, generaliter omnes niſi à Prælatis conceſſa prioritate careant. Si quis verò aliquid proprij ſine præfata licentia habere in morte fuerit deprehenſus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore peccatum ſuum confeſſus, nec ſigna pro eo pulſetur, nec ſalutaris pro eius abſolutione Hoſtia immoletur, nec in cœmeterio ſepeliatur. Et alia plura ad reformationem pertinentia ſancita ſunt, vt in Binio.

CONCILIABVLVM WORMATIENSE,

quo ſchiſmatici Epiſcopi iuſſu HENRICI *Regis congregati* GREGORIVM *Pontificatu amouendum eſſe declararunt, anno Domini* 1076.

GREGORIVS Papa ad Henricum M.LXXVI. Regem ſcripſit epiſtolam, qua cum eo vehementer expoſtulat, tum quòd cum excommunicatis Epiſcopis communicet: tum etiam quòd inueſtituras Epiſcopatuum, aliorumq; beneficiorum illegitimè ſibi vſurpet, & Decreta Synodalia contẽnat. Quam cùm Numinis contemptor & cultor perfidiæ accepiſſet, Legatoſq; eamdem adferentes contra Ius gentium carcere, verberibus, & grauiſſimis iniuriis afflixiſſet, mox aduerſus Pontificem Epiſcoporum excommunicatorũ & ſchiſmaticorum Conuenticulum Wormatiæ collegit, in quo per ſummam contumeliam ea conſtituta, edita, & declarata fuerunt, quæ à Lamberto ſcribuntur: præcipuè verò cum eis tractatum habuit ad deponendum Pontificem Romanum, in hoc cardine totam verti ratus ſalutem ſuam, & Regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet Epiſcopus.

Huius auctoritatem illi tamquam diuinitus ſibi miſſam gratiſſimè amplexati, & promptiſſimè ſecuti, ſententiam promulgarunt, quòd Papa eſſe nõ poſſit; nec vllam, iuxta priuilegium Romanæ Sedis, ligandi aut ſoluendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus cõmaculauerit. Cumque ceteri omnes damnationi eius, nihil hȩſitantes

tantes ſubſcriberent, Adalbero Wirtzeburgenſis Epiſcopus, & Herimannus Metenſis Epiſcopus aliquamdiu reſtiterunt, dicentes, incongruum valdè & contra Canonum ſcita eſſe, vt Epiſcopus aliquis abſens, abſque Generali Concilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, necdum probatis criminibus quæ obiicerentur, cõdemnaretur, nedum Romanus Pontifex, aduerſus quem nec Epiſcopi nec Archiepiſcopi cuiuſquam recipienda ſit accuſatio. Sed Wilielmus Traiectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinaciùs tuebatur, vehementer imminebat, vt aut cum ceteris in damnationem Papæ ſubſcriberent, aut Regi, cui iureiurando fidem ſpopondiſſent, protinus renuntiarent. Igitur ex nomine omnium qui conuenerant Epiſcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denuntietur Summo Pontifici, vt Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges vſurpaſſet, ſe abdicet; ſciatque poſt eam diem quidquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi.

CONC. ROMANVM III.

quo HENRICVS *Rex Germaniæ*, SIGEFRIDVS *Moguntinus*, WILIELMVS *Traiectẽſis*, *&* ROBERTVS *Bambergẽſis Epiſcopi excommunicantur*, *anno* 1076. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXVI.

QVAE in hac Synodo acta fuerint, ſummatim apud Lambertum recẽſentur his verbis: *Legati, vt iuſſum fuerat, ſummo conatu iter accelerantes, pridie quàm à Papa Romæ Synodus indicta celebraretur* (erat ex more prima hebdomada Quadrageſimæ) *Romam ingreſſi literas tradunt. Tunc ceteram Legationem, ſicut in mandatis habebant, verbo non minùs contumelioſo, quàm ſcripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuntij, poſtera die, cùm Clerus & populus ad Synodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium literas recitari fecit, & ſic, cunctis qui conuenerant Epiſcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiſcopum Moguntinum Sigefridum, Epiſcopum Traiectenſem VVilielmum, Epiſcopum Bambergenſem Robertum. Ceteris, qui conſpirationis huius participes extiterant, diem ſtatuit, qua niſi Romam præſentati, cauſam dicerent nouæ huius & inuſitatæ cõtra Sedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem ceteris excommunicationis ſententiam ſortirentur.*

Die verò altera ab Epiſcopis Vltramontanis literæ ad Pontificem ſunt allatæ, in quibus confitebantur ſe erraſſe, & nimiùm deliquiſſe, qui poſtulabant quoq; veniam, & omnem de cetero ſibi obedientiam obſeruaturi firmiter ſpoponderunt. Vixque ſedato tumultu, Synodalis tractatus in trãquillitate proceſſit. Sed cùm tempus iam inſtaret abſoluendi Synodum, Pontifex habito cum centum & decem Epiſcopis vtiliori conſilio, in eumdem Regem, qui Eccleſiaſticam vnitatem ſcindere attentauit, excommunicationis ſententiam protulit, & vſque ad condignam ſatisfactionem, ſententiam ipſam firmiter obſeruari præcepit. Vide li. 3. ep. Greg. ep. 6. Baronium anno 1076. n. 16. & ſeqq.

CONCILIAB. PAPIENSE,

quo Epiſcopi ſchiſmatici Regi ſchiſmatico inhærentes, anathema ſibi à Pontifice inflictum, in eũdem Pontificem retorquere conati fuerũt, anno Domini 1076.

GVILIELMVS Bibliothecarius in Vita Gregorij Papæ ſcribit, quòd ſchiſmatici Epiſcopi dũ intellexiſſent, Regem, eique adhærentes, in Synodo Romana excommunicatos eſſe, Papiæ conuenerunt, idemque anathema in ſe prolatum, in Pontificem retorſerunt. Et quòd Principibus peritos conſulentibus, an Pontifex pro excommunicato ſit habendus; prudenter & ſcitè reſponſum fuerit, Romanum Pontificem à nemine iudicandum, atque adeò ab alio quoquam excommunicari non poſſe: eſſe autem excommunicatos, qui talia præſumpſiſſent. Baronius anno 1076. n. 36. M.LXXVI.

CON-

CONCIL. ROMANVM IV.

in quo GVIBERTVS *Rauennas*, THEODALDVS *Mediolanenſis, aliįque plures Epiſcopi excommunicantur, anno Domini* 1078. *tẽpore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXVIII ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octauo, Pontificatus verò Domini Gregorij Papæ VII. anno quinto, celebrauit ipſe Dominus Gregorius Papa Synodum, vbi interfuere Archiepiſcopi, & Epiſcopi diuerſarum vrbium ferè numero centum, necnon & Abbatum, ac diuerſorum Ordinum Clericorum & laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apoſtolica conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmauit. Inter cetera namque, in fine Synodalis abſolutionis hoc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandauit, ita dicendo: Tedaldum dictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Rauennatem Guibertum inaudita hæreſi & ſuperbia aduerſus hanc ſanctam Catholicam Eccleſiam ſe extollentes, ab Epiſcopali omnino ſuſpendimus & Sacerdotali officio, & olim iam factum anathema ſuper ipſos innouamus. Arnulphum Cremonenſem publicè coram noſtra præſentia conuictum, & confitentem ſe Simoniacum, ab omni Epiſcopali officio abſque ſpe recuperationis deponimus, & vſque ad dignam ſatisfactionẽ anathemate percutimus. Rolandum verò Taruiſienſem, qui pro adipiſcendo Epiſcopatus honore ſubdolus factus Legatus, inter Regnum & Sacerdotium ſchiſma facere non abhorruit, vt amodò & vſque in ſæculum Epiſcopali careat dignitate, Apoſtolica cenſura cenſemus, & vt nullus ſucceſſorum noſtrorum ſuæ conſecrationi aliquo modo conſentiat, modis omnibus prohibemus, & perpetuo anathemate alligamus, niſi reſipuerit, & dignè Deo ſatisfecerit. Vgonem Cardinalem tituli S. Clementis, tertiò ab Apoſtolica Sede damnatum eò quòd aſpirator & ſocius factus hæreſis Cadaloi Parmenſis Epiſcopi: & iterùm conſtitutus Legatus Apoſtolicæ Sedis, hæreticis & Simoniacis, & ab Apoſtolica Sede damnatis ſe coniunxit: & tertiò factus apoſtata & hæreſiarcha, ſchiſma & diuiſiones atque ſciſſuras in Eccleſia Dei tentans, eam ſcindere fecit; ab omni Sacerdotali officio priuamus, & tam ab ingreſſu & honore prædictæ Eccleſiæ, quàm omnium Eccleſiarum ſub perpetua & irreuocabili ſententia ſubmouemus, & vſque ad ſatisfactionem anathemate percutimus. Renouamus etiam excommunicationẽ à prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque vlla recuperationis ſpe ab Epiſcopali officio eum ſubmouemus.

CONCIL. ROMANVM V.

pro RESTAVRATIONE S. ECCLESIAE *celebratum, anno Domini* 1078. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octauo, Pontificatus verò Domini Gregorij Septimi Papæ ſexto, 12. Kalendas Decembris, Indictione 2. celebrata eſt Synodus Romæ in Eccleſia S. Saluatoris pro reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ. In qua inter alia excommunicatus eſt Conſtantinopolitanus Imperator, aliiq; ue, qui ſubſcripti habẽtur. Iurauerunt quoque Legati Henrici & Rodulphi, quiſque pro domino ſuo, quòd nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Teutonico Regno habendum impediant. Conſtituta etiam ſunt illic ad vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ quędam Capitula, quæ in ſequentibus denotantur. M.LXXVIII

De Teutonicis contradicendis, ne prædia Eccleſiaſtica à Regibus data, ſiue ab inuitis Epiſcopis, detineant.

Vt iterùm excommunicentur illi, quorum culpa colloquium remanſit.

Digitized by Google

Narbonenſis Archiepiſcopus iterùm excommunicetur.

Et alij, qui ab Amato Epiſcopo ſunt excommunicati.

Comes ſancti Ægidij excommunicetur propter vxorem.

Et idem Monaſterium, ſi fuerit in poteſtate Comitis.

Monaſteriū ſancti Benedicti Montis Caſſini defendatur ab omnibus Normannis.

Vt contradicatur ne aliquis accipiat inueſtituram Eccleſiarum de manibus laicorum.

Et ne Præbendæ vel Officia Eccleſiaſtica vendantur.

De conſanguinitate.

De Simoniacis.

De caſtitate Clericorum.

De falſis Ordinationibus.

De falſis pœnitentiis.

Qualiter vera pœnitentia detur.

De decimis à laicis iniuſtè detentis.

De Patriarcha Aquileienſi.

De Patriarcha Gradenſi.

De Imperatore Cōſtantinopolitano.

De feſtiuitatibus Pontificum Romanorum celebrandis.

De abſtinentia Sabbati.

De Iudæis non præponendis Chriſtianis.

De ſancti Petri hereditate occultata.

Vt nullus pœnitens ſuſcipiatur ſine literis Epiſcopi ſui, niſi fortè Epiſcopus mortuus, excommunicatus.

Vt nullus Abbas decimas & primitias, ſine auctoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu, in cuius Diœceſi habitat, detineat.

Vt nullus Epiſcopus grauamen ſeu ſeruile ſeruitium ex vſu Abbatibus imponat.

Vt Sacerdotes ſine licentia ſui Epiſcopi, & Monachi de notis Monaſteriis ſine licentia ſuorum Abbatum non recipiantur.

Et Epiſcopi qui cōſenſerint fornicationem vel inceſtum in ſuis Parochiis, à ſuo officio ſuſpendantur.

Vt omnes Epiſcopi firmamentum faciant, ne prædia Eccleſiaſtica vendāt.

Vt nulli Epiſcopi prædia Eccleſiæ in beneficium tribuant ſine conſenſu Papæ, ſi de ſua ſunt conſecratione. Ceteri autem ſine conſenſu Archiepiſcopi ſui, & fratrum ſuorum hoc idem non præſumant: ſi autem præſumpſerint, ab officio ſuo ſuſpendantur; & quod venditum eſt vel datum beneficium, Eccleſię reddatur, omnino euacuata omni venditione, vel in beneficium traditione.

Vt omnes Epiſcopi artes literarum in ſuis Eccleſiis doceri faciant, & ornamenta Eccleſiæ ſine certa vtilitate, aut graui neceſſitate, nullo modo, nulloque ingenio Eccleſiis ſubtrahant, ne periculum ſacrilegij (quod abſit) incurrant.

Vt annuntietur laicis, cum quanto periculo animæ ſuæ decimas detinent, & Eccleſias poſſident.

Vt qui certam partem in ſolemni Miſſa volunt habere, aliquid procurent offerre.

DECRETA *in eadem* SYNODO *facta.*

QVICVMQVE militum, vel cuiuſcumque Ordinis, vel Profeſſionis perſona prædia Eccleſiaſtica à quocumque Rege ſeu ſæculari Principe, vel ab Epiſcopis inuitis, ſeu Abbatibus, aut ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſceperit, vel ſuſcepit vel inuaſit, vel (etiam de Rectorum, de priuato ſeu vitioſo eorum conſenſu tenuerit) niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubiaceat.

Si quis Normannorum, vel quorumlibet hominum prædia Monaſterij S. Benedicti Montis Caſſini inuaſerit, vel quaſcumque res eiuſdem Monaſterij iniuſtè abſtulerit, & bis vel ter admonitus non emendauerit, excommunicationi ſubiaceat donec reſipiſcat, & Eccleſiæ ſatisfaciat.

Quoniam inueſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta ſanctorū Patrum à laicis perſonis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in

Digitized by Google

in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana Religio conculcatur; decernimus, vt nullus Clericorum inueſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ perſonæ, viri vel feminæ, ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat inueſtituram illam Apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe vſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubiacere.

Si quis Præbendas, Archidiaconatus, Præpoſituras, vel aliqua officia Eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter quàm Statuta ſanctorum Patrum præcipiunt, ordinauerit, ab officio ſuſpendatur. Dignum eſt enim, vt ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra eiuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.

Ordinationes quæ interueniente pretio vel precibus, vel obſequio alicuius perſonæ ea intentione impenſo, vel quę non communi conſenſu Cleri & populi ſecundũ Canonicas ſanctiones fiunt, ab his, ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas eſſe diiudicamus: quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium, id eſt, per
Ioan. 10. Chriſtum intrant, ſed, vt ipſa Veritas teſtatur, fures ſunt & latrones.

Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem ſanctorũ Patrum pro qualitate criminum impouuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat peruenire, niſi arma deponat, vlteriuſque non ferat niſi conſilio Religioſorum Epiſcoporum pro defendenda iuſtitia, vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ iniuſtè abſtulit, reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur vt faciat, vt omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.

Decimas quas in vſum pietatis conceſſas eſſe Canonica auctoritas demonſtrat, à laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus, ſiue enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.

Quia dies Sabbati apud ſanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorumdem auctoritatem ſequentes, ſalubriter admonemus, vt quicumque ſe Chriſtianæ Religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium eadem die, niſi maiori feſtiuitate interueniente, vel infirmitate impediente, abſtineat.

Vt nullus Abbas decimas & primitias, & reliqua, quæ ſecundùm Statuta Canonum ad Epiſcopos pertinent, ſine auctoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu, in cuius Diœceſi habitat, detineat, Apoſtolica ſanctione firmamus.

Nullus Epiſcopus grauamen, ſeu ſeruile ſeruitium ex vſu contra Eccleſiaſticam normam Abbatibus ſeu Clericis ſuis imponat. Interdictum Sacerdotale officium, pretio interueniente, reſtituat: quod ſi fecerit, officij ſui periculum ſubeat.

Si quis prædia B. Petri Apoſtolorum Principis, vbicumq; poſita in proprietatem ſuam vſurpauerit, vel ſciens occultata non propalauerit, vel debitum ſeruitium exinde beato Petro non exhibuerit: recognoſcat ſe iram Dei & ſanctorum Apoſtolorum velut ſacrilegum incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehenſus fuerit, eamdem hereditatem B. Petri legitimè reſtituat, & pœnam quadrupli de propriis bonis perſoluat.

Si quis Epiſcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, ſeu Subdiacono-

Digitized by Google

conorum vel crimen inceſtus in ſua Parochia, precibus vel pretio interueniente, conſenſerit, vel commiſſum ſibique compertum auctoritate ſui officij non impugnauerit, ab officio ſuſpendatur.

Vt omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Etenim in collectis ſanctorum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex vſu ſanctorum Patrum debent.

Exod. 23.

CONC. ROMANVM VI.

in quo BERENGARIVS *ſæpè ad pœnitentiam vocatus, ſæpiuſque relapſus, hæreſim ſuam iterùm abiurauit, fidemque Catholicam profeſſus fuit, anno Domini* 1079.

ANNO DOMINI M.LXXIX.

ACTA Concilij extant apud Gregorium lib. 6. poſt ep. 17. Incipiunt ſic:

Anno ab Incarnatione ſempiterni Principis milleſimo ſeptuageſimo nono, menſe Februarij, Indictione ſecunda, Pontificatus verò Domini Gregorij vniuerſalis Pontificis Septimi anno ſexto. Ad honorem Dei, & ædificationem ſanctæ Eccleſiæ, ſalutem quoque tam corporum quàm animarum, ex præcepto Sedis Apoſtolicæ conuenerunt finitimi & diuerſarum regionũ & Prouinciarũ Archiepiſcopi, Epiſcopi, Religioſęq; perſonę, vt ſanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur in Eccleſia Saluatoris congregatis, habitus eſt ſermo de Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, multis hæc, nonnullis illa priùs ſentientibus. Maxima ſiquidem pars panem & vinũ per ſacræ orationis verba, & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu ſancto inuiſibiliter operante conuerti ſubſtantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natũ, quod & in cruce pependit, & Sanguinem qui de eius latere militis effuſus eſt lancea, aſſerebat, atque auctoritatibus Orthodoxorum ſanctorum Patrum tam Gręcorum quàm Latinorum modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimia & longa perculſi, figuram tantum ſubſtantiale illud corpus in dextra Patris ſedens eſſe, ſeque & alios decipientes quibuſdam cauillationibus conabantur aſtruere. Verùm vbi cœpit res agi, priùs etiam quàm tertia die ventum fuerit in Synodo, defecit contra veritatem niti pars altera: nempe ſancti Spiritus ignis emolumenta palearum conſumens, & fulgore ſuo falſam lucem diuerberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius huius erroris magiſter, poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio frequenti confeſſus, veniamque poſtulans & orans, ex Apoſtolica clementia meruit.

Fidei confeſſionem Berengarij, iuramento confirmatam, vide apud Baronium anno 1079. num. 3.

ANNOTATIO.

CVM in hac Synodo Berengarij hæreſis damnata fuerit, quis non videt calumniam eſſe mendaciſſimam, qua Gregorius in Conciliabulo Mogútino propterea damnatus fuiſſe aſſeritur, quòd antiquus diſcipulus Berengarij extiterit? Inter alias Gregorij epiſtolas extat vnica primo anno ſui Pontificatus ad Matildem ſcripta, qua euidenter profitetur, ſub ſpeciebus panis & vini verè ipſum Corpus & Sanguinem Domini contineri: quæ vnica epiſtola, ſi nullum aliud monumentum extiterit, ſufficiens eſſet ad integerrimam fidem Gregorij Papę demonſtrandam, & ad ſchiſmaticorum calumniantium os impudens obſtruendum.

In hoc Concilio S. Brunonem, qui paulò pôſt Signiæ Epiſcopus creatus eſt, aduerſus Berengarium diſputaſſe, Acta Vitæ illius atteſtantur. Petrus Igneus Albanenſis Epiſcopus miſſus eſt Legatus in Germaniam, eſtque illi adiunctus Vdalricus Patauinus Epiſcopus, vt tradit Bertholdus in Chronico hoc anno. Præter hæc alia quædam in iſta Synodo agitata fuiſſe, indicant epiſtolæ 18. & 19. lib. 6. quas ex hac Synodo ad Parmenſem & Bambergenſem Eccleſiam ſcripſit.

Digitized by Google

CONC. BRITANNICVM *ad falſam pœnitentiam proſcribendam celebratum anno Domini 1079. tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXIX. FREQVENS erat in Britannia hoc tempore, quòd abſq; aliqua emendatione peccantes, in iiſdem peccatis perſeuerantes abſoluerentur. Hoc malũ Eccleſię Gregorius Papa ſublatum volẽs, Legationem decreuit in Britanniam Minoré, ibiq; mãdauit celebrari Conciliũ, quo pœnitentia illa, qua populus ſeductus erat, planè proſcriberetur. Gregorius l.7.ep.10.

CONC. ROMANVM VII. *quo Regnum Germaniæ* HENRICO *abrogatum, collatum fuit* RODVLPHO, *ea conſtitutione addita, ne deinceps inueſtituræ Beneficiorum à laicis conferantur, vel accipiantur, anno Domini* 1080. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

M.LXXX. ANNO ab Incarnatione Domini 1080. Pontificatus verò Domini Gregorij VII. Papæ, anno 7. Indict. 3. celebrauit ipſe Dominus Papa Synodum Romæ, & inter alia, in fine Synodalis abſolutionis, hęc annexuit: Sequẽtes ſtatuta Sanctorum Patrum, ſicut in prioribus Conciliis, quæ Deo miſerante celebrauimus, de ordinatione Eccleſiaſticarum dignitatum ſtatuimus, ita & nunc Apoſtolica auctoritate decernimus ac confirmamus, vt ſiquis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei, vt Epiſcopo, ſeu Abbati, audientia concedatur. Inſuper etiam ei gratiam S. Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item, ſi quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum, aut perſonarum inueſtituram Epiſcopatuum, vel alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis dare preſumpſerit, eiuſdem ſententiæ ſe vinculo obſtrictum eſſe ſciat. Et infrà:

EXCOMMVNICATIO *Regis* HENRICI *ſummatim.*

QVAPROPTER confidens de iudicio & miſericordia Dei, eiuſque piiſſimæ matris ſemper Virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate (loquitur ad B. Petrum & B. Paulum) ſæpè nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſque fautores eius excommunicationi eius ſubiicio, anathematis vinculo alligo: & iterùm Regnum Teutonicorum & Italiæ, ex parte omnipotentis Dei & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem illi Regiam tollo, & vt nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat, interdico, omneſque qui ei iurauerunt, vel iurabunt de regni dominatione, à iuramenti promiſſione abſoluo. Vt autem Rodulphus Regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra dono, largior, & concedo, &c.

ANNOTATIO.

Coronæ, quam ex hoc Concilio Gregorius Papa ad Rodulphum miſit, iſte verſus inſcriptus fuit:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

In hac Synodo ventilatam quoque eſſe antiquam illam controuerſiam inter Turonenſem & Dolonenſem Britanniæ Eccleſiam, eiuſdem Gregorij literæ ad Epiſcopos Britanniæ datæ ſignificant. Baronius anno 1080. n. 16.

CONCILIAB. BRIXIENSE, *quo* XXX. *ſchiſmatici Epiſcopi* GREGORIVM *Papam Sede depoſuerunt, &* GVIBERTVM *Rauennatem Archiepiſcopum eidem in ſchiſmate ſubrogarunt, anno Domini* 1080.

HAEC Synodus Moguntiæ inchoata fuit. Sed cùm ibi nouẽdecim dumtaxat Epiſcopi ſchi- M.LXXX.

 ſmati-

Digitized by Google

ſmatici ad ſcelus patrandum conueniſſent, paucitatem eorum pertæſi, ad locum ſchiſmaticis omnibus ex Germania & Italia congregandis aptiſſimum, Brixiam tranſtulerunt. In qua factus eſt omnium conſenſus aduerſus Hildebrandum Papam, cognominatū Gregorium VII. quem Pſeudomonachum, totiuſque væſaniæ peſtiferum principem, & præcipuè ſanctæ Romanæ Sedis inuaſorem affirmantes, ab Apoſtolica Sede depellendum, quamuis abſentem diiudicabant, & Wigbertum Rauennenſem Archiepiſcopum ipſi ſubrogandum eligebant. Summa Decreti eſt: *Contra eumdem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentē, Catholicam & Apoſtolicam fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæſtionē ponentem, hæretici Berengarij antiquum diſcipulum, diuinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, pythonico ſpiritu laborantē, & idcircò à vera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum, & expellendum; & niſi ab ipſa Sede deſcenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum.* Facta ſunt autem hæc ſeptimo Kalendas Iulij, Fer. 5. Indictione 3.

CONC. LVGDVNENSE,

quod ſub Præſidio HVGONIS *Dienſis Epiſcopi, & Sedis Apoſtolicæ Legati, in cauſa* MANASSIS *Archiepiſcopi Rhemenſis celebratū eſt, anno Domini* 1080. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXX. MANASSES Rhemenſis Archiepiſcopus, qui ſedem Rhemēſem inuaſerat, ad cauſam dicendam ſæpè Romam vocatus, nullatenus obtemperare voluit; & non obſtante inhibitione Pontificis, eamdem violenter detinere præſumpſit. Qua de cauſa Hugo Dienſis Epiſcopus in Gallias ablegatus, hanc Synodum congregauit, atque in ea inuaſorem Antiſtitem condemnauit, & throno Epiſcopali depoſuit. Hæc ex Gregor. epiſt. 17. l. 8. qua vniuerſum Clerum & populum Rhemenſem admonet, vt eidem inuaſori conſtanter reſiſtant.

CONC. AVENIONENSE,

quo S. HVGO *Gratianopolitanus Epiſcopus creatus eſt, anno Domini* 1080. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

HAC Synodo S. Hugonem ex Lugdunenſi Epiſcopo creatum eſſe Antiſtitem Gratianopolitanum, atque ſexto anno ſuæ Ordinationis cum ſociis quibuſdam Carthuſiam tunc recèns inchoatam petiiſſe, teſtantur Acta eiuſdem ſancti Hugonis apud Surium 1. Aprilis. M.LXXX.

CONCIL. MELDENSE,

quo S. ARNVLPHVS *creatus eſt Epiſcopus Sueſſionis, anno Domini* 1080. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

AVCTORITATE eiuſdem S. Hugonis Sedis Apoſtolicæ Legati, teſte Sigeberto, habita eſt in Galliis iſta Synodus Meldenſis, in qua Vrſione Sueſſionenſi Epiſcopo amoto, ſurrogatus eſt Arnulphus vir ſanctiſſimus ex Monaſterio S. Medardi vocatus. Electionem eius diuinitus factam eſſe, teſtatur Liſiardus in Vita Arnulphi apud Surium Tom. 4. die 15. Auguſti. M.LXX.

CONC. ROMANVM VIII.

in cauſa HENRICI *Regis & Epiſcoporum quorumdam celebratum anno* 1081. *tempore* GREGORII VII.

ANNO ab Incarnatione Domini 1081. Pontificatus verò Gregorij VII. anno octauo nondum exacto, præſidente eodem Apoſtolico, celebrata eſt Synodus Romæ in Baſilica eiuſdem Saluatoris, in qua inter cetera ſententiam depoſitionis Archiepiſcoporum Arelatenſis & Narbonenſis, atque excommunicationis per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgatam Dominus Papa, his qui aderant collaudantibus, firmauit. M.LXXXI.

Henri-

Digitized by Google

Henricum quondam dictum Regem, & omnes fautores eius, qui in prę terita excommunicatione animum indurauerant, iterùm excommunicauit.

Anathematizauit item Ildimundum & Landum Campaninos Tyrannos, omneſque adiutores eorum.

Prætereà ſuſpendit officio quoſdam Epiſcopos, qui ad Concilium inuitati, neque ipſi, neque Nuntij eorum pro ipſis venerunt.

CONC. ROMANVM IX.

anno Domini 1083. *celebratum tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ANNO DOMINI M.LXXXIII

ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo octuageſimo quarto, Pontificatus verò Domini Gregorij Papæ Septimi anno vndecimo, 12. Kalendas Decembris, præſidente eodem Apoſtolico, celebrata eſt tribus diebus in Lateranẽſi Baſilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retrouertere compulit, qui Oſtienſem Epiſcopum de Apoſtolica Legatione redeuntem, contra fas & iuramenti fidem capi iuſſit ſiue permiſit. Tres autẽ Synodos Quadrageſimales eiuſdem H... perſecutio impediuit. Qui ſemel B. Paulum, bis B. Petrum aggreſſus, demum poſt multum fuſi ſanguinis, non tam ſuorum fortitudine, quàm negligentia ciuium porticu muros ſurripuit. Romanum ſiquidem vulgus, pars videlicet copioſior ciuitatis, biennij bello fatigatum, acri inedia laborabat: cùm nec ipſis ad vicina oppida vel caſtra exire liceret, nec illi iurati H... Vrbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti Vrbem reliquerant. Proinde ceteri bello remiſſiùs attenti, rem ex animo minùs gerebant, & à cuſtodiis, prout cuique licebat, ſine timore negligentiùs aberant. Hæc ſuper Henrici tyrannide, quia ſe occaſio præbuit, præſtrinxiſſe ſufficiat.

Ceterùm Dominus Apoſtolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Chriſtianæ Religionis conuerſatione, ſed & de robore animique conſtantia ad præſentem preſſuram neceſſaria, ore non humano, ſed Angelico patenter diſſerens, die tertia totum ferè Conuentum in gemitus & lacrymas compulit, ſicque Concilium Apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimiſit.

CONC. ROMANVM X.

quo GVIBERTVS *Antipapa & hæreſiarcha, atque* HENRICVS *Pſeudo-Imperator cum omnibus ſuis fautoribus excommunicantur, anno Domini* 1084. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

DE hoc Concilio iſta Bertholdus: *Dominus autem Papa collecta Synodo, iterùm ſententiam anathematis in Guibertum hæreſiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgauit, quod in Feſto S. Ioannis Baptiſtæ præterito iam dudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc ſententiam Legati Sedis Apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis Epiſcopus in Francia, Otto Oſtienſis Epiſcopus in terra Teutonicorum vſquequaq; diuulgarunt.* Hęc Bertholdus. M.LXXXIV

CONCILIVM QVINTILINEBVRGENSE

contra HENRICIANAM *&* WECILIANAM *hæreſim celebratum anno Domini* 1085. *tempore* GREGORII *Papæ* VII.

ACTA extant apud Bertholdum his verbis: M.LXXXV.

Hermãnus Rex in Quintilineburg Paſcha celebrauit, vbi & Legatus Domini Apoſtolici in ipſa Paſchali hebdomada Generalẽ Synodum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, ſancti Petri fidelibus ſolemniter celebrauit. Interfuit autem huic Synodo Gebehardus Reuerendiſſimus Iuuaniẽſis Archiepiſcopus. Item venerabilis Hartungus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis.

ſuis. Item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia: nam Wirceburgenſis & Wormatienſis, Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemannia, quique ipſi Canonica neceſſitate impediti, venire non potuerunt, per Legationem ſuam ſe ſancto Concilio repræſentauerunt, ſeque per omnia eiuſdem Synodi ſtatutis aſſenſuros mandauerunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit. Cùm ergo omnes iuxta ordinem ſuũ conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta ſanctorum Patrum de Primatu Sedis Apoſtolicæ: quòd nulli vmquam liceat eius iudicium retractare, & de eius iudicio iudicare. Quod de totius Synodi publica profeſſione laudatum & confirmatum eſt. Et hoc vtiq; contra Henricianos, qui fideles ſancti Petri cõſtringere voluerunt, vt excõmunicationem Domini Papæ Gregorij ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent.

Quidam autem Bambergenſis Clericus nomine Gunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens, Romanos Pontifices hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non aliũ de conceſſum hereditaſſe, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico conuictus
Matth.10. eſt per illud Euangelicum: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Cùm enim hoc generaliter in omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus obſeruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur: quis hoc Vicario ſancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro domino & magiſtro venerantur.

In eadem Synodo Ordinatio Wecilonis Moguntini inuaſoris, & Sigefridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis: imò omnes Ordinationes & Conſecrationes excommunicatorum penitùs irritæ iudicatæ ſunt iuxta Decreta ſanctorum Patrum Innocentij, Leonis Primi, Pelagij, atque eius ſucceſſoris Gregorij Primi.

Item ſecta prædicti Wecilonis Moguntini inuaſoris, eiuſque ſociorum, ſub anathemate damnata eſt, quæ aſſerit: Sæculares ſuis rebus expoliatos, Eccleſiaſtico non ſubiacere iudicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus, quæque excommunicatos abſque reconciliatione recipi poſſe contendit.

Statutum eſt autem ibi, Vt quicumque Epiſcopo ſuo, nec officio, nec communione priuato excõmunicatus eſſet, etſi iniuſtè, nullatenus tamen reciperetur ad communionem; niſi abſolutus Eccleſiaſtico more.

Similiter, & pro ſacrilegio excommunicatos decreuit ſancta Synodus non recipiendos, abſque ſolita reconciliatione, & niſi dudum, quæ ſacrilegè ſibi vendicauerant, reddidiſſent.

In eadem Synodo Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, perpetua iuxta Decreta ſanctorum Patrum indicta eſt continentia.

Item ſtatutum eſt, Ne laici pallas Altaris, & ſacra vaſa contingant.

Item, Ne laici decimas ſibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, niſi conceſſione legitimorum poſſeſſorum.

Item, Vt vernum Ieiunium in prima hebdomada Quadrageſimæ, æſtiuum in Pentecoſte ſemper celebretur.

Item, Ne quis caſeum & oua comedat in Quadrageſima.

Item, Synodali iudicio confirmata & laudata eſt Ordinatio Domini Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi: imò omnia, quæ præfatus Sedis Apoſtolicæ Legatus, cùm eſſet Conſtantiæ, ordinauit.

Item ibi mota eſt quæſtio de conſanguinitate Regis & vxoris ſuæ. Vnde & Rex in media Synodo ſurrexit, ſeque de hac re iudicium ſanctæ Synodi per omnia obſeruaturum profeſſus eſt: ſancta autem Synodus hanc cauſam in præſenti Canonicè examinari non poſſe iudi-

Digitized by Google

iudicauit, eò quòd legitimi accuſatores non eſſent.

In fine autem Synodi, ſententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum hæreſiarcham Sedis Apoſtolicæ peruaſorem, & in apoſtatas ſancti Petri, Hugonem Album cognominatum, Ioannem Portuenſẽ Ex-Epiſcopos, Petrum Ex-Cancellarium. Erant hi Pſeudocardinales Guiberti Antipapæ ſectatores, & acerrimi defenſores.

Item in Liematum Bremenſem, Vtonem Hildinesheimenſem, Ottonem Conſtantienſem, Burchardum Baſilienſem, Huzmannum Spirenſem, Epiſcopos.

Item in Wecilonem Moguntinum inuaſorem, Sigefridum Auguſtenſem, Norbertũ Curienſem. In hos, inquam, & in omnes eorum complices ineuitabilis ſententia anathematis promulgata eſt.

CONCILIABVLVM MOGVNTINVM,

quo GREGORIO *depoſito*, GVIBERTVM *iuſtè ſubrogatum fuiſſe declaratur, anno Domini 1085.*

ANNO DOMINI M. LXXXV. De hoc Conciliabulo Sigebertus in Chronico iſta habet: *Henricus Imperator Moguntiæ Regali & Synodali Conuentu coacto, exegit ab omnibus, vt Hildebrandi depoſitionem, & Guiberti Ordinationem ſubſcripto approbent. Cui aliqui manu & ore fauentes, corde tamen Hildebrando adhærebant.* Interfuiſſe huic Synodo Legatos tãquam Apoſtolicæ Sedis titulo miſſos à Guiberto Antipapa, eidemque Wecilonem Moguntinum intruſum præfuiſſe, auctor eſt Dodechinus. Bertholdus poſt Synodũ Quintilineburgenſem de hoc Conciliabulo iſta ſcribit: *Sed hi omnes aduerſarij Eccleſiæ Dei, excommunicati ſcilicet in Synodo Orthodoxorum, in tertia hebdomada poſt finitam Synodum ſuam Moguntiæ collegerunt non Synodum, ſed Conciliabulum, in quo vmbratilem ſententiam excommunicationis contra fideles ſancti Petri deprompſerunt, vtpote nequaquam illos excommunicare valentes, ſed apertiſſimè ſeipſos à communione Catholicorum ſequeſtrantes, vt non tantùm iudicio ſanctæ Eccleſiæ, ſed & proprio eorum iudicio, ſicut omnes hæretici à Catholicis eſſent ſeparati. Sedes quoque Catholicorum Epiſcoporum viuentium, temeraria cupiditate cæcati, ſibi vendicare non timuerunt.*

In eadem Synodo Hermannum Metenſem, alioſque Catholicæ communionis Epiſcopos, & acerrimos Gregorij Papæ defenſores, ſurrogatis aliis in locum eorum, ſedibus ſuis deiectos eſſe, teſtatur Abbas Vrſpergenſis.

CONCIL. CAPVANVM,

quo VICTOR *reſumptis inſignibus Pontificalibus, quæ præter voluntatem electus reſignauerat, conſecratus fuit, anno Domini 1086.*

De rebus in hac Synodo geſtis M.LXXXVI. Leo Oſtienſis rerum inſpector, his verbis enarrat: *Sequenti anno 1087. apud Capuam Epiſcoporum congregato Concilio, cùm ipſe * electus* * Vide ſ. *vnà cum Epiſcopis Cardinalibuſque Concilio præſideret, Cincius etiam Romanus Conſul cum nobilibus pleriſque Romanis, Iordaniſque Princeps Capuæ, & Rogerius Dux cum omnibus ferè ſuis Optimatibus adeſſet: finito Concilio, rurſus ex inſperato illum Clerici & laici precibus multis lacrymiſque fatigant. Sicque biduo immobilis perſtitit. Tandem Duce, ac Principe, Epiſcopiſque & fidelibus ceteris ad eius veſtigia flentibus, victus precibus ac rationibus ceſſit: electionemque præteritam, Crucem, ac purpuram reſumendo, firmauit 12. Kalendas Aprilis, Dominica in ramis Palmarum. Inde Caſſinum reuerſus, ibi Paſcha celebrauit.*

Solemnitate peracta, cum Capuano ac Salernitano Principe Romam perrexit, ac iuxta Oſtienſem vrbem Tiberim cum omnibus tranſiens, graui languore comprehenſus, extra porticum S. Petri tentoria fixit. Et quia Rauennas hæreſiarcha, qui viuente Gregorio

Digitized by Google

rio Papatum inuaſerat, ſancti Petri Eccleſiam armis tenebat, inſtantibus militibus Principis, eadem die recuperata Eccleſia eſt. Dominica verò Aſcenſionem ſubſequente, Romanis ferè omnibus trãs Tiberim magna cum frequentiæ celeritate occurrentibus, electus ipſe, ab Epiſcopis Oſtienſi, Tuſculano, Portuenſi, & Albanenſi, Cardinalibuſque & Epiſcopis, & Abbatibus aſſiſtentibus plurimis, Eccleſiaſtico more ſacratus, & in Apoſtolica Sede locatus eſt ſeptimo Idus Maij.

CONC. BENEVENTANVM,

quo GVIBERTVS *Antipapa cum ſuis ſibi adhærentibus Epiſcopis ſchiſmaticis excommunicatur anno Domini* 1086. *tempore* VICTORIS *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.LXXXVI. RES in Synodo geſtas refert Leo Oſtienſis lib.3.cap.71.ſed ſummatim hæc ſunt:

Victor III. egreſſus vrbem, Synodũ celebrare ſtatuens, Beneuentum perrexit. In qua præſidens, ait: Nouit veſtra dilectio, &c. Guibertus enim hæreſiarcha, qui viuente ſanctæ memoriæ prædeceſſore meo Gregorio Papa Romanam inuaſit Eccleſiam, &c. Idcircò auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, omni illum Sacerdotali officio & honore priuamus, & à liminibus Eccleſiæ ſeparantes, anathematis vinculo innodamus. Et alia plura pro moribus Eccleſiaſticis reſtituendis, prout in Binio.

Poſteà infirmatur grauiter: poſt triduum, peractis omnibus, feſtinus ad Monaſterium rediit, vbi conuocatis ad ſe Epiſcopis & Cardinalibus, monuit ac iuſſit, vt iuxta Gregorij Papæ ſtatutum, Ottonem Oſtienſem Epiſcopum quàm primùm eligerent, Pontificemq; conſtituerent: quem, quia pręſens erat, manu apprehenſum, ceteris Epiſcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana Sede locate, meamque vicem in omnibus, quouſque id facere poſſitis, habetote.

CONCILIVM ROMANVM I.

centum & quindecim Epiſcoporum, quo res GREGORII VII, *&* VICTORIS III. *contra* GVIBERTVM *Antipapam, &* HENRICVM *Pſeudoimperatorem, alioſque ſchiſmaticos geſtæ confirmantur, anno* 1089. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

DE rebus in hac Synodo geſtis, M.LXXXIX. Bertholdus huius temporis Scriptor probatiſſimus iſta refert: *Hoc eodem anno* (nimirum milleſimo octogeſimo nono) *Dominus Papa Vrbanus generalem Synodum centũ quindecim Epiſcoporum collegit, & Eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum Apoſtolica auctoritate confirmauit. Guibertus autem hæreſiarches à Romanis turpiter expellitur, & ne ampliùs Apoſtolicam Sedem inuadere præſumat, iuramento promittere compellitur. Sed iam aliquantulùm diuturna Regni diſcordia inter Catholicos & ſchiſmaticos tepeſcere cœpit; vt non iam bellum adinuicem, ſed pacem componere ſanius indicarent. Quapropter Duces & Comites fideles S. Petri cum Henrico collquium habuerunt, eiq; ſuum conſilium & auxilium ad obtinendum Regnum firmiſſimè promiſerunt, ſi Guibertum hæreſiarcham vellet dimittere, & ad Eccleſiaſticam communionem per Catholicum paſtorem remeare. Quã quidem conditionem nec ipſe multùm reſpuit, ſi tamen in hoc ei Principes ſui aſſentiri vellent, videlicet Epiſcopi qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe non dubitauerunt, eò quòd in eius parte ordinationem, imò execrationem perceperunt.*

Hi ergo penitùs hac vice diſſuaſerunt, ne ſanctæ Eccleſiæ reconciliaretur. Dominus Papa Conſtantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per Legatos ſuos abſoluit. Item literas Philippi Regis Francorum debitam ei ſubiectionem promittentis, ſuſcepit.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. TROIANVM I.

Epiſcoporũ ferè ſeptuaginta quinq; in Apulia, de CONIVGIIS CONSANGVINEORVM DISSOLVENDIS, *celebratum anno 1089. tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI MLXXXIX. HVIVS Concilij meminit Petrus Diaconus in Chronico Caſſinate libro 1. cap. 8. Apud Iuonem Carnotenſem eiuſdem Concilij fragmentum eiuſmodi reperitur: *Conuenit Troiæ in Apulia Concilium Epiſcoporum ferè ſeptuaginta quinque, Abbatum duodecim, in quo actum eſt de conſanguinitatis lineâ coniugatis; cùm nemo tamen dictum Sacramenti impedimentum vellet aſſertione firmare, præceptum eſt, vt Epiſcopi, quorum Diœceſani ſunt, eos per congrua ſpatia, trina aduocatione conueniant. Tunc ſi duo vel tres viri conſanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipſimet fortè confeſſi fuerint, coniugia diſſoluãtur. Si verò neutrum contigerit, Epiſcopi eos per Baptiſmum, per fidem, per Iudicium Chriſti in vera obedientia obteſtentur, quatenus palàm faciant, vtrùm ſe (ſicut fama eſt) conſanguineos recognoſcant. Si negauerint, ſibi ipſis relinquendi ſunt; ita tamen, vt ſi aliud in conſcientia habeant, ſe à liminibus Eccleſiæ, à Corpore & Sanguine Domini, à Fidelium communione nouerint ſegregatos, atque infames effectos, donec ab inceſti facinore deſinant. Si ſe Epiſcoporum iudicio ſegregauerint, ſi iuuenes ſunt, alia matrimonia contrahere nõ prohibeantur.* Hactenus quod ſupereſt ex Cõcilio Troiano fragmentum. Quod & apud Gratianum & Magiſtrum Sententiarum inuenies.

CONCIL. TOLOSANVM

pro expurgando TOLOSANO *Epiſcopo, aliiſque moribus* GALLICANAE ECCLESIAE *reformandis, celebratum anno 1090. tempore* VRBANI *Papæ* II.

MXC. BERTHOLDVS huius temporis Scriptor anno 1090. de iſta Synodo Toloſana agens, hæc ſcribit: *Dominus Papa Vrbanus Generalem Synodum cum Epiſcopis diuerſarum Prouinciarum per Legatos ſuos in Toloſana ciuitate circa Pentecoſten collegit, ibique multa in Eccleſiaſticis cauſis quæ corrigenda erant correxit. In qua Synodo Toloſanus Epiſcopus de illatis criminibus Canonicè expurgatur, & Legatio pro reſtauranda Chriſtianitate in Toletana ciuitate, Rege Hiſpanorum ſupplicante, deſtinatur.* Hæc ipſe.

CONCIL. MELFITANVM

in Apulia celebratum anno 1090. tempore VRBANI *Papæ* II.

ACTA Synodalia ex Codice Ant. Auguſtini accepta hæc ſunt: M.XC.

Ex Synodo Vrbani Papæ ad Melfiam: Sanctorum Patrum ſententiis conſona ſentientes, Dei & Apoſtolorum eius parte præcipimus, ne quis vlteriùs dato vel promiſſo, vel pretio, vel ſeruitio ea intentione intento, vel precibus Epiſcopalem nitatur aſſequi dignitatem, nec vllus eam prætaxato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni Eccleſiaſtica dignitate vel officio, Apoſtolicæ poteſtatis auctoritate præfigimus: aliàs & dator & acceptor proprij Ordinis dignitate priuetur. Epiſcopus omnia ſui Epiſcopatus mẽbra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel alias Præpoſituras Eccleſiæ, ſiue Canonicas gratis abſq; omni venalitate diſponat Præbendas, etiam quæ Canonicatus dicuntur, ſine venalitate diſtribuat. Quiſquis autem ea pretio dederit, quiſquis acceperit, depoſitioni ſubiaceat, vt vnica tunica Domini noſtri ſponſæ ſine macula aut ruga permaneat.

II. Sacrorum Canonum inſtituta renouantes, præcipimus, vt à tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale cõmercium exercere. Quòd ſi deprehẽſus fuerit, Ordinis ſui periculũ ſuſtinebit.

III. Nemo prætereà ad ſacrum Ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis, & qui vſque ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.

IV. Igitur vt hæc, annuente Domino, valeant conſeruari, ſanctorum Pa-

Digitized by Google

trum decretis obſecundãtes, & eorum præcepta Apoſtolico moderamine tẽperantes, conſtituimus, vt nemo ante annos quindecim aut quatuordecim, Subdiaconus ordinetur, nemo ante annos vigintiquinque vel viginti quatuor Diaconus fiat, nemo ante trigeſimum in Presbyterum conſecretur.

V. Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat. Quòd ſi quis Epiſcopus improbitatis & auaritiæ cauſa conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur; & cum eius licentia quod offerendum eſt offerat.

VI. Nullus Abbas, nullus Eccleſiarum Præpoſitus quæ iuris ſunt Eccleſiaſtici, accipere ſine Epiſcopi conceſſione præſumat.

VII. Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conuerſionem veniunt, aliqua placiti occaſione præſumat.

VIII. Illud ſummopere & Apoſtolicæ auctoritatis priuilegio prohibentes interdicimus, vt nullus in Clericali ordine conſtitutus, nullus Monachus, Epiſcopatus aut Abbatiæ, aut cuiuſlibet Eccleſiaſticæ dignitatis inueſtiturã de manu laici ſuſcipere audeat. Quòd ſi præſũpſerit, depoſitione mulctetur.

IX. Quia nouum hoc tempore Clericorum Acephalorum genus emerſit, qui morantur in Curiis, & viris & feminis ad ſui Ordinis dedecus ſubditi, cùm in Canonibus cautum ſit, Ne quis ſine licentia Epiſcopi Clericus, nec Epiſcopus ſine Metropolitano Curiã adeat; præcipiendo præcipimus, & prohibentes prohibemus, ne quis retineat huiuſmodi. Sed Proceres ab Epiſcopis animarum ſuarum *procures Clericos *poſtularet, ſi Epiſcopi iuſſione pro tempore ac viciſſim in Curiis conuerſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus ne * decimis Procerum ſine conceſſione ſui Epiſcopi abutantur.

*procuratores *poſtulare, *Clericis Proceres

X. Præterea conſtituimus, ne quis Epiſcopus aut Primas Monachum quẽlibet vagantem in ſua Diœceſi Prouinciáve retineat, niſi Abbatis proprij fuerit literis regulariter commendatus.

XI. Ne grauamen aliquod ſanctæ patiatur Eccleſia, nullum ius laicis in Clericos eſſe volumus & cẽſemus. Vnde cauendum eſt, ne ſeruilis conditionis, aut Curialium officiorum obnoxij, ab Epiſcopis promoueantur in Clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Eccleſiæ beneficiis, aut paternis materníſve facultatibus quærere. Quòd ſi fortè Clericorum aliquis cuiuſlibet laici poſſeſſionibus vſus fuerit, aut vicarium, qui debitum reddet, inueniat; aut poſſeſſione cadat, ne grauamen Eccleſiæ inferatur.

XII. Porrò eos qui in Subdiaconatu vxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro Ordine remouemus, officio atq; beneficio Eccleſiæ carere decernimus. Quòd ſi ab Epiſcopo commoniti non ſe correxerint, Principibus licentiam indulgemus, vt eorum feminas mancipent ſeruituti. Si verò Epiſcopi conſenſerint eorum prauitatibus, ipſi Officij interdictione mulctentur. D. 32. c. 1.

XIII. Vtque omnia ſcandala, omneſque occaſiones laicis ſubtrahantur, ſciſſis veſtibus Clericos abuti vlteriùs prohibemus, & ne pompoſis induantur exuuiis, admonemus. Penſandum eſt namque, quantum viris flagitij adſcribatur, à quibus curam Paſtor Eccleſiæ exigit, & feminas prohibere, dicens: Non in veſte pretioſa; quam Dominus ipſe vituperans, nobiſque cauendam inſinuans, ait: Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.

XIV. Presbyterorum filios à ſacri Altaris miniſteriis remouendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis religioſè probati fuerint conuerſati.

XV. A ſuis Epiſcopis excommunicatos ab aliis recipi magnopere prohibemus.

XVI. Sa-

XVI. Sanè quia inter cetera vnum eſt, quod maximè ſanctam perturbat Eccleſiam, falſæ videlicet pœnitentiæ; Confratres noſtros Epiſcopos & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum protrahi patiantur. Falſam pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus, de vno ſolo peccato pœnitentia agitur. Aut cùm ſic agitur de vno, vt non diſcedatur ab alio, *peccato ſcilicet.*

Iacob. 2. Vnde ſcriptum eſt: Qui totam legem ſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim ſi peccatis eſſet omnibus inuolutus, ita ſi in vno tantùm maneat, vitæ æternæ ianuam non intrabit. Falſa fit pœnitentia, cùm penitùs ab officio Curiali vel negotiali non recedit, quæ ſine peccatis agi vlla ratione non præualet; aut ſi odium in corde geſtet; aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat; aut ſi non offenderit, offenſus non indulgeat; aut ſi arma quis contra iuſtitiam gerat.

Hucuſque Canones Concilij Melfitani ex Codice Antonij Auguſtini, inquit Baronius, collatione facta cum Codice Vaticano.

CONC. BENEVENTANVM, *quo* GVIBERTVS *Antipapa omneſque eius complices excommunicantur; anno Domini* 1090. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.XC.

BERTHOLDVS Conſtantienſis de hac Synodo anno 1091. iſta ſcribit: *Vrbanus Papa Generalem Synodum Beneuenti collegit, & ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham & omnes eius complices Synodali iudicio confirmauit.* In hoc Concilio, auctore Baronio, factum putamus, quod de Vrbano Papa, Petro Caſſinenſi Abbati, alumno Monaſterij Cluniacenſis mitræ vſum tribuente, in Actis Vitæ ipſius deſcribitur apud Surium his verbis: *In Synodo ei more ſuo capite nudo reſidenti, ſanctæ memoriæ Papa Vrbanus Pontificalem infulam miſit*, nempe mitram, *quam vtique vir Domini & pro Summi Pontificis reuerentia venerabiliter recepit, & officioſiſſimè ſalutauit, & tamen eiuſdem Sacerdotalis mitræ vſum, etiam rogante Papa, contempſit. Quod non ob aliud feciſſe creditur, niſi vt quorumdam arrogantium humilitatis exemplo condemnaret, qui dum ſe inaniter extollunt, indebitos ſibi S. Eccleſiæ honores non metuunt vſurpare.* Hæc de his ibi. Nec quidquam licuit prætereà de eadem Synodo reperire.

CONC. TROIANVM II. *pro diuerſis* ECCLESIAE NECESSITATIBVS *celebratum anno Domini* 1093. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

DE hac Synodo iſta Bertholdus: M.XCIII. *Dominus Papa Vrbanus Generalem Synodum centum penè Epiſcoporum in Quadrageſima ex diuerſis Prouinciis in Apulia congregauit, & diuerſis Eccleſiarum neceſſitatibus Synodali prouiſione competenter ſuccurrere curauit.* Hanc Synodũ Troiæ celebratam eſſe, teſtatur Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus in ſuo Chronico.

CONC. CONSTANTIENSE *pro* REFORMANDA DISCIPLINA ECCLESIAE *celebratum anno Domini* 1094. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

GEBEHARDVS Conſtantienſis M.XCIV. Eccleſiæ Epiſcopus magnam Synodum Conſtantiæ in hebdomada Maiore ante Paſcha cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus, & cum prędictis Ducibus, & reliquis Alemanniæ Principibus Canonicè celebrauit, ibique multa quæ corrigenda erant correxit. Ibi etiam incontinentiam Presbyterorum ac violentiam Simoniacorum adeò prohibuit, vt etiam populum ab eorum officio ſub banno prohibuiſſet, ſi ipſi in tali facinore poſiti contra fas & ius miniſtrare præſumpſiſſent.

Statuit etiam iuxta ſtatuta ſanctorum Patrum, vt ieiunium Martij in prima

 heb-

hebdomada Quadrageſimæ, & ieiunium Iunij in hebdomada Pentecoſtes ſemper celebretur.

Item ſtatuit, vt tam in hebdomada Pentecoſtes, quàm in hebdomada Paſchali, tres tantùm dies feſtiui celebrarentur. Nam vſque ad illud tempus Conſtantienſis Epiſcopatus morem Comprouincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanã in Paſcha, & vnum tantùm diem in Pentecoſte obſeruando; quamuis vtræque ſeptimanæ eiuſdem obſeruationis eſſe debuerint, & quamuis alij Epiſcopatus pænè omnes prædictam Conſtitutionem iam ab antiquo tenuerint: hæc, inquam, ipſe in proprio Epiſcopatu & ex Epiſcopali auctoritate, & ex Apoſtolica Legatione Canonicè potuit inſtituere: nam Legatus fuit Sedis Apoſtolicæ per totam Teutonicam terrã vſquequaque.

Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ à marito ſuo Henrico Rege diſceſſit, ad Synodum Conſtantienſem peruenit, quæ ſe tantas tamque inauditas fornicationum ſpurcitias, & à tantis paſſam fuiſſe conqueſta eſt, vt etiam apud inimicos fugam ſuam facillimè excuſaret, omneſque Catholicos ad compaſſionem tantarum iniuriarũ ſibi conciliaret. Ita Bertholdus, qui etiam pertractatam controuerſiam Sigefridi Abbatis enarrat.

CONCIL. OSTIONENSE,

contra PHILIPPVM *Regem Francorum adulterum & inceſtuoſum, in Gallia celebratum anno Domini 1094. tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.XCIV. PHILIPPVS Rex Francorum iuuenili furore percitus, Bertam vxorem legitimam repudiauit, & Bertradam vxorem Fulconis Comitis Andegauenſis cognatam ſuam ſibi matrimonio iunxit. Qua de cauſa Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus Legatione Apoſtolica functus Concilium indixit, quo geſta & definita ſunt ea omnia, quæ à Bertholdo his verbis enarrantur: *In Galliarum,* inquit, *ciuitate, quam Oſtionem vulgariter dicunt, congregatum eſt Generale Concilium à venerando Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo & Sedis Apoſtolicæ Legato, cum Archiepiſcopis & Abbatibus diuerſarum Prouinciarum, decimoſeptimo Kalendas Nouembris. In quo Concilio renouata eſt excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apoſtolicæ inuaſorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt, eò quòd viuente vxore ſua alteram ſuperinduxit. Item Simoniaca hæreſis & incontinentia Sacerdotum ſub excommunicatione damnata eſt. Item Monachis interdictum eſt in eodem Concilio, ne Parochialium Sacerdotum officia in Parochiis vſurpent. Hæc, inquam, omnia ibi ſunt conſtituta, & Apoſtolica Legatione firmata.* Hæc ipſe. Quomodo autem iſtud ipſum iudicium rurſus ventilatum eſt in Concilio Claramontenſi, & ibi rurſus idem Rex excommunicatus ab Vrbano Papa, infrà dicturi ſumus.

CONC. PLACENTINVM

in cauſa PRAXEDIS *repudiatæ Imperatricis* PHILIPPI *Regis Francorum, &* ALEXII *Imperatoris Conſtantinopolitani contra* SARRACENOS *auxilium petentis, celebratum anno Domini 1095. tempore* VRBANI *Papæ* II.

DE rebus in hac Synodo geſtis, deque Canonibus in eadem cõſtitutis, Bertholdus Scriptor huius temporis ſcribit ea quæ ſequũtur: M.XCV.

Dominus Papa, Deo & ſancto Petro proſperante, iam pænè vbique præualuit, & in media Longobardia in ciuitate Placentina inter ipſos ſchiſmaticos, & contra ipſos Generalem Synodum condixit, ad quam Epiſcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alimanniæ, Baioariæ, aliarumque Prouinciarum Canonica & Apoſtolica auctoritate miſſis literis conuocauit. Facta eſt autem hæc Synodus circa mediam Quadrageſimam Placentiæ, ad quam Synodum mul-

multudo tam innumerabilis confluxit, nequaquam in qualibet Eccleſia illius ci poſſet comprehendi. Vnde & Donus Papa extra Vrbem in campo illam celebrare compulſus eſt. Hoc tamen non abſque probabilis exempli auctoritate: nam primus Legiſlator Moyſes populum Dei in campeſtribus legalibus præceptis, Deo iubente, inſtituit; ipſe Dominus non in domibus, ſed in monte & in campeſtribus Diſcipulos ſuos Euāgelicis ſtatutis informauit. Miſſas quoque nonnunquam extra Eccleſiam ſatis probabiliter, neceſſitate quidam cogente, celebramus, quamuis Eccleſias earum celebrationi ſpecialiter deputatas non ignoramus.

In hac Synodo Praxedis Regina iam dudum ab Henrico ſeparata, ſuper maritum ſuum Domino Apoſtolico & ſanctæ Synodo conqueſta eſt de inauditis fornicationum ſpurcitiis, quas apud maritum paſſa eſt. Cuius querimoniam Dominus Papa cum ſancta Synodo ſatis miſericorditer ſuſcepit, eò quòd ipſam tantas ſpurcitias non tam commiſiſſe, quàm inuitam pertuliſſe pro certo cognouerit. Vnde & de pœnitentia pro huiuſmodi flagitiis iniungenda illam clementer abſoluit, quæ & peccatum ſuum ſponte & publicè confiteri non erubuit.

Ad hanc Synodum Philippus Rex Galliarum Legationem ſuam direxit, ſeque ad illam iter incepiſſe, ſed legitimis * ſociis ſe impeditum fuiſſe, mandauit. Vnde inducias ſibi vſque ad Pentecoſten apud Dominum Papam, Synodo intercedēte, impetrauit. Dominus autem Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus ad eamdem Synodum vocatus, ab officio ſuſpenditur, eò quòd ipſe non venerit, nec Legatum cum Canonica excuſatione illuc pro ſe direxit.

Item Legatio Conſtantinopolitani in primis ad hanc Synodum peruenit, qui Dominum Papam, omneſq; Chriſti fideles ſuppliciter implorauit, vt aliquod auxilium ſibi contra Paganos pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ conferrent, quam Pagani iam pænè in illis partibus deleuerant, qui partes illas vſq; ad muros Conſtantinopolitanæ ciuitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium Dominus Papa multos incitauit, vt etiam iureiurando promitterent, ſe illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro poſſe ſuo fideliſſimum adiutorium collaturos.

Hæc autem inter alia in illa Synodo cōſtituta ſunt, Vt ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas, & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum dimittere nollent.

Item, Vt nullus Presbyter aliquos ad pœnitētiam reciperet, niſi cui proprius Epiſcopus hanc curam commiſiſſet.

Item, Vt quibuſlibet ritè ad cōfeſſionem venientibus Euchariſtiam non denegemus, quos ſolo corpore non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum Sacramentis communicare cognoſcimus.

In hac quoq; Synodo hæreſis Simoniacorū penitùs damnata eſt, vt quidquid in ſacris Ordinibus & in Eccleſiaſticis rebus datâ & promiſsâ pecuniâ acquiſitum Simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullaſq; vires habuiſſe & habere iudicaretur. His tamen, qui non Simoniacè, & neſcienter à Simoniacis ordinati ſunt, miſericordia in ſeruando Ordine conceſſa eſt: qui verò ſcienter ab huiuſmodi ordinati ſunt, cum ſuis Ordinatoribus irrecuperabiliter damnati ſunt.

Item hæreſis Nicolaitarum, id eſt, incontinentium Subdiaconorum, Diaconorum, & præcipuè Sacerdotum, irretractabiliter damnata eſt, vt deinceps de officio ſe non intromittant, qui in illa hæreſi manere non formidant; nec populus eorum officia vllo modo recipiat, ſi ipſi Nicolaitæ contra hæc interdicta miniſtrare præſumant.

Item hæreſis Berengariana iam ab antiquo ſæpiſſimè anathematizata, iterùm damnata eſt, & ſententia Catholicæ

Fidei contra eamdem firmata, videlicet, quòd panis & vinum, cùm in Altari conſecrantur, non ſolùm figuratè, ſed etiam verè & eſſentialiter in Corpus & Sanguinem Domini conuertantur.

Item in Guibertum hæreſiarcham Sedis Apoſtolicæ inuaſorem, & in omnes eius complices ſententia anathematis Synodali iudicio cum ardentibus candelis iterùm promulgata eſt.

In hac Synodo quatuor millia ferè Clericorum, & pluſquam triginta millia laicorum fuiſſe perhibentur.

In hac Synodo conſtitutum eſt, Vt pro Chriſmate, & Baptiſmo, & ſepultura nihil vmquam exigatur.

Item, Vt ieiunia Quatuor Temporum hoc ordine celebrentur; ſcilicet, primum in prima hebdomada Quadrageſimæ; ſecundum, in hebdomada Pentecoſtes; tertium verò & quartum, in Septembri & Decembri ſolito more fiant. Huic Synodo reuerendiſſimi Antiſtites interfuerunt, de Baioaria quidē, Diino Saltzburgenſis Archiepiſcopus, & Vdalricus Patauienſis Epiſcopus eius Suffraganeus: de Alemannia verò, Gebehardus Cōſtātienſis Epiſcopus, qui & Arnulphum Mediolanenſem Archiepiſcopum, diu quidem electum, ſed nondum conſecratum, eodem tempore ex conceſſione domini Papæ Mediolani conſecrauere.

Ipſe quoque dominus Papa Vdalricum Augienſem Abbatem eo tempore conſecrauit, qui itidem prædictæ Synodo interfuit, cui in pręſentia Conſtantienſis Epiſcopi omnem Epiſcopalem poteſtatem in Clerum & populum Augienſis inſulæ interdixit, quam dudum Conſtantienſi Epiſcopo cōceſſit. Abbas tamen ille nō multò pòſt de illa poteſtate ſe intromiſit. Vnde querimonia facta ab Epiſcopo, dominus Papa illum, miſsis literis ab huiuſmodi pręſumptione iterùm compeſcuit. Huc vſq; de Synodo Placētina Bertholdus.

Porrò eiuſdem Concilij quindecim Canones continentur in Codice ſcripto Anſelmi Lucenſis libro ſexto Decretorum ab eadem Synodo Placentina ſtatuti, his quæ ſunt recitata ſuperiùs conſentientes, vt hîc ipſos ſcribere non ſit opus.

CONCILIVM CLARAMONTANVM

ob cauſam eamdem; qua precedens indictum, cōgregatum anno Domini 95. tempore VRBANI *Papæ* II.

DE rebus in hac Synodo geſtis iſta ſummatim tradit Bertholdus: *In Gallia ad Clarummontem Synodus generalis à Domino Papa in Octaua S. Martini congregata eſt, in qua tredecim Archiepiſcopi cum eorum Suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque Paſtorales virgæ numeratæ ſunt. In hac Synodo dominus Papa eadem ſtatuta, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmauit; inſuper & Philippum Regem Galliarum excommunicauit, eò quòd propria vxore dimiſſa, militis ſui vxorem ſibi in coniugium ſociauit. Ibi etiam aliam Synodum in tertiam ſubſequentis Quadrageſimæ hebdomadam Turonis celebrandam denuntiauit.* Hæc ipſe. Eadem de excommunicato Rege Sigebertus. Sed & Bertradam Regiam pellicem eadem excommunicatione mulctatam, Willelmus in Rebus Anglicis tradit, Canoneſque recenſet. Porrò ex Concilio Claramontenſi triginta duo Canones exſcripti reperiuntur in Codice Lamberti Epiſcopi Attrebatenſis, ex quo totidem lineis Antonius Auguſtinus ſic deſcribit: ANNO DOMINI M.XCV.

Anno Domini Chriſti milleſimo nonageſimo *quarto, menſe Decembri, Decreta domini Vrbani Papæ II. in Claramontenſi Concilio data. Ita titulus præfixus à librario ſequentibus Canonibus, & primùm propter ſchiſmaticos fœdere coniungendos. *quinto.

I. Statutum eſt, vt omni die & Monachi & Clerici & feminæ, & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant, tribus autem diebus, ſcilicet ſecunda, tertia & quarta *ab aliquo alicui illata, *iniuria non

non reputabitur pacis fractio; quatuor autem reliquis diebus, ſi quis alicui iniuriam intulerit, fractionis ſanctæ pacis reus habeatur, & prout iudicatum fuerit, puniatur.

II. Quicumque pro ſola deuotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Ieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.

III. Vt nullus fiat Decanus in Eccleſia, niſi Presbyter, nullus Archidiaconus, niſi Leuita.

IV. Ne aliquis Clericus arma deferat.

V. Vt nullus laicus, Clericus, vel tantùm Subdiaconus in Epiſcopum eligatur.

VI. Vt nullus ſibi Præbendam emat. Quòd ſi quis emerit, vel parentes eius illi emerint, in manum & diſpoſitionem Epiſcopi ſe reddat. Hoc idem de Altari & de omni Eccleſiaſtico Beneficio fiat.

VII. Vt Altaria congregationibus Canonicorum vel Monachorum per perſonas data, mortuis perſonis, libera redeant in manus Epiſcoporum, niſi fuerint illis per eorum ſcripta vel priuilegia confirmata.

VIII. Vt nullus deinceps ſepulturam exigat.

IX. Vt nullus Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, ſed & nullus qui Canonicam habet, fornicationis ſibi copulam adiungat. Quod ſi fecerit, à Canonica omnino arceatur.

X. Vt in domibus Clericorum nullas liceat habitare mulieres, niſi quas ſancti Canones permittunt.

XI. Vt nulli filij concubinarum ad Ordines vel aliquos honores Eccleſiaſticos promoueantur, niſi Monachaliter vel Canonicè vixerint in Eccleſia.

XII. Vt nulli Clericorum liceat deinceps in duabus ciuitatibus duas Præbendas obtinere, cùm duos titulos non poſſit habere.

XIII. Vt omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primùm ordinatus eſt, ſemper ordinetur.

XIV. Vt nullus deinceps in vna Eccleſia geminos honores habeat.

XV. Vt nullus Eccleſiaſticorum aliquem honorem à manu laicorum accipiat.

XVI. Interdictum eſt, ne Reges vel alij Principes aliquam inueſtituram de Eccleſiaſticis honoribus faciant.

XVII. Ne Epiſcopus vel Sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligium fidelitatem faciat.

XVIII. Vt nullus Presbyter Capellanus alicuius laici eſſe poſſit * in confeſſione ſui Epiſcopi. *abſque conceſſione

XIX. Ne laici decimam partem de laboribus ſuis retineant; & ſicut nec debent retinere, ita nec accipere.

XX. Vnde & interdictum eſt omnibus laicis, ne ampliùs Altaria vel Eccleſias ſibi retineant.

XXI. Ne aliquis laicus alterius ſibi hereditates vſurpet: quòd ſi quis fecerit, nec reus ſatisfecerit, nullus Sacerdos eum interim ad pœnitentiam admittat.

XXII. Similiter nec alium quemlibet, niſi perfectam confeſſionem fecerit. Verbi gratia, vt ſi perpetrato homicidio, manſerit in adulterio, vel huiuſmodi, ad perfectam pœnitentiam minimè recipi debere, decretum eſt. Attamen conſilium damus, vt ieiunet, & eleëmoſynas det, vt ad veritatis viam poſſit reuerti.

XXIII. Vt nullus Chriſtianus à capite ieiunij vſque ad Paſcha carnem comedat.

XXIV. Ne fiant Ordines, niſi Quatuor certis temporibus, & Sabbato mediante Quadrageſima: & tunc protrahatur ieiunium vſque ad Veſperas, & ſi fieri poteſt, vſque ad craſtinum, vt magis appareat in die Dominico Ordines fieri.

XXV. Ne filij Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, Canonicorum, ad Ordines vel alios hono-

Digitized by Google

res Eccleſiaſticos promoueantur, niſi Monachus vel Canonicus fuerit.

XXVI. Vt in Sabbato ſancto protrahatur ieiunium circa noctem.

XXVII. Vt ſemper fiat ieiunium veris in prima hebdomada Quadrageſimæ; ieiunium verò æſtatis infra hebdomadam Pentecoſtes.

XXVIII. Ne quis communicet de Altari, niſi Corpus ſeparatim & Sanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem & per cautelam. Idque ob recentem damnatam hæreſim Berengarianam, quæ per vnam tantùm ſpeciem ſatis eſſe impleri figuram aiebat.

XXIX. Si quis ad aliquam Crucem in via perſequentibus inimicis confugerit, liber ac ſi in ipſa Eccleſia permaneat.

XXX. Quòd ſi quis pro ſecuritate Eccleſiæ vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Eccleſiam vel Crucem confugerit, accepta ſecuritate vitæ & membrorum, reddatur iuſtitiæ.

XXXI. Ne aliquis Clericus res Epiſcoporum vel Clericorum in vita vel poſt mortem eorum diripiat, vel in vſus proprios conferat. Quod ſi quis fecerit, anathema ſit. Et dictum eſt ab omnibus: Fiat.

XXXII. Si quis Epiſcopum ceperit & incarcerauerit, perpetuæ infamię ſubiaceat, vlteriùs arma non exerceat. Et clamatum eſt ab omnibus: Fiat.

Hactenus Canones. Qui autem exſcripſit, iſta adiecit: Hæc ſunt inuenta in libro Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis, ante quadringentos annos ſcripto: quæ quia in promptu erant, mittenda putaui.

Concilium verò prædictum ob hoc præcipuè collectum & indictum fuit, vt in eo indiceretur expeditio in Terram ſanctam: & pro ſtipendio erat Indulgentia peccatorum propoſita, atque vt Petrus Diaconus ait: *Erat pro militari, ſignum ſanctiſſimæ Crucis.* de qua inquit: *Ad huius autem rei euidens indicium, communi conſilio ſignum ſanctæ Crucis ſuper ſcapulam dexteram impreſſêre veſtibus.*

Vt autem res difficillima inchoanda, hactenus in Eccleſia Catholica intentata, optatum conſequi poſſet effectum, placuit Vrbano Pontifici Dei Genitricis precibus annitendum, vt conciliaret ſibi cæleſte Numen; quòd probè ſciret experimento, quæque ardua progreſſura feliciter, quibus B. Mariæ Virginis faueret gratia, & aſpiraret auxilium. Ad quod promerendum, idem Christi Vicarius eodem Claramontenſi Concilio rogata ſententia Patrum egit, vt Horariæ illæ Preces & Laudes, quæ vulgò Dei Genitricis appellari conſueuerunt Officium, apud Monachos Eremitas Inſtitutionis Petri Damiani frequentari cœptæ, ex illis deducerentur ad Clericos, à quibus dignè ex animo eidem ſanctiſſimæ Virgini perſolui deberent, vt ipſa apud Filium precibus ageret, quò fidelis populus in tot & tãtis diſcriminibus ſubeundis, eius fulciretur auxilio, atq; præſidio muniretur. Quod quidem tunc à ſancta Synodo, Vrbano agente, ea occaſione indictum, & à Clericis piè ſuſceptum, ad laicos quoque fuit tam viros quàm mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnere gratiarum, vt experti ſunt omnes, iugiterque experiuntur fideles, illud ex animo frequentantes: quas Preces & Carthuſiani diuino monitu haud pridem ſuſcepere dicendas. *Officium Dei Genitricis Mariæ.*

CONC. ANGLICANVM
in cauſa VRBANI *Papæ celebratum anno Domini* 1095.

QVID actum ſit in hac Synodo, Edinerus, qui aderat, in Vita S. Anſelmi lib. 2. apud Surium Tom. 2. die 21. Aprilis ita deſcribit: ANNO DOMINI M.XCV.

Factum eſt & tertia ſeptimana Quadrageſimæ, iuxta edictum conuenerunt omnes Epiſcopi totius Angliæ & Abbates, cauſa prædicta in medium adducitur, & Anſelmus diuerſis querelis

lis hinc inde cõcutitur. Siquidem multi, & maximè Epiſcopi, Regiæ volũtati fauere volentes, ſpreto æquitatis iudicio id probare nitebantur, quòd Anſelmus, ſalua fide quam Regi debebat, nullatenus poſſet in Regno Vrbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura quæ ratio tulerat, obiecta fuiſſent; & Anſelmus ex verbis Domini, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, aliiſq; nonnullis, quæ ratione nulla refellere poterãt, penitùs infrænaſſet; illi econtrà quid dicerent nõ habentes, eum in Regem blaſphemare, vno ſtrepitu conclamauere, quandoquidem auſus eſſet in Regno eius, niſi eo concedente, quidquam vel Deo adſcribere. Igitur ad vnam regiæ indignationis vocem quidam ex Epiſcopis Archiepiſcopo ſuo atque Primati, omnem ſubiectionem, profeſſam obedientiam vno impetu abnegant, eique vnitatem fraternæ ſocietatis pari voto miſerandi abiurant. Quidam verò in eis tantùm, quæ ex parte Vrbani Papæ præciperet, illi ſe obedituros negant.

Matth. 22.

Epiſcopi itaque omnes qui affuerunt, Roffenſi ſolo excepto, aut vno aut alio modo debitam illi ſubiectionem & obedientiã abnegant. Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam & ſecuritatem ſui in omnibus adimit; nec ſe illum pro Archiepiſcopo vel patre ampliùs habiturum iurat, niſi ipſe Vicario beati Petri ſe vlteriùs obediturum ſtatim deneget. Tres dies in iſto negotio, clamoribus in Anſelmum & contumeliis grauidi, expenſi ſunt, & tãdem in hoc quem dixi fine conuerſi ſunt. Tunc Anſelmus in ſuo propoſito conſtans, per internuntium conductum à Rege poſtulat, quò tutus Regno decedat. Quod Principes multi damnoſum fore dignoſcentes, pro reſtituenda pace inducias vtrimque ad Pentecoſten dari precantur, & obtinent; ac ſic eum, ne de Regno decedat, impediunt: Spondet igitur Rex ſe rebus eius, vſque ad præfixum tempus induciarum, plenam pacem & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntate illius pro ſua religione multùm in negotio quod emerſerat, condeſcenſurum. Verùm omnino in contraria lapſus eſt. & Anſelmus, domino Balduino eius domus Præfecto extra Regnum depulſo, hominibuſque ſuis captis & expoliatis, terriſque vaſtatis, in immenſum afflictus eſt. Hactenus Edinerus.

CONCILIVM TVRONENSE

pro EXPEDITIONE IEROSOLYMITANA *præparanda indictum anno Domini 1096. tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.XCVI.

ACTA Concilij apud Bertholdum his verbis deſcribuntur: *Dominus Papa Arelati diem Dominicæ Natiuitatis cum diuerſarum Prouinciarum Epiſcopis glorioſiſſimè celebrauit. In his locis ex parte ſchiſmaticorum VVirceburgenſis Epiſcopus ad Apoſtolicum peruenit, eiuſque miſericordiam conſecutus eſt, ita tamen vt eadem miſericordia à Legatis Papæ in Teutonicis partibus perficeretur eidem. In tertia hebdomada Quadrageſimæ dominus Papa Synodum celebrauit cum diuerſarum Epiſcopis Prouinciarum in ciuitate Turonenſi, vbi iterùm ſuorum præteritorum ſtatuta Conciliorum Generalis Synodi aſſenſione roborauit. Et non multò pòſt Epiſcopum Straſburgenſem de excommunicatione reſipiſcentem recepit in communionem, ita tamen vt de illatis criminibus ſe expurgaret.* Pergit agere de Ieroſolymitana expeditione ibi decreta, deque his qui in Hungaria periclitati ſunt militibus, ac deinde de Regis Francorum abſolutione his verbis: *Philippus Rex Galliarum, iamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino Papæ, dum adhuc in Gallijs moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abiurata adultera, in gratiam receptus eſt, ſéque in ſeruitium domino Papa promptum exhibuit.* Hæc ipſe.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. BARENSE

pro GRAECIS *cum* ROMANIS ECCLESIIS *conciliandis celebratũ anno Domini 1097. tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.XCVII.

IN hac Synodo inter Græcos & Latinos ventilatæ ſunt controuerſiæ illæ, quæ inter eos diutiùs agitatæ leguntur: potiſſimùm verò de proceſſione Spiritus ſancti. Acta nobiliſſimi Concilij periérũt. Ad Græcorum confuſionem autem ea nobis auctore Deo ſunt patefacta, quæ à S. Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo, qui interfuit, ſunt ſcripta, quæque familiaris qui aderat Edinerus poſteris tradidit his verbis:

Cui Concilio dum Anſelmus ſe præſentaſſet, & perſuaſus à Papa, Græcos in proceſſione Spiritus ſancti, vtpote quẽ à Patre & non à Filio procedere Græci aſtruant errantes, rationabili & Catholica diſputatione confutaſſet: magni apud omnes eſt habitus, & veneratione digniſſimus comprobatus. Finito Concilio cum Apoſtolico profecti ſumus. Hæc tantùm de his Edinerus.

Apud Willelmum autem Malmeſburienſem ſua paulò glorioſiùs oſtentantem, hæc ſcriptis mandata legimus:

Vt ergo ventum ad Conciliũ, Apoſtolicus ante corpus ſancti Nicolai conſtratus, tapetibus & palliis, ipſe caſula cum pallio amictus tribunal aſcendit, ceteri cum cappis ſedebant. Omnibus ergo ſuum locum ex antiquo vendicantibus, Anſelmus humilitate ſummus, quo poterat, aſſedit: exciderat animo Summi Pontificis ingruente tumultu, vt ei locũ delegaret. Sed erroris admonitus eſt quęſtionis neceſſitate à Græcis propoſitę, probare volentibus Spiritum ſanctum non niſi à Patre procedere.

Hanc ergo quæſtionem dum expedire tentans magis inuolueret, Græcis contrà non improbabiliter occurrentibus: Anſelmi recordatus exclamat: viuidæ vocis tonitruum ędis capacitas & turbæ multiplicitas ingeminant: Pater & Magiſter Anſelme Anglorum Archiepiſcope vbi es? Ille vbi ſe vocari audiuit, in pedes cõſtitit. Quem Apoſtolicus compellans, Nunc, inquit, Magiſter, opus eſt ſcientia, opus eloquentiæ tuæ operâ. Veni, aſcende huc, & defende matrem tuam Eccleſiá, quam Græci labefactare conantur. Succurre ergo quaſi à Deo huc miſſus. Continuò cuncti aſtantes & aſſidentes, oculos & ora in eum conuerſi percontari quis eſſet: annitentibusq; proximis ad conſeſſum Apoſtolici leuatus, ſedere iuſſus iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam ſedere moris eſt. Includamus, inquit, hunc in orbe noſtro, quaſi alterius orbis Papam. Nec morantibus, omnibus expoſuit palàm qui genus, vnde domo, cuius ſcientiæ, cuius facundiæ, quàm religioſus, quanta pro fidelitate Romanæ Sedis paſſus eſſet. Dilatuſque in poſterum diem quæſtionis tractatus, quamuis Anſelmus ſtatim reſpondere non dubitaret.

Sed ſequenti die, ſolito maturiùs cœtu coacto, promotus in editum, ita tractauit quæſtionis latera, ita penetrauit & enubilauit intima, vt Latini clamore teſtarentur gaudium, Græci de ſe præbere dolerent ridiculum: nullus porrò inops & inanis ſcientiæ diſcederet. Senſus illius ſermonis procedente tempore luculenter digeſſit in lib. de Proceſſione Spiritus ſancti facto. Tunc vbi verbum abſoluit, omnes in eum oculos & ora conuerſi, hic laudare fidem, ille ſcientiá, omnes eloquentiam. Sedato fragore, quem laus eius ſuſcitauerat; intendens in eum Summus Pontifex, ait: Benedictum ſit cor tuum, & ſpiritus tuus, os & ſermo oris tui benedictus. Nec mora, cùm conſenſu omnium roboratus, in aliter ſentientes fulmen excommunicationis intorſiſſet; ventilari de Rege Anglorum ſermo cœpit. Proferuntur in mediũ ſcelera dictu horrenda, adiicitur contemptui humano cæleſtis iniuria, quòd ſcilicet bis terque admonitus, nihil correctionis exhibuerit.

Quo-

Quocircà, cùm ſuffragio & clamore omnium Papa ad excommunicandum iam paratus eſſet, Anſelmus genibus affuſus eius, orat dilationem, & vix impetrat. Quæ res ei nō mediocrem apud cunctos videntes peperit gratiam, eò quòd oſtenſione verę ſanctitatis viciſſet famæ ſuæ gloriam. Quàm pulchrum erat, vt illi oraret veniam, à quo tantam acceperat contumeliam? Hucuſque de Barenſi Concilio apud Willelmum.

Certum eſt autem, in hoc Concilio ſanctum Anſelmum in confutandis Græcis primas tuliſſe, cui & ea ex parte plurimum Eccleſia Catholica debet, quod cùm ipſius Synodi Acta perierint, ipſe tamen pulſatus precibus amicorum, quod in controuerſia tractauit, ſcriptorum monimentis perpetuæ memoriæ commendauit.

CONCIL. ROMANVM II.

quo REGI ANGLIAE *induciæ conceſſæ ſunt vſque ad feſtum S. Michaëlis anno Domini* 1098. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.XCVIII. DE hac Synodo Edinerus in Vita S. Anſelmi apud Surium iſta ſcribit: *Finito Concilio Barenſi, Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam VVillelmus ille, cuius in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum, vt inducias Regis Angliæ daret vſque ad feſtum ſancti Michaëlis Archangeli. Quod Anſelmus agnoſcens, illicò Lugdunum redire volebat; ſed prohibitus à Papa eſt propter Concilium, quod ſe tertia hebdomada Paſchæ Romæ habiturum ſtatuerat.* Quæ autem conſtituta fuerint in Concilio, præterit Edinerus: ſed Willelmus Malmesburienſis in Hiſtoria Rerum geſtarum Pontificum Anglorum de his agens, ſuggillat Vrbanum Papam ac ſuos, quòd pecuniæ mercimonio inducias Regi conceſſiſſet vſque ad feſtum S. Michaëlis Archangeli.

Verùm idem Auctor meminiſſe debuit, à ſe paulò ſuperiùs dictum anno ſuperiori in Concilio Barenſi, quòd idem Vrbanus Pontifex iam ſentētiam excommunicationis in Regem ibi laturus ſtatim, interceſſione ſancti Anſelmi, ne faceret, cohibitus eſſet. Accuſaríne potuit tarditatis Vrbanus, qui ab Anſelmo actore, ne in eum dicat ſententiam, continetur? Quòd ſi petenti Regi per nuntium inducias vſque ad feſtum ſancti Michaëlis Archangeli conceſſit Vrbanus: potuítne vel iſtas ipſe negaſſe, non dico Regi, ſed cuilibet homuncioni petenti, vt acturus cauſam Romæ, ex Anglia teſtes & teſtimonia perduceret, atque produceret ex tanto terrarum ſpatio? An & vitio dari potuit Summo Pontifici, aliquid induliſſe Regi, quem vidimus haud pridem à ſchiſmaticis defeciſſe, atque ad communicationem Vrbani Catholici Antiſtitis conuolaſſe? Vbi illud de Domino dictum, & repetitum (vt omittamus externa) *Arundinem conquaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium.* Matth. 12. ex Iſa. 42.

CONC. ROMANVM III.

quo VRBANVS *Papa Statuta prædeceſſorum ſuorum confirmat*, GVIBERTVM *Antipapam eiuſque complices iterùm excommunicat, &* IEROSOLYMITANAM EXPEDITIONEM *promoueri rogat, anno Domini* 1099.

DECRETA Domini Papæ Vrbani II. data in Concilio Romæ in Eccleſia B. Petri Apoſtoli, anno Dei Chriſti 1099. pridie Kalendas Maij. M.XCIX.

CAP. I. Ea quę à ſanctis Patribus de Simoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque Spiritus ſancti iudicio & Apoſtolica auctoritate firmamus.

II. Quidquid igitur vel in ſanctis Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data vel promiſſa pecunia adquiſitum, & nos irritum eſſe, & nullas vmquam vires obtinere cenſemus.

III. Si qui tamen à Simoniacis non Simoniacè ordinati ſunt, ſi quidem pro-

probare potuerant, ſe, cùm ordinarentur, eos neſciſſe Simoniacos, & ſi tum pro Catholicis habebantur in Eccleſia; talium Ordines pro miſericordia ſuſtinemus, ſi tamen eos laudabilis vita commendat.

IV. Qui verò ſcienter ſe à Simoniacis conſecrari, imò exſecrari paſſi ſunt, eorum conſecrationem irritam eſſe decernimus.

V. Quicumque ſanè cupiditate parentum, cùm adhuc eſſent paruuli, Eccleſias vel Eccleſiarum beneficia per pecunias adepti ſunt, poſtquam eas omnino dimiſerunt, ſi Canonicè in ijs viuere voluerint, pro miſericordia ibidem eos eſſe concedimus, ſi aliàs digni inueniantur.

Illi verò qui per ſeipſos, cùm iam maioris ætatis nefanda cupiditate ducti, eas emerunt, ſi in aliis Eccleſiis Canonicè viuere voluerint, ſeruatis propriis Ordinibus, pro magna miſericordia ibi eos miniſtrare permittimus. Quòd ſi ad alias fortaſſe transferri non potuerint, minoribus Ordinibus cõtenti, ad ſacros Ordines non accedant; ſalua tamen in omnibus Apoſtolicę Sedis auctoritate.

Si qui tamen ante emptionem Catholicè ordinati ſunt, cùm ea quæ emerint, dimiſerint, & vitam Canonicam egerint, in ſuis gradibus permittantur: niſi fortè eiuſmodi Eccleſia ſit, vt ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel ſingularem vel Præpoſituræ vel Officij locum in emptis Eccleſiis eos habere non patimur.

Ordinationes quæ à Guiberto hæreſiarcha factæ ſunt, poſtquam ab Apoſtolicæ memoriæ Papa Gregorio & à Romana Eccleſia eſt damnatus, quæque etiam à Pſeudoëpiſcopis per eum poſteà ordinatis perpetratæ ſunt, irritas eſſe iudicamus.

Similiter autem & eas, quæ à ceteris hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt, & ab eis qui Catholicorum & adhuc viuentium Epiſcoporum ſedes inuaſerunt, niſi probare voluerint, ſe, cùm ordinarentur, eos neſciſſe damnatos.

Qui verò ab Epiſcopis quondam quidem Catholicè ordinatis, ſed in ſchiſmate à Romana Eccleſia ſeparatis conſecrati ſunt, eos nimirum cùm ad Eccleſiæ vnitatem redierint, ſeruatis propriis Ordinibus, miſericorditer ſuſcipi iubemus: ſi tamen eos vita & ſcientia commendat.

Amodò verò quicumque à prædictis ſchiſmaticis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ aduerſariis ſe ordinari permiſerit, nullatenus hac venia dignus habeatur. Quamuis autem miſericordiæ intuitu magnaque neceſſitate cogente hanc in ſacris Ordinibus diſpenſationem conſtituerimus, nullũ tamen præiudicium ſacris Canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur: & ceſſante neceſſitate, illud quoque ceſſet quod factum eſt pro neceſſitate.

Vbi enim multorum ſtrages iacet, ſubtrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt addatur ampliùs charitati.

Illud quoque præcipimus, Vt pro Chriſmate, & Baptiſmo, & ſepultura nihil vmquam exigatur.

Vt vnica Domini noſtri ſponſa ſine ruga & macula permaneat, ſacrorum Canonum inſtituta præcipimus, renouantes, Vt à Subdiaconatus tempore nulli liceat carnale commercium exercere: quod qui deprehenſus fuerit, Ordinis ſui periculum ſuſtinebit.

Nemo pręterea ad ſacrum Ordinem permittatur accedere, niſi virgo aut probatæ ſit caſtitatis, & qui vſque ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.

Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis aut Canonicis offerre præſumat: quòd ſi quis Epiſcopus improbitatis & auaritiæ cauſa conſentire voluerit, Romano Pontifici nuntietur, & eius licentia quid offerre, & offeratur.

Nul-

Digitized by Google

Nullus Abbas, nullus Eccleſiarum Præpoſitus, quæ iuris ſunt Eccleſiaſtici, à laicis accipere ſine Epiſcopi conceſſione præſumat.

Nullus Abbas pretium exigere ab eis qui ad conuerſionem veniunt, aliqua occaſione præſumat.

In eodem quoque Concilio Dominus Papa Vrbanus excommunicatione obligauit Abbates, quicumque deinceps inueſtituras Abbatiarum à qualibet laicali manu quocumque modo præſumerent accipere, & vt nullus Epiſcoporum huiuſmodi Abbates ordinaret aut conſecraret, Apoſtolica auctoritate interdixit.

Adiecit etiam & conſtanter præcepit, Vt nullus Primatum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Ordinatione & conſecratione Epiſcoporum vel Abbatum, cappas, tapetia, bacinos, & manutegia qualibet exactione requirat, vel ſuſcipiat.

CONC. IEROSOLYMITANVM,

quo THEOBERTVS *Piſanus Archiepiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus eligitur in Patriarcham Ieroſolymitanum anno* 1099. *tempore* VRBANI *Papæ* II.

ANNO DOMINI MXCIX. HAC Synodo pulſum eſſe Arnulphum hominem nefarium & Sedis Ieroſolymitanæ inuaſorem, eique conſenſu Principum, omniumq; qui aderant Epiſcoporum auctoritate ſurrogatum eſſe Theobertum Piſanum Archiepiſcopum & Sedis Apoſtolicæ Legatum, teſtatur Willelmus Tyrius l. 8. c. 11. l. 9. c. 18. & 19.

CONC. PICTAVIENSE

in cauſa PHILIPPI *Francorum Regis ad priſtinam adulteram redeuntis, tempore* PASCHALIS *Papæ* II. *celebratum anno Domini* 1100.

n. 6. PHILIPPVS Francorum Rex ob legitimam vxorem reiectam, ac pellicem Bertradam nomine ſubintroductam, in Claramontenſi Concilio ab Vrbano Pontifice excommunicatus, pœnitentiam agens ab eodem abſolutus fuerat; ſed cùm rurſus ad vomitum rediiſſet, rurſus ab Vrbano interdicto ſubiiciebatur. Quare cùm audiſſet Vrbanum ipſum eſſe defunctum, perinde quaſi cum eo omnes leges fuiſſent extinctæ, vincula quibus tenebatur aſtrictus, ſumma iniuria Legum & cenſurarum Eccleſiaſticarum perfregit. Quæ cùm Paſchalis ſucceſſor Vrbani audiſſet, vindex Legum exurgens; Ioannem ac Benedictum S.R.E. Cardinales in Galliam ablegauit, per quos contra Regem 4. Kalendas Auguſti Concilium Pictauis celebrandum indixit. Cumque Regi cogendi Concilij cauſa innotuiſſet, illam Guilielmo Aquitaniæ Duci cognato ſuo Pictauis agenti (vt referunt Fragmenta Franc.) ſcripſit, ac petiit, ne talem ſibi rumorem in ſua vrbe inferri ſineret. Et dum Guilielmus Legatos denuntiaſſet, vt de vrbe exirent, ipſique Legati ſpatium deliberandi ac reſpondendi vnius diei poſtulaſſent & impetraſſent, nocte quæ interiecta fuit, viſus eſt aſtare Legato S. Hilarius, & hortari, ne minis Guilielmi Ducis territus ab incepto deſiſteret; non enim paſſurum Deum, vt ea res ei fraudi eſſet, aut malè ſuccederet. Quam viſionem cùm poſtridie Guilielmo Legatus recitaſſet, permiſit ille vt pro arbitrio cuncta perficeret. Itaque mox in Concilio habita quæſtione de Regis adulterio, excommunicatione aliiſque Cenſuris Apoſtolicis, Rex admonitus fuit vt Bertradam à ſe ablegaret: cui Decreto poſteà paruiſſe, omniaque, vt narratum eſt, ſic geſta fuiſſe, ex ſuprà dictis Fragmentis Francorum, Annalibus Aquitaniæ, & ex 134. 137. 212. Epiſtola Iuonis probat Baronius anno 1100. num. 19. & ſeqq.

CANONES *hoc* CONCILIO *conſtitutos, ex Vaticano Codice refert idem* BARONIVS *dicto loco hos qui ſequuntur.*

DECREVIT ſancta Synodus, Vt nullus Epiſcopus, Abbas, Preſbyter,

Digitized by Google

ſbyter, vel quælibet perſona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuſlibet laicæ perſonæ donum Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, vel reliquarum rerū Eccleſiaſticarum: ſed Epiſcopi à ſuo Metropolitano, Abbates, Presbyteri, & ceteræ inferiores perſonæ à proprio Epiſcopo. Si verò laici Decretis Canonicis reſiſtentes, Eccleſias violenter retinere præſumpſerint, ipſi excommunicentur. In Eccleſiis verò illis nullum diuinum Officium fiat, nullus oret, lumen non ponatur, mortuus non ſepeliatur; tantùm Baptiſmi gratia ibi non negetur, infirmis remedio Pœnitentiæ & Communionis ſubueniatur.

Item, Vt nemo Epiſcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam, vel alios Eccleſiaſticos honores, vel Prælationes in duabus Eccleſiis exerceat, niſi in vna tantùm; & neutrum horum quiſquam per pecuniam acquirat; & quidquid tali modo acquiſiſſe comprobantur, omni remota occaſione deponantur.

Item, Vt nullus de Clero, ſiue de populo, Eccleſiaſtica bona iure conſanguinitatis requirat ſibi habenda.

Item, Vt nullus Epiſcopus pro ſacris Orationibus, vel pro Eccleſiarum benedictionibus, vel quibuſlibet aliis benedictionibus munus accipiat.

Vt nullus Abbas, vel Monachus, vel quilibet alius pœnitentias iniungat, niſi quibus proprius Epiſcopus hanc curam dederit.

Vt Abbas, Monachi, Canonici, Eccleſias quas numquam habuerunt, non emant, vel aliquo modo ſibi vindicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cuius fuerint Diœceſi. In illis verò, quas hactenus abſque calumnia habuerunt, redditus Beneficiaq; obtineant. Presbyter autem de cura animarum & de Chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondeat.

Vt Abbates, Decani, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant, aut Prælationes amittant. Qui Archidiaconatus tenēt, Diaconi fiant; qui Presbyteratus, Presbyteri fiant, aut honores amittant. Quòd ſi aliqui, iuſta cauſa prohibente, Presbyteri aut Diaconi eſſe non poſſunt, Prælationes amittant.

Vt filij Presbyterorum, & ceteri in fornicatione nati, ad ſacros Ordines non promoueantur, niſi aut Monachi fiant, aut in Congregatione Canonica regulariter viuentes, Prælationes verò nullatenus habeant: ſed neque ſerui, niſi à dominis ſuis libertate donentur.

Vt nullus Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habeat; ſed nec aliam feminam, vnde magna ſuſpicio habeatur, in vna domo ſecum teneat. Et quicumque huiuſmodi Sacerdotis concubinarij, ſiue per pecuniam ordinati Miſſam ſcientes audierint, excommunicationi ſubiacere debeant.

Clerici arma portantes, vel vſurarij, excommunicentur.

Hucuſque Canones Concilij Pictauienſis.

CONC. LATERANENSE SIVE ROMANVM I.

contra HENRICVM IV. *Germaniæ Regem celebratum anno Domini* 1102. *tēpore* PASCHALIS *Papæ* II.

De rebus in hac Synodo geſtis Conradus Abbas Vrſpergenſis iſta refert: Anno Domini 1102. Imperator Henricus, habito cum Principibus colloquio, Romam ſe profectum, ac Generale Concilium circa Kalendas Februarij inibi conuocaturum indixit, quatenus tam ſua quàm Domini Apoſtolici cauſa Canonicè ventilata, Catholica inter Regnum & Sacerdotium confirmaretur vnitas, quæ tot annis ſciſſa permanſit. Conſtat tamen, nec ipſum iuxta placitum veniſſe, nec nuntia dignitati Apoſtolicæ ſubiectionem profitentia miſiſſe. Nec hoc latet, quòd alterum Papam ipſi Domino Papali ſuperponere, ſi fieri poſſet, conatus ANNO DOMINI M.CII.

ſit,

ſit, nec profecerit. Tranſacta poſt hæc media Quadrageſima, conuenientibus vniuerſis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuſcaniæ, totiuſq; ſimul Italiæ Præſulibus, Vltramontanorum autem quāplurimorum, Patrum inſtituta more ſolito reuerenter confirmata, etiam ſæpè dictum noſtri temporis ſchiſma inter præcipuas hæreſes computatur, ac perpetuo cum ſuis auctoribus atque ſequacibus anathemate huiuſmodi ſubſcripta profeſſione condemnatur.

FORMVLA ANATHEMATISMI.

ANATHEMATIZO omnem hæreſim, & præcipuè eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſtruit anathema contemnendū, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici, Domino Paſchali eiuſque ſucceſſoribus ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ, affirmans quod affirmat, & damnans quod damnat ſancta & vniuerſalis Eccleſia.

Hactenus Formula. De Actis Synodalibus hæc ſubiungit Vrſpergenſis:

Ibi etiam quam ſententiam in Imperatorem vel Patricium Romanum Henricum idem Apoſtolicus Papalis promulgauerit, nos quoque inter innumeras diuerſarum gentium cateruas, proxima Cœna Domini in Eccleſiā Lateranenſi ab ipſius ore didicimus; nimirum poſtquam 8. Kalendas Octobris maris fluctibus Ioppæ traditi, Romæ ſumus per gratiam Chriſti prædicta maiore hebdomada introducti. Quia, inquit, tunicam Chriſti ſcindere, id eſt, Eccleſiam rapinis & incendiis deuaſtare, luxuriis, periuriis atque homicidiis commaculare non ceſſauit, primò à beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde à ſanctiſſimo viro Vrbano prædeceſſore meo, propter ſuam inobedientiam excommunicatus eſt atque condemnatus: nos quoque in proxima Synodo noſtra iudicio totius Eccleſiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum eſſe volumus omnibus, & maximè Vltramontanis, quatenus ab ipſius ſe contineant iniquitate. Hæc de rebus in hac Synodo geſtis Vrſpergenſis.

In hoc etiam Concilio Archiepiſcopus Capuanus à Caſſinatibus Monachis accuſatus ſacrilegij ſententiam ſubiit ac ſatisfecit. Rem geſtam ſic narrat Petrus Diaconus:

Sequenti tempore idem Abbas Capuam pergens, Cappellam S. Angeli ad Formas, quæ in honorem S. Nicolai nouiter conſtructa erat, fecit à Brunone Signienſi Epiſcopo & huius Monaſterij Monacho dedicari, conuocato etiam Senne Capuano Archiepiſcopo. Facta itaque dedicatione, die alia idem Archiepiſcopus congregata Capuanorum multitudine, armata manu miſit illos ad eamdem Eccleſiam violādam, Altareque demoliendum, & Reliquias inde auferendas, ſibique aſportandas. Hoc facto, conquerebatur contra noſtrum Abbatem & dictum Epiſcopum, quòd contra Canones egiſſent in eadem dedicatione, Metropolitano nō cedentes in his quæ deceret Archiepiſcopum agere. Noſtri vnà cum Epiſcopo dicebant, ſe concorditer egiſſe omnia quæ ibi geſta eſſent. Hac de re inſimulatus à noſtris in Synodo Romana idem Archiepiſcopus, irruptionem Eccleſię, deſtructionem Altaris, Reliquiarumq; violationem obiicientibus vnà cum Clero ciuitatis & populo, emendaturum ſe errata reſpondit, quod etiam fecit. Hæc Petrus.

CONCIL. LONDINENSE, *in quo* INCONTINENTES CLERICI *depoſiti ſunt, anno Domini* 1102. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

IN hac Synodo, auctore Ranulpho in Chronico, depoſiti ſunt & degradati, Guido Percourenſis, Aldewinus, Haymo, Algericus, Robertus, Abbates, alijque plures Clerici incontinētes. Ordinatos eſſe quinq; Epiſcopos in Cantia, teſtatur Malmesburienſis l. 5. c. 28. ANNO DOMINI M. CII.

CONC. LONDINENSE II. *pro* REFORMATIONE ECCLESIAE *celebratum anno Domini* 1102. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M. CII.

De tempore, loco, & cauſa huius Concilij Willelmus Malmeſburienſis ſcribit iſta quæ ſequuntur:

Eodem anno, agente S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, Generale Londonienſe Cõcilium celebratum eſt in Eccleſia S. Petri, circa feſtum diem S. Michaëlis Archangeli, in quo potiſſimùm quæ Romæ decreta in Concilio Generali acceperat de inueſtituris Eccleſiarum, plano ſermone deſcripſit, videlicet:

Quòd nullus Eccleſiæ Prælatus, Epiſcopus, vel Abbas, vel Clericus inueſtituras alicuius Eccleſiaſticę dignitatis de manu ſuſcipiat laicorum. Vnde idem Archiepiſcopus aſſerens hoc animabus expedire, degradauit Abbates & Priores quoſdam, qui de manu laicorum, & datâ pecuniâ Prælatias acceperant, ſicut Riccardum, &c.

Idem Willelmus Malmesburienſis recenſet titulos Canonum in hoc Concilio editorum, ita primùm conſignata exactè temporis ratione:

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſecundo, quarto autem Præſulatus Paſchalis Summi Pontificis, inchoato ſcilicet tertio Regni Regis glorioſi Henrici Anglorum, ipſo annuente, &c. Poſt recenſitos diuerſis ex cauſis depoſitos, hæc habet de editis in Synodo ſacrorum Canonum titulis:

Statutũ quoq; eſt, ne Epiſcopi ſęcularium Placitorum officium ſuſcipiãt, & vt non ſicut laici, ſed ſicut perſonas religioſas decet, ordinatas veſtes habeant, & vt ſemper & vbique honeſtas perſonas habeant teſtes conuerſationis ſuæ.

Vt Archidiaconatus non detur ad Firmam.

Vt Archidiaconi ſint Diaconi.

Vt nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus vxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non eſt, ſi poſt profeſſionem caſtitatis vxorem duxerit, eadem regula conſtringatur.

Vt Presbyter, quamdiu illicitã conuerſationem mulieris habuerit, non ſit legalis, nec Miſſam celebret, nec ſi celebrauerit, eius Miſſa audiatur.

Vt nullus ad Subdiaconatũ aut ſupra ordinetur ſine profeſſione caſtitatis.

Vt filij Presbyterorum non ſint heredes Eccleſiarum patrum ſuorum.

Ne quilibet Clerici ſint ſæcularium Præpoſiti vel Procuratores, aut Iudices ſanguinis.

Vt Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

Vt veſtes Clericorum ſint vnius coloris, & calceamenta ordinata.

Vt Monachi vel Clerici, qui Ordinem ſuum abiecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

Vt Clerici patentes coronas habeant.

Vt decimę non niſi Eccleſiis dentur.

Ne Eccleſiæ aut Præbendæ emãtur.

Ne nouæ Cappellæ fiant ſine conſenſu Epiſcopi.

Ne Eccleſia ſacretur, donec prouideantur neceſſaria & Presbytero & Eccleſiæ.

Ne Abbates faciant milites, & vt in eadem domo cum Monachis ſuis dormiant, & comedant, niſi aliqua neceſſitate prohibente.

Ne Monachi pœnitentiam cuiuis iniungant ſine conſenſu Abbatis ſui. Et quòd Abbates ſui de hoc eis licentiam dare non poſſunt, niſi de eis, quorum animarum curam gerant.

Ne Monachi compatres, ne Monachæ commatres fiant.

Ne Monachi teneãt villas ad Firmã.

Ne Monachi Eccleſias niſi per Epiſcopos accipiant, neque ſibi datas ita expolient ſuis redditibus, ne Presbyteri ibi ſeruientes, in his quæ ſibi & Eccleſiis neceſſaria ſunt, penuriam patiantur.

Vt fides inter virum & mulierem occultè & ſine teſtibus data de coniugio,

gio, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

Vt criniti ſic tondeantur, vt pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

Ne coniugati vſque ad ſeptimam generationem copulentur, vel copulati ſimul permaneant: & ſi quis huius inceſtus conſcius fuerit, & non oſtenderit, eiuſdem criminis participem eſſe ſe cognoſcat.

Ne corpora defunctorum extra Parochiam ſuam ſepelienda portentur, ne Presbyter Parochiæ perdat, quod illi inde iuſtè debetur.

Ne quis temeraria nouitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus (quod contigiſſe cognouimus) ſine Epiſcopali auctoritate reuerentiam ſanctitatis exhibeat.

Ne quis illud nefarium negotium, quòd hactenus ſolebant in Anglia homines ſicut bruta animalia vendi, deinceps præſumat.

Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntariè * viuentes, in eodem Concilio graui anathemate damnati ſunt, donec confeſſione & pœnitentia abſolutionem mereantur. Qui verò in hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt, ſi quidem fuerit perſona Religioſa, vt ad nullũ ampliùs gradum promoueatur, & ſi quem habet, ab eo deponatur: ſi autem laicus, vt in toto Regno Angliæ ſuæ conditionis dignitate priuetur; & ne huius criminis abſolutionem his, qui ſub Regula non vouerunt, aliquis niſi Epiſcopus deinceps facere præſumat. Statutum quoq; eſt, vt per totam Angliam in omnibus Eccleſiis, & in omnibus Dominicis diebus excõmunicatio præfata renouetur.

CONC. TRECENSE I.

in cauſa SILVANECTENSIS EPISCOPI *de Simonia per calumniã accuſati. Habitũ anno* 1104. *ſub* PASCHALI *Papa* II.

ANNO DOMINI MCIV.

Hoc Trecenſe Concilium per Richardum Legatum actitatum fuit, de quo apud eundem Iuonem mentio habetur in epiſtola ad Paſchalem Papam data, in qua cauſam Siluanectenſis Epiſcopi in eo tractatam eſſe teſtatur his verbis: *Nouimus enim præteritis annis, cùm Dominus Richardus Albanenſis Epiſcopus Apoſtolica Legatione fungeretur, quia Trecis ab eodem Legato Concilium celebratum eſt, in quo à maleuolis & æmulis perſonis crimen venditionis ſacrorum Ordinum eidem Epiſcopo obiectum eſt, ſed propter inſufficientiam accuſantium perſonarum, conſentientibus in hoc Epiſcopis, minimè probatum eſt. Sed prædictus Epiſcopus tanti criminis infamiam cupiens euitare, ad arbitrium Legati veſtri (ſicut teſtantur qui affuerunt) ſpontaneus de obiecto crimine ſe purgauit, & innocentiam ſuam iureiurando comprobauit.*

In hoc eodem Concilio ſub Legato Richardo celebrato, creatum fuiſſe Godefredũ, virum ſanctitate conſpicuum, Epiſcopum Ambianenſem, qui res ab eo præclarè geſtas quas vidit, vel ab his qui viderunt, accepit, & quàm exactè atque fideliter conſcripſit, narrat his verbis Nicolaus Monachus Sueſſionenſis: *Eodem tempore quo electio facta eſt, Richardus Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legatus apud Trecenſes celeberrimum habuit Conuentum Epiſcoporum, Abbatum, & Galliarum Procerum. Eò igitur ſe Ambianorum Legati conferunt, ſuo proponunt ſe Paſtore orbatos, vnanimiter à Clero & populo electum aſſerunt Godefredum, Rege quoque aſſentiente. Tum verò omnes qui in eo Conuentu Godefredum nouerant, Chriſtum ſummopere collaudarunt. Sed ille interim fugam meditabatur (aderat enim ibi vt Abbas cum ceteris.) At verò interceptus, iubente Cardinale & Epiſcopis in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus, dignum eum fore Eccleſiæ miniſtrum, ſtrenuum diſpenſatorem, beatum futurum populum, qui talem ſit Paſtorem habiturus. Aiunt enim tunc omnes Te Deum laudamus, cantaſſe,* &c. Hæc de electione eius in Concilio illo Trecenſi confirmata.

Digitized by Google

CONC. FLORENTINVM CCCXL. *Epiſcoporum contra* FLVENTIVM *illius loci Epiſcopum, celebratum anno Domini* 1105. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M. CV. FLVENTIVS Epiſcopus Florentinus, metu imminentium malorum & prodigiorum quæ his temporibus acciderant, docebat iam tum natum eſſe Antichriſtum. Qua re diuulgata, auctoritate Pontificis hæc Synodus congregata eſt Florentiæ, qua poſt habitam diligentem dogmatis erronei diſcuſſionem, animaduerſum eſt, quòd Epiſcopus ſuprà memoratus cum quadam leuitate, vt ſcilicet alicuius magnæ rei auctor videretur, ita de Antichriſti aduentu ſenſerit. Qua de cauſa hominem nouitatis ſtudioſum, & arrogantem, iure meritoque increpantes dimiſerunt. Sabellicus Enneade 9. Antoninus tit. 16. cap. 1.

CONCILIVM QVINTILINEBVRGENSE SEV NORTHVSENSE,

pro REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *apud Northuſum celebratum anno* 1105. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

M. CV. DE rebus in hac Synodo geſtis Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronico hæc ſcribit quæ ſequuntur:

Anno Domini milleſimo centeſimo quinto, dum Imperator Henricus Natalem Domini Moguntiæ celebrat, Heinricus filius eius, nominis illius Quintus Rex dictus, rebellationem aduerſus patrem in Baioaria parat, machinantibus ſcilicet Dieboldo Marchione, Berengero Comite, & Ottone quodam nobili viro, ſibique materna ſtirpe cognato, quorum conſilio & adiutorio ante paucos dies à patris latere diſceſſerat. Primò quippe hereſim præſcriptam anathematizās, Apoſtolicæ Sedis Pontifici debitam profitetur obedientiam: indeque fœderatis ſibi Noricis Principibus, atque ab Alemannia, nec non Orientali Francia nonnullis Nobilibus, ad Saxones conuertitur. A quibus honorificè ſuſceptus, & in Quintilineburg Paſcha celebrans, in breui vniuerſis Saxoniæ ciuitatibus potitus, & ab Optimatibus eſt dignitate Regia ſatis honoratus. Conſilio tamen atque miniſterio Ruothardi Moguntini, atque Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, Reſponſalium ſcilicet Domini Paſchalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ Eccleſiæ communioni reconciliauit: Epiſcopis verò atque Clericis Conuentum Generalem in villam Regiam, quæ Northuſum dicitur, quarto Kalendas Iunij, vbi ſuper Eccleſiaſticę inſtitutionis iam deprauata diſciplina tractaretur, indixit. In quo Concilio ſuper ſententiis inſtantibus, Patrum decretis primò relectis, quæque poterant ad præſens laudabiliter corrigebantur: quædam verò, quæ & grauiora videbātur, ad Apoſtolicam audientiam differebantur. Simoniaca quippe hæreſis Patrum conſuetudine condemnata, Nicolaitarum quoque fornicaria commixtio ibidem eſt ab omnibus abdicata: ieiunium menſis Martij hebdomada Quadrageſimæ, ieiunium verò menſis Iunij in ipſa hebdomada Pentecoſtes Romano more celebrandum, à præſcriptis Præſulibus Apoſtolica auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His verò qui à Pſeudoëpiſcopis fuerant conſecrati, per Catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo ieiunio danda fore promittitur. Vidimus inter hæc, quod ſilentio pręterire non poſſumus, Regem Heinricum non modicam bonæ indolis ſpem magna ſimul humilitate & auctoritate coram omnibus prætendentem. Nam cùm ſeruorum Dei conuentui nonniſi vocatus intereſſe vellet, (ingens enim ibi cum Epiſcopis & Clericis, etiam Abbatum atque Monachorum Eccleſiaſticam ſitiens vnitatem turba confluxerat) tandem in abiecto productus habitu, locoque ſtans editiori, omnibus iuxta Principum decreta, ſuas

ſuas leges atque iura rationabiliter innouauit: ſi qua verò irrationabilia rogabantur, mira ac vltra ſuos annos prudenti reſponſione, & auita magnanimitate confutauit: in omnibus his & ſibimet miro modo ſeruans adoleſcentiæ verecundiam, & Chriſti Sacerdotibus dignam exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lacrymis, ipſum Regem cæli, cunctamque militiam cæli teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen vſurpare: neque dominum & patrem ſuum à Romano deponi Imperio exoptare, imò debitam pertinaciæ & inobedientiæ eius ſemper compaſſionem exhibere: ſique S. Petro ſuiſque ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubiici velit, ſiue Regno cedere, ſiue ſeruiliter ipſi ſe ſubeſſe promiſit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lacrymas ſimul & preces, tam pro patris conuerſione, quàm pro filij proſperitate fundere cœpit, voce magna Kyrie eleïſon declamans. Eadem hora Vto Hildinisheimenſis, & Heinricus Paderburnenſis, ac Fridericus Halberſtadenſis Præſules, veſtigiis Metropolitani proſtrati, ipſius, atque Regis ſtantis, totiuſque præſentis Eccleſiæ teſtimonio, Apoſtolicæ ſe dederunt obedientiæ. Quorum etiam commiſſa Apoſtolico nihilominùs iudicio reſeruantur, ſub officij ſui tantùm ſuſpenſione.

De eadem Synodo Otto Friſingenſis lib. 7. cap. 8. iſta refert: *Henricus filius eius* (Henrici IV.) *rebellationem contra patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi Marchionis & Berengarij Comitis ſub ſpecie Religionis, eò quòd pater eius à Romanis Pontificibus excommunicatus eſſet, molitur; aſcitiſque ſibi quibuſdam ex Orientali Francia, Alemannia, Baioaria Principibus, Saxonicam terrã & gentem contra Regnum facilè animandam ingreditur. Vbi honorificè ſuſceptus, ac Paſcha Domini Quintelinburg manens, vniuerſos gentis illius Primates ad voluntatem ſuam inclinauit: habitoque in villa Regia Northuſen Epiſcoporum Conuentu, præſidente Buothardo Moguntino Archiepiſcopo, qui à ſede propria iam per multum temporis à Rege pulſus fuerat, Simoniam, aliaque Romana Eccleſiæ contraria condemnauit.* Hæc Otto Friſingenſis. De eadem Synodo vide Chronicon Hirſaugienſe Trithemij anno 1105.

CONC. MOGVNTINVM (CONVENTVS MOGVNTINVS:)

quo HENRICVS IV. *Rex Germaniæ & tertius Imperator à* CLEMENTE *Tertio Pſeudopapa coronatus Imperio priuatur, anno Domini* 1105. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

De rebus in hac Synodo geſtis Abbas Vrſpergenſis in Chronico iſta refert: ANNO DOMINI M.CV.

Anno Domini 1105. mediante Henrico iuniore, tantus apud Moguntiam factus eſt in Natali Dominico totius Regni Teutonici Conuentus, quantus per multa annorum curricula numquam eſt viſus. Referunt enim qui aderant, quinquaginta duos ibi tunc Optimates vel eo ampliùs affuiſſe, adeò vt ſolus Dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem iam grauior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Ibi ſuperuenientes Apoſtolicæ Sedis Legati, Epiſcopus ſcilicet Albanus cum Conſtantienſi, ſententiam anathematis in Henricum ſeniorem, dictum Imperatorem, à tot ſibi ſuccedentibus Apoſtolicis ſæpiùs ſæpiuſque promulgatam ſcriptis ſimul & dictis teſtificantes, vniuerſam multitudinem, imò totam toto orbe diffuſam Eccleſiam ab eius communione, Chriſti & beati Petri auctoritate, multis iam annis ſequeſtratum confirmabant. Qua de cauſa, dum ipſe de caſtello, quo manebat, Moguntiam exhibere tentaret, Principes propter cauendum tumultum vulgi, ſuæ potiùs quàm filij parti fauere ſolentis, ipſi Ingelenheim occurrerunt: tandemque generali illum circumuenientes conſilio, vſque ad reatus confeſſionem, ſatisfactioniſque profeſſionem perducunt.

Digitized by Google

Cui cùm Legati communionem ſeu pœnitentiæ modum abſque Generalis Synodi, & Apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura reddere ad præſens non poſſent, ipſe partis vtriuſque conſiliis annuens, Regalia vel Imperialia inſignia, crucē ſcilicet, & lanceam, ſceptrum, globum, atque coronam filij poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum Primatibus multo fletu cōmendans; & ex tunc, iuxta Summi Sacerdotis totiuſque Eccleſiæ decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit. Hoc ordine Heinricus, illius nominis Quintus Rex, primùm à patre, deinde ab vniuerſis Germaniæ Principibus, in Regem iam ſecundò electus, ab Apoſtolicis quoque Legatis per manus impoſitionem Catholicè confirmatus, acceptis tam ab Epiſcopis, quàm laicis, iuxta morem patriæ, ſacramentis, regnare cœpit 88. loco ab Auguſto, 30. patris ſui anno, ab Vrbe condita 857. anno ab origine mundi 6305. Dominicæ verò Incarnationis, vt dictum eſt, 1106. anno.

Qui fauent Henrico patri, vt Anonymus, qui eius inhærebat lateri, quique ipſi erat à ſecretis, ſcripſitque paulò poſt mortem eius Vitam ſeu Funebre encomium eiuſdem Henrici, captiuum tentum à filio patrem, vique coactum eo modo ſe ab Imperio abdicaſſe, filij impietatem exaggerans tradit.

Quid verò tunc cum Richardo Albanenſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato ſit geſtum, ſecundùm ea quæ per Vrſpergenſem ſunt enarrata, idem Auctor ſic ait:

Sed & pedibus Apoſtolici Legati aduoluitur, orans & obſecrans, vt ſe à banno ſolueret, & communioni Eccleſiæ redderet. Laici miſericordia moti, veniam dabant; Legatus autem Domini Apoſtolici abſolutionem negabat, aſſerens, non hoc ſuæ poteſtatis eſſe: oportere ab ipſo Apoſtolico abſolutionis gratiam ipſum expectare. Quid multa? Abrenuntiata Imperiali dignitate priuatus diſceſſit, & ad quamdam ciuitatem, quam filius victui illius permiſerat, receſſit. Hæc ipſe. Sed quomodo facti pœnitens, rurſus ad arma paranda conuertitur, dicetur ſuo loco anno ſequenti: quæ autem ſunt reliqua eiuſdem Conuentus, Vrſpergenſis ſic narrat:

Relatis igitur coram Rege, cunctiſque totius Germaniæ Optimatibus, & Præſulibus, omnique Clero ſimul & populo, Legationibus Romanæ Sedis, Eccleſiarum Regni iſtius commaculatione diuerſa & inueterata, econtrà emendatione ab vniuerſis vnanimiter promiſſa: placuit tam Regi quàm Primoribus, ad ſanctam matrem Romanam Eccleſiam tantos ac tales à Patribus iſtis Legatos tranſmitti, qui & de obiectis ritè rationem reddere, & de incertis ſagaciter inueſtigare, ac per omnia vtilitatibus Eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus viri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus, ac elegantia ſeu diuitiis præcipui, in illaq; ſecundùm Deum ſiue ſæculum veneratione inſignes, à Lotharingia Bruno Treuirenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Francia Otto Babenbergenſis, à Baioaria Eberardus Eichſtatenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia Curienſis, Epiſcopi: nonnulli etiam nobiles de latere Regis laicę profeſſionis; idq; inter cetera ſuſcipiunt in mandatis, vt ſi fieri poſſit, Domini Apoſtolici præſentiam Ciſalpinis partibus impetrent exhiberi.

CONC. GVASTALLENSE,

in Longobardia apud Padum fluuium, de SCHISMATICIS EPISCOPIS *ac* CLERICIS *in vnionem* ECCLESIAE *aſſumendis, celebratum anno Domini 1106. tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

QVO loco & tempore, quáve de cauſa & occaſione hæc Synodus auctoritate Paſchalis Papæ indicta, & congregata; item quid in ea geſtum & conſtitutū fuerit, Abbas Vrſper- ANNO DOMINI M. CVI.

ſpergẽſis his verbis ſuccinctim enarrat:

Poſt hæc, hebdomada quarta menſis Octobris habitum eſt Concilium Generale in Prouincia Longobardia ſuper ripam Padi fluminis, loco qui Waſtallis nuncupatur, vbi præſidente verè per omnia Apoſtolico viro Paſchali II. coram multitudine maxima Clericorum, nec non laicorum, qui de diuerſorum Regnorum Eccleſiis conuenerant, præſentibus etiam Legatis Domini Heinrici Regis, multa ſũt, prout Canonica dictabat æquitas, de inimici zizaniis euulſa, multa de ſtructuris ſuper arenam poſitis deſtructa, plura quoque piſtici ſeminis plantaria profundiùs plantata ſimul & rigata, nonnulla etiam tutiſſimæ munitionis per Eccleſias propugnacula ſunt ædificata. Nam cùm eadem Dominica, quæ erat 11. Kalendas Nouembris, Iuuauenſibus Cunradum, Tridentinis Gebehardum Præſules cõſecraſſet, enarrare longum eſt, quàm indefeſsè prudens & fidelis ille ſummi Patrisfamilias diſpenſator conſeruos ſuos verbi Dei tritico lautiſſimè quotidie reficeret, Pſeudoepiſcopos deponeret, Catholicos conſtitueret; Archiepiſcopis pallia, Monaſteriis priuilegia conceſſerit; præſentes ouium Chriſti Paſtores mellifluis alloquiis, abſentes paternis commonitoriorum literis inſtruxerit: quædam olim abſciſſa membra Eccleſiæ iterùm incorporauerit, quædam etiam quæ inſanabilia videbātur, anathematis abſciſſione truncauerit. Super Ordinationibus autem tempore ſchiſmatis factis, vnde permaximæ ventilabantur quæſtiones, Decretum diſcretione maternorum viſcerum artificioſè meditatum, in hæc verba promulgauit:

Per multos iam annos Regni Teutonici latitudo ab Apoſtolicæ Sedis vnitate diuiſa eſt. In quo nimirum ſchiſmate tantum periculum factum eſt, vt (quod cum dolore dicimus) vix pauci Sacerdotes aut Clerici Catholici in tanta terrarum latitudine repetiantur. Tot igitur filiis in hac ſtrage iacentibus, Chriſtianæ pacis neceſſitas exigit, vt ſuper hos materna Eccleſię viſcera aperiantur. Patrum itaq; noſtrorum exemplis & ſcriptis inſtructi, qui diuerſis tẽporibus Nouatianos, Donatiſtas, & alios hæreticos in ſuis Ordinibus ſuſceperunt, præfati Regni Epiſcopos ſchiſmate ordinatos, (niſi aut inuaſores, aut Simoniaci, aut criminoſi ſint probati) in officio Epiſcopali ſuſcipimus. Id ipſum de Clericis cuiuſcumque Ordinis conſtituimus, quos vita ſcientiaq; commendant.

His & huiuſmodi ſuper Eccleſiam diuini luminis orientis auroræ iucundati ſplendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miſerendi eius, pariterque Apoſtolicis macti benedictionibus, ad ſua quique conuertuntur.

Hucuſq; de his Vrſpergenſis Abbas. Alia ad hanc Synodum ſpectantia vide apud Binium.

CONC. IEROSOLYMITANVM,

quo EBREMARO *depoſito*, DABERTVS *Jeroſolymitanus Patriarcha ſedi ſuæ reſtitutus eſt anno Domini 1107. tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

CAVSAM, locum, tempus, & Acta Concilij Wilhelmus Tyrius l. 11. Belli ſacri, cap. 4. enarrat his verbis: ANNO DOMINI M.CVII.

Intereà Dominus Dabertus Ieroſolymitarum Patriarcha, poſt longam expectationem, qua eum detinuerat Dominus Paſchalis Papa & Eccleſia Romana, volens pleniùs edoceri, vtrùm Rex Ieroſolymorum, & qui eum expulerant, vellent contra eum aliquid allegare, vnde hoc videri poſſent de Iure feciſſe: poſtquam nemo comparuit, qui contra eum aliquid diceret, nec in eius facto aliquid aliud notari poterat, niſi quòd Regiâ expulſus eſſet violentiâ; cum plenitudine gratiæ, & Apoſtolicarum literarum proſecutione, viſus eſt ad propria redire, & ſedem recipere debere, ex qua fuit indebitè deturbatus.

Qui

Qui tandem in Siciliam veniens, & apud Meſſanam moram faciens neceſſariam, tranſitum expectans, graui correptus ægritudine, 16. Kalendas Iulij viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio verò tribus. Ebremarus verò eiuſdem Sedis incubator, audiens quòd prædictus Dominus Dabertus cum plenitudine gratiæ reuertebatur ſedem ſuam recepturus, antequam de obitu eius inſtrueretur, ad eamdem Romanam transfretare Eccleſiam decreuit, allegaturus de ſua innocentia, quomodo inuitum & renitentem in eamdem ſedem illum locauerant. Quò perueniens, nil impetrare potuit, quàm vt cum eo dirigeretur Legatus, qui de cauſa eius Ieroſolymis conſtitutus, pleniùs poſſet cognoſcere. Deſignatus eſt autem ad id muneris proſequendum Dominus Gibelinus, vir ſenex & grandæuus, Arelatenſis Archiepiſcopus: qui de mandato Domini Papæ Ieroſolymam profectus, conuocato Epiſcoporum Regni Concilio, de cauſa Domini Ebremari cognouit pleniùs. Cumque ei conſtitiſſet per teſtes idoneos ſufficientes, & maiores omni exceptione, quòd D. Dabertus abſque cauſa legitima, Arnulphi factionibus & Regiâ violentiâ fuerat expulſus, & quòd Ebremarus adhuc viuentis Pontificis, & Eccleſiæ habentis communionem, ſedem occupauerat; auctoritate qua præminebat, eum à Patriarchatu depoſuit. Sed conſiderans multam viri religionem, & ſimplicitatem miram, Cęſarienſem, quæ tunc vacabat, Eccleſiam ei conceſſit habendam. Hæc Tyrius.

CONCIL. TRECENSE *quo* SIMONIACI *&* LAICI COLLATORES BENEFICIORVM *proſcribuntur, anno Domini* 1107. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI MCVII.

QVA occaſione hoc Concilium congregatum, quidve in eo geſtum fuerit, Vrſpergenſis in Chronico anno Domini 1107. deſcribit iſtis verbis:

Circa Aſcenſionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit: vbi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda, correxit, ſententiam de libera Paſtorum electione, & de coërcenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgauit. At Rex Henricus peragratis Saxoniæ finibus, poſt Paſchale feſtum Moguntiæ actum, eidem ſe Concilio vicinum, non tamen præſentem, cum nonnullis Epiſcopis & Optimatibus exhibuit: cum quibus etiam inito conſilio, Legatos honorabiles ad Apoſtolicum trāſmiſit, per quos tam ipſi, quàm vniuerſæ Synodo poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum priuilegiis Apoſtolicis Carolo Imperatori conceſſam notificarent. Super qua quæſtione, quia in alieno Regno quidquam diffiniri, vtpote Romano iam incipiens potiri ſceptro, Henricus non patitur, induciæ ſibi totum ſequentis anni ſpatium Romam veniendi, & eamdem cauſam Generali Concilio ventilandi conceduntur. Tunc etiam nonnullos noſtrates Epiſcopos, eò quòd eidem Concilio non intererant, officij ſuſpenſione Dominus Papa mulctauit: quos tamen non multò pòſt ſatisfacientes, clementer abſoluit.

In eodem Trecenſi Concilio dum eſſet Paſchalis Papa, contigit ad eum mitti Legationem ab Eccleſia Dolenſi, quæ viduata Paſtore, peteret dari ſibi Archiepiſcopum Vulgrinum, Carnotenſis Eccleſiæ Cancellarium, Iuonis diſcipulum, virum quidem doctrina atque probitate præſtantem: qui ſuæ electioni repugnans, & ab eodem Concilio recedens, ad Iuonem venit, implorans ab eo auxilium apud Pontificem, ne cogeretur inuitus munus Epiſcopale ſuſcipere. cuius rei gratia tunc ad Paſchalem Papam Iuo dedit epiſtolam ducenteſimam.

CON-

Digitized by Google

CONC. LONDONIENSE

de INVESTITVRA A LAICIS NON ACCIPIENDA, *celebratum in Anglia anno Domini* 1108. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CVIII. RES in hac Synodo geſtas Matthæus Paris in Hiſtoria Angl. anno 1107. his verbis ſummatim recenſet: *Eodem anno factus eſt conuentus Epiſcoporum & Abbatum pariter & Magnatum Londoniis in palatio Regis, præſidente Archiepiſcopo Anſelmo, cui annuit Rex Henricus, & ſtatuit, vt ab eo tempore in reliquum numquam per donationem baculi Paſtoralis, vel annuli, quiſquam de Epiſcopatu vel Abbatia per Regem vel quamlibet laicam manum inueſtiretur in Anglia: concedente Archiepiſcopo, vt nullus ad Prælationem electus, pro homagio, quod Regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris priuaretur.*

CONC. BENEVENTANVM

de INVESTITVRA BENEFICIORVM ECCLESIASTICORVM *à laicis non ſumenda, anno Domini* 1108. *tempore* PASCHALIS II.

M.CVIII. COLLECTOR Chronici Caſſinenſis, lib. 4. cap. 35. de rebus in hac Synodo geſtis ſic ait: *Menſe autem Octobrio aduenit hic idem Apoſtolicus, adiunctoque ſibi Abbate noſtro Beneuentum celebrandæ illic Synodi cauſa perrexit. In qua prædeceſſorum veſtigia ſecutus conſtituit, Vt ſi quis Eccleſiaſtica beneficia de manu laicorum acciperet, vterque communione priuaretur. Veſtimenta ſæcularia & pretioſa reprehendit, & ijs vti clericos vetuit.*

In Chronico autẽ Monaſterij S. Vincentij ad Fontes Vulturni poſiti, à Ioanne eiuſdem Monaſterij Monacho ſcripto, mentio habetur, quòd dum in his regionibus idem Paſchalis Pontifex verſaretur, inuiſit ipſum S. Vincentij celebre Monaſterium: vbi cùm comperiſſet, ab eodem quoq; Monacho Ioanne ſcribi cœptam Hiſtoriam Eccleſiaſticam, laudauit eius ſtudium Pontifex, & cùm laudaſſet, amplexatus eum hæc adiecit: *Benè, inquit, ó fili, magnũ opus cœpiſti: ſed benè cœpta, meliùs proſequi ſtude.*

CONC. PICTAVIENSE

ad REFORMANDOS MORES ECCLESIAE *celebratum, anno Domini* 1109. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

DECRETA HVIVS CONCILII.

VT nullus prẹter Epiſcopum coronas benedicere præſumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantummodò coronas faciant, quos Regulâ B. Benedicti militaturos ſuſceperint. M.CIX.

Vt nemo in faciendis coronis forcipes, vel manutegia exigat.

Vt Clerici numquam alicui laico hominium aliquo modo facere præſumant, aut à quolibet laico Eccleſiaſticum Beneficium accipiant.

Vt nullus veſtimenta Sacerdotalia, vel Altaris vtenſilia præter Epiſcopum benedicere præſumat.

Vt nemo Monachorum deinceps Manipulis vtatur, niſi fuerit Subdiaconus ordinatus.

Vt nullus Abbatum chirothecis vtatur, & ſandaliis, & annulo, niſi quibus fuerit per priuilegium à Romana Eccleſia conceſſum.

Vt Præbenda non vendatur vel ematur, neque paſtus inde exigatur, ſub excommunicatione interdicimus.

Vt nulla inueſtitura Præbendarum fiat, & Altarium, ſiue Prælationum, viuentibus & eas poſſidentibus perſonis.

Vt neque Clerici vel Monachi per pecuniam Altaria vel decimas à laicis ſibi acquirant, ſimiliter ſub excommunicatione interdicimus.

Vt Clerici Regulares iuſſu Epiſcopi ſui baptizare, prẹdicare, pecuniam dare, mortuos ſepelire licenter poſſint.

Vt nullus Monachorum Parochiale miniſterium Presbyterorum baptizare, prædicare, pecuniam dare præſumat.

Vt Sanctorum Reliquias cauſâ pecuniæ

Digitized by Google

niæ & quæſtus circumferentes, ad prædicationem non admittantur.

Vt neque Archiepiſcopi ab Epiſcopis, neque Epiſcopi ab Abbatibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutegia in conſecratione eorum exigant, ſub excommunicatione interdicimus.

Vt nullus laicorum de oblationibus quæ offeruntur vel donantur ad Altare, ſiue ad manum Presbyteri, vel quod pro ſepultura fidelium deuotè donatur, præſumat participare, ſub excommunicatione interdicimus.

Vt nemo Aduocatus, vel quæcumque perſona, res Epiſcopi, ſiue in vita ſiue poſt mortem, ſibi vendicare præſumat; quod ſi fecerit, anathema ſit.

De decimis & Altaribus, quæ iniuſtè laici & contra ſacros Canones detinent, de caſtitate Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, ac Canonicorum, & ne quis in duabus Eccleſiis duas Præbendas aut duos honores obtineat: & quidquid de ceteris Eccleſiaſticis vtilitatibus beatæ memoriæ Dominus Vrbanus Papa II. in Claramontenſi Concilio conſtituit, nos Apoſtolica auctoritate tenendum præcipimus.

CONCIL. RHEMENSE
in cauſa GODEFREDI *Ambianenſis Epiſcopi, anno* 1109. *celebratum ſub* PASCHALI *Papa* II.

ANNO DOMINI M.CIX. ANNO Domini 1109. Rhemis Synodus celebrata eſt frequenti concurſu Epiſcoporum ac Procerum. In qua inter alia actitatum reperitur, quòd idem Godefredus Epiſcopus Ambianenſis redarguit falſitatis Diploma Apoſtolicum, quod ad ſuam ipſorum exemptionem à ſubiectione Epiſcopi Ambianenſis ediderant Pſeudomonachi, dum appellantes ad Sedem Apoſtolicam, illuc eumdem traxerunt ſanctum Epiſcopũ. Præcurrentes enim Monachi illi, Cauſidicos iniquos, paratos pro pecunia quamlibet cauſam, ſiue iuſtam ſiue iniuſtam, defendere, nacti, eorumque patrocinio apud Paſchalem Pontificem facti voti compotes, atque victores iniqui, ad propria rediêre, in ſanctum virum probra iactantes.

CONCILIVM IEROSOLYMITANVM II.
quo per CONONEM *Legatum condemnatus eſt Imperator* HENRICVS V. *aliàs* IV. *anno* 1111. PASCHALIS *Papa* II.

DVM caput Romanæ Eccleſiæ Paſchalis Pontifex, Henrici Imperatoris ſacrilegæ petitioni nimium deferendo, langueſceret, nequaquam pariter cum eo infirmata ſunt omnia ſimul membra, ſed miro modo aduerſus proditorem & ſacrilegum Principem inſurrexere ipſi potiſſimùm Legati, qui in diuerſis Prouinciis vicem Pontificiam obeuntes, munere Legationis Apoſtolicæ fungebantur. Inter quos, ſicut Romæ Ioannis Cardinalis Epiſcopi Tuſculani virtus enituit, ita in Oriente Cononis ſiue Cunonis Cardinalis Epiſcopi Præneſtini Legatione fungentis ingens animi fortitudo pluribus exemplis eſt declarata. Qui vbi Ieroſolymis exiſtens hæc audiuit, nulla interpoſita mora, collecto ibi hoc anno Concilio, Henricum vt impium, dirum, ſacrilegumque tyrannum anathemate condemnauit, moxque aduolans in Occidentem, eodemque Legationis munere Græciam Borealeſque luſtrans circumquaque Prouincias, in ſingulis collecta Synodo, vbiq; eumdem Henricum anathemate perculit. Conſtant hæc ex Actis vltimi ſub Paſchale celebrati Concilij Lateranenſis. M.CXI.

Summam itaque in tanto naufragio Romanæ Eccleſiæ ex Sacerdotali conſtantia Conon ſibi gloriam comparauit, laudemque peperit immortalem. Ita Deo mirabili modo operante, vt quod deficit in capite robur, in cohærentibus membris magis ac magis accreuerit, ad alligandum perfidum Regem in compedibus anathematis, & nobiles eius in maledictionibus ſempiternis.

CONCILIVM LATERANENSE II.

quo à centum plus minùs Epiſcopis priuilegium illud, quod de concedendis ſibi BENEFICIORVM *Inueſtituris* HENRICVS V. *à* PASCHALI *Papa, per vim extorſerat, reuocatur, quoque in ipſum Imperatorem anathematis ſententia promulgatur, anno Domini* 1112. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI 1112. ACTA huius Concilij, quæ & Nicolaus Aragonius in ſuum tranſtulit Codicem, in Vita Paſchalis ſic ſe habent:

Anno Incarnationis Dominicæ 1112. quinto Kalendas Aprilis celebrata eſt Synodus Lateranenſis à domno Paſchali Papa in Baſilica Conſtantiniana. Vbi Epiſcopi complures ex Italicis Prouinciis interfuerunt, à Tranſalpinis duo. In qua nimirum Synodo de Guibertinis die quarta eſt facta quæſtio, quòd referrentur quaſi ex permiſſione Papæ interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait: Nec excommunicatos (ſicut aiunt quidam) generaliter abſolui. Conſtat enim, neminem, niſi pœnitentem & ſatisfacientem, abſolutionis gratiam conſequi. Guibertinis nec officia interdicta reſtitui, imò Eccleſiæ ſententiam in eos editam, iuxta prædeceſſorum noſtrorum deliberationem, laudamus & confirmamus.

Die autem quinta idem Pontifex narrauit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Epiſcopis quibuſdam, & Cardinalibus tam Presbyteris quàm Diaconibus, & cum magna tam Romanorum, quàm aliorum qui tunc ſecum conuenerant, multitudine captus fuerit: quodque coactus fuerit contra deliberationem ſuam, pro redemptione captiuorum, pro pace populi, pro liberatione Eccleſiæ, vt ſupradicto Regi de inueſtituris, quas ſæpiùs prohibuerat, ſcriptum conceſſionis daret, & iuraméta per Epiſcopos ſeu Cardinales fieri præceperit, quatenus nec de inueſtituris deinceps eum inquietaret, nec in perſonam Regis anathema poneret. Quamuis autem conditio iuramenti impoſita ab ipſo & ſuis minùs obſeruata ſit (neque enim ſeruauerunt nobis quod ab ipſis iuratum fuerat:) ego tamen eum numquam anathematizabo, & numquam de inueſtituris inquietabo: ſed quoniam noſtrę commonitionis inſtantiam repulerunt, habebunt iudicem Deum. Porrò ſcriptum illud, quod magnis neceſſitatibus coactus, non pro vita mea, non pro ſalute, aut gloria, ſed pro ſolis Eccleſiæ neceſſitatibus ſine fratrum conſilio aut ſubſcriptionibus feci, ſuper quo nulla conditione, nulla promiſſione conſtringimur: ſicut prauè factum cognoſco, ita prauè factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præſtante, deſidero: cuius correctionis modum, fratrum, qui conuenerunt, conſilio iudicioque conſtituo, ne fortè per hoc in poſterum detrimentum aliquod Eccleſiæ, aut animæ meæ præiudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium fauore laudatum eſt, vt fratres omnes, qui donum à Deo ſapientiæ ſcientiæque perceperant, maturius ſuper hoc conſilium communi collatione ſuſciperent, quid ſequenti die per inſpirationem Spiritus ſancti reſponderent.

Die itaque ſexta, quę & vltima Concilij fuit, fidei ſuæ veritatem ſanctis Patribus per omnia cõgruentem domnus Papa Paſchalis in audientia totius Concilij expoſuit, aſſerens ſe Scripturas ſanctas veteris & noui Teſtamenti, & Concilia Vniuerſalia veneranda ſuſcipere ac venerari, quæ Catholica Eccleſia ſuſcipit & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem diuinam Scripturam, ſcilicet veteris & noui Teſtamenti, Legem ſcriptam à Moyſe & à ſanctis Prophetis: amplector quatuor Euangelia, ſeptem Canonicas Epiſtolas, & Epiſtolas glorioſi Doctoris B. Pauli Apoſtoli, ſanctos Canones Apoſtolorum,

niæ & quæſtus circumferentes, ad prædicationem non admittantur.

Vt neque Archiepiſcopi ab Epiſcopis, neque Epiſcopi ab Abbatibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutegia in conſecratione eorum exigant, ſub excommunicatione interdicimus.

Vt nullus laicorum de oblationibus quæ offeruntur vel donantur ad Altare, ſiue ad manum Presbyteri, vel quod pro ſepultura fidelium deuotè donatur, præſumat participare, ſub excommunicatione interdicimus.

Vt nemo Aduocatus, vel quæcumque perſona, res Epiſcopi, ſiue in vita ſiue poſt mortem, ſibi vendicare præſumat; quod ſi fecerit, anathema ſit.

De decimis & Altaribus, quæ iniuſtè laici & contra ſacros Canones detinent, de caſtitate Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, ac Canonicorum, & ne quis in duabus Eccleſiis duas Præbendas aut duos honores obtineat: & quidquid de ceteris Eccleſiaſticis vtilitatibus beatæ memoriæ Dominus Vrbanus Papa II. in Claramontenſi Concilio conſtituit, nos Apoſtolica auctoritate tenendum præcipimus.

CONCIL. RHEMENSE

in cauſa GODEFREDI *Ambianenſis Epiſcopi, anno* 1109. *celebratum ſub* PASCHALI *Papa* II.

ANNO DOMINI M.CIX.

ANNO Domini 1109. Rhemis Synodus celebrata eſt frequenti concurſu Epiſcoporum ac Procerum. In qua inter alia actitatum reperitur, quòd idem Godefredus Epiſcopus Ambianenſis redarguit falſitatis Diploma Apoſtolicum, quod ad ſuam ipſorum exemptionem à ſubiectione Epiſcopi Ambianenſis ediderant Pſeudomonachi, dum appellantes ad Sedem Apoſtolicam, illuc eumdem traxerunt ſanctum Epiſcopũ. Præcurrentes enim Monachi illi, Cauſidicos iniquos, paratos pro pecunia quamlibet cauſam, ſiue iuſtam ſiue iniuſtam, defendere, nacti, eorumque patrocinio apud Paſchalem Pontificem facti voti compotes, atque victores iniqui, ad propria rediêre, in ſanctum virum probra iactantes.

CONCILIVM IEROSOLYMITANVM II.

quo per CONONEM *Legatum condemnatus eſt Imperator* HENRICVS V. *aliàs* IV. *anno* 1111. PASCHALIS *Papa* II.

DVM caput Romanæ Eccleſiæ Paſchalis Pontifex, Henrici Imperatoris ſacrilegæ petitioni nimium deferendo, langueſceret, nequaquam pariter cum eo infirmata ſunt omnia ſimul membra, ſed miro modo aduerſus proditorem & ſacrilegum Principem inſurrexere ipſi potiſſimùm Legati, qui in diuerſis Prouinciis vicem Pontificiam obeuntes, munere Legationis Apoſtolicæ fungebantur. Inter quos, ſicut Romæ Ioannis Cardinalis Epiſcopi Tuſculani virtus enituit, ita in Oriente Cononis ſiue Cunonis Cardinalis Epiſcopi Præneſtini Legatione fungentis ingens animi fortitudo pluribus exemplis eſt declarata. Qui vbi Ieroſolymis exiſtens hæc audiuit, nulla interpoſita mora, collecto ibi hoc anno Concilio, Henricum vt impium, dirum, ſacrilegumque tyrannum anathemate condemnauit, moxque aduolans in Occidentem, eodemque Legationis munere Græciam Borealeſque luſtrans circumquaque Prouincias, in ſingulis collecta Synodo, vbiq; eumdem Henricum anathemate perculit. Conſtant hæc ex Actis vltimi ſub Paſchale celebrati Concilij Lateranenſis. M.CXI.

Summam itaque in tanto naufragio Romanæ Eccleſiæ ex Sacerdotali conſtantia Conon ſibi gloriam comparauit, laudemque peperit immortalem. Ita Deo mirabili modo operante, vt quod deficit in capite robur, in cohærentibus membris magis ac magis accreuerit, ad alligandum perfidum Regem in compedibus anathematis, & nobiles eius in maledictionibus ſempiternis.

CONC.

Digitized by Google

CONCILIVM LATERANENSE II.

quo à centum plus minùs Epiſcopis priuilegium illud, quod de concedendis ſibi BENEFICIORVM *Inueſtituris* HENRICVS V. *à* PASCHALI *Papa, per vim extorſerat, reuocatur, quoque in ipſum Imperatorem anathematis ſententia promulgatur, anno Domini* 1112. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXII.

ACTA huius Concilij, quæ & Nicolaus Aragonius in ſuum tranſtulit Codicem, in Vita Paſchalis ſic ſe habent:

Anno Incarnationis Dominicæ 1112. quinto Kalendas Aprilis celebrata eſt Synodus Lateranenſis à domno Paſchali Papa in Baſilica Conſtantiniana. Vbi Epiſcopi complures ex Italicis Prouinciis interfuerunt, à Tranſalpinis duo. In qua nimirum Synodo de Guibertinis die quarta eſt facta quæſtio, quòd referrentur quaſi ex permiſſione Papæ interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait: Nec excommunicatos (ſicut aiunt quidam) generaliter abſolui. Conſtat enim, neminem, niſi pœnitentem & ſatisfacientem, abſolutionis gratiam conſequi. Guibertinis nec officia interdicta reſtitui, imò Eccleſiæ ſententiam in eos editam, iuxta prædeceſſorum noſtrorum deliberationem, laudamus & confirmamus.

Die autem quinta idem Pontifex narrauit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Epiſcopis quibuſdam, & Cardinalibus tam Presbyteris quàm Diaconibus, & cum magna tam Romanorum, quàm aliorum qui tunc ſecum conuenerant, multitudine captus fuerit: quodque coactus fuerit contra deliberationem ſuam, pro redemptione captiuorum, pro pace populi, pro liberatione Eccleſiæ, vt ſupradicto Regi de inueſtituris, quas ſæpiùs prohibuerat, ſcriptum conceſſionis daret, & iuraméta per Epiſcopos ſeu Cardinales fieri præceperit, quatenus nec de inueſtituris deinceps eum inquietaret, nec in perſonam Regis anathema poneret. Quamuis autem conditio iuramenti impoſita ab ipſo & ſuis minùs obſeruata ſit (neque enim ſeruauerunt nobis quod ab ipſis iuratum fuerat:) ego tamen eum numquam anathematizabo, & numquam de inueſtituris inquietabo: ſed quoniam noſtrę commonitionis inſtantiam repulerunt, habebunt iudicem Deum. Porrò ſcriptum illud, quod magnis neceſſitatibus coactus, non pro vita mea, non pro ſalute, aut gloria, ſed pro ſolis Eccleſiæ neceſſitatibus ſine fratrum conſilio aut ſubſcriptionibus feci, ſuper quo nulla conditione, nulla promiſſione conſtringimur: ſicut prauè factum cognoſco, ita prauè factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præſtante, deſidero: cuius correctionis modum, fratrum, qui conuenerunt, conſilio iudicioque conſtituo, ne fortè per hoc in poſterum detrimentum aliquod Eccleſiæ, aut animæ meæ præiudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium fauore laudatum eſt, vt fratres omnes, qui donum à Deo ſapientiæ ſcientiæque perceperant, maturius ſuper hoc conſilium communi collatione ſuſciperent, quid ſequenti die per inſpirationem Spiritus ſancti reſponderent.

Die itaque ſexta, quę & vltima Concilij fuit, fidei ſuæ veritatem ſanctis Patribus per omnia cõgruentem domnus Papa Paſchalis in audientia totius Concilij expoſuit, aſſerens ſe Scripturas ſanctas veteris & noui Teſtamenti, & Concilia Vniuerſalia veneranda ſuſcipere ac venerari, quæ Catholica Eccleſia ſuſcipit & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem diuinam Scripturam, ſcilicet veteris & noui Teſtamenti, Legem ſcriptam à Moyſe & à ſanctis Prophetis: amplector quatuor Euangelia, ſeptem Canonicas Epiſtolas, & Epiſtolas glorioſi Doctoris B. Pauli Apoſtoli, ſanctos Canones Apoſtolorum,

Ttt qua-

quatuor Vniuerſalia Concilia, ſicut quatuor Euangelia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe: Decreta ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè Decreta Domini mei Papæ Gregorij, & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerunt, confirmo: quæ damnauerunt, damno: quæ repulerunt, repello: quæ interdixerunt, interdico: quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his ſemper perſeuerabo.

In calce huius Profeſſionis ex ore omnium, qui ad conſulendum heſterna deliberatione conuenerant, Engoliſmenſis Epiſcopus Gerardus hanc in ſcriptis ſententiam recitauit:

Sententia Synodalis contra priuilegium Regi datũ.

Priuilegium illud, quod non eſt priuilegium (neque verò debet dici priuilegium, ſed prauilegium) pro liberatione captiuorum & Eccleſiæ à domno Papa Paſchali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio cum eodem domno Papa congregati, Canonica cenſura, & Eccleſiaſtica auctoritate, iudicio ſancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe iudicamus, atque omnino caſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitùs excommunicamus. Quod ideò damnatum eſt, quod in eo Priuilegio continebatur, quòd electus Canonicè à Clero & populo, à nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inueſtiatur, quod eſt contra Spiritum ſanctum, & Canonicam inſtitutionem.

Perlecta verò charta, acclamatum eſt à Concilio vniuerſo: Amen, Amen. Fiat, Fiat.

Et ſubſcripſerunt omnes.

Annotatio.

Prolixiorem Annotationem hic ponit Binius, quæ poteſt videri. videatur etiam Baronius hoc anno num. 18. & 19.

CONC. VIENNENSE

quo Henricvs *Imp.* V. *ob* extortas Investitvras *excommunicatus eſt anno* 1112. *ſub* Paschali *Papa* II.

Gvido Archiepiſcopus Viennenſis, qui fuit poſteà Calliſtus Papa, modò autem Legatus Apoſtolicæ Sedis, Viennæ hoc anno contra iſthæc ab Henrico ſcelera perpetrata, Conciliũ celebrauit 17. Kalendas Octobris, cui inter alios Epiſcopos interfuit, imò & præfuit pro Legato (quòd impeditioris eſſet linguæ) ſanctus Godefredus Epiſcopus Ambianenſis: ſed & interfuit etiam huic Concilio Viennenſi S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus (inquit Guido Abbas Carthuſiæ in Vita ipſius) *qui præ cunctis, vt Henricus, qui ſic enormiter in Paſchalem Papam peccaſſet, excommunicaretur, in eodem Viennenſi Concilio effecit.* Anno Domini M.CXII.

Porrò ibidem iſta decreta ſcripta eſſe reperiuntur:

Inueſtituram Epiſcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica, S.R.E. auctoritatem ſequentes, hæreſim eſſe iudicamus.

Scriptum illud, ſeu priuilegium, quod à domno Paſchali Papa violenter Henricus Rex de inueſtituris, de anathemate in perſona ſua non ſpontè extorſit, in virtute ſancti Spiritus damnamus, atque irritum eſſe, & nullius beatæ memoriæ iudicamus fieri.

Henricum Teutonicorum Regem, qui ſimulata pace Romam veniens, poſt data ſacramenta domno Papæ Paſchali vitæ, membrorum, malæ captionis, refutationis inueſtiturarum, eumdem domnum Papam in Sede Apoſtolica ante corpus B. Petri, poſt oſculationem pedis, oris, & faciei, proditione, periurio, & ſacrilegio, velut alter Iudas, cum Cardinalibus, & Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & multis Romanorum nobilibus tradidit, cepit, & raptũ in caſtra, inſignibus Apoſtolicis exuit, & in-

Digitized by Google

& indignè atque inhoneſtè irriſum tractauit, & ab eo nefandiſſimum & deteſtabile ſcriptum violenter extorſit: excommunicamus, anathematizamus, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtramus, donec his omnibus renuntiatis, plenam ſatisfactionem Eccleſiæ exhibeat. Hæc ibi.

Quòd autem ad confirmationem ſpectat, Paſchalis Papa confirmare diſtulit, vixque impulſu Cononis Prænestini Epiſcopi Cardinalis poſt annos quatuor, nempe Redẽptoris anno 1116. in Lateranenſi Concilio confirmauit omnia quæ per Legatos geſta eſſent, nominatim verò per eumdem Archiepiſcopum Viennenſem, vt ſuo loco patebit.

CONC. BENEVENTANVM II.

in cauſa CASSINENSIS MONASTERII *celebratum anno Domini* 1113. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXIII.

QVID in hac Synodo geſtum fuerit, Auctor Chronici Caſſinenſis lib. 4. c. 50. deſcribit his verbis:

Sequente anno iam dictus Papa Paſchalis ad has rurſum partes adueniens, Beneuentum Synodum celebraturus cum noſtro Abbate perrexit: in qua per Sennem Capuanum Archiepiſcopum queſtus eſt, quòd Eccleſia ſanctæ Sophiæ intra Beneuentum, violenter fuerit ab huius loci ditione ſubducta: ſed profecit nihil. Accuſauit item Benedictum Terræ maioris Abbatem, quòd inuaſiſſet Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ iuris noſtri anteà fuerat. Pontifex (etſi Oderiſius olim eum inde pulſauerat) miſſis literis, appoſita etiam interdicti pœna, vel loci, vel Ordinis, Abbatem ipſum ad ſe venire coëgit. Data igitur Iuriſperitis biduum licentia diſputandi, nouiſſimè Terræ maioris Aduocati probationem quadragenariæ poſſeſſionis obtenderunt. Sed eorum teſtes cùm non ex viſu vel auditu, ſed ex fama ſola teſtimonium ferrent; nec Legibus neque Canonibus admitti potuerunt. At contrà, noſtri quadragenariæ vel tricenariæ poſſeſſionis interruptionem aſtruebant: & duos Religionis Monachos, vnum Epiſcopum, alterum Diaconum protulerũt: qui ſe præſentibus prædictam Eccleſiam per Deſiderium felicis memoriæ Abbatem, Rodulpho Presbytero locatam aſſerebant: ſicut ex locationis ſcripto conſtabat ſub cenſu bizantiorum VI. Tres etiam laici teſtes ab eis prolati ſunt, qui ſe vidiſſe fatentur per annos quadraginta, priuſquam Eccleſiam illam Monaſterium Terræ maioris inuaſiſſet, huius Cœnobij Monachos ibidẽ fuiſſe repoſitos. Itaque Pontifex Legum auctoritate perſpecta, Monaſterio Terræ maioris ſuper hoc negotio ſilentium perpetuò indixit, Eccleſiamque ipſam cum poſſeſſionibus ſuis apud noſtrum Monaſterium per priuilegium quietam in perpetuum manere conſtituit.

CONCILIVM APVD CYPERANVM

habitũ, in quo CASSINENSIS MONACHVS, *qui inuitus in Monaſterium intruſus fuerat, à voto abſoluitur, &* GVILIELMVS *Dux Apuliæ Calabriæq; conſtituitur, anno Domini* 1114. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ACTA huius Concilij in Chronico Caſſinenſi lib. 4. c. 51. deſcribuntur his verbis: ANNO DOMINI M.CXIV.

Eodem anno cùm Paſchalis apud Cyperanum Synodum celebraret, Archiepiſcopus Conſentinus, accuſauit Rogerium Siciliæ Comitem, qui ſe de Archiepiſcopatu deiiciens, inuitum & renitentem Monachum fieri [illegible]fferat. Ad hæc Papa, Non, inquit, hoc attinet ad me: huiuſmodi quippe cognoſcere & vindicari, Abbati Caſſinenſi prædeceſſores mei ſua auctoritate contulerũt. Dona enim, & vocatio Domini (vt Apoſtolus ait) ſine pœnitentia ſunt. Illud ergo donum, quod omnipotens Deus beato Benedicto conceſſit, ac per eum

Digitized by Google

Abbati Caſſinenſi, nulla poteſt ratione conuelli. Ideoque Caſsinenſis Abbas ſuper hac re reſpondeat. Tunc Abbas, Non vult, inquit, Deus coacta ſeruitia. Vnde ſi contra voluntatem Monaſticum arripuiſtis inſtitutum, veſtrum erit, vel relinquere illud, vel retinere. Quapropter ſanctæ Religionis habitum, quem præter voluntatem accepiſtis, vt ad pedes Domini noſtri Apoſtolici deponatis, præcipimus. Demum (vt antè iam dixi) veſtrum erit, vel reſumere illum, vel dimittere. Ille autem continuò ad pedes Summi Pontificis Monaſticas depoſuit veſtes: neque illi perſuaderi potuit, vt illas vltrà reſumeret.

In eodem Concilio idem Apoſtolicus Guilielmum Ducem Apuliæ & Calabriæ conſtituit.

Ibi etiam cùm Landulfus Beneuentanus Archiepiſcopus accuſatus fuiſſet, nec ſe purgare valeret, aut obiecta refellere, ad hoc Monaſterium fugit, detrectans Papæ audire ſententiam.

De eadem Synodo Baronius ex Chronico Beneuentano narrat quoddam factum cuiuſdam Archiepiſcopi à Papa depoſiti. Vide Baronium prædicto anno, & Binium hîc.

CONC. BELLVACENSE

à CONONE *Sedis Apoſtolicæ Legato aduerſus* HENRICVM *celebratum anno Domini* 1114. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M. CXIV. HANC Synodum aduerſus Henricum Imperatorem congregatam, & in eum ſententiam anathematis pronuntiatam, ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſatis oſtendunt. Præter hæc autem, inter alias cauſas itidem actitatas, querela illata eſt ab Ambianenſibus aduerſus Godefridum ſuum Epiſcopũ, qui relicto Epiſcopatu Carthuſiam petiiſſet. Sed conuicti, quòd iniuſtè ipſum è ſede expuliſſent, coacti ſunt ipſum perquirere, & ad priſtinam ſedem eum recipere. Vide Binium hîc.

CONCILIVM SYRIACVM

in cauſa ARNVLPHI *Jeroſolymitani Patriarchæ celebratum in Syria anno Domini* 1115. *tẽpore* PASCHALIS *Papæ* II.

RES geſtas in hac Synodo Guilielmus Tyrius lib. 11. Belli ſacri, cap. 26. ita recenſet: M.CXV.

Eodem tempore Dominus Papa, auditis enormitatibus Arnulphi Patriarchæ, & de eius immunda conuerſatione pleniùs edoctus, Legatum dirigit ad partes Syriæ, quemdam virum venerabilem, & multa religione conſpicuum, Auraſicenſem Epiſcopum: qui ad partes noſtras perueniens, conuocato vniuerſi Regni Epiſcoporum Concilio, prædictum Arnulphum coram ſe adſtare præcepit: tandemque meritis exigentibus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ ab officio Pontificali depoſuit. Ille verò adhuc fiduciã habens in ſuis prȩſtigiis, quibus pænè vniuerſorum ſubuertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit Eccleſiam: vbi Domini Papæ, & totius Eccleſiȩ, blandis verbis, & larga munerum profuſione, Religionem circumueniens, cum gratia Sedis Apoſtolicæ remeauit ad propria, ſedem obtinens Ieroſolymitanam, eadem viuendi licentia, qua priùs meruerat depoſitionem.

CONCILIVM TROIÆ

in cauſa TREGVAE DIVINAE *habitum anno Domini* 1115. *ſub* PASCHALI *Papa* II.

HOC eodem anno Paſchalis Papa Auguſti menſis tempore in Apuliam profectus, Troiæ Concilium habuit, de quo iſta in Beneuentano Chronico ab Auctore, qui aderat: *His omnibus & aliis ita peractis, Apoſtolicus ipſe nono Kalendas Septembris Troiam tetendit, ibique Concilium ſtatuit, & firmauit. Ad cuius ſacri Conuentus præſentiam ferè omnes Apuliæ Proceres, Archiepiſcopi & Epiſcopi conuenerunt. Conuentu itaque ſanctè ordinato, inter cetera* M.CXV.

quæ

Digitized by Google

quæ ibi poſita ſunt, tregua Dei ſtatuta eſt. Adeò quòd Comes Iordanus, & Comes de Loritello, & alij Barones Apuliæ ſacramẽto impræſentiarum firmauerunt treguam Dei ex tunc per ſpatium annorum trium fore tenendam: ſicque confirmato Concilio, & piè finito, Papæ Beneuentum tertio die intrantis menſis Septembris reuerſus eſt. Deinde Apoſtolicus ipſe ciuitatis negotia, quæ imminebant, iudicans, Romam reuerſus eſt ſeptimo Kalendas Octobris, vbi tunc erat, Monaſterium S. Vincentij dedicauit. Hæc ibi.

CONC. COLONIENSE

ob PROMVLGANDAM EXCOMMVNICATIONEM, *quæ in* HENRICVM *Imperatorem Romæ prolata erat, auctoritate* THEODORICI *Cardinalis & Legati Sedis Apoſtolicæ indictum anno Domini* 1116.

ANNO DOMINI M.CXVI. ANNO Dominicæ Natiuitatis 1116. ait Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, in Natiuitate Domini, multi Pontifices, Abbates, & Principes Coloniæ conueniunt conſilio & auctoritate Theodorici Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legati, cuius fama iam per Regnum celebris habebatur, de rebus Eccleſiæ tractaturi. Sed idem Cardinalis in itinere moritur, cuius corpus ad Coloniam ſepeliendum transfertur.

De eodem Concilio eadem apud Vrſpergenſem copioſiùs referuntur his verbis:

Anno Domini 1116. Imperator Natalem Domini Spiræ cum paucis Epiſcopis & Principibus celebrans, ea, quæ interim Coloniæ gerebantur, grauiter tulit. Audiuit enim quamplurimos ibi conueniſſe, non ſolùm Metropolitanos, ſed etiam alios Epiſcopos, vel Optimates Regni, cauſa præcipua, verbum excommunicationis in ſe manifeſtandi, quamuis ipſe Cardinalis, cuius hæc initiabantur auctoritate, in itinere defunctus, illò ad ſepulturam potiùs quàm ad actionem delatus eſſet Concilij. Miſſus tamen ab eo illuc Præſul Wirziburgenſis, audientiam, vel communionem, non niſi reconciliatus habere meruit: reuerſus poſt redditam Legationem ei qui ſe miſerat, denuò communicare renuit, ſed vitæ periculo coactus, Miſſam coram Rege celebrauit, indeque vſque ad mortem contriſtatus, latenter diſceſſit, ſicque rurſum communioni priſtinæ multis lacrymis reconciliatus, vltrà Cæſaris aſpectu ſimul & gratia caruit.

CONC. LATERANENSE III.

quo ACTA CONCILII LATERANENSIS II. *in cauſa priuilegij per vim* HENRICO *conceſſi confirmantur anno Domini* 1116. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

EODEM anno, qui eſt 18. ordinationis Domini Papæ Paſchalis II. ſecundo Nonas Martij, Romæ in Sede Lateranenſi, in Eccleſia ſancti Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, celebrata eſt Synodus Vniuerſalis Concilij, vbi præcipuè Apoſtolicus cauſam Concilij, & animi ſui intentionem his verbis expoſuit: Poſtquam Dominus de ſeruo ſuo fecit quod voluit, & me populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie paſſim fieri rapinas, & incendia, cædes, & adulteria. Hæc & huiuſmodi mala cupiebam auertere ab Eccleſia & populo Dei; & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem vt homo, quia puluis ſum & cinis. Fateor me malè egiſſe: ſed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, vt indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro prauitate ſui, priuilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate, vt nullius vmquam ſit bonæ memoriæ: & rogo vos omnes, vt idem faciatis. Tunc ab vniuerſis clamatum eſt: Fiat, fiat. M.CXVI.

Bruno autem Signinus Epiſcopus altiùs exorſus eſt: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam

Digitized by Google

Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audiuimus proprio ore damnantem illud priuilegium, quod prauitatem & hæreſim continebat. Ad hæc quidem cauillatoriè ſubiunxit: Si priuilegium illud hæreſim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Ioannes autem Caietanus ad hæc cómotus, Signino reſpondit: Túne & hîc, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit.

An Paſchalis Papa fuerit hæreticus.

Ad hæc, patientia Domini Papæ horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, diſſidentium clamores & murmura tali ratione compeſcuit: Fratres, & Domini mei: Eccleſia iſta numquam habuit hæreſim, imò hîc omnes hęreſes conquaſſatæ ſunt. Et infrà:

Eccleſia Romana numquam hereſi polluta eſt.

Priuilegium inueſtituræ, quod in tentoriis conceſſiſſe videbatur, obliterare volens, iterans ſententiam Papæ Gregorij VII. inueſtituram Eccleſiaſticarum rerum à laica manu, rurſum excommunicauit ſub anathemate, dantis & accipientis.

Acta Lateranenſis Concilij II. confirmantur.

Deinde Cardinalis Cono Prænęſtinus relationem fecit totius ſuæ Legationis, quæ ab ipſo Papa approbata eſt.

CONCIL. ROMANVM *in cauſa* CLVNIACENSIS *&* CASSINENSIS MONASTERII *anno Domini* 1116. *tempore* PASCHALIS *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXVI.

De loco, cauſa, & Actis huius Concilij, in Chronico Caſſinenſi lib. 4. c. 62. iſta narrantur: Supradictus autem Pontifex (Paſchalis nimirum) adiuncto ſibi Abbate noſtro rediens Romam, mediante Quadrageſima Synodum celebrare diſpoſuit. In qua noſter Abbas dum de Sella ſanctæ Sophiæ intra Beneuentum litem agitaret, nihil conſequi potuit. Quo etiam tempore dum Pontius Cluniacenſis Abbas ad Synodum veniens, Abbatem Abbatum ſe iactaret; rogatus à Ioanne Cancellario, Cluniacenſes à Caſſinenſibus, aut Caſſinenſes à Cluniacenſibus Regulam ſumpſiſſent? Reſpondit, Non modò Cluniacenſes, verùm omnes in Romano orbe Monachos Regulam P. Benedicti à Caſſinenſi accepiſſe Cœnobio. Ergo, inquit Cancellarius, ſi à Caſſinenſi Monaſterio, tamquam à viuo fonte, Monaſticæ Religionis norma manauit, iure à Romanis Pontificibus Caſſinenſi Abbati hæc prærogatiua conceſſa eſt, vt ipſe ſolus (qui tanti Legiferi Vicarius eſt) Abbas Abbatum appelletur.

CONC. CAPVANVM *quo* HENRICVS V. *Rex Germaniæ, Quartuſque eius nominis Imperator, vnà cum* MAVRITIO BVRDINO *Antipapa, qui ſe* GREGORIVM VIII. *nominabat, excommunicatur anno Domini* 1118. *tempore* GELASII *Papæ.*

Occasionem & Acta huius Synodalis Cógregationis apud Capuam celebratę, Vrſpergenſis in Chronico enarrat his verbis: M.CXVIII

Henricus Imperator, dum Padanis regionibus immoraretur, audito tranſitu Apoſtolici Paſchalis, Romam properauit: & primò quidem in electione Domini Ioannis, qui & Gelaſius II. dictus eſt, aſſenſum præbens, poſteà verò eodem à ſua ſe communione ſubtrahente, non ſine quorumdam Romanorum fauore, alterum quemdam Burdinum ex Hiſpania ſuperuenientem, Apoſtolicæ Sedi impoſuit, ſicq; ſchiſma, quod iam ſperabatur emortuum, crudeliter reuixit. Nam eodem Romanæ cathedræ liberè potito, Gelaſius cum his qui ſecum abierant Cardinalibus, ceteriſque Catholicis quos congregare poterat, apud Capuam, iuxta quod literæ ab ipſo circumquaque tranſmiſſæ teſtantur, Cæſarem vnà cum idolo ſuo damnauit.

CONC.

Digitized by Google

CONC. COLONIENSE,

quo per CONONEM *Legatum Sedis Apoſtolicæ excommunicatio in* HENRICVM *Regem lata promulgatur, anno Domini* 1119. *tempore* GELASII II.

ANNO DOMINI M.CXIX. HIS temporibus, inquit Vrſpergeſis in Chronico, Cono Præneſtinus adhuc Legatione Gelaſij functus, Synodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, vbi Imperatoris omnimodis excommunicationem propalauit. Huic Cõcilio interfuit Norbertus, poſteà Præmonſtratenſis Ordinis inſtitutor, tunc autem nouiter conuerſus in peregrino habitu, ibique ab omnibus in multis accuſabatur, de quibus ſe prudenter excuſabat. Vnde & ſcriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum, vt ipſe cõtra omnes.

CONC. FRITESLARIENSE

contra Imperatorem HENRICVM *anno* 1119. *ſub* GELASIO II.

M.CXIX. DE hac Synodo Vrſpergenſis iſta ſcribit:

Alteram quoque Synodum in Friteſlar idem Cono Prenęſtinus eadem pro cauſa indixit, qua & habita, eamdem, quam priùs excommunicationem confirmauit (aduerſus Imperatorem ſcilicet.) Imperator his auditis, inſuper etiam, quòd Principum conſenſus Generale vel Curiale Colloquium non multò pòſt apud Wirceburg inſtituere propoſuiſſet: vbi ipſe aut præſens ad audientiam exhiberi, aut abſens Regno deponi debuerit: efferatus animo, Italiæ ſuis copiis cum Regina relictis, Germanicis ſe regionibus nimis inſperatus exhibuit.

CONC. VIENNENSE

à GELASIO II. *celebratum anno Domini* 1119.

M.CXIX. CVM Gelaſius Papa apud Capuam Henricũ Imperatorem & Burdinum ſchiſmaticum Antipapam excommunicaſſet, atque inde per Campaniam cum ſuis ad Burgundiam transmigraſſet, *anno Dominicæ Incarnationis* 1119. inquit Vrſpergenſis in Chronico, *apud Viennam Synodum congregauit, eaque tranſacta, poſt paucos dies in Monaſterio Cluniacenſi vitam præſentem in Domino finiuit.*

Quid verò in ea geſtum vel conſtitutum fuerit, ſilent omnes.

CONC. RHEMENSE

propter INVESTITVRAS ECCLESIASTICAS, EXCOMMVNICATIONEM HENRICI *Imp. aliaſque cauſas à Gelaſio* II. *indictum, ſed tempore* CALLISTI II. *celebratum anno Domini* 1119.

DE rebus in hac Synodo geſtis, editiſque Conſtitutionibus, & Imperatoris excommunicatione, Vrſpergenſis iſta habet: M.CXIX.

Aderant etiam Legati tam Romanorum quàm Viennenſium, imò diuerſarum Eccleſiarum Miſſi, confirmantes electionem Domini Calliſti. Cui profectò, dum vniuerſi noſtrates Epiſcopi obedientiam profeſſi, Synodum, quæ iuxta feſtum S. Lucæ indicebatur, collaudaſſent fieri; ipſe Rex ſemetipſum ibidem pollicebatur ob reconciliationẽ vniuerſalis Eccleſiæ præſentandum iri. Id enim Catalaunenſis Epiſcopus & Cluniacenſis Abbas apud Argentinam ipſum conuenientes, multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt.

Eiuſdem tamen Actionem Rhemenſis Concilij ſi quis plenariè cognoſcere quærit, in literis cuiuſdam Scholaſtici, nomine Heſſonis, eleganter enucleatam reperire poterit: id eſt qualiter Rex inter Regnum & Sacerdotium de concordia facienda conſenſerit. Inſuper eidem Concilio, cui videlicet 13. Kalendis Nouembris prædictus Papa Calliſtus II. vallatus quadringentis viginti ſex Patribus, coram innumera multitudine Cleri ac populi præſedit, non adeò ſe pręſentem Henricus, vicinum tamen

Digitized by Google

exhibuerit, vbi & colloquio ſuo Domini Papæ Legatis conceſſo, tandem inducias denuò quæſierit propter Generale Colloquium cum Principibus habendum, pro inueſtituris ſcilicet Eccleſiaſticis, quas tantopere cogebatur amittere. Ad vltimum verò idem Apoſtolicus, inita inter ſe & Regem concordia, Synodalia prædeceſſorum Decreta confirmauerit, aliaque nonnulla, quæ res exigebat, nauiter addiderit: ſicque poſt dies ferè duodecim in virtute Spiritus ſancti ritè finito Concilio, cunctos Apoſtolica benedictione confirmatos, ad propriam redire permiſit vnumquemque cum gaudio. Hæc ipſe ſummatim.

CONC. NEAPOLITANVM *in Samaria, auctoritate* GVAREMVNDI *Ieroſolymitani Patriarchæ, ad* REFORMANDOS MORES ECCLESIAE *celebratum in præſentia* BALDVINI *Ieroſolymorũ Regis, anno Domini* 1120. *tempore* CALLISTI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXX.

CAVSAM, vnà cum Actis Concilij, Tyrius lib. 12. Belli ſacri, cap. 13. his verbis ſummatim deſcribit:

Eodem anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1120. cùm peccatis noſtris exigentibus, Regnum Ieroſolymorum multis vexationibus fatigaretur, & præter eas quæ ab hoſtibus inferebantur moleſtias, locuſtarum intemperie, & edacibus muribus, iam quaſi quadriennio continuo fruges ita penitùs deperiſſent, vt omne frumentum panis defeciſſe videretur: D. Guaremundus Ieroſolymorum Patriarcha, vir religioſus ac timens Deum, vnà cum D. Rege Balduino, Prælatis quoque Eccleſiarum & Regni Principibus, apud Neapolim vrbem Samarię conuenientes, Conuentum publicum, & Curiam Generalem ordinauerunt. Vbi ſermone ad Populum habito, exhortationis gratia, cùm apud omnes conſtare videretur, quòd populi peccata Dominum prouocaſſent, de communi ſtatuunt conſilio errata corrigere, & exceſſus redigere in modum, vt tandem ad frugem melioris vitæ redeuntes, & pro commiſſis condignè ſatisfacientes, eum ſibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, ſed magis vt cõuertatur & viuat. Deterriti ergo de cælo ſignis minacibus, & terræmotu frequẽti, clade quoque ſimul, & famis anguſtia, & hoſtium proterua nimis & pęnè quotidiana inſtantia, per opera pietatis Dominum ſibi reconciliare quęrentes, ad morum exigendam conſeruandamque diſciplinam, vigintiquinque Capitula, quaſi vim legis obtinentia, de communi ſanxerunt arbitrio. Quæ ſi quis legendi ſtudio videri quærit, in multarum Archiuis Eccleſiarum ea facilè reperire poteſt.

Hanc Synodum, ait Baronius anno vno 1120. prope finem, tanta morum correctio conſecuta eſt, vt per Dei miſericordiam anno ſequenti 1121. Turcarum Princeps aduerſus Antiochiam cum magnis copiis rediens, apoplexia extinctus ſit.

CON-

CONCILIVM LATERANENSE I. OECVMENICVM IX.

APPROBATVM CCC. ET AMPLIVS EPISCOPORVM,

pro pace & concordia inter ECCLESIAM & IMPERIVM *ineunda, celebratum anno Domini* 1122. *tempore* CALLISTI *Papæ* II. & HENRICI *Imperatoris* V.

ANNO DOMINI M.CXXII.

PACE inter Papam & Imperatorem inita, Legati tum Imperatorem tum ceteros publicè ab Eccleſię cenſuris abſoluerunt. Burdinus ſchiſmaticus damnatus eſt, eiuſque Acta poſt eius damnationem reſciſſa ſunt. Et vt Eccleſia Dei in priſtinam diſciplinam reſtitueretur, ſequentes Canones editi ſunt.

CANONES CONCILII.

I. SANCTORVM Patrum exempla ſequentes, & officij noſtri debito innouantes, ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei, vel promoueri, auctoritate Sedis Apoſtolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis verò in Eccleſia Ordinationem vel promotionem taliter acquiſierit, acquiſita prorſus careat dignitate.

II. Nullus in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterũ, nullus in Decanum, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus, ordinetur.

III. Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum & vxorum contubernia penitùs interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem: præter quas Nicæna Synodus per ſolas neceſſitudinum cauſas habitare permiſit, videlicet matrem, ſororem, amitam, vel materteram, aut alias huiuſmodi, de quibus nulla valeat iuſtè ſuſpicio oriri.

IV. Præterea, iuxta beatiſſimi Stephani Papæ ſanctionem ſtatuimus, vt laici, quamuis Religioſi ſint, nullam tamen de Eccleſiaſticis rebus aliquid diſponendi habeant facultatem: ſed ſecundùm Apoſtolorum Canones, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet. Si quis ergo Principum, aut laicorum aliorum diſpenſationem, vel donationem rerum ſiue poſſeſſionum Eccleſiaſticarum ſibi vendicauerit, vt ſacrilegus iudicetur.

V. Coniunctiones conſanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & diuinæ & ſæculi prohibent Leges. Leges enim diuinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt, non ſolùm eiiciunt, ſed maledictos appellant: Leges verò ſæculi, infames tales eos vocant, & ab hereditate repellunt. Nos itaque Patres noſtros ſequentes, infamiis eos notamus, & infames eos eſſe cenſemus.

VI. Ordinationes, quæ à Burdino hæreſiarcha, poſtquam à Romana Eccleſia eſt damnatus, quæque à Pſeudo-epiſcopis per eum poſteà ordinatis factæ ſunt, irritas eſſe decernimus.

VII.

Digitized by Google

VII. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpoſitus, vel Decanus animarum curam, vel Præbendas Eccleſiæ, ſine iudicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat: imò ſicut ſanctis Canonibus conſtitutum eſt, cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi iudicio & poteſtate permaneat. Si quis verò contra hæc facere, aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.

VIII. Ad hæc, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones quietas ſeruare per Dei gratiam cupientes, præcipimus, & ſub diſtrictione anathematis interdicimus, ne aliqua militaris perſona Beneuentanam B. Petri ciuitatem præſumat inuadere, aut violenter retinere. Si quis aliter præſumpſerit, anathematis vinculo teneatur.

IX. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis Epiſcopis, Abbatibus, & Clericis in communionem recipi proculdubiò prohibemus.

X. Nullus in Epiſcopum niſi Canonicè electum, ad conſecrandum manus mittat. Quòd ſi præſumpſerit, & conſecratus, & conſecrator abſque recuperationis ſpe deponatur.

XI. Eis qui Ieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum, in B. Petri & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut à Domino noſtro Papa Vrbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus. Quicumque ergo ea diſtrahere, vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præſumpſerint, excommunicationis vltione plectantur: eos autem, qui pro Ieroſolymitano, vel Hiſpano itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur, & viam dimiſiſſe, cruces iteratò aſſumere, viam ab inſtanti Paſcha vſque ad ſequens proximum Paſcha perficere, Apoſtolica auctoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Eccleſiæ introitu ſequeſtramus, in omnibus terris eorum diuina officia, præter infantium Baptiſma, & morientium pœnitentias interdicimus.

XII. Illam verò prauam defunctorum Porticanorum conſuetudinẽ, quæ hactenus ibi fuit, ex fratrum noſtrorum, & totius Curiæ conſilio, nec non & voluntate atque conſenſu Præfecti remouendam cenſemus: vt Porticanorum habitatorum ſine heredibus morientium bona contra morientium deliberationem minimè peruadantur. Ita tamen, vt Porticani in Romanæ Eccleſiæ & noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum obedientia & fidelitate permaneant.

XIII. Si quis treguam diffregerit, vſque tertiò ad ſatisfactionem ab Epiſcopo admoneatur. Quòd ſi tertiò admonitus, ſatisfacere contempſerit; Epiſcopus, vel cum Metropolitani conſilio, aut cum duobus, aut cum vno vicinorum Epiſcoporum, in rebellem anathematis ſententiam dictet, & per ſcripturam Epiſcopis circumquaque denuntiet.

XIV. Sanctorum Patrum Canonibus conſona ſentientes, oblationes de ſacratiſſimo & reuerendiſſimo Altari B. Petri, & Saluatoris, & S. Mariæ Rotundæ, ac de aliis omnium Eccleſiarum Altaribus, ſiue Crucibus, à laicis auferri penitùs interdicimus, & ſub anathematis diſtrictione firmamus. Eccleſias à laicis incaſtellari, aut in ſeruitutem redigi, auctoritate Apoſtolica prohibemus.

XV. Quicumque monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſè expenderit, tamquam maledictus, & pauperum virorum oppreſſor, & ciuitatis turbator, à fidelium conſortio ſeparetur.

XVI. Si quis Romipetas & Peregrinos, Apoſtolorum limina & aliorum Sanctorum Oratoria viſitantes, capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare, & mer-

mercatores nouis teloniorum ſeu pedaticorum exactionibus moleſtare tentauerit, donec ſatisfecerit, communione abſtineat Chriſtiana.

XVII. Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, & vnctiones facere, & Miſſas publicas cantare. Chriſma, & Oleum, Conſecrationes Altariū, Ordinationes Clericorum ab Epiſcopis accipiant, in quorū Parochiis manent.

XVIII. In Parochialibus Eccleſiis Presbyteri per Epiſcopos conſtituantur, qui eis reſpondeant de animarum cura, & de iis quæ ad Epiſcopum pertinent. Decimas, & Eccleſias à laicis non ſuſcipiant abſque conſenſu & voluntate Epiſcoporum: & ſi aliter præſumptum fuerit, Canonicæ vltioni ſubiaceant.

XIX. Seruitium, quod Monaſteria, aut eorum Eccleſiæ à tempore Gregorij Papæ VII. vſque ad hoc tempus Epiſcopis fecere, & nos concedimus. Poſſeſſiones Eccleſiarum & Epiſcoporum tricennales, Abbates, vel Monachos habere omnimodis prohibemus.

XX. Paternarum traditionū exemplis commoniti, Paſtoralis officij debitum perſoluentes, Eccleſias cum bonis ſuis, tam perſonis quàm poſſeſſionibus, Clericos videlicet ac Monachos, eorumque Conuerſos, Oratores quoq; cum ſuis nihilominùs rebus quas ferunt, tutos, & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & poſtquam facinus ſuum recognouerit, infra triginta dierum ſpatium competenter non emendauerit, à liminibus Eccleſiæ arceatur, & anathematis gladio feriatur.

XXI. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitùs interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis disiungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi iuxta ſacrorum Canonum diffinitionem, iudicamus.

XXII. Alienationes, quæ ſpecialiter per * Othonem, Guidonem, Ieremiam, ſeu fortè Philippum, vbilibet de poſſeſsionibus Rauennatis Exarchatus factæ ſunt, damnamus: generaliter autem, omnium per intruſionem, ſeu Canonicè electorum ſub Epiſcopi nomine, aut Abbatis, qui ſecundùm vſum Eccleſiæ ſuæ conſecrandus eſt, alienationes quocumque modo factas, nec non perſonarum Ordinationes ab eiſdem ſine communi conſenſu Clericorum Eccleſiæ, ſiue per Simoniam itidem factas, irritas iudicamus. Illud etiam per omnia interdicimus, Vt nullus Clericus Præbendam ſuam, ſeu aliquod Eccleſiaſticum Beneficium aliquo modo alienare præſumat: quòd ſi præſumptum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum erit, & Canonicæ vltioni ſubiacebit.

* Attonem.

RESTITVTIO INVESTITVRARVM *ab* HENRICO *Imperatore facta.*

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem Inueſtituram per annulum & baculum: & concedo, in omnibus Eccleſiis quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & regalia B. Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernam diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non habeo, vt reſtituantur, fideliter adiuuabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum quàm laicorum, conſilio Principum, & iuſtitia, quas habeo, vt reddantur, fideliter iuuabo. Et do veram pacem D. Papæ Calliſto, S. Romanæ

næ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulauerit, fideliter iuuabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi iuſtitiam faciam.

CONCESSIO CALLISTI *Papæ* II. HENRICO *Imperatori facta.*

EGO Calliſtus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum & Abbatũ Teutonici Regni, quę ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque Simonia, & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, & Prouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem, regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperij conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaueris, ſecundùm officij mei debitum, auxilium meũ præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt, tempore huius diſcordiæ. Data anno 1122. nono Kalendas Octobris.

In hoc Concilio multa annotat Binius, quæ apud ipſum videri poſſunt.

CONCIL. ROMANVM *quo Caſſinenſis Monaſterij Abbas* ODERIVS *conſecratur, eiuſdemque* MONACHI *à querela Epiſcoporum abſoluuntur, anno Domini* 1122. *tempore* CALLISTI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXXII.

RES in hac Synodo geſtas Romæ, Chronicon Caſſinate commemorat lib. 4. cap. 80. his verbis:

Menſe itaq; Martio præparatis quæ erant neceſſaria itineri, Romam, vt ſibi à Pontifice iniunctum fuerat, conſecrandus aduenit. Ibi ab eodem Papa, qui tunc fortè Concilium celebrabat, honorificè conſecratus, à Cardinalibus Romaniſque nobilibus in magna eſt gloria habitus. In hac Synodo Epiſcopi aduerſus Monachos inuidia inflammati, cœperunt dicere, nihil ſupereſſe aliud, niſi, vt ſublatis virgis & annulis, Monachis deſeruirent: illos enim Eccleſias, villas, caſtra, decimationes, viuorum & mortuorum oblationes detinere. Conuerſique ad Pontificem, Decidit, aiebāt, pudor, Canonicorum honeſtas oblitterata eſt, Clericorum religio corruit, dum Monachi contempto cæleſti deſiderio, iura Epiſcoporum inſatiabiliter ambiunt, &c. Et cùm varię ingeniis hinc inde eſſent prolatæ ſententiæ; tandem ex iuſſione Abbatis vnus ex noſtris ſurgens in medium, dixit: Congregati ſunt inimici noſtri, & gloriantur in virtute ſua. Sed tu Domine Deus noſter contere virtutem illorum: vt cognoſcant, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter, &c.

Cùm hæc & alia multa proferret, quidam Liguriæ Epiſcopus dixit: Licet Epiſcoporum religioſitas conqueſta contra Monachos fuerit; non tamen ſine cauſa prędeceſſores noſtri Monaſteria ditauerunt, &c. Vnde non immeritò nos potiùs diligere Monachos, quàm inſequi conuenit, cùm ipſi contemplatiuæ vitæ & orationi vacent. Ad hæc Pontifex imperato ſilentio dixit: Caſſinenſis Eccleſia non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum fundata eſt: cuius imperio Benedictus Pater locum priùs idolis dedicatum purgans, ſanctæ deſcriptione Regulæ, miraculorumque prodigiis, & ſua corporali requie orbi ſpectabilem reddidit, totiuſque Monaſtici Ordinis caput eſſe conſtituit, &c. Nos igitur ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſecuti, Caſſinenſe Cœnobium ab omni mortalium iugo quietum ſemper ac liberum manere, & ſub ſolius S.R.E. defenſione perpetuò manere decernimus, &c.

CONC.

CONC. ROMANVM II.

quo ob reſtitutam in Comitiis VVormatienſibus INVESTITVRAM ECCLESIASTICAM, *pax inter* PONTIFICEM *&* IMPERATOREM *inita confirmatur, anno Domini* 1123. *tempore* CALLISTI *Papæ* II.

ANNO DOMINI M. CXXIII. De hac Synodo Robertus de Monte, Cõtinuator Sigeberti, iſta ſcribit: *Anno* 1123. *Concilium Romæ celebratur, pax inter Regnum & Sacerdotium reformatur, & ius inueſtiturarum Epiſcopalium ab Imperatore exfeſtucatur.* Hoc eſt illud Concilium, cuius meminit Calliſtus in Epiſtola gratulatoria ad Henricum Imperatorẽ, his verbis: *Legatos itaque noſtros, qui apud vos ſunt, beneuolentiæ veſtræ attentiùs commendantes, rogamus, vt quia Concilium à nobis indictum accelerat, citò eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos verò Legatos ita inſtructos dirigas, vt iuxta promiſſum tuum regalia in integrum Romanæ Eccleſiæ reſtituant.*

CONC. TOLOSANVM

auctoritate CALLISTI *Papæ cõtra quoſdam* HAERETICOS MONACHOS, *in bona Eccleſiæ & Sacramenta Eccleſiæ blaſphemos, celebratum anno* 1124.

M. CXXIV. De hac Synodo in Faſciculo temporum iſta ſcribuntur: *Hic Toloſæ Synodum celebrauit, in qua damnauit fictos quoſdam Religioſos, qui plures hæreſes ſecretè & publicè ſeminabãt contra Sacramenta & bona Eccleſiarũ.*

CONC. LONDINENSE I.

auctoritate IOANNIS *de* CREMA *Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legati indictum, quo* LX. *Patres ad* REFORMANDOS PRAVOS ECCLESIAE MORES *plura ſanxerunt, 9. Septembris, anno Domini* 1125. *tempore* HONORII *Papæ* II.

M. CXXV. Celebratvr Synodus Londoniæ, ait Continuator Florentij Wigornienſis Scriptor huius temporis, in Eccleſia S. Petri Apoſtolorum Principis apud Weſtmonaſterium, menſe Septembri, nona die eiuſdem menſis, vbi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum, promulgata ſunt ſequentia Capitula, & ab omnibus confirmata. Præfuit autem huic Synodo Ioãnes de Crema ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis, & D. Papæ Honorij in Angliam Legatus, cum Guilielmo Cantuarienſi & Turſtano Eboracenſi Archiepiſcopis, & cum Epiſcopis diuerſarum Prouinciarum numero XX. & Abbatibus circiter XL. & cum innumera Cleri & populi multitudine.

Sunt autem hæc CAPITVLA.

Sanctorvm Patrum veſtigiis inhærentes, quemquam in Eccleſia per pecuniam ordinari, auctoritate Apoſtolica prohibemus.

Interdicimus etiã, Vt pro Chriſmate, pro Oleo, pro Baptiſmate, pro Pœnitentia, pro viſitatione infirmorum, ſeu Vnctione, pro communione Corporis Chriſti, pro ſepultura, nullum omnino pretium exigatur.

Statuimus præterea, & Apoſtolica auctoritate decernimus, Vt in conſecrationibus Epiſcoporum, vel Abbatum benedictionibus, ſeu in dedicationibus Eccleſiarum, non cappa, non tapetæ, non manutegia, non baccilia, & nihil omnino per violentiam, niſi ſpontè oblatum fuerit, penitùs exigatur.

Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino Monachus vel Clericus, Eccleſiam ſiue decimam, ſeu quælibet Beneficia Eccleſiaſtica de dono laici, ſine proprij Epiſcopi auctoritate & aſſenſu ſuſcipiat. Quòd ſi præſumptum fuerit, irrita erit donatio huiuſmodi, & ipſe Canonicæ vltioni ſubiacebit.

Sancimus præterea, ne quis Eccleſiam ſibi, ſiue Prębendam paterna vendicet hereditate, aut ſucceſſorem ſibi in aliquo conſtituat beneficio. Quòd ſi ſumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Pſalmiſta: *Deus meus pone illos vt rotam, &* (ſicut

dixerunt) *hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.*

Adiicientes quoque ſtatuimus, vt Clerici, qui Eccleſias ſeu Beneficia habent Eccleſiarum, & ordinari, quò liberiùs viuant, ſubterfugiunt, cùm ab Epiſcopis inuitati fuerint, ſi ad Ordines promoueri contempſerint, Eccleſiis ſimul & Beneficiis earum priuentur.

Nullus in Diaconum, nullus in Priorem, niſi Presbyter: nullus in Archidiaconatum, niſi Diaconus promoueatur.

Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, niſi ad certum titulum ordinetur. Qui verò abſolutè fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.

Nullus Abbas, nullus omnino Clericus vel laicus quemquam per Eccleſiam in Eccleſia ordinatum, abſq; proprij Epiſcopi iudicio præſumat eiicere. Qui autem ſecùs facere præſumpſerit, excommunicationi ſubiacebit.

Nullus Epiſcoporum alterius præſumat Parochianum ordinare aut iudicare: vnuſquiſque enim ſuo Domino ſtat, aut cadit; nec tenetur aliquis ſententia, non à ſuo Iudice prolata. Nemo excommunicatum alterius præſumat in communionem ſuſcipere. Quòd ſi ſcienter fecerit, & ipſe communione careat Chriſtiana.

Præcipimus etiam, ne vni perſonæ Archidiaconatus, vel diuerſi Ordinis tribuantur honores. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Canonicis, vxorum, concubinarum, & omnino omnium feminarum contubernia, auctoritate Apoſtolica inhibemus, præter matrem, ſororem, amitam, ſiue illas mulieres, quæ omni careant ſuſpicione. Qui huius decreti violator extiterit, confeſſus, vel conuictus, ruinam proprij Ordinis patiatur.

Vſuras & turpe lucrum Clericis omnimodis prohibemus. Qui verò ſuper crimine tali confeſſus, fuerit conuictus, à gradu proprio deiiciatur.

Sortilegos, ariolos, & auguria quæque ſectantes, eiſque conſentientes, excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamia.

Inter conſanguineos ſeu affinitate coniunctos, vſq; ad.... generationem, matrimonia contrahi prohibemus: ſi qui verò taliter coniuncti fuerint, ſeparentur.

Interdicimus etiam, vt viri proprias vxores de conſanguinitate impetentes, & teſtes quos adducunt, non ſuſcipiantur, ſed priſca Patrum ſeruetur auctoritas. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet.

CONCILIVM TRECENSE GALLICANVM,

quo TEMPLARIIS MILITIBVS, *anno ſuæ inſtitutæ Religionis nono, vnà cum Regula aſſignatus eſt habitus albus, anno Domini* 1127. *tempore* HONORII *Papæ* II.

ACTA Concilij, tempus, & locum enarrans Tyrius lib. 12. c. 7. hæc ſcribit: ANNO DOMINI M.CXXVII.

Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt Dominus Rhemenſis & Dominus Senonenſis Archiepiſcopi cum Suffraganeis ſuis, Albanenſis quoque Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, Abbates quoque Ciſtercienſis & Clareuallenſis, cum aliis pluribus, inſtituta eſt eis Regula, & habitus aſſignatus, albus videlicet, de mandato Domini Honorij Papæ, & Dominus Stephani Ieroſolymitani Patriarchæ. Cumque iam annis nouem in eo fuiſſent propoſito (non niſi nouem erãt) ex tunc cœpit eorum numerus augeri, & poſſeſſiones multiplicabantur. Poſtmodum verò tempore domini Eugenij Papæ, vt dicitur, cruces de panno rubeo, vt inter ceteros eſſent notabiliores, mantellis ſuis cœperunt aſſuere, &c. Alia multa de his Templariis, & eorum Regulam, vide apud Binium.

CONC. LONDINENSE, ALIAS LVNDONIENSE II.

pro REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *celebratum in Anglia anno Domini* 1127. *tempore* HONORII *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXXVII.

QVo loco, & tempore, quo auctore, quáve de cauſa & occaſione hęc Synodus indicta, quid in ea conſtitutum fuerit, Continuator Florentij Wigornienſis huius temporis Scriptor deſcripſit his verbis:

Guilielmus Dorouernenſis Archiepiſcopus congregauit Generale Concilium omnium Epiſcoporum, & Abbatum, & quarumcumq; Religioſarum perſonarum totius Angliæ, apud Monaſterium S. Petri in Occidentali parte Lundoniæ ſitum. Cui Concilio præſedit ipſe ſicut Archiepiſcopus Cantuariæ, & Legatus Apoſtolicæ Sedis, &c.

Quæ autem communi Epiſcoporum conſenſu in ipſo Concilio decreta ſunt & ſtatuta, ſunt hæc:

Eccleſias, & Eccleſiaſtica Beneficia, ſeu quoſlibet Eccleſiaſticos honores vendi, vel emi, auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, & noſtra, omnino prohibemus. Qui verò hoc præceptum violaſſe conuictus fuerit, Clericus quidem ab Ordine deponatur, laicus verò exlex & excommunicatus habeatur, & eiuſdem Eccleſiæ vel Beneficij poteſtate priuetur. Ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei, vel promoueri, auctoritate Sedis Apoſtolicæ modis omnibus interdicimus. Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis Monachis, Canonicis, & Sanctimonialibus, condemnamus. Nullus in Decanum, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconatũ, niſi Diaconus conſtituatur. Quòd ſi quis ad hos honores infra prædictos Ordines iam deſignatus eſt, moneatur ab Epiſcopo ad Ordines accedere. Quòd ſi iuxta monitionem Epiſcopi ordinari refugerit, eadem, ad quam deſignatus eſt, careat dignitate. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus Canonicis, contubernia mulierum illicitarum penitùs interdicimus. Quòd ſi concubinis (quod abſit) vel coniugibus adhæſerint, Eccleſiaſtico priuentur Ordine, honore ſimul & Beneficio. Presbyteros verò Parochiales, ſi qui tales fuerint, extra Chorum eiicimus, & infames eſſe decernimus. Archidiaconis verò, & miniſtris (quibus hoc incũbit) auctoritate Dei & noſtra pręcipimus, vt omni ſtudio & ſollicitudine procurent, ab Eccleſia Dei hanc perniciem omnino eradicare. Quòd ſi qui in hoc negligentes, vel (quod abſit) conſentientes inuenti fuerint, primò & ſecundò ab Epiſcopis dignè corrigantur, tertiò verò Canonicè ſeueriùs corripiantur. Concubinæ verò Presbyterorum & Canonicorum, niſi ibi legitimè nupſerint, extra Parochiã expellantur. Vt nullus Archidiaconus in diuerſis Epiſcopatibus diuerſos Archidiaconatus teneat, ſub anathemate prohibemus. Decimas ſicut Dei ſummi Dominicas, ex integro reddi præcipimus. Vt nulla perſona Eccleſias, vel decimas, ſeu quælibet alia Eccleſiaſtica Beneficia det, vel accipiat, ſine conſenſu & auctoritate Epiſcopali, Canonica auctoritate vetamus. Nulla Abbatiſſa vel Sanctimonialis carioribus vtatur indumentis, quàm agninis, vel caninis.

Rex igitur cùm inter hæc Lundoniæ moraretur, auditis Concilij geſtis, conſenſum præbuit, auctoritate Regia & poteſtate conceſſit, & confirmauit ſtatuta Concilij à Guilielmo Cantuarienſi Archiepiſcopo & S.R.E. Legato apud Weſtmonaſterium celebrati. Hæc ille.

CONC. RAVENNATE,

quo AQVILEIENSIS *&* VENETIARVM PATRIARCHAE *depoſiti ſunt, anno* 1128. *tempore* HONORII *Papæ* II.

M.CXXVIII.

DE rebus in hac Synodo geſtis hæc breuiter Baronius: *Quo tempore miſit Petrum Preſbyterum Cardinalem tituli S. Anaſtaſiæ Rauennam,*

nã, vbi congregata Synodo, depoſuit Aquileienſem & Venetiarũ Patriarchas. Hæc in veteri Pontificali. Quæ antẽ cauſa interuenerit horum condemnationis, nõ inuenimus.

CONC. CLAROMONTENSE, INNOCENTII *Papæ auctoritate indictũ, quo* ANACLETVS *Antipapa, & inuaſor Sedis Apoſtolicæ cõdemnatur, anno* 1130.

ANNO DOMINI M.CXXX. INITIO Pontificatus hanc Synodum apud Clarummontem in Gallia celebratam eſſe propter ſchiſmaticum & Pſeudopontificem Anacletum, teſtatur Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 18. his verbis: *Non multò pòſt, Honorio mortuo, grauiſſimum ſchiſma in Eccleſia oritur, Innocentio Canonicè electo, ſed Petro Leonis violentia amicorum ſuorum, qui fortiſſimi in Vrbe erant, fauente ſibi Rogerio Siculo, intruſo. Cui dum Innocentius reſiſtere non valeret, Vrbe cedit, tranſcenſiſque Alpibus, Gallias ingreditur, vbi in Regno Gallici Regis in ciuitate apud Clarummontem Concilium celebrãs, nuntios Lotharij Conradum Iuuanienſem, Heribertũ Monaſterienſem Epiſcopos obuios habuit.*

Eadem Synodo Anacletum cõdemnatum fuiſſe, teſtatur Platina in Vita Innocentij his verbis: *Innocentius celebrato apud Clarummontem Concilio, Petrum Antipapam cum ſectatoribus damnauit.* Hæc ille.

CONCIL. STAMPENSE *contra* ANACLETVM *Antipapam cõgregatũ anno* 1130. *tẽpore* INNOCENTII II.

M. CXXX. IN hac Synodo, auctore S. Bernardo, damnatum eſſe Petrum Antipapam, qui ſe Anacletum nominabat; contrà verò approbatam fuiſſe electionem Innocentij Canonicè & legitimè ordinati, teſtatur Vincentius lib. 27. cap. 6. & lib. 2. in Vita S. Bernardi. Quò Rex (vt erat piiſſimus Eccleſiæ defenſor) citò compunctus, Concilium Archiepiſcoporum, Abbatum, & religioſorum virorum Stampis conuocat, & eorum conſilio tam de perſona quàm de electione inueſtigans, & aſſenſum electioni conſilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit. Cùm autem & ſuſceptionis & ſeruitij primitias Cluniaci primò Rex delegaſſet, tanto exhilarati ſuffragio, cum gratia & benedictione Domino Regi per nos referentes, ad propria remiſerunt. Vt autem ad ſanctum Benedictum ſuper Ligerim deſcendit, Dominus Rex cum Regina, cum filiis ei occurrens, & nobilem diademate ſæpiùs coronatum verticem, tamquam ad ſepulchrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit, & Catholicum affectum, & deuoti ſeruitij effectum ei & Eccleſię promittit. Cuius exemplo & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, deuotiſſimè pedibus eius proſtratus, votiuam ſui, ſuorumque, & terræ ſuæ ſuſceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem. Hæc Sugerius de rebus geſtis vſque in annum ſequentem.

CONCILIVM IOTRINVM *ob* S. THOMAM, S. VICTORIS *Pariſiẽſis Priorem, occiſum pro iuſtitia, congregatum anno* 1030. *tempore* INNOCENTII II.

CVM Archidiaconus Pariſienſis Theobaldus illicitas exactiones occaſione Archidiaconatus à Presbyteris exigeret, beatus autem Thomas Prior S. Victoris Pariſienſis, inſignis iuſtitiæ amator & defenſor, magno zelo eidem reſiſteret, & per nepotes Archidiaconi ipſius vir religioſus in obſequio charitatis in itinere, quòd pietas indiceret, in opere ſancto, in ſanctorum comitatu, in Dominico die, in ſinu meo, inquit Stephanus Pariſienſis in epiſtola ad Bernardum 159. ad Innocentium Papam, & intra manus meas crudeliter ab impiis pro iuſtitia excerebratus eſt. M. CXXX.

Hac de cauſa (inquit Petrus Cluniacenſis Abbas) nuper in partibus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatũ, ac multorum religioſorum & ſapientum perſonæ congregatæ ſunt: & Concilio habito, in huiuſmodi ſacrilegos ſeueri-

Digitized by Google

ſeritate ſententiam protulerunt. Confirmet ergo, ſi placet, Apoſtolica auctoritas, quod ab eis benè actum eſt: ſuppleat, ſi quid minùs ſeuerè decretum eſt, vt impij debita vltione puniantur, & ab eorum imitatione ceteri deterreantur. Hæc & alia Petrus ad Innocentium.

Ex epiſtola Innocentij: Aduerſus ergo tam Deo odibile & tam piaculare flagitium, quod in dilectos filios noſtros bonæ memoriæ Thomam Priorem S. Victoris, & Archenbaldum Subdecanum Aurelianenſem commiſſum eſt, tepiditate ſepoſita, aſſumpto vigore iuſtitiæ, exurgant Canones, armentur Iura; & ſi res expoſtulat, nouum ſcelus nouæ Synodi librata ſententia conteratur. Quod ergo à veſtra dilectione ſuper hoc apud Iotrum nuper iudicatum eſt, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus eſſe firmatum. Sed quia nimis remiſſa videtur eſſe veſtra ſententia, addendo cenſemus, vt in quibuſcumque locis præfati ſanguinatij præſentes fuerint, diuina ibi non celebrentur Officia: & ſi quis ſacrilegos illos Clericidas, ac cæleſtis collegij perturbatores, & effuſores Dominici ſanguinis in ſęculo remanentes, manutenere, & confouere tentauerit, anathematis ſententia percellatur, &c.

CONCILIVM RHEMENSE

auctoritate INNOCENTII II. *Rhemis indictum, quo Pſeudopontifex* ANACLETVS *vnà cum ſchiſmaticis fautoribus excommunicatur, anno* 1131.

ANNO DOMINI M.CXXXI. HVIVS Concilij Acta periere, ſed de eo tantùm apud Bernardum Abbatem Bonæuallis hæc habentur in Vita S. Bernardi his verbis:

Perluſtrata igitur Francia (ſcilicet Innocentius Papa) Rhemis conuocauit Concilium, in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, Regem Ludouicum viuente patre pro Philippo fratre coronauit in Regem. In omnibus his domnus Papa Abbatem (S. Bernardum) à ſe ſeparari non patiebatur, ſed cum Cardinalibus in rebus publicis aſſidebat. Sed & priuatim quotquot habebant negotia, virum Dei ſecretiùs conſulebant. Ipſe verò, audita referebat ad Curiam, & oppreſſis patrocinia exhibebat. Igitur ſoluto Concilio, &c. Hæc tantùm ibi.

Interfuit eidem Concilio vnà cum ceteris S. Norbertus Epiſcopus Magdeburgenſis, cuius meminit Auctor, agens de rebus in eodem Concilio geſtis ſic: *Conuocatoque Rhemis Concilio, conuenerunt vndique Epiſcopi de diuerſis nationibus; aduenit & Pater Norbertus: ibique illum Petrum intruſum excommunicauerunt, & electione Innocentij approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, niſi reſipiſceret, tradiderunt.*

Robertus Sigeberti Continuator, addit, eadem Synodo non tantùm Innocentij Papæ electionem approbatam, verùm etiam ab omnibus Galliæ & Germaniæ Epiſcopis Petri Antipapæ ordinationem anathemate damnatam fuiſſe. Et paulò infrà ait: *Concilio Rhemis habito, præſente Francorum Rege Ludouico, filius eius Ludouicus in Regem conſecratur à Papa Innocentio, octauo Kalendas Nouembris.* Paucis enim diebus antequam hęc Synodus celebraretur, Philippus Regis filius nuper in Regem inunctus, equi fortuito caſu decidens, magno omnium luctu in pœnam ſacrilegi patris iuxta vaticinium S. Bernardi occiſus fuerat.

CONCILIVM LEODIENSE

auctoritate INNOCENTII *Papæ indictum, quo* HALBERSTADENSIS *Epiſcopus priſtino honori reſtituitur, & Antipapa* ANACLETVS *condemnatur, anno Domini* 1131.

ANNO Domini 1131. inquit Abbas Stadenſis in Chronico, Conuentus apud Leodium agitur, M.CXXXI.

agitur, in quo Otto Halberſtadenſis Epiſcopus ab Innocentio Papa priſtino honori reſtituitur. Otto Friſingenſis c. 18. lib. 7. de eadem Synodo iſta dumtaxat ſcribit: *Apud Leodium Belgiæ vrbem Synodum Epiſcoporum conuocans, Regem Lotharium ad defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inuitauit.* Sic ille.

Ibidem vnà cum Lothario totius Regni Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces, Marchiones, & Palatinos Comites congregatos fuiſſe, aduenientemq; illuc Pontificem magnificè exceptum ad tyrannidem Apoſtolicæ Sedis inuaſorum comprimendam, cum promiſſione Imperialis coronæ auxilium petiuiſſe, & impetraſſe, Dodechinus & Abbas Vrſpergenſis verbis ferè iiſdem deſcribunt.

Sugerius in Vita Ludouici Craſſi ponit occurſum Lotharij Innocentio Papæ factum hoc eodem anno, ſed ante Rhemenſe Concilium ſic:

Viſitando itaque Gallicanam, ſicut res exigebat, Eccleſiam, ad partes ſe transfert Lotharingorum, (ipſe ſcilicet Innocentius Papa.) cui cùm Imperator Lotharius ciuitate Leodij cum magno Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & Teutonici Regni Optimatum collegio celeberrimè occurriſſet, in platea ante Epiſcopalem Eccleſiam humillimè ſeipſum ſtratorem offerens, pedes per medium ſanctæ proceſsionis ad eum feſtinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frænum albi equi accipiens, tamquam dominum deducebat. Deſcendente verò tota ſtatione eum ſubbrachiando deportans, celſitudinem Paternitatis eius notis & ignotis clarificauit. Hæc Sugerius.

Sed quæ iſta ſint ſecutę inter Lotharium & Innocentium contentiones & diſcordiæ, idem qui ſuprà Bernardus Bonæuallis ſic narrare pergit:

Sed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importunè idem Rex inſtitit, tēpus habere ſe reputans opportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inueſtituras, quas ab eius prædeceſſore Imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod verbum expauere & expalluere Romani, grauius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinauerint Romæ. Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus, (Bernardus ſcilicet;) audacter enim reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit. Hæc ipſe.

Hîc vides redargui mendaciſsimum Petrum Diaconum Caſſinenſem, dum in gratiam eiuſdē Lotharij, cui poſteà adhæſit, aduerſus tam apertiſsimā veritatē de inueſtituris, affirmat eas ab Innocētio Papa in eo Conuentu Leodienſi, Lothario fuiſſe conceſſas, ſic dicens: *Innocentius igitur Germaniam ingreſſus, à Lothario Rege iuxta Leodium excipitur, virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans, & terram Comitiſſæ Mathildæ condonans.* Hæc ipſe Petrus, qui aduerſus Catholicum Papam Innocentium vnà cum ſuis pro ſchiſmaticorum parte ſtetit ac laborauit.

CONCILIVM MOGVNTINVM
in cauſa BRVNONIS *Argentinenſis Epiſcopi celebratum anno Domini* 1131. *tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

CONCILIVM hoc habitum eſt Moguntiæ, vt vult Dodechinus, anno 1131. præſente Lothario Rege, vbi Bruno Argentinenſis Epiſcopus, præſentibus Auguſtenſe, Einſtedenſe, Bambergenſe, Wirzeburgenſe, Spirenſe & Wormatienſe Epiſcopis, præſidente etiam Matthæo Albanenſe cum Moguntinenſe Archiepiſcopo, à Clero & populo ſuper violentia, intruſione, & conſecratione impetitus, in manus Archiepiſcopi & Cardinalis Argentinenſem reſignauit Epiſcopatum. ANNO DOMINI M.CXXXI.

CONC.

Digitized by Google

CONCILIVM PLACENTINVM

aduerſus ANACLETVM *Pſeudopapam celebratum anno* 1132. *ſub* INNOCENTIO *Papa* II.

ANNO DOMINI M.CXXXII. PETRVS Cluniacenſis lib. 3. epiſtol. meminit huius Concilij breuiter tantùm his verbis: *Recedens Galliâ, venturus Romam, tranſiens per ſanctum Ægidium, & per montē Geneuæ, fines Longobardiæ intrauit, & apud Haſtam ſolemnitate Reſurrectionis Dominicæ celebrata, Placentiam venit. Ibi inuocatis Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis, tam de Longobardia quàm de Rauennatenſi Prouincia, & Marchia inferioris partis, tertium Concilium celebrauit.* Porrò huius Concilij non niſi hanc tantummodò breuem mentionem inuenire potuimus.

CONCILIVM PISANVM

contra PSEVDOPAPAM *indictum anno Domini* 1134. *tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

M.CXXXIV. DE hoc iſta Bernardus Bonæuallis in Vita S. Bernardi: *Innocentius rurſus Piſas reuertitur, ibiq; aggregatis totius Occidentis Epiſcopis, aliiſque religioſis viris, magnæ gloriæ Synodus celebratur. Affuit per omnia & conſiliis, & iudiciis, & definitionibus omnibus ſanctus* (Bernardus) *Abbas*, &c. *Actiones Concilij longum eſt proſequi, ſumma tamen in excommunicatione Petri, & irregreſſibili fautorum eius deiectione conſtitit, & vſque hodie hæc ſententia perſeuerat.* Sic Bernardus.

Robertus Continuator Sigeberti hęc: *Petro* (Antipapa) *ob parentelæ ſuæ fortitudinē apud S. Petrum commorante, Innocentius Romā egreſſus in Gallias proficiſcitur, & Gallicana ſibi adhærente Eccleſia, Conciliis celebratis, primò Rhemis, ſecundò Piſis, in Papatu confirmatur, & Petrus ab omnibus Galliæ & Germaniæ Epiſcopis anathematizatur.*

CONCILIVM NORTHAMTONIENSE

in Anglia celebratum anno Domini 1138. *tempore* INNOCENTII *Papæ* II. & STEPHANI *Regis.*

RES geſtas in hoc Concilio Continuator Florentij ſummatim ſic refert: M.CXXXVIII.

Rex Anglorum Stephanus, in Octauis Paſchæ, quod erat 4. Idus Aprilis, tenuit Concilium Northamtoniæ, cui præſidebat Eboracenſis Archiepiſcopus Turſtanus, Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, Nobiles quique per Angliam. In quo etiam Concilio, quorumdam electione, Exonienſi Eccleſiæ iam Paſtorali cura deſtitutæ, de medio facti Præſulis Guilielmi de Warawaſt Archidiaconus, nomine Robertus, Paſtorali curæ pręficitur. Duæ quoque dantur Abbatiæ, &c.

CONC. LONDONIENSE,

ſub Præſidio ALBERICI *Oſtienſis, Apoſtolicæ Sedis Legati, celebratum in Anglia anno* 1138 *tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

ANNO ab Incarnatione Domini 1138. (ſubiungit idem Continuator) Pontificatus autem Domini Papæ Innocentij anno 9. regnāte nobiliſſimo Rege Stephano Anglorum, Henrici Regis magni nepote, anno tertio Regni ipſius, celebrata eſt Synodus Londoniæ in Eccleſia S. Petri Apoſtolorum Principis apud Weſtmonaſterium, menſe Decembri, 13. die menſis. Vbi poſt multarum diſcuſsionem cauſarum, promulgata ſunt Capitula ab omnibus confirmata, n. 16. Pręfuit autem Synodo Albericus Oſtienſis Epiſcopus, & prędicti Domini Papæ Innocentij in Angliam & Scotiam Legatus, cum Epiſcopis diuerſarum Prociarum numero XVII. & Abbatibus circiter XXX. & innumera Cleri & populi multitudine. M.CXXXVIII.

Digitized by Google

CONCILIVM LATERANENSE II. OECVMENICVM X.

APPROBATVM SVB INNOCENTIO II. SVMMO PONTIFICE.

Historia eiusdem Concilii.

ANNO DOMINI M.CXXXIX.

Honorio II. Calliſti ſucceſſore defuncto, maior Cardinaliũ pars Gregorium ſancti Angeli Diaconũ Cardinalem Summũ Pontificem elegerunt, qui deinde Innocentius II. dictus eſt. Nonnulli verò Petrum Leonis potentiſſimi Romanorum ciuis filiũ Pſeudopontificem crearunt, quem Anacletum II. appellarunt. De vtroque S. Bernardus hæc ſcribit: *Duo itaque*, inquit, *ſunt, de quibus contenditur, quiſnam eorum rectiùs videatur Papa. Quorum primò quidem ſi perſonas compares, vt neutri ſanè vel derogare videar, vel adulari, dicam, quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri, quia videlicet Innocentij noſtri vita, vel fama, nec æmulum timet; cùm alterius nec ab amico tuta ſit. Deinde ſi electionem diſcutias, noſtri itidem occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore conſtat. Reliqua duo, merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim (ni fallor) partem ſaniorem inuenies, tam Epiſcopos, quàm Cardinales, Diaconos, ſiue Preſbyteros, & quorum maximè intereſt de electione Summi Pontificis, & quanti in eligendo iuxta ſcita Patrum ſufficiant. Quid & in conſecratione? Nónne Oſtienſem, ad quem ſpecialiter ſpectat, habemus? Cùm igitur & electus dignior, & electio ſanior, & actio ordinabilior teneatur: qua iſti ratione, imò qua contentione, contra ius & fas, & vota omnium bonorum, inuita & renitenti Dei Eccleſia præficere alium, & illum deponere tentant?* Et alibi, de Innocentio loquens: *Meritò illum*, inquit, *recipit Eccleſia, cuius opinio clarior, & electio ſanior inuenta eſt: nimirum eligentium numero vincens, & merito.* Hæc S. Bernardus. Petrus Leonis propinquorum viribus innixus, ſancti Petri Baſilicam, ceteraſque Vrbis Eccleſias inuaſit, & Innocentius Papa vnà cum Cardinalibus coactus Vrbe diſceſſit, & in Galliam ſe contulit: vbi à Rege & ab Epiſcopis vt verus Pontifex recipitur, habetur, & colitur. Galliæ Regem eſt imitatus Henricus Angliæ Rex, ac Lotharius Romanorum Imperator electus cum Epiſcopis & Optimatibus Teutonici Regni. Neque in Gallia tantùm aut Germania Innocentius legitimus Pontifex habetur, ſed etiam in Hetruria, ſeu Tuſcia, Campania, aliiſque propè innumeris regionibus atque Prouinciis, vt ſcribit S. Bernardus: qui magnum Innocentio adiumentum attulit in hoc ſchiſmate confutando, tum apud Imperatorem, tum apud Reges, ob eximiam & doctrinæ & ſanctitatis opinionem, atque ideò apud eos auctoritatem. Innocentius ex Gallia in Italiam reuerſus, Lotharij Imperatoris viribus adiutus, ſchiſmaticos repreſſit; & Petro Leone Pſeudopontifice mortuo, is qui in eius locum à ſchiſmaticis ſuffectus fuerat, Victoris nomine appellatus, Pontificalibus veſtibus depoſitis

Digitized by Google

poſitis, ad Pontificem ſe contulit. Iis temporibus, non ſchiſmaticorum tantùm factionibus Dei Eccleſia perturbabatur, ſed hæreticorum etiam nouis ac diuerſis dogmatibus oppugnabatur. Petrus de Bruis hac tempeſtate exortus eſt: aduerſus quem Petrus Cluniacenſis diſputans, eius hæreſes recenſet. Et primùm quidem: Negat, inquit, paruulos infra intelligibilem ætatem conſtitutos, Chriſti Baptiſmate poſſe ſaluari: nec alienā fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſua vti non poſſunt. Deinde Templorum vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere; factas inſuper ſubrui oportere: nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad orandum. Tertiò, Cruces ſacras confringi præcipit, & ſuccendi: quia ſpecies illa, vel inſtrumentū, quo Chriſtus tam dirè tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione digna eſt; ſed ad vltionem tormentorum & mortis eius, omni dedecore dehoneſtanda, gladiis concidenda, ignibus ſuccendenda eſt. Quartò, Non ſolùm veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & aſſiduè per Sacramentum in Eccleſia oblatum negat, ſed omnino illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere decernit. Quintò, Sacrificia, oblationes, eleëmoſynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus à viuis fidelibus facta deridet, nec ea quempiam mortuorum vel in modico poſſe iuuare affirmat. Narrat etiam Petrus Cluniacenſis, iure hunc hæreticum concrematum, cùm anteà impius iſte Cruces Dominicas in vnum congeſtas concremauerit. Huius Petri de Bruis impias hæreſes ſecuti ſunt pænè omnes qui poſt illum fuerunt hæretici: vt meritò hæreticorum parens dici poſſit. Quin etiam Arnaldus de Brixia illius ſectatus eſt errores. De quo hoc Otho Friſingenſis ſcribit: *Is à ſtudio è Galliis in Italiam reuertens, religioſum habitum, quò ampliùs decipere poſſet, induit: omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens: Clericorum & Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, laicis tantùm adulās. Dicebat enim, Nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſaluari: cunctaque hæc Principis eſſe, ab eiuſque beneficentia in vſum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc, de Sacramento Altaris, de Baptiſmo paruulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe.* Hæc Otho. Quare Innocentius Pontifex, tum ad hæreſes damnandas, tum ad ſchiſmaticos reprimendos, ac deprauatos mores corrigendos, Prædeceſſorum ſanctorum Pontificū exempla ſecutus, vniuerſale Romæ indixit Concilium: & conuocatis ex vniuerſis Chriſtiani orbis partibus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, mille circiter conuenere, vt grauiſſimi illius temporis Scriptores teſtantur; & in Lateranenſi Eccleſia illud celebrandum curauit. In quo hæretici damnantur, & inter ceteros Arnaldus de Brixia, qui tum in Vrbe degebat; Petri Leonis, aliorumque ſchiſmaticorum Acta reſcinduntur; & ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, aliqua ſtatuunt Decreta, inter quæ illud præcipuum: Quòd cùm per id tempus Sacerdotibus & Clericis honor, quem par erat, non deferretur; ſententiam excommunicationis tulit Pontifex in eos, qui violentas manus in Clericos iniicerent. Prohibuit etiam militum Torneamenta: in quibus cædes hominum, & animarum pericula ſemper imminent. Quæ à poſterioribus Pontificibus & Conciliis, & innouata & confirmata fuere. Hæc de hiſtoria.

CANONES HVIVS CONCILII.

I. STATVIMVS, Si quis Simoniacè ordinatus fuerit, ab officio omnino cadat, quod illicitè vſurpauit.

II. Si quis Præbendam, vel Prioratum, ſeu Decanatum, aut honorem vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet Sacramentum Eccleſiaſticum, vtpote Chriſma, vel Oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium vel Eccle-

Eccleſiarum, interueniente execrabili ardore * auaritiæ per pecuniam acquiſiuit, honore malè acquiſito careat, & emptor, atque venditor, & interuentor, nota infamiæ percellantur, & nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicuius conſuetudinis antè vel pòſt à quoquã aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam Simoniacum eſt; ſed liberè, & abſque imminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque Beneficio perfruatur.

* emptionis

III. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis ſuſcipi modis omnibus prohibemus. Qui verò excommunicato, antequam ab eo qui eum excommunicauerit, abſoluatur, ſcienter communicare præſumpſerit, pari ſententiæ teneatur obnoxius.

IV. Præcipimus etiam, quòd tam Epiſcopi quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum; ſed potiùs, quæ eos deceat, ſanctitatem præ ſe ferant. Quòd ſi moniti ab Epiſcopis emendari noluerint, Eccleſiaſticis careant Beneficiis.

Can. 22.

V. Illud autem, quod in ſacro Chalcedonenſi conſtitutum eſt Concilio, irrefragabiliter conſeruari præcipimus, Vt videlicet decedentium bona Epiſcoporum à nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui, in libera Oeconomi & Clericorum permaneant poteſtate. Ceſſet igitur de cetero illa deteſtàbilis & ſæua rapacitas. Si quis autem aliquo modo hoc attentare præſumpſerit, excommunicationi ſubiaceat. Qui verò morientium Presbyterorum vel Clericorum bona rapuerint, ſimili ſententiæ ſubiiciantur.

VI. Decernimus etiam, Vt ij qui in ordine Subdiaconatus & ſupra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico Beneficio careant. Cùm enim ipſi Templum Dei, Vaſa Domini, Sacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſeruire.

VII. Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Gregorij Septimi, Vrbani & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes præcipimus, Vt nullus Miſſas eorum audiat, quos vxores vel concubinas habere cognouerint. Vt autem lex continentiæ & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, & Monachi, atque Conuerſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum vxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiarum regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab inuicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant.

VIII. Idipſum quoque de Sanctimonialibus feminis, ſi, quod abſit, nubere attentauerint, obſeruari decernimus.

IX. Praua autem conſuetudo, prout accepimus, & deteſtabilis inoleuit, quoniam Monachi & Regulares Canonici poſt ſuſceptum habitum, & profeſſionem factam, ſpreta beatorum Magiſtrorum Benedicti & Auguſtini Regula, Leges temporales, & Medicinam gratiâ lucri temporalis addiſcunt. Auaritię namque flãmmis accenſi, ſe Patronos cauſarum faciunt: & cùm Pſalmodiæ & Hymnis vacare debeãt, glorioſæ vocis confiſi munimine, allegationum ſuarum varietate, iuſtum & iniuſtum, fas nefaſque confundunt. Atteſtantur verò Imperiales Conſtitutiones, abſurdum, imò & opprobrium eſſe Clericis, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſiũ. Huiuſmodi temeratores grauiter feriendos Apoſtolica auctoritate decernimus. Ipſi quoque, neglecta animarum cura, Ordinis ſui propoſitum nullatenus attendentes, pro deteſtanda pecunia ſanitatem pollicentes, humanorum curatores ſe faciunt corporum.

Cumque

Cumque impudicus oculus impudici cordis ſit nuntius, illa, de quibus loqui erubeſcit honeſtas, non debet Religio pertractare. Vt ergo Ordo Monaſticus & Canonicus Deo placens in ſancto propoſito inuiolabiliter conſeruetur, ne hoc vlteriùs præſumatur, Apoſtolica auctoritate interdicimus. Epiſcopi autem, Abbates, & Priores tantæ enormitati conſentientes, & non corrigentes, propriis honoribus ſpolientur, & ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

X. Decimas Eccleſiarum, quas in vſu pietatis conceſſas eſſe Canonica demonſtrat auctoritas, à laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus. Siue enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegij crimen committere, & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam, vt laici qui Eccleſias tenent, aut eas Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubiaceant. Innouamus autem & præcipimus, vt nullus in Archidiaconum vel Decanum, niſi Diaconus vel Presbyter ordinetur: Archidiaconi verò, Decani, vel Præpoſiti, qui infra Ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priuentur. Prohibemus autem, Ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam, Ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur, & vnaquæque Eccleſia cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem.

XI. Præcipimus etiam, Vt Presbyteri, Clerici, Monachi, peregrini, & mercatores, & ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura perſiſtentes, & animalia cum quibus aratur, & ſemina portant ad agrum, & oues, omni tempore ſecuri ſint.

XII. Treguam autem ab occaſu ſolis in quarta Feria vſque ad ortum ſolis in ſecunda Feria, & ab Aduentu Domini vſque ad Octauas Epiphaniæ, & à Quinquageſima vſque ad Octauam Paſchæ ab omnibus inuiolabiliter obſeruari præcipimus. Si quis autem Treguam frangere tentauerit, poſt tertiam commonitionem ſi non ſatisfecerit, Epiſcopus ſuus in eum excommunicationis ſententiam dictet, & ſcriptã Epiſcopis vicinis annuntiet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatum in communionem ſuſcipiat, imò ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem hoc violare præſumpſerit, Ordinis ſui periculò ſubiacebit. Et quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, præcipimus, vt Epiſcopi, ad ſolũ Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant, neq; hoc alicuius amore aut odio prætermittant. Quòd ſi quis in hoc Dei opere tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

XIII. Porrò deteſtabilẽ & probroſam diuinis & humanis Legibus per ſcripturam in veteri & in nouo Teſtamento abdicatam, illam, inquam, inſatiabilem fœneratorum rapacitatẽ damnamus, & ab omni Eccleſiaſtica conſolatione ſequeſtramus: præcipientes, Vt nullus Archiepiſcopus, nullus Epiſcopus, vel cuiuſlibet Ordinis Abbas, ſeu quiuis in Ordine & Clero, niſi cum ſumma cautela vſurarios recipere præſumat, ſed in tota vita infames habeantur: & niſi reſipuerint, Chriſtiana ſepultura priuentur.

XIV. Deteſtabiles autem illas nundinas, vel Ferias, in quibus milites ex condicto conuenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ, temerariè congrediuntur, vnde mortes hominum, & animarum pericula ſæpè proueniunt, omnino fieri interdicimus. Quòd ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poſcenti, Pœnitentia & Viaticum non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

XV. Item

Digitized by Google

XV. Item placuit, Vt ſi quis ſuadente diabolo huius ſacrilegij reatum incurrit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum pręſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat. Præcipimus etiam, vt in eos, qui ad Eccleſiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod ſi fecerit, excommunicetur.

XVI. Indubitatum eſt, quoniam honores Eccleſiaſtici ſanguinis nõ ſunt, ſed meriti, & Eccleſiæ Dei non hereditario Iure aliquem, neq; ſecundùm carnem ſucceſſorem expectat, ſed ad ſua regimina, & officiorum ſuorum diſpẽſationes, honeſtas, ſapientes, & religioſas perſonas expoſcit. Propterea auctoritate prohibemus Apoſtolica, ne quis Eccleſias, Præbendas, Præpoſituras, Cappellanias, aut aliqua Eccleſiaſtica Officia hereditario Iure valeat vindicare, aut expoſtulare præſumat. Quòd ſi quis improbus, aut ambitionis reus attentare pręſumpſerit, debita pœna mulctabitur, & poſtulatis carebit.

XVII. Sanè coniunctiones conſanguineorum omnino fieri prohibemus: huiuſmodi namque inceſtum, qui ferè, ſtimulante humani generis inimico, in vſum verſus eſt, ſanctorum Patrum inſtituta, & ſacroſancta Dei deteſtatur Eccleſia; Leges etiam ſæculi de tali contubernio natos infames pronuntiant, & ab hereditate repellunt.

XVIII. Peſſimam ſiquidem & depopulatricem, & horrendam incendiorum malitiam, auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omnino deteſtamur & interdicimus. Hæc etenim peſtis & hoſtilis vaſtitas omnes alias depredationes exuperat. Quæ quantum populo Dei ſit damnoſa, quantumque detrimentum animabus & corporibus inferat, nullus ignorat. Aſſurgendum eſt igitur, & omni modo laborandum, vt tanta clades, tantaque pernicies pro ſalute populi eradicetur & extirpetur. Si quis igitur poſt huius noſtræ prohibitionis promulgationẽ malo ſtudio, ſiue pro odio, ſiue pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur. Et ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura. Nec abſoluatur, niſi priùs damno, cui intulit, ſecundùm facultatem ſuam reſarcito, iuret ſe vlteriùs ignem non appoſiturum. Pœnitentia autem ei detur, vt Ieroſolymis, aut in Hiſpania in ſeruitio Dei per annum integrum permaneat.

XIX. Si quis autem Archiepiſcopus vel Epiſcopus hoc relaxauerit, damnum reſtituat, & per annum ab officio Epiſcopali abſtineat.

XX. Sanè Regibus & Principibus facultatem faciendæ iuſtitiæ, conſultis Archiepiſcopis & Epiſcopis, non negamus.

XXI. Presbyterorum filios à ſacri Altaris miniſteriis remouendos decernimus; niſi aut in Cœnobiis aut in Canonicis religioſè fuerint conuerſati.

XXII. Sanè quia inter cetera vnum eſt, quod ſanctam maximè perturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia; cõfratres noſtros & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe cõſtat, cùm ſpretis pluribus, de vno ſolo pœnitentia agitur; aut cùm ſic agitur de vno, vt non diſcedatur ab alio. Vnde ſcriptum eſt: Qui totam legem Iacob. 2.
obſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim ſi peccatis eſſet omnibus inuolutus, ita ſi in vno tantùm maneat, æternæ vitæ ianuam nõ intrabit. Falſa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel Curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione præualet;

aut

Digitized by Google

aut ſi odium in corde geſtetur, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfiat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat, aut ſi arma quis contra iuſtitiam gerat.

XXIII. Eos autem qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes, Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptiſma puerorum, Sacerdotium, & ceteros Eccleſiaſticos Ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus & damnamus, & per Poteſtates exteras coërceri præcipimus. Defenſores quoque ipſorum eiuſdem damnationis vinculo innodamus.

XXIV. Illud quoque adiicientes præcipimus, Vt pro Chriſmatis, Olei ſacri & ſepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.

XXV. Si quis Præpoſituras, Præbendas, vel alia Eccleſiaſtica Beneficia de manu laici acceperit, indignè ſuſcepto careat Beneficio. Iuxta namque Decreta ſanctorum Patrum, laici quãuis Religioſi ſint, nullam tamen habent diſponendi de Eccleſiaſticis facultatibus poteſtatem.

XXVI. Ad hæc perniciosam & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licet neque ſecundùm Regulam B. Benedicti, neque Baſilij, aut Auguſtini viuant, Sanctimoniales tamen vulgò cenſeri deſiderant, aboleri decernimus. Cùm enim iuxta Regulam degentes in Cœnobiis, tam in Eccleſia, quàm in Refectorio atque Dormitorio communiter eſſe debeant, propria ſibi ædificant receptacula, & priuata domicilia, in quibus ſub hoſpitalitatis velamine paſſim hoſpites & minùs religioſos, contra ſacros Canones & bonos mores ſuſcipere nullatenùs erubeſcunt. Quia ergo omnis qui malè agit, odit lucem, ac per hoc ipſæ abſconditè in iniuſtorum tabernaculo opinantur ſe poſſe latere oculos Iudicis cuncta cernentis: hoc tam inhoneſtum deteſtandumque flagitium, ne vlteriùs fiat, omnimodis prohibemus, & ſub pœna anathematis interdicimus.

XXVII. Simili modo prohibemus, ne Sanctimoniales ſimul cum Canonicis vel Monachis in Eccleſia in vno Choro conueniant ad pſallendum.

XXVIII. Obeuntibus ſanè Epiſcopis, quoniam vltra tres menſes vacare Eccleſias prohibent Patrum ſanctiones, ſub anathemate interdicimus, ne Canonici de ſede Epiſcopali ab electione Epiſcoporum excludant religioſos viros, ſed eorum conſilio honeſta & idonea perſona in Epiſcopum eligatur. Quòd ſi, excluſis eiſdem religioſis, electio fuerit celebrata: quod abſque eorum aſſenſu & conuenientia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.

XXIX. Artem autem illam mortiferam Deo odibilem, Balli, ſtadiorum, & ſagittariorum, aduerſus Chriſtianos & Catholicos exerceri de cetero ſub anathemate prohibemus.

XXX. Ad hæc Ordinationes factas à Petro Leonis & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, euacuamus, & irritas eſſe cenſemus.

ANNOTATIO.

Ex Canonibus huius Concilij, ex Vaticana Bibliotheca iam recèns editis, Gratianus in ſuum Decretum intulit, Secundum, 1.q.3. cap. Si quis Præbendam. Quartum, 21. quæſt.4. cap. Præcipimus. Quintum, 12. q. 2. cap. Illud. Sextum, diſt.28. cap. Decernimus. Septimum & Octauum, 27.quæſt.1.cap.Vt lex. Decimi §.primum, 16.q.7. cap. Decimas. Eiuſdem Decimi §.ſecundum, diſtinct.60. cap. Innouamus. §. tertium & vltimum, 21.q.2. c. Præcipimus. Duodecimum, diſt. 90. cap. Præcipimus. item Extrau. cap. 1. De tregua & pace. Decimumquintum, 17.q.4. c. Siquis ſuadente. Decimumſextum, 8.q.1. c. Apoſtolica. Decimumſeptimum, 35.q.2. & 3. cap. Coniunctiones conſanguineorum. Decimum octauum, decimumnonum, & vigeſimum, 23. q.8. c. Peſſimam. Vigeſimum primum, diſt. 56. cap. Presbyterorum. Vigeſimum ſextum & ſeptimum, 18. q.2. c. Perniciosam. Vigeſimum octauum, diſt. 63. cap. Obeuntibus.

In hoc eodem magno imò maximo Concilio Lateranẽſi, inter alia delata eſt accuſatio aduerſus Arnaldum de Brixia

Digitized by Google

recentem hæreticum, diſcipulum Petri Abailardi. Dum enim Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laiciſq; terræ illius, prurientes erga Clerũ aures habẽtibus, Eccleſiaſticas malitioſè exponeret paginas; in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito, ab Epiſcopo ciuitatis illius viriſq; religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendũ viro ſilentium decernit, ſicq; factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Tranſalpina ſe cõtulit, ibiq; in oppido Alemaniæ Turego officiũ doctoris aſſumẽs, pernicioſũ dogma aliquot diebus ſeminauit. Sic Otto Friſingenſis. Qui ſubiicit de rebus ab eo geſtis ſub Eugenio poſt obitũ Innocentij, cùm Romam ſe contulit.

CONC. WINTONIENSE I.

pro IMMVNITATE ECCLESIASTICA *contra Regem* STEPHANVM, *qui caſtella Eccleſiæ inuaſerat, & Epiſcopos nonnullos carceribus mancipauerat, celebratum anno Domini 1139. tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXXXIX.

ANNO Dominicæ Incarnationis 1139. venenum malitiæ ſuæ diu in animo Stephani Regis nutritum, tandem erupit in publicum, caſtella Eccleſiæ inuadens, & Epiſcopos renitentes carceri tradens. Quarto igitur Kalendas Septembris, cùm omnes ferè Epiſcopi Angliæ cum Theobaldo Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui Wilhelmo ſucceſſerat, Wintoniam ad Concilium celebrandum veniſſent; Archiepiſcopus Eboracenſis Turſtanus pro valetudine, qua grauabatur (vix enim animi viribus corpus regebat) ceteri verò pro guerra literis abſentiam ſuam excuſarunt. Lectum eſt primò in Concilio Decretum Innocentij Papæ, quoniam à Kalendis Martij partem ſollicitudinis ſuæ idem Apoſtolicus Domino Epiſcopo Wintonienſi iura Legationis in Anglia iniunxerat. Exceptum id ſummo fauore, quòd diuturnitate temporis temperantiam ſuam oſtendens Epiſcopus, non ſe prærupta Legatum promulgaſſet iactantia. Proceſſit deinceps in Concilio ſermo eiuſdem Latialiter ad literatos habitus, de indignatione captionis Epiſcoporum, quorum Salesberienſis in camera Curiæ, Lindecolnienſis in diuerſorio ſuo intercepti eſſent, Helyenſis exemplum ſimile veritus, veloci profugio ad Diuiſas ſe calamitati exemiſſet. Scelus miſerabile, Regem ab incentoribus ita fuiſſe ſeductum, vt hominibus ſuis, præſertim Epiſcopis, in Curiæ ſuę pace manus iniici iuſſiſſet. Adiecta eſſet Regio dedecori cæleſtis iniuria, vt ſub obtentu culpæ Pontificum, Eccleſiæ poſſeſſionibus ſpoliarentur: ſibi Regis contra legem Dei exceſſum tanto dolori eſſe, vt mallet ſe multo diſpendio & corporis & rerum ſuarum affici, quàm Epiſcopalem celſitudinem tanta indignitate eiici. Quin etiam Regem de emendatione peccati multotiens admonitum, poſtremò tunc Concilij vocationem non abnuiſſe. Proinde Archiepiſcopus & ceteri conſulerent in medium, quid opus eſſet facto: ſe ad executionem Concilij nec pro Regis amicitia, qui ſibi frater erat, nec pro damno poſſeſſionum, nec etiam pro capitis periculo defuturum.

Rex ad Synodum vocatus, conqueritur.

Cùm hæc ille ſenſim per amplificationem exponit, Rex cauſæ ſuæ non diffiſus, Comites in Concilium miſit, quærens cur vocatus eſſet. Reſponſum eſt à Legato ex compendio: Non debere illum, qui ſe fidei Chriſti ſubiectum meminiſſet, indignari, ſi à miniſtris Chriſti ad ſatisfactionem vocatus eſſet, tanti reatus conſcius, quantum noſtra ſæcula numquam vidiſſent. Gentilium quippe ſæculorum opus eſſe, Epiſcopos incarcerare, & poſſeſſionibus ſuis exuere. Conſultè verò in præſentiarum Rex faceret, ſi vel rationem facti ſui redderet, vel Canonicum iudicium ſubiret. Ex debito etiam oportere, vt Eccleſiæ faueret, cuius ſinu exceptus, non manu militum in Regnum promotus fuiſſet.

Pro Rege venit quidam Albericus, qui

qui plura in ſui defenſionem congeſſit: ſed ab Rogerio Epiſcopo redarguitur. Et cùm dilata eſſet cauſa petitu Regis ad diem ſequentem vſque aduentum Archiepiſcopi Rotomagenſis, is vbi venit, omnium ſuſpenſis animis quidnam afferret, dixit, ſe concedere, vt caſtella Epiſcopi habeant, ſi ſe Iure habere debere per Canones probare poſſunt: quod quia non poſſunt, extremæ improbitatis eſſe, contra Canones niti velle. Et eſto, inquit, iuſtum ſit, vt habeant; certè, quia ſuſpectum eſt tempus, ſecundùm morem aliarum gentium, Optimates omnes claues munitionum ſuarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controuerſia Epiſcoporum infirmabatur. Aut enim ſecundùm Canonum ſcita iniuſtum eſt, vt habeant caſtella; aut ſi hoc pro indulgentia Principali toleratur, vt tradant claues, neceſſitati temporis debent cedere.

His addidit Albericus, ſignificatum eſſe Regi, quòd minarentur inter ſe Pontifices, pararentque aliquos ex ſuis contra eum Romam mittere. Et hoc (ait) laudat vobis Rex, ne quiſquam veſtrûm præſumat facere: quia ſi quis contra voluntatem ſuam, & Regni dignitatem, ab Anglia quóquam iret, difficilis ei fortaſſis reditus eſſet. Quin etiam ipſe, quia ſe grauari videt, vltrò vos ad Romam appellat.

Hæc poſtquam Rex partim quaſi laudando, partim minando mandaſſet, intellectum eſt quò tenderet. Quapropter ita diſceſſum eſt, vt nec ipſe cenſuram Canonum pati vellet, nec Epiſcopi eam conſultum exercere ducerent, duplici ex cauſa: ſeu quia Principem excommunicare ſine Apoſtolici cōſcientia, temerarium eſſet: ſeu quoniam audirent, quidam etiam viderent, gladios circa ſe nudari. Non enim iam ludicra erant verba, ſed de vita & ſanguine penè certabatur. Non omiſerunt tamen Legatus & Archiepiſcopus, quin tenorem officij ſui proſequerentur. Supplici-ter enim pedibus Regis in cubiculo affuſi orauerunt, vt miſereretur Eccleſiæ, miſereretur animæ & famæ ſuæ, ne pateretur fieri diſſidium inter Regnum & Sacerdotium. Ille dignanter aſſurgens, quamuis à ſe facti eorum amoliretur inuidiam, malorum tamen præuentus conſiliis, nullam bonorum promiſſionum exhibuit efficaciam.

Kal. Septemb. ſolutū eſt Concilium.

CONC. SVESSIONENSE

auctoritate Legati Sedis Apoſtolicæ contra PETRVM ABAILARDVM, *ſub* LVDOVICO *Seniore Francorum Rege celebratum ante annū Domini 1139. quo* LVDOVICVS *Rex è viuis exceſſit.*

CVM Petrus Abailardus de ſancta Trinitate docens & ſcribēs, tres perſonas, quas ſancta Eccleſia non vacua nomina tantùm, ſed res diſtinctas, ſuiſq; proprietatibus diſcretis, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis vſus exemplis, inter cetera diceret: Sicut eadem oratio eſt propoſitio, aſſumptio, & concluſio; ita eadem eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Ob hoc Sueſſionis, Prouinciali contra eum Synodo ſub præſentia Romanæ Sedis Legati congregata, ab egregiis viris & nominatis Magiſtris, Elberico Rhemenſe, & Leutaldo Nouarienſe, Sabellianus hæreticus iudicatus, libros, quos ediderat, propria manu ab Epiſcopis igni dare coactus eſt, nulla ſibi reſpondendi facultate conceſſa, eò quòd diſceptandi in eo peritia ab omnibus ſuſpecta haberetur. ANNO DOMINI M.CXXXIX

CONC. SENONENSE

contra eumdem PETRVM ABAILARDVM *celebratum in præſentia* LVDOVICI *Regis Iunioris anno Domini 1140. tempore* INNOCENTII *Papæ II.*

POST extinctum ſchiſma Petri Leonis, & cùm Arnaldus ex Italia rediit in Franciam ad ſuum magiſtrum Petrum Abailardum, quando & M.CXL.

ceptum eſt agi aduerſus eiuſmodi hæreſes recens emergentes, tunc congregatum eſt hoc Concilium, vt vult S. Bernardus in epiſt. 189. dum dicit: *Leonem euaſimus, ſed incidimus in draconem*, &c. Et infrà: *Nouum cuditur populis & gentibus Euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt, de virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter, de arcano S. Trinitatis non ſimpliciter nec ſobriè diſputatur: ſed cuncta nobis in peruerſum, cuncta præter ſolitum, & præterquam accepimus, miniſtrantur. Procedit Golias procero corpore, nobili illo ſuo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque eius armigero Arnaldo de Brixia.* Sic ille.

Sed dicamus, quomodo ipſo primo egreſſu prouocauerit S. Bernardum ad diſputandum in publico Epiſcoporum & Abbatum Conuentu. Nempe ſicut alter Goliath (vt audiſti) inſultans agminibus Dei viuentis, ratus nimirum perfacilem ſibi fore ſuarum hæreſum promulgationem, ſi eius, qui colebatur ab omnibus doctiſſimus atque ſanctiſſimus, victor exiſteret: nam captionibus inanis Philoſophiæ eum à ſe vincendũ, nullatenus dubitabat. Vt autem hoc præſtaret, adiit Metropolitanum, nempe Archiepiſcopum Senonenſem, qui eiuſmodi diſputationem indiceret eo colore, quòd ſi ipſe vinceretur, omnino cedens, palinodiam recantaret. Cùm idem Archiepiſcopus pollicitus fuiſſet illi petitum congreſſum & conuentum, quem cupit, Suffraganeos ad Synodum vocans Epiſcopos, ſcripſit etiam ad S. Bernardum, vt ſe ad hæreticum expugnandum pararet: de qua re ſic S. Bernardus in dicta epiſtola ad Innocentium: *Denique ſcripſit mihi, ſollicitante quidem ipſo, Archiepiſcopus Senonenſis, diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia eius & Coëpiſcoporum ſuorum deberet, ſi poſſet, ſtatuere praua dogmata ſua, contra quæ egó mutire auſus fuiſſem. Abnui, tum quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia ſua: tum quia iudicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac ſtabili veritate conſtet eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta eius ad accuſandum eum, nec mea referre, ſed Epiſcoporum, quorum eſſet miniſterij de dogmatibus iudicare.* Sic ille. Nihilominùs, neceſſitate compulſus ipſe Bernardus eiuſmodi certamen ſuſcepit: & cùm aduenſſet dies, & copioſa Eccleſia conueniſſet, vbi à Dei famulo, Petri illius Abailardi in medium ſcripta prolata ſunt, & erroris capitula deſignata; optionem ei dedit, aut ſua eſſe negandi, aut errorem corrigendi, aut reſpondendi, ſi poſſet, obiiciendis ſibi rationibus pariter, & ſanctorum teſtimoniis Patrum. At ille nec volens reſipiſcere, nec valens reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur, vt tempus redimeret, Sedem Apoſtolicam appellauit. Sed cùm poſteà ab egregio illo Catholicæ fidei Aduocato, Bernardo videlicet, monitus eſſet, vt vel iam, ſciens in perſonã ſuam nihil agendum, reſponderet tam liberè quàm ſecurè, audiendus tantùm & ferendus omni patientia, non ſententia aliqua feriendus; hoc quoque omnimodis recuſauit. Nam & confeſſus eſt poſteà ſuis (vt aiunt) quòd ea hora, maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit ſenſus. Nihilominùs tamen Eccleſia quæ conuenerat, dimiſit hominem, mulctauit abominationem, à perſona abſtinens, ſed dogmata praua condemnans. Vide Binium hîc, qui ex Baronio multa alia colligit: quorum ſumma eſt, quòd Petrus damnationem ſui dogmatis à Romana Eccleſia confirmatam agnoſcens, ad Cluniacenſe Cœnobium ſe contulit, Apologeticum ſcribens, ſuorum errorum partim verba, ex toto autem ſenſum negãs, qui ſic incipit: *Ne iuxta Boëtianũ illud, Proœmijs nihil afferẽtibus, tempus teratur, ad rem ipſam veniendum eſt, vt innocentiã meam ipſa rerum veritas potiùs quàm verborum excuſet prolixitas.* Sic ille. Not.

Hæc

Hæc autem pauca de multis contra eum poſita ſufficiant Capitula:

Quòd Pater ſit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus ſanctus nulla potentia.

Quòd Spiritus ſanctus non ſit de ſubſtantia Patris.

Quòd Spiritus ſanctus ſit anima mundi.

Quòd Chriſtus non aſſumpſit carnem, vt nos à iugo diaboli liberaret.

Quòd non peccauerunt, qui Chriſtum ignoranter crucifixerunt.

Ipſe verò non multis pòſt diebus, coram Fratribus ſuis fidem ſuam humiliter exponens, in eodem vitam finiuit Cœnobio. Hæc Otto Friſingenſis.

CONC. WINTONIENSE II. *in cauſa* ANGLICANI REGNI *celebratum anno Domini 1142. tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXLII.

ACTA huius Concilij, & cauſæ illud congregandi hæ fuerunt, quæ in Oratione Legati narrantur vt infrà:

Feria ſecunda ergo poſt Octauas Paſchæ Concilium Archiepiſcopi Cantuariæ Theobaldi, & omnium Epiſcoporum Angliæ, multorumque Abbatum, Legato præſente & Præſidente, Wintoniæ ingenti apparatu inceptum fuit. Si qui defuerunt, Legatis & literis, cauſas cur non veniſſent, dederunt.

Congregatis igitur omnibus Feria tertia, hoc ferè ſenſu Legati cucurrit Oratio: Dignatione Papæ ſe vices eius in Anglia tenere: ideoque per eius auctoritatem Clerum Angliæ ad hoc Concilium congregatum, vt de pace patriæ, quæ grandi periculo naufragabatur, conſuleretur in medium. Tempore Regis Henrici auunculi ſui ſingulare domicilium pacis in Anglia fuiſſe, ita vt per viuacitatem, animoſitatem, induſtriam eiuſdem præcellentiſſimi viri non ſolùm indigenæ, cuiuſcumque potentiæ vel dignitatis eſſent, nihil turbare auderent; ſed etiam eius exemplo finitimi quicumque Reges & Principes in otium & ipſi concederent, & ſubiectos vel inuitarent, vel impellerẽt. Qui videlicet Rex nonnullis ante obitum annis filiæ ſuæ quondam Imperatrici (quæ ſola ſibi proles ex deſponſata quondam coniuge ſupererat) omne Regnum Angliæ, ſimul & Ducatum Normanniæ, iurari ab omnibus Epiſcopis, ſimulque Baronibus fecerit, ſi ſucceſſore maſculo ex illa quam ex Lotharingia duxerat vxore careret. Et inuidit, inquit, atrox fortuna præcellentiſſimo auunculo meo, vt ſine maſculo herede in Normannia decederet. Itaq; quia longum videbatur Dominam expectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat (in Normannia quidem reſidebat) prouiſum eſt paci patriæ, & regnare permiſſus frater meus. Enimuerò quamuis ego vadem me appoſuerim inter Deum & eum, quòd ſanctam Eccleſiam honoraret & exaltaret, & bonas Leges manuteneret, malas verò abrogaret; piget meminiſſe, pudet narrare, qualem ſe in Regno exhibuerit, quomodo in prȩſumptores nulla iuſtitia exercitata, quomodo pax omnis ſtatim ipſo pænè anno abolita: Epiſcopi capti, & ad redditionem poſſeſſionum ſuarum coacti: Abbatiæ venditæ, Eccleſiæ theſauris depilatæ; conſilia prauorum audita, bonorum vel ſuſpenſa, vel omnino contempta. Scitis quoties eum tum per me, tum per Epiſcopos conuenerim, Concilio præſertim anno præterito ad hoc indicto, & niſi odium nihil acquiſierim. Nec illud quemquam, qui rectè penſare velit, latet, debere me fratrem meum mortalem diligere, ſed cauſam Patris immortalis multò pluris facere. Itaque quia Deus iudicium ſuum de fratre meo exercuit, vt eum (me reticente) in poteſtatem potentium incidere permitteret, ne Regnum vacillet, ſi regnante careat, omnes vos pro iure Legationis

Digitized by Google

meæ huc conuenire inuitaui. Ventilata eſt heſterno die cauſa ſecretò coram maiori parte Angliæ, ad cuius ius potiſſimùm ſpectat Principem eligere, ſimulque ordinare. Inuocata itaque primò, vt par eſt, in auxilium Diuinitate, filiam pacifici Regis, glorioſi Regis, diuitis Regis, boni Regis, & noſtro tempore incomparabilis, in Angliæ Normanniæque dominam eligimus, & ei fidem & manutenimentum promittimus. Alia plura hîc ſubnectit Binius.

Ad Clerũ Angliæ ſpectat Principem eligere.

CONC. ANTIOCHENVM

contra RADVLPHVM *Patriarcham Antiochenum, ſub Præſidio* ALBERICI *Oſtienſis Archiepiſcopi & Apoſtolicæ Sedis Legati, celebratum anno Domini* 1142. *tempore* INNOCENTII *Papæ* II.

ANNO DOMINI M.CXLII.

CVM Arnulphus Romam profectus obtineret tandem vt Petrus Archiepiſcopus Lugdunẽſis, natione Burgundus, in Syriam dirigeretur, & iſte Dominum Patriarcham, & vniuerſos Regni Pontifices ad Synodum conuocaſſet apud Antiochiã, pridie Kalendas Decembris illuc cum omni celeritate cõtendit. Die ergo præfixa, reſidentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ex more in Eccleſia Principis Apoſtolorum, & Pontificalibus induti, pręſidente Domino Legato, & vices Domini Papæ obtinente, prodierunt in publicum accuſatores, Arnulphus & Lambertus, contra Patriarcham, paratos ſe eſſe dicentes ad accuſandum procedere & ſubiicere, ſi deficerent, ad pœnam talionis. Erant autem capitula, ſuper quibus propoſuerant eum impetere, ſchedulis inſcripta. Quędam de enormi, & indiſciplinato, & contra Regulas ſanctorum Patrum, eius in Patriarchatum introitu. Quædam de eius incontinentia, & operibus Simoniacis. Vocatus igitur & citatus Patriarcha vt ad Synodum veniret, & ad obiecta reſponderet, omnino venire refutauit. Qui vtrùm conſcientia veritus, an contra ſe Synodum inuidioſè collectam, ſciens, & Principis violentiam timens, omnino venire negauit. Erat autem in palatio ſuo cum ſuis familiaribus, multo ſtipatus equitum & popularium comitatu. Videns ergo Legatus quòd ad ſe venire nolebat Patriarcha, de Domini Principis confiſus patrocinio & viribus, in Palatium aſcẽdit, ibiq; data in eum depoſitionis ſententia, annulum & crucem compulit violenter reſignare: inde iubente Legato, Principi traditus, & vinculis miſerabiliter alligatus, tamquam vir ſanguinum ignominioſè tractatus, apud Monaſterium S. Simeonis, iuxta mare in monte eminentiſſimo ſitum, carceri mancipatus eſt. Tandem elapſus, Romam profectus eſt. Ibi aliquatenus gratiam Sedis Apoſtolicæ aſſecutus, dum redire maturaret, veneno hauſto, ſceleris miniſtro porrigente, neſcimus quo, miſerabiliter interiit. Sic Tyrius. Vide Binium hîc.

CONC. IEROSOLYMITANVM

ſub eiuſdem Legati Apoſtolici præſidio contra ARMENIORVM IN FIDE ERRORES *celebratum ſub* INNOCENTIO *Papa* II. *circa annum Domini* 1143.

LEGATVS prædictus depoſito Patriarcha, & Ieroſolymam reuerſus, habito priùs conſilio cum Prælatis Eccleſiarum, tertia die poſt ſanctum Paſcha, vnà cum Domino Patriarcha & Epiſcoporum nonnullis, templum Domini ſolemniter dedicauit. Qua celebritate completa, conuocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, vnà cum Domino Patriarcha Concilium celebrauit in primitiua & Eccleſiarum matre ſancta Sion, tractans cum eis ibi de iis, quæ inſtanti tempori videbantur conuenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorum Pontifex, imò omnium Epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Perſidis, & vtriuſq; Armeniæ Princeps, & Doctor eximius, qui M.CXLIII.

Catho-

Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de articulis fidei, in quibus à nobis diſſentire videtur populus eius, habitus eſt tractatus, & ex parte eius promiſſa eſt in multis correctio. Quibus ritè peractis, prædictus Legatus ad Acconenſem rediens ciuitatem, inde parato nauigio, Romam reuerſus eſt. Tyrius.

CONCIL. LONDINENSE

contra ſacrilegos rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum violatores celebratum anno Domini 1143. *ſub* CAELESTINO *Papa* II.

ANNO DOMINI M.CXLIII. De hoc Concilio Rogerius in Annalibus his verbis:

Anno gratiæ 1143. qui erat annus octauus Regni Regis Stephani, Rex Stephanus interfuit Concilio Londoniæ in media Quadrageſima. Quo quia nullus honor vel Clericis, vel Eccleſiæ Dei à raptoribus deferebatur, & æquè capiebantur & redimebantur Clerici, vt laici; tenuit idem Wintonienſis Epiſcopus Vrbis Romanæ Legatus Concilium apud Londoniam Clericis pro tempore neceſſarium, in quo ſancitum eſt, ne qui alicui Clerico violentas manus iniecerit, ab alio poſſit abſolui, quàm ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius. Vnde Clericis aliquantum ſerenitatis illuxit.

CONCIL. VEZELINVM, SIVE VIZELIACVM,

in Burgundia contra TVRCAS *celebratum anno Domini* 1145. *tempore* EVGENII *Papæ* III.

M.CXLV. PLATINA & Ioanne Mairio auctoribus, refert Genebrardus in Chronico, hanc Synodum pro expeditione contra Turcas congregatam eſſe in Burgundia, præſide Eugenio Papa, & præſente Ludouico Rege cum Alconora Regina, aliiſque Regni Principibus, qui poſt habitam Orationem à D. Bernardo Crucem accipiunt, ſacram militiam profeſſi.

CONCIL. CARNOTENSE

pro expeditione in TERRAM SANCTAM *ſuſcipienda, indictū anno* 1146. *ſub* EVGENIO *Papa* III.

DE tempore indicti Concilij, & rebus in eo geſtis, ex diuerſis epiſtolis S. Bernardi Baronius Tom. 12. Annaliū anno Domini 1146. hæc ſcribit: M.CXLVI.

Intereà autem in Galliis feruet opus parandæ expeditionis in Terram ſanctam: cuius cauſa promouendæ ſtatuitur certa dies, certuſque locus Concilij celebrandi. Dies indicitur 3. Dominica poſt Paſcha: & locus deputatur, Carnotum ciuitas. Ad quam conuenerunt vndique ex Gallis Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates: aſtitit & Rex vnà cum Principibus Regni. Quid actum ibi? illud in primis planè mirandum, quod obſtupefaciet omnes audientes: dum videlicet ibi totius belli Dux S. Bernardus omnium conſenſu deligitur, qui principem militiæ agat, cui milites omnes & Principes ipſi ſubijcerentur. Vide Baronium.

CONCIL. PARISIENSE

contra GILBERTVM PORRETANVM *Pictauienſem Epiſcopum congregatum anno Domini* 1147. *tempore* EVGENII *Papæ* III.

CAVSAM & Acta Concilij, perſonam, mores & dogmata Porretani deſcribens Otto Friſingenſis l. 1. de Geſtis Frederici l. c. 50. & nonnullis ſequentibus, iſta refert quæ ſequuntur: M.CXLVII

Gilbertus itaque primò Antiſiodorum, pòſt Parrhiſius vocatus eſt. Erant inter cetera quæ illi obiiciebantur, de diuina maieſtate quatuor Capitula:

Quòd videlicet aſſereret, diuinam eſſentiam non eſſe Deum.

Quòd proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ.

Quòd Theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione.

Quòd diuina natura non eſſet incarnata. Et præter hæc, alia minora:

Quòd meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret, præter Chriſtum.

Quòd Eccleſiæ Sacramenta euacuando, diceret, nullum baptizari, niſi ſaluandum. Et cetera in hunc modum.

Itaque præſidente cum Cardinalibus, Epiſcopis, aliiſque viris venerabilibus & eruditis in iam dicta ciuitate Parrhiſius, Summo Pontifice Eugenio, prędictus Epiſcopus Gilibertus Conſiſtorio pręſentatur, de his Capitulis reſponſurus. Producuntur contra eum duo Magiſtri, Adam de Paruo ponte, vir ſubtilis, & Parrhiſienſis Eccleſiæ Canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido, Cancellarius Regis; aſſerentibus eis, & quaſi ſub Sacramento pollicentibus, ſe aliqua ex his de proprio eius ore audiſſe; non ſine multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione diſſerendi exercitatos, pro argumento iuramentum afferre.

Ibidem dum hinc inde multa ſibi obiicerentur, inter cetera dixiſſe traditur: *Audacter confiteor, Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc.* Cuius dicti obſcuritatē, tamquam verborum profanā nouitatem, tam impatienter Magiſter Iohelinus Sueſſionenſium Epiſcopus excepit, vt iuxta Prouerbium, medium vitando, incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Auguſtini legerat, vel fortaſſis lectam intellexerat, qua de eodem altiſſimo loqui geſtiens ſecreto, inter cetera dicit: *Sic aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deum eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe. Quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam.* Ait ergo prędictus Epiſcopus: *Quid eſt quod dicis, Eſſe Deum nihil eſt?* Erat quippe quorumdam in Logica ſententia, cùm quis diceret, Socratem eſſe, nihil diceret. Quos præfatus Epiſcopus ſectans, talem dicti vſum haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium pænè auditorum ab illo in ſe retorſit ſpicula. Poſt hæc ſedato clamore, cùm à circumſtantibus rogaretur Epiſcopus Gilibertus, vt quare in Theologia perſonas in tantum diſtingueret, aperire vellet, breuiter reſpondit: *Quia omnis perſona eſt per ſe vna.* Et ita, non ſine magno multorum qui aderant ſtupòre, conuentus ea die ſoluitur.

Alia rurſus die in cauſam ductus, pulſatuſque de nouitate dictionis, eò quòd in proſa de S. Trinitate tres perſonas tria ſingularia vocauerit: N. Rotomagenſis Archiepiſcopus cauſam aggrauauit, dicens: Deum potiùs debere dici vnum ſingulare, quàm tria ſingularia: non tamen ſine multorum ſcandalo, cùm Hilarius in libro de Synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere, profanum eſt, ita ſingularem & ſolitarium dicere, ſacrilegium eſt.* Et idem in eodem: *Nihil ſolitarium ex diuinis Sacramentis ad ſuſpicionem audientium, & ad occaſionem blaſphemantium proferamus.*

Epiſcopus verò Pictauienſis in præfatis dictis ſuis ſe habuiſſe ſimplicem ſenſum teſtabatur, affirmans, per ſingularia non Theologicas perſonas, ſed ipſarum excellentiam intellexiſſe, ſecundùm quod antonomaſticè Paulum ſolemus vocare Apoſtolū; vel glorioſam Dei Genitricem, Virginem ſingularem: eò quòd nec eſt, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet ſit mater & virgo. Ea rationis proportione trium perſonarum excellentiam ſe conſideraſſe, cùm tria ſingularia diceret, aſſerebat: cùm nec ſit, nec fuerit, nec futurus ſit talis Pater, qui ſcilicet ſit Pater, & Deus, atque in eumdem modum talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Dum ita per aliquot dies iam ſæpè dictus Epiſcopus corā Summo Pontifice de fide ſua in ciuitate Parrhiſiis diſcuteretur: ſentiens Papa, vtpote vir cautus & religioſus, cauſæ difficultatem, protelandam eam vſque ad Vniuerſale Concilium adiiudicauit. Erat enim in proxi-

Digitized by Google

proxima medianæ Quadrageſimæ Dominica, apud illius Galliæ metropolim Rhemis Generale indictū Concilium.

CONC. RHEMENSE

contra EON *hæreticum, qui dicebat ſe eſſe Filium Dei, per quem omnis Oratio concluditur, cùm dicitur,* Per eum, qui venturus eſt. *Item contra aſſertiones* GILBERTI PORRETANI *Pictauienſis Epiſcopi, celebratum anno Domini* 1148. *tempore* EVGENII *Papæ* III.

ASSERTIONES GILBERTI PORRETANI *Pictauienſis Epiſcopi.*

ANNO DOMINI MCXLVIII QVOD diuina natura, quæ Diuinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma qua Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma qua eſt homo.

Quòd cùm Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnum eſſe dicuntur, non niſi vna Diuinitate eſſe intelliguntur, nec conuerti poſſit, vt vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid, Pater & Filius & Spiritus ſanctus eſſe dicatur.

Quòd tres perſonæ tribus vnitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietatibus tribus, quę non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres æternæ, & ab inuicem à diuina ſubſtantia in numero differentes.

FIDEI SYMBOLVM *contra præcedentes errores* GILEBERTI. *Anno Domini* 1148. *Symbolum iſtud ſub Eugenio* III. *Papa in Rhemenſi Concilio firmatum eſt à Patribus Prouinciarum.*

CREDIMVS & confitemur, ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deū, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Sicubi verò dicitur, Domini ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, Diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe: non niſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi ea vnitate vnum, quæ eſt ipſe: non niſi ea Diuinitate Deum, quæ eſt ipſe, id eſt ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, vnum Deum.

Cùm de tribus perſonis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ipſas vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam eſſe fatemur. Et è conuerſo, cùm de vno Deo, vna diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur.

Credimus & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe: nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.

Credimus & confitemur, ipſam Diuinitatem, ſiue ſubſtantiam diuinam, ſiue naturam diuinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio. Sic Symbolum.

Ita demum Apoſtolico iudicio, & auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ error ille damnatur. Interrogatus Epiſcopus Gilbertus, an eidem damnationi conſentiat; conſentiens, & publicè refutās, quæ priùs ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur, maximè quòd ab initio cautus fuiſſet ea lege eamdem ingredi diſceptationem, vt promitteret ſine vlla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem. Ex quibus planè illud inducitur, eumdem Gilbertum, licet hæretica ſenſerit, hæreticum non fuiſſe, cùm pertinacia, quę, ſecundùm S. Auguſtinum de Ciuitate Dei, facit quemquam hæreticum, omnino caruerit, & hac de cauſa non fuerit pœna mulctatus priuatione Epiſcopatus; quo priuandus omnino fuiſſet ex præſcripto ſacrarū Legum, ſi conuictus fuiſſet hæreticus, imò & hæreſiarcha.

In hoc eodem Concilio damnatus eſt etiam quidam Eon hæreticus, qui affirmabat ſe illum eſſe, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per

Digitized by Google

per ignem; deceptus à dæmone, quòd cùm *Eon* ipſe diceretur, ille vtique eſſet, de quo dicitur, *Per eum, qui venturus eſt*, &c. Ita planè fatuus, vt *Eon* & *eum* neſciret diſtinguere.

Præterea in hac eadem Synodo ſtatuti fuerunt plures Canones ſpectantes ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſed quia ſunt ijdem qui & in aliis Synodis, ideò hîc non repetuntur.

CONC. TREVIRENSE, *in cauſa* S. HILDEGARDIS *Abbatiſſæ in monte S. Ruperti celebratum anno Domini* 1148. *tempore* EVGENII *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.CXLVIII TRITHEMIVS in Chronico Hirſaugienſi anno 1150.

His temporibus (ait) Eugenius Papa III. Treuerim venit cum octodecim Cardinalibus, Epiſcopis, & Abbatibus multis, inuitatus ab Adelberone eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo, qui Papæ cum ceteris qui aderant omnibus, per tres menſes in cibo ac potu ex propriis ſumptibus copioſiſſimè prouidit. Ibi Papa Eugenius Eccleſiam Monaſterij S. Matthiæ Apoſtoli de nouo reparatam, pridie Kalendas Februarij dedicauit. Synodum quoque tam Epiſcoporum, quàm Cardinalium & Abbatum, ibidem celebrauit. Vbi Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, & ſanctus Abbas Clareuallenſis Bernardus, cùm ipſi Summo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula ſua Hildegarde, montis ſancti Ruperti Confeſſoris Abbatiſſa retuliſſent; facta diligenti inquiſitione, ipſe Summus Pontifex deuotam Chriſti virginem literis ſalutatoriis viſitauit, in quibus ei licentiam auctoritate Apoſtolica proferendi & ſcribendi quæcumque per Spiritum ſanctum cognouiſſet, gratioſè conceſſit, eamque vt ſine timore reuelata ſibi conſcriberet, animauit. Extat epiſtola Papæ ad virginem apud Binium.

CONC. BAVGENCIACENSE *in Gallia ob cauſam diuortij inter* LVDOVICVM *Francorum Regem &* ELIONORAM *filiam Ducis Aquitaniæ, anno* 1151. *ſub* EVGENIO *Papa* III.

DE hoc Epiſcoporum Conuentu Sugerius Abbas S. Dionyſij, qui interfuit, habet iſta: M.CLI.

Intereà aliqui venerunt ad Regem, de cognatione ſua progeniti, qui ortum & deriuationem parentelæ ſuæ nouerant, & dixerunt (ſicut & verum erat) quòd inter ſe & Elionoram vxorem ſuam erat conſanguinitatis affinitas talis, quòd inter eos de Iure lex matrimonialis non poterat conuenire. Quibus Rex reſpondit: Quòd contra Deum & contra Legem Eccleſiæ eam nolebat habere, volens per omnia ſtatuta Eccleſiæ, & legem matrimonij inuiolabiliter obſeruare. Et vt iſtius rei veritas poſſet ſagaciùs indagari, die Martis ante feſtum Paſchatis Floridi in caſtro Baugenciaci, Hugonem Archiepiſcopum Rothomagenſem ...... & quartũ Lanfredum Burdigalenſem cum pluribus ſuis Coëpiſcopis, & Baronibus Franciæ fecit ſolemniter conuenire. Apud quos ſufficienter probato conſanguinitatis gradu inter ipſum Regem & Elionoram, per conſenſum partium matrimonium fuit diſſolutum.

CONCILIABVLVM PAPIENSE *à* FRIDERICO *Imperatore, adeoque illegitima auctoritate indictum, meritoque ab* ALEXANDRO *declinatum & reprobatum, quo* VICTORI III. *Antipapæ ſchiſmatico cõtra* ALEXANDRVM III. *legitimè & Canonicè electum, Pontificatus Romanæ Eccleſiæ adiudicatur, anno Domini* 1160. *initio Pontificatus* ALEXANDRI *Papæ*.

A QVO quáve auctoritate hoc Conciliabulum fuerit congregatum, Radeuicus de Geſtis Friderici Imperatoris I. lib. 2. c. 64. & 65. recenſet. Vide Baronium anno Domini 1160. n. 1. 2. & ſeqq. & Binium hîc. M.CLX.

CONC.

CONC. ANGLICANVM, *Epiſcoporum Normanniæ apud Nouum Mercatum celebratum de receptione Papæ* ALEXANDRI, *& refutatione* VICTORIS *Antipapæ, anno Domini 1161. tempore* ALEXANDRI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.CLXI. ROBERTVS de Monte in Appendice ad Sigebertum inquit: *Henricus Rex Anglorum congregauit omnes Epiſcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Nouum Mercatum, & Ludouicus Rex Francorum adunauit ſuos Beluaci, & ibi tractatum eſt de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris, & conſenſerunt Alexandro, reprobato Victore.* Hæc ille.

CONCIL. BELVACENSE *eadem de cauſa, eodemq́; tempore in Gallia celebratum, vt patet ex verbis Continuatoris ſuprà citati.*

CONCILIABVLVM LAVDENSE, *quo in præſentia* FRIDERICI I. *intruſus Antipapa* OCTAVIANVS, VICTOR III. *dictus recipitur, anno Domini 1161. ſub* ALEXANDRO III.

M.CLXI. DE huius Conciliabuli Actis Otto Morena in Laudenſi à ſe ſcripto Chronico, fautor ſchiſmatici Papæ, iſta habet:

Sequenti verò die, in quo fuit tunc feſtum ſanctorum Geruaſij & Protaſij, per Dominum Papam inceptum eſt ſacrum Concilium, quod Papiæ primò; deinde Cremonæ fieri diſpoſitum fuerat: poſtremò tamen ad honorem Laudenſium ex voluntate Imperatoris Laudæ eſt celebratum. In quo dominus Imperator cum ſuis Principibus, & Rex Bohemiæ, & dominus Bollegrinus Aquileienſis Patriarcha, & multi Epiſcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpoſitorum, aliorumq́ue Clericorum, qui venerant ad Synodum, ſeu Concilium, vnanimiter confirmauere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ iam facta fuerat de ipſo Domino Papa Victore.

CONCIL. LONDINENSE, *quo* THOMAS, THEOBALDO *defuncto, electus eſt Cantuarienſis Archiepiſcopus, anno 1162. ſub* ALEXANDRO III.

DE hac Synodo Baronius ex Actis Vitæ S. Thomę ab Eduardo cōſcriptis, & apud Surium Tom. 6. die 29. Dec. extantibus, iſta: M.CLXII.

Eodem anno (ſcilicet 1162.) Londini in Anglia Generale Conciliū celebratur, conuenientibus omnibus Epiſcopis ad ſubrogādum Metropolitanum Angliæ totius Antiſtitem Cantuarienſem Archiepiſcopum, defuncto Feria ſecunda Paſchæ Theobaldo Archiepiſcopo, cùm ſediſſet annis viginti duobus. Conuenit ſimul & Rex ad hoc ipſum, communibuſque omnium votis electus eſt Thomas ex Cancellario. Hæc Baronius.

CONCIL. TVRONENSE, *quo* VICTOR *Antipapa, eiuſque fautores ſchiſmatici, iudicio* XVII. *Cardinalium, &* CXXIV. *Epiſcoporum excommunicati fuerunt, anno Domini 1163. ſub* ALEXANDRO III.

DE hac Synodo Sigeberti Continuator ſic ait: *In Octauis Pentecoſtes Alexander Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicauit Octauianum cum aliis ſchiſmaticis & complicibus ſuis.* Ioannes Tyrius in Chronico de Regibus Frācorum, anno 1164. qui eſt 27. Ludouici Iunioris, ait: *Concilium Turonenſe ſub Alexandro Papa habitum eſt, quo Acta Papienſis Concilij, in quo Victor & Fridericus præfuerant, damnata fuerunt.* M.CLXIII.

CANONES CONCILII TVRONENSIS.

IN I. Canone prohibentur permutationes Præbendarum, aut dignitatū.

In CAN. II. Vt Clerici non exerceant vſuras.

In

In CAN. III. Vt laicis decimæ Eccleſiarum non concedantur.

In CAN. IV. Vt hæreſis, quæ Toloſæ oborta fuit, extirpetur, & nemo audeat talibus receptaculum aut præſidium in terris ſuis præbere.

In CAN. V. Vt Sacerdotes ad Eccleſiarum regimen ſub annuo pretio non conſtituantur.

In CAN. VI. Vt omnes, qui aliquam regulam profeſſi ſunt, eam ſeruent.

In CAN. VII. Vt Eccleſiaſtici ad iudicia ſæcularia exercenda cum annuo pretio non conſtituantur.

In CAN. VIII. Vt nullus omnino poſt votum Religionis emiſſum ſolemniter, ad Phyſicam Legéſve mundanas legendas permittatur à Clauſtro exire.

In CAN. IX. Vt Ordinationes ab Octauiano factæ, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, tamquam vacuæ & irritæ ab omnibus habeantur.

CONCILIABVLVM CLARENDONENSE,

quo ſexdecim CAPITVLA CONSVETVDINVM, *vt vocabant*, ANGLICANARVM, *æquitati & Eccleſiaſticæ immunitati repugnantia, confirmata ſunt anno Domini* 1164. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M. CLXIV.

QVA occaſione hæc conuentio apud Clarendonam in Anglia indicta, & quæ Capitula ab Epiſcopis ibidem confirmata, & iuramento approbata fuerint, refert Matth. Paris in Hiſt. Anglic. ſubſequentibus verbis:

Anno Domini 1164. in præſentia Regis Henrici apud Clarendonã 8. Kalendas Februarij, Præſidente Ioanne de Oxonia, de mandato ipſius Regis, præſentibus etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, & Proceribus Regni, facta eſt recognitio, ſiue recordatio cuiuſdam partis conſuetudinum & libertatum anteceſſorum ſuorum, Regis videlicet Henrici aui ſui, & aliorum, quæ obſeruari debebant in Regno, ab omnibus teneri, propter diſſenſiones & diſcordias ſæpè emergentes inter Clerum & Iuſtitiarios domini Regis & Magnatum Regni. Harum verò conſuetudinum recognitarum quædam pars in ſexdecim Capitulis ſubſequentibus continetur.

Sequuntur CAPITVLA CONSVETVDINVM RECOGNITARVM, *ſed cum cenſura.*

I. DE aduocatione & præſentatione Eccleſiarum ſi controuerſia emerſerit inter laicos, vel inter Clericos & laicos, vel inter Clericos & Clericos, in Curia domini Regis tractetur, & terminetur. Primum hoc dãnauit S. Romana Eccleſia ſub Alexandro III. Ita notata habentur in fine vniuſcuiuſque Capituli, deſcripta ex Codice Vaticano in fine Quadripartitæ Hiſtoriæ S. Thomæ.

II. Eccleſiæ de feudo domini Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius. Hoc tolerauit.

III. Clerici citati & accuſati de quacumque re, moniti à iuſtitia Regis, venient in Curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc, vnde videbitur Curiæ Regis, quod ſit ibi reſpondendum. Itaque quod iuſtitia Regis mittet in Curiam ſanctæ Eccleſiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; & ſi Clericus conuictus vel confeſſus fuerit, non debet de cetero eum Eccleſia tueri. Hoc damnauit.

IV. Archiepiſcopis, Epiſcopis & Perſonis Regni non licet exire de Regno abſque licentia domini Regis. Et ſi exire voluerint, ſi domino Regi placuerit, aſſecurabũt, quòd nec in eundo, nec in morã faciendo, nec in redeundo perquirent malum vel damnum domino Regi vel Regno. Hoc damnauit.

V. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare iuramentum, ſed tantùm vadium & plegium ſtandi iudicio Eccleſiæ, vt abſoluantur. Hoc damnauit.

VI. Laici

VI. Laici non debent accuſari per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia Epiſcopi, ita quòd Archidiaconus non perdat ius ſuum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et ſi tales fuerint qui culpantur, quòd non velit nec audeat aliquis accuſare eos, Vicecomes requiſitus ab Epiſcopo, faciet iurare duodecim legales homines de viſueto, ſeu de villa, coram Epiſcopo, quòd inde veritatem ſecundùm conſcientiam ſuam manifeſtabunt. **Hoc tolerauit.**

VII. Nullus qui de Rege teneat in capite, nec aliquis Dominicorum miniſtrorum eius, excommunicetur, nec terræ alicuius eorum ſub interdicto ponantur, niſi priùs dominus Rex, ſi in terra fuerit, conueniatur; vel iuſtitia eius, ſi fuerit extra Regnum, vt rectum de ipſo faciat, & ita vt quod pertineat ad Curiam Regiam, ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabat ad Eccleſiaſticam Curiam, ad eumdem mittatur vt terminetur. **Hoc damnauit.**

VIII. De appellationibus, ſi emerſerint, ab Archidiacono debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitia exhibenda, ad dominum Regem perueniendum eſt poſtremò, vt præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controuerſia terminetur, ita quòd non habeat vlteriùs procedere abſque aſſenſu Regis. **Hoc damnauit.**

IX. Si calumnia emerſerit inter Clericum & laicum, vel è conuerſo, de vllo tenemento, quod Clericus velit ad eleëmoſynam attrahere, laicus verò ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum per Capitalis iuſtitiæ Regis conſiderationem terminabitur, vtrùm tenementum ſit pertinens ad eleëmoſynam, ſiue ad feudum laicum, coram ipſa iuſtitia Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in Curia Eccleſiaſtica: ſi verò ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem Epiſcopo vel Barone aduocauerint, erit placitum in Curia Regia. Si vterque aduocauerit de feudo illo eumdem Epiſcopum vel Baronem, erit placitum in Curia ipſius, ita quòd propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat qui priùs ſaiſatus fuerat. **Hoc damnauit.**

X. Qui de ciuitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, ſi ab Archidiacono, vel Epiſcopo de aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eidem reſpondere, ſi ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, benè licet eum ſub interdicto ponere, ſed non' debet excommunicari, priuſquam Capitalis miniſter Regis villæ illius conueniatur vt iuſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. & ſi miniſter Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia Regis, & exinde poterit Epiſcopus ipſum accuſatum Eccleſiaſtica iuſtitia coërcere. **Hoc damnauit.**

XI. Archiepiſcopi, Epiſcopi, & vniuerſæ perſonæ Regni, qui de Rege tenent in capite, & habent poſſeſſiones ſuas de dominio Regis, ſicut Baroniá, & inde reſpondent iuſtitiis & miniſtris Regis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines Regias & rectitudines, & ſicut ceteri Barones debent intereſſe iudiciis Curiæ domini Regis cum Baronibus, vſque perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem. **Hoc tolerauit.**

XII. Cùm vacauerit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, vel debet eſſe in manu eius, & inde percipiet omnes redditus & exitus ſicut Dominicos. Et cùm ventum fuerit ad conſulẽdum Eccleſiæ, debet Dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in Capella ipſius debet electio fieri aſſenſu Regis, & conſilio perſonarum Regis, quas ad hoc faciendum vocauerit. Et ibidem faciet electus homagium & fidelitatem domino Regi, ſicut ligio domino, de vita, & membris, & de honore

 ſuo

Digitized by Google

ſuo terreno, ſaluo ordine ſuo, priuſquam ſit conſecratus. Hoc damnauit.

XIII. Si quiſquam de Proceribus Regni diſſortiauerit Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Archidiacono de ſe vel de ſuis iuſtitiam exhibere, Rex debet iuſtitiare; & ſi fortè aliquis diſſortiauerit Domino Regi rectitudinem ſuam, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, & Archidiaconi debent eum iuſtitiare vt Domino Regi ſatisfaciat. Hoc tolerauit.

XIV. Catalla eorum qui ſunt in Regis forisfacto, non detineat Eccleſia vel cœmeterium contra iuſtitiam Regis, quia ipſius Regis ſunt, ſiue in Eccleſiis ſiue extra fuerint inuenta. Hoc tolerauit.

XV. Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur, vel abſque interpoſitione fidei, ſint in Curia Regis. Hoc damnauit.

XVI. Filij ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu Domini, de cuius terra nati dignoſcuntur. Hoc tolerauit.

CONCILIABVLVM APVD NORTHAMTONAM

in Anglia celebratum, quo THOMAS *Archiepiſcopus Cantuarienſis de periurio per Regem accuſatus, eò quòd Anglicanas conſuetudines, quas iurauerat, non obſeruaſſet, cōdemnatus fuit, anno* 1164. *ſub* ALEXANDRO III.

ANNO DOMINI M. CLXIV.

De rebus in hoc Conciliabulo geſtis, Acta Vitæ S. Thomæ, quæ ſunt apud Baronium, ſic habent:

Facta quoque coitione apud Northhamtonam, Dominus noſter trahitur in cauſam. Seorſum ita in conclaui ſedentibus Domino Cantuarienſi cum ſuis Epiſcopis, ex edicto Regis ſeris obiectis, ne pateret exitus, propoſitum eſt ex parte Regis aduerſus Dominū Cantuarienſem, quòd cùm Cancellarius eſſet, & haberet vacantes Epiſcopatus, & Abbatias, & multos redditus per annos plurimos in manu ſua, nullam ſuper his reddiderit rationem, quam modò ipſe Rex requireret exhiberi. Super his (inquit Cantuarienſis) prudentiores volumus conſulere, & de conſulto reſpondere. Gilebertus Londonienſis Epiſcopus dixit, quòd conſiderata temporum malitia, & quanta ruina Eccleſię Catholicæ immineat, ſi in his Regi fiat reſiſtentia, deberet Cantuarienſis ipſi Regi obtemperare, & cedere. Idipſum dixerunt ceteri Epiſcopi, qui illuc conuenerant: ſolus Henricus Wintonienſis Epiſcopus repertus eſt qui diceret: Hæc forma Concilij Catholicæ Eccleſiæ penitùs pernicioſa nos omnes obligat, & confundit: quia ſi Archiepiſcopus noſter, & totius Angliæ Primas, nobis id relinqueret exemplum, vt ad nutum & comminationem Principis, auctoritati & curæ animarum ſibi commiſſæ quiſque Epiſcopus debeat cedere; quis erit de cetero ſtatus Eccleſiæ, niſi vt nulla agantur de Iure, & omnia confundantur pro libitu, & ſic erit Sacerdos ſicut & populus. Sic ille.

Denique poſt multas concertationes, dum S. Thomas audiret in Miſſa Chriſtum in Euangelio dicentem, *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliā*, Matth. 5. tamquam ſibi ipſi annuntiata, ab eodem quàm citiùs ſunt adimpleta, cùm Deo iuuante in Belgium transfretauit, & apud Monaſterium S. Bertini permanſit. Alexander autem Papa iſta audiens, primùm omnium non teneri S. Thomam damnatione ſua in Conciliabulo facta, ita declarat:

ALEXANDER *Papa* THOMAE *Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

Quòd minor maiorem iudicare non poſſit, & eum præſertim, cui iure noſcitur prælationis ſubeſſe, & obedientiæ vinculo tenetur aſtrictus, tam diuinæ quàm humanæ Leges demonſtrant, & præcipuè ſanctorum Patrum ſtatutis id manifeſtiùs declaratur. Hæc ſiquidem nos, quorum intereſt errata corrigere, & ea quæ incorrecta pernicioſum poſteris exemplum relinquerent, emendare, ſollicita

licita conſideratione penſantes, & quod ex delicto perſonæ non debet Eccleſia iacturam aliquã vel incommodum ſuſtinere: ſententiam ab Epiſcopis & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non feciſti, aduerſum te præſumptuosè prolatam, in qua tibi iam dicti Epiſcopi & Barones omnia mobilia tam contra Iuris formam quàm contra Eccleſiaſticam conſuetudinem abiudicarent, præſertim cùm nulla mobilia, præterquam de bonis Eccleſiæ tuæ habueris, irritam penitùs eſſe cenſemus, & eam Apoſtolica auctoritate caſſamus: ſtatuentes, vt nullas in poſterum vires obtineat, aut tibi, vel ſucceſſoribus tuis, ſeu Eccleſiæ tuæ gubernationi commiſſæ aliquod in poſterum præiudicium valeat vel læſionem afferre.

Hæc Alexander Papa, qui & aliis datis litteris reſtituenda mandauit quæ ſublata fuiſſent ipſi Archiepiſcopo ſiue aliis, occaſione ipſius Thomæ.

CONC. LATERANENSE *quo* FRIDERICVS *Imperator excommunicatur, & per ſententiam Imperio priuatur, anno Chriſti 1168. ſub* ALEXANDRO III.

ANNO DOMINI MCLXVIII

FRIDERICVM Imperatorem ab Alexandro Pontifice propter intruſum in Sedem Apoſtolicam Victorem Tertium Pſeudopapam hac Synodo excommunicatum, & Imperiali dignitate priuatum eſſe, conſtat ex Ioannis Saresberiẽſis ep. 60. ad Ioannem Pictauienſem ſcripta his verbis:

Fridericus ille ſchiſmaticus inſignis, dum in Eccleſiam malitioſiùs & crudeliùs ſæuit, factus eſt Exauguſtus, & eò perductus eſt, vt iam optauerit Italiam perdidiſſe, quam retinere non poteſt. At cur Exauguſtus? Id alia declarat epiſtola ad Cantiæ Superiorem.

Refloreſcit ſtatus, auctore Domino, vniuerſalis Eccleſię, & ſchiſmaticorum impetus fruſtratus eſt, & ſuperbia Moab indies firmatur. Nec de nocte vaſtatus eſt nunc, vt ab initio; ſed in meridie ſuffoſſa eſt ara, & muri eius deiecti ſunt funditus, vt exaltatio Moab ex neceſſitate Petro cedens, de cetero conquieſcat. Vnde ſpes eſt in Domino, vt vociferantibus tubis Sacerdotalibus, in proximo corruat Iericho, & regnum proprio ſanguine acquiſitum obtineat triumphator Ieſus, & in pace poſſideat, quod ſui iuris eſt, Sponſus & Iuſtus Eccleſiæ Chriſtus. Cùm enim Romanus Pontifex per patientiã Teutonicum tyrannum diutiùs expectaſſet, vt vel ſic prouocaretur ad pœnitẽtiam, & ſchiſmaticus abutens patientia eius, peccata peccatis adderet iugiter, vt error in amentiam verteretur: Vicarius Petri à Domino conſtitutus ſuper gentes & ſuper Regna, Italos, & omnes qui ei ex cauſa Imperij religione iuriſiurandi tenebantur aſtricti, à fidelitate eius abſoluit, & Italiam ferè totam à facie furentis & præſentis tanta felicitate & celeritate excuſſit, vt in ea nihil habere videatur, niſi tortores, quos euitat; interdum & anguſtiarum, quas euitare non poteſt, iuge ſupplicium.

Abſtulit ei etiam Regiam dignitatem, ipſumq́ue anathemate condemnauit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires vllas amodò in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriã conſequatur, aut alicubi quietè & in pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorij Septimi deceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem Eccleſiæ priuilegia conuellentem deponens, in Concilio Romano ſimili ſententia condemnauit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt, & hanc de priuilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes reædificauerunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi vnanimiter adhæſerunt. Sed quid nota recenſeo? Hoc vbique locorum

rum fama, quaſi præconis voce concelebrat, nec aliquibus dubium puto, ne fortè lateat illos, qui ſoli tempeſtate hac exulant domo ſua. Quã ergo ab Oriente iam radius ſerenitatis illuxit per Chriſtum, & incolumitas Eccleſiæ in capite reparatur: supereſt ſpes fidei certiſſima, quòd vnguentum, à capite in Apoſtolicam barbam exuberans, deſcendat in caput & oram Anglicanæ Eccleſię, &c.

CONC. CASSELANVM

in Hibernia DE REFORMANDIS ISTIVS ECCLESIAE MORIBVS *celebratum, anno Domini* 1171. *ſub* ALEXANDRO III.

ANNO DOMINI M.CLXXI.

ROGERIVS in Annalibus cum quatuor Archiepiſcoporum & viginti Epiſcoporum, qui erant in Hibernia, nomina expreſſiſſet, de rebus in hoc Concilio geſtis, editiſque Conſtitutionibus, iſta ſubiungit:

Hi omnes (inquit Rogerius) tam Archiepiſcopi quàm Epiſcopi receperunt ſibi Henricũ Regem Angliæ & heredes ſuos in Reges & Dominos in perpetuũ, & chartis ſuis confirmauerunt. Quo facto, Rex Anglię miſit Nicolaũ Cappellanum, & Radulphũ Archidiaconum de Landaff Clericos ſuos, vnà cum Archiepiſcopis & Epiſcopis Hibernię vſq; ad Caſſelenſem ciuitatem, ad celebrandum Concilium de ſtatutis Eccleſiæ. In Concilio autem illo ſtatutum eſt, Vt pueri deferrentur ad Eccleſiam, & ibi baptizarentur in aqua munda ſub trina merſione, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & hoc à Sacerdotibus fiat, niſi metu mortis impediente, ab alio & aliàs oportuerit fieri, & tunc à quolibet fiat ſine exceptione ſexus & ordinis. Et vt decimæ dentur Eccleſiis de omnibus quæ poſſidentur. Et vt omnes laici, qui vxores habere velint, eas ſecundùm ius Eccleſiaſticum habeant.

Rex verò Anglię miſit transſcriptum Charitarum vniuerſorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam. Et ipſe auctoritate Apoſtolica confirmauit illi & heredibus ſuis Regnum Hiberniæ ſecundùm formam chartarum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ. Hæc de his Rogerius.

CONC. NORTHMANNIÆ,

apud Abrincam ciuitatem habitum, quo HENRICVS *Rex Angliæ à ſacrilega nece* S. THOMAE *Cantuarienſis iam antè per Legatos abſolutus, ſecundò abſoluitur, & iuramento promittit iterùm, quæ iam antè promiſerat: item Decreta quædam per Legatos Apoſtolicos conſtituta, quæ ad mores Eccleſiæ concernunt, promulgantur. Anno* 1172. *ſub* ALEXANDRO III.

DE rebus in hac Synodo geſtis, & Conſtitutionibus Pontificiis in eadem promulgatis, Rogerius in Annalibus iſta ſcribit. M.CLXXII

Henricus Rex Angliæ pater, & Henricus Rex filius, & Rotrodus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & omnes Epiſcopi & Abbates Northmanniæ conuenerunt apud Abrincam ciuitatem in præſentia Theodini & Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater quinto Kalendarũ Octobris, Feria quarta, feſto ſanctorum Coſmę & Damiani martyrum, in Eccleſia ſancti Andreæ Apoſtoli purgauit innocentiã ſuam, coram prædictis Cardinalibus & omni Clero & populo, præſtito ſacramento ſuper Sanctorum Reliquias, & ſuper ſacroſancta Euangelia, quòd ipſe nec præcepit, nec voluit, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur; & quando audiuit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui ſanctæ memoriæ Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopũ occiderunt, habere non poterat; & quia timebat, ipſos illud profanum opus impetraſſe, cauſâ animi motus & turbationis quam in eo viderant, de ſatisfactione tale præſtitit

ſtitit ſacramentum. Iurauit itaque in primis quòd ab Alexandro Summo Pontifice, & Catholicis ſucceſſoribus eius non recederet, quamdiu ipſum ſicut Regem Catholicum habuerint. Iurauit etiam, quòd neque appellationes impediret, neque impedire permitteret, quin liberè fierent in Regno ſuo ad Romanum Pontificem in Eccleſiaſticis cauſis, ita tamen, vt ſi ei ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant, quòd malum ſuum vel Regni ſui non quærát. Iurauit etiam, quòd ab inſtante Natiuitatis Domini, vſque in triennium Crucem accipiet, in proxima ſequenti æſtate in propria perſona Ieroſolymam iturus, niſi remanſerit per Alexandrum Summum Pontificem, vel per Catholicos ſucceſſores eius. Sed ſi interim pro vrgente neceſſitate in Hiſpaniam ſuper Saracenos profectus fuiſſet, quantum temporis in illo itinere conſummaret, tantumdem Ieroſolymitanæ ſpatium profectionis poſſet prolongare. Prętereà iurauit, quòd interim tantum pecuniæ dabit Templariis, quantum ad arbitrium Fratrum Templi poſſit ſufficere ad retinendum ducentos milites, ad defenſionem Terræ Ieroſolymitanæ per ſpatium vnius anni. Prætereà perdonauit iram & maleuolentiam ſuam omnibus tam Clericis quàm laicis, qui pro ſancto Thoma erant in exilio, & conceſſit eis liberè & in pace ad propria redire. Iurauit etiam, quòd poſſeſſiones Cantuarienſis Eccleſiæ, ſi quæ ablatæ ſunt, in integrum reſtituet, ſicut habuit vno anno antequam ex Anglia egrederetur beatus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus. Iurauit etiam, quòd conſuetudines, quæ inductæ ſunt contra Eccleſias terræ ſuæ in tempore ſuo, penitùs dimittet. Et hæc omnia iurauit ſe fore obſeruaturum bona fide & ſine malo ingenio. Fecit etiam Henricum Regem filium ſuum hæc omnia Capitula iurare tenenda: præter illa, quæ propriam eius perſonam contingebant.

DECRETA *per* THEODINVM *&* ALBERTVM *Cardinales apud Abrincas promulgata.*

PVERI ad regimen illarum Eccleſiarum, & ad illa adminiſtranda, in quibus cura eſt animarum, minimè admittantur.

Item, Filij Sacerdotum non ponantur in Eccleſiis patrum ſuorum.

Item, Laici partem oblationum in Eccleſia non percipiant.

Item, Eccleſiæ Vicariis annuis non committantur.

Item, Sacerdotes maiorum Eccleſiarum, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, alium ſub ſe Presbyterum cogantur habere.

Item, Sacerdotes non ordinentur ſine certo titulo.

Item, Eccleſiæ ad Firmam annuam non tradantur.

Item, De tertia parte decimarum nihil Presbytero, qui ſeruit Eccleſiæ, auferatur.

Item, His, qui decimas hereditario iure tenent, licentia ſit, cui voluerint, idoneo Clerico dare, eo quidem tenore, vt pòſt eam ad Eccleſiam, cui de Iure competunt, reuertantur.

Vir ad religionem non tranſeat, vxore in ſæculo remanente, vel econuerſò, niſi ambo vacandi operibus carnis tempus exceſſerint.

Item, In Aduentu Domini, omnibus qui poterunt, maximè autem Clericis & militibus, ieiunium & abſtinentia carnium indicatur.

Item, Clerici Iudices non ponantur ad Iuriſdictiones ſæcularium poteſtatum adminiſtrandas. Qui autem hoc præſumpſerint, à Beneficiis Eccleſiaſticis arceantur.

Item, de nouis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt Sacerdotes, & benedictionibus ſponſarum, & Baptiſmo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro abſolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi North-

manniæ illud decretum recipere noluerunt.

In eodem verò Concilio Archiepiſcopus Turonenſis calumniatus eſt, Archiepiſcopatum Doli debere adiacere Archiepiſcopatui ſuo, affirmans Sedem Archiepiſcopalem ibi eſſe non debere. Sed Clerici de Dolo conſtanter contradicebant.

CONC. LONDONIENSE,

quo XVIII. *Canonibus conſtitutis, iudicata eſt cauſa* RICHARDI *Cantuarienſis &* ROGERII *Eboracẽſis Epiſcoporum, anno* 1175. *ſub* ALEXANDRO III.

ANNO DOMINI M. CLXXV.

ROGERIVS Acta Concilij, Canoneſque in eo conſtitutos deſcribens, iſta refert: Et venientes Londonias, inuenerunt Richardum Cantuarienſem Archiepiſcopum apud Weſtmonaſterium celebraturum Concilium, die Dominica ante Aſcenſionem Domini. Ad quod Concilium venerunt omnes ferè Epiſcopi & Abbates Cantuarienſis Diœceſis. Et coram prænominatis Regibus, & Epiſcopis, & Abbatibus Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus in eminentiori loco conſtitutus, hæc Decreta ſubſcripta promulgauit. Ideò in Eccleſia Dei ſecundùm antiquam Patrum conſuetudinem Concilia congregantur, vt hi, qui conſtituti ſunt in eminentiori cura Paſtorali, vitam ſubditorum de communi conſilio regularibus inſtitutis informent, & enormitates quæ pullulant inceſſanter, conſultiore cenſura compeſcant. Nos itaque potiùs inhærentes Orthodoxorum Patrum regulis, quàm aliquid de nouo ſtatuentes, quædã certa Capitula dignum duximus in medium promulganda, quæ vniuerſis Prouincialibus noſtris firmiter & inuiolabiliter obſeruanda iniungimus. Omnes enim ſacrorum cenſemus Canonum tranſgreſſores, qui ſtatutis huius ſacroſanctæ Synodi præſumpſerint contraire.

Si quis Sacerdos vel Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, Eccleſiam vel Eccleſiaſticum Beneficium habens, publicè fornicariam habeat, & ſemel, ſecundò, & tertiò commonitus fornicariam ſuam nõ dimiſerit, & à ſe prorſus non expulerit, ſed potiùs in immunditia ſua duxerit perſiſtendum; omni officio & Beneficio Eccleſiaſtico ſpolietur. Si qui verò infra Subdiaconatum conſtituti matrimonia contraxerint; ab vxoribus ſuis, niſi de communi conſenſu ad Religionem tranſire voluerint, & ibi in Dei ſeruitio iugiter permanere, nullatenus ſeparentur, ſed cum vxoribus viuentes Eccleſiaſtica Beneficia nullatenus percipiant. Qui autem in Subdiaconatu vel ſupra ad matrimonia conuolauerint, mulieres etiam inuitas & renitentes relinquant. Decreuimus etiam eiuſdem epiſtolæ auctoritate, ne filij Sacerdotum in paternis Eccleſiis amodò Perſonæ inſtituantur, nec eas qualibet occaſione media non intercedẽte perſona obtineant.

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, nec publicis potationibus interſint, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis verò tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.

His qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, iudicium ſanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus ne aut per ſe membrorum truncationes faciant, aut inferendas indicent. Quòd ſi quis tale fecerit, conceſſi Ordinis priuetur officio & loco. Inhibemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos habeat Vicecomitatum, aut Præpoſiti ſæcularis officium.

Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam inuiti tondeantur. Veſtimentis etiam vel calceamentis, niſi quæ honeſtatem & Religionem deceant, eos vti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat.

Quia

Quia quidam Clerici deſperantes ab Epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra Prouinciam ſuam, interdum etiam à tranſmarinis Epiſcopis ordinantur, vel ordinatos ſe mentiuntur, ignota ſigilla Epiſcopis ſuis deferentes: ſtatuimus talium Ordinationem irritam eſſe habendam; ſub interminatione anathematis inhibentes, ne à quoquam ad officij ſui executionem ſuſcipiantur. Epiſcopum quoque noſtræ iuriſdictionis, qui talem ſciens & prudens ordinauerit vel ſuſceperit, ab illius Ordinis collatione, ad quem eum ordinauit vel ſuſcepit, vſque ad condignam ſatisfactionem ſe nouerit eſſe ſuſpenſum. Item, Cùm Eccleſia Dei, ſecundùm Euangelicam veritatem, domus orationis eſſe debeat, & non ſpelunca latronum, & ſanguinis forum; ſæculares cauſas, in quibus de ſanguinis effuſione vel de pœna corporali agitur, in Eccleſiis vel in cœmeteriis agitari, ſub interminatione anathematis. Abſurdum enim eſt & crudele ibi ſanguinis iudicium exerceri, vbi & reis conſtituta eſt tutela refugij.

Dictum eſt, ſolere in quibuſdam locis pro perceptione Chriſmatis nummos dari, ſimiliter pro Baptiſmo & Communione: hæc Simoniacæ hæreſis eſſe, deteſtata eſt ſacta Synodus, & anathematizauit. Statuimus ergo, vt de cetero nec pro Ordinatione, nec pro Chriſmate, nec pro Baptiſmo, nec pro Extrema vnctione, nec pro ſepultura, nec pro Communione, nec pro Dedicatione quidquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit, anathema ſit.

Nullus Prælatus in recipiendo Monacho, vel Canonico, vel Sanctimoniali pretium ſumere vel exigere ab his qui ad conuerſationem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat: ſiquis autem hoc fecerit, anathema ſit.

Nulli liceat Eccleſiam nomine dotalitij ad aliquem transferre, vel pro præſentatione alicuius perſonæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interueniente accipere. Quod ſi quis fecerit, & inde in Iure vel confeſſus vel conuictus fuerit, ipſum, tam Regia quàm noſtra freti auctoritate, patrocinio eiuſdem Eccleſiæ in perpetuum priuari ſtatuimus.

Secundùm inſtituta Patrum noſtrorum, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici cauſa lucri negotientur: & ne Monachi à Clericis vel laicis Firmas teneant, neque laici Eccleſiaſtica Beneficia ad Firmas ſuſcipiant.

Quicumque ex Clero videntur eſſe, arma non ſumant, nec armati incedāt: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus ex religioſo habitu præbeant. Quòd ſi contempſerint, tamquam ſacrorum Canonum contemptores, & Eccleſiaſticę auctoritatis profanatores, proprij gradus amiſſione mulctentur: quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo militare.

Illud etiam de Vicariis, qui Perſonis fide & ſacramento obligati ſunt, duximus ſtatuendum; quòd ſi fide vel ſacramenti religione contempta, Perſonatum ſibi falsò aſſumentes, contra Perſonas ſe erexerunt, ſuper hoc in Iure vel confeſſi vel conuicti fuerint, de cetero in eodem Epiſcopatu ad officij ſui executionem non admittantur.

Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de fructibus, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Sed quia multi modò inueniuntur decimas dare nolentes; ſtatuimus vt iuxta domini Papæ præcepta admoneantur ſemel, ſecundò, & tertiò, vt de grano, de vino, de fructibus arborum, de fœtibus animalium, de lana, de agnis, de butyro & caſeo, de lino & canabe, & de reliquis quæ annuatim renouantur, decimas integrè perſoluāt. Quòd ſi commoniti non emendaue-

dauerint, anathemati ſe nouerint ſubiacere.

Item, Calumniam & audaciam temerè litigantium, condemnando in expenſas, & alio multiplici remedio Imperialis ſanctio compeſcat. Quoniam igitur hoc ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus vt de cetero in cauſis pecuniariis, quæ inter Clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expenſis. Qui autem ſoluendo non fuerit, eum in arbitrio Epiſcopi ſui puniendum relinquo.

Inuenimus tantùm decem Præfationes in ſacro Catalogo recipiendas: vnã in Albis Paſchalibus, *Et te quidem omni tempore*. Secundam in die Aſcenſionis, *Qui poſt reſurrectionem ſuam*. Tertiam in Pentecoſte, *Qui aſcendens ſuper omnes cælos*. Quartam de Natali, *Quia per incarnati Verbi myſterium*. Quintam de apparitione Domini, *Quia cùm Vnigenitus tuus*. Sextam de Apoſtolis, *Et te Domine ſuppliciter exorare*. Septimam de ſancta Trinitate, *Qui cum Vnigenito tuo*. Octauã de Cruce, *Qui ſalutem humani generis*. Nonam de ieiunio Quadrageſimali tantummodò dicendam, *Qui corporali ieiunio*. Decimã de B. Virgine, *Et te in veneratione beatæ Mariæ*. Huius igitur Decreti & domini Papæ Alexãdri auctoritate diſtrictè præcipimus, ne quis præfatis Præfationibus aliquam omnino præſumat adiicere.

Inhibemus, Ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui Euchariſtiam tradat. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderit, non quæ Sacramenti huius inſtitutionem ſignaret.

Præcipimus, Ne conſecraretur Euchariſtia, niſi in calice aureo vel argenteo; & ne ſtanneum calicem aliquis Epiſcopus amodò benedicat, interdicimus.

Nullus fidelis, cuiuſque conditionis ſit, occultè nuptias faciat, ſed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino. Si quis ergo Sacerdos aliquos occultè coniunxiſſe inuentus fuerit, triennio ab officio ſuſpendatur.

Vbi non eſt conſenſus vtriuſque, nõ eſt coniugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, nihil faciunt, niſi vterque puerorum, poſtquam venerit ad tẽpus diſcretionis, conſentiat. Huius ergo Decreti auctoritate inhibemus, ne de cetero aliqui, quorum vterque vel alter, ad ætatem Legibus conſtitutam, & Canonibus determinatam non peruenit, coniungantur: niſi fortè aliquando vrgente neceſſitate interueniente, pro bono pacis coniunctio talis toleretur.

In quo etiam Concilio Clerici Rogeri Eboracenſis Archiepiſcopi calumniati fuerunt ius Eboracenſis Eccleſiæ de cruce portanda in Diœceſi Cantuarienſis Eccleſiæ. Præterea calumniati ſunt ibidem ex parte Eboracenſis Archiepiſcopi, Epiſcopatum Lincolnienſem, & Epiſcopatum Ceſtrenſem, & Epiſcopatum Wigornienſem, & Epiſcopatum Herefordenſem de Iure pertinere debere ad Metropolitanam Eboracenſium Eccleſiam. Et ſuper hoc prædictum Cantuarienſem Archiepiſcopum appellauerunt ad Romani Pontificis præſentiam. Præterea appellauerunt ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum ad Romanum Pontificem ſuper iniuria & anathematis ſententia, quam intulit Clericis Eboracenſis Archiepiſcopi, qui per eum miniſtrauerunt in Eccleſia ſancti Oſwaldi de Glouceſtria, pro eo quòd ad illum venire nolebant ad ipſius ſummonitionem, ſicut Clerici Diœceſis ſuæ fecerunt. In ipſo autem Concilio Clerici Eccleſiæ ſancti Aſaf petierunt à Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt in vi obedientiæ præciperet Godefrido Epiſcopo Eccleſiæ S. Aſaf, ad ſedem Eccleſiæ ſuæ redire, cui præfuit Pontificali dignitate; vel vt prædictus Archiepiſcopus alium Epiſcopum loco ipſius inſtitueret.

tueret. Ipſe enim Godefridus Epiſcopatum ſuum deſeruit, paupertate & Walenſium infeſtatione compulſus, veniensque in Angliam, à Chriſtianiſſimo Rege Henrico benignè & honorificè ſuſceptus eſt: cui & tradidit Abbatiam Abbendoniæ vacantem in cuſtodia, donec ad propriam ſedem liberum haberet regreſſum. Itaque præfatus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ipſo Concilio ad inſtantiam prænominatorum Clericorum, & admonitione Alexandri Summi Pontificis; necnon & conſilio venerabilium Coëpiſcoporum ſuorum, cõuenit iam dictum Godefridum, vt in vi obedientię ad ſedem propriam rediret, vel curam Paſtoralem, quæ ſibi fuerat commiſſa, in manu ipſius liberè & abſolutè reſignaret. Ipſe verò Godefridus, ſperans quòd Abbatia de Abbendonia, quæ tradita fuerat ei in cuſtodia, poſſet ſibi remanere, Epiſcopatum ſuum nullo cogente reſignauit in manu Cantuarienſis Archiepiſcopi, liberè & abſolutè tradens illi annulum & baculum Paſtoralem.

CONCILIVM GALLICANVM,

quo ALBIGENSES *hæretici in Gallia vocati, conuicti & condemnati ſunt, anno Domini* 1176. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.CLXXVI

ACTA Concilij deſcribuntur à Rogerio in Annalibus his verbis:

Eodẽ anno (ſcilicet 1176.) damnata eſt Arriana hæreſis, quæ ferè totam Prouinciam Toloſanam fœdauerat, coram Archiepiſcopis & aliis religioſis viris & honeſtis ſubſcriptis.

Erant itaque in Prouincia Toloſana quidam hæretici, qui ſe appellari faciebant Bonos homines, qui manutenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra fidem Chriſtianam: dicentes etiam, quòd non recipiebant Legem Moyſi, neque Prophetas, neque Pſalmos, neque vetus Teſtamentum, neque Doctores noui Teſtamenti, niſi ſolummodò Euangelia & Epiſtolas Pauli, & ſeptem Canonicas Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim. Et interrogati de fide ſua, & de Baptiſmo paruulorum, & ſi ſaluabãtur per Baptiſmum, & de Corpore & Sanguine Domini vbi conſecrabatur, vel per quos & qui ſumebant, & ſi magis vel meliùs conſecrabatur per bonum quàm per malum, & de matrimonio, ſi poterant ſaluari, ſi carnaliter iungebantur vir & mulier. Reſponderunt, quòd de fide ſua, & de Baptiſmo paruulorum dicerent, neque dicere cogebantur. De Corpore & Sanguine Domini dicebant, quòd qui dignè ſumebat, ſaluabatur; & qui indignè, acquirebat ſibi damnationem. De matrimonio autem dicebant, quòd vir & mulier iungebantur propter luxuriam & fornicationem vitandam, ſicut dicit Paulus. 1. Cor. 7. Dixerunt etiam multa non interrogati, quòd non debebant iurare omnino per aliquod iuramentũ, Matth. 5. ſicut dicebat B. Matthæus in Euangelio, & Iacobus in Epiſtola ſua. Iac. 5. Dixerunt etiam, quòd Paulus prædicabat, quòd eſſent ordinandi in Eccleſia Epiſcopi & Presbyteri; 1. Tim. 3. & Tit. 1. Matth. 23. & ſi tales non ordinabantur quales præcipiebat, non eſſet Epiſcopi, nec Presbyteri, ſed lupi rapaces, hypocritæ, & ſeductores, amantes ſalutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra præceptum Chriſti, ferentes albas & candidas veſtes, geſtantes in digitis aureos annulos & gemmatos, quod nõ præcipit Magiſter eorum: & idcircò quia tales Epiſcopi & Presbyteri erant, quales fuerũt Presbyteri qui tradiderunt Ieſum, non debebant illis obedire, quia mali erant. Auditis itaque vtrimque allegationibus coram Gerardo Albienſi Epiſcopo, electis etiam & ſtatutis Iudicibus ab vtraque parte, & conſentientibus & aſſidẽtibus præfato Epiſcopo Gerardo Albienſi

bienſi & Rogero Caſtrenſi Abbate, & Petro Abbate Ardulesenſi, & Abbate de Candilio, & Arnaldo Narbone, in præſentia bonorum virorum tam Prælatorum & Clericorũ quàm laicorum, videlicet Domini Petri Narbonenſis Archiepiſcopi, atque aliorum Epiſcoporum & Abbatum, Archidiaconorum, necnon & Comitum, & virorum potentum numero viginti illius Prouinciæ, & ferè totius populi Albiæ, & Lumberci. Contra quæ prædicti hęretici proponebant, & inductæ ſunt noui Teſtamenti multæ auctoritates à Domino Petro Narbonenſi Archiepiſcopo, & à Nemauſenſi Epiſcopo, & Petro Sendracenſi Abbate, & Abbate de Fonte frigido. Præfati enim hæretici nolebant recipere iudicium niſi per nouum Teſtamentum.

CONC. VENETICVM, *quo* ALEXANDER *Papa &* FREDERICVS *Imperator reconciliantur, &* ANTIPAPA *cum ſuis quos ordinauerat deponitur, anno Domini* 1177. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M. CLXXVII.

ACTA & epiſtolæ quædam Alexandri Papæ, quæ in Vaticano adſeruantur, & apud Baronium deſcribuntur, cauſam habiti Concilij prolixè referunt, his verbis:

Porrò Alexander Papa, vt indubitanter ad colloquiũ Imperatoris poſſet accedere, ordinato in Vrbe Vicario, verſus mare Hadriaticum iter cum fratribus ſuis Cardinalibus arripuit. Et veniens Beneuentum, inde Troiam, atque Sipontum, & montem Garganum tranſiuit, & deuenit in ciuitatem Licianam in maris littore ſitam. Ibi enim deuotus beati Petri filius Rex Siciliæ ad eius obſequium præparauerat ſeptem galeas, victualibus & armis, prout tempus poſtulabat, munitas. Duos quoque de magnatibus terræ ſuæ, videlicet Romualdum Salernitanum Archiepiſcopum, & Rogerium Hadrienſem maximũ Comitem, vt honorificentiùs cum eis incederet, illuc ad eiuſdem Patris & Domini præſentiam deſtinauit. Vt autem Imperatorem & Longobardos de ſuo Pontifex aduentu redderet certiores, ſex de fratribus ſuis Cardinalibus Siponto vſque Bononiam cum ſuis & aliorum fratrum equitaturis præmiſerat.

Et poſt enarratas res geſtas inter Imperatorem Conſtantinopolitanum & Soldanum, hæc ſubiicit:

Altera die, in Vigilia S. Iacobi, ſummo manè Pontifex miſit ad Imperatoris præſentiam Hunnibaldum Oſtienſem & Willelmum Portuenſem Epiſcopos, & Ioannem tituli S. Anaſtaſiæ, & Theodinum tituli ſancti Vitalis, & Petrum tituli ſanctæ Suſannę, Presbyteros Cardinales, & Hyacinthũ Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin. Qui ad eum venientes, poſtquam Imperator renuntiauit ſchiſma Octauiani, Guidonis Cremenſis, & Ioannis de Struma, poſt promiſſam quoque obedientiam venerabili Patri D. Alexandro tamquam Catholico Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus; ipſum à ſententia excommunicationis pariter abſoluerunt, & Catholicæ vnitati aggregarunt. Idemque factum eſt de maioribus ipſius Principibus, qui eodem vinculo tenebantur, iuxta priſcum Eccleſiæ morem.

Exinde Imperator tamquam Catholicus Princeps acceſſit ad præſentiam ipſius Pontificis, qui ante fores Eccleſiæ S. Marci cum fratribus ſuis Cardinalibus reſidebat, in communi vnionem pacis expectantibus: & depoſita chlamyde, proſtrauit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis tamquam Principis Apoſtolorum pedibus, veræ pacis oſculum ipſi deuotiſſimè dedit. Tunc repleti ſunt omnes gaudio magno, & præ nimia lætitia vox clamantium, *Te Deum laudamus*, inſonuit vſque ad ſidera: ſtatimque Auguſtus apprehenſa Pontificis dextera, cum Canticis & laudibus vſque

Digitized by Google

que ad Chorum Eccleſiæ ipſum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipſius reuerenter ſuſcepit.

Sequenti verò die, in feſto S. Iacobi, ab eodem Imperatore rogatus Papa ad Eccleſiam S. Marci ſolemnia celebraturus Miſſarum accedit, cui aduenienti pręfatus Imperator extra Eccleſiam obuiàm venit, & dextero latere Pontificis ſuſcepto, in Eccleſiam illum introduxit, & peractis Miſſarum ſolemniis, eum vſque ad ipſius Eccleſiæ portam dextrauit. Et cùm Papa aſcenderet palafredum ibi paratum, Imperator ſtapham tenuit, & honorem omnimodum & reuerentiam ei exhibuit, quam prædeceſſores ſui prædeceſſoribus Pontificis exhibere conſueuerunt. Deinde inter ipſos pax confirmata eſt in Eccleſia S. Marci, vbi Papa Synodum celebrauit, & in qua iuxta eum Imperator ſedit. Sic ergo deletum eſt ſchiſma, quod iam ferè octodecim annis durauerat in Eccleſia Romana.

Vltimo loco, aduenientibus Vigiliis Aſſumptionis B. Virginis, quæ eo tempore in die Dominico aduenerunt, Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis, & Cardinalibus, &c. cum Imperatore, & Duce Venetiæ in Eccleſiam B. Marci conueniens, & dictis Orationibus & Litaniis, quæ de more in Concilio ſunt dicendę; Alexander Papa candelas accenſas Imperatori, & Clericis, & laicis qui ibi aderant, dari præcepit. Et ipſe excommunicationis formam hoc modo propoſuit:

Nos ex parte Dei omnipotentis, & beatæ Marię ſemper Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, excommunicamus, & à gremio matris Eccleſiæ ſeparamus omnes perſonas, tam Eccleſiaſticas quàm ſæculares, quæcumque pacem, quæ inter Eccleſiam & Imperium modò facta eſt, & pacem Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum vſque ad annos ſex, aliquo modo diſturbare vel impedire præſumpſerint. Et ſicut hæ candelæ extinguuntur, ſic eorum animæ æternæ viſionis lumine & claritate priuentur. Cumque candelæ proiectæ eſſent de manibus, & extinctæ, Imperator alta voce cum aliis, Fiat, Fiat, pariter acclamauit. Sicque Concilium celebratum eſt, & ſolutum. Hæc ex Romualdo de Concilio quàm breuiſſimè.

CON-

CONCILIVM LATERANENSE III. OECVMENICVM XI.

APPROBATVM, TRECENTORVM EPISCOPORVM,

pro reformanda in Fide & moribus ECCLESIA, *contra hæreſes* CATHARORVM *(quos* VVALDENSES & ALBIGENSES *alij appellant) & ſchiſmaticos ab Antipapis ordinatos, celebratum anno Domini* 1179. *tempore* ALEXANDRI *Papæ* III. & FRIDERICI *Imperatoris* I.

ANNO DOMINI M.CLXXIX.

CVM Adrianus IV. Pontifex Maximus, anno à Christo nato 1159. Kalendis Septēbris mortem obiiſſet, Cardinales, qui paulò pòſt ad eligendum conuenerant, duos ſimul Pontifices renuntiarunt: alterum, Rolandum Senenſem, virum omni laude præſtantem, qui vno ac viginti Cardinaliū ſuffragiis electus, Alexander III. fuit appellatus: alterum verò Octauianum Romanum, qui à tribus tantùm Cardinalibus deſignatus, Pontificis nomen auſus eſt vſurpare. Ortum eſt ex hac Cardinalium diſcordia ſchiſma deterrimum, quod multos annos vexauit Eccleſiam. Licet enim Alexander verus Pontifex eſſet, tamen cùm Octauianus, qui Victor IV. vocabatur, apud Imperatorem, Fridericum plurimùm poſſet, ita Germanorum animos Imperatoris operâ ſibi deuinxit, vt etiam poſtquam ipſe Victor è viuis exceſſit, Guidonem Cremenſem, & deinde Ioannem, qui in eius locum ſucceſſerunt, tamquam veros Pontifices coluerit vniuerſa Germania. Contrà verò, Gallia, Britannia, Hiſpania, & reliquæ ferè omnes Prouinciæ Alexandri partes conſtanter ſuſceperunt, excepta vna Italia, in qua aliæ regiones Alexandro, aliæ verò Victori ſunt obſecutæ: præter ceteras autem multæ Galliç Ciſalpinæ ciuitates nobiliſſimæ, cùm ab Imperatore Friderico iuſtis de cauſis defeciſſent, ita ſe Alexandro Pontifici addixerunt, vt nomine ipſius vrbem Alexandriam ædificauerint, ac tandem victo Friderico, peſtiferi ſchiſmatis extinguendi cauſam non leuem attulerint. Cùm enim Imperator Fridericus, qui bellum acerbiſſimum cum illis gerebat, prælio ſuperatus eſſet, copiæque eius maximę atque firmiſſimæ magna ex parte deletæ; adeò hac clade commotus eſt, vt cùm ad eam multorum Principum Germanorum, qui ipſi ſchiſma obiiciebant, cohortationes accederent, paulatim reſipuerit, diſcuſſaque ſuperioris temporis caligine, lucem reſpicere cœperit: ac denique poſt duodeviginti annos, quibus apertas cum Alexandro Pontifice inimicitias geſſerat, ſe ad pedes eius ſupplex abiecerit, cumque illo pacem firmam & ſtabilem conciliauerit. Tunc Alexander, qui tot annorum ſpatio in maximis turbinibus Eccleſiæ clauum tenuerat, cùm,

cùm, ſedatis iam tempeſtatum fluctibus, ſumma tranquillitate frueretur: vt Eccleſiæ commodis conſuleret, atque vt alij Pontifices procellas, quibus ipſe vexatus fuerat, deuitarent, in poſterum proſpiciens, Concilium Generale conuocauit, vt forma aliqua electioni Pontificis apta præſcriberetur, qua ambitioſorum hominum audacia & inſolentia deinceps reprimeretur: tum etiam, vt mores hominum ſchiſmatis & belli cauſa corrupti, conformarentur; vſura, Simonia, aliaque vitia, quæ longiùs ſerpebant, auctoritate Concilij coërcerentur. Acceſſit præterea alia cauſa grauiſſima, quæ Pontificis animum valdè ad hoc Concilium incitauit. Nam hæreſis Catharorum, ſiue Publicanorum, vel Paterinorum, quæ in Aquitania fuerat exorta, in dies latiùs manabat, quibus permulti rudes & imperiti, hæreticorum fraudibus decepti, in Vaſconia & in Albegeſio, & in partibus Toloſanis, fidem habebant, neceſſeque erat huic peſti deteſtabili remedium ſtatim adhibere. His igitur cauſis commotus Alexander, Synodum Generalem congregari iuſſit, ad quam non ſolùm Epiſcopi ex Prouinciis Europæ, verùm etiam nonnulli ex Aſia Romam aduentarunt, vt Guilielmus Archiepiſcopus Tyrius ſcribit his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini* 1178. *qui erat Regni D. Balduini* IV. *annus quintus, menſe Octobri, cùm anno præcedenti indicta eſſet per Vniuerſum Latinorum orbem Synodus Generalis, profecti ſunt de noſtro Oriente, ego Guilielmus Tyrenſis Archiepiſcopus, Albertus Bethleemita Epiſcopus, Heraclius Cæſareenſis Archiepiſcopus, Rodulphus Sebaſtanus Epiſcopus, Iotius Aconenſis Epiſcopus, Romanus Tripolitanus Epiſcopus, Petrus Eccleſiæ Dominici Sepulchri Prior, Rainaldus Abbas Eccleſiæ montis Sion.* Paulò pòſt: *Per idem tempus* (anno ſcilicet 1179.) *Romæ celebrata eſt Synodus in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum Epiſcoporum, Pontificatus Alexandri anno* 20. *menſe Martio, Indictione* 12. *quinta die menſis, cuius ſi quis Statuta, & Epiſcoporum nomina, numerum, & titulos ſcire deſiderat, relegat ſcriptum, quod nos ad preces SS. Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter.* Hæc Tyrenſis.

In hoc Concilio primùm Pontifex ſtatuit ad futura ſchiſmata vitanda, vt non habeatur Romanus Pontifex, qui non à duabus Cardinalium partibus eſſet electus. Reſcidit Ordinationes omnes à ſchiſmaticis Pſeudopontificibus, Octauiano, Guidone & Ioanne habitas. Anathematizauit præterea hæreticos omnes, atque illos, qui ab illorum communione non ſe ſeparaſſent, vel auxilium eis aliquo modo attuliſſent. Imò armis comprimendos illos eſſe decernit. Conſtituta ſunt etiam multa alia, quæ ſine dubio magnam Eccleſiæ afferunt vtilitatem. Extantque viginti ſeptē Canones, qui apud multos Scriptores reperiuntur, & magna ex parte in Iure Pontificio continentur. Epiſcopi quoque ſchiſmatici tum Germaniæ, tum aliarum Prouinciarum, qui ab Alexandro in hoc Concilio ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem recepti ſunt, hac verborū formula ſchiſma abiurarunt: *Ego N. anathematizo & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam Romanam Eccleſiam Catholicam: præcipuè verò ſchiſma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & Ordinationes eorum irritas eſſe iudico, & eis contradico, & modò & in anteà me obediturum iuro, & promitto fidelitatem S. R. E. & Domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus eius iuſtè intrantibus: ipſiſque ſeruiam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem, ſecundùm ordinē meum. Conſilia eius, quæ mihi ſcripto certo mandauerit, vel ipſe commiſſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expenſis. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.*

Acta Synodalia huius Concilij ſum-

Digitized by Google

ſummatim & compendioſè Matthæus Paris anno Domini 1179. ita deſcribit:

Eodem anno habitum eſt Concilium Generale trecentorum & decem Epiſcoporum, 14. Kalendas Aprilis, in Patriarchio Lateranenſi, cui præſedit Dominus Papa Alexander III. cuius ſtatuta omni laude digniſſima, ſub viginti octo, quæ ſequuntur, Capitulis continẽtur. De electione Summi Pontificis. De hæreticis Albigenſibus, & diuerſis eorum appellationibus. De ruptariis, & brebantiis prædonibus, qui fideles affligunt. Quòd nullus promoueatur in Epiſcopatum, vel ad aliquem Ordinis gradum, niſi legitimæ ſit ætatis, & de legitimo matrimonio ſuſceptus. Ne viuentibus Perſonis Eccleſiæ conferantur; nec illis defunctis, vltra ſex menſes vacent. De appellationibus. Ne intra ſacros Ordines conſtituti, vel qui Eccleſiaſticis ſuſtentantur ſtipendiis, rebus ſe immiſceant ſæcularibus. De treugis ſtatuendis, & temporibus treugarum. Quòd Clerici vnam habeant tantùm Eccleſiam, & quòd Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo ordinauerit titulo, tamdiu neceſſaria inueniat, donec ei in aliqua Eccleſia ſtipendia aſſignet. Ne Patroni, vel quilibet laici Eccleſias opprimant, aut Eccleſiaſticas perſonas. Ne Iudæi vel Saraceni Chriſtiana mancipia permittantur habere, ſed ad fidem Chriſti, ſi conuerti voluerint, à poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur. Vt leproſi, ſi excludantur à cohabitatione hominum, Oratorium habeant, & proprium Sacerdotem. Ne bona Eccleſiaſtica in vſus alios conuertantur: nec Decani pro certa pecuniæ quantitate iuriſdictionem exerceant Epiſcopalem. Et in electionibus, vel Eccleſiaſticis Ordinationibus conſequatur effectum, quod à maioris & ſanioris Concilij parte fuerit conſtitutum. Quòd vſurarij manifeſti ad communionem Altaris non admittantur, nec Chriſtianam habeant ſepulturam. Et agricolæ, & viatores, & omnia, quæ ſuá ſunt, plena vbique pace & ſecuritate lætentur. Vt Ordinationes à ſchiſmaticis factæ, irritæ habeantur & inanes, & Beneficia ab eis collata reuocentur. Ne pro Eccleſiaſticis inſtituendis, vel aliis Eccleſiæ Sacramentis, aliquid exigatur. Ne viri religioſi, vel quilibet alij, Eccleſias vel decimas præſumant de manu ſuſcipere laicorum, ſine auctoritate Epiſcoporum: & non niſi ſemel in anno Templarij ſiue Hoſpitalarij Eccleſias ſub interdicto poſitas aperiant, ne corpora ibi ſepelire tunc præſumant. Ne quis interuentu pecuniæ habitum Religionis vſurpare præſumat: nec Conuerſus peculium habeat, nec facti Prælati, non niſi pro dilapidatione vel incontinentia degradentur. Ne Chriſtiani Saracenis arma vendant, nec patientes naufragium quiſquam ſpoliare præſumat. Vt Clerici intra ſacros Ordines conſtituti continenter viuant, & ſi in illa incontinentia, quæ contra naturam ſit, deprehenſi fuerint laborare, excommunicentur, & à Clero eiiciantur. Vt Archiepiſcopi Parochias ſuas, vel Eccleſias viſitantes, quadraginta vel quinquaginta equorum numero ſint contenti: Epiſcopi, viginti vel triginta: Legati, viginti quinque: Archidiaconi, quinque vel ſeptem: Decani duarum euectionum numerum non excedant. Vt nullus Torneamenta exercere præſumat; & mortui in torneamẽtis, Chriſtiana careant ſepultura. Quòd vnaqueque Cathedralis Eccleſia Magiſtrũ habeat, qui pauperes ſcholares & alios doceat: nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat. Vt Prælati vnam tantùm regant Eccleſiam: & quòd Patroni ab Eccleſiis in ſuo fundo conſtitutis, exactiones non faciant. Ne Epiſcopi ſeu viri Eccleſiaſtici ſtare compellantur iudicio laicorum, nec laici laicis decimas conferre præſumant. Si quis ab aliquo, commodata pecunia, poſſeſſiones in pignus acceperit, ſi deductis expenſis, ſortem ſuam receperit

ex fructibus poſſeſſionis, pignus reſtituat debitori. Sic Matthæus de Conſtitutionibus Synodalibus Concilij Lateranenſis.

In hoc eodem Concilio delata fuit accuſatio aduerſus ſcriptũ Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis, quòd malè ſenſiſſet de Chriſti humanitate, & in aliis articulis fidei ab Eccleſia Catholica deuiaſſet: & ſingulariter, quòd aſſeruerit, Chriſtum, ſecundùm quod homo, non eſſe aliquid. Pro qua Papa Alexander præcepit Willelmo Senonenſi Archiepiſcopo, vt adſcitis Suffraganeis ſuis, vnà cum illis & aliis viris religioſis & prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtuderet abrogare: & à Magiſtris Scholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus, Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem præciperet edoceri: quod & ille nauiter impleuit.

In hac eadem Synodo damnata eſt hæreſis Catharorum, Waldenſium, & Albigenſium. Vide Binium: qui etiam Appendicem ſatis prolixam ad hoc Concilium ponit.

CONCIL. PARISIENSE *pro* EXPEDITIONE CONTRA TVRCAS *ſuſcipienda, celebratum anno Domini* 1186. *tempore* VRBANI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.CLXXXVI.

De rebus in hac Synodo geſtis ita Robertus Gaguinus lib. 6.

Inter has Regis occupationes venere ab Ieroſolymis ad Philippum Heraclius Patriarcha Ieroſolymitanus, & Domus hoſpitalis Prior, nuntij calamitatis, quam Salhadinus Ægyptius Chriſtianis per Palæſtinam intuliſſet, locis aliquot non ſine noſtrorum cæde occupatis. Cui incommodo niſi Catholici Principes ſuccurrant, res Ieroſolymitanas in hoſtium poteſtatem breui relapſuras. His querelis Rex motus, Pariſium Regni Pontifices aduocat. Quibus conuenientibus edocet, qui ſit in Syria Chriſtianiſmi ſtatus. Oportere quemque eorum per ſua territoria populum admonere, vt miſeræ Chriſtianorum conditioni ſuppetias ferant: ſe quidem paratiſſimum eſſe, qui in primis auxilietur, ſi præſentium rerum conditio admittat: ſed nihilo ſegniùs miſſurum ſe ad id negotium viros ſtrenuos cum valida militũ manu. Oratione Regis à præſentibus laudata, paruo pòſt tempore Rex è ſuis deſtinat, qui afflictis rebus opitulentur. Hæc ille.

CONC. ANGLICANVM APVD GAINTIGNTON *de* CRVCE *capienda, &* DECIMIS SALADINIS *Regi ſoluendis, celebratum anno Domini* 1188. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* III.

De rebus in hac Synodo geſtis iſta Rogerius: M. CLXXXVIII.

Dominus verò Rex, ſtatim poſtquam in Angliam applicuit, magnum congregauit Concilium Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Baronum, & aliorum multorum tam Clericorum quàm laicorum apud Gaintington: vbi in publica audientia recitari fecit omnia ſupradicta Capitula, quæ conſtituerat de Cruce capienda. Quibus recitatis, Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Gilbertus Roffenſis Epiſcopus Vicarius eius, mirificè prædicauerunt illo die corã Rege & Principibus ſuis verbum Domini, & ſalutiferæ Crucis myſterium. Ad quorum prędicationem multi tam Clerici quàm laici Crucem acceperunt.

Et tunc Dominus Rex miſit ſeruientes ſuos Clericos & laicos per ſingulos Comitatus Angliæ ad decimas colligendas ſecundùm prædictam præordinationem, in terris ſuis tranſmatinis conſtitutam: ſed de ſingulis vrbibus totius Angliæ fecit eligi omnes ditiores, videlicet de Londonia 200. & de Eboraco 100. & de aliis vrbibus ſecundùm quantitatem & numerum eorum, & fecit omnes ſibi præſentari diebus & locis ſtatutis, de quibus cœpit decimam mobilium

Digitized by Google

bilium ſuorum, ſecundùm æſtimationem virorum fidelium, qui nouerant redditus & mobilia eorum. Si quos autem inueniſſet rebelles, ſtatim fecit eos incarcerari, & in vinculis teneri, donec vltimum quadrantem perſoluerent. Similiter fecit de Iudæis terræ ſuæ, vnde inæſtimabilē ſibi acquiſiuit pecuniam. Deinde miſit Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum, & alios Clericos & laicos, ad Willelmum Regem Scotorum pro decimis colligendis in terra ſua. Quo audito, Rex Scotiæ occurrit eis inter Were & Brigheam in Loenas: & non permittens eos terram ſuam pro decimis colligendis intrare, obtulit ſe daturum Domino ſuo Regi Angliæ quinque millia marcharum argenti pro ſupradictis decimis, & pro caſtellis ſuis rehabendis: ſed Rex Angliæ facere noluit.

CONC. PARISIENSE,

quo ad bellum contra SALADINVM *Turcarum Regem conceſſæ ſunt Regi* DECIMAE SALADINAE, *anno Domini* 1188. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* III.

ANNO DOMINI M. CLXXXVIII. HOC anno, ſcilicet 1188. ait Tilius, in Martio Rex Cōcilium habet Lutetię, cui decimę cōceſſæ, quæ vulgò Saladinæ dictæ fuerunt. Quæ ſic appellatę ſunt, quia ad expeditionem Turcicam contra Saladinum ſuſcipiendā, cùm pecunia deeſſet, conuocatis Pariſiis Pontificibus & nobilibus, Rex petiit ſibi annuam decimam Eccleſiaſticorum prouentuum concedi, quæ poſteà Saladini decima appellata eſt.

Saladinæ decima quæ & qualis.

Quòd autem eiuſmodi penſitatione decimarum plurimùm grauarentur Eccleſiæ, atque pauperes anguſtiarentur, Petrus Bleſenſis ſcripſit epiſtolam 112. ad Epiſcopum Aurelianenſem, hortans vt ſe Regi talia prēſumenti obiiceret. Eſt quidem digna epiſtola, quam legant illi, qui quouis prætextu fauent Regi aduerſus pauperes & Eccleſias.

CONC. DIVIONENSE

in Burgundia à PETRO *Duacenſe, Sedis Apoſtolicæ Legato contra* PHILIPPVM *Regem Franciæ ob repudiatam vxorem celebratum anno Domini* 1197. *tempore* CAELESTINI *Papæ* III.

IOANNES Tilius in Chronico de Regibus Francorum ait: M.C.XCVII.

Legatus Papæ circa D. Michaëlis feſtum in Diuionenſi Concilio ob ſecundum Regis matrimonium toti Franciæ ſacris clàm interdixit. Qua ſententia promulgata, Rex vehementer iratus, qui Concilio interfuerant perſecutus, eos grauiter vltus eſt. Hæc ille.

CONC. EBORACENSE

pro REFORMANDIS ECCLESIAE ILLIVS MORIBVS *auctoritate* HVBERTI *Cantuarienſis Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati, celebratum Eboraci anno Domini* 1197. *tempore* CAELESTINI *Papæ* III.

ACTA Concilij extant apud Rogerū de Houeden huius temporis Scriptorem, prout ſequitur: M.C.XCVII.

In ſequentibus autem duobus diebus, ſcilicet Feria quarta & Feria quinta, congregatis in Eccleſia S. Petri Eboraci Simone eiuſdem Eccleſiæ Decano, &c. & ferè omnibus Abbatibus, & Prioribus, & Perſonis Eccleſiarum Eboracenſis Diœceſis, ipſe Legatus in eminentiore loco cathedratus ſedit, & Concilium celeberrimū celebrauit, in quo hæc Decreta ſubſcripta ſtatuit ſeruãda:

Vt Sacramentum Euchariſtiæ cum humilitate conficiatur, cum timore ſumatur, cum reuerentia diſpenſetur, & miniſter Altaris ſit certus: prouideatur etiam, vt in pyxide munda & honeſta Hoſtia reſeruetur, ſinguliſque Dominicis diebus renouetur.

Prohibemus, Ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis iniungat, vt Miſſas faciat celebrari.

Vbi puer, cuius Baptiſma ignoratur, reperitur expoſitus, ſiue cum ſale, ſiue ſine

ſine ſale reperiatur, baptizetur; cùm non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum.

Quoties Sacerdos ad puerum baptizandum, vel infirmum communicandum inuitatur, moras innectere non præſumat.

Prouidendum eſt, vt gratis exhibeatur iuſtitia, nec pro ea in cauſis Eccleſiaſticis facienda, vel adimenda, ſiue acceleranda, vel differenda, quidquam pretij præſumat accipere.

Hæc & alia plura vtilia ſtatuta ſunt, prout latè apud Binium.

CONCILIVM IN DALMATIÆ ET DIOCLIÆ REGNIS

per Legatos Sedis Apoſtolicæ in cauſa REFORMANDAE ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE *anno 1199. celebratum ſub* INNOCENTIO *Papa* III.

ANNO DOMINI M.CXCIX. ACTA Concilij apud Bzouium anno 1199. extantia hæc ſunt:

I. Nullus Epiſcopus aliquem ad ſacros Ordines per pecuniam promoueat, ſeu Eccleſiaſtica Beneficia alicui, pretio interueniente, concedere præſumat.

II. Eccleſiaſtici vxores non habeant.

III. Decimæ in quatuor partes diuidantur.

IV. Ne confeſſio reueletur.

V. Ne in perſonam Eccleſiaſticam quis manus iniiciat.

VI. Connubia in gradu prohibito non fiant.

VII. Clerici raſuram & tonſuram teneant Clericalem.

VIII. Clericus de manu laica Beneficium Eccleſiaſticum non accipiat.

IX. Excommunicantur omnes, qui theſauros Eccleſiæ iniuſtè detinent.

X. Excōmunicantur qui proprias vxores dimiſerint ſine iudicio Eccleſię.

XI. Filij Presbyterorum illegitimi ad ſacros Ordines non accedant.

XII. Nullus ordinetur in Sacerdotem, niſi trigeſimum expleuerit annum.

CONC. LONDONIENSE APVD VVESTMONASTERIVM

contra prohibitionem GAVFRIDI *Comitis* DE ESSEXE, *pro* REFORMATIONE ECCLESIAE ANGLICANE *per* HVBERTVM *Cantuarienſium Archiepiſcopum celebratum anno Domini* 1120. *tempore* INNOCENTII *Papæ* III.

EXTAT apud Rogerum de Houedin ſic: M.CCXX.

Eodem anno Hubertus Cantuarienſis Epiſcopus Generale celebrauit Concilium Londoniis apud Weſtmonaſterium contra prohibitionem Gaufridi filij Petri Comitis de Eſſexe, tunc temporis ſummi Iuſtitiarij Angliæ. In quo Concilio ſubſcripta decreta ſtatuta ſunt.

I. A quolibet Sacerdote celebrante verba Canonis rotundè dicantur & diſtinctè, nec ex feſtinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Similiter & omnes Horæ Canonicæ apertè & diſtinctè dicantur.

II. Non licet Presbytero bis in die celebrare.

III. De Baptiſmate vel Confirmatione ſi dubitetur.

IV. De Pœnitentia.

V. Quomodo Archiepiſcopus, Epiſcopus, & eorum Officiales debeant hoſpitari cum ſubditis.

VI. Ne quis ordinetur ſine iuſto titulo.

VII. Non liceat excommunicationis ſententiam proferre, niſi Canonica monitio præcedat.

VIII. Nil exigendum pro Sacramentis miniſtrandis.

IX. De Decimis.

X. Ne Clerici in ſacris Ordinibus cōſtituti focarias [mulierculas] habeant.

XI. De damnatis nuptiis.

XII. Diffamatis publicâ famâ indicatur purgatio.

XIII. Leproſi cœmeterium, & propriam habeant Cappellam.

XIV. Eccleſiaſtica beneficia de manu laica non ſuſcipiantur.

CONCILIVM IN SCOTIA CELEBRATVM

de initio CELEBRITATIS DOMINICAE *habitum anno Domini* 1203. *tempore* INNOCENTII *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.CCIII.

CAVSAM Concilij hac de re in Scotia celebrati dediſſe videntur ea, quæ de Dominici diei obſeruatione deſcribit Rogerus anno 1201. his verbis:

Eodem anno Euſtachius Abbas de Flay rediit in Angliam, & prædicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit, ne quis forum rerum venaliũ in diebus Dominicis exerceret. Dicebat enim, quòd hoc mandatum ſubſcriptum de obſeruatione diei Dominicæ venit de cælo, & inuentum eſt ſuper Altare S. Simeonis, quod eſt in Golgotha, vbi Chriſtus crucifixus eſt. Et mandauit Dominus hanc epiſtolam, quæ apprehẽſa eſt ſuper Altare S. Simeonis, quam per tres dies & tres noctes homines aſpicientes corruerunt in terram, rogantes Dei miſericordiam: & poſt horam tertiam erexit ſe Patriarcha, & Acharias Archiepiſcopus, & expanderunt infulam, & ſanctam acceperunt epiſtolam Dei, in qua ſcriptum inuenerunt: *Ego Dominus, qui præcepi vobis vt obſeruaretis diem S. Dominicum, &c. Volo autem, vt nemo ab hora nona Sabbati vſque ad ſolem ſurgentem diei Lunæ aliquid operetur, niſi quod bonũ ſit*, &c. Latè hoc apud Biniũ.

Dominica diei obſeruatio de cælo mandata eſt.

ANNOTATIO.

DIEI Dominicæ celebratio antiquiſſima eſt: nam de eo facit mentionem Clemens I. lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 63. vbi memorat, Apoſtolos diem Dominicum ſumma obſeruantia colendum conſtituiſſe. *Dominico die*, inquit, *diligentiùs conuenite, laudem Deo daturi.* Ignatius Martyr epiſtola ad Magneſianos: Philo Iudæus lib. de Vita cõtemplatiua cum Ægyptiorum Monachorum inſtitutum proſequitur: Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Eccleſ. Hiſt. c. 17. Iuſtinus Martyr Apologia 2. pro Chriſtianis. Melito Sardenſis Epiſcopus, vetuſtiſſimus Auctor, meminit diei Dominicæ, vt refert Euſebius Cæſar. lib. 4. c. 24. Ambroſius Sermone 61. in Pent. *Dominica nobis*, ait, *ideò venerabilis eſt atque ſolemnis, quia in ea Saluator velut Sol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit.* Auguſtinus lib. 2. Queſtionũ veteris & noui Teſtamenti, q. 95. Leo Magnus ep. 79. ad Dioſcorum Epiſcopum, cap. 1. Idem habetur in Concilio Conſtantienſi III. Generali, can. 7. & 8. (qui falsò Concilio VI. Generali adſcribuntur) vbi etiam pręcipitur, vt ſeruilia opera ceſſent. Concilio Foroiulienſi ſub Adriano I. cap. 13. Compendienſi cap. 2. Sueſſionenſi apud S. Medardum, cap. 8. Cabilonenſi cap. 5. Moguntino I. ſub Carolo Magno, cap. 37. & ſub eodem in Concilio Rhemẽſi, c. 35. Concilio Pariſienſi III. lib. 1. cap. 50. Aurelianenſi III. can. 27. Matiſconenſi II. ſub Pelagio, cap. 1. Arelatenſi IV. ſub Carolo Magno, cap. 16. & alibi. Vide etiam Bellarminum lib. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 11. vbi inter cetera recenſet locum illum Apoc. 1. *Ego Ioannes fui in ſpiritu in Dominica die.* Itaque vetuſtiſſimus eſt vſus feſtum diei Dominicæ celebrandi. Quod ergo videtur in hoc Concilio præcipi, eſt obſeruantia ab opere ſeruili, quæ fortaſſe in illa regione, non, vt par eſt, fiebat.

CONC. LAVAVRENSE

in cauſa PETRI *Aragoniæ Regis Comitem Toloſanum affinem ſuum protegentis, iuſſu* INNOCENTII III. *indictum anno Domini* 1213.

DE rebus hac Synodo geſtis Bzouius in Annalibus iſta: M.CCXIII.

Petrus Aragoniæ Rex, opem & auxilium affini ſuo Toloſano Comiti laturus, cum valida manu militum Toloſam, circa feſtum Epiphaniæ, venit, atq; ad Arnaldum Narbon. Archiepiſcopum, Innocentij Pontificis Legatum, & Simonem Comitem Montfortium miſit, aſſerens ſe velle cum eis de componendis rebus fidei & pacis tranſigere. Legatus reſpondit, vt poſtulata ſcripto conciperet, ac ſigillo munita ad Concilium mitteret. Patres verò Concilij reſponderunt, Comitem Toloſanum propter ingentia & enormia ſcelera ſæpiùs perpetrata, & quia non ſemel Eccleſiam ludificaſſet, indignum ſe prorſus omni beneficio & gratia reddidiſſe. Et cùm ab eis induciæ peterentur, iuſta

iuſta de cauſa concedere noluerunt. Quapropter Legatus, datis literis, auctoritate Apoſtolica Regem admonuit, quin etiam imperauit, vt à protectione, defenſione, communioneque hæreticorum abſtineret; alioquin eaſdem cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas in eum pronuntiaret. Rex nihil eorum curans, in fidem & protectionem recepit Comites Toloſanum, Frixenſem, Conuenarum, Gaſtonem Bearnenſem, & vrbem Toloſonam. De qua re Patres Concilij Innocentium Papam certiorem reddiderunt: qui etiam re benè perſpecta, monuit Regem, vt ſe à Toloſanis ſepararet, quos Sedes Apoſtolica pro tantis ſceleribus & hæreſibus à Communione Catholicæ Eccleſiæ remouiſſet. Amandaturum ſe interim Legatum à latere, qui cauſas prædictorum Comitum cognoſceret. Concilio abſoluto, Rex Aragoniæ Toloſâ diſceſſit, præſidio militum ibidem relicto.

CONC. ROMANVM,

quo OTTO *Imperator* IV. *per* INNOCENTIVM III. *Papam Imperio depoſitus eſt, anno Domini* 1213.

ANNO DOMINI M.CCXIII OTTO Romæ ab Innocentio coronatus, ſtatim cum Romanis pugnans, Vrbe pellitur, & contra Pontificis voluntatem plura oppida in Apulia capit, Siciliam quoque ſuæ ditioni adiecit: quapropter eodem anno, habito Romæ Concilio, Imperio deponitur. Sic Palmerius in Chronico.

CONC. LONDINENSE,

quo IOANNES *Rex Angliæ ab interdicto excommunicationis, & depoſitione per* NICOLAVM *Tuſculanum Epiſcopum, & Sedis Apoſtolicæ Legatum abſolutus eſt, anno Domini* 1214. *tempore* INNOCENTII *Papæ* III.

M.CCXIV. CVM Ioannes Rex Angliæ Stephanum de Langetune Cantuarienſem Archiepiſcopum legitimè electum nollet ſuſcipere, Pontifex Innocentius totam Angliam interdicto ſubiecit, & paulatim Regem ipſum grauiùs ſæuientem, & bona Eccleſiæ inuadentem, Epiſcopos & Clericos relegantem, non tantùm non abſoluit, ſed etiam Regno Angliæ depoſuit, executione Philippo Regi Francorum demãdata. Exercitu copioſiſſimo, quem Rex Franciæ conſcripſerat, territus, ad pœnitentiam recipi petiuit, deque ablatis reſtituendis ſponſionem fecit. Qua de re cùm Pontifex Legatum ſuum certiorem feciſſet, eique accipiendi & abſoluendi Regis formã præſcripſiſſet, Legatus in vrbe Londinenſi apud S. Paulum grande congregauit Concilium: & apud Patres conſtito de reſtitutione & redditione rerum Eccleſiaſticarũ ablatarum à Rege facta, ipſe Legatus in die Apoſtolorum Petri & Pauli, in Eccleſia Cathedrali, relaxauit ſententiam Interdicti, poſtquam durauerat annis ſex, menſibus tribus, & diebus quatuordecim, ad irreſtaurabile damnum Eccleſiæ, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Qua relaxatione facta, gaudium per totam terram pulſando, & Hymno *Te Deum laudamus* cantando, exortum eſt. Hæc ex Matthæo Paris.

CONCILIVM APVD MONTEM PESSVLANVM,

quo SIMONI *Montfortiano Comiti Toloſanus Comitatus, ex quo* ALBIGENSES *eiecerat, datus fuit, tempore* INNOCENTII *Papæ, anno Domini* 1215.

CONCILIVM hoc celebrauit Petrus Beneuentanus Cardinalis Legatus, in quo ex communi conſilio Patrum decretum eſt, vt Simoni Comiti Montfortio, propter præclaram in bello aduerſus Albigenſes hæreticos operam nauatam, & eximia in Eccleſiam Romanam virtutum merita, tota ea regio, quam armis feliciter occupauerat, tribueretur. Quod quidem Decretum auctoritate Summi Pontificis confirmatum eſt, vt patet ex literis Laterani datas 4. Nonas Aprilis, Pontificatus Innocentij III. anno 18. Ex Petro Monacho in ſua Hiſtoria Albig. c. 148. M.CCXV.

Digitized by Google

CONCILIVM LATERANENSE IV. GENERALE XII.

APPROBATVM,

CCCC. *Epiſcoporum*, *&* DCCC. *aliorum Patrum, Abbatum, Decanorum, & Priorum Conuentualium, contra* ALBIGENSIVM *&* ALMARICI *hæreſes, & Abbatis* IOACHIMI *errores, pro* ECCLESIA *in* FIDE *&* MORIBVS *reformanda, próque* TERRA SANCTA *à Turcis recuperanda celebratum anno Domini* 1215. *tempore* INNOCENTII *Papæ* III. *&* FRIDERICI *Imperatoris, vel potiùs adhuc Regis Germaniæ* II.

ANNO DOMINI M.CCXV.

VRBANVS II. Pontifex in Claramontano ſatis frequẽti Concilio graui Oratione valdè conqueſtus eſt, Ieroſolymitanam regionem, in qua Chriſtus Dominus Sanguinem vitamque noſtra cauſa profudit, ceteraque ſancta illa loca eiuſdem Redemptoris noſtri conſecrata memoria, magno cum Chriſtiani nominis dedecore in Saracenorum manus perueniſſe. Quare Chriſtianæ Reipublicæ Reges, Principes, ceteroſque Chriſtianos adhortatus eſt, vt coniunctis viribus, ſanctam illam Prouinciam ex hoſtium manibus eriperent: & quamprimùm ad ſacrum bellum ſe accingerent. Ita hæc Pontificis Oratio illorum animos incendit, vt pænè dicto citiùs militum vndique ad trecenta millia, ſub diuerſorum Principum ductu coacta ſint: ac militari amictu cruce inſignito, vt ſeſe oſtenderent pro Chriſto Domino bellum gerere, Antiochiam primùm, mox finitimas regiones, poſtremò Ieroſolymam ipſam, vt permagno labore, ita ingenti gloria ſint adepti: creato itidem in Ieroſolymitana vrbe & ditione Rege Gottifredo ſtrenuiſſimo Duce, omnium qui aderant Principum conſenſu. Regnatum eſt Ieroſolymis nonaginta circiter annos: ac per id tempus Summi Romani Pontifices, officio ſuo ac muneri in eo Regno tuendo, ac Saracenis procul arcendis non defuere. Verumtamen effici non potuit, quominùs Guidone Rege capto, Vrbano Tertio Pontifice Ieroſolyma à Saracenis occuparetur. Cui Pontifici cùm Gregorius VIII. ſucceſſiſſet, is impiger Reges, Principes, populoſque Chriſtianos omnes excitat cùm literis, tum Legatis, atq; ad Ieroſolymam recuperandam vrget. Idem præſtiterunt qui poſt eum Pontifices fuerunt: ſed permulta acciderunt, quæ ſacro huic bello impedimentum attulere. Innocentius III. vir doctrina & moribus inſignis, vbi Pontificatum iniit, Ieroſolymæ recuperationi animum adiecit. Et verò in magnam ſpem venit, fore vt voti compos fieret, cùm ſuo tempore Latini aliqui Principes expugnata Conſtantinopoli, Græciam ipſam ſuo Imperio ſubieciſſent, & Balduinus Flandriæ Comes Conſtantinopolitanus Imperator eſſet electus: idemque curam adhibuit, vt

Græci

Digitized by Google

Græci diuturno ſchiſmate ab Eccleſia Catholica ſeiuncti, ad Romanę Eccleſiæ obedientiam reuerterētur. Quamobrem Pontifex, & literis & Legatis miſſis, omnes ad ſacrum hoc bellum cohortatus eſt: cumque magnopere optaret Innocentius tum Ieroſolymitanæ vrbis recuperationem, tum vniuerſæ Eccleſiæ reformationem, ſanctorum Patrum veſtigia ſecutus, Generale indixit Concilium, in quo & deprauati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, & Principes ac populi ad ſacram hanc expeditionem adducerentur. Scripſit igitur omnibus Patriarchis & Epiſcopis biennio ante Concilij celebrationem, vt ad illud accederent. Scripſit quoque Imperatori & Regibus, vt ipſi quoque Oratores ad Synodum deſtinarent. Cogitur itaque Romę in Lateranenſi Eccleſia ſatis magnū Concilium; de quo Abbas Vrſpergenſis, qui eo tempore floruit, hæc habet: *Anno ab Incarnatione Verbi 1215. celebrata eſt ſancta Vniuerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Saluatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Nouembri, præſidente Domino Innocentio Papa* III. *Pontificatus eius anno 18. in qua fuerunt Epiſcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus & Ieroſolymitanus: Antiochenus autem graui languore detentus, venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Antheradenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Saracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germarium. Primates autem & Metropolitani 71. Ceterùm Abbates & Priores vltra octingentos: Archiepiſcoporum verò & Epiſcoporum, Abbatum & Priorum, & Capitulorum abſentium Procuratorum non fuit certus numerus comprehenſus. Legatorum verò Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Vngariæ, Regis Ieroſolymorum, Regis Cypri, Regis Aragoniæ, nec non & aliorum Principum & Magnatum, Ciuitatum, aliorumq; locorum ingens fuit multitudo.* Hęc Vrſpergenſis.

In quo Concilio primùm explicata eſt Catholica fides contra varios hæreticorum errores. Damnatus liber Ioachim Abbatis in Petrum Lombardum de Vnitate ſanctiſſimæ Trinitatis. Damnatum quoq; dogma peruerſum impij Amalrici, de quo fuſiùs Vincentius Belluacenſis. Multa de hæreticis coërcendis ac puniendis, ac de Græcis, qui ad fidem Catholicam reuerterant, ſtatuuntur. Item pleraque alia Catholicæ Eccleſiæ valdè vtilia, quæ omnia Capitibus ſeptuaginta diſtincta ſunt, ac in Gregorij IX. Decretalium collectione continentur. Poſtremò pro recuperatione Terræ ſanctæ, multæ Indulgentię & priuilegia conceſſa ſunt ad ſacrum illud bellum euntibus. Ad ſubſidium bello conferendum omnes eſt cohortatus. Atque ipſe vnà cum Cardinalibus ceteriſque Prælatis non exiguam vim pecuniæ collaturum ſe eſſe promiſit. Tum excommunicat quoſcumque, qui arma, naues, aut auxilia quæuis Saracenis ſuppeditant. Præcipit demum, vt pax in Chriſtiano orbe toto ſaltem per quadriennium conſeruetur.

Decreta CONCILII LATERANENSIS *per Titulos diſtributa.*

CAP. I.

De fide Catholica.

IN primo Capitulo ſunt articuli ſequentes, qui ad fidem pertineant: *De ſumma Trinitate & fide Catholica.*

Vnus eſt Deus indiuiſus in eſſentia, & diſcretus in perſonis, creator omnium, &c. Is ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem & ſpiritualem (Angelicam ſcilicet & mundanam:) deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtantem.

Diabolus à Deo quidem naturâ creatus eſt bonus, ſed ipſe per ſe factus eſt malus: homo verò diaboli ſuggeſtione peccauit.

Hęc ſancta Trinitas ſecundùm communem

munem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm perſonales proprietates eſt diſcreta.

Vnigenitus Dei Filius à tota Trinitate communiter eſt incarnatus, ex Maria Virgine Spiritus ſancti cooperatione conceptus.

Omnes mortales cum ſuis propriis corporibus reſurgent quę nunc geſtant, vt recipiant ſecundùm merita ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala: mali cum diabolo pœnam perpetuam, boni cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus ſaluatur.

Verum Chriſti Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem poteſtate diuina.

Hoc Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos fuerit ritè ordinatus ſecundùm claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus.

Sacramentum Baptiſmi, quod cum inuocatione Trinitatis conſecratur in aqua, tam paruulis quàm adultis, in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum fuerit, proficit ad ſalutem. Si tamen poſt ſuſceptioné Baptiſmi contingat prolabi in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. Non ſolùm virgines & continentes, verùm etiam cõiugati, per fidem rectam & operationem bonam, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

Cap. II.

De errore Abbatis Ioachim.

In hoc ſecundo Capite damnatur & reprobatur libellus, ſiue tractatus, quem Abbas Ioachim edidit contra Magiſtrum Lombardum De vnitate ſeu eſſentia Trinitatis, appellans hæreticum & inſanum, pro eo quòd in ſuis dixit Sententiis, quoniam quædam res ſumma eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens. Vnde aſſerit, quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam, quaſi quartam; manifeſtè proteſtans, quòd nulla res eſt, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, &c.

In qua quidem damnatione animaduertendũ, quòd non ipſe Ioachim, ſed eius liber damnatur, maximè cùm idem Ioachim omnia ſcripta ſua Papæ aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ Sedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda.

Reprobamus etiam & damnamus peruerſiſſimum dogma impij Amalrici, cuius mentem ſic Pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.

Insaniae Amalrici.

1. Dicebat, Corpus Chriſti non aliter eſſe in pane Altaris, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, tranſubſtantiationem denegans.

2. Deum ſic locutum eſſe in Ouidio, ſicut in Auguſtino.

3. Negabat etiam reſurrectionem corporum, paradiſum ſimiliter, & infernum: ſed qui in ſe Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in ſe paradiſum: qui contrà peccatum mortale haberet, eumdem infernum habere in ſe, non aliter quàm dentem putridum in ore.

4. Altaria Sanctis dicata, & imagines thurificare, Sanctorumque inuocationes, idololatriam eſſe aſſerebat.

5. Non ſolùm cum Armenis, Adam & Eua numquam carnali copula iungendos, ſi in ſtatu illo, in quo Deus illos condidit, permanſiſſent; verùm etiam ſexuum differentiam nullam, ſed hominum multiplicationem æquè atque Angelorum futuram affirmabat: contra illud quod in Geneſi ſcribitur: *Creauit Dominus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam fecit eos.* Gen. 1.

6. Aſſerebat rurſus, Deum non videri

deri in ſe, ſed in creaturis, ſicut lumen in aëre.

7. Item illud, quod aliàs eſt peccatum mortale, factum in charitate, non eſſe peccatum, impunitatem peccatorum promittens.

8. Affirmabat denique, ideas, quæ ſunt in mente diuina, & creare & creari poſſe: cùm contrà, teſte Auguſtino, in mente diuina nil niſi æternum & incommutabile ſit.

9. Somniabat quoque, mentem contemplatiui vel Beati perdere ſuum eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe ideale, quod habuit in mente diuina.

10. Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipſum conuerti, vt ſint vnum indiuiduum cum ipſo. Vnde per conſequens, in reſurrectione duplicem ſexum fore negabat.

ANNOTATIO.

Hæc, & plura alia inſana cùm inſaniret, multoſque ſequacium errore ſuo imbueret, ab Epiſcoporum & Theologorum Pariſienſium Concilio conuictus, ex mœrore animi interiit. Multi complices Senatus Conſulto damnati, & coram vniuerſo populo exauctorati, deinde flammis exuſti, eorumque cineres per ſterquilinium diſperſi ſunt. Tradunt autem, quòd cùm illi ad ſupplicium ducerentur, tanta ſit oborta aëris inclementia & intemperies, vt nemo dubitaret, quin ab eis aër fuiſſet concitatus, à quibus tantus terror morientibus fuerat perſuaſus. Nam dicuntur tunc tam obſtinata mente fuiſſe, vt non ſolùm ad interrogata nullum darent reſponſum, ſed nec in eis in ipſo mortis articulo vllum pœnitentiæ, aut ſanæ mentis, & reſipiſcentiæ perpendi potuiſſe indicium. Amalricus à Generali Concilio Lateranenſi ea potiſſimùm de cauſa celebrato, hæreſeos damnatus, & anathemati ſubiectus, poſteà iuſſu Philippi Gallorum Regis exhumatus exuſtuſque eſt.

CAP. III.

De hæreticis.

EXCOMMVNICAMVS & anathematizamus omnem hæreſim, extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam, Orthodoxam, & Catholicam fidem, quam ſuperiùs expoſuimus, condemnantes vniuerſos hæreticos, quibuſcumq; nominibus cenſeantur: facies quidem habentes diuerſas, ſed caudas ad inuicem colligatas, quia de * vanitate conueniunt in idipſum.

* varietate

Damnati verò, ſæcularibus Poteſtatibus præſentibus, aut eorum Baliuis, relinquantur animaduerſione debita puniendi, Clericis priùs à ſuis Ordinibus degradatis: ita quòd bona huiuſmodi damnatorum, ſi laici fuerint, confiſcentur; ſi verò Clerici, applicentur Eccleſiis, à quibus ſtipendia perceperunt.

Punitio hæreticorum ſæcularibus cõmittenda Poteſtatibus.

Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conſiderationes ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, anathematis gladio feriantur, & vſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd, ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur.

Quòd iuramentum debent præſtare ſæculares Poteſtates.

Moneantur autem, & inducantur, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares Poteſtates cuiuſcumque officij, vt ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ iuriſdictionis ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudeant, ita quòd amodò quandocumque quis fuerit in poteſtatem ſiue ſpiritualem ſiue temporalem aſſumptus, hoc teneatur Capitulum affirmare.

Si verò Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia, terrã ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipſe vaſſal-

vaſſallos ab eius fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hęreticis, ſine vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo Iure dominij Principalis; dummodò ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominùs lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos Principales.

Priuilegia exterminantibus hæreticos conceſſa.

Catholici verò, qui Crucis aſſumpto charactere, ad hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque priuilegio ſint muniti, quod accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceditur.

Excommunicentur qui ſine licentia prædicant.

Quia verò nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem eius (iuxta quod ait Apoſtolus) abnegantes, auctoritatem ſibi vendicant prædicandi, cùm ipſe Apoſtolus dicat: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* omnes, qui prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur: & niſi quantocyùs reſipuerint, alia competenti pœna plectantur.

2.Tim.3.

Rom.10.

Deponatur Epiſcopus, qui ad expurgandas hæreſes negligens inueniatur.

Volumus igitur, & mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda Epiſcopi per Diœceſes ſuas diligenter inuigilent, ſi Canonicam effugere voluerint vltionem. Si quis enim Epiſcopus ſuper expurgando de ſua Diœceſi hęreticæ prauitatis fermento negligens fuerit vel remiſſus, cùm id certis indiciis apparuerit, ab Epiſcopali officio deponatur, & in loco ipſius alter ſubſtituatur idoneus, qui velit & poſſit hæreticam confundere prauitatem.

CAP. IV.

De ſuperbia Græcorum contra Latinos.

De hoc habetur Extr. De Baptiſmo & eius effectu.

CAP. V.

De ordine ſedium Patriarchalium.

Vt poſt Romanam, quæ mater vniuerſorum Chriſti fidelium eſt & magiſtra, Conſtantinopolitana primũ, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Ieroſolymitana quartum locum obtineant, &c.

CAP. VI.

Vt ſingulis annis Prouincialia celebrentur Concilia.

Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Prouincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, &c.

CAP. VII.

De correctione exceſſuum.

De hoc habes Extr. De officio Iudicis ordinarij, c. Irrefragabili.

CAP. VIII.

De inquiſitionibus.

Contra delinquentes tribus modis poteſt procedi, per accuſationem, denuntiationem, & inquiſitionem. Diligens tamen adhibeatur cautela, & ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, ſic & denuntiationem charitatiua admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio præuenire, &c.

CAP. IX.

De diuerſis ritibus in eadem fide per Epiſcopum tolerandis.

De hoc habes Extra. De officio Iudicis ordinarij, c. Quoniam.

CAP. X.

De prædicatoribus inſtituendis cùm Epiſcopi prædicare non valeant.

Cvm ſæpè contingat, quòd Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino,

Digitized by Google

nino, nec de cetero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas Diœceſes, & diffuſas, generali Conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum (cùm per ſe nequeunt) ſollicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipſi cùm indiguerint congruè neceſſaria miniſtrent: quos habebunt Epiſcopi coadiutores & cooperatores, non ſolùm in prędicationis officio, verùm etiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

CAP. XI.

De Magiſtris Scholaſticis in Eccleſiis Cathedralibus inſtituendis.

CAP. XII.

De communibus Capitulis Monachorum, de triennio in triennium celebrandis.

CAP. XIII. De nouis religionibus prohibitis.

CAP. XIV.

De incontinentia Clericorum punienda.

De hoc habes Extra. De vita & honeſtate Cleric. Vt clericorum.

CAP. XV.

De arcenda ebrietate Clericorum. ibidem c. ſeq.

CAP. XVI. De iumentis Clericorum. ibidem.

CAP. XVII.

De comeſſationibus Prelatorum, & negligentia eorum ſuper diuinis Officijs.

De hoc habetur Extr. De celebratione Miſſarum. cap. Dolentes.

CAP. XVIII.

De iudicio ſanguinis Clericis interdicto, & de duello ab eis non exercendo: & præcipuè ne quiſquam Sacerdos, & Diaconus purgatione aquæ feruentis, vel frigidæ, ſeu ferri candentis ritum cuiuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat, ſaluis nihilominùs prohibitionibus de monomachiis ſiue duellis anteà promulgatis, &c.

CAP. XIX.

Relinqvi nolumus incorrectum, quod quidam Clerici ſic exponunt Eccleſias ſupellectilibus propriis, & etiam alienis, vt domus potiùs laicę quàm Dei Baſilicæ videantur, &c.

CAP. XXI.

Fideles omnes ſemel in anno confiteri teneantur.

Omnis vtriuſque ſexus omnia ſua peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, vel alieno, priùs tamen à proprio Sacerdote impetrata venia, quoniam aliter ille ipſum non poteſt abſoluere, vel ligare. Et ſuſcipiat reuerẽter, ad minus in Paſcha, Euchariſtię Sacramentum, niſi proprius Sacerdos ab eius perceptione duxerit abſtinendum, &c. Sit autem Sacerdos diſcretus & cautus, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi conſilium debeat exhibere, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſanandum ægrotum, &c. Caueat autem omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem; ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſſione perſonæ cautè requirat, &c.

CAP. XXII.

Infirmi priùs prouideant animæ quàm corpori.

Qvoniam infirmitas corporalis nõnumquam ex peccato prouenit, Medici ante omnia curent aduocare Medicos animarum, vt poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinę remedium ſalubriùs procedatur, cùm cauſa ceſſante ceſſet effectus. Ceterùm, cùm anima ſit multò præſtantior corpore, ſub anathemate prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali ſalute aliquid ægro-

Digitized by Google

to ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

CAP. XXIV.

TRIPLEX eſt dumtaxat via iuridicæ electionis, per inſpirationem Spiritus ſancti, per ſcrutinium, per compromiſſionem: qui verò contra prædictas formas eligere tentauerit, eligendi (ea vice) poteſtate priuetur, &c.

CAP. XXIX.

Nullus habeat duo Beneficia cum cura annexa.

DE multa prouidentia fuit hoc Concilio prohibitum, vt nullus diuerſas dignitates Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias Parochiales reciperet contra ſacrorum Canonum inſtituta. Hoc idem in Perſonatibus decernimus obſeruandum, addentes, vt in eadem Eccleſia nullus plures dignitates habere præſumat, aut Perſonatus, etiamſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen & literatas perſonas, quæ maioribus ſunt Beneficiis honorandæ (cùm ratio poſtulauerit) per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari, &c.

CAP. XXXI.

AD abolendam peſſimam, quæ in pleriſque inoleuit Eccleſiis, corruptelam, firmiter prohibemus, ne Canonicorum filij (maximè ſpurij) Canonici fiant in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt parentes, &c.

CAP. XXXII.

EXTIRPANDAE conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inoleuit, quòd Patroni Eccleſiarum Parochialium, & aliæ quædam perſonæ, prouentus ipſarum ſibi penitùs vendicantes, Presbyteris earumdem ſeruitio deputatis relinquunt adeò exiguã portionem, vt ex ea congruè nequeant ſuſtentari: vnde fit vt his regionibus penè nullus inueniatur Sacerdos Parochialis, qui vel modicam habeat notitiam literarum. Cùm igitur os bouis triturantis alligari non debeat, &c. Statuimus, vt portio ſufficiens ipſis aſſignetur. Qui verò Parochialem habet Eccleſiã, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat, in Ordine quem ipſius Eccleſię cura requirit, niſi fortè Præbendæ vel dignitati Parochialis Eccleſia ſit annexa: in quo caſu concedimus, vt is qui talem habet Præbendam vel dignitatem, cùm oporteat eum in Eccleſia maiori deſeruire; in ipſa Parochiali Eccleſia idoneum & perpetuum ſtudeat habere Vicarium Canonicè inſtitutum, &c. Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in fraudem de prouentibus Eccleſiæ (quæ curam proprij Sacerdotis debeat habere) penſionem alij quaſi pro beneficio conferre præſumat, &c.

CAP. XLI.

De continuatione bonæ fidei in omni præſcriptione.

NVLLA valet abſque bona fide præſcriptio tam Canonica quàm Ciuilis, cùm ſit generaliter omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. Vnde oportet, vt qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.

CAP. XLVI.

Clerici etiam propter communes vtilitates grauari non poſſunt.

ADVERSVS Conſules, & alios qui Eccleſias & viros Eccleſiaſticos talliis, ſeu collectis, & exactionibus aliis grauare nituntur, Concilium Lateranenſe immunitati Eccleſiaſticæ volens prouidere, præſumptores huiuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit, excõmunicationi præcipiens ſubiacere tranſgreſſores & fautores eorum, donec ſatisfactionem impendant competentem. Verùm ſi quando forſan Epiſcopus ſimul cum Clericis tantam neceſſitatem & vtilitatem inſpexerint, vt abſque vlla coactione ad releuandas vtilitates & neceſſitates communes (vbi laicorum non ſuppetunt facultates) ſubſidia per Eccleſias duxerint conferenda, prædicti laici humiliter & deuotè recipiant, cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorumdam

dam, Romanum priùs conſulant Pontificem, cuius intereſt communibus vtilitatibus prouidere,&c.

CAP. L.

Prohibitio copulæ coniugalis quartum gradum non excedat.

PROHIBITIO copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in vlterioribus gradibus iam nō poteſt abſq; graui diſpendio huiuſmodi prohibitio obſeruari generaliter.

CAP. LI.

CLANDESTINA coniugia penitùs inhibemus,&c.

CAP. LIV.

Vt priùs ſoluantur decimæ quàm tributa.

STATVIMVS, vt exactionem tributorum & cenſuum præcedat ſolutio decimarum, vel ſaltem hi, ad quos cenſus & tributa indecimata peruenerint (quoniam res cum onere ſuo tranſit) ea per cenſuram Eccleſiaſticam decimare cogantur Eccleſiis, quibus Iure debeatur.

CAP. LVIII.

Tempore Interdicti poſſunt Monachi diuina celebrare.

CELEBRARE diuina poſſunt tam Monachi quàm Clerici tempore Interdicti (ſed excluſis excommunicatis & interdictis) ianuis clauſis, & ſuppreſſa voce, non pulſatis campanis.

CAP. LXII.

De Reliquiis Sanctorum.

CVM ex eo quòd quidam Sāctorum Reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianę Religioni ſit detractum ſæpiùs, ne detrahatur in poſterum, præſenti Decreto ſtatuimus, vt antiquæ Reliquiæ amodò extra capſam non oſtendantur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo nemo publicè venerari præſumat, niſi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati verò de cetero non permittant illos qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falſis decipi documentis, ſicut & in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſueuit. Eleëmoſynarum quoque Quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo abuſiones nōnullas in ſua prędicatione proponunt, admitti (niſi Apoſtolicas vel Diœceſani Epiſcopi literas veras exhibeant) prohibemus, & tunc præter id quod in ipſis continebitur literis, nihil populo proponere permittantur.

Qui autem ad quærendas eleëmoſynas deſtinantur, modeſti ſint & diſcreti, nec in tabernis aut locis incongruis hoſpitentur: nec inutiles faciant aut ſumptuoſas expenſas, cauentes omnino ne falſum religionis habitum geſtent.

Ad hæc, quia per indiſcretas Indulgentias atque ſuperfluas, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio eneruatur; decernimus, vt cùm dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia extra annum, ſiue ab vno ſolo ſiue à pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniuerſario Dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat: & infra hunc quoq; dierum numerum Indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuſlibet cauſis aliquoties conceduntur, cùm Romanus Pontifex (qui plenitudinem obtinet poteſtatis) hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare.

CAP. LXIII.

NE pro conſecrationibus Epiſcoporum, aut benedictionibus, aut Ordinibus Clericorum aliquid accipiatur.

CAP. LXIV.

Monachæ pretio receptæ vnà cum recipientibus de Monaſterio expellantur.

QVONIAM Simoniaca labes adeò pleraſque Moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes huiuſcemodi

Digitized by Google

modi vitium palliare: ne id de cetero fiat, penitùs prohibemus; ſtatuentes, vt quæcumque de cetero talem prauitatem commiſerit, tam recipiens quàm recepta, ſiue ſit ſubdita, ſiue Prælata, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam pœnitentiam perpetuò retrudenda.

De his autem quæ ante hoc Synodale ſtatutum taliter ſunt receptæ, ita duximus prouidendum, vt remotæ de Monaſteriis, quę perperàm ſunt ingreſſæ, in aliis eiuſdē Ordinis collocentur.

Quòd ſi propter nimiam multitudinem alibi fortè nequiuerint commodè collocari, ne fortè damnabiliter in ſæculo euagentur, recipiantur in eodem Monaſterio diſpenſatiuè de nouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus aſſignatis.

Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernimus obſeruandum.

Verùm ne per ſimplicitatem vel ignorantiam ſe valeant excuſare, præcipimus vt Diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas Diœceſes publicari.

Cap. LXV. Extra. De Simonia.

Cap. LXVI. Extra. ibidem.

Cap. LXVII.

Iudæi etiam compellendi ſunt ad reſtituendas vſuras.

STATVIMVS, Vt ſi de cetero quocumque prætextu Iudæi à Chriſtianis graues & immoderatas vſuras extorſerint, Chriſtianorum eis participium ſubtrahatur, donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter. Cenſura etiam Eccleſiaſtica Iudæos decernimus compellendos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis & oblationibus debitis, quas à Chriſtianis de domibus & poſſeſſionibus aliis percipere conſueuerant, antequam ad Iudæos quocumque titulo deueniſſent.

Cap. LXVIII.

STATVIMVS, Vt Iudæi vtriuſque ſexus in omni Chriſtianorum Prouincia, & in omni tempore, qualitate habitus publicè ab aliis populis diſtinguantur.

Cap. LXIX.

Nec Iudæi nec Pagani officiis publicis præficiantur.

POSTREMO loco habetur in hoc Concilio Bulla expeditionis pro recuperanda Terra ſancta ſanctiſſimè edita. In qua expeditione omnes Clerici mādato Concilij bonam partem Eccleſiaſticorum prouentuum in ſubſidium Terræ ſanctæ tradiderunt: Papa verò & Cardinales integram decimam.

In reliquis Capitulis remiſimus Lectorem ad magnum Volumen Conciliorum, quæ, ne eadem pluries repeteremus, omiſimus.

CONCIL. OXONIENSE

per STEPHANVM *Cantuarienſem Archiepiſcopum pro* REFORMANDA ECCLESIA ANGLICANA *celebratum anno Domini* 1222. *tempore* HONORII *Papæ* III.

AVCTORITATE Dei Patris, & B. Virginis, & omnium Sanctorum, & præſentis Concilij, excommunicamus omnes illos, qui malitioſè Eccleſias ſuo iure priuare prǽſumunt, aut per malitiam & contra iuſtitiam libertates earumdem infringere vel perturbare contendunt. ANNO DOMINI M.CC.XXII.

Item omnes illos excommunicationis ſententia innodamus, qui pacem & tranquillitatem domini Regis & Regni iniurioſè perturbare præſumunt, & qui Iura domini Regis detinere contendūt.

Adiicimus autem, omnes illos ſimili ſententia inuolutos, qui ſcienter & prudenter falſum perhibent teſtimonium, vel perhiberi procurant, vel etiam tales teſtes ſcienter producunt vel ſubornant in cauſa matrimoniali, vbi ſcilicet agitur contra miſericordiam, vel etiam vbi agitur ad alicuius exheredationem.

Aduocatos quoque excommunicamus omnes, qui in cauſis matrimonialibus

Digitized by Google

libus malitioſè oppoſitiones opponunt vel opponi procurant, ne matrimonia vera debitum ſortiantur effectum, vel vt contra iuſtitiam Proceſſus cauſæ diutiùs ſuſpendatur.

Item excommunicamus omnes illos, qui gratia lucri, odij, vel fauoris, vel aliter malitioſè crimen imponunt vel opponunt alicui, cùm infamatus non ſit apud bonos & graues, vt ſic ſaltem ei purgatio indicatur, vel alio modo grauetur.

Prætereà omnes illos ſententiâ excommunicationis innodamus, qui vacante Eccleſia malitioſè opponunt vel procurant opponi Patronatus quæſtionem, vt ſit, vnde Patronum illius Eccleſiæ collatione ſaltem illa vice defraudent.

Excommunicamus etiam omnes illos, qui gratia lucri, odij vel fauoris, vel aliàs malitioſè, cõtemnunt exequi Domini Regis mandatum contra excommunicatos, qui claues Eccleſiæ contemnunt.

Statuimus etiam auctoritate præſentis Concilij, Vt Prælati ſinguli eleẽmoſynarios honeſtos habeant, & vt ipſi Prælati ſint iuxta Apoſtolum hoſpitales, (Rom. 12. Hebr. 13. 1. Pet. 4.) & vt horis competentibus ad pauperes audiendos, & iuſtitiam exhibendam, in publico præſentiam ſuam exhiberi procurent, & in perſonis propriis, confeſſionibus audiendis interſint & pœnitentiis iniungendis: ipſi etiam per Confeſſores diſcretos ciuitates proprias obeant, & in Eccleſiis ſuis Cathedralibus reſidere procurẽt: vt aliquibus maioribus Feſtis, & ſaltem in aliqua parte pro ſe, prout animæ ſuæ ſaluti magis viderint expedire. Et quia iuxta Scripturæ teſtimonium, vota noſtra tenemur reddere Domino Deo (Pſal. 21. 60. 65. 75. 115.) noſtro, ſalubriter decernimus aduertendum, vt Epiſcopi formam ſuæ profeſſionis in ſua Conſecratione prolatam bis in anno coram ſe legi faciant diligenter, vt tantò meliùs profeſſionis ſuæ recordentur, quantò ſæpiùs eorum fuerit auribus inculcata.

Ad hæc ſtatuimus, Ne Prælatus aliquis, cùm Eccleſiam contulerit aut Præbendam, fructus eiuſdem Eccleſiæ ſiue Præbendæ nondum collectos, ſibi præſumat aliquatenus vſurpare, vel inſtitutione, vel miſſione in poſſeſſionẽ, vel charta ſuper hoc facienda, aliquid audeat extorquere, nec ab officiariis ſuis Archidiaconis vel Decanis ſuſtineat extorqueri.

Cùm ſecundùm Apoſtolum, auaritiæ (Coloſſ. 3.) (quæ eſt idolorum ſeruitus) Epiſcopos aut alios Dei miniſtros ſeruire non conueniat, ad tantam peſtem radicitus euellendam, ſtatuimus, Vt ſi aliquis ad Eccleſiam aliquam nullo contradicente præſentetur, Epiſcopus præſentatum ipſum, dum tamen idoneus ſit, nequaquam admittere differat vltra duos menſes: alioquin quidquid ex eadem Eccleſia poſt factam præſentationem fuerit fortè perceptum, illi, cùm inſtitutus fuerit, reſtituatur, quatenus fructus illi ad Epiſcopũ peruenerint, & id in Archiepiſcopis, ſi per eos ſteterit, obſeruetur, niſi cauſam rationabilem coram ſuo Superiore duxerit aſſignãdam, cùm ſuper hoc fuerit requiſitus ab eo, quare eum non admiſerit infra tempus in hoc Concilio diffinitum.

Hoc autem non immeritò duximus adiungendum, Vt ſi duo ad vnã eamdemque Eccleſiam fuerint præſentati, neutri eorum pendente lite, cuſtodia committatur. Si autem ad Epiſcopum ius conferendi talem Eccleſiam auctoritate Concilij deuoluatur, cùm contentio ſit inter duos Patronos, quorum vterque ſuum Clericum præſentauerit, tamen ex collatione Epiſcopi, nulli Patronorum, qui poſteà euicerit ius Patronatus, præiudicium debeat generari: ſtatuimus, vt Epiſcopus neutri eorum qui præſentati fuerint, Eccleſiam illam conferat illa vice, niſi de vtriuſque Patroni conſenſu, ne ſaltem qualecumque præiudicium alteri Patronorum videatur generari, ſi fortè poſt-

Google

modum ius Patronatus euicerit.

Ad excuſandos affectus laborantium in vinea Domini ſabaoth, vt veræ retributionis recipere mereamur denarium poſt laborem; decreuimus, Ne
Matth. 20. opus Dei fiat ab aliquibus negligenter, præſertim cùm in Generali Concilio ſit præceptum, vt Diuinum Officium nocturnum pariter & diurnum, ſecundùm quod Deus dederit, ſtudioſè celebretur & deuotè: vniuerſa quoq; Eccleſiaſtica Sacraméta, & præcipuè Baptiſmatis & Altaris deuotiſſimè, prout Deus inſpirauerit, celebrentur, verba quoq; Canonis, præſertim in conſecratione Corporis Chriſti, plenè & integrè proferantur.

Presbyter autem poſtquam Dominicum Corpus ſumpſerit in Altari, ſi in eodem die Miſſarum ſolemnia ipſum celebrare oporteat iteratò, vinum calici infuſum vel digitis ſuperfuſum ſumere non præſumat.

Deinde ſtatuuntur alia, quæ ſummatim hîc ſubiungam.

Vt, Quòd non liceat Presbytero plures Miſſas in die celebrare, niſi in caſu neceſſitatis.

Vt ſeruentur Feſta & ieiunia.

Vt Presbyteri Parochiales frequenter prædicent, & infirmos viſitent.

De ornamentis Eccleſiæ.

Ne quis Beneficiũ ſuum reſignans, aliquid ſibi de eodem retineat.

Ne vna Eccleſia diuidatur in plures.

De Vicariorum reſidentia.

Quòd exilia Beneficia non conferantur, niſi volentibus reſidere in eiſdem.

Quæ portio debeat Vicario reſidenti aſſignari.

In quibus Eccleſiis requiritur pluralitas Presbyterorum Parochialium.

Quòd Epiſcopus recipiat iuramentum à præſentato, vt euitetur Simonia.

Vt ſingulis Archidiaconatibus ſpeciales Confeſſores deputentur.

Quòd Decani rurales de cauſis matrimonialibus ſe non intromittant.

Ne quis latrones in domibus vel in ſeruitio teneat.

Ne Archidiaconi grauent Eccleſias, vel rectores in viſitatione, & qualiter ſe habebunt.

Ne Beneficia ſpiritalia tradantur ad Firmam.

Quòd Archidiaconi in viſitatione ſua examinent Sacerdotes de Canone Miſſæ, & de Sacramento Altaris.

Quòd Oleum & Euchariſtia cuſtodiantur ſub ſera, & ſimiliter Chriſma.

Quòd Archidiaconi habeant penes ſe in ſcriptis omnia ornamenta Eccleſię.

Quòd Archidiaconi videant in viſitationibus, ne poſſeſſionibus vel iure ſuo Eccleſiæ defraudentur.

Quòd Archidiaconi vel Decani nouas exactiones Eccleſiis non imponant.

Quòd Ordinarij non ferant ſententias excommunicationis in aliquem, niſi præmiſſa monitione, niſi in certis caſibus.

Ne quid exigatur pro ſepultura vel aliquo Sacramento conferendo.

Quòd Iudices non impediant bonum pacis inter partes, vbi cauſa recipiat compoſitionem ad ſuggeſtionem præconis.

Quòd Iudex non iudicet aliquem ad purgationem, ad ſuggeſtionem præconis tantùm, vt ſit iudex & actor.

De habitu Clericorum.

Ne Clerici comam nutriant.

Quòd Clerici non teneant publicè concubinas.

Qualis pœna eſt infligenda concubinis Clericorum.

Quòd Clerici vel Prælati non vendant vel impignorent Eccleſiam ſuam conſanguineis eorum.

Quòd fructus Eccleſię in laico feudo non reponãtur, nec de eis ædificia fiant.

Quòd Religioſi poſſeſſionati quolibet anno admoneantur, vt reddant computum.

Quòd Religioſi nil recipiant pro ingreſſu alicuius inter eos, niſi pro veſtitura dumtaxat.

Quando & qualiter Eccleſiæ poſſunt dimitti ad Firmam.

Quòd

Digitized by Google

Quòd nulli aliquid in Eccleſia ratione Beneficij aſſignetur.

Pœna Aduocatorum qui matrimonium protrahunt malitioſè.

De ordinatione Religioſorum, & qui poſſunt recipi in Monachos.

De familiaribus Monialium, & de ſilentio Religioſorum, & de licentia exeundi.

Ne Monachi vel Moniales per ſe comedant.

Quòd Moniales ſimul in Monaſterio habitent, & de confeſſione earum.

Quòd Religioſi non condant teſtamenta, nec liceat Monachis Monaſteria habere ad Firmam.

Quòd Religioſi non bibant vltra horas debitas.

Quòd Monachi & Regulares in Monaſterio habeant ſeniores, & De ſententiis publicandis.

ANNOTATIO.

De hac Synodo Matthæus Paris, Scriptor huius temporis, in Hiſtoria Angl. *Eodem anno* 1222. inquit, *Magiſter Stephanus de Langetona Generale Concilium celebrauit apud Oxonium, in quo multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus Eccleſiæ Anglicanæ, & Monaſticæ Religionis, ſicut in dicto Concilio aliàs pleniùs continetur.* Matthæus VVeſtmonaſterienſis in Flor. Hiſt. *Hoc anno*, inquit, *Stephanus Archiepiſcopus Cantuarienſis celebrauit apud Oxonium Prouinciale Concilium, in quo multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus Anglicanæ Eccleſiæ atque Monaſticæ diſciplinæ. Paucis antè diebus comprehenſus fuit quidam impoſtor, habens in corpore & membris, ſcilicet in latere, manibus & pedibus quinque vulnera crucifixionis: & in eodem Concilio ſimul cum eo alius nebulo vtriuſque ſexus, eiuſdem erroris fautor repræſentatus, vnáque cum eo conuictus & confeſſus, iudicio Eccleſiæ punitus eſt.* De eodem ex manuſcripto Vaticano Bzouius anno 1222. num. 20. *In Synodo Oxonienſi hoc anno in Anglia celebrata, Pſeudo-Chriſtus quidam, qui ſe Chriſtum eſſe, veniſſeq́; vt errores, qui in Clero & populo graſſarentur, emendaret, audebat aſſerere, & ſigna quadam quaſi Chriſti crucifixi manibus, pedibus, lateriq́; impreſſa, ad maiorem populi circumuentionem oſtendebat, vt vanus & perfidus nebulo in crucem quam meruit cum Hermaphrodito quodam aſſecla ſublatus eſt. In qua & Diaconus quidam deſecratus, flammiſq́; exuſtus, quòd ad Iudaicam perfidiam nefariè profugiſſet.*

CONC. GERMANICVM

ſub Præſidio CONRADI *Epiſcopi Cardinalis Portuenſis & S. Rufinæ, Sedíſque Apoſtolicæ Legati, contra* SIMONIACOS *&* CONCVBINARIOS CLERICOS *celebratum, anno Domini* 1225. *tempore* HONORII *Papæ* III.

De hac Synodo Surius ſic: Anno nati Seruatoris 1224. Honorius eius nominis Tertius Pontifex Maximus, in Germaniam Legatum miſit à latere Conradum Eginonis, quondam Monachum & Abbatem inſtituti Ciſtercienſis, tum verò Epiſcopum Cardinalem Portuenſem & S. Rufinæ, virum doctrina & religione celebrem, & cuiuſdam Dynaſtæ filium. Erant enim id temporis in Occidente quædã morum corruptelæ, quas Pontifex amoliri volebat. Porrò Orientem vexabant Saraceni. Poſtquam igitur memoratus Cardinalis in Germaniam peruenit, Synodum hanc coëgit anno 1225. quæ cùm pleraque habebat lectu digna, in gratiam Lectoris huc eam adſcribere voluimus: idq́; tantò libentiùs, quòd hoc loco ſuſtulimus Opuſculum illud tripartitum parùm opportunè in ſuperiori editione Conciliis inſertum, cùm nec Auctoris certi nomen præſeferat, nec ab vllo ſit Concilio profectum. Qua in re non dubitamus, quin eruditus Lector noſtrum ſit conſilium probaturus. Quod autem ad hanc Synodum attinet, ſcire debet Lector, quæ in ea promulgatæ ſunt Conſtitutiones, eas iam dictum Cardinalem per omnem Germaniam miſiſſe Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis & Archipresbyteris, quos Decanos rurales vocant, eiſq́; ſeueriter mandaſſe, vt in Conciliis annis ſingulis celebrandis eas publicari & obſeruari facerent. ANNO DOMINI M.CCXXV.

Hoc eodem tempore venit Magiſter Romanus ad partes Gallicanas, à Domino

mino Papa miſſus, vt ibi Legationis officio fungeretur. Quò cùm perueniſſet, fecit cōuocare Regem Francorum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Clero Gallicano ad Concilium, cum Comite Toloſano, pro quo ſpecialiter ad partes illas miſſus fuerat, ſicut ſequens relatio declarabit. Conuenerunt igitur ad Bituricam ciuitatem ad Concilium, Lugdunenſis, Rhemenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Bituricenſis, Anxianenſis Archiepiſcopi: Burdegalenſis verò Romæ fuit, & Narbonenſis Eccleſia vacabat. Conuenerunt igitur nouem Prouinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & ſingulorum Procuratoribus Capitulorum, mandatum Summi Pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunenſis Archiepiſcopus vendicabat ſibi Primatiam ſuper Archiepiſcopum Senonenſem, & Rothomagēſis ſuper Bituricenſem, Anxianenſem, Narbonenſem, & eorum Suffraganeos, timebatur de diſcordia, & ideò non fuit ſeſſum quaſi in Concilio, ſed vt in conſilio. Quibus ſedentibus, & lectis in publico Legationis literis, apparuerunt Comes Toloſanus ex vna parte, & Simon de Monteforti ex altera, qui petiit ſibi reſtitui terram Reimundi Comitis Toloſani, quam Dominus Papa & Rex Francorum Philippus ſibi & patri ſuo contulerunt, exhibens ſuper donatione facta vtriuſque, Papæ ſcilicet & Regis, munimenta. Addiditque, Comitem Reimundū abiudicatum fuiſſe Romæ in Concilio Generali propter hæreſim, quæ dicitur hæreſis Albigenſium, ad minus à parte maiori terræ quam nunc tenet. Econtrà Comes Reimundus obtulit ſe facturum erga Regem Francorum & Eccleſiam Romanam, quidquid facere deberet pro hereditate ſua. Tunc cùm peteret pars aduerſa ab eo vt ſubiret iudicium duodecim Parium Galliç; reſpondit Reimundus: Recipiat Rex homagiū meum, & paratus ſum ſubire: quia fortè non haberent me pro Pari, ſi ſecùs fieret. Cumque hinc inde fuiſſet plurimùm altercatum, præcepit Archiepiſcopis ſingulis Legatus tum præſentibus, vt conuocatis ſeorſum vnuſquiſque Suffraganeis, cum eis deliberarent ſuper negotio præfato, & traderent Legato conſilium ſuum redactum in ſcripto. Quo facto, Legatus excommunicauit omnes qui ſuper hoc ſua conſilia reuelarent, dicens ſe ea velle Domino Papæ ſignificare, & Francorum Regi oſtendere.

Poſt hæc ſubiungit, quòd Legatus expetiuerit in ſingulis Cathedralibus Eccleſiis duas Præbendas Romanæ Curiæ applicari, quodque Procuratores Capitulorum allegatæ petitioni nequaquam conſentiendū eſſe reſponderint, ob cauſas quas ille prolixè enarrat.

Hanc Synodum Coloniæ habitam, neſcio quo Auctore, refert Bzouius in Annalibus anno 1225. num. 4.

CONCILIVM WESTMONASTERIENSE,

in cauſa ROMANI PONTIFICIS *duarum Præbendarum obuentiones ſuæ Curiæ aſſignari petentis celebratum in Anglia anno Domini 1226. tempore* HONORII *Papæ* III.

ACTA Synodalia Matthæus Paris ſummatim ita narrat: ANNO DOMINI M.CC.XXVI.

Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vocatis ad Conciliū cunctis apud Weſtmonaſterium, poſt Paſcha, quos negotium tangebat, recitari fecit literas ſupradictas, de Beneficiis Romanæ Eccleſiæ conferendis coram Rege & Prælatis Angliæ, qui ad eius vocationem plenè conuenerant. Sed illis auditis, ac diligenter intellectis, ſinguli ſingulos ad viſum monebant.

Tunc Rex, conuocatis ſeorſum Prælatis & quibuſdam Magnatibus, hoc Archiepiſcopo dedit reſponſum: Iſta quæ ſuadet nobis Dominus Papa, vniuerſam Chriſtianitatis latitudinem reſpiciunt: & quia nos quaſi in extremis orbis conſtituti ſumus partibus, cùm viderimus qualiter cetera Regna erga tales

tales ſe habuerint exactiones, Dominus Papa, cùm ab aliis Regnis habuerimus exemplum, in obſequiis nos inueniet promptiores. Et his dictis, conceſſa eſt omnibus licentia recedendi.

CONCILIVM ROMANVM

pro EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM SVSCIPIENDA, *indictum anno* 1234. *ſub* GREGORIO IX. *Papa.*

ANNO DOMINI M.CC.XXXIV. BZOVIVS auctoritate Epiſtolarum ab Innocentio III. ſcriptarũ, Acta huius Concilij ſummatim enarrat his verbis:

Eodem anno Gregorius Pontifex, recuperationi Terræ ſanctæ intentus, Conciliũ Romæ celebrauit. Intererant cum Imperatore Friderico & Archiepiſcopis atq; Epiſcopis, Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Ieroſolymitanus. Ex omnium iudicio decreta eſt expeditio generalis, ad ſubueniendum rebus Syriacis. Huic ſacro negotio præpoſitus fuit Theodoricus Archiepiſcopus Rauennas, cum poteſtate Legati de latere: quem vt omnes debito honore proſequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex ſententia Concilij Gregorius omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Ieroſolymitano ſcripſit, Spoleti 6. Auguſti. Fridericus autem Imperator vniuerſis Baronibus, militibus, & populo præcepit, datis Reate literis anno Dominicæ Incarnationis 1234. menſe Auguſt. Indict. 7. Conceſſit tunc Gregorius Theodorico & ſubiunctis illi Epiſcopis, vt omnis pœnæ peccatis debitæ remiſſionem iis auctoritate Pontificia indulgerent, qui in Ieroſolymitanam expeditionem aut ipſi exirent, aut pecuniam militéſve ſubmitterent. Iniunxitque Epiſcopis, vt Cruce inſignire eos poſſent, qui in eo ſacro bello militaturi accederent. Ad hæc renouauit execrationem Concilij Lateranenſis, in eos qui ad Saracenos ferrum efferrent, datis literis Theodorico Archiepiſcopo, 6. Idus Nouembris, Peruſij, quò ſe Gregorius contulerat, vt exules compeſceret.

CONCIL. LONDINENSE,

auctoritate OTTONIS *Legati Sedis Apoſtolicæ pro* REFORMANDA ECCLESIA ANGLICANA *celebratum anno Domini* 1237. *tempore* GREGORII *Papæ* IX.

MATTHAEVS Paris deſcripturus cauſam, occaſionem, & Acta indicti Concilij, antequam Conſtitutiones Synodicas recenſeat, ſummatim iſta refert: M.CC.XXXVII. Cùm igitur conueniſſent Londiniis Prælati Angliæ in Eccleſia S. Pauli, die prima Concilio aſſignata, ſcilicet in craſtino Octauarum S. Martini, non comparuit Legatus, quia Epiſcopi rogauerant eum vt ea die daretur eis copia inſpiciendi quę propoſuit ſtatuere, & ſecum ſuper his deliberare, ne aliquid in præiudicium eorum ſtatuere attentaret. Altera igitur die, conſtitutis in ſecretis & abditis locis militibus armatis & ſeruientibus circiter ducentis, quos ei ad inſtantiam precum ſuarum dominus Rex commendauerat: timebat enim valdè ſibi, eò quòd dicebatur, cum nimis velle deſæuire in eos qui plura habebant Beneficia, & præcipuè in illegitimos. Apparuit autem ſummo manè, ſcilicet diluculo, in Eccleſia prædicta. Erat autem ibi tot expectãtium multitudo tam compreſſa, quòd ipſi Legato erat ingreſſus difficillimus. Et ingreſſus Eccleſiam, coram maiori Eccleſia Põtificalibus ſe induit, ſcilicet ſupercilicio, & deſuper Cappa Chorali, pellibus variis furrata, & mitra: & præcedentibus Archiepiſcopis Cantuarienſi & Eboracenſi eum, cum proceſſione ſolemni, cum Cruce & cereis accenſis, & cum Litania, ſedẽ ſuam aſcẽdit per gradus pompoſè, vt dictum eſt, præparatã, & iam pompoſiùs tapetis & palliis redimitam: collocante ſe à dextris domino Cantuarienſi, & Eboracenſi

Digitized by Google

racenſi à ſiniſtris: propter quod orta eſt inter eos diſſentio, ſcilicet, de ordinatione ſeſſionis. Et appellatum eſt ex parte Eboracenſis pro iure ſuo, quod ſibi vẽdicabat. Lecto igitur ſolemniter Euangelio, ſcilicet, *Ego ſum paſtor bonus*, ſicut moris eſt, dictiſque Collectis propriis ab ipſo Legato, & cantato *Veni creator Spiritus*, appellatoque ab Eboracenſi, vt dictum eſt, ſederunt iuxta Legatum duo Archiepiſcopi, Cantuarienſis à dextris, Eboracenſis à ſiniſtris. Quibus dixit Legatus, volens ipſam controuerſiam pacificare, neutrius tamen iuri derogando: In Bulla Domini Papæ ſtat imago Pauli à dextris Crucis in medio bullæ figurata, & Petri à ſiniſtris: nulla tamen inter tantos Sanctos eſt orta vmquam contentio, ambo enim ſunt in coæquali gloria. Veruntamen propter Petri clauigeri dignitatem, & Apoſtolatus Principatum, nec non & cathedralem dignitatem, cum prioratu vocationis, meritò à dextris Crucis eius imago collocanda videtur: ſed quia Paulus credidit in Chriſtum quem nõ vidit, à dextris figuratur: *Beati* enim *qui non viderunt*, &c. Sic dominus Cantuarienſis totius Angliæ Primas, & qui præeſt antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ Eccleſiæ Cantuarienſi, necnon & Londinenſi, qui eſt ſancti Pauli, non ſine ratione à dextris eſt collocandus. Et ex tunc ſequentibus diebus ſedit Cantuarienſis à dextris, Eboracenſis à ſiniſtris. Secundo autem die, Concilio iam incepto, miſſi ſunt ex parte domini Regis, Comes Lincolnienſis Ioannes, & Ioannes filius Galfridi, & Willelmus de Ræle, Canonicus S. Pauli, vt dicto Legato ex parte Regis & Regni inhiberent, ne ibi contra Regiam coronam & dignitatem aliquid ſtatuere attentaret. Et remãſit ibi, vt hoc obſeruaretur, Willelmus de Ræle indutus Cappa Canonicali & ſuperpellicio, aliis recedentibus. Eodem quoq; die petiit D. Simon Cantuarienſis Archidiaconus dominum Legatum in audientia omnium, vt audiretur ab omnibus authenticum ſuæ Legationis, à Domino Papa ſibi commiſſum: quod & factum eſt. Et eodem die, ad impetrationem domini Regis, lectum fuit quoddam priuilegium, de feſtiuitatibus ſancti Eduardi per totam Angliam celebrandis, & de mandato Domini Papæ, & de ſanctis Franciſco & Dominico canonizatis. Et quia audierat dominus Legatus, dum adhuc in hoſpitio ſuo eſſet, multos pluribus Eccleſiis Beneficiatos, nobiles ſanguine & poſſeſſionibus, & illegitimos, de quibus mentionem in quodam Statuto Concilij fecerat, contra ipſum murmuraſſe, & ei etiam inſidias præparaſſe, quoſdam Magnates, ſcilicet Comitem Mareſcallum G. & Comitem Lincolniæ I. & Comitem de Monteforti S. & quoſdam de familia domini Regis, cum gladiis & fuſtibus munitos, ad tuitionem ſui ſuorumq; ſecum ad Concilium duxit & reduxit. In Concilio verò, cùm ſtatutum contra eos qui plura Beneficia obtinuerunt, contra Concilium Lateranenſe pronuntiaretur, Epiſcopus Wigornienſis, Walterus ſcilicet de Cantelupo, ſurgens in medio, depoſita mitra ſua, ſic dominum Legatum eſt affatus: Pater ſancte, cùm multi nobiles, quorum ſanguis noſter eſt, plura obtineant Beneficia, cum quibus nondum diſpenſatum eſt, quorum etiam aliqui prouectæ ſunt ætatis, & vſque ad præſens honorificè vixerũt, & hoſpitalitatem ad poſſe procurando, eleëmoſynas patentibus ianuis erogarunt, durum eſſet nimis, tales ſuis Beneficiis ſpoliatos, in ignominioſam trudi paupertatem. Quidam verò iuuenes feroces ac ſtrenui maximis periculis ſe opponerent, antequam ſuis ſe ſinerent priuari Beneficiis, vnico tantùm retento. Quod benè perpẽdo per memetipſum. Antequam enim ad iſtam vocarer dignitatem, propoſui in animo meo, quòd ſi vnicum amitterem Beneficium talis prætextu Conſtitutionis, omnia amitterem. Vnde timendum eſt,

eſt, quòd multi ad præſens in ſimili propoſito perſeuerent. Quoniam igitur multitudo talium in cauſa eſt, ſanctæ Paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus ob ſalutem veſtram & noſtrã, ſuper huiuſmodi Statuto Dominum Papam conſulatis. Prætereà, cùm Statutum veſtrum in Religione S. Benedicti ad omnes æqualiter ſe extendat, & durum ſit multis tum propter locorum penuriam, & præcipuè Monialibus, cùm ſint debiles & fragiles, hoc Statutum obſeruare; neceſſe eſt, huic rigori diſcretum addere temperamentum; ſuper quo etiam poſtulamus, vt Dominum Papam ſuper his velitis cõſultare. Cui D. Legatus reſpondit, quòd ſi omnes Prælati, ſcilicet iſti præſentes Archiepiſcopi & Epiſcopi, vnà cum eo ſuper his Domino Papæ ſcriberent, libenter cõſentiret. Et ſciendum, quòd, quia aliqui opinabantur, ſicut datum fuit intelligi D. Legato, quòd Statuta ſua robur, niſi tantùm in tempore ſuæ Legationis, non obtinerent; iuſſu eiuſdem ſurrexit in medio quidam Clericus ſuus, Magiſter ſcilicet Attho, & aperto Libro authẽtico, ſcilicet Regiſtro Domini Papæ, ad maiorem auctoritatem, vt validiùs talium opinionem improbaret, quamdam Decretalem legit diſtinctè & apertè, quam D. Legatus diſtinguens approbauit, per illam aſſerens manifeſtè, quòd etiam poſt receſſum eius ſua Statuta perpetuæ firmitatis robur debeant obtinere. Nec prætereundum, quòd primo die Concilij collocatis, vt prædictum eſt, Archiepiſcopis, Cantuarienſi ſcilicet à dextris, Eboracenſi verò à ſiniſtris, perlectoque Euangelio, *Ego ſum paſtor bonus*, dictiſque Collectis ad hoc pertinentibus, Ioan. 10. indictoque ſilentio, & turba comprimente caſtigata, D. Legatus ſedendo, quaſi tubam vocem ſuam exaltans, ſermonem ſuum inchoauit, thema ſuum ſic præordinando: *In medio ſedis, & in circuitu eius quatuor animalia, plena oculis* Apoc 4. *ante & retrò.* In ſermone proſequendo innuens, quòd Prælati quaſi animalia habentia oculos antè & retrò, debent eſſe in rerum ſæcularium diſpoſitionibus prouidi, & in ſpiritualibus circumſpecti, priora ſequentibus cautè continuantes. Et poſt Sermonem legi fecit Statuta alta voce & diſtincta, quæ firmiter ſtatuit obſeruari, quæ ſubſcripta in hoc libro duximus annotari. Hæc de Concilio Londinenſi Paris.

CONCILIVM TARRACONENSE,

ob WALDENSES *hæreticos celebratum anno Domini 1242.*

BZOVIVS de hac Synodo iſta: ANNO DOMINI M.CCXLII
Circa hæc tempora, contra hæreticos Waldenſes, in Regnũ Aragoniæ irrumpentes, celebratum fuit Concilium apud Tarraconem, in quo præſcripta fuit Formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad Catholicam reuertentes, ſalutareſque eis pœnitentias iniungendi. Cui, vt maior auctoritas conciliaretur, Raymundum Penniafortium, Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiarium, à Magiſterio Generali totius Ordinis Prædicatorum, quod abdicauerat, Barcinonem reuerſum, intereſſe Epiſcopi voluerunt. Eius Actorum Concilij, aliqua pars ſe Annalibus inſerit, ex qua diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio in hæreticos ſeruata cognoſcatur.

CONCILIVM LVGDVNENSE I.

GENERALE XIII. APPROBATVM CXL. EPISCOPORVM,

cauſa FRIDERICI II. *Imperatoris, expeditioniſq́; in* TERRAM SANCTAM *ſuſcipiendæ celebratum, anno Domini* 1245. *tempore* INNOCENTII IV.

ANNO DOMINI M.CC.XLV.

HANC ſacroſanctam Synodum auctoritate legitima & ordinaria à ſolo Pontifice Innocentio indictá & congregatam eſſe, indicat epiſtola eiuſdem Papæ, qua omnes Epiſcopos, ac Reges, & Principes Chriſtiani orbis, ad Synodicam hanc congregationem conuocauit. Extat epiſtola apud Binium.

Acta huius Concilij conciſè & breuiter recitantur apud Abbatem Stadenſem in Chronico, his verbis:

Anno Domini 1245. Papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima Sedes eſt Galliarum, veniens, poſt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ ibidem Concilium celebrauit, & quintam partem ab Eccleſiis redituum requiſiuit. Imperator pro ſe inimicos miſit, inter quos erat quidam Thaddæus, Doctor Legum, qui pro eo elegantiſſimè allegauit, ita vt plurimorum audientium ſibi conquireret fauorem. Nihilominùs autem Papa Imperatorem in die Iacobi, Feria tertia, quæ tertia dies erat Concilij, excommunicauit. Papa per totam terram Teutoniæ, lugubrem literam Principibus Eccleſiaſticis deſtinauit, conquerens flebiliter, quòd à gente quadam Saracena, quam Chores nuntiorum populum appellant, Sepulchrum Domini eſſet enormiter violatum, &c.

Et paulò infrà, cùm alia quædam de Saracenis, & prodigioſis orbium cæleſtium aſpectibus receſuiſſet, ſubiungit: Papa in iam dicto Concilio, ſcilicet in die Iacobi, contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine, auctoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgauit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cetero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam Principes cum multis aliis reclamabant, dicentes, Ad Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere; ſed electū à Principibus coronare. Intereà Papa ſibi citari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperij ſumeret & laborem, promittens ei, quicumque Imperium aſſumeret, conſilium & auxilium pariter & fauorem. Tandem Henricus Lantgrauius, cognomento Raſpe, multis euictus precibus, Imperium accepit. Hæc Albertus Stadenſis.

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Fridericus Imperator ſecundus, ait, in Concilio Lugdunenſi à Papa Innocentio citatus, & non comparens, à Cæſarea Maieſtate deponitur, & omni dignitate priuatur, vacauitque deinceps (vt quidam volunt) Romanum Imperium per annos viginti octo, vſque ad Rodulphum de Habsburg: quamuis tres intereà ſucceſſiuè per Principes fuerint electi, plures autem in diſſenſione, Principibus non concordantibus.

Et primò quidem poſt depoſitionem Fri-

Friderici, Papa mandauit Principibus, vt Imperatorem quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericũ ſequentes, mandatum Papæ non curauerunt: ceteri autem in vnum conuenientes, Henricum Prouincialem Comitem Haſſiæ in Regem contra Fridericum eligentes, partes eius quantum potuerunt, defendebant. Electus autem Henricus bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis iuxta Francofordiam, & victor euadens, Conradum ſuperauit.

Annis igitur quinque nomen gerens Regium, nihil memoria dignum patrauit, ſed obiit, Imperij coronam minimè conſecutus. Quamdiu enim vixit Imperator Fridericus per annos fermè ſex, præualere contra eum nec Papa, nec aliquis Principum potuit: ſed non aduertens ſententiam Papæ, quam iniuſtam & friuolam dicebat, ſe Imperatorem geſſit, magnamq́ue Principum, nobilium, & ciuitatum adhęrentiam habuit vſque ad mortem. Intrauit poſt depoſitionem ſui Italiam, & tantis malis Papam ſubiectoſque illi populos afflixit, vt Pontificem viuere tæderet, voluiſſetque numquam depoſitionem illius cogitauiſſe. Maxima enim partialitas populorum in Italia ſubſecuta eſt, quæ vſque in præſentem fermè diem, per annos ducentos & ſexaginta, non ſine multorum effuſione ſanguinis, durauit. Enimuerò, qui Romani Pontificis ſequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelfforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni ſtudio, omniq́ue virtute perſequi & delere penitùs ſatagebant. nec minore ſtudio Guelffos Gibellini proſequebantur. Ita Trithemius præcedẽti loco.

CONCIL. VIENNENSE

auctoritate GVIDONIS *Legati Sedis Apoſtolicæ cauſa* REFORMANDAE ECCLESIAE *celebratum anno Domini* 1267. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* IV.

HVIC Viennenſi Concilio Henricus Stero in ſuis Annalibus, apud Henrici Caniſij primum Antiquitatum Tomum extantibus, luculentiſſimum teſtimonium præbet his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini 1267. Dominus Guido Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus 6. Idus Maij apud Viennam Concilium celebrauit, cui interfuerunt Ioannes Pragenſis, Petrus Patauienſis, Bruno Brixinenſis, Chunradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Annultricus Lauendinenſis Epiſcopi, & alij quamplures de ipſis Diæceſibus, Prelati, Archidiaconi, & Decani.* Hæc Stero in ſuis Annalibus. Vide Binium hîc. M. CC. LXVII.

CONC. LVGDVNENSE II.

GENERALE XIV. APPROBATVM EPISCOPORVM PLVSQVAM SEPTINGENTORVM

contra Græcorum errores, & pro recuperatione TERRAE SANCTAE, *aliiſq; de cauſis celebratum anno Domini* 1274. *ſub* GREGORIO X. & RODVLPHO *Imperatore.*

ANNO DOMINI M. CC. LXXIV.

DE hoc Concilio ſic Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: *Concilium Generale Lugduni celebrauit* (Gregorius X.) *anno Pontificatus ſui ſecundo, in quo multi Cardinales, Archiepiſcopi, Abbates, aliiq́ue diuerſi generis Prælati comparuerunt, multa ad electionẽ Summi Pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad vnionem Græcæ Latinæq; Eccleſiæ, & ad pacem Chriſtianorum pertinentia maturè ſtatuentes. Ibi comparuit Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus cum magno comi-*

comitatu, qui tertia decima vice in ſententiam Romanæ Eccleſiæ, Græcos ſuos toties deficientes, Concilio neceſſario pertraxit. Sic Trithemius.

Item, eidem Concilio interfuerunt ſolemnes Nuntij ſeu Procuratores Gręcorum, qui coram toto Concilio, Symbolum Nicæni & Conſtantinopolitani Conciliorum, *Credo in vnum Deum*, cecinerunt: quòd à ſuo veteri errore, quo dicebant, Spiritum ſanctum ſolo à Patre, & non à Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent, & velle credere, quòd ſancta Mater Romana & Orthodoxa Eccleſia credit & prędicat, ſcilicet, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æterna ſpiratione procedit. Sicut patet per Decretalem, quæ ſuper hoc eſt in eodem Concilio promulgata, cuius tenor talis eſt:

Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicauit & docuit ſacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium & Magiſtra: hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios ſunt prolapſi, nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, ſiue etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tamquã ex duobus principiis, non tamquam vno, procedat. Sed ipſi Græci ab hac fide & promiſſione ſubitò receſſerunt, propter quod Dominus Papa Martinus in Vrbe veteri eos excommunicatos nuntiauit.

Præterea, quia in partibus Alemaniæ, & forſitan in aliis etiam, iniqua conſuetudo inoleuerat, de impignorationibus, in quibus vnus pro alio, ſiue innocens pro nocente indebitè prægrauatur, contra impignorantes huiuſmodi, idem Papa Gregorius in eodem Concilio edidit Decretalem, cuius tenor eſt talis:

Etſi impignorationes, quas vulgaris elocutio Repræſalias nominat, in quibus alius pro alio prægrauatur, tãquam graues Legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili ſunt Conſtitutione prohibitæ; vt tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tantò ampliùs timeatur, quantò ſpecialiùs in illis inhibetur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cuiuſuis conſuetudinis, quam potiùs reputamus abuſum, fore conceſſas: ad illas extendi præſenti Decreto diſtrictiùs inhibemus. Illi autem, qui contrà fecerint, aduerſus perſonas eaſdem impignorationes ſeu repræſalias concedendo, vel extendendo ad eas, nec præſumptionem huiuſmodi reuocauerint à conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonę ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Si verò vniuerſitas, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto.

Item, pro ſubſidio Terræ ſanctæ, impoſita fuit in eodem Concilio omnibus Eccleſiis & Monaſteriis, non tamen Xenodochiis nec Orphanotrophiis, ſolutio decimarum omniũ prouentuum Eccleſiaſticorum, per ſex annos continuos idem Concilium ſubſequentes. Quæ decima, quamuis ſtudioſè exacta fuerit, & recepta, non tamen eſt euidens, quæ vtilitas Terræ ſanctæ exinde fuerit procurata.

In hoc Concilio S. Bonauentura Cardinalis iam anteà factus, iuſſu Summi Pontificis interfuit, cuius opera & ſtudio vnio Eccleſiæ Græcæ cum Latina facta eſt.

CONC.

Digitized by Google

CONC. SALISBVRGENSE *pro recipiendis* LVGDVNENSIS SYNODI *Conſtitutionibus, aliiſque de cauſis congregatum anno Domini 1274. tempore* GREGORII *Papæ* X.

ANNO DOMINI M. CC. LXXIV.

AD honorem & gloriã ſponſæ Chriſti, & fidei Chriſtianæ. Nos Dei gratia, Fridericus, ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & ceteri aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, in Prouinciali hoc ſancto Concilio congregati, de conſilio Ven. Prælatorum Saltzburgẽſis Prouinciç, &c. Definiendo præcipimus, vt Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Eccleſiarum Prælati, Statuta ſacra Generalis Concilij celebrati proximè in Lugduno, in Eccleſiis, & ſubditis ſuis Clericis & laicis, ſecundùm quod eadem Statuta iſtis & illis conueniunt, & quantum eos tangunt, ſic ſollicitè & frequenter ſtudeant publicare, vt ipſorum Prouincialium & ſubditorum memoriæ & obſeruantiæ imprimantur.

Item ordinatum eſt, vt Statuta ſequentia ſeruentur:

Vt Abbates S. Benedicti illius Prouinciæ, Prouinciale Capitulum ſuum, infra feſtum Reſurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam à ſacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in ſe ipſis quàm in ſuis ſubditis, tractent & ordinent diligenter.

Vt Abbates prædicti Monachos fugitiuos in ſæculo diuagantes reuocari procurent. Et quòd in ſingulis Monaſteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, ſeu aliàs delinquentes enormiter Monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

Non eſt licitum Abbatibus, Monachos ad Ordinem ſtrictiorẽ transeuntes abſoluere ab obediẽtia, quæ Monachorũ oſſibus inſeparabiliter eſt affixa.

Vt pro leuibus offenſis ad alia Monaſteria Abbates non mittant: cùm delictum potiùs illic puniri & mori debeat, vbi committitur & patratur.

Vt Abbates non vſurpent ſibi Pontificum poteſtates.

Idem ſeruetur à Canonicis Regularibus.

Reuocantur licentiç Fratribus diuerſæ Religionis factæ, in Confeſſionibus audiendis, & Indulgentiis largiendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale miniſterium pertinent.

Circa Indulgentias ab aliis prædeceſſoribus conceſſas, volumus eas manere in ſuſpenſo, & ne quis eis vtatur, ſub anathemate prohibemus, donec Epiſcopus loci plenè diſcutiat, quas in quibus locis ratas habere conueniat, aut quas magis expediat reuocari.

Clerici plura Beneficia non poſſideãt.

Clerici curam animarum habentes, in Parochiis reſideant.

Clerici comam non nutriant.

Clericus veſtes non deferat niſi clauſas, quas omnimodò prohibemus à latere aperiri.

Clerici tabernas non intrent.

Clericus excommunicatus, ſacra profanans, carceri mancipetur.

Prælati neminem tondeant aut benedicant, niſi approbatam profiteantur Regulam.

Clericis vagis nullus aliquid beneficij vel iuuaminis erogare præſumat.

Sententias cenſurarum, quas vnus iuſtè protulerit, ceteri quoq; publicent.

Religioſus extra Ordinem ſuum Confeſſorem non eligat, niſi de Prælati ſui licentia.

Contra recipientes Prælaturam aut Eccleſias de manu laicorum.

CONC. TARRACONENSE *pro Canonizatione* RAYMVNDI PENNAFORTII *celebratum anno* 1279. *ſub* NICOLAO *Papa* III.

DE hac Synodo Bzouius ex Surita iſta refert: M. CC. LXXIX.

Tarracone in Aragonia ad

 7. Idus

Digitized by Google

7. Idus Decembris Bernardus Tarraconenſis Archiepiſcopus, Arnaldus Barcinonenſis, &c. item Abbates, & alij Prælati Concilium celebrarunt. Ex eius decreto literis enixè Nicolaum Pontificem interpellarunt, vt Raymundi Pennafortij viri ſanctiſſimi memoria, ſua certa deſtinataque ſententia religione omnium conſecraretur, aræque ei inter Diuos ritu ſolemni ſtatuerentur, vtpote cuius viri ſanctitas inſigni tunc ſplendore apud omnes præfulgeret. Nihil vnus in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quòd Rex Petrus à Procyda ſeductus, turbas Italiæ molíretur, neque cenſum Romanæ Eccleſiæ pendere voluit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE

in cauſa ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, *tempore* FRIDERICI *Archiepiſcopi habitum anno Domini* 1281. *ſub* MARTINO *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M.CC. LXXXI. IN hoc Concilio ſtatuta ſunt plura ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia: vt De alienationibus Eccleſiarum, De diſpenſatione & Prælatorum ratione facienda: De ieiunio Religioſorum: De Monachis & Regularibus proprietariis: De habitu Religioſorum: De diſcurſu Religioſorum: De Capitulis Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum: De immoderatis ſumptibus Viſitatorum: De Monialibus in clauſtris communem vitam non ducentibus: De pluribus Beneficiis curam animarum habentibus: De reſidentia Plebanorum: De aduocatis Eccleſiarum: De his qui violentas manus mittunt in Clericos: De his qui loca ſacra execrauerint violenta ſanguinis effuſione: Contra Patronos & Iudices qui bona decedentium Clericorum inuadunt: De falſariis Clericis & laicis: De his qui à laicis inſtituuntur.

CONCIL. RAVENNATE

cauſa REFORMANDAE ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE *celebratum anno Domini* 1286. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

CONSTITVTIONES CONCILII RAVENNATIS.

NE Clerici ioculatores vel hiſtriones à laicis tranſmiſſos recipiant. M.CC. LXXXVI.

De pauperibus alendis & veſtiẽdis.

De honeſtate & habitu Clericorum.

De promotione habentium Parochiales Eccleſias.

De quotidianis diſtributionibus.

De teſtamento vſurariorum.

De decimis.

De criminibus & delictis ſpecialiter Epiſcopis reſeruandis.

De immunitate Eccleſiarum.

CONC. HERBIPOLENSE,

ſub Præſidio N. Legati Sedis APOSTOLICAE, *in præſentia* RODVLPHI *Imperatoris multorumque Principum celebratum anno Domini* 1287. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

EODEM anno, Chronicon Hirſaugienſe ait, Martinus Papa IV. Legatum de latere miſit in Alemaniam Epiſcopum Tuſculanum: qui veniens ad Herbipolim, in præſentia Rodulphi Regis Romanorum, & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, atq; nobilium, Concilium celebrauit: vbi inter alia Legatus ipſe nomine Papæ, contributionem decimi denarij à Clero, & Rex ab vniuerſo populo Imperij inſtantiſſimè exigere cœperunt; multis Principibus in eorum ſententiam conſentientibus. Siphridus autem Archiepiſcopus Colonienſis, & Henricus Archiepiſcopus Treuirorum, contra inſolitam ac nimis grauem exactionem ſe fortiter opponentes, negotium penitùs reuocarunt. Hæc Trithemius in prædicto Chronico. M.CC. LXXXVII.

CONC.

Digitized by Google

CONCILIVM MEDIOLANENSE,

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE RESTITVENDAE, *habitum anno* 1288. *ſub* NICOLAO IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXVIII. CONSTITVTIONES Synodales hoc Concilio promulgatas, ſummatim recenſet Bzouius in Annalibus his verbis:

Mediolani porrò eodem anno, auctoritate Summi Pontificis, Otto Archiepiſcopus indicta conuocataq; Synodo Prouinciali, in Eccleſia ſanctæ Theclæ, præſentibus quamplurimis Epiſcopis, Abbatibus, & reliquis ex Clero, ad 12. diem Septembris multa ſaluberrima conſtituit.

In primis, Conſtitutiones Summorum Pontificum, & Friderici olim Imperatoris, contra hæreticos latas, inuiolabiliter obſeruari, & ex earum præſcripto, contra fidei Catholicæ præuaricatores procedi mandauit.

II. Abbates, Monachos, & reliquos omnes Religioſos, vt ex Formula S. Benedicti & S. Auguſtini viuerent, admonuit.

III. Ne Moniales quouis prætextu ſepta Monaſteriorum, in quibus recluſæ, egrederentur, edixit.

IV. Aucupium & venationem vniuerſo Clero, lata excommunicationis ſententia, interdixit.

V. Alienandi bona quæcumque, ſiue mobilia ſiue immobilia Eccleſiaſtici Iuris fuerint, poteſtatem omnibus abſtulit, néve quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, ſub anathematis & nullitatis cenſura prohibuit.

VI. In detentores Eccleſiaſticorum bonorum grauiſſimas pœnas promulgauit.

VII. Falſi crimine obnoxios à communione Sacramentorum atque fidelium ſegregauit.

VIII. Legatorum piorum fraudatores cœtu Chriſtianorum indignos eſſe iudicauit.

IX. Poteſtatem ædificandi Eccleſias aut Oratoria penes ſolos Epiſcopos eſſe iuſſit.

X. Rerum ſacrarum ex teſtamento vel codicillis relictam adminiſtrationem penes ſolos Parochos eſſe voluit: aliaque pro Eccleſiaſtica diſciplina, ex more priſco, ſiue reuocanda ſiue obſeruanda, in eodem Concilio ſanctiſsimè ordinauit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE,

de HOSPITALARIORVM, TEMPLARIORVM, *&* TEVTONICORVM *Ordinibus coniungendis, celebratũ anno Domini* 1291. *tẽpore* NICOLAI *Papæ* IV.

QVA occaſione hęc Synodus indicta, quidque in ea geſtum fuerit, Eberhardus huius temporis Scriptor, ita habet: M. CC. XCI.

Anno 1291. ciuitas Akaron, quam ſolùm habebant Chriſtiani in Terra ſancta, obſeſſa eſt per Soldanem Babylonenſem, & per 40. dies & noctes ſine intermiſsione impugnata, capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum millia & capta ſunt & occiſa, aliqui autem per nauigium fugerunt: & quia multorum erat opinio, quòd ſi Fratres domorum ibidem, ſcilicet Hoſpitalarij, Templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, ciuitas capta nõ fuiſſet; mandauit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, vt Concilia Prouincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel conſilio eidem Terrę poſsit ſubueniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ, reſcriptum fuit Domino Papæ, & conſultum, vt prædicti tres Ordines conuerterentur ad vnum Ordinem, melioribus eorum obſeruantiis in vnum redactis: & quòd ad ſuccurſum eiuſdem Terræ ſanctæ, Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuntij antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus eſt: & ſic hoc negotium remanſit infectum.

CONCIL. LONDINENSE *de eiectione* IVDAEORVM *habitum anno Chriſti 1291. tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M.CC.XCI BERNHARDO Epiſcopo Groſſetano Sedis Apoſtolicæ Legato in Anglia nondum præſente, Londini ad Weſtmonaſterium celebratum eſt Concilium. In hoc in primis agitatum eſt de eiectione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quò ſic oues ab hœdis ſegregarentur. Itaque publico iuſſum eſt Edicto, vt infra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi iuſſis Concilij parentes, aliò diſceſſerunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiuit, miſera ſemper alicubi terrarum peritura, vſque eò dum denique deleatur.

Eodem Concilio Eduardus expoſuit, ſe cupere ire in auxilio Chriſtianis in Aſiam: & quia res ad Religionem pertinebat, voluit, vt Sacerdotes pecuniam ſuppeditarent. Poſtremò placuit Nota. Regi ſimiliter atque Principibus illud iniurium Iure iterato ſtatuere, ne cui hominum liceret dare prædia Collegiis Monachorum, néve liceret Monachis aut aliis Sacerdotibus emere poſſeſſiones. Superuenit tandem Legatus, & vnà cum Ioanne Beccano Archiepiſcopo Cantuarienſi ſibi adiuncto, Regem iniquitatis atque impietatis redarguit: Legemque abrogare, & Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque rebus ac perſonis libertatem reſtituere coëgit. Bzouius.

CONC. MEDIOLANENSE *pro auxilio* TERRAE SANCTAE *ferendo congregatum anno Domini 1291. tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

M.CC.XCII AD diem 27. menſis Nouembris huius anni, Otto Archiepiſcopus Mediolani in Eccleſia S. Theclæ Synodo Prouinciali Epiſcoporum & vniuerſi Cleri congregata, multa ad Eccleſiaſticam diſciplinam reuocandam conſtituit, ac Fratre Stephanardo Ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Chriſti fidelium, ad auxilia Terræ ſanctæ à Saracenis oppreſſæ, auctoritate Summi Pontificis Cruce ſignauit. Dedit inſuper iſtud ſalubre Summo Pontifici conſilium, vt Milites Ieroſolymitani, vnà cum Templariis & Teutonicis in vnum Ordinem cõgregarentur, iiſdem inſtitutis viuerent, & vnitis armis contra Barbaros dimicarent, præfecto copiis Cruce ſignatorum Rege Galliarum. Bernard. Coïrus Hiſtor. Mediolan. 2.

CONCILIVM ASCAFFENBVRGENSE PROVINCIALE

ſub Præſidio GERARDI *Moguntini Archiepiſcopi celebratum anno 1292. poſt obitum* NICOLAI *Papæ* IV. *tempore Interregni Pontificij.*

DE hoc Concilio ita Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: M.CC.XCII.

Anno præſcripto Gerardus Archiepiſcopus Mogũtinus Synodum Prouincialem ſuffraganeis & Prælatis ſuis in Aſcaffenburg celebrandam indixit, vbi conuenerunt Epiſcopi Eiſtetenſis, Spirenſis, Auguſtenſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, Hildeshemenſis, & Wormatienſis, cum aliis multis Abbatibus, Prępoſitis, Decanis, atque Presbyteris, qui multa & varia in negotiis Eccleſiaſticis vtilia ſtatuerunt.

CONC. LVGDVNENSE, *quo inhibetur Principibus, ne* SACERDOTIBVS VECTIGALIA IMPONANT, *anno Domini 1297. celebratum, tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

HAEC Synodus, inquit Genebrardus lib. 4. Chron. celebrata, Præſide Bonifacio Pontifice, M.CC.XCVII.

Digitized by Google

ce, qui animaduertens, quotidie Principes noua vectigalia Sacerdotibus imponere, interdum ſine cauſa; interdixit in eo Concilio, ne poſthac id facerent, néve Sacerdotes iniuſſu Romani Pontificis illa impoſita conferrent.

CONC. ROMANVM, *quo* PHILIPPVS *Rex Francorum excommunicatur, anno Domini* 1302. *tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

ANNO DOMINI M.CCC.II

ANNO à Chriſto Saluatore genito, 1302. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, graue aduerſum Pontificem Maximum Bonifacium Octauum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis ſtudioſiorem exiſtimans, tum quòd fidem temerè præuaricatam contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis antè annis, cùm alia quædam, tum de ſumma Romani Imperij poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeò Carolum fratrem diſertè fuiſſe in conuentis nominatum, cui id decus primùm aſſignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidiſſe ad nihilum, Alberto Auſtrino Teutonico Principe palàm nuper decretis eius comprobato.

Eas Rex cauſas grauiùs ſecum conſiderans, rationem iratum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacij irritandi inuenta. Columna gens Romæ opibus & clientelis inſignis, Octauo, id eſt Bonifacio, inter Comitiorum arcana, ſuffragij iure ne legeretur, obſtiterat. Itaque eis quoq; Bonifacius, per ſpeciem expilati theſauri Eccleſiæ, effecerat, vt & ædes & ſuburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales iam eſſent, venerando Collegio excederent. Intereà Stephanus ex ea gente, profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo viſus eſt, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliuſque quàm fortuna exulantium eſt. Ad hoc Philippus, ne quid potentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus anteà pro decretis, proque more ſanctæ Matris Eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum Præſidis Romani ſtatuit.

Quæ vbi Summus Antiſtes intelligit, grauiſſimè tulit iniuriam peſſimi exempli, id quod erat exiſtimans, ſi vel Anteceſſorum rectè conſtituta temerè reſcinderentur, vel auctoritatem Pontificiam laicus Princeps profanaſſet. Itaque quò partes ſuæ iuſtiores vulgo noſcerentur, lege potiùs agere quàm armis inſtituit. Prælatos Gallicos maiores conuenire Romam vniuerſos iubet, ad publicam Synodum celebrandam. Hi ne Regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octauum Bonifacium delatis, increpatur Rex primùm per literas: deinde, cùm caſtigationem contumaciæ paruipenderet, ſacrorum participatione arcetur. Neque eo minùs Prælatis Regni ſui ipſe Lutetiam accerſitis, cauſam quoque ſuam approbare nititur. Hæc de Philippi excommunicatione Vecerius in Vita Henrici VII. Imperatoris.

CONCILIVM SALSBVRGENSE I. *cauſa* DECIMARVM *Sedi Apoſtolicæ ſoluendarum habitum anno* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO Domini 1310. conuocato Prouinciali Concilio Saltſburgenſi, & propoſita ibidem petitione Domini Clementis Papæ Quinti, concordauerunt omnes, quòd ſumma Decimæ duorum annorum, ſi qua fuerit vel eſſe potuerit perſoluenda, ſolui debeat Summo Pontifici in terminis infraſcriptis: ita dumtaxat, quòd primus terminus ſolutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in iſto proximo feſto S. Georgij, ſit in proximo futuro feſto B. Martini; & ſecundus terminus ſolutionis faciendæ eiuſdẽ anni, ſit in proximo ſubſequenti feſto S. Georgij. M.CCC.X.

Digitized by Google

gij. Et primus terminus ſecundi anni, ſit in alio ſubſequenti feſto S. Martini: ſecundus verò terminus & vltimus ſit poſt hoc, in ſubſequenti feſto S. Georgij. Et quòd decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis & redditibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis. Hæc de eis, quæ Beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Et quòd Eccleſiæ, quarum redditus pro maiori vel pro media parte in obligationibus, Legatis, & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus legatiæ, ſeu teſtam. decimam ſoluere teneantur.

Item Capitula, Collegia, ſeu Conuentus in communi de ſuis redditibus decimabunt, &c.

Hoſpitalis verò, & Domus leproſorum, cum annexis ſibi Eccleſiis ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt, &c.

CONCILIVM SALSBVRGENSE II.

quo STATVTA *quædam* POENALIA *declarantur, anno Domini* 1310. *celebratum tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M.CCC.X. DECLARATIONES Statutorum in Concilio Prouinciali Domini Chunradi Archiepiſcopi Salisburgenſis anno Domini 1310.

Primò Statutum de Clericis tabernariis, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quòd cauſæ rationabiles & honeſtæ intelligi debeant, ſi quis ad tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum, &c. vel ſi impræmeditatè intret, oblitus Conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel vtili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit vel comederit, pœna Statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.

Item Statutum de rationibus faciendis taliter mitigamus, quòd reuocata pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, reliqua in robore permaneant.

CONC. MOGVNTINVM,

quo ſub Præſidio PETRI *Moguntini Archiepiſcopi, iuſſu Pontificis tractata eſt cauſa* TEMPLARIORVM, *anno Domini* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO 1310. ante Viennenſe Concilium, in quo Clementinas edidit Clemens V. Concilium habuit, ſecunda, tertia & quarta Feriis poſt Dominicam Iubilate, idem D. Petrus Prouinciale, in quo Statutorum Prouincialium, ex antiquioribus Synodis compendium collegit, cuius vix paucula ſuperſunt: & Romani Pontificis iuſſu tractata eſt Templariorum cauſa. M.CCC.X.

Comparuit autem in Synodo Hugo Comes Silueſtris & Rheni, qui morabatur in Brumbach cum XX. Fratribus, ſub habitu Ordinis propè armatis. Hi omnes, non quidem vocati, ſed vltrò & ſubitò in conſeſſum Patrũ irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiſcopus viros conſiderans, ac violentiam timens, placidè iubet, Commendator vt ſedeat, & ſi quid habeat in medium afferendum, vt depromat. Qui clara & libera voce exorſus, ſe ſuoſque Fratres inquit intellexiſſe, hanc Synodum, ſui Ordinis delendi gratia potiſſimùm congregatam ex commiſſione Romani Pontificis. Enormia enim ſcelera illa, & pluſquam Ethnica flagitia illis obiici, quæ in priuato deſignarent, quod ipſis ſanè eſſet grauiſſimum & intolerabile: maximè quòd non ordinariè auditi nec conuicti condemnarentur. Quare coram iſta Patrum congregatione ſe appellare & prouocare ad futurum Pontificem, eiuſque vniuerſum Clerum: publicè quoque proteſtare eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi eſſent & combuſti, conſtanter pernegaſſe, ſe quidquam eorum deſignaſſe, atq; in ea confeſſione tormenta & mortem perpeſſos: imò Dei Opt. Max. ſingulari iudicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quòd albæ chlamydes ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt abſumi.

Digitized by Google

mi. Archiepiſcopus his auditis, ne tumultus ſuboriretur, proteſtationem eorũ admiſit, ſeq; cum Romano Pontifice acturũ reſpondit, vt quieti eſſe poſſint, atque ita ad propria ſunt dimiſſi. Poſteà verò Petrus aliam commiſſionem obtinuit, iuxta quam procedens, prędictos cenſuit abſoluendos, actum anno 1311. Kalendis Iulij, vt Nauclerus ex quodam Iacobo Moguntino tradit. Habuiſſe autem Archiepiſcopum Moguntiæ Concilium Prouinciale anno 1313. refertur M.S. ſed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur vnum & idem. Hæc Serarius lib. 5. in Hiſtoria Petri Archiepiſcopi.

CONC. VIENNENSE GENERALE XV.

TRECENTORVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM,

quo BONIFACIVS *Papa* VIII. *à calumniis* PHILIPPI *Regis Francorum abſoluitur:* TEMPLARII *extirpantur: hæreſes* PETRI IOANNIS, FRATICELLORVM & DVLCINISTARVM, BEGARDORVM & BEGVINARVM *condemnantur, expeditioq; pro recuperanda* TERRA SANCTA *ſuſcipienda decernitur, plurimaq; Conſtitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in Corpore Iuris Canonici) pro* REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *promulgantur, anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V. & HENRICI VII. *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.CCC.XI. IN Ieroſolymitana vrbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cùm iuxta templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus & officium fuit, tueri fines ac vias Ieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis, vt aduenæ & peregrini ad ſancta illa loca inuiſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce Militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitę diſcrimen adierunt. Verùm deinde à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, Eccleſiis decimas & primitias ſubtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſinorum etiam Legatum à Templariis contra Ius Gentium fuiſſe occiſum, ſcribit Wilielmus Tyrenſis. Prætereà ad Clementem Quintum Summum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Põtifex, an hæc vera eſſent, diligenter inueſtigauit, & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent, præcepit; ac tum Magiſtrum Ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia eſſe prolapſos. Cumque Templariorum Religio eſſet toto iam ferè Chriſtiano orbe profeminata atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium Generale cenſuit conuocandum. Per idem tempus peruerſi quidam homines hęreſes diſſeminabant, vt Petrus Ioannis, qui animam rationalem formam eſſe humani corporis negabat, gratias & virtutes in Baptiſmo

gij. Et primus terminus ſecundi anni, fit in alio ſubſequenti feſto S. Martini: ſecundus verò terminus & vltimus fit poſt hoc, in ſubſequenti feſto S. Georgij. Et quòd decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis & redditibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis. Hæc de eis, quæ Beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Et quòd Eccleſiæ, quarum redditus pro maiori vel pro media parte in obligationibus, Legatis, & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus legatiæ, ſeu teſtam. decimam ſoluere teneantur.

Item Capitula, Collegia, ſeu Conuentus in communi de ſuis redditibus decimabunt, &c.

Hoſpitalis verò, & Domus leproſorum, cum annexis ſibi Eccleſiis ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt, &c.

CONCILIVM SALSBVRGENSE II.

quo STATVTA *quædam* POENALIA *declarantur, anno Domini* 1310. *celebratum tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M. CCC. X. DECLARATIONES Statutorum in Concilio Prouinciali Domini Chunradi Archiepiſcopi Salisburgenſis anno Domini 1310.

Primò Statutum de Clericis tabernariis, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quòd cauſæ rationabiles & honeſtæ intelligi debeant, ſi quis ad tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum, &c. vel ſi impræmeditatè intret, oblitus Conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel vtili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit vel comederit, pœna Statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.

Item Statutum de rationibus faciendis taliter mitigamus, quòd reuocata pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, reliqua in robore permaneant.

CONC. MOGVNTINVM,

quo ſub Præſidio PETRI *Moguntini Archiepiſcopi, iuſſu Pontificis tractata eſt cauſa* TEMPLARIORVM, *anno Domini* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO 1310. ante Viennenſe Concilium, in quo Clementinas edidit Clemens V. Concilium habuit, ſecunda, tertia & quarta Feriis poſt Dominicam Iubilate, idem D. Petrus Prouinciale, in quo Statutorum Prouincialium, ex antiquioribus Synodis compendium collegit, cuius vix paucula ſuperſunt: & Romani Pontificis iuſſu tractata eſt Templariorum cauſa. M. CCC. X.

Comparuit autem in Synodo Hugo Comes Silueſtris & Rheni, qui morabatur in Brumbach cum XX. Fratribus, ſub habitu Ordinis propè armatis. Hi omnes, non quidem vocati, ſed vltrò & ſubitò in conſeſſum Patrũ irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiſcopus viros conſiderans, ac violentiam timens, placidè iubet, Commendator vt ſedeat, & ſi quid habeat in medium afferendum, vt depromat. Qui clara & libera voce exorſus, ſe ſuoſque Fratres inquit intellexiſſe, hanc Synodum, ſui Ordinis delendi gratia potiſſimùm congregatam ex commiſſione Romani Pontificis. Enormia enim ſcelera illa, & pluſquam Ethnica flagitia illis obiici, quæ in priuato deſignarent, quod ipſis ſanè eſſet grauiſſimum & intolerabile: maximè quòd non ordinariè auditi nec conuicti condemnarentur. Quare coram iſta Patrum congregatione ſe appellare & prouocare ad futurum Pontificem, eiuſque vniuerſum Clerum: publicè quoque proteſtare eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi eſſent & combuſti, conſtanter pernegaſſe, ſe quidquam eorum deſignaſſe, atq; in ea confeſſione tormenta & mortem perpeſſos: imò Dei Opt. Max. ſingulari iudicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quòd albæ chlamydes ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt abſumi.

mi. Archiepiſcopus his auditis, ne tumultus ſuboriretur, proteſtationem eorũ admiſit, ſeq; cum Romano Pontifice acturũ reſpondit, vt quieti eſſe poſſint, atque ita ad propria ſunt dimiſſi. Poſteà verò Petrus aliam commiſſionem obtinuit, iuxta quam procedens, prędictos cenſuit abſoluendos, actum anno 1311. Kalendis Iulij, vt Nauclerus ex quodam Iacobo Moguntino tradit. Habuiſſe autem Archiepiſcopum Moguntiæ Concilium Prouinciale anno 1313. refertur M.S. ſed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur vnum & idem. Hæc Serarius lib.5. in Hiſtoria Petri Archiepiſcopi.

CONC. VIENNENSE GENERALE XV.

TRECENTORVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM,

quo BONIFACIVS *Papa* VIII. *à calumniis* PHILIPPI *Regis Francorum abſoluitur:* TEMPLARII *extirpantur: hæreſes* PETRI IOANNIS, FRATICELLORVM & DVLCINISTARVM, BEGARDORVM & BEGVINARVM *condemnantur, expeditioq; pro recuperanda* TERRA SANCTA *ſuſcipienda decernitur, plurimaq; Conſtitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in Corpore Iuris Canonici) pro* REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *promulgantur, anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V. & HENRICI VII. *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.CCC.XI. IN Ieroſolymitana vrbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cùm iuxta templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus & officium fuit, tueri fines ac vias Ieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis, vt aduenæ & peregrini ad ſancta illa loca inuiſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce Militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitę diſcrimen adierunt. Verùm deinde à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, Eccleſiis decimas & primitias ſubtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſinorum etiam Legatum à Templariis contra Ius Gentium fuiſſe occiſum, ſcribit Wilielmus Tyrenſis. Prætereà ad Clementem Quintum Summum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Pótifex, an hæc vera eſſent, diligenter inueſtigauit, & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent, præcepit; ac tum Magiſtrum Ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia eſſe prolapſos. Cumque Templariorum Religio eſſet toto iam ferè Chriſtiano orbe profeminata atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium Generale cenſuit conuocandum. Per idem tempus peruerſi quidam homines hęreſes diſſeminabant, vt Petrus Ioannis, qui animam rationalem formam eſſe humani corporis negabat, gratias & virtutes in Baptiſmo

ptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum.

In Alemania quoque ſurrexerunt Beguardi peſſimi homines, ac Beguinæ infideles ac peruerſæ feminæ, qui primùm quidem aſſerebant, Hominem in hac vita quoque tantum ac talem perfectionis gradum conſequi poſſe, vt penitùs impeccabilis reddatur, neque in gratia ampliùs proficere poſſit. Secundò, Nec ieiunare nec orare quemquam oportere, vbi fuerit gradum perfectionis huiuſmodi conſecutus. Tertiò, Eos, qui ſunt in hoc perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis, non eſſe humanæ ſubiectos obedientiæ, neque vlla præcepta Eccleſiæ ſeruare debere. Quartò, Poſſe hominem ita finalem beatitudinem, iuxta omnem perfectionis gradũ in hac vita adipiſci, vt eam in vita beata obtinebit. Quintò, Quamlibet intellectualem naturam in ſeipſa naturaliter eſſe beatam, neque animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Sextò, Se in actibus exercere virtutum, eſſe hominis imperfecti; quia anima perfecti, dimittit à ſe virtutes. Septimò, Mulieris oſculum (cùm ad hoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatum: actum autem carnalem (cùm ad hoc inclinet natura) non eſſe peccatum, maximè cùm tentatur exercens. Octauò, In eleuatione Corporis Ieſu Chriſti, ab huiuſmodi perfecto homine aſſurgendũ non eſſe, aut ei reuerentiam exhibendam: aſſerebant enim, fore imperfectioně eidem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderet, vt de Sacramento Euchariſtiæ aut de Paſſione humanitatis Chriſti quidquã cogitaret.

Ad has igitur nefarias hæreſes damnandas, & propter Templariorum cauſam, ac recuperationem Terræ ſanctæ, Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum ſtabilitatem ac libertatem, atque ad deprauatos hominum mores corrigendos, Clemens Generale Concilium Viennæ in Gallia biennio antè indixit, vt ad Synodum accederent. Conuocauit igitur Archiepiſcopos & Epiſcopos. Per literas etiam Regibus ſignificauit, vt Oratores ad Synodum deſtinarent. Sed cùm ad conſtitutam diem Concilium habere non potuiſſet, illud in aliud biennium prorogauit. Anno igitur ſeptimo Clementis, qui fuit annus Domini 1311. Clemens Summus Pontifex cum Cardinalibus, ac ampliùs trecentis Epiſcopis atque aliis Prælatis, ad Concilium Viennę conuenit. Ibi Petri Ioannis, Beguardorum ac Beguinarum hæreſes condemnauit: Templariorum ordinem extinxit, eorumque bona Hoſpitalariis militibus attribuit. De Terræ ſanctæ verò recuperatione eadem ferè decreuit, quæ priores Pontifices in Generalibus Conciliis anteà conſtituerant. Multas edidit Conſtitutiones Eccleſiaſticæ diſciplinę perutiles: quas vnà cum aliis, tum ante tum poſt Concilium editis, in vnum volumen contulit: quod volumen, cùm morte præuentus promulgare non potuiſſet, Ioannes XXII. qui illi in Pontificatu ſucceſſit, poſteà in lucem edidit: eamque Collectionem Clementinas appellauit. Verumtamen cùm huiuſmodi Concilij propria Decreta à Clementinis ſeparata non reperiantur, viſum non eſt, tam ab aliis Clementis Conſtitutionibus illa eſſe ſeiungenda, aut in hanc Conciliorum editionem coniicienda: cùm præſertim & ipſe Clemens, & Ioannes eius ſucceſſor, in vnum volumen, quod eſt in manibus, iam tum retulerint. Peracto demum Concilio, aliqua conceſſit Pontifex Epiſcopis, qui ad illud conuenerant, Priuilegia.

S. Antoninus 3. par. Hiſtor. titul. 11. cap. 3. de hoc Concilio ſic loquitur: *Anno Domini 1311. Kalendis Nouembris cœpit celebrari Concilium Generale Viennæ in Burgundia prout fuerat antè publicatum. In quo præſentes fuerunt pluſquam trecenti Epiſcopi vltra alios Prælatos de diuerſis partibus orbis. Et cùm Clemens, vt ſatiſ-*

faceret

faceret promiſſioni factæ Regi Franciæ in ſua promotione, ſcilicet, de delenda memoria Bonifacij ex Eccleſia, cum Prælatis Concilij tractaret, quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat: Concilium nullo modo aſſentire voluit: ſed contrarium declarauit, ſcilicet, ipſum fuiſſe Catholicum & indubitatum Pontificem. Verùm quia ipſe fecit proceſſus contra Regem Franciæ, ad quietandum ipſum, non valentem obtinere quod cupiebat iniuſtum, declarauit & firmauit Decreto Concilij, quod quacumque de cauſa Rex offendiſſet Bonifacium Papam, ſeu Eccleſiam, nullo vmquam tempore poſſet ipſi Regi, vel eius filiis & heredibus aliquid damni inferri vel pœna.

De Templariis hac Synodo ſublatis & extirpatis, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi iſta habet: *Ibi ordo Templariorum, qui annis fermè 184. ſteterat, ab ipſo Clemente Papa condemnatus fuit, & vna die per vniuerſum orbem deletus ad inſtantiam Philippi Regis Francorũ, cuius promotione ipſe Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij valdè diuites, quorum poſſeſſiones, vt Rex ſibi acquireret, crimen eis hæreſeos falſum impoſuit, vt multi voluerunt, & extingui omnino parauit.*

Ioannes Marius eadem commemorans, ait: *In hoc quoque Concilio decretum eſt, vt bona, redditus, ac poſſeſſiones Templariorum, qui propter hæreſim aliaque facinora nefanda deſtructi ac combuſti fuerant, equitibus Ieroſolymitanis, qui nunc Rhodij dicuntur, attribuerentur.*

Otho Vrſpergenſis in Chronico poſt annum 1227. ait: *Fridericus* II. *apud Acon in Terra ſancta, vt aiunt, multa ſuſtinuit ex perfida proditione Templariorum.*

Platina in Vita Clementis Quinti, *Reſcitum eſt*, inquit, *Templarios à noſtris ad Saracenos defeciſſe.*

Sed audiamus quid dicat ipſe Clemens V. in ſua ſententia.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad prouidam Chriſti Vicarij præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet, &c. *Dudum ſiquidem Ordinem Domus militiæ Templi Ieroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, ceteraſque perſonas dicti Ordinis in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diuerſis non tam nefandis, quàm infandis (proh dolor!) errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, prauitatibus, maculis, & labe reſperſos, que propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus, eiuſque Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitiuæ ſententiæ, cùm eam ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, nõ poſſemus ferre de Iure; ſed per viam prouiſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictiùs inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cetero intrare, vel eius habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret: quod ſi quis contrà faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Vniuerſa etiam bona Ordinis prælibati, Apoſtolicæ Sedis ordinationi & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica duximus reſeruanda*, &c.

In hoc eodem Concilio damnati fuerunt errores Beguinarum & Beguardorum, de quibus ſuprà in Hiſtoria.

Fraticelli etiam & Dulciniſtæ damnati ſunt.

Item pro expeditione ad Terram ſanctam recuperandam multa verba iactata ſunt, quæ, vt ait Krantzius, in irritum cecidere.

Conſtitutiones verò in hoc Concilio factæ, extant in Clementinis.

In hoc ipſo Concilio, vt ait S. Antoninus, fuit Sanctorum Catalogo adſcriptus S. Ludouicus filius Caroli II. Regis Apuliæ, & frater Roberti Regis. Qui Ludouicus, cùm eſſet primogenitus Caroli, propter quod ad eum Regnum Apuliæ ſpectabat, mundũ contemnens, habitum Ordinis Minorum aſſumpſit ex humilitate & deuotione, poſteà Archiepiſcopus Toloſanus factus, religioſam & ſanctam conuerſationem

CONCILIVM LVGDVNENSE I. GENERALE XIII. APPROBATVM CXL. EPISCOPORVM,

cauſa FRIDERICI II. *Imperatoris, expeditioniſq́; in* TERRAM SANCTAM *ſuſcipiendæ celebratum, anno Domini* 1245. *tempore* INNOCENTII IV.

ANNO DOMINI M.CC.XLV.

HANC ſacroſanctam Synodum auctoritate legitima & ordinaria à ſolo Pontifice Innocentio indictã & congregatam eſſe, indicat epiſtola eiuſdem Papæ, qua omnes Epiſcopos, ac Reges, & Principes Chriſtiani orbis, ad Synodicam hanc congregationem conuocauit. Extat epiſtola apud Binium.

Acta huius Concilij conciſè & breuiter recitantur apud Abbatem Stadenſem in Chronico, his verbis:

Anno Domini 1245. Papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima Sedes eſt Galliarum, veniens, poſt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ ibidem Concilium celebrauit, & quintam partem ab Eccleſiis redituum requiſiuit. Imperator pro ſe inimicos miſit, inter quos erat quidam Thaddæus, Doctor Legum, qui pro eo elegantiſſimè allegauit, ita vt plurimorum audientium ſibi conquireret fauorem. Nihilominùs autem Papa Imperatorem in die Iacobi, Feria tertia, quæ tertia dies erat Concilij, excommunicauit. Papa per totam terram Teutoniæ, lugubrem literam Principibus Eccleſiaſticis deſtinauit, conquerens flebiliter, quòd à gente quadam Saracena, quam Chores nuntiorum populum appellant, Sepulchrum Domini eſſet enormiter violatum, &c.

Et paulò infrà, cùm alia quædam de Saracenis, & prodigioſis orbium cæleſtium aſpectibus recẽſuiſſet, ſubiungit: Papa in iam dicto Concilio, ſcilicet in die Iacobi, contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine, auctoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgauit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cetero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam Principes cum multis aliis reclamabant, dicentes, Ad Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere; ſed electũ à Principibus coronare. Intereà Papa ſibi citari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperij ſumeret & laborem, promittens ei, quicumque Imperium aſſumeret, conſilium & auxilium pariter & fauorem. Tandem Henricus Lantgrauius, cognomento Raſpe, multis euictus precibus, Imperium accepit. Hæc Albertus Stadenſis.

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Fridericus Imperator ſecundus, ait, in Concilio Lugdunenſi à Papa Innocentio citatus, & non comparens, à Cæſarea Maieſtate deponitur, & omni dignitate priuatur, vacauitq́ue deinceps (vt quidam volunt) Romanum Imperium per annos viginti octo, vſque ad Rodulphum de Habsburg: quamuis tres intereà ſucceſſiuè per Principes fuerint electi, plures autem in diſſenſione, Principibus non concordantibus.

Et primò quidem poſt depoſitionem Fri-

Digitized by Google

Friderici, Papa mandauit Principibus, vt Imperatorem quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericũ ſequentes, mandatum Papæ non curauerunt: ceteri autem in vnum conuenientes, Henricum Prouincialem Comitem Haſſiæ in Regem contra Fridericum eligentes, partes eius quantum potuerunt, defendebant. Electus autem Henricus bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis iuxta Francofordiam, & victor euadens, Contradum ſuperauit.

Annis igitur quinque nomen gerens Regium, nihil memoria dignum patrauit, ſed obiit, Imperij coronam minimè conſecutus. Quamdiu enim vixit Imperator Fridericus per annos fermè ſex, præualere contra eum nec Papa, nec aliquis Principum potuit: ſed non aduertens ſententiam Papæ, quam iniuſtam & friuolam dicebat, ſe Imperatorem geſſit, magnamque Principum, nobilium, & ciuitatum adhęrentiam habuit vſque ad mortem. Intrauit poſt depoſitionem ſui Italiam, & tantis malis Papam ſubiectoſque illi populos afflixit, vt Pontificem viuere tæderet, voluiſſetque numquam depoſitionem illius cogitauiſſe. Maxima enim partialitas populorum in Italia ſubſecuta eſt, quæ vſque in præſentem fermè diem, per annos ducentos & ſexaginta, non ſine multorum effuſione ſanguinis, durauit. Enimuerò, qui Romañi Pontificis ſequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelfforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni ſtudio, omnique virtute perſequi & delere penitùs ſatagebant. nec minore ſtudio Guelffos Gibellini proſequebantur. Ita Trithemius præcedẽti loco.

CONCIL. VIENNENSE *auctoritate* GVIDONIS *Legati Sedis Apoſtolicæ cauſa* REFORMANDAE ECCLESIAE *celebratum anno Domini* 1267. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* IV.

HVIC Viennenſi Concilio Henricus Stero in ſuis Annalibus, apud Henrici Caniſij primum Antiquitatum Tomum extantibus, luculentiſſimum teſtimonium præbet his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini 1267. Dominus Guido Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus 6. Idus Maij apud Viennam Concilium celebrauit, cui interfuerunt Ioannes Pragenſis, Petrus Patauienſis, Bruno Brixinenſis, Chunradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Annultricus Lanendinenſis Epiſcopi, & alij quamplures de ipſis Diœceſibus, Prælati, Archidiaconi, & Decani.* Hæc Stero in ſuis Annalibus. Vide Binium hîc. M. CC. LXVII.

CONC. LVGDVNENSE II. GENERALE XIV. APPROBATVM EPISCOPORVM PLVSQVAM SEPTINGENTORVM

contra Græcorum errores, & pro recuperatione TERRAE SANCTAE, *aliiſq; de cauſis celebratum anno Domini* 1274. *ſub* GREGORIO X. & RODVLPHO *Imperatore.*

ANNO DOMINI M. CC. LXXIV. DE hoc Concilio ſic Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: *Concilium Generale Lugduni celebrauit* (Gregorius X.) *anno Pontificatus ſui ſecundo, in quo multi Cardinales, Archiepiſcopi, Abbates, aliique diuerſi generis Prælati comparuerunt, multa ad electionẽ Summi Pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad vnionem Græcæ Latinæq; Eccleſiæ, & ad pacem Chriſtianorum pertinentia maturè ſtatuentes. Ibi comparuit Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus cum magno comi-*

comitatu, qui tertia decima vice in ſententiam Romanæ Eccleſiæ, Græcos ſuos toties deficientes, Concilio neceſſario pertraxit. Sic Trithemius.

Item, eidem Concilio interfuerunt ſolemnes Nuntij ſeu Procuratores Gręcorum, qui coram toto Concilio, Symbolum Nicæni & Conſtantinopolitani Conciliorum, *Credo in vnum Deum*, cecinerunt: quòd à ſuo veteri errore, quo dicebant, Spiritum ſanctum ſolo à Patre, & non à Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent, & velle credere, quòd ſancta Mater Romana & Orthodoxa Eccleſia credit & prędicat, ſcilicet, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æterna ſpiratione procedit. Sicut patet per Decretalem, quæ ſuper hoc eſt in eodem Concilio promulgata, cuius tenor talis eſt:

Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicauit & docuit ſacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium & Magiſtra: hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios ſunt prolapſi, nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, ſiue etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tamquā ex duobus principiis, non tamquam vno, procedat. Sed ipſi Græci ab hac fide & promiſſione ſubitò receſſerunt, propter quod Dominus Papa Martinus in Vrbe veteri eos excommunicatos nuntiauit.

Præterea, quia in partibus Alemaniæ, & forſitan in aliis etiam, iniqua conſuetudo inoleuerat, de impignorationibus, in quibus vnus pro alio, ſiue innocens pro nocente indebitè prægrauatur, contra impignorantes huiuſmodi, idem Papa Gregorius in eodem Concilio edidit Decretalem, cuius tenor eſt talis:

Etſi impignorationes, quas vulgaris elocutio Repræſalias nominat, in quibus alius pro alio prægrauatur, táquam graues Legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili ſunt Conſtitutione prohibitæ; vt tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tantò ampliùs timeatur, quantò ſpecialiùs in illis inhibetur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cuiuſuis conſuetudinis, quam potiùs reputamus abuſum, fore conceſſas: ad illas extendi præſenti Decreto diſtrictiùs inhibemus. Illi autem, qui contrà fecerint, aduerſus perſonas eaſdem impignorationes ſeu repræſalias concedendo, vel extendendo ad eas, nec præſumptionem huiuſmodi reuocauerint à conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonę ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Si verò vniuerſitas, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto.

Item, pro ſubſidio Terræ ſanctæ, impoſita fuit in eodem Concilio omnibus Eccleſiis & Monaſteriis, non tamen Xenodochiis nec Orphanotrophiis, ſolutio decimarum omniū prouentuum Eccleſiaſticorum, per ſex annos continuos idem Concilium ſubſequentes. Quæ decima, quamuis ſtudioſè exacta fuerit, & recepta, non tamen eſt euidens, quæ vtilitas Terræ ſanctæ exinde fuerit procurata.

In hoc Concilio S. Bonauentura Cardinalis iam anteà factus, iuſſu Summi Pontificis interfuit, cuius opera & ſtudio vnio Eccleſiæ Græcæ cum Latina facta eſt.

Digitized by Google

CONC. SALISBVRGENSE *pro recipiendis* LVGDVNENSIS SYNODI *Conſtitutionibus, aliiſque de cauſis congregatum anno Domini 1274. tempore* GREGORII *Papæ* X.

ANNO DOMINI M.CC. LXXIV.

AD honorem & gloriã ſponſæ Christi, & fidei Christianæ. Nos Dei gratia, Fridericus, ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & ceteri aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, in Prouinciali hoc ſancto Concilio congregati, de conſilio Ven. Prælatorum Saltzburgẽſis Prouinciȩ, &c. Definiendo præcipimus, vt Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Eccleſiarum Prælati, Statuta ſacra Generalis Concilij celebrati proximè in Lugduno, in Eccleſiis, & ſubditis ſuis Clericis & laicis, ſecundùm quod eadem Statuta iſtis & illis conueniunt, & quantum eos tangunt, ſic ſollicitè & frequenter ſtudeant publicare, vt ipſorum Prouincialium & ſubditorum memoriæ & obſeruantiæ imprimantur.

Item ordinatum eſt, vt Statuta ſequentia ſeruentur:

Vt Abbates S. Benedicti illius Prouinciæ, Prouinciale Capitulum ſuum, infra feſtum Reſurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam à ſacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in ſe ipſis quàm in ſuis ſubditis, tractent & ordinent diligenter.

Vt Abbates prædicti Monachos fugitiuos in ſæculo diuagantes reuocari procurent. Et quòd in ſingulis Monaſteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, ſeu aliàs delinquentes enormiter Monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

Non eſt licitum Abbatibus, Monachos ad Ordinem ſtrictiorẽ transeuntes abſoluere ab obediẽtia, quæ Monachorũ oſſibus inſeparabiliter eſt affixa.

Vt pro leuibus offenſis ad alia Monaſteria Abbates non mittant: cùm delictum potiùs illic puniri & mori debeat, vbi committitur & patratur.

Vt Abbates non vſurpent ſibi Pontificum poteſtates.

Idem ſeruetur à Canonicis Regularibus.

Reuocantur licentiȩ Fratribus diuerſæ Religionis factæ, in Confeſſionibus audiendis, & Indulgentiis largiendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale miniſterium pertinent.

Circa Indulgentias ab aliis prædeceſſoribus conceſſas, volumus eas manere in ſuſpenſo, & ne quis eis vtatur, ſub anathemate prohibemus, donec Epiſcopus loci plenè diſcutiat, quas in quibus locis ratas habere conueniat, aut quas magis expediat reuocari.

Clerici plura Beneficia non poſſideãt.

Clerici curam animarum habentes, in Parochiis reſideant.

Clerici comam non nutriant.

Clericus veſtes non deferat niſi clauſas, quas omninodò prohibemus à latere aperiri.

Clerici tabernas non intrent.

Clericus excommunicatus, ſacra profanans, carceri mancipetur.

Prælati neminem tondeant aut benedicant, niſi approbatam profiteantur Regulam.

Clericis vagis nullus aliquid beneficij vel iuuaminis erogare præſumat.

Sententias cenſurarum, quas vnus iuſtè protulerit, ceteri quoq; publicent.

Religioſus extra Ordinem ſuum Confeſſorem non eligat, niſi de Prælati ſui licentia.

Contra recipientes Prælaturam aut Eccleſias de manu laicorum.

CONC. TARRACONENSE *pro Canonizatione* RAYMVNDI PENNAFORTII *celebratum anno* 1279. *ſub* NICOLAO *Papa* III.

DE hac Synodo Bzouius ex Surita iſta refert: M.CC. LXXIX.

Tarracone in Aragonia ad

 7. Idus

7. Idus Decembris Bernardus Tarraconenſis Archiepiſcopus, Arnaldus Barcinonenſis, &c. item Abbates, & alij Prælati Concilium celebrarunt. Ex eius decreto literis enixè Nicolaum Pontificem interpellarunt, vt Raymundi Pennafortij viri ſanctiſſimi memoria, ſua certa deſtinataque ſententia religione omnium conſecraretur, aræque ei inter Diuos ritu ſolemni ſtatuerentur, vtpote cuius viri ſanctitas inſigni tunc ſplendore apud omnes præfulgeret. Nihil vnus in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quòd Rex Petrus à Procyda ſeductus, turbas Italiæ moliretur, neque cenſum Romanæ Eccleſiæ pendere voluit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE

in cauſa ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, *tempore* FRIDERICI *Archiepiſcopi habitum anno Domini* 1281. *ſub* MARTINO *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXI. In hoc Concilio ſtatuta ſunt plura ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia: vt De alienationibus Eccleſiarum, De diſpenſatione & Prælatorum ratione facienda: De ieiunio Religioſorum: De Monachis & Regularibus proprietariis: De habitu Religioſorum: De diſcurſu Religioſorum: De Capitulis Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum: De immoderatis ſumptibus Viſitatorum: De Monialibus in clauſtris communem vitam non ducentibus: De pluribus Beneficiis curam animarum habentibus: De reſidentia Plebanorum: De aduocatis Eccleſiarum: De his qui violentas manus mittunt in Clericos: De his qui loca ſacra execrauerint violenta ſanguinis effuſione: Contra Patronos & Iudices qui bona decedentium Clericorum inuadunt: De falſariis Clericis & laicis: De his qui à laicis inſtituuntur.

CONCIL. RAVENNATE

cauſa REFORMANDAE ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE *celebratum anno Domini* 1286. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

CONSTITVTIONES CONCILII RAVENNATIS.

Ne Clerici ioculatores vel hiſtriones à laicis tranſmiſſos recipiant. M. CC. LXXXVI.

De pauperibus alendis & veſtiẽdis.

De honeſtate & habitu Clericorum.

De promotione habentium Parochiales Eccleſias.

De quotidianis diſtributionibus.

De teſtamento vſurariorum.

De decimis.

De criminibus & delictis ſpecialiter Epiſcopis reſeruandis.

De immunitate Eccleſiarum.

CONC. HERBIPOLENSE,

ſub Præſidio N. Legati Sedis APOSTOLICAE, *in præſentia* RODVLPHI *Imperatoris multorumque Principum celebratum anno Domini* 1287. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

Eodem anno, Chronicon Hirſaugienſe ait, Martinus Papa IV. Legatum de latere miſit in Alemaniam Epiſcopum Tuſculanum: qui veniens ad Herbipolim, in præſentia Rodulphi Regis Romanorum, & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, atq; nobilium, Concilium celebrauit: vbi inter alia Legatus ipſe nomine Papæ, contributionem decimi denarij à Clero, & Rex ab vniuerſo populo Imperij inſtantiſſimè exigere cœperunt; multis Principibus in eorum ſententiam conſentientibus. Siphridus autem Archiepiſcopus Colonienſis, & Henricus Archiepiſcopus Treuirorum, contra inſolitam ac nimis grauem exactionem ſe fortiter opponentes, negotium penitùs reuocarunt. Hæc Trithemius in prædicto Chronico. M. CC. LXXXVII.

CONC.

Digitized by Google

CONCILIVM MEDIOLANENSE, *in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE RESTITVENDAE, *habitum anno* 1288. *ſub* NICOLAO IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXVIII. CONSTITVTIONES Synodales hoc Concilio promulgatas, ſummatim recenſet Bzouius in Annalibus his verbis:

Mediolani porrò eodem anno, auctoritate Summi Pontificis, Otto Archiepiſcopus indicta conuocataq; Synodo Prouinciali, in Eccleſia ſanctæ Theclæ, præſentibus quamplurimis Epiſcopis, Abbatibus, & reliquis ex Clero, ad 12. diem Septembris multa ſaluberrima conſtituit.

In primis, Conſtitutiones Summorum Pontificum, & Friderici olim Imperatoris, contra hæreticos latas, inuiolabiliter obſeruari, & ex earum præſcripto, contra fidei Catholicæ præuaricatores procedi mandauit.

II. Abbates, Monachos, & reliquos omnes Religioſos, vt ex Formula S. Benedicti & S. Auguſtini viuerent, admonuit.

III. Ne Moniales quouis prætextu ſepta Monaſteriorum, in quibus recluſæ, egrederentur, edixit.

IV. Aucupium & venationem vniuerſo Clero, lata excommunicationis ſententia, interdixit.

V. Alienandi bona quæcumque, ſiue mobilia ſiue immobilia Eccleſiaſtici Iuris fuerint, poteſtatem omnibus abſtulit, néve quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, ſub anathematis & nullitatis cenſura prohibuit.

VI. In detentores Eccleſiaſticorum bonorum grauiſſimas pœnas promulgauit.

VII. Falſi crimine obnoxios à communione Sacramentorum atque fidelium ſegregauit.

VIII. Legatorum piorum fraudatores cœtu Chriſtianorum indignos eſſe iudicauit.

IX. Poteſtatem ædificandi Eccleſias aut Oratoria penes ſolos Epiſcopos eſſe iuſſit.

X. Rerum ſacratum ex teſtamento vel codicillis relictam adminiſtrationem penes ſolos Parochos eſſe voluit: aliaque pro Eccleſiaſtica diſciplina, ex more priſco, ſiue reuocanda ſiue obſeruanda, in eodem Concilio ſanctiſſimè ordinauit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE, *de* HOSPITALARIORVM, TEMPLARIORVM, *&* TEVTONICORVM *Ordinibus coniungendis, celebratū anno Domini* 1291. *tēpore* NICOLAI *Papæ* IV.

QVA occaſione hęc Synodus indicta, quidque in ea geſtum fuerit, Eberhardus huius temporis Scriptor, ita habet: M. CC. XCI.

Anno 1291. ciuitas Akaron, quam ſolùm habebant Chriſtiani in Terra ſancta, obſeſſa eſt per Soldanem Babylonenſem, & per 40. dies & noctes ſine intermiſſione impugnata, capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum millia & capta ſunt & occiſa, aliqui autem per nauigium fugerunt: & quia multorum erat opinio, quòd ſi Fratres domorum ibidem, ſcilicet Hoſpitalarij, Templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, ciuitas capta nō fuiſſet; mandauit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, vt Concilia Prouincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel conſilio eidem Terrę poſſit ſubueniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ, reſcriptum fuit Domino Papæ, & conſultum, vt prædicti tres Ordines conuerterentur ad vnum Ordinem, melioribus eorum obſeruantiis in vnum redactis: & quòd ad ſuccurſum eiuſdem Terræ ſanctæ, Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuntij antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus eſt: & ſic hoc negotium remanſit infectum.

by Google

CONCIL. LONDINENSE

de eiectione IVDAEORVM *habitum anno Chriſti* 1291. *tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M.CC.XCI BERNHARDO Epiſcopo Groſſetano Sedis Apoſtolicæ Legato in Anglia nondum præſente, Londini ad Weſtmonaſterium celebratum eſt Concilium. In hoc in primis agitatum eſt de eiectione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quò ſic oues ab hœdis ſegregarentur. Itaque publico iuſſum eſt Edicto, vt infra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi iuſſis Concilij parentes, aliò diſceſſerunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiuit, miſera ſemper alicubi terrarum peritura, vſque eò dum denique deleatur.

Eodem Concilio Eduardus expoſuit, ſe cupere ire in auxilio Chriſtianis in Aſiam: & quia res ad Religionem pertinebat, voluit, vt Sacerdotes pecuniam ſuppeditarent. Poſtremò placuit Nota. Regi ſimiliter atque Principibus illud iniurium Iure iterato ſtatuere, ne cui hominum liceret dare prædia Collegiis Monachorum, néve liceret Monachis aut aliis Sacerdotibus emere poſſeſſiones. Superuenit tandem Legatus, & vnà cum Ioanne Beccano Archiepiſcopo Cantuarienſi ſibi adiuncto, Regem iniquitatis atque impietatis redarguit: Legemque abrogare, & Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque rebus ac perſonis libertatem reſtituere coëgit. Bzouius.

CONC. MEDIOLANENSE

pro auxilio TERRAE SANCTAE *ferendo congregatum anno Domini* 1291. *tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

M.CC.XCII AD diem 27. menſis Nouembris huius anni, Otto Archiepiſcopus Mediolani in Eccleſia S. Theclæ Synodo Prouinciali Epiſcoporum & vniuerſi Cleri congregata, multa ad Eccleſiaſticam diſciplinam reuocandam conſtituit, ac Fratre Stephanardo Ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Chriſti fidelium, ad auxilia Terræ ſanctæ à Saracenis oppreſſæ, auctoritate Summi Pontificis Cruce ſignauit. Dedit inſuper iſtud ſalubre Summo Pontifici conſilium, vt Milites Ieroſolymitani, vnà cum Templariis & Teutonicis in vnum Ordinem cõgregarentur, iiſdem inſtitutis viuerent, & vnitis armis contra Barbaros dimicarent, præfecto copiis Cruce ſignatorum Rege Galliarum. Bernard. Coïtus Hiſtor. Mediolan. 2.

CONCILIVM ASCAFFENBVRGENSE PROVINCIALE

ſub Præſidio GERARDI *Moguntini Archiepiſcopi celebratum anno* 1292. *poſt obitum* NICOLAI *Papæ* IV. *tempore Interregni Pontificij.*

DE hoc Concilio ita Trithemius in Chronico Hirſaugienſi; M.CC.XCII.
Anno præſcripto Gerardus Archiepiſcopus Mogũtinus Synodum Prouincialem ſuffraganeis & Prælatis ſuis in Aſcaffenburg celebrandam indixit, vbi conuenerunt Epiſcopi Eiſtetenſis, Spirenſis, Auguſtenſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, Hildeshemenſis, & Wormatienſis, cum aliis multis Abbatibus, Prępoſitis, Decanis, atque Presbyteris, qui multa & varia in negotiis Eccleſiaſticis vtilia ſtatuerunt.

CONC. LVGDVNENSE,

quo inhibetur Principibus, ne SACERDOTIBVS VECTIGALIA IMPONANT, *anno Domini* 1297. *celebratum, tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

HAEC Synodus, inquit Genebrardus lib. 4. Chron. celebrata, Præſide Bonifacio Pontifice, M.CC.XCVII.

Digitized by Google

ce, qui animaduertens, quotidie Principes noua vectigalia Sacerdotibus imponere, interdum ſine cauſa; interdixit in eo Concilio, ne poſthac id facerent, néve Sacerdotes iniuſſu Romani Pontificis illa impoſita conferrent.

CONC. ROMANVM, *quo* PHILIPPVS *Rex Francorum excommunicatur, anno Domini* 1302. *tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

ANNO DOMINI M.CCC.II. ANNO à Chriſto Saluatore genito, 1302. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, graue aduerſum Pontificem Maximum Bonifacium Octauum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis ſtudioſiorem exiſtimans, tum quòd fidem temerè præuaricatam contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis antè annis, cùm alia quædam, tum de ſumma Romani Imperij poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeò Carolum fratrem diſertè fuiſſe in conuentis nominatum, cui id decus primùm aſſignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidiſſe ad nihilum, Alberto Auſtrino Teutonico Principe palàm nuper decretis eius comprobato.

Eas Rex cauſas grauiùs ſecum conſiderans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacij irritandi inuenta. Columna gens Romæ opibus & clientelis inſignis, Octauo, id eſt Bonifacio, inter Comitiorum arcana, ſuffragij iure ne legeretur, obſtiterat. Itaque eis quoq; Bonifacius, per ſpeciem expilati theſauri Eccleſiæ, effecerat, vt & ædes & ſuburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales iam eſſent, venerando Collegio excederent. Intereà Stephanus ex ea gente, profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo viſus eſt, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliuſque quàm fortuna exulantium eſt. Ad hoc Philippus, ne quid potentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus anteà pro decretis, proque more ſanctæ Matris Eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum Præſidis Romani ſtatuit.

Quæ vbi Summus Antiſtes intelligit, grauiſſimè tulit iniuriam peſſimi exempli, id quod erat exiſtimans, ſi vel Anteceſſorum rectè conſtituta temerè reſcinderentur, vel auctoritatem Pontificiam laicus Princeps profanaſſet. Itaque quò partes ſuæ iuſtiores vulgo noſcerentur, lege potiùs agere quàm armis inſtituit. Prælatos Gallicos maiores conuenire Romam vniuerſos iubet, ad publicam Synodum celebrandam. Hi ne Regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octauum Bonifacium delatis, increpatur Rex primùm per literas: deinde, cùm caſtigationem contumaciæ paruipenderet, ſacrorum participatione arcetur. Neque eo minùs Prælatis Regni ſui ipſe Lutetiam accerſitis, cauſam quoque ſuam approbare nititur. Hæc de Philippi excommunicatione Vecerius in Vita Henrici VII. Imperatoris.

CONCILIVM SALSBVRGENSE I. *cauſa* DECIMARVM *Sedi Apoſtolicæ ſoluendarum habitum anno* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO Domini 1310. conuocato Prouinciali Concilio Saltſburgenſi, & propoſita ibidem petitione Domini Clementis Papæ Quinti, concordauerunt omnes, quòd ſumma Decimæ duorum annorum, ſi qua fuerit vel eſſe potuerit perſoluenda, ſolui debeat Summo Pontifici in terminis infraſcriptis: ita dumtaxat, quòd primus terminus ſolutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in iſto proximo feſto S. Georgij, ſit in proximo futuro feſto B. Martini; & ſecundus terminus ſolutionis faciendæ eiuſdē anni, ſit in proximo ſubſequenti feſto S. Georgij. M.CCC.X.

gij.

gij. Et primus terminus ſecundi anni, ſit in alio ſubſequenti feſto S. Martini: ſecundus verò terminus & vltimus ſit poſt hoc, in ſubſequenti feſto S. Georgij. Et quòd decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis & redditibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis. Hæc de eis, quæ Beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Et quòd Eccleſiæ, quarum redditus pro maiori vel pro media parte in obligationibus, Legatis, & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus legatiæ, ſeu teſtam. decimam ſoluere teneantur.

Item Capitula, Collegia, ſeu Conuentus in communi de ſuis redditibus decimabunt, &c.

Hoſpitalis verò, & Domus leproſorum, cum annexis ſibi Eccleſiis ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt, &c.

CONCILIVM SALSBVRGENSE II.

quo STATVTA *quædam* POENALIA *declarantur, anno Domini* 1310. *celebratum tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M. CCC. X. DECLARATIONES Statutorum in Concilio Prouinciali Domini Chunradi Archiepiſcopi Salisburgenſis anno Domini 1310.

Primò Statutum de Clericis tabernariis, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quòd cauſæ rationabiles & honeſtæ intelligi debeant, ſi quis ad tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum, &c. vel ſi impræmeditatè intret, oblitus Conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel vtili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit vel comederit, pœna Statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.

Item Statutum de rationibus faciendis taliter mitigamus, quòd reuocata pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, reliqua in robore permaneant.

CONC. MOGVNTINVM,

quo ſub Præſidio PETRI *Moguntini Archiepiſcopi, iuſſu Pontificis tractata eſt cauſa* TEMPLARIORVM, *anno Domini* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO 1310. ante Viennenſe Concilium, in quo Clementinas edidit Clemens V. Concilium habuit, ſecunda, tertia & quarta Feriis poſt Dominicam Iubilate, idem D. Petrus Prouinciale, in quo Statutorum Prouincialium, ex antiquioribus Synodis compendium collegit, cuius vix paucula ſuperſunt: & Romani Pontificis iuſſu tractata eſt Templariorum cauſa. M. CCC. X.

Comparuit autem in Synodo Hugo Comes Silueſtris & Rheni, qui morabatur in Brumbach cum XX. Fratribus, ſub habitu Ordinis propè armatis. Hi omnes, non quidem vocati, ſed vltrò & ſubitò in conſeſſum Patrũ irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiſcopus viros conſiderans, ac violentiam timens, placidè iubet, Commendator vt ſedeat, & ſi quid habeat in medium afferendum, vt depromat. Qui clara & libera voce exorſus, ſe ſuoſque Fratres inquit intellexiſſe, hanc Synodum, ſui Ordinis delendi gratia potiſſimùm congregatam ex commiſſione Romani Pontificis. Enormia enim ſcelera illa, & pluſquam Ethnica flagitia illis obiici, quæ in priuato deſignarent, quod ipſis ſanè eſſet grauiſſimum & intolerabile: maximè quòd non ordinariè auditi nec conuicti condemnarentur. Quare coram iſta Patrum congregatione ſe appellare & prouocare ad futurum Pontificem, eiuſque vniuerſum Clerum: publicè quoque proteſtare eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi eſſent & combuſti, conſtanter pernegaſſe, ſe quidquam eorum deſignaſſe, atq; in ea confeſſione tormenta & mortem perpeſſos: imò Dei Opt. Max. ſingulari iudicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quòd albæ chlamydes ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt abſumi.

mi. Archiepiſcopus his auditis, ne tumultus ſuboriretur, proteſtationem eorũ admiſit, ſeq; cum Romano Pontifice acturũ reſpondit, vt quieti eſſe poſſint, atque ita ad propria ſunt dimiſſi. Poſteà verò Petrus aliam commiſſionem obtinuit, iuxta quam procedens, prędictos cenſuit abſoluendos, actum anno 1311. Kalendis Iulij, vt Nauclerus ex quodam Iacobo Moguntino tradit. Habuiſſe autem Archiepiſcopum Moguntiæ Concilium Prouinciale anno 1313. refertur M.S. ſed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur vnum & idem. Hæc Serarius lib. 5. in Hiſtoria Petri Archiepiſcopi.

CONC. VIENNENSE GENERALE XV.

TRECENTORVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM,

quo BONIFACIVS *Papa* VIII. *à calumniis* PHILIPPI *Regis Francorum abſoluitur:* TEMPLARII *extirpantur: hæreſes* PETRI IOANNIS, FRATICELLORVM & DVLCINISTARVM, BEGARDORVM & BEGVINARVM *condemnantur, expeditioq; pro recuperanda* TERRA SANCTA *ſuſcipienda decernitur, plurimaq; Conſtitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in Corpore Iuris Canonici) pro* REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *promulgantur, anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V. & HENRICI VII. *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.CCC.XI.

IN Ieroſolymitana vrbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cùm iuxta templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus & officium fuit, tueri fines ac vias Ieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis, vt aduenæ & peregrini ad ſancta illa loca inuiſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce Militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitę diſcrimen adierunt. Verùm deinde à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, Eccleſiis decimas & primitias ſubtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſinorum etiam Legatum à Templariis contra Ius Gentium fuiſſe occiſum, ſcribit Wilielmus Tyrenſis. Præterea ad Clementem Quintum Summum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Põtifex, an hæc vera eſſent, diligenter inueſtigauit, & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent, præcepit; ac tum Magiſtrum Ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia eſſe prolapſos. Cumque Templariorum Religio eſſet toto iam ferè Chriſtiano orbe proſeminata atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium Generale cenſuit conuocandum. Per idem tempus peruerſi quidam homines hęreſes diſſeminabant, vt Petrus Ioannis, qui animam rationalem formam eſſe humani corporis negabat, gratias & virtutes in Baptiſmo

ptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum.

In Alemania quoque ſurrexerunt Beguardi peſſimi homines, ac Beguinæ infideles ac peruerſæ feminæ, qui primùm quidem aſſerebant, Hominem in hac vita quoque tantum ac talem perfectionis gradum conſequi poſſe, vt penitùs impeccabilis reddatur, neque in gratia ampliùs proficere poſſit. Secundò, Nec ieiunare nec orare quemquam oportere, vbi fuerit gradum perfectionis huiuſmodi conſecutus. Tertiò, Eos, qui ſunt in hoc perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis, non eſſe humanæ ſubiectos obedientiæ, neque vlla præcepta Eccleſiæ ſeruare debere. Quartò, Poſſe hominem ita finalem beatitudinem, iuxta omnem perfectionis gradū in hac vita adipiſci, vt eam in vita beata obtinebit. Quintò, Quamlibet intellectualem naturam in ſeipſa naturaliter eſſe beatam, neque animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Sextò, Se in actibus exercere virtutum, eſſe hominis imperfecti; quia anima perfecti, dimittit à ſe virtutes. Septimò, Mulieris oſculum (cùm ad hoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatum: actum autem carnalem (cùm ad hoc inclinet natura) non eſſe peccatum, maximè cùm tentatur exercens. Octauò, In eleuatione Corporis Ieſu Chriſti, ab huiuſmodi perfecto homine aſſurgendū non eſſe, aut ei reuerentiam exhibendam: aſſerebant enim, fore imperfectioné eidem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderet, vt de Sacramento Euchariſtiæ aut de Paſſione humanitatis Chriſti quidquā cogitaret.

Ad has igitur nefarias hæreſes damnandas, & propter Templariorum cauſam, ac recuperationem Terræ ſanctæ, Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum ſtabilitatem ac libertatem, atque ad deprauatos hominum mores corrigendos, Clemens Generale Concilium Viennæ in Gallia biennio antè indixit, vt ad Synodum accederent. Conuocauit igitur Archiepiſcopos & Epiſcopos. Per literas etiam Regibus ſignificauit, vt Oratores ad Synodum deſtinarent. Sed cùm ad conſtitutam diem Concilium habere non potuiſſet, illud in aliud biennium prorogauit. Anno igitur ſeptimo Clementis, qui fuit annus Domini 1311. Clemens Summus Pontifex cum Cardinalibus, ac ampliùs trecentis Epiſcopis atque aliis Prælatis, ad Concilium Viennę conuenit. Ibi Petri Ioannis, Beguardorum ac Beguinarum hæreſes condemnauit: Templariorum ordinem extinxit, eorumque bona Hoſpitalariis militibus attribuit. De Terræ ſanctæ verò recuperatione eadem ferè decreuit, quæ priores Pontifices in Generalibus Conciliis anteà conſtituerant. Multas edidit Conſtitutiones Eccleſiaſticæ diſciplinę perutiles: quas vnà cum aliis, tum ante tum poſt Concilium editis, in vnum volumen contulit: quod volumen, cùm morte præuentus promulgare non potuiſſet, Ioannes XXII. qui illi in Pontificatu ſucceſſit, poſteà in lucem edidit: eamque Collectionem Clementinas appellauit. Verumtamen cùm huiuſmodi Concilij propria Decreta à Clementinis ſeparata non reperiantur, viſum non eſt, tam ab aliis Clementis Conſtitutionibus illa eſſe ſeiungenda, aut in hanc Conciliorum editionem coniicienda: cùm præſertim & ipſe Clemens, & Ioannes eius ſucceſſor, in vnum volumen, quod eſt in manibus, iam tum retulerint. Peracto demum Concilio, aliqua conceſſit Pontifex Epiſcopis, qui ad illud conuenerant, Priuilegia.

S. Antoninus 3. par. Hiſtor. titul. 21. cap. 3. de hoc Concilio ſic loquitur: *Anno Domini 1311. Kalendis Nouembris cœpit celebrari Concilium Generale Viennæ in Burgundia prout fuerat antè publicatum. In quo præſentes fuerunt pluſquam trecenti Epiſcopi vltra alios Prælatos de diuerſis partibus orbis. Et cùm Clemens, vt ſatiſ-*

faceret

faceret promiſſioni factæ Regi Franciæ in ſua promotione, ſcilicet, de delenda memoria Bonifacij ex Eccleſia, cum Prælatis Concilij tractaret; quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat: Concilium nullo modo aſſentire voluit: ſed contrarium declarauit, ſcilicet, ipſum fuiſſe Catholicum & in[illegible]tum Pontificem. Verùm quia ipſe fe[illegible] proceſſus contra Regem Franciæ, ad quietandum ipſum, non valentem obtinere quod cupiebat iniuſtum, declarauit & firmauit Decreto Concilij, quod quacumque de cauſa Rex offendiſſet Bonifacium Papam, ſeu Eccleſiam, nullo vmquam tempore poſſet ipſi Regi, vel eius filijs & heredibus aliquid damni inferri vel pœnæ.

De Templariis hac Synodo ſublatis & extirpatis, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi iſta habet: *Ibi ordo Templariorum, qui annis fermè 184. ſteterat, ab ipſo Clemente Papa condemnatus fuit, & vno die per vniuerſum orbem deletus ad inſtantiam Philippi Regis Francorũ, cuius promotione ipſe Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij valdè diuites, quorum poſſeßiones, vt Rex ſibi acquireret, crimen eis hæreſeos falſum impoſuit, vt multi voluerunt, & extingui omnino parauit.*

Ioannes Marius eadem commemorans, ait: *In hoc quoque Concilio decretum eſt, vt bona, redditus, ac poſſeßiones Templariorum, qui propter hæreſim aliaque facinora nefanda deſtructi ac combuſti fuerant, equitibus Ieroſolymitanis, qui nunc Rhodij dicuntur, attribuerentur.*

Otho Vrſpergenſis in Chronico poſt annum 1227. ait: *Fridericus II. apud Acon in Terra ſancta, vt aiunt, multa ſuſtinuit ex perfida proditione Templariorum.*

Platina in Vita Clementis Quinti, *Reſcitum eſt*, inquit, *Templarios à noſtris ad Saracenos defeciſſe.*

Sed audiamus quid dicat ipſe Clemens V. in ſua ſententia.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad prouidam Chriſti Vicarij præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet, &c. *Dudum ſiquidem Ordinem Domus militiæ Templi Ieroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, ceteraſque perſonas dicti Ordinis in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, varijs & diuerſis non tam nefandis, quàm infandis (proh dolor!) errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, prauitatibus, maculis, & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus, eiuſque Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitiuæ ſententiæ, cùm eam ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, nõ poſſemus ferre de Iure; ſed per viam prouiſionis ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictiùs inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cetero intrare, vel eius habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret: quod ſi quis contrà faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Vniuerſa etiam bona Ordinis prælibati, Apoſtolicæ Sedis ordinationi & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica duximus reſeruanda*, &c.

In hoc eodem Concilio damnati fuerunt errores Beguinarum & Beguardorum, de quibus ſuprà in Hiſtoria.

Fraticelli etiam & Dulciniſtæ damnati ſunt.

Item pro expeditione ad Terram ſanctam recuperandam multa verba iactata ſunt, quæ, vt ait Krantzius, in irritum cecidere.

Conſtitutiones verò in hoc Concilio factæ, extant in Clementinis.

In hoc ipſo Concilio, vt ait S. Antoninus, fuit Sanctorum Catalogo adſcriptus S. Ludouicus filius Caroli II. Regis Apuliæ, & frater Roberti Regis. Qui Ludouicus, cùm eſſet primogenitus Caroli, propter quod ad eum Regnum Apuliæ ſpectabat, mundũ contemnens, habitum Ordinis Minorum aſſumpſit ex humilitate & deuotione, poſteà Archiepiſcopus Toloſanus factus, religioſam & ſanctam conuerſationem

tionem vſque ad finem ſeruans, requieuit in Domino miraculis clarus.

Et hæc de Actis in Concilio Viennenſi.

CONC. RAVENNATE II.

pro DISCIPLINA *&* MORIBVS ECCLESIAE *reformandis, celebratum anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M.CCC.XI.

CONSTITVTIONES editę in Cōcilio Prouinciali celebrato in Eccleſia Rauennate, & conuocato per Venerabilem Patrem D. Rainaldum, permiſſione diuina ſanctę Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopum.

I. De orationibus fundendis ad Deum pro Cleri ordinatione vacantium Eccleſiarum, & aliis diuinis Officiis.

II. De exequiis Epiſcoporum decedentium.

III. De anniuerſariis Epiſcoporum.

IV. De anniuerſario Patronorum & Benefactorum Eccleſiarum.

V. De Reliquiis Sanctorum, & earum veneratione.

VI. De Sacramentis Eccleſiaſticis.

VII. De cuſtodia Euchariſtię, Chriſmatis, & Olei ſancti.

VIII. De vtenſilibus, paramentis, & libris, & ceteris ornamentis Eccleſiaſticis.

IX. De informatione Miniſtrorum, & celebratione Miſſarum.

X. De annuntiatione Feſtorum, ac celebratione ipſorum, & obſeruatione ieiuniorum.

XI. De Sacramento Baptiſmi, & forma conferenda.

XII. De munditia Eccleſiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta.

XIII. De Prædicatoribus verbi Dei.

XIV. De ſtatu Regularium, & ipſorum reformatione.

XV. De pœnitentiis.

XVI. De Beneficiis, & Præbendis Eccleſiaſticis, & idoneitate & ſufficientia Miniſtrorum.

XVII. De Monachis, vt omnes eiuſdem Ordinis in diuinis Officiis ſint conformes.

XVIII. Quòd ſinguli comprouinciales Epiſcopi ſemel in anno Synodum facere teneantur.

XIX. De clandeſtina deſponſatione, & matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

XX. De intruſis & electis per poteſtatem laicorum.

XXI. De contumacibus & rebellibus ſubditis contra debitam obedientiam Prælatorum.

XXII. De Apoſtatis.

XXIII. De Iudæis.

XXIV. De exceſſibus Prælatorum.

XXV. De Rectoribus Hoſpitaliū.

XXVI. De iniuriis, & damno dato.

XXVII. De exceſſibus laicorum blaſphemantium Deum, vel Sanctos.

XXVIII. De pœna illorum, qui excommunicationem contemnunt.

XXIX. De pœna adulterorum.

XXX. De eleëmoſynarum largitione.

XXXI. De Teſtamentis.

XXXII. De ſalariis & ſolutionibus ſcripturarum.

CONC. RAVENNATE III.

eadem de cauſa celebratum anno Domini 1314. *poſt obitum* CLEMENTIS V. *tempore Interregni Pontificij.*

CONSTITVTIONES D. Rainaldi editæ in Concilio celebrato Argentæ. M.CCC.XI

I. Quòd tantùm conſtituti in ſacris vocem habeant in Capitulo.

II. De ætate & qualitate ordinandorum.

III. De non conſecrandis in Epiſcopos peregrinis & ignotis, & quòd aliquis Suffraganeus non vadat extra Prouinciam pro conſecratione facienda.

IV. De peregrinis & ignotis Epiſcopis non admittendis.

V. De

Digitized by Google

V. De Delegatis, vel Legatis, vt faciant fidem ſuæ Legationis.

VI. De maioritate, & obedientia, ac honorificentia Prælatorum, & pœna non obedientium ſuperioribus ſuis.

VII. De inſtrumentis conficiendis, & non retinendis per Aduocatos, Notarios, ſeu Procuratores.

VIII. De præſcriptionibus, & quòd nullus prætextu alicuius temporis, poſſit ſe defendere quin viſitetur.

IX. De appellationibus, & pœna non proſequentium appellationem ab excommunicatione interpoſitam.

X. De vita & honeſtate Clericorũ.

XI. Quòd nullus accedat ad Monaſteria Monialium, & quòd Moniales non exeant Clauſtrum.

XII. De Beneficiis Ordines ſacros requirentibus, & de pœna eorum, qui negligunt ad ipſos Ordines promoueri: & de Præbendis in Eccleſiis Cathedralibus abſque Ordinibus ſacris non retinendis.

XIII. De celebratione Miſſarum, & pœna non celebrantium.

XIV. De Baptiſmo, & eius forma.

XV. De veneratione Sanctorum in Confeſſione habenda.

XVI. De obſeruantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum Conciliorum.

XVII. De raptoribus & inuaſoribus bonorũ Eccleſiaſticorum mobiliũ.

XVIII. De obtinentibus Eccleſiaſtica Beneficia ſpectantia ad menſam Prælatorum.

XIX. De ſententiis interdicti, pro pecuniariis cauſis, minimè proferẽdis.

XX. De Indulgentiis reuocatis.

CONC. RAVENNATE IV.

celebratum BONONIAE, *anno* 1317. *tempore* IOANNIS *Papæ* XX: *vulgò* XXII.

CONSTITVTIONES CONCILII BONONIENSIS.

ANNO DOMINI M. CCC. XVII.

I. QVOD Epiſcopus ponat Oeconomum ad cuſtodiam rerũ vacantium Eccleſiarum.

II. Quòd nullus præſumat in ſpiritualibus miniſtrare, niſi priùs ab Epiſcopo loci ſibi fuerit animarum cura commiſſa.

III. Quòd quilibet ſe faciat promoueri infra annum ad Ordinem, quem requirit Beneficium ſuum.

IV. De vita & honeſtate Clericorum.

V. Quòd nullus de cetero recipiatur in Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, vel in Monachum, ſeu Fratrem alicuius Monaſterij, ſeu Regularis Eccleſiæ, ſine licentia ſpeciali ſui Ordinarij.

VI. Quòd nullus recipiatur in aliquo Monaſterio, ſeu Regulari loco, per potentiam laicorum.

VII. De denuntiatione fienda Metropolitano de Beneficiis vacantibus ad eum deuolutis.

VIII. Quòd certus Canonicorum numerus ſtatuatur in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, vbi non eſt ab antiquo ſtatutus.

IX. De Clericis non reſidentibus.

X. De quotidianis diſtributionibus.

XI. De cenſibus & collectis imponendis.

XII. De celebratione Miſſarum.

XIII. Quòd nullus Archipresbyter, Præpoſitus, vel Prælatus inferior Epiſcopo, poſſit in Eccleſiis ſibi ſubiectis inquiſitiones formare, accuſationes admittere, vel ad priuationem procedere contra Clericos earumdem Eccleſiarum.

XIV. De Iudæis.

XV. De cautione recipienda ab vſurariis, & de pœnis recipientium vſurarios ad Eccleſiaſtica Sacramenta, ſeu ſepulturam.

XVI. De pœna procurantium malè ablata incerta legari ſub alio nomine, ſeu modo.

XVII. Quòd Clerici & Religioſi à venationibus ſe abſtineant.

XVIII. De pœna Iudicum ſæcularium, qui Clericos repertos in armis, vel in aliis maleficiis deprehenſos, de-

Digitized by Google

comitatu, qui tertia decima vice in ſententiam Romanæ Eccleſiæ, Græcos ſuos toties deficientes, Concilio neceſſario pertraxit. Sic Trithemius.

Item, eidem Concilio interfuerunt ſolemnes Nuntij ſeu Procuratores Gręcorum, qui coram toto Concilio, Symbolum Nicæni & Conſtantinopolitani Conciliorum, *Credo in vnum Deum*, cecinerunt: quòd à ſuo veteri errore, quo dicebant, Spiritum ſanctum ſolo à Patre, & non à Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent, & velle credere, quòd ſancta Mater Romana & Orthodoxa Eccleſia credit & prędicat, ſcilicet, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æterna ſpiratione procedit. Sicut patet per Decretalem, quæ ſuper hoc eſt in eodem Concilio promulgata, cuius tenor talis eſt:

Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicauit & docuit ſacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium & Magiſtra: hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios ſunt prolapſi, nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, ſiue etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tamquã ex duobus principiis, non tamquam vno, procedat. Sed ipſi Græci ab hac fide & promiſſione ſubitò receſſerunt, propter quod Dominus Papa Martinus in Vrbe veteri eos excommunicatos nuntiauit.

Prætereà, quia in partibus Alemanniæ, & forſitan in aliis etiam, iniqua conſuetudo inoleuerat, de impignorationibus, in quibus vnus pro alio, ſiue innocens pro nocente indebitè prægrauatur, contra impignorantes huiuſmodi, idem Papa Gregorius in eodem Concilio edidit Decretalem, cuius tenor eſt talis:

Etſi impignorationes, quas vulgaris elocutio Repræſalias nominat, in quibus alius pro alio prægrauatur, tãquam graues Legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili ſunt Conſtitutione prohibitæ; vt tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tantò ampliùs timeatur, quantò ſpecialiùs in illis inhibetur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cuiuſuis conſuetudinis, quam potiùs reputamus abuſum, fore conceſſas: ad illas extendi præſenti Decreto diſtrictiùs inhibemus. Illi autem, qui contrà fecerint, aduerſus perſonas eaſdem impignorationes ſeu repræſalias concedendo, vel extendendo ad eas, nec præſumptionem huiuſmodi reuocauerint à conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonę ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Si verò vniuerſitas, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto.

Item, pro ſubſidio Terræ ſanctæ, impoſita fuit in eodem Concilio omnibus Eccleſiis & Monaſteriis, non tamen Xenodochiis nec Orphanotrophiis, ſolutio decimarum omniũ prouentuum Eccleſiaſticorum, per ſex annos continuos idem Concilium ſubſequentes. Quæ decima, quamuis ſtudioſè exacta fuerit, & recepta, non tamen eſt euidens, quæ vtilitas Terræ ſanctæ exinde fuerit procurata.

In hoc Concilio S. Bonauentura Cardinalis iam anteà factus, iuſſu Summi Pontificis interfuit, cuius opera & ſtudio vnio Eccleſiæ Græcæ cum Latina facta eſt.

CONC.

CONC. SALISBVRGENSE *pro recipiendis* LVGDVNENSIS SYNODI *Conſtitutionibus, aliiſque de cauſis congregatum anno Domini* 1274. *tempore* GREGORII *Papæ* X.

ANNO DOMINI M.CC. LXXIV.

AD honorem & gloriã ſponſæ Chriſti, & fidei Chriſtianæ. Nos Dei gratia, Fridericus, ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & ceteri aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, in Prouinciali hoc ſancto Concilio congregati, de conſilio Ven. Prælatorum Saltzburgẽſis Prouinciç, &c. Definiendo præcipimus, vt Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Eccleſiarum Prælati, Statuta ſacra Generalis Concilij celebrati proximè in Lugduno, in Eccleſiis, & ſubditis ſuis Clericis & laicis, ſecundùm quod eadem Statuta iſtis & illis conueniunt, & quantum eos tangunt, ſic ſollicitè & frequenter ſtudeant publicare, vt ipſorum Prouincialium & ſubditorum memoriæ & obſeruantiæ imprimantur.

Item ordinatum eſt, vt Statuta ſequentia ſeruentur:

Vt Abbates S. Benedicti illius Prouinciæ, Prouinciale Capitulum ſuum, infra feſtum Reſurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam à ſacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in ſe ipſis quàm in ſuis ſubditis, tractent & ordinent diligenter.

Vt Abbates prædicti Monachos fugitiuos in ſæculo diuagantes reuocari procurent. Et quòd in ſingulis Monaſteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, ſeu aliàs delinquentes enormiter Monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

Non eſt licitum Abbatibus, Monachos ad Ordinem ſtrictiorẽ transeuntes abſoluere ab obediẽtia, quæ Monachorũ oſſibus inſeparabiliter eſt affixa.

Vt pro leuibus offenſis ad alia Monaſteria Abbates non mittant: cùm delictum potiùs illic puniri & mori debeat, vbi committitur & patratur.

Vt Abbates non vſurpent ſibi Pontificum poteſtates.

Idem ſeruetur à Canonicis Regularibus.

Reuocantur licentię Fratribus diuerſæ Religionis factæ, in Confeſſionibus audiendis, & Indulgentiis largiendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale miniſterium pertinent.

Circa Indulgentias ab aliis prædeceſſoribus conceſſas, volumus eas manere in ſuſpenſo, & ne quis eis vtatur, ſub anathemate prohibemus, donec Epiſcopus loci plenè diſcutiat, quas in quibus locis ratas habere conueniat, aut quas magis expediat reuocari.

Clerici plura Beneficia non poſſideãt.

Clerici curam animarum habentes, in Parochiis reſideant.

Clerici comam non nutriant.

Clericus veſtes non deferat niſi clauſas, quas omninodò prohibemus à latere aperiri.

Clerici tabernas non intrent.

Clericus excommunicatus, ſacra profanans, carceri mancipetur.

Prælati neminem tondeant aut benedicant, niſi approbatam profiteantur Regulam.

Clericis vagis nullus aliquid beneficij vel iuuaminis erogare præſumat.

Sententias cenſurarum, quas vnus iuſtè protulerit, ceteri quoq; publicent.

Religioſus extra Ordinem ſuum Confeſſorem non eligat, niſi de Prælati ſui licentia.

Contra recipientes Prælaturam aut Eccleſias de manu laicorum.

CONC. TARRACONENSE *pro Canonizatione* RAYMVNDI PENNAFORTII *celebratum anno* 1279. *ſub* NICOLAO *Papa* III.

DE hac Synodo Baronius ex Surita iſta refert: M.CC. LXXIX.

Tarracone in Aragonia ad

7. Idus Decembris Bernardus Tarraconenſis Archiepiſcopus, Arnaldus Barcinonenſis, &c. item Abbates, & alij Prælati Concilium celebrarunt. Ex eius decreto literis enixè Nicolaum Pontificem interpellarunt, vt Raymundi Pennafortij viri ſanctiſſimi memoria, ſua certa deſtinataque ſententia religione omnium conſecraretur, araque ei inter Diuos ritu ſolemni ſtatuerentur, vtpote cuius viri ſanctitas inſigni tunc ſplendore apud omnes præfulgeret. Nihil vnus in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quòd Rex Petrus à Procyda ſeductus, turbas Italiæ moliretur, neque cenſum Romanæ Eccleſiæ pendere voluit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE

in cauſa ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE, *tempore* FRIDERICI *Archiepiſcopi habitum anno Domini* 1281. *ſub* MARTINO *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXI.

IN hoc Concilio ſtatuta ſunt plura ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia: vt De alienationibus Eccleſiarum, De diſpenſatione & Prælatorum ratione facienda: De ieiunio Religioſorum: De Monachis & Regularibus proprietariis: De habitu Religioſorum: De diſcurſu Religioſorum: De Capitulis Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum: De immoderatis ſumptibus Viſitatorum: De Monialibus in clauſtris communem vitam non ducentibus: De pluribus Beneficiis curam animarum habentibus: De reſidentia Plebanorum: De aduocatis Eccleſiarum: De his qui violentas manus mittunt in Clericos: De his qui loca ſacra execrauerint violenta ſanguinis effuſione: Contra Patronos & Iudices qui bona decedentium Clericorum inuadunt: De falſariis Clericis & laicis: De his qui à laicis inſtituuntur.

CONCIL. RAVENNATE

cauſa REFORMANDAE ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE *celebratum anno Domini* 1286. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

CONSTITVTIONES CONCILII RAVENNATIS.

NE Clerici ioculatores vel hiſtriones à laicis tranſmiſſos recipiant. M. CC. LXXXVI.

De pauperibus alendis & veſtiēdis.

De honeſtate & habitu Clericorum.

De promotione habentium Parochiales Eccleſias.

De quotidianis diſtributionibus.

De teſtamento vſurariorum.

De decimis.

De criminibus & delictis ſpecialiter Epiſcopis reſeruandis.

De immunitate Eccleſiarum.

CONC. HERBIPOLENSE,

ſub Præſidio N. Legati Sedis APOSTOLICAE, *in præſentia* RODVLPHI *Imperatoris multorumque Principum celebratum anno Domini* 1287. *tempore* HONORII *Papæ* IV.

EODEM anno, Chronicon Hirſaugienſe ait, Martinus Papa IV. Legatum de latere miſit in Alemaniam Epiſcopum Tuſculanum: qui veniens ad Herbipolim, in præſentia Rodulphi Regis Romanorum, & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, atq; nobilium, Concilium celebrauit: vbi inter alia Legatus ipſe nomine Papæ, contributionem decimi denarij à Clero, & Rex ab vniuerſo populo Imperij inſtantiſſimè exigere cœperunt; multis Principibus in eorum ſententiam conſentientibus. Siphridus autem Archiepiſcopus Colonienſis, & Henricus Archiepiſcopus Treuirorum, contra inſolitam ac nimis grauem exactionem ſe fortiter opponentes, negotium penitùs reuocarunt. Hæc Trithemius in prædicto Chronico. M. CC. LXXXVII.

CONC.

Digitized by Google

CONCILIVM MEDIOLANENSE, *in cauſa* DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE RESTITVENDAE, *habitum anno* 1288. *ſub* NICOLAO IV.

ANNO DOMINI M. CC. LXXXVIII.

CONSTITVTIONES Synodales hoc Concilio promulgatas, ſummatim recenſet Bzouius in Annalibus his verbis:

Mediolani porrò eodem anno, auctoritate Summi Pontificis, Otto Archiepiſcopus indicta conuocataq; Synodo Prouinciali, in Eccleſia ſanctæ Theclæ, præſentibus quamplurimis Epiſcopis, Abbatibus, & reliquis ex Clero, ad 12. diem Septembris multa ſaluberrima conſtituit.

In primis, Conſtitutiones Summorum Pontificum, & Friderici olim Imperatoris, contra hæreticos latas, inuiolabiliter obſeruari, & ex earum præſcripto, contra fidei Catholicæ præuaricatores procedi mandauit.

II. Abbates, Monachos, & reliquos omnes Religioſos, vt ex Formula S. Benedicti & S. Auguſtini viuerent, admonuit.

III. Ne Moniales quouis prætextu ſepta Monaſteriorum, in quibus recluſæ, egrederentur, edixit.

IV. Aucupium & venationem vniuerſo Clero, lata excommunicationis ſententia, interdixit.

V. Alienandi bona quæcumque, ſiue mobilia ſiue immobilia Eccleſiaſtici Iuris fuerint, poteſtatem omnibus abſtulit, néve quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, ſub anathematis & nullitatis cenſura prohibuit.

VI. In detentores Eccleſiaſticorum bonorum grauiſſimas pœnas promulgauit.

VII. Falſi crimine obnoxios à communione Sacramentorum atque fidelium ſegregauit.

VIII. Legatorum piorum fraudatores cœtu Chriſtianorum indignos eſſe iudicauit.

IX. Poteſtatem ædificandi Eccleſias aut Oratoria penes ſolos Epiſcopos eſſe iuſſit.

X. Rerum ſacrarum ex teſtamento vel codicillis relictam adminiſtrationem penes ſolos Parochos eſſe voluit: aliaque pro Eccleſiaſtica diſciplina, ex more priſco, ſiue reuocanda ſiue obſeruanda, in eodem Concilio ſanctiſsimè ordinauit.

CONCILIVM SALISBVRGENSE, *de* HOSPITALARIORVM, TEMPLARIORVM, *&* TEVTONICORVM *Ordinibus coniungendis, celebratũ anno Domini* 1291. *tẽpore* NICOLAI *Papæ* IV.

QVA occaſione hęc Synodus indicta, quidque in ea geſtum fuerit, Eberhardus huius temporis Scriptor, ita habet: M. CC. XCI.

Anno 1291. ciuitas Akaron, quam ſolùm habebant Chriſtiani in Terra ſancta, obſeſſa eſt per Soldanem Babylonenſem, & per 40. dies & noctes ſine intermiſsione impugnata, capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum millia & capta ſunt & occiſa, aliqui autem per nauigium fugerunt: & quia multorum erat opinio, quòd ſi Fratres domorum ibidem, ſcilicet Hoſpitalarij, Templarij, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, ciuitas capta nõ fuiſſet; mandauit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis, vt Concilia Prouincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel conſilio eidem Terrę poſsit ſubueniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ, reſcriptum fuit Domino Papæ, & conſultum, vt prædicti tres Ordines conuerterentur ad vnum Ordinem, melioribus eorum obſeruantiis in vnum redactis: & quòd ad ſuccurſum eiuſdem Terræ ſanctæ, Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuntij antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus eſt: & ſic hoc negotium remanſit infectum.

CONCIL. LONDINENSE *de eiectione* IVDAEORVM *habitum anno Chriſti* 1291. *tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

ANNO DOMINI M.CC.XCI BERNHARDO Epiſcopo Groſſetano Sedis Apoſtolicæ Legato in Anglia nondum præſente, Londini ad Weſtmonaſterium celebratum eſt Concilium. In hoc in primis agitatum eſt de eiectione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quò ſic oues ab hœdis ſegregarentur. Itaque publico iuſſum eſt Edicto, vt infra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi iuſſis Concilij parentes, aliò diſceſſerunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiuit, miſera ſemper alicubi terrarum peritura, vſqueeò dum denique deleatur.

Eodem Concilio Eduardus expoſuit, ſe cupere ire in auxilio Chriſtianis in Aſiam: & quia res ad Religionem pertinebat, voluit, vt Sacerdotes pecuniam ſuppeditarent. Poſtremò placuit Regi ſimiliter atque Principibus illud (Nota.) iniurium Iure iterato ſtatuere, ne cui hominum liceret dare prædia Collegiis Monachorum, néve liceret Monachis aut aliis Sacerdotibus emere poſſeſſiones. Superuenit tandem Legatus, & vnà cum Ioanne Beccano Archiepiſcopo Cantuarienſi ſibi adiuncto, Regem iniquitatis atque impietatis redarguit: Legemque abrogare, & Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque rebus ac perſonis libertatem reſtituere coëgit. Bzouius.

CONC. MEDIOLANENSE *pro auxilio* TERRAE SANCTAE *ferendo congregatum anno Domini* 1291. *tempore* NICOLAI *Papæ* IV.

M.CC.XCII AD diem 27. menſis Nouembris huius anni, Otto Archiepiſcopus Mediolani in Eccleſia S. Theclæ Synodo Prouinciali Epiſcoporum & vniuerſi Cleri congregata, multa ad Eccleſiaſticam diſciplinam reuocandam conſtituit, ac Fratre Stephanardo Ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Chriſti fidelium, ad auxilia Terræ ſanctæ à Saracenis oppreſſæ, auctoritate Summi Pontificis Cruce ſignauit. Dedit inſuper iſtud ſalubre Summo Pontifici conſilium, vt Milites Ieroſolymitani, vnà cum Templariis & Teutonicis in vnum Ordinem cõgregarentur, iiſdem inſtitutis viuerent, & vnitis armis contra Barbaros dimicarent, præfecto copiis Cruce ſignatorum Rege Galliarum. Bernard. Coïtus Hiſtor. Mediolan. 2.

CONCILIVM ASCAFFENBVRGENSE PROVINCIALE

ſub Præſidio GERARDI *Moguntini Archiepiſcopi celebratum anno* 1292. *poſt obitum* NICOLAI *Papæ* IV. *tempore Interregni Pontificij.*

DE hoc Concilio ita Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: M.CC.XCII.
Anno præſcripto Gerardus Archiepiſcopus Mogũtinus Synodum Prouincialem ſuffraganeis & Prælatis ſuis in Aſcaffenburg celebrandam indixit, vbi conuenerunt Epiſcopi Eiſtetenſis, Spirenſis, Auguſtenſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, Hildeshemenſis, & Wormatienſis, cum aliis multis Abbatibus, Prępoſitis, Decanis, atque Presbyteris, qui multa & varia in negotiis Eccleſiaſticis vtilia ſtatuerunt.

CONC. LVGDVNENSE, *quo inhibetur Principibus, ne* SACERDOTIBVS VECTIGALIA IMPONANT, *anno Domini* 1297. *celebratum, tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

HAEC Synodus, inquit Genebrardus lib. 4. Chron. celebrata, Præſide Bonifacio Pontifi- M.CC.XCVII.

cc,

Digitized by Google

ce, qui animaduertens, quotidie Principes noua vectigalia Sacerdotibus imponere, interdum ſine cauſa; interdixit in eo Concilio, ne poſthac id facerent, néve Sacerdotes iniuſſu Romani Pontificis illa impoſita conferrent.

CONC. ROMANVM,

quo PHILIPPVS *Rex Francorum excommunicatur, anno Domini* 1302. *tempore* BONIFACII *Papæ* VIII.

ANNO DOMINI M.CCC.II

ANNO à Chriſto Saluatore genito, 1302. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, graue aduerſum Pontificem Maximum Bonifacium Octauum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis ſtudioſiorem exiſtimans, tum quòd fidem temerè præuaricatam contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis antè annis, cùm alia quædam, tum de ſumma Romani Imperij poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeò Carolum fratrem diſertè fuiſſe in conuentis nominatum, cui id decus primùm aſſignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidiſſe ad nihilum, Alberto Auſtrino Teutonico Principe palàm nuper decretis eius comprobato.

Eas Rex cauſas grauiùs ſecum conſiderans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacij irritandi inuenta. Columna gens Romæ opibus & clientelis inſignis, Octauo, id eſt Bonifacio, inter Comitiorum arcana, ſuffragij iure ne legeretur, obſtiterat. Itaque eis quoq; Bonifacius, per ſpeciem expilati theſauri Eccleſiæ, effecerat, vt & ædes & ſuburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales iam eſſent, venerando Collegio excederent. Intereà Stephanus ex ea gente, profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo viſus eſt, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliuſque quàm fortuna exulantium eſt. Ad hoc Philippus, ne quid potentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus anteà pro decretis, proque more ſanctæ Matris Eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum Præſidis Romani ſtatuit.

Quæ vbi Summus Antiſtes intelligit, grauiſſimè tulit iniuriam peſſimi exempli, id quod erat exiſtimans, ſi vel Anteceſſorum rectè conſtituta temerè reſcinderentur, vel auctoritatem Pontificiam laicus Princeps profanaſſet. Itaque quò partes ſuæ iuſtiores vulgo noſcerentur, lege potiùs agere quàm armis inſtituit. Prælatos Gallicos maiores conuenire Romam vniuerſos iubet, ad publicam Synodum celebrandam. Hi ne Regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octauum Bonifacium delatis, increpatur Rex primùm per literas: deinde, cùm caſtigationem contumaciæ paruipenderet, ſacrorum participatione arcetur. Neque eo minùs Prælatis Regni ſui ipſe Lutetiam accerſitis, cauſam quoque ſuam approbare nititur. Hæc de Philippi excommunicatione Vecerius in Vita Henrici VII. Imperatoris.

CONCILIVM SALSBVRGENSE I.

cauſa DECIMARVM *Sedi Apoſtolicæ ſoluendarum habitum anno* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO Domini 1310. conuocato Prouinciali Concilio Saltſburgenſi, & propoſita ibidem petitione Domini Clementis Papæ Quinti, concordauerunt omnes, quòd ſumma Decimæ duorum annorum, ſi qua fuerit vel eſſe potuerit perſoluenda, ſolui debeat Summo Pontifici in terminis infraſcriptis: ita dumtaxat, quòd primus terminus ſolutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in iſto proximo feſto S. Georgij, ſit in proximo futuro feſto B. Martini; & ſecundus terminus ſolutionis faciendæ eiuſdé anni, ſit in proximo ſubſequenti feſto S. Georgij. M.CCC.X.

Digitized by Google

gij. Et primus terminus ſecundi anni, ſit in alio ſubſequenti feſto S. Martini: ſecundus verò terminus & vltimus ſit poſt hoc, in ſubſequenti feſto S. Georgij. Et quòd decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis & redditibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis. Hæc de eis, quæ Beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Et quòd Eccleſiæ, quarum redditus pro maiori vel pro media parte in obligationibus, Legatis, & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus legatiæ, ſeu teſtam. decimam ſoluere teneantur.

Item Capitula, Collegia, ſeu Conuentus in communi de ſuis redditibus decimabunt, &c.

Hoſpitalis verò, & Domus leproſorum, cum annexis ſibi Eccleſiis ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt, &c.

CONCILIVM SALSBVRGENSE II.

quo STATVTA *quædam* POENALIA *declarantur, anno Domini* 1310. *celebratum tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M.CCC.X. DECLARATIONES Statutorum in Concilio Prouinciali Domini Chunradi Archiepiſcopi Salisburgenſis anno Domini 1310.

Primò Statutum de Clericis tabernariis, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quòd cauſæ rationabiles & honeſtæ intelligi debeant, ſi quis ad tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum, &c. vel ſi impræmeditatè intret, oblitus Conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel vtili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit vel comederit, pœna Statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.

Item Statutum de rationibus faciendis taliter mitigamus, quòd reuocata pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, reliqua in robore permaneant.

CONC. MOGVNTINVM,

quo ſub Præſidio PETRI *Moguntini Archiepiſcopi, iuſſu Pontificis tractata eſt cauſa* TEMPLARIORVM, *anno Domini* 1310. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO 1310. ante Viennenſe Concilium, in quo Clementinas edidit Clemens V. Concilium habuit, ſecunda, tertia & quarta Feriis poſt Dominicam Iubilate, idem D. Petrus Prouinciale, in quo Statutorum Prouincialium, ex antiquioribus Synodis compendium collegit, cuius vix paucula ſuperſunt: & Romani Pontificis iuſſu tractata eſt Templariorum cauſa. M.CCC.X.

Comparuit autem in Synodo Hugo Comes Silueſtris & Rheni, qui morabatur in Brumbach cum XX. Fratribus, ſub habitu Ordinis propè armatis. Hi omnes, non quidem vocati, ſed vltrò & ſubitò in conſeſſum Patrũ irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiſcopus viros conſiderans, ac violentiam timens, placidè iubet, Commendator vt ſedeat, & ſi quid habeat in medium afferendum, vt depromat. Qui clara & libera voce exorſus, ſe ſuoſque Fratres inquit intellexiſſe, hanc Synodum, ſui Ordinis delendi gratia potiſſimùm congregatam ex commiſſione Romani Pontificis. Enormia enim ſcelera illa, & pluſquam Ethnica flagitia illis obiici, quæ in priuato deſignarent, quod ipſis ſanè eſſet grauiſſimum & intolerabile: maximè quòd non ordinariè auditi nec conuicti condemnarentur. Quare coram iſta Patrum congregatione ſe appellare & prouocare ad futurum Pontificem, eiuſque vniuerſum Clerum: publicè quoque proteſtare eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi eſſent & combuſti, conſtanter pernegaſſe, ſe quidquam eorum deſignaſſe, atq; in ea confeſſione tormenta & mortem perpeſſos: imò Dei Opt. Max. ſingulari iudicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quòd albæ chlamydes ac rubricatæ Cruces, igni non potuerunt abſumi.

Digitized by Google

mi. Archiepiſcopus his auditis, ne tumultus ſuboriretur, proteſtationem eorũ admiſit, ſeq; cum Romano Pontifice acturũ reſpondit, vt quieti eſſe poſſint, atque ita ad propria ſunt dimiſſi. Poſteà verò Petrus aliam commiſſionem obtinuit, iuxta quam procedens, prędictos cenſuit abſoluendos, actum anno 1311. Kalendis Iulij, vt Nauclerus ex quodam Iacobo Moguntino tradit. Habuiſſe autem Archiepiſcopum Moguntiæ Concilium Prouinciale anno 1313. refertur M.S. ſed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur vnum & idem. Hæc Serarius lib. 5. in Hiſtoria Petri Archiepiſcopi.

CONC. VIENNENSE GENERALE XV.

TRECENTORVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM,

quo BONIFACIVS *Papa* VIII. *à calumniis* PHILIPPI *Regis Francorum abſoluitur:* TEMPLARII *extirpantur: hæreſes* PETRI IOANNIS, FRATICELLORVM & DVLCINISTARVM, BEGARDORVM & BEGVINARVM *condemnantur, expeditioq; pro recuperanda* TERRA SANCTA *ſuſcipienda decernitur, plurimaq; Conſtitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in Corpore Iuris Canonici) pro* REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *promulgantur, anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papa* V. & HENRICI VII. *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.CCC.XI.

IN Ieroſolymitana vrbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cùm iuxta templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus & officium fuit, tueri fines ac vias Ieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis, vt aduenæ & peregrini ad ſancta illa loca inuiſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce Militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitę diſcrimen adierunt. Verùm deinde à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, Eccleſiis decimas & primitias ſubtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſiniorum etiam Legatum à Templariis contra Ius Gentium fuiſſe occiſum, ſcribit Wilielmus Tyrenſis. Præterea ad Clementem Quintum Summum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Põtifex, an hæc vera eſſent, diligenter inueſtigauit, & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent, præcepit; ac tum Magiſtrum Ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia eſſe prolapſos. Cumque Templariorum Religio eſſet toto iam ferè Chriſtiano orbe proſeminata atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium Generale cenſuit conuocandum. Per idem tempus peruerſi quidam homines hęreſes diſſeminabant, vt Petrus Ioannis, qui animam rationalem formam eſſe humani corporis negabat, gratias & virtutes in Baptiſmo

ptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum.

In Alemania quoque ſurrexerunt Beguardi peſſimi homines, ac Beguinæ infideles ac peruerſæ feminæ, qui primùm quidem aſſerebant, Hominem in hac vita quoque tantum ac talem perfectionis gradum conſequi poſſe, vt penitùs impeccabilis reddatur, neque in gratia ampliùs proficere poſſit. Secundò, Nec ieiunare nec orare quemquam oportere, vbi fuerit gradum perfectionis huiuſmodi conſecutus. Tertiò, Eos, qui ſunt in hoc perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis, non eſſe humanæ ſubiectos obedientiæ, neque vlla præcepta Eccleſiæ ſeruare debere. Quartò, Poſſe hominem ita finalem beatitudinem, iuxta omnem perfectionis gradũ in hac vita adipiſci, vt eam in vita beata obtinebit. Quintò, Quamlibet intellectualem naturam in ſeipſa naturaliter eſſe beatam, neque animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Sextò, Se in actibus exercere virtutum, eſſe hominis imperfecti; quia anima perfecti, dimittit à ſe virtutes. Septimò, Mulieris oſculum (cùm ad hoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatum: actum autem carnalem (cùm ad hoc inclinet natura) non eſſe peccatum, maximè cùm tentatur exercens. Octauò, In eleuatione Corporis Ieſu Chriſti, ab huiuſmodi perfecto homine aſſurgendũ non eſſe, aut ei reuerentiam exhibendam: aſſerebant enim, fore imperfectionẽ eidem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderet, vt de Sacramento Euchariſtiæ aut de Paſſione humanitatis Chriſti quidquã cogitaret.

Ad has igitur nefarias hæreſes damnandas, & propter Templariorum cauſam, ac recuperationem Terræ ſanctæ, Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum ſtabilitatem ac libertatem, atque ad deprauatos hominum mores corrigendos, Clemens Generale Concilium Viennæ in Gallia biennio antè indixit, vt ad Synodum accederent. Conuocauit igitur Archiepiſcopos & Epiſcopos. Per literas etiam Regibus ſignificauit, vt Oratores ad Synodum deſtinarent. Sed cùm ad conſtitutam diem Concilium habere non potuiſſet, illud in aliud biennium prorogauit. Anno igitur ſeptimo Clementis, qui fuit annus Domini 1311. Clemens Summus Pontifex cum Cardinalibus, ac ampliùs trecentis Epiſcopis atque aliis Prælatis, ad Concilium Viennę conuenit. Ibi Petri Ioannis, Beguardorum ac Beguinarum hæreſes condemnauit: Templariorum ordinem extinxit, eorumque bona Hoſpitalariis militibus attribuit. De Terræ ſanctæ verò recuperatione eadem ferè decreuit, quæ priores Pontifices in Generalibus Conciliis anteà conſtituerant. Multas edidit Conſtitutiones Eccleſiaſticæ diſciplinę perutiles: quas vnà cum aliis, tum ante tum poſt Concilium editis, in vnum volumen contulit: quod volumen, cùm morte præuentus promulgare non potuiſſet, Ioannes XXII. qui illi in Pontificatu ſucceſſit, poſteà in lucem edidit: eamque Collectionem Clementinas appellauit. Verumtamen cùm huiuſmodi Concilij propria Decreta à Clementinis ſeparata non reperiantur, viſum non eſt, tam ab aliis Clementis Conſtitutionibus illa eſſe ſeiungenda, aut in hanc Conciliorum editionem coniicienda: cùm præſertim & ipſe Clemens, & Ioannes eius ſucceſſor, in vnum volumen, quod eſt in manibus, iam tum retulerint. Peracto demum Concilio, aliqua conceſſit Pontifex Epiſcopis, qui ad illud conuenerant, Priuilegia.

S. Antoninus 3. par. Hiſtor. titul. 11. cap. 3. de hoc Concilio ſic loquitur: *Anno Domini 1311. Kalendis Nouembris cœpit celebrari Concilium Generale Viennæ in Burgundia prout fuerat antè publicatum. In quo præſentes fuerunt pluſquam trecenti Epiſcopi vltra alios Prælatos de diuerſis partibus orbis. Et cùm Clemens, vt ſatiſ-*

faceret

faceret promiſſioni factæ Regi Franciæ in ſua promotione, ſcilicet, de delenda memoria Bonifacij ex Eccleſia, cum Prælatis Concilij tractaret; quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat: Concilium nullo modo aſſentire voluit: ſed contrarium declarauit, ſcilicet, ipſum fuiſſe Catholicum & indubitatum Pontificem. Verùm quia ipſe fecerat proceſſus contra Regem Franciæ, ad quietandum ipſum, non valentem obtinere quod cupiebat iniuſtum, declarauit & firmauit Decreto Concilij, quod quacumque de cauſa Rex offendiſſet Bonifacium Papam, ſeu Eccleſiam, nullo vmquam tempore poſſet ipſi Regi, vel eius filiis & heredibus aliquid damni inferri vel pœna.

De Templariis hac Synodo ſublatis & extirpatis, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi iſta habet: *Ibi ordo Templariorum, qui annis fermè 184. ſteterat, ab ipſo Clemente Papa condemnatus fuit, & vno die per vniuerſum orbem deletus ad inſtantiam Philippi Regis Francorũ, cuius promotione ipſe Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij valdè diuites, quorum poſſeſſiones, vt Rex ſibi acquireret, crimen eis hæreſeos falſum impoſuit, vt multi voluerunt, & extingui omnino parauit.*

Ioannes Marius eadem commemorans, ait: *In hoc quoque Concilio decretum eſt, vt bona, redditus, ac poſſeſſiones Templariorum, qui propter hæreſim aliaque facinora nefanda deſtructi at combuſti fuerant, equitibus Ieroſolymitanis, qui nunc Rhodij dicuntur, attribuerentur.*

Otho Vrſpergenſis in Chronico poſt annum 1227. ait: *Fridericus II. apud Acon in Terra ſancta, vt aiunt, multa ſuſtinuit ex perfida proditione Templariorum.*

Platina in Vita Clementis Quinti, *Reſcitum eſt*, inquit, *Templarios à noſtris ad Saracenos defeciſſe.*

Sed audiamus quid dicat ipſe Clemens V. in ſua ſententia.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad prouidam Chriſti Vicarij præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet, &c. *Dudum ſiquidem Ordinem Domus militiæ Templi Ieroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, ceteraſque perſonas dicti Ordinis in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diuerſis non tam nefandis, quàm infandis (proh dolor!) errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, prauitatibus, maculis, & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus, eiuſque Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitiuæ ſententiæ, cùm eam ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, nõ poſſemus ferre de Iure; ſed per viam prouiſionis ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictiùs inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cetero intrare, vel eius habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret: quòd ſi quis contrà faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Vniuerſa etiam bona Ordinis prælibati, Apoſtolicæ Sedis ordinationi & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica duximus reſeruanda*, &c.

In hoc eodem Concilio damnati fuerunt errores Beguinarum & Beguardorum, de quibus ſuprà in Hiſtoria.

Fraticelli etiam & Dulciniſtæ damnati ſunt.

Item pro expeditione ad Terram ſanctam recuperandam multa verba iactata ſunt, quæ, vt ait Krantzius, in irritum cecidere.

Conſtitutiones verò in hoc Concilio factæ, extant in Clementinis.

In hoc ipſo Concilio, vt ait S. Antoninus, fuit Sanctorum Catalogo adſcriptus S. Ludouicus filius Caroli II. Regis Apuliæ, & frater Roberti Regis. Qui Ludouicus, cùm eſſet primogenitus Caroli, propter quod ad eum Regnum Apuliæ ſpectabat, mundũ contemnens, habitum Ordinis Minorum aſſumpſit ex humilitate & deuotione, poſteà Archiepiſcopus Toloſanus factus, religioſam & ſanctam conuerſationem

Digitized by Google

tionem vſque ad finem ſeruans, requieuit in Domino miraculis clarus.

Et hæc de Actis in Concilio Viennenſi.

CONC. RAVENNATE II.

pro DISCIPLINA & MORIBVS ECCLESIAE *reformandis, celebratum anno* 1311. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* V.

ANNO DOMINI M.CCC.XI.

CONSTITVTIONES editę in Cõcilio Prouinciali celebrato in Eccleſia Rauennate, & conuocato per Venerabilem Patrem D. Rainaldum, permiſſione diuina ſanctę Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopum.

I. De orationibus fundendis ad Deum pro Cleri ordinatione vacantium Eccleſiarum, & aliis diuinis Officiis.

II. De exequiis Epiſcoporum decedentium.

III. De anniuerſariis Epiſcoporum.

IV. De anniuerſario Patronorum & Benefactorum Eccleſiarum.

V. De Reliquiis Sanctorum, & earum veneratione.

VI. De Sacramentis Eccleſiaſticis.

VII. De cuſtodia Euchariſtię, Chriſmatis, & Olei ſancti.

VIII. De vtenſilibus, paramentis, & libris, & ceteris ornamentis Eccleſiaſticis.

IX. De informatione Miniſtrorum, & celebratione Miſſarum.

X. De annuntiatione Feſtorum, ac celebratione ipſorum, & obſeruatione ieiuniorum.

XI. De Sacramento Baptiſmi, & forma conferenda.

XII. De munditia Eccleſiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta.

XIII. De Prædicatoribus verbi Dei.

XIV. De ſtatu Regularium, & ipſorum reformatione.

XV. De pœnitentiis.

XVI. De Beneficiis, & Præbendis Eccleſiaſticis, & idoneitate & ſufficientia Miniſtrorum.

XVII. De Monachis, vt omnes eiuſdem Ordinis in diuinis Officiis ſint conformes.

XVIII. Quòd ſinguli comprouinciales Epiſcopi ſemel in anno Synodum facere teneantur.

XIX. De clandeſtina deſponſatione, & matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

XX. De intruſis & electis per poteſtatem laicorum.

XXI. De contumacibus & rebellibus ſubditis contra debitam obedientiam Prælatorum.

XXII. De Apoſtatis.

XXIII. De Iudæis.

XXIV. De exceſſibus Prælatorum.

XXV. De Rectoribus Hoſpitaliũ.

XXVI. De iniuriis, & damño dato.

XXVII. De exceſſibus laicorum blaſphemantium Deum, vel Sanctos.

XXVIII. De pœna illorum, qui excommunicationem contemnunt.

XXIX. De pœna adulterorum.

XXX. De eleëmoſynarum largitione.

XXXI. De Teſtamentis.

XXXII. De ſalariis & ſolutionibus ſcripturarum.

CONC. RAVENNATE III.

eadem de cauſa celebratum anno Domini 1314. *poſt obitum* CLEMENTIS V. *tempore Interregni Pontificij.*

CONSTITVTIONES D. Rainaldi editæ in Concilio celebrato Argentæ. M.CCC.XV

I. Quòd tantùm conſtituti in ſacris vocem habeant in Capitulo.

II. De ætate & qualitate ordinandorum.

III. De non conſecrandis in Epiſcopos peregrinis & ignotis, & quòd aliquis Suffraganeus non vadat extra Prouinciam pro conſecratione facienda.

IV. De peregrinis & ignotis Epiſcopis non admittendis.

V. De

Digitized by Google

V. De Delegatis, vel Legatis, vt faciant fidem ſuæ Legationis.

VI. De maioritate, & obedientia, ac honorificentia Prælatorum, & pœna non obedientium ſuperioribus ſuis.

VII. De inſtrumentis conficiendis, & non retinendis per Aduocatos, Notarios, ſeu Procuratores.

VIII. De præſcriptionibus, & quòd nullus prætextu alicuius temporis, poſſit ſe defendere quin viſitetur.

IX. De appellationibus, & pœna non proſequentium appellationem ab excommunicatione interpoſitam.

X. De vita & honeſtate Clericorũ.

XI. Quòd nullus accedat ad Monaſteria Monialium, & quòd Moniales non exeant Clauſtrum.

XII. De Beneficiis Ordines ſacros requirentibus, & de pœna eorum, qui negligunt ad ipſos Ordines promoueri: & de Præbendis in Eccleſiis Cathedralibus abſque Ordinibus ſacris non retinendis.

XIII. De celebratione Miſſarum, & pœna non celebrantium.

XIV. De Baptiſmo, & eius forma.

XV. De veneratione Sanctorum in Confeſſione habenda.

XVI. De obſeruantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum Conciliorum.

XVII. De raptoribus & inuaſoribus bonorũ Eccleſiaſticorum mobiliũ.

XVIII. De obtinentibus Eccleſiaſtica Beneficia ſpectantia ad menſam Prælatorum.

XIX. De ſententiis interdicti, pro pecuniariis cauſis, minimè proferẽdis.

XX. De Indulgentiis reuocatis.

CONC. RAVENNATE IV. *celebratum* BONONIAE, *anno* 1317. *tempore* IOANNIS *Papæ* XX. *vulgò* XXII.

CONSTITVTIONES CONCILII BONONIENSIS.

ANNO DOMINI M. CCC. XVII.

I. QVOD Epiſcopus ponat Oeconomum ad cuſtodiam rerũ vacantium Eccleſiarum.

II. Quòd nullus præſumat in ſpiritualibus miniſtrare, niſi priùs ab Epiſcopo loci ſibi fuerit animarum cura commiſſa.

III. Quòd quilibet ſe faciat promoueri infra annum ad Ordinem, quem requirit Beneficium ſuum.

IV. De vita & honeſtate Clericorum.

V. Quòd nullus de cetero recipiatur in Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, vel in Monachum, ſeu Fratrem alicuius Monaſterij, ſeu Regularis Eccleſiæ, ſine licentia ſpeciali ſui Ordinarij.

VI. Quòd nullus recipiatur in aliquo Monaſterio, ſeu Regulari loco, per potentiam laicorum.

VII. De denuntiatione fienda Metropolitano de Beneficiis vacantibus ad eum deuolutis.

VIII. Quòd certus Canonicorum numerus ſtatuatur in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, vbi non eſt ab antiquo ſtatutus.

IX. De Clericis non reſidentibus.

X. De quotidianis diſtributionibus.

XI. De cenſibus & collectis imponendis.

XII. De celebratione Miſſarum.

XIII. Quòd nullus Archipresbyter, Præpoſitus, vel Prælatus inferior Epiſcopo, poſſit in Eccleſiis ſibi ſubiectis inquiſitiones formare, accuſationes admittere, vel ad priuationem procedere contra Clericos earumdem Eccleſiarum.

XIV. De Iudæis.

XV. De cautione recipienda ab vſurariis, & de pœnis recipientium vſurarios ad Eccleſiaſtica Sacramenta, ſeu ſepulturam.

XVI. De pœna procurantium malè ablata incerta legari ſub alio nomine, ſeu modo.

XVII. Quòd Clerici & Religioſi à venationibus ſe abſtineant.

XVIII. De pœna Iudicum ſæcularium, qui Clericos repertos in armis, vel in aliis maleficiis deprehenſos, de-

Digitized by Google

tentos retinent, vel ad ſuum Iudicem opprobrioſè remittunt.

XIX. Quòd nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri.

XX. De Indulgentiis ſeu remiſſionibus.

XXI. De exequiis Epiſcoporũ nuntiandis per Capitula Eccleſiarum Cathedralium Archiepiſcopo & Suffraganeis, vt deuotè ab omnibus celebrentur.

XXII. De Beneficiis & Indulgentiis conceſſis in Concilio, & de poteſtate diſpenſandi, & interpretandi Conſtitutiones Concilij.

XXIII. De Monialibus.

XXIV. De ſalariis Notariorum & Sigilliferorum.

CONC. SABINENSE APVD VALLEMOLETI PALENTINÆ DIOECESIS,

auctoritate GVILLERMI *Sabinenſis Epiſcopi & Sedis Apoſtolicæ Legati celebratũ in Hiſpania, anno Domini 1322. tempore* IOANNIS *Papæ* XX. *vulgò* XXII.

ANNO DOMINI M.CCC. XXII.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

Iſtæ ſunt Conſtitutiones per nos fratrem Guillermum, Dei permiſſione Epiſcopum Sabinenſem Apoſtolicæ Sedis Legatum, factæ ac editæ in Concilio celebrato per nos apud Vallemoleti Palentinæ Diœceſis, Prælatis omnibus noſtræ Legationis ad celebrandum dictum Concilium conuocatis: De Conſtitutionibus. De officio Ordinarij. De foro competenti. De Feriis. De teſtibus. De vita & honeſtate Clericorum. De cohabitatione Clericorum & mulierum. De Clericis non reſidentibus. De Præbendis. De Parochiis. De Decimis. De ſtatu Monachorum. De Religioſis domibus. De Iure Patronatus. De Baptiſmo. De obſeruatione ieiuniorum. De immunitate Eccleſiarum. De conſanguinitate & affinitate. De Simonia. De Magiſtris. De Iudæis & Saracenis. De adulteriis. De raptoribus. De ſortilegiis. De purgatione Canonica. De purgatione vulgari. De pœnitentiis.

CONC. TOLETANVM

auctoritate IOANNIS *Archiepiſcopi & Primatis Toletani, celebratum anno Domini 1324. tempore* IOANNIS XX. *vulgò* XXII.

In nomine Domini, Amen. M.CCC. XXIV.

CONSTITVTIONES CONCILII TOLETANI.

Vt Conſtitutiones per Dominum Guillermum Sabinenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, in Concilio per eum Vallemoleti celebrato ſeruentur, cum infraſcriptis:

Vt Epiſcopi vocati ad Concilium, perſonaliter veniant, niſi legitimo impedimento fuerint detenti.

Nullus Clericus ſupertunicale vel tabardum deferat ita longum, quòd ſi ad pedes contingat, nullatenus per terram trahatur, cùm hæc non honeſtas, ſed ſuperfluitas & indecentia cenſeatur.

Vt Cappellaniæ & Beneficia inſtituta, & de cetero inſtituenda, habeant iuxta ordinationem ſtatuentium proprios ſeruitores.

Nullus in Curato beneficio adminiſtret, donec in eo per Diœceſanum Epiſcopum inſtitutione auctorizabili fuerit inſtitutus, ſeu ſibi cura commiſſa fuerit animarum.

Nullus Clericorum bona intuitu Eccleſiæ acquiſita, filiis vel filiabus ſuis det vel conferat inter viuos, vel in teſtamento contra Canonum inſtituta dimittat.

Nullus Presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; ſed gratè accipiat, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari, oblatum ſibi charitatiuè fuerit, abſque pacto & conuentione quacumque.

Nullus inſuper abſque cauſa neceſſitatis, excepto die Natiuitatis Domini, præſumat, niſi vnam Miſſam celebrare in die. Præcipimus etiam in virtute ſanctæ

ctæ obedientiæ omnibus Presbyteris, quòd Miſſam celebrent, vt frequentiùs poterunt, & ad minus quater in anno. Alij verò Clerici ad minus communicent ter in anno.

Ne Saracenis victualia vendantur.

CONC. AVENIONENSE

contra NICOLAVM V. *Antipapam, eiuſque errorem celebratum, tempore* IOANNIS *Papæ* XX. *vulgò* XXII.

ANNO DOMINI M. CCC. XXVIII. NICOLAVS Quintus, Petrus Corbarienſis anteà nominatus, Ordinis Minorum, contra Ioannem XXII. quem Ludouicus IV. acerrimè oderat, ſtudio & opere eiuſdem Ludouici Antipapa creatus fuerat. Qui cùm præter ſchiſma Eccleſiæ illatum, publicè doceret, Ieſum eiuſque diſcipulos adeò pauperes ſemper fuiſſe, vt nihil vmquam neque in commune neque priuatim habuiſſent; indictum eſt hoc Concilium, quo Antipapam verè meritoq; condemnauit, erroremque eiuſdem, ſacræ Scripturæ contrarium refutauit. Celebratum eſt hoc Concilium iuxta Marium c. 21. De ſchiſmaticis, tempore 21. ſchiſmatis.

CONC. TOLETANVM I.

auctoritate ÆGIDII *Toletani Archiepiſcopi ad* REFORMANDOS MORES ECCLESIAE *celebratum anno Domini* 1339. *tempore* BENEDICTI XI. *vulgò* XII.

M. CCC. XXXIX. NE poſſeſſiones Eccleſiarum alienentur, ſub pœna excommunicationis.

Promouendi ad Ordines & ad curam animarum, literati ſint.

Ex qualibet Cathedrali vel Collegiata Eccleſia aliqui Clerici apti & docibiles, ad ſtudia generalia Theologiæ, & Iuris Canonici, ac Liberalium artium mittantur.

Ad Concilium celebrandum Epiſcopi citati accedere teneantur, vel ſaltem aliquem ſuo nomine mittere, ſi ipſi impediti fuerint legitimè.

Vniuerſi & ſinguli Eccleſiarum Rectores, ſub pœna excommunicationis ſeruare teneantur præſcriptum in cap. Omnis vtriuſque ſexus.

CONC. TOLETANVM II.

auctoritate ÆGIDII *Archiepiſcopi Toletani celebratum anno Domini* 1347. *tempore* CLEMENTIS *Papæ* VI.

VT Epiſcopi deferant cappellos rotundos, & in ſuperiori parte laneos, nullatenus ſericos, cum nigra, & non alterius coloris, ſodratura. M. CCC. XLVII.

De immunitate Eccleſiarum.

De pœnitentiis & remiſſionibus.

De Simonia.

CONC. SALSBVRGENSE

in cauſa DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE *tempore* PILGRINI *Archiepiſcopi celebratum anno Domini* 1386. *ſub* VRBANO *Papa* VI.

IN hac Synodo multa vtilia ſtatuta ſunt: De modo dicendi Horas Canonicas. De abſolutionibus impendendis. De abutentibus Indulgentiis à ſuperioribus, ſuper abſolutionibus conceſſis. De modo abſolutionis impendendæ in caſibus dubitabilibus. De habitu Clericorum. De munda conſeruatione rerũ & vaſorum diuino cultui deputatorum. Ne mendicantes admittantur ſine Diœceſanorum licentia. De immunitate Clericorum, & eorum rerum, ab impoſitionibus ſæcularium Dominorum. Contra vilipendentes ſententias excommunicationis. De non recipiendis pedagiis à Clericis. De occupatoribus Beneficiorum, & bonorum eorum. De vſurariis, & eorum pœnis. Ne Clerici conueniantur coram ſæcularibus Iudicibus. Ne ignoti Presbyteri admittantur ad diuina. De Notariis publicis. Vt Epiſcopi, Prælati, & Rectores habeant quæſtiones ſigillatim. M. CCC. LXXXVI.

CONCILIVM PALENTINVM

ſub Præſidio PETRI DE LVNA *Anticardinalis in Hiſpania (quæ adhuc iſto tempore* CLEMENTI *Antipapæ adhæreſcebat) celebratum anno Domini* 1388. *tempore* VRBANI *Papæ* VI.

ANNO DOMINI M. CCC. LXXXVIII. De officio Ordinarij. De cohabitatione Clericorum & mulierum. De Clericis coniugatis. De rebus Eccleſiæ non alienandis. De Iudæis & Saracenis. De Feriis per infideles colendis. De adulteris.

CONCILIABVLVM AQVILEGIENSE IN AVSTRIA

pro TOLLENDO SCHISMATE *per* GREGORIVM *Papam* XII. *anno Domini* 1409. *circa feſtum Pentecoſtes celebratum.*

M. CCCC. IX. HANC Synodum Gregorius indixit anno Pontificatus ſui ſecundo, per epiſtolam quamdam apud Theodoricum Niem lib. 2. de Schiſmate extantem, in qua ſic habetur:

Generale Concilium, (quod omnes vias ad vnionem includit, quodq; congregare ſolius Romani Pontificis eſſe dignoſcitur, ſine cuius auctoritate factum, non Concilium, ſed Conciliabulum aut Conuenticulum dicitur, & diffinitur nullum exiſtere) ad feſtum Pentecoſtes immediatè ſequentis, & in Prouincia Aquilegienſium, & Exarchatu Rauennatis, diuino auxilio inuocato, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore indicimus, & etiam conuocamus, &c. Et quoniam peſtiferum hoc ſchiſma tolli veriſimiliter non ſperatur ſine Dominorum temporalium voluntate, chariſſimos in Chriſto filios noſtros Rupertum Romanorum, & alios Reges & nobiles viros, Duces, Principes, ceteroſque potentes, nec non Communitatum & Vniuerſitatum regimina principalia requirimus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus ad idem Concilium perſonaliter veniant, aut aliquos viros ſolemnes, & doctos, & Deum timentes tranſmittant, vt fiat, Deo annuente, pax & vnitas eodem in populo Chriſtiano, &c. Sic in Epiſtola præfata.

Idem Gregorius à Luca recedens, & ad Senenſium ciuitatem perductus, ſtando ibi per tres menſes, vel circiter, interim ad dilatandum ſchiſma alios nouos Cardinales creauit, & poſteà verſus Ariminum tranſiuit, vbi etiam hiemando in Quadrageſima tunc inſtanti, ad terram ciuitatis Auſtriæ Aquilegienſis Diœceſis acceſſit, & ibi circa feſtum Pentecoſtes tunc ſequens, ſuum Conciliabulum celebrauit, paucis ibi exiſtentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c.

CONCILIABVLVM

auctoritate BENEDICTI *Antipapæ, quem vulgo* XIII. *nominant, celebratum in* ARAGONIA *anno Domini* 1409.

ACTA Concilij Theodoricus Niem lib. 3. Schiſmatis, c. 36. & 37. deſcribit his verbis: M. CCCC. IX.

Præfatus verò Petrus de Luna in ipſo Regno Aragoniæ tunc temporis aliud Conciliabulū, in quo erant quamplures Epiſcopi, Abbates, & alij Eccleſiaſtici Prælati de Hiſpania, Catalonia, & quibuſdam adiacentibus Prouinciis de ipſius obedientia, celebrabat. In quo quidem Conciliabulo inter cetera dicti Epiſcopi ſic conſuluerunt: Sanctiſſime Pater, hoc ſacrum Generale Concilium ſupplicat & conſulit humiliter & deuotè S. V. Primò, Quòd non obſtantibus quibuſcumque perſecutionibus & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum & bonum Chriſtianitatis proſequi efficaciter ſanctam vnionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, procurando per viam renuntiationis omnibus aliis viis prætermiſſis, nulla tamen alia via excluſa, &c.

CON-

Digitized by Google

CONCIL. PISANVM OECVMENICVM SEV VNIVERSALE

quod ad TOLLENDVM SCHISMA *indictum*, GREGORIO *Pontifice*, *&* BENEDICTO *Pſeudapapa depoſitis*, ALEXANDRO V. *conſenſu Cardinalium vtriuſque obedientiæ electo, celebratum fuit anno Domini* 1409.

ANNO DOMINI M.CCCC.IX.

HOC Concilium indictum & congregatum fuit à Cardinalibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. anno ſalutis 1409. ad ſchiſma tollendum. Res ſic geſta eſt, vt patet ex Blondo lib. 10. Decade 2. & S. Antonino par. 3. tit. 12. cap. 5. §. 2. Cardinales obediétię Gregorij XII. videntes negotium extirpandi ſchiſmatis paulatim ad nihilum reduci, & non ſolùm Gregorium XII. ſed etiam Benedictum XIII. concordiam recuſare, cõtra iuſiurandum & fidem in ipſorum electionibus datam: Gregorium quoque contra idem iuſiurandũ & fidem, alios Cardinales, abſque vlla neceſſitate, & ipſis inuitis creare, hanc nacti occaſionem ab eo tunc Lucæ commorante recedentes, Piſas petiere. Quod cùm plerique eorum, qui Benedictum XIII. ſequebantur, vidiſſent, ſimili exemplo ipſum Benedictum deſerentes, ceteris Cardinalibus Gregorij, qui Piſis erant, ſeſe adiunxerunt, ibique indicto Concilio Generali, & cum maxima Prælatorum frequentia inchoato, vterque Pontifex ab iis damnatus eſt, & vtroque tamquam periuro, ſchiſmatico, hæretico, colluſore, & ſchiſmaticorum fautore, publico omnium Decreto Nonis Iunij anno Domini 1409. è Pontificatu deiecto, in vtriuſque locum vigeſimo poſt abrogationem die, tertium elegerunt Petrum Philaretum, natione Græcum, Prouinciæ Cretenſis, inſtituti & Ordinis Fratrum Minorum, ex ſacro Theologiæ Doctorum examine Préſbyterum Cardinalem Baſilicæ SS. Apoſtolorum, & Alexandrum Quintum vocauerunt.

Interfuerunt in eo Concilio Cardinales 23. Patriarchæ tres, Archiepiſcopi & Epiſcopi 300. Monaſteriorum Præfecti 280. Theologi & Legati Principum Europæ.

Dubitatum eſt valdè, an Canonicè & legitimè eſſet Concilium conuocatum, eò quòd ſine vlla Romani Pontificis auctoritate eſſet indictum. De ea re, teſte Antonino loco citato, Laurentius Rodulphus Florentię triduo diſputauit, & tandem concluſit, Concilium eſſe legitimum. Ioannes Gerſon in libello, An Papa exauctorari poſſit, *Hi Dei nutu*, inquit, *& Spiritus ſancti, ſicut credendum eſt, tacti fuerunt.* Item cùm Alexander V. Bononiæ grauiter ægrotaſſet (dicitur quòd toxicatus fuit in cliſterio) & cognouiſſet ſibi mortem imminere, Cardinales ad ſe venientes, ad concordiam & pacem, & ad tuendam Eccleſiæ dignitatem adhortatus, dixit, per eam mortem, quam ſe continuò ſubiturum putabat, ſe exiſtimare & credere, quæ in Concilio Piſano acta fuerant, rectè & integrè ſine dolo malo facta fuiſſe. Inſuper ipſe Alexander V. in eo Concilio creatus in numero Pontificum Romanorum reponitur, & qui multo pòſt tempore ſecutus eſt eodem nomine, Alexander Sextus dictus eſt.

Antoninus loco citato dicit fuiſſe Conciliabulum, quia abſque Romani Pontificis auctoritate fuit cõgregatum. Sed quia Gregorius XII. Concilij conuocationem non recuſabat, ſed ſolùm reſtitit ne Piſis congregaretur, ſubiungit Azorius: Denique quidquid ſit, Concilium Piſanum congregatum eſt à Cardinalibus tempore ſchiſmatis, quo duo Pontifices erant dubij & incerti, & indictum eſt non ad res fidei definiendas, ſed ad ſchiſma in Eccleſia noxium abſcindendum, quamuis reuerà ſublatum non ſit, ſed potiùs auctum, quia Gregorius XII. & Benedictus XIII. Pontificatũ deponere noluerũt. Quando plures ſunt dubij & incerti Romani Pontifices, iis inuitis, Cardinalium au-

ctoritate Concilium Generale conuocari, eiuſque poteſtate omnes è Pontificatu amoueri poſſe patet: quia cùm nō eſt certus Pontifex, perinde eſt, ac ſi Pontifex nullus omnino eſſet, & ſic eum Eccleſia eligit. Cùm ergo multi dubij & incerti pro Pontificibus habētur, iure poteſt Eccleſia nouum creare Pontificem, & præcipere, vt ceteri omnes Pontificatu ſe abdicent: quod ni fecerint, poteſt eos ſententia lata Pontificatu deiicere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos vllo modo pro Pontificibus agnoſcant, habeant, & venerentur.

Sed vndenam, dicat aliquis, colligi poteſt, tantum iuris & poteſtatis eſſe penes Eccleſiam?

Reſp. Id ex Chriſti inſtitutione per neceſſariam & euidētem rationem deduci, ne ſcilicet Chriſtus ſuam Eccleſiam deſeruiſſe videatur: alioqui enim multis dubiis & incertis pro Pontificibus Summis in Eccleſia ſe gerentibus, ſanè innumeris calamitatibus & malis ipſa premeretur & vexaretur Eccleſia.

CONCIL. CONSTANTIENSE

OECVMENICVM EX PARTE APPROBATVM

CCL. EPISCOPORVM,

CAVSA SCHISMATIS TOLLENDI.

ANNO DOMINI M.CCCC. XIV.

HANC Synodum à Ioanne Vigeſimoprimo, vulgò Vigeſimotertio, inchoatam, atque à Gregorio XII. qui verus & legitimus Pontifex erat, approbatam & confirmatam eſſe, Acta Concilij manifeſtè atteſtantur. Fuit autem Oecumenica, quia propter materiam ſchiſmatis tollendi vniuerſam Eccleſiam concernentem indictum fuerat: cuique quatuor Patriarchæ, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis interfuerunt, Oecumenicum fuiſſe Concilium, nulli dubiū eſſe debet.

Ex parte autem fuit approbatum, quòd ea nimirum, quæ ibidem ad fidem pertinentia contra Wicleſum, Huſſum, Matthæum Dreſdenſem, & Hieronymum Pragenſem decreta & promulgata leguntur, vt dicemus infrà in Seſſione XLV. & vltima. Quæ verò de auctoritate Concilij ſupra Pontificem conſtituerunt, ſententiâ Florentini & Lateranenſis Conciliorum planè reprobata ſunt.

Congregatum verò fuit Concilium præcipuè ad ſchiſma tollendum, quod triginta annis pias fidelium mentes malè vexauerat, dum Cardinalium diſcordia plures in eodem tempore perſonas in Romanos Pontifices eligeret: eo enim tres dicebantur Papæ à diuerſis. Lōgo ſanè tempore durauerat ſchiſma, dum alius Romæ, alius Auenione crearetur à Cardinalibus Papa. Ad quod ab Eccleſia tollēdum ſcandalum, Cardinales Piſanum indixerunt Concilium, vt inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. diſcerneretur, vter eorum verus & legitimus eſſet Petri ſucceſſor. Vtroque autem contumaciter abſente, creatus eſt ab eis Alexander V. quo intra annum defuncto, Bononiæ electus fuit Ioannes XXIII. cui adhæſerunt ambo fratres, Wenceſlaus & Sigiſmundus Reges, hic Vngariæ, ille Bohemiæ, vterque inſuper Regis Romani titulum gerens. Quamuis enim Wenceſlaus depoſitus eſſet per Electores, tamen quoad vixit, Regem Rom. & Bohemiæ ſe ſcripſit. Pro eo igitur tollen-

Digitized by Google

tollendo ſchiſmate, Sigiſmundus Rom. & Vngariæ Rex, nondum factus Imperator, paternæ pietatis ęmulator, maximos ſubiit labores & ſumptus itinerum: eius enim gratiâ peragrauit primò Italiam, deinde Gallias, Hiſpaniaſque & Angliam. In Italia ſanè à Ioanne XXIII. obtinuit, vt Concilium indiceret Conſtantiæ celebrandum, in quo poſteà effecit, vt reiectis omnibus tribus, qui Papæ auctoritatem ſibi arrogabant, vnus legitimè in Concilio crearetur Papa, Otho Cardinalis de Columna, dictus Martinus Quintus.

Actorum Synodaliũ compendioſa relatio. Qua ratione autem ſchiſma diuturnum ab Eccleſia profligatum, Huſſitarumque hæreſes, crematis auctoribus earum, condemnatæ fuerint, ex Actis Concilij aliis, & probatis Scriptoribus more noſtro ſummatim deſcribam.

Seſſio I. Prima Seſſio, quæ poſt acceſſum Ioannis Papæ ad quintam Nouembris indicta, ſed propter emergentes cauſas dilata fuerat, habita eſt 16. Nouembris anno 1414. in qua poſt recitatam Bullam conuocati Concilij, Notarij, Scribæ, aliique miniſtri Synodales deputati & conſtituti fuerunt, monituſque ad reſignandum & cedendum Papatui Ioannes, ſe id facturum vltrò ſpopõdit.

Seſſio II. Secunda Seſſio habita fuit 1415. Martis, tertia die Martij, Indictione 8. eiuſdem Pontificatus, in qua lectis ſolemnitatibus, quæ in Seſſionibus obſeruari deberent, Ioannes Papa iuratò promiſit, ſe propter bonum pacis Pontificatui promptiſſimè renuntiaturum, ſi idem Gregorius XII. & Benedictus XIII. Antipapæ facere non recuſarent. Quod cùm feciſſet, eique Imperator magnas gratias egiſſet, magno omnium gaudio ſacer Patrum Conſeſſus ſecundus finem accepit.

Seſſio III. Tertia Seſſio habita fuit 26. menſis ſupradicti, in qua Florentinus Cardinalis, præmiſſa quadam adhortatiuncula ad Epiſcopos habita de perſonis in iudicando non accipiendis, iuxta deliberationem ſanctæ Synodi promulgauit, hanc Synodum legitimè conuocatam, & Conſtantiæ inchoatam, vſque ad extirpationem ſchiſmatis nequaquam à Põtifice diſſolui, vel aliò transferri poſſe, aut debere: quodque Prælatis citra cauſam iuſtam à Concilio diſcedere non liceat.

Quarta Seſſione, 30. Martij eiuſdem anni habita, declaratur, Concilij auctoritatem Pontificiâ ſuperiorem eſſe, ipſique Papæ prohibetur, ne perſonas hîc congregatas transferat, vel auocet: ſimulque annullantur omnes proceſſus & cenſuræ, quas Pontifex Concilio adhærentibus intentauerat. Inſuper decretum fuit, vt tres Iudices de quolibet Natione eligantur, qui abeuntium cauſas diiudicent: & vt pro bono pacis faciliùs obtinendæ, nulli Cardinales noui creentur. Ioannes, qui intereà Conſtantiâ diſceſſerat, per literas in publico Patrum conſeſſu lectas, & ad Imperatorem directas, nuntiauit, ſe nullo metu, ſed tantùm aëris intemperie coactum Conſtantiâ diſceſſiſſe, factæque promiſſioni adhuc inhærere. *Seſſio IV.*

Quinta Seſſio habita fuit Sabbati 6. April. eiuſdem anni, in qua repetitis & approbatis Cõſtitutionibus quatuor pręcedentium Seſſionum promulgatis, declaratum & approbatum eſt, Ioannem illicitè Conſtantiâ diſceſſiſſe, teneriq; eumdem ſub pœna depoſitionis adimplere, quod de reſignando Pontificatu promiſerat: quodq; recuſans Cõſtantiam redire, corporalibus pœnis & vinculis innodari poſſit ac debeat. Poſt hæc confirmata eſt ſententia Concilij Romani in Ioannem Wicleſum eiuſq; libros pronuntiata. In cauſa autem Ioannis Hus conſtituti ſunt quatuor Iudices Commiſſarij, qui aſſumptis ſecum Theologiæ Canonumque ſacrorum peritiſſimis viris, dogmata illius diſcutiant, & proceſſum contra eumdem dirigant, deque ſingulis actis poſteà Synodum informent. Poſt hæc, rogatu Synodi, in ſe recepit Rex Sigiſmundus, quòd Pontificem in Schafhauſen *Seſſio V.*

 hauſen

Digitized by Google

hauſen ſub tutela Friderici Auſtriæ degentem, volentem nolentem ad Concilium reducere velit.

Seſſio VI. Sexta Seſſio habita fuit Præſide Ioãne Oſtienſi Epiſcopo, in qua de mandato Concilij Epiſcopus Atrebatenſis duos articulos edidit. Et primò quidem decreuit, Procuratorium ſuper renuntiatione Papatus facienda, eſſe bonum pro vnione Eccleſiæ. Secundò declarauit, prædictum D. Ioannem Papam XXIII. teneri dare & facere dictũ Procuratorium ad cedendum Papatui, pro bono vnionis Eccleſiæ, iuxta formam ſcedulæ per ipſum oblatæ: conſtituitque ſancta Synodus diuerſarum Nationum Legatos, qui taliter à Concilio conſtituti requirant Papam, vt veniat ad Concilium, afferantque ipſi ſecuritates debitas, quatenus vel ad vrbem Conſtantiæ, vel ad villam Vlmę, vel ad villam Rauenſpurg, vel ad ciuitatem Baſileenſem accedat; iuretque vnum de dictis locis eligere infra duos dies, nec ab eo abſque conſenſu Concilij diſcedere. Inſuper quoque decernunt, quòd ſuperſederi debeat à proceſſu contra Papam, donec habeatur reſponſio: & ſi præmiſſa adimpleuerit, ceſſabitur à citatione. Inhibuit quoque ſancta Synodus, ne quis vllo modo cõtra quemcumque in ciuitate Conſtantienſi famoſos libellos ſub pœna carceris conficiat. Mandat vlterius, literas & miſſiuas informatorias rerum in Concilio geſtarum omnibus nationibus cõmunicari. Poſt hęc recitatæ ſunt duę Epiſtolæ, quarum alteram Vniuerſitas Pariſienſis ad ſuos Legatos, alteram eiuſdem Academiæ Rector ad Epiſcopos Italiæ tranſmiſit. Ad extremum decreta eſt citatio contra Hieronymum Pragenſem.

Seſſio VII. Septima Seſſio celebrata fuit anno 1415. Iouis 2. Maij, in qua Henricus de Piro Concilij Promotor, allegans contumaciam Hieronymi Pragenſis citati, & non comparentis, contra eum vlteriora decerni petiuit, & impetrauit. Accuſata deinceps Ioannis Papæ fuga, & contumaci abſentia, eumdem citari, metumque mali alicuius alleganti & prætendenti, ſaluum conductum concedi obtinuit.

Octaua Seſſio habita fuit 4. Maij Seſſio VIII. anni eiuſdem, in qua poſt reproductã citationem contra ſectarios Wicleſi emanatam, lecta fuit ſententia damnationis articuli 45. Wicleſum hęreticum fuiſſe: adeoque oſſa eiuſdem exhumari, & ab Eccleſiæ ſepultura efferri: necnon libros eiuſdem comburi debere, publico decreto eſt definitum. Cumq; hac eadem Seſſione Fridericus Dux Auſtriæ in gratiam Sigiſmundi Regis recipi optaret, Rex verò ob iuramentũ præſtitum de illo numquam in gratiam recipiendo, petitioni illius non acquieſceret; Synodali ſententia definitum fuit, Regem allegato iuramento non obligari: eoque non obſtante poſſe ac debere pœnitentem Auſtriacum in gratiam recipere. Qua definitione præuia, Rex Sigiſmundus Fridericus Auſtriaco veniam conceſſit, ſed iſtis conditionibus, vt Ioannem Papam ad Concilium reduceret, ſe ſuaque dominia Regię maieſtati ſubiiceret, ſeque nihil vmquam ſimile deinceps admiſſurum eſſe promitteret. Accepit conditiones oblatas, publico conceptas, & ſigillo ſuo munitas, Fridericus Dux Auſtriæ.

Seſſione Nona, quæ habita fuit Seſſio IX. 13. Maij, Procuratores Concilij citationis contra Ioannem Papam factæ executionem reproduxerunt, accuſataque eius contumacia, petierunt Commiſſarios deputari, coram quibus in hac cauſa teſtes produci & examinari poſſent. His peractis, Franciſcus Cardinalis Florent. Bullam Pontificiam recitauit, qua Ioannes Papa Petrum Cameracenſem & Guilielmum S. Marci Presbyterũ Procuratores conſtituit: cumq; illi oblatum munus ex parte recuſaſſent, & Henricus de Piro Promotor Concilij dixiſſet, in cauſa hac perſonali & curiali

by Google

riali Procuratorem admittendum non eſſe; tandem mandatum fuit duobus Cardinalibus, & quinque Prælatis, vt eumdem viua voce extra portam vrbis citarent. Qua re peracta, lecta eſt epiſtola Vniuerſitatis Pariſienſis, qua ſe Concilio commendatam exoptat.

Seſſio x. Seſſione Decima, quæ ſub Præſidio Ioannis Patriarchæ Antiocheni celebrata 14. Maij anno 1415. ad inſtantiam Henrici de Piro Promotoris Concilij citationem præcedenti die contra Ioannem Papam ad ſuſpenſionem vſque procedi petentis, requiſitus eſt iterùm extra portas Pontifex Ioannes cum ſuis fautoribus. Cumque facta citationis executione nemo compareret, inſtante prædicto Promotore Concilij Henrico, declaratus eſt contumax; examinatiſque teſtibus ſuper Simoniæ, ſacrilegij, aliiſque quæ illi obiicebantur criminibus, communi omnium ſuffragio lata & publicè recitata eſt contra eum ſententia, qua ab omni adminiſtratione & functione Eccleſiaſtica ſuſpenſus fuit.

Seſſio xi. Seſſione Vndecima, quę celebrata fuit 15. Maij anno 1415. Promotores Concilij plus minus ſexaginta crimina articulatim congeſta, vnà cum deſignatione teſtium deſuper examinandorum, contra Ioannem Papã exhibuerunt. Quos cùm Decreto Synodali Ioãnes Papa ad reſpondendum ſibi inſinuatos accepiſſet, reſpondit, ſe neque articulos ſibi obiectos negare, neque dicta teſtium impugnare, ſed potiùs ſe totum Synodali iudicio & definitiuæ ſententiæ ſubiicere: oblatam initiò Papatus ceſſionem voluntariam, iterùm nunc offerre: Synodũ Conſtantienſem legitimè congregatam errare non poſſe, libenter profiteri & agnoſcere, adeoque planè obtemperaturum ſententiæ, qualemcumque Patres Concilij protulerint & promulgarint: ſaltem hoc ſe rogare dixit, vt quàm poſſet fieri primùm, copiam latæ ſententiæ aſſequeretur.

Seſſio xii. Seſſio Duodecima habita eſt 29. Maij, in qua reproductis ijs, quæ Ioannes Papa deputatis Synodo à Commiſſariis ſuper obiectis criminibus reſponderat, ad inſtantiam Promotorum Concilij lata eſt contra eum ſententia definitiua, qua ille Pontificatu deponitur, omneſque Chriſti fideles ab eiuſdem obedientia abſoluuntur. Poſt latam ſententiam conſtitutum fuit, ne quiſquam è tribus ſchiſmaticis Pontificibus de nouo eligeretur, ſententiam ſibi per quoſdam à Concilio deputatos inſinuatam, Ioannes quondam Pontifex approbauit, eique realiter & cum effectu cedendo Papatui obtemperauit.

Seſſione Tertiadecima anno Domini 1415. die Sabbati, Iunij 15. celebrata, poſt conſuetas preces habitas, Promotores Concilij allegarunt reperiri inter Sacerdotes Petrum Dreſdenſem & Iacobellum Miſnenſem Ioannis Hus ſocios, qui laicis non ieiunis poſt cœnam Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie porrectam diſtribuebant, ſimulque contra antiquiſſimam Eccleſię conſuetudinem publicè docebant, cuilibet etiam laico in participatione, ſumptione, & communione huius Sacramenti vtramque ſpeciem panis & vini neceſſariò diſtribuendam eſſe. Quæ cùm Eccleſiæ conſtitutionibus & conſuetudinibus repugnarent, eorum petitione ex quatuor Nationibus diuerſis cõſtituti ſunt cognitores Iudices, qui habita deſuper deliberatione, communi voto & ſuffragio Patrum Concilij, erroneam & hæreticam doctrinam de Euchariſtia extra Sacrificium ſub vtraque ſpecie neceſſariò ſumenda damnauerunt, ſimulque Sacerdotibus omnibus inhibuerunt, ne ſub pœna excommunicationis vlli homini vtramque ſpeciem panis & vini communicent. Seſſio xiii

Seſſione Quartadecima, quę habita fuit die Iouis 4. Iulij, Ioan. Dominicus Cardinalis S. Sixti, & Carolus de Malateſtis à Gregorio XII. ad id conſtituti auctoritate eiuſdem Gregorij congregatum ob cauſam tollendi ſchiſmatis Synodalem Patrum Conſeſſum approbarunt. Seſſio xiv.

Cum-

by Googl

Cumque iudicio Patrum intellexiſſent, magis expedire, vt Gregorius Papatum reſignet priùs, quàm hac de cauſa Benedictus Antipapa ſollicitetur, pacis conciliandæ gratia, Pontificatũ, quem ille legitima electione acceperat, reſignauit. Reſignatione iſta, per Synodum acceptata, Patres Concilij Cardinales vtriuſque obedientiæ vniuerunt, atque proceſſus iiſdem intentatos caſſos atque irritos reddiderunt. De electione autem noui Pontificis conſtituerunt, ne Cardinales citra conſenſum Concilij hac in re aliquid moliantur, neque tamen vltra finem Concilij electio differatur. Inſuper etiam declararũt, Acta & geſta Gregorij rata ſeruari debere, vtpote qui legitimè electus, ſolius pacis gratia Pontificatui vltrò ceſſit. Et quamquam dignus iudicaretur, qui denuò poſt factam reſignationem eligeretur; tamen ad maioris ſchiſmatis periculum euitandum, illud intermittendum eſſe ſunt proteſtati.

Seſſio XV. Seſſio Quintadecima 6. Iulij habita Ioannes Hus de hereſi accuſatus & conuictus, ex carcere in conſeſſum Patrum introductus, altoque ſedili, vt ab omnibus videri poſſet, conſtitutus fuit. Cumque ſub pœna excommunicationis & incarcerationis Patres Concilij ſingulis ſilentium indixiſſent, Henricus de Piro, Concilij Promotor & Procurator, Huſſiticam doctrinam articulatim congeſtam producens, petiit eamdem tamquam prauam & hæreticam vnà cum auctore condemnari, eiuſque libros igni adiudicari & concremari. Qua petitione præuia, poſt longam inquiſitionem damnatis prædictis hæreſibus, combuſtiſque pernicioſis codicibus, degradatus eſt auctor hæreſeos, nolenſque reſipiſcere, iuſto iudicio per rogum & incendium è viuis eſt ſublatus.

Seſſio XVI. Seſſio Sextadecima habita eſt 11. Iulij, eaque conſtituti ſunt Procuratores, qui Benedictum Antipapam requirant, acceptiſque de reſignatione Gregorij XII. & depoſitione Ioannis XXIII. inſtrumentis, vel eorum copiis, eumdem faciliùs inducant. Poteſtas citandi eos, qui clàm ſe à Concilio ſubduxerunt, Iudicibus deputatis conceditur, & ad inſtantiam Henrici de Piro contra turbatores, prædones, & ſpoliatores perſonarum quæ Concilio interfuerant, proceſſus decernuntur.

Seſſione Decimaſeptima die 15. Iulij celebrata Rex Sigiſmundus ad Regem Aragonum pro inducendo ad reſignandum Benedicto XIII. Antipapa ſchiſmatico profecturus, non niſi plurimis precibus & orationibus Deo commendatus, eſt dimiſſus, ſtatuta pœna excommunicationis in eum, qui pia de cauſa abeuntem impediret. Contrà verò quadraginta dierum Indulgentiæ conceſſæ ſunt ei, qui pro felici reditu eiuſdem Regis ſingulis Dominicis diebus vnam Orationem Dominicã cum Salutatione Angelica, ſub Proceſſione, hac de cauſa etiam celebranda, oraret. Angelus de Corario, quondam Gregorius XII. non ſolùm in numerum Cardinalium eſt relatus; verùm etiam perpetuus Legatus à latere in Prouincia Marchiæ Anconitanæ eſt conſtitutus. Seſſio XVII.

Seſſione Decimaoctaua 17. Auguſti, editis quibuſdam Synodalibus conſtitutionibus, quatuor Iudicibus ſuprà nominatis delegata eſt poteſtas iudicandi excluſiuè vſque ad ſententiam definitiuam omnes cauſas, quæ ad Concilium deuoluebantur: quodque corruptores epiſtolarum Synodalium, inſtar eorum qui Bullas Apoſtolicas corruperunt, puniri debeant. Seſſio XVIII.

Seſſio Decimanona celebrata eſt 23. Septembris, in qua Hieronymus de Praga de hæreſi accuſatus & conuictus, edita fidei profeſſione, hæreſim ſuam abiurauit. Franciſcanis indultum eſt, quòd teneantur Prouinciales approbare, quem Fratres communi vel potiore ſuffragio Vicarium ſiue Guardianum ſibi elegerunt. Inſuper declaratum eſt à Synodo, non obligari Patres Concilij per Saluumconductum à ſæculari poteſtate Seſſio XIX.

ſtate conceſſum hæreticis, eoſque pertinaciter in hæreſi permanentes iuſto iudicio poteſtatem puniendi habere. Sit ne hæreticis ſeruanda vel deneganda fides (vt aſſerunt Nouatores noſtri temporis) nihil eſt hîc definitum. Inquiſitio hæreticorum duobus Cardinalibus eſt demandata, ſimulque eſt definitum, eos qui Concilio intereſſent, omnes Beneficiorum fructus iuſtè acquirere.

Seſſio xx. Seſſione Vigeſima die 21. Nouembris celebrata, ad inſtantiam Gregorij Tridentini Epiſcopi contra Fridericum Auſtr. Ducem propter inuaſa bona & iura Eccleſiæ Tridentinæ, decretum & executum eſt Monitoriũ, approbataque ſunt 12. Capitula Narbonenſia, quæ ad extirpationem ſchiſmatis Sigiſmundus, Legatique Conſtantienſis Concilij vnà cum Legatis Benedicti XIII. Narbone conſtituerant. Quorũ primo ſtatuitur, Qua forma Concilium conuocari, vel potiùs de nouo intimari debeat. Secundo, Quòd in eo tantùm agendum ſit de ſchiſmate extirpando, paceque Eccleſiæ ineunda. Tertio, Quòd ſtatim cum corpore Eccleſiæ vniri debeant, qui Benedicto adhæſerunt. Quarto, Quòd omnes proceſſus à Benedicti ſectatoribus & fautoribus intentati annullari debeant. Quinto, Vt confirmentur gratiæ per Benedictum quibuſuis perſonis collatæ. Sexto, Vt Cardinales ad electionem noui Pontificis tamquam veri & legitimi admittantur. Septimo, Officiales Romæ, per eumdem Benedictum conſtituti, non reiiciantur aut deponantur. Octauo, Electio alterius Pontificis non aliter quàm per Concilium fiat. Nono, Vtrimque conſtitutũ fuit, vt ſi fortaſſe eiuſdem tituli duo Cardinales conſtituti eſſent, vterque quoad vixerit, honorificè tractetur & habeatur. Decimo, Vt Benedicto, eiúſve ſectatoribus ad Concilium venire volentibus, de ſaluoconductu, tutoque itinere per Regem & ſæculares Principes prouideatur. Vndecimo, Vt Rex Sigiſmundus omneſque Epiſcopi, & quæ vtrimque concordata ſunt, iuramento firment. Duodecimo, Ne denegentur inſtrumenta pactorum, quiſquis ea habere voluerit. Quæ duodecim pacis & concordiæ ineundæ Capitula, dum poſt Regem omnes Epiſcopi & Legati iuramento confirmaſſent, finita eſt Seſſio xx.

Seſſione Vigeſima prima, quæ habita eſt anno Domini 1416. die 30. Maij, Hieronymus Pragenſis poſt recantatam emiſſæ profeſſionis fidei palinodiam, de hæreſi eſt condemnatus, traditúſque poſt ſolitam degradationem poteſtati ſæculari combuſtus fuit. Seſſio xxi.

Seſſione Vigeſima ſecunda celebrata 15. Octobris, Legati Regis Aragoniæ ad conſeſſum Synodalem intromiſſi, decretoque Patrum debitè locati, eas quas de conuocando iuxta initam concordiam Concilio, ſuppreſſo nomine Benedicti Antipapæ, eius fautores Epiſcopi ad Regem Sigiſmundum ſcripſerant epiſtolas, recitari procurarunt. Quibus ex ambone recitatis, conſtitutione Synodali Legatis Regis Aragoniæ, Caſtellæ, Portugalliæ, & Nauarræ ex gratia, & ſingulari dumtaxat priuilegio, pro hac vice tantùm, eſt conceſſum, vt habeant ſuffragium tantæ auctoritatis, quantum omnium Epiſcoporum ſuarum Prouinciarum valeret. Poſt hæc impleta ſunt ea, quæ in Capitulis Narbonenſibus ſuprà Seſſ. xx. relatis concordata fuerant. Seſſio xxii.

Seſſione Vigeſimatertia anno Domini 1416. 5. Nouembris celebrata, conſtituti ſunt 12. Iudices Commiſſarij, qui vel omnes, vel pro maiore parte congregati, poteſtatem habeant decernendi & diiudicandi, qua ratione contra Petrum de Luna, ſiue Benedictum Antipapam, vſque ad perfectam ſchiſmatis extirpationem procedatur. Seſſio xxiii.

Seſſio Vigeſimaquarta habita eſt 20. Nouembris prędicti anni, eaque per Commiſſarios ſuprà commemoratos decreta, lecta, & approbata eſt citatio contra Petrum de Luna emanata. Seſſio xxiv.

Seſſione Vigeſimaquinta, quæ habita Seſſio xxv.
eſt

eſt 14. Decembris, Comes de Fuxo per Procuratores ad id conſtitutos ad Concilij vnionem eſt receptus, eo modo quo Rex Aragoniæ. Eadem Seſſione adminiſtratio Olomenſis Eccleſiæ, quæ per obitum Wenceſlai Patriarchæ Antiocheni vacabat, decreto Synodali commendata eſt Ioanni Epiſcopo Lutomuſlenſi vſque ad noui Pontificis electionem.

Seſſio XXVI. Seſſione Vigeſimaſexta, 24. Decẽbris, ad vnionem Concilij per ſuos adhuc deputatos Legatos & Procuratores receptus eſt Rex Nauarræ, eo modo quo Rex Aragonum. Ne verò diuerſorum Legatorum conſeſſus Concilio aliquid turbatum adferret, optimo conſilio Patres conſtituerunt, nullum præiudicium cuiuſquam dignitatibus & honoribus præiudicari debere, quomodocumque Legati Regum ac Principum in Concilio præſentes ſederent.

Seſſio XXVII. Seſſione Vigeſimaſeptima anni Domini 1417. die 20. Februarij celebrata, facta eſt relatio executi Monitorij, nuper contra Fridericum Auſtrię Ducem, ad inſtantiam Tridentinenſis Eccleſiæ, contra ipſum emanati; accuſataque eius contumacia, ad vlteriora eſt proceſſum.

Seſſio XXVIII. Seſſione Vigeſimaoctaua, 3. die Martij, poſt vlteriores citationes Friderici reproductas, eiuſque contumaciam grauiſſimè accuſatam, excommunicatus eſt Fridericus Dux Auſtriæ, donec iura Tridentinenſis Eccleſiæ inuaſa eidem reſtituat.

Seſſio XXIX. Seſſione Vigeſimanona, 8. Martij prędicto anno celebrata, in cauſa contra Petrum de Luna conſtituti ſunt Procuratores & Notarij: cumque ſemel atque iterùm citatus idem Petrus de Luna non compareret, iudicio Synodali contumax eſt declaratus, atque vlteriores contra eum citationes decretæ fuerunt.

Seſſio XXX. Seſſione Trigeſima, 10. Martij habita, Nuntij & Oratores Concilij qui fuerant à Concilio deputati, de executione citationis contra Petrũ de Luna, quem in caſtro Peniſcolæ in propria perſona conuenerant, relationem fecerunt, approbatumque eſt factum Regis Aragonum, qui ſe ab obedientia Pſeudopontificis Benedicti ſubtraxerat.

Seſſio XXXI. Seſſione Trigeſimaprima, Martij 31. ad inſtantiam Epiſcopi Altenſis Eccleſiæ, decretum & ex ambone promulgatum eſt Monitorium contra Philippum Comitem Virtutum, qui prædictum Epiſcopum vi armata manuque ſacrilega captũ carceribus mancipauerat. Bayonenſi Eccleſiæ, quæ tempore ſchiſmatis duos Epiſcopos, alterum à Ioanne XXIII. alterũ à Benedicto XIII. conſtitutum habuerat, ſancta Synodus inhibuit, ne in locum defuncti Petri, qui fuerat de obedientia Ioannis XXIII. alium per electionem ſufficiat, vnique Guilielmo, quem Benedictus XIII. nominauerat, deinceps obtemperet.

Seſſio XXXII. Seſſione Trigeſimaſecunda, 1. Aprilis, poſt accuſatam contumaciam Petri de Luna, nouiſſimè citatus eſt viua voce Pontifex ſchiſmaticus: cumque nemo eius nomine compareret, mandata eſt cauſæ diſcuſſio Iudicibus Commiſſariis, qui habita poteſtate eumdem peremptoriè citandi, teſteſq; examinandi, vſque ad ſententiam contra eum procedant.

Seſſio XXXIII. Seſſione Trigeſimatertia Iudices Commiſſarij retulerunt, quòd præuia citatione debita articulos quoſdam contra Petrum de Luna oblatos recepiſſent, eoſque probari feciſſent: ſed nemo eius nomine, ad effectum videndi iſta comparuerit. Publicatis itaque teſtium dictis, communicataque illi teſtimoniorum Actorumque aliorum copia, terminum contradicendi peremptorium illi præfixerunt.

Seſſio XXXIV. Seſſione Trigeſimaquarta, 5. Iunij, facta eſt relatio Actorum in cauſa Petri de Luna: quæ verò ſententia in eum ferri ac pronuntiari deberet, ſingulorum conſultationi vſque ad ſubſequentem Seſſionem eſt relictum.

Seſſio XXXV. Seſſione Trigeſimaquinta Ioannes Rex Caſtellæ per ſuos Legatos ad id ſpe-

ſpeciali mandato conſtitutos, iuxta Capitula Narbonenſia ſuprà recenſita, vnà cum Concilio vnionem & concordiam iniuit.

Seſsio XXXVI. Seſsione Trigeſimaſexta, die 22. Iulij, decreta, lecta, & promulgata eſt citatio Petri de Luna ad audiendum ſententiam priuationis & depoſitionis, auctoritate Concilij proxima Seſsione promulgandam. Qua peracta, eadem Synodus Legatos Regis Caſtellæ à cenſuris Eccleſiaſticis abſoluit, quibus eos Petrus de Luna innodauerat.

Seſsio XXXVII. Seſſione Trigeſimaſeptima, 26. menſis Iulij poſt reproductas binas Petri de Luna citationes, poſtq; accuſatam eiuſdem contumaciam, ad petitionem Promotoris Concilij lata eſt in eum ſententiâ definitiua, qua ille Pontificatu deponitur, omneſque fideles ab eiuſdem obedientia abſoluuntur.

Seſsio XXXVIII. Seſſione Trigeſimaoctaua, abſolutio Legatis Regis Caſtellæ conceſſa, ad Henricum Infantem, alioſque nonnullos extenditur: datumque Legatis Regis Aragoniæ Priuilegium de ſuffragij ſui auctoritate, quam ſuprà commemoraui, iterùm reuocatur.

Seſsio XXXIX. Seſsione Trigeſimanona, pro euitandis futuris ſchiſmatibus conſtitutum eſt, vt à fine huius Concilij quinto anno, poſt illud ſeptimo, & deinceps decimo quoquo anno Generalia Concilia celebrentur: quodque Pontifex locū celebrandi Concilij ante finem illius anni, quod habetur, deſignare debeat; eumque citra iuſtam cauſam mutare non debeat. Eadem Seſsione præſcripta eſt certa Formula Profeſsionis fidei & iuramenti, quod recèns electus Pontifex emittere & profiteri debet.

Concilium Generale quolibet decimo anno celebretur.

Seſsio XL. Seſsione Quadrageſima, quę 30. Octobris celebrata fuit, conſtitutum eſt, quòd futurus Pontifex Eccleſiam in moribus reformare, numerum Cardinalium ſupplere & redintegrare, aliiſq; præcipuè ad reſeruationes annatas, collationes, & confirmationes Beneficiorum, extirpationem Simoniæ, diſpenſationes, Indulgentias, & decimas concernentibus, corrigere teneatur: quodque, non obſtante abſentia Cardinalium Petri de Luna, ad electionem noui Pontificis procedi debeat.

Seſsio XLI. Seſsione Quadrageſimaprima, quæ habita eſt 5. Nouēbris anni 1417. poſt promulgatam Formam à Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus ſuper electione Pontificis obſeruandam, & à Clemente VI. ante hæc tempora conſtitutam, poſt emiſſa iuramenta, quæ eiuſdem Decreto præſtare tenētur, Cardinales vnà cum triginta aliis è quatuor Nationibus ad id deputatis, Conclaue ingreſsi, Martinum Quintum elegerunt, cum ingenti gaudio totius Concilij & Eccleſiæ. De qua re placet hîc verba Platinæ apponere, qui ſic ait: *Rebus autem hoc modo compoſitis, cùm de reſtituēda Eccleſia, emendandiſque moribus Clericorum mentio haberetur, fieri id non poſſe exiſtimarunt, Sede vacante. Vnde de eligendo nouo Pontifice habitus eſt ſermo, quò Decreta Concilij maiorem deinceps auctoritatem haberent. Cùm igitur hac de re verbum haberetur, placuit ex vnaquaque Natione viros ſex deligi, & quidem probatos, qui vnà cum Cardinalibus Conclaue ingreſſi, Pontificem deligerent. Anno igitur 1417. ſexto Idus Nouembris Conclaue ingreſſi, conſentientibus Cardinalibus duobus & triginta, Nationibuſque omnibus, præter omnium ſpem & opinionem, cùm iam quadriennio vero Pontifice caruiſſet Eccleſia, multique ſchiſmatici tum intereſſent, tertio Idus Nouembris in celebritate B. Martini hora tertia, Otho Columna Romanus Princeps, ſancti Georgij ad Vellus aureum Diaconus Cardinalis, Pontifex creatur, tanta omnium lætitia, vt præ gaudio loqui vix homines poſſent. Effuſus nimio gaudio Imperator, nullo habito dignitatis ſuæ diſcrimine, Conclaue ingreſſus, gratias omnibus egit, qui tantum virum, & tam neceſſarium Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ delegiſſent, & ante Pontificem proſtratus, cum ſumma veneratione eius pedes exoſculatus eſt, quem contrà Pontifex*

fex amplexus, non ſecùs ac fratrem in pretio habuit, eique gratias egit, quòd ſua opera & induſtria pax tandem Eccleſiæ Dei reddita eſſet. Vocari autem Martinus voluit, quòd ea electio in Martini celebritate habita fuiſſet.

Seſſ. XLII. Seſsione Quadrageſima ſecũda, die 8. Decembris lecta & approbata eſt quædam Bulla Martini Papæ, vulgò V. qua Sigiſmundum Regem à cuſtodia Balthaſaris de Coſſa quondam Ioannis XXIII. prout ille petierat, liberare, vinctumque ad ſe tranſmitti volebat.

Seſſ. XLIII. Seſsione Quadrageſima tertia, anno Domini 1418. die 21. Martij, Martinus Papa Conſtitutiones nonnullas edidit, quibus Eccleſiam, prout conſtitutum fuerat, in iis quæ ad Simoniam, diſpenſationes fructuum, & decimarum perceptiones, vitam honeſtatemque Clericorum pertinent, emendauit & reformauit.

Seſſ. XLIV. Seſsione Quadrageſima quarta, pro futuri poſt quinquennium (prout ſuprà ſtatutum fuit) Oecumenici Concilij celebratione, deſignata eſt ciuitas Papienſis.

Seſſio XLV. Seſsio Quadrageſima quinta & vltima habita eſt anno Domini 1418. die Veneris, 22. menſis Aprilis, qua cùm Pontifex omnia & ſingula Decreta Synodalia, materiam fidei concernentia approbaſſet, eaque firma fide tenere ac doceri præcepiſſet, omnibus & ſingulis ibidem exiſtentibus ſuffragio totius Concilij abeundi licentiam conceſsit.

ANNOTATIO I.

SALOMON Geſnerus in Præfatione ſuæ Epitomes Conciliorum, de hoc Concilio dicit ex Paralipomena addita Chronico Vrſpergenſi, quòd *in eo interfuerunt mulieres publicæ 450. barbitonſores ſexcenti, trecenti & viginti ioculatores, fiſtulatores, coci, &c. bonorum autem virorum numerum exprimere prorſus nullus poteſt, non quòd ob frequẽtiam, ſed quòd ob raritatem innumerabiles fuerint. An verò in lerna & ſentina tot meretricum, tot item nequiſſimorum Epiſcoporum, Cretenſium, Sibariticorum ventrum ac gularum, latronum denique, ſatanæ thronum fuiſſe negabimus? Ibi enim verbo Dei non eſt locus, vbi Chriſtus in ſuis membris proſcribitur, omniſque morum honeſtas in exilium eiicitur, vbi nemo pro veritate liberè ſpirare & hiſcere audet, vbi hominum traditiones & Monachorum ſomnia dominantur, ibíne eſſet Petri Sedes, ibi Eccleſia Catholica thronus? Imò ipſius diaboli thronus eſt, qui inde ſicut per Phœbades olim è Delphica tripode oracula edebat, ſua Decreta, Bullas, fulmina, tonitrua in totum orbem Chriſtianum eiaculatur.* Sic ille impius.

Sed quàm à veritate hiſtoriæ diſcrepet, audi Cochlæum lib. 2. Hiſtor. Huſſitarum. *Anno Domini 1414. inchoatum fuit Concilium iſtud, veniente Conſtantiam primùm Iordano Cardinale Oſtienſi Epiſcopo, pridie Idus Augusti; quem è Bononia ſecutus Ioannes Papa XXIII. quinto Kalendas Nouembris Conſtantiam magna celebritate ingreſſus eſt, in feſto Apoſtolorum Simonis & Iudæ, cum Cardinalibus nouem, vt iuxta tenorem Bullæ conuocationis Concilij, prima die Nouembris ſacra Synodus auctoritate Apoſtolica inciperet de negotiis Fidei & Eccleſiæ tractare. Sigiſmundus Rex in Vigilia Natiuitatis Chriſti Vberlingam veniens cum coniuge ſua, per lacum Conſtantienſem nauigio properauit inde ad ciuitatem, vt intereſſet Miſſarum ſolemniis. Sub mediam igitur noctem Conſtãtiam ingreſſus, primam Miſſam celebrante Papa, ipſe Diaconi habitum indutus legit Euangelium alta voce; Exiit edictum à Cæſare Auguſto. Nec multò pòſt aduenerunt alij quoque Principes & Prælati, in tanta ſanè frequentia, vt aliquãdo triginta millia equorum vno eodemq; tempore Conſtantiæ fuiſſe tradantur. Adfuerunt namque Patriarchæ quatuor, Cardinales 29. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 160. Et cum his Abbatum, Præpoſitorum, Priorum & omnis generis Clericorum ingens numerus. Sæcularium præterea Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Oratorum, maxima multitudo.* Sic ille: quod etiam confirmant omnes Hiſtorici veridici. Mentitur ergo Salomon iſte, tum circa numerum, tum etiam circa qualitatem perſonarum, quæ ad hoc Concilium celebrandum conuenerunt. Cùm ergo ad hanc Synodum legitimæ perſonæ conuenerint, & ea legitimè congregata & proſecuta fuerit; patet, quòd non ſedes ſatanæ, ſed ſedes Chriſti fuit in his quæ de fide determinauit.

ANNOTATIO II.

ADVERTENDVM eſt hic etiam, quòd in hoc Concilio in Seſſione IV. definitur, Conci-

Concilium Generale habere à Chriſto immediatam auctoritatem cui omnes obedire tenentur, etiam ſi Papalis dignitatis exiſtat. Ex quo aduerſarij ſic conficiunt Argumentum: Vel hoc Concilium eſt approbatum, vel non. Si eſt approbatum, ergo verum eſt, & recipiendum quod definiuit. Si non, ergo perperàm depoſuit Ioannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Martinum V. cui poſteà omnes alij Pontifices ſucceſſerunt. Adde, quòd Martinus V. Papa in vltima Seſſione confirmauit omnia Decreta circa fidem huius Concilij Conſtantienſis: hoc autem Decretum ad fidem pertinere videtur.

Ad hoc dico plura. Primò, Concilium Conſtantienſe eſſe legitimum & approbatum, ſed nihilominùs non definiuit abſolutè, Concilia Generalia habere à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tantùm in caſu, id eſt tempore ſchiſmatis, quando neſcitur quis ſit verus Papa: nam dubius Papa habetur pro non Papa: & proinde habere ſuper illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem in Papam. Ita Turrecremata, Campegius, & Sanderus.

Secundò dico, Non fuiſſe Conſtantienſe Concilium, cùm id aſſeruit, eiuſmodi, vt quæſtiones de fide definire poſſet: nam in primis, non erat tunc Generale Concilium, cum tantùm adeſſet tertia pars Eccleſiæ, id eſt, ij tantùm Prælati, qui Ioanni obediebãt: nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant iis quæ à Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus Papa in Eccleſia, ſine quo dubia de Fide definiri non poſſunt: in Concilio autem nullus erat Papa. Ioannes enim XXIII. qui Concilium inchoauerat, iam inde receſſerat, cùm quarta Seſſio haberetur.

Neque verum eſt, quòd Martinus V. confirmauerit hoc Decretum: ipſe enim disertè dixit, ſe cõfirmare tantùm ea Decreta de Fide, quæ facta erant conciliariter, id eſt more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata: conſtat autem hoc Decretum ſine vllo examine factum à Concilio Conſtantienſi. Itaque Martinus, cùm confirmauit Decreta de Fide conciliariter concluſa, intelligebat tantùm de damnatione hæreſum VViclef & Hus.

Neque ſequitur, Si Concilium in hoc errauit, erraſſe etiam in deponendo Gregorio XII. Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. Nam, etſi Concilium ſine Papa non poſſit definire noua dogmata fidei, poteſt tamen iudicare tempore ſchiſmatis, quis ſit verus Papa, & prouidere Eccleſiæ de vero Paſtore, quando is nullus aut dubius eſt: & hoc eſt eſt quod rectè fecit Concilium Conſtantienſe.

Adde, quòd Ioannes & Gregorius non inuiti depoſiti ſunt: nam ipſi etiam ſpontè renuntiarũt Papatui, vt patet ex Actis Concilij Conſtantienſis Seſſ. XII. & XIV. Benedictus autem nõ ceſſit, ſed poſt eius obitum Clemens VIII. ſucceſſor ipſius ceſſit Martino V. quem omnis Eccleſia vt verum Pontificem venerabatur: id quod ſufficit, vt Martinus eſſe poſſet verus Papa. Sic Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 13.

CONCILIVM SALISBVRGENSE PROVINCIALE

in cauſa FIDEI *ac* MORVM *ſub* EVERHARDO *Archiepiſcopo Saliſburgenſi, circa annum Domini* 1420. *tempore* MARTINI *Papæ* V.

IN hoc Concilio confirmantur ſtatuta Prædeceſſorum, & innouantur ſequentia: De ſumma Trinitate, & fide Catholica: De conſtitutionibus: De cõſuetudine: De renuntiationibus: De ſcrutinio: De filiis Presbyterorum: De officio Archidiaconi: De officio Vicarij: De officio Delegati: De officio Ordinarij: De maioritate & obedientia: De his, qui vi metuque abſoluunt vel abſoluuntur: De alienatione: De Iudiciis: De foro competenti: De vita & honeſtate Clericorum: De cohabitatione Clericorum & mulierum: De Inſtitutionibus: Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur: De emptione: De pignoribus: De teſtamentis: De ſepulturis: De Parochiis: De Iure patronatus: De celebratione Miſſarum: De Baptiſmo: De immunitate Eccleſiarum: De Simonia: De ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti: De hæreticis: De Iudæis: De prohibito & illicito veſtitu mulierum. Quæ omnia in Iure patent. ANNO DOMINI M. CCCC. XX.

CONC. BASILEENSE VNIVERSALE EX PARTE REPROBATVM,

quo ad ea nimirum, quæ ibidem de auctoritate CONCILII, *&* *depoſitione* EVGENII *Papa decreta & ſancita fuerunt, inchoatum anno Domini* 1431. *Pontificatus* EVGENII *anno* 1. *finitum & abſolutum anno Chriſti* 1442. *&* EVGENII 12.

ANNO DOMINI M.CCCC. XXXI.

HAEC Synodus à Martino V. eius nominis Pontifice indicta, ope & auxilio Sigiſmundi adhuc Regis, ex præſcripto Conſtantienſis Concilij congregata fuit, eo fine, vt in ea de moribus fidelium reformãdis, & Curia Romanorum in melius mutanda ageretur, & Bohemorum motus, turbæ, ſeditiones & hæreſes componerentur. Præſidem Cõcilij inſtituerat Iulianum Cæſarinum S.R.E. Cardinalem, Sediſque Apoſtolicæ Legatum. Poſt obitum Martini Eugenius Papa prædeceſſoris ſui inſtitutum ſecutus, idem Concilium confirmauit, & vt inchoaretur, prædicto Iuliano ſeriò demandauit. Cumque maxima Prælatorum multitudo ex vniuerſo orbe Latino Baſileam in dies ſingulos conflueret, atque 14. Kalendas Auguſti anno 1431. initio Pontificatus Eugenij Synodus inchoata eſſet, multa de reformatione Romanæ Eccleſiæ in ea tractari cœpta fuere. Qua in re dum illi ſub ſpecie reformandæ Reipublicæ Chriſti, pleraque Romanæ Eccleſiæ priuilegia, eaque in primis, quę maximè neceſſaria erant, omnino tollere & antiquare ſtuderent; Eugenius Papa Legato Sedis Apoſtolicæ reuocato, Concilium, cuius inchoationem anteà approbauerat, diſſoluit, & Ferrariam tranſtulit; ea præcipuè de cauſa, quòd Græci de vnione cum Romanis ineunda acturi, eum locum delegiſſent. Quam ob cauſam, quæ circa Concilij inchoati continuationem, Eugenij Papæ iudicium & depoſitionem acta fuerunt, pluribus Seſſionibus geſta, ſummatim hîc deſcribuntur.

Circa petitionem Bohemorum in prædicto Concilio factam, ſciendum, quòd poſt pacem in Conuentu apud Iglauiam oppidum compoſitam, vigore factę promiſſionis, Bohemi Legationem miſerunt ad Concilium, quæ libello ſupplice Patribus Concilij oblato (quem apud Binium inuenies) petiuit, Bohemorum ſubditis licentiam dari Communionem ſub vtraque ſpecie: de quibus ſic habet Hiſtoria Bohemorum apud Siluium cap. 52. *Bohemis ac Morauis Eccleſiaſticam vnitatem pacemque complectentibus, ſeque in ceteris omnibus, præterquam in vſu Communionis vtriuſque ſpeciei, vniuerſalis Eccleſiæ fidei ritu conformantibus, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſub duplici ſpecie, panis ſcilicet & vini, his, qui conſueuiſſent, diuinæ Euchariſtiæ communicare licebit. An id verò ex præcepto Dei fieri debeat, Generale Concilium Baſileæ congregatum definiet, & quod vtilitati fidelium ſalutique congruat, lege in perpetuum valitura conſtituet. Quo facto, ſi perſeuerauerint Bohemi in eiuſmodi Communionis deſiderio, idque miſſa Legatione petierint, ſacer Conuentus Bohemiæ ac Morauiæ Sacerdotibus communicandi ſub vtraque ſpecie perſonas ſibi ſubiectas, & in annis diſcretionis conſtitutas, & qui id reuerenter poſtulauerint, libertatem impartietur: ea conditione adiecta, vt inter communicandum, plebem publicè inſtruant, non ſub ſpecie panis Carnem Chriſti tantùm, nec ſub ſpecie vini ſolum Sanguinem, ſed ſub qualibet ſpecie totum & integrum contineri Chriſtum.* Hæc Siluius.

De hac re vide Cõc. Trident. Seſſ. 21. cap. 1. & Seſſ. 22. in fin.

Hoc Concilium Senis fuerat inchoatum, ſed iuſtis de cauſis per Martinum V. tranſlatum, Baſileæ vſque ad annum Domini 1442. continuatum eſt. Decreto Conſtantienſis Concilij ſtatutum fuerat, vt Papiæ celebraretur: *ſed cùm peſtilente conſtitutione inficeretur Papienſe cælum,* (vt dicit Chronicon German.) *placuit Pontifici Concilium transferre*

ferre Senas: cumque illuc ex multis Nationibus conuenirent, multi quidem ex largitionibus promiſſis contra Martinum moliebantur, vt de Pontificatu deijceretur: quod vbi animaduertit Pontifex, ſtatim Concilij conuentum diſſoluit: & ne quis calumniari poſſet, Pontificem ſibi timere, ſtatuit, poſt ſeptem annos Synodũ Generalem celebrandam, eique Concilio locum deputauit Baſileam. Sic ibi. Paulus Langius in Chronico Citirenſi Lauſannæ anno Domini 1448. præuia obſidione vrbis diſſolutum & diſſipatum fuiſſe, atque ex glorioſo principio humilem finem conſecutu eſſe ſcribit. Idem indicatur in Bulla Nicolai V. quæ ad finem Seſſ. XLV. addita, apud Binium reperitur. Ibi tamen nihil aliud fuiſſe actum inuenitur, quàm quòd interceſſione Friderici Imperatoris Felix V. Antipapa creatus, ad pacem Eccleſiæ conciliandam, ad Acta Baſileenſis Concilij improbanda, Pſeudopontificatum reſignauerit, eaque de cauſa, pacis & vnitatis gratiâ approbauerit quæ de Beneficiis in Concilio Baſileenſi conſtituta fuerant.

Oecumenica fuit hæc Synodus, eò quòd auctoritate Pontificis indicta, & ſub præſidio Iuliani Cardinalis continuata fuerit eouſque, donec illicita poteſtate vſurpata, in Pontificem Romanum, omni iudicio & ſubiectioni coactiuæ Iure diuino exemptum, iudicium ſuum ipſi conuerterent, & Pontifex Legatum ſuum, omneſque alios Epiſcopos auocaret. Quando verò poſt horum diſceſſum Synodus ſub præſidio Cardinalis Arelatenſis continuata, inuitoque Pontifice prorogata eſt, non tantùm Oecumenica, verùm etiam legitima Synodus eſſe deſiit. Et propterea dicitur hoc Concilium *ex parte reprobatum.* Nam quòd ſit reprobatum auctoritate legitima, conſtat ex Seſſione vndecima Concilij Lateranenſis ſub Leone X. celebrati, vbi Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis non immeritò appellatur: Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem ſententiam pronuntiare auſum eſt, omneſque præcipui Epiſcopi diſceſſerant, & quidam Cardinalis Arelatenſis munus præſidendi ſibi aſſumpſerat. Et quia Epiſcopi pauciſſimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem Presbyterorum multitudinem: ita vt contra omnem formam Conciliorum, non Epiſcoporum, ſed Presbyterorum Synodus eſſet. Deinde eodem tempore agebatur Florentię Concilium alterum, in quo præſidebat Summus Pontifex, & cum eo ſedebant Epiſcopi Latini & Græci ſine comparatione plures, quàm eſſent Baſileenſes, & vnà cum Epiſcopis aderat Imperator Gręcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum: vt nullo modo dubitari poſſet, vtrum ex duobus eſſet verum Concilium Eccleſiæ Generale. Tertiò, Deus quoque ſententiam ſuam dicere volens, tam horribili peſte Baſileam tunc affligebat, vt maior pars eorum Patrum qui ibi erant, vel extincti, vel ſecedere coacti fuerint. Quæ omnia refert Æneas Siluius in Hiſtoria Concilij Baſileenſis, cui ipſe interfuit. Quartò, Patres Concilij eos, qui miſſi erant ab Eugenio IV. vt Concilio præſiderent, iuxtà morem Conciliorũ Oecumenicorum, recipere noluerunt. Quintò, Quia nulla Decreta Concilij vnanimi conſenſu concluſa fuerunt: tum quia multi Prælati & Doctores vtriuſque Iuris eiuſmodi Decretis reſtiterunt; tum etiam, quia in fraudem Legatorũ, quos à Caſtellæ & Anglię Regibus miſſos in itinere eſſe, atque Synodo iam appropinquare cognouerant, Seſſ. XVIII. feſtinabant definire illud, cui dictos Legatos nolle aſſentiri ſciebant.

Dixi, hanc Synodum ex parte tantùm reprobatam eſſe; quia, vt dictum eſt, cùm Felix Antipapa ſchiſmaticus ad vnitatem & concordiam Eccleſię componendam, hortatu Friderici III. Imperatoris Pſeudopontificatum reſignaſſet, Actaq; omnia Baſileenſis Conciliabuli ſuo ipſius iudicio quaſi improbaſſet,

 Nico-

Digitized by Google

Nicolaus V. pacis gratiâ approbauit & Conſtitutiones, quæ de Beneficiis Eccleſiaſticis editæ ac promulgatæ fuerũt: reliqua omnia, quæ aliorum Conciliorum Decretis & Conſtitutionibus non ſunt definita, iudicio eiuſdem Nicolai, ſententiam prædeceſſoris ſui Eugenij hac in re imitantis, reiecta & improbata fuerunt. Viderit ergo Paulus Langius, qua ratione erroris maculas huic Synodo inuſtas abſtergere nitatur.

Qua autem ratione Acta Concilij ſe habuerint, compendioſè hîc enarrabo.

Anno Domini 1431. die 23. Iulij inchoatum eſt Concilium. Septima Decembris in Eccleſia S. Leonardi conuenientes, decreuerunt, primã Seſſionem celebrandam eſſe die Veneris, 14. Decembris, in Eccleſia Baſileenſi primaria. Quod cùm per publicas literas valuis Eccleſiæ affixas ſingulis intimaſſent, omneſque ad Concilium conuocari ſolitos vocaſſent, tempore ſtatuto prædicti Patres conuenerunt, primamque Seſſionem inchoarunt: qua cùm Præſes Concilij habita Oratiuncula, omnes Epiſcopos ſui officij memores reddidiſſet, in præſentia Legatorum Regis Sigiſmundi, & Amadæi Ducis Sabaudię, lectum eſt Decretum Conſtantienſe de celebrandis poſt lapſum quinquennij aut ſeptennij Generalibus Conciliis. Addita eſt lectio Bullarum Martini V. & Eugenij, quibus Baſileam pro loco Cõcilij deſignarunt, cùm Senis inchoatum, ex iuſtis cauſis iſthinc transferri oporteret, neque ibidem continuari poſſet. *Seſſionis I. Acta ſummatim recenſentur.*

His ita peractis, monentur Patres Concilij, vt fidei Chriſtianæ propagandæ, paci procurandæ, moribuſque reformandis ſedulam operam impendant, de rebus in Synodo peragendis, domi ſecum diu multumque cogitent, cogitataque liberè proferant. Deinde conſtitutum fuit, quo modo, quóve geſtu ſinguli ſe habere debeant, quòd dignioribus nihil præiudicij generari debeat, ſi vel loco inconuenienti ſederint, vel ordine præpoſtero ſententiam ſuam dixerint. Ne verò illi, qui ad Concilium vocati ſunt, vlla ratione impedirentur, eodem priuilegio donati ſunt quo Patres Concilij Conſtantienſis, quos ſub pœna excommunicationis ſoli Pontifici reſeruatæ, non modò non ſpoliari, aliiſvè iniuriis afficere, ſed neque per viam arreſti alibi detinere aut impedire licebat. Similis pœna conſtituta fuit in eos, qui vel verbis vel factis, palàm vel occultè, per ſe vel per alios Concilium impedire, turbare, aut diſſoluere conati fuerint. Inſuper decretum eſt, vt qui totius Eccleſiæ cauſa Concilio interſunt, fructus Beneficiorum ſuorum plenè & perfectè percipiant. Ad extremum ordinati fuerunt Notarij, Inſpectores Notariorum, Concilij Promotores, & ſedium ordinatores: à quibus dum ſinguli inſtrumenta Actorum petiſſent, finita fuit Seſſio prima.

Anno 1432. 15. Kalendas Martij habita eſt Seſſio II. cuius initio declaratum fuit, hanc Synodum Baſileæ legitimè congregatam fuiſſe: poſteà confirmantur Decreta Concilij Conſtantienſis de auctoritate Concilij Oecumenici, eiuſque poteſtate ac iuriſdictione ſuper Romano Pontifice: de Epiſcoporum acceſſu non impediendo: quodque ſine licentia nemo ante finem Concilij diſcedere debeat. *Seſſio II.*

Eodem anno, die 29. Aprilis, Seſſione III. iudicarunt, ad extirpandam Huſſitarum hæreſim, motúſque bellicos in Bohemia ſedandos, ipſius Eugenij præſentiam neceſſariam eſſe. Quam rem dum Patres Concilij molirentur, ex ſiniſtra informatione motum fuit, Pontificem diſſolutionem Concilij attentare. Quod ne fieret, per Oratores certos à ſe deputatos rogarunt. *Seſſio III.*

Quarta Seſſione, quæ eodem anno 14. Kalendas Iulij celebrata fuit, conceſſus eſt Saluuſconductus omnibus ad Concilium vocatis, vel in eodem, controuerſos de fide articulos proponere volentibus. Vocatis verò ad Concilium *Seſſio IV.*

Car-

Cardinalibus inhibetur, ne Sede vacãte nouam electionem alibi, quàm in ſacri Concilij loco aggrediantur. Papæ autem inſinuatur, ne extra locum Concilij vllos Cardinales creare, vel à Concilio eoſdem auocare præſumat.

Seſſio v. Seſſione v. quæ habita eſt in Vigilia S. Laurentij, Iudices, Auditores, Procuratores, & Pręcognitores, Notarij, aliiq; Officiarij conſtituti ſunt cum eo mandato, ne vllius cauſæ iudicium vltra tres menſes protrahant, néve præſentes in Concilio ad Curiam Romanam, vel aliò auocari patiantur.

Seſſio vi. Anno eodem, ſexta die Septembris habita fuit ſexta Seſſio, in qua Promotores Concilij Magiſter Nicolaus Amici & Hugo Berardi, Eugenij IV. contumaciam accuſarunt, quòd Concilij prætenſam diſſolutionem non reuocaſſet, nec citatus, per ſe vel per Legatos comparuiſſet. Tarentinus & Coloſſenſis Archiepiſcopi, Epiſcopus Magalanenſis, & Antonius de S. Vito, aliiſque pro Romano Pontifice interueniẽtes, Iudicis incompetentis exceptionem iudiciiſque illius, quo Pontificis cauſa agitaretur, nullitatem allegarunt. Pro Cardinalibus verò ad iudicium Synodale vocatis, allegata eſt iuſta cauſa abſentiæ. Interpoſito itaque Decreto, cauſæ inquiſitio duobus Epiſcopis demandata fuit.

Seſſio vii. Seſſione vii. habita ſexto die Nouembris eiuſdem anni, terminus intrandi Conclaue ad eligendum nouum Pontificem eſt prorogatus. Cardinalibus verò contumaciter manentibus, pœna priuationis impoſita fuit.

Seſſio viii. Seſsione viii. cùm Eugenius IV. Decreto Seſsionis iii. non obtẽperaret, ſub obteſtatione diuini iudicij, & per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti monitus eſt ſecundò, vt infra ſexaginta dies prætenſam diſſolutionem & conuocationem Congregationis ſub nomine Concilij Generalis publicè reuocet; Concilio adſiſtat, & reliqua prioris Decreti impleat. Quod ſi non faciat, futurum decernitur, vt ſine vlteriori citatione contra eum procedatur: omnes eiuſdem promotiones & Ordinationes Eccleſiaſticæ à tempore contemptæ paritionis factæ caſſentur. Cardinales ſub pœna amiſsionis omnium Beneficiorum ad Concilium citantur; iiſque, vt à Curia Romana recedant, mandatur. Præter Baſileenſe, nullum aliud Concilium haberi permittitur: ceteræ congregationes, ſchiſmatica conuenticula vocantur. Bononiam euntes Eccleſiaſtici ſub nomine Generalis Concilij, excommunicantur, & Beneficiis ipſo facto priuantur. Statuitur, ne Beneficia eorum, qui Concilio interſunt, per Pontificem conferri poſsint. Alienatio, infeudatio, & impignoratio bonorum Eccleſiaſticorum interdicitur.

Anno 1433. vigeſima ſecunda Ianuarij habita eſt Seſſio nona, qua Concilium recipitur, illiúsque proceſſus, quos de Regni Ducatibus & Dominiis adimendis Eugenius Papa Sigiſmundo Imperatori, Wilielmo Bauariæ Duci, aliiſque Concilio adhærentibus intentarat, annullantur & reſcinduntur. Seſſio ix.

Seſſione Decima, quæ habita eſt 19. Februarij eiuſdem anni, poſt extenſionem & ampliationem Decreti illius Seſſionis viii. de Beneficiis eorum, qui Concilio interſunt, non conferendis, Eugenij IV. contumacia eſt accuſata, quod prætenſam huius Concilij diſſolutionem non reuocarit, quódque tempore ſtatuto neque per ſe neque per Legatos comparuerit, ſed etiamnum in contumacia perſeueret. Quare petitum eſt, eumdem Papam velut contumacem damnari, diemque & locum ad hunc actum exercendum decerni. His auditis, decretũ eſt, vt Vicenſis & Nouarienſis Epiſcopi per literas valuis Eccleſiæ affixas inquirant, ánne Eugenius IV. aut aliquis alius ſubſtitutus adeſſet, qui eius nomine coram Synodo comparere vellet. Nemine comparente, deputati ſunt, qui Actis contra Eugenium habitis diligenter perlectis, ea Seſſio x.

de re in Concilio ſtatum cauſæ referant, ac deinceps præuia deliberatione, in cauſa eiuſdem definitiuè pronuntiari poſſit.

Seſsio XI. Seſſio vndecima in Eccleſia maiori Baſileenſi 27. Februarij eiuſdem anni celebrata eſt. In hac ſtatutum eſt Primò, Quòd Romanus Pontifex per ſe vel Legatos communi Cardinalium conſenſu eligendos Conciliis Generalibus cum omnibus perſonis Eccleſiaſticis, quæ de Iure tenentur, ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis intereſſe debeat. Secundò conſtitutũ eſt, Quòd Pontifex nemini, ne quidem Cardinali, acceſſum ad Concilium prohibere poſsit: quodque ad Concilium accedere volentibus, licentiam impartiri teneatur: Concilium congregare, congregatum diſſoluere, aut de loco in locum ſine Concilij expreſſo conſenſu transferre non poſsit. Tertiò ſtatutum eſt, Ne hoc præſens Concilium Baſileenſe citra expreſſum omnium conſenſum diſſoluatur. De modo celebrandi Concilij in Conſtantienſi Synodo definito additum fuit, vt Electores Papæ ante Conclauis ingreſſum iurent, quòd ſi quis eorum electus fuerit, hæc Decreta ſeruare velit.

Seſsio XII. Seſsio duodecima habita eſt 14. Martij, anni 1433. in qua Eugenij IV. contumacia iterùm eſt accuſata, quòd nec tot Oratorum rationibus, nec totius Concilij precibus, nec Sigiſmundi Imperatoris crebris Legationibus motus, Concilio intereſſe dignaretur. Qua de cauſa Patres Concilij in eum varia conuitia ſparſerunt, vtpote qui nihil intenderet aliud, quàm vt Eccleſiam peſſumdet, ſibi verò ſuiſque ſucceſſoribus ius acquirat, non ſolùm ritum ſacrorum Conciliorum abrogandi, & eo pro libito diſſoluendi, verùm etiam Decreta promulgata abolendi. Et quamquam poſt expectationem ſeſquianni vererétur, ne frequentior dilatio Pontifici cõceſſa, fiduciam bonæ actionis generaret: iidemque iam ſententiam diffinitiuam in eum pronuntiare parati eſſent; tamen ad inſtantiam D. Imperatoris, tertiam dilationem concedentes, ipſum Eugenium IV. citarunt, & orarũt, vt diſſolutionem reuocet, Decreta facta approbet, legitimè inchoatum & continuatum declaret, atque ita Concilio adhęreat, & huic Decreto intra ſexaginta dies obtemperet. Quæ ſi non faceret, contumax, & ab omni adminiſtratione Pontificatus ſuſpenderetur, omneſque ſubditi ab eius obedientia, fidelitate, & iuramento abſoluerentur. De electionibus hac Seſsione conſtitutum eſt, vt Prælati Canonicè eligantur, ſine vllis, quas vocant, reſeruationibus. Nemo niſi ætate legitima, moribus grauis, & doctrina præditus, in ſacris Ordinibus conſtitutus, & iuxta Sanctiones Canonicas idoneus Epiſcopus eligatur: nullæ interceſsiones admittantur. Pontifex pro confirmatione electionis nihil penitùs recipiat. Notariis detur ſalarium, non quod Prælaturæ aut Beneficio, ſed tantùm quod æquiualens ſit, & reſpondeat laboribus & operis in ſcriptura impenſis.

Seſsio XIII. Seſsio XIII. habita eſt vndecima Septembris eiuſdem anni in Eccleſia maiori Baſileenſi. In qua poſt accuſatam contumaciam Eugenij Papæ, quòd infra 60. dies Concilio non adhæſerit, & Decreto ſatisfacere neglexerit, Promotores Concilij reuſerunt, vt in pœnas in Decreto contentas Pontifex condemnaretur. Imperator per Legatum proprium, ſimulque per Guilielmum Ducem Bauariç, Synodi Protectorem, rurſus inſtat pro dilatione triginta dierum. Idem fecit Magiſter ciuium, alijque nonnulli nomine Concilij & ciuitatis Baſileenſis, promittentes, numquam deinceps pro dilatione quidquã acturos. His de rebus Legati Sedis Apoſtolicæ per famam informati, acceſſerunt ad Synodum, allegantes, pręfixũ terminum ſexaginta dierum necdum elapſum: ideoque contra Pontificem nihil decernendum eſſe. Præſes Generalis

ralis Concilij Legatos malè eſſe informatos reſpõdit, petiitq́; declarari, num Papa Concilio per ſe vel per Legatos ſuos adhærere velit. Cui interrogationi dum nihil reſponderetur, prorogata eſt dilatio triginta dierum, quæ in gratiam Imperatoris iterùm conceſſa fuit. Dimiſsis Apoſtolicæ Sedis Legatis, per Decretum Synodale omnia contra Patres, vel quoſcumque alios in Concilio præſentes, irritantur, læſi in integrum reſtituuntur, occupanteſque Beneficia eorum, qui in Concilio interſunt, excommunicantur.

Seſsio XIV. Eodem anno, ſeptimo Idus Nouembris habita eſt XIV. Seſsio, in qua terminus 60. dierum Eugenio iam pridẽ conceſſus prorogatur, eique Formula certa adhæſionis à Concilio præſcribitur: qua compariturus, Acta Synodalia confirmet, & quidquid ipſe cõtra Synodum eiuſq́ue perſonas dixit vel conſtituit, caſſum & irritum pronuntiet. Eaque occaſione futurum promittitur, vt omnes ſe ad oſcula pedum Eugenij ſubmittant, illumq́ue tamquam vnicum legitimum Petri ſucceſſorem agnoſcant & venerentur.

Seſsio XV. Seſsio XV. celebrata eſt in Eccleſia maiori Baſileenſi eodem anno 6. Kalendas Decembris. Hac ſtatutum eſt, vel potiùs renouatum, vt in qualibet Diœceſi ad minimum ſemel in anno, idque Octaua Reſurrectionis Domini, vel alia die ſecundùm conſuetudinem Diœceſium, per Diœceſanum in propria perſona (niſi Canonicum fuerit impedimentum) vel per Vicarium ad hoc idoneum, celebretur aliqua Synodus Diœceſana, quę ad minimum biduo vel triduo duret, niſi Epiſcopis aliter viſum fuerit: quaq́; hoc ſedulò procuretur, vt Plebani ad diligentem animarum curam agendam admoneantur, Statuta Prouincialia & Synodalia legantur, in vitam & mores à Diœceſano ſolerter inquiratur; Simonia, vſuræ, concubinatus, fornicationes, alijq́ue exceſſus corrigantur; alienationes rerũ Eccleſiaſticarum caſſentur; Clericorũ abuſus tollantur; Clauſurę Monialium ſtringantur; in ingreſſu ad Religionem nihil exigatur; contra hæreſes, ſortilegia, incantationes ſedulò & acriter animaduertatur: Viſitatores Diœceſis inſtituantur, qui per annum Diœceſim luſtrantes, Synodalia vbique ſeruari, non emendata, ad proximam Synodũ deferri, & delinquentes debitè puniri procurent. Eadem Seſſione conſtituitur, vt à fine Generalis Concilij infra biennium, & deinde ad minus ſemel quolibet triennio in loco tuto celebretur Concilium Prouinciale, cui Archiepiſcopus cum Suffraganeis ceteriſque Prælatis, ſub pœna ſuſpenſionis intereſſe teneatur, in quo ipſius admoneantur Epiſcopi, vt Ordines & Beneficia Canonicè conferant, bona Eccleſię vſui illicito non applicent, ſuiq́ue officij rationem reddant. Metropolitanus verò, tamquam omnium pater, monebitur, vt à vitiis deſiſtat, miſſis interim illius exceſſibus ad Romanum Pontificem, ſi qua in re deliquerit. Exortas Prouinciæ lites Synodo Prouinciali ſopire contendat, & ad futurum Generale Concilium mittendas perſonas idoneas cum ſufficiẽti prouiſione deſignet. Ad Monaſteria quod attinet, mandatum eſt, vt Monachi & Religioſi omnes tria ſubſtantialia profeſſionis vota diligentiſsimè obſeruent.

Seſsio XVI. celebrata eſt Nonis Februarij, 1434. In hac Eugenius per literas poſtulatis Synodi ſatisfecit. Concilium Baſileenſe ab initio continuatum fuiſſe, & proſequi debere: diſſolutionem, ac ſi nulla fuiſſet, irritam pronuntiat, ipſumque Concilium cum omni deuotione & fauore adiuturum ſpondet: literas in Palatio Apoſtolico in præiudicium Concilij promulgatas, proceſſus cenſurarum, priuationum, & ſuſpenſionum caſſat & reuocat, læſos in integrum reſtitui mandat. Seſsio XVI.

Per ſecundam Bullam nullum & irritum eſſe declarat, quod Patres Concilij

cilij contradicente Pontifice, quaſi ſine ipſo Generalis Concilij poteſtatem haberent, ſtatuere & ſancire præſumpſerint: citationes, proceſſus, & ſententias contra Papam, Iura & libertatem Sedis Apoſtolicæ, & Cardinales emiſerint, creationes Officialium, collationes Beneficiorum nullas eſſe decreuerint, omnibus, ne pareant, ſub graui pœna præceperint.

Tertia Bulla, Decretum Seſsionis XII. de adhærendo infra 60. dies Concilio, & mandato Cardinalibus dato non parendi ſub pœna priuationis, nullum & inane eſſe declarat ex defectu poteſtatis: & exinde quoſque proceſſus & collationes in vim Decreti factas, & deinceps futuras, friuolas eſſe decernit, mandatque ſub pœna excommunicationis, ne vllum Clericum Romanum Curiam ſequentem in ſua poſſeſsione turbent.

Quartas literas ſuo ſcitu confectas eſſe negat, excuſans ſe, quòd quidquid hactenus conceſſum eſt, illud ſcandali & ſchiſmatis euitandi cauſa fecerit, quodque Eccleſiam turbare noluerit, nec Concilium diſſoluere: ſed ad euulſionem hæreticorum, & reformationẽ abuſuum initio Pontificatus per Iulianum S. Angeli Diaconum Cardinalem Baſileæ Synodum celebrari iuſſerit, cumque Iulianus poſteà locum minùs idoneum eſſe perſcripſiſſet, ipſum Concilium non diſſoluiſſe, ſed Baſileam cum Bononia commutaſſe optauerit, ideò quòd octo pænè menſibus poſt terminum præfixum, nec Doctores vlli, paucique Prælati, cum tribus tantùm Epiſcopis adfuiſſent, quodque Auſtriæ & Burgundiæ Duces bello inter ſe contenderent.

Ad Conſtitutionem Conſtantienſis Concilij de Synodo Vniuerſali non interrumpendo, reſpondit, eam nihil de temporis prorogatione edidiſſe, nihilq; hac in re conſtituiſſe, quod ſucceſſores Pontifices obligare potuerit: vtpote quĩ Synodalibus Decretis exempti, illis non aliter obedire teneantur, niſi bonum publicæ pacis vel Eccleſiæ id Iure naturæ poſtulet: maximè quia Leges Cõcilij poſitiuæ ſunt, quibus Papa, Concilio ſuperior, obligari non poſsit. His addit, quòd illi ſine iuſto Præſide vniuerſalem Eccleſiam repræſentare nequiuerint, adeoque poſt diſſolutionem Concilij factam citra conſenſum Pontificis, illi non tam Concilium quàm Conciliabulum celebrauerint. Quamobrem ſe nequaquam induci poſſe, imò vitam ſe potiùs amiſſurum eſſe declarat, quàm vt priora Acta approbet: cõtentumq; fore, vt Concilium deinceps fiat, & hactenus fuerit, & ad finem producatur, modò ipſi Patres omnia attentata contra Pontificem & Sedem Apoſtolicam reuocent, Legatoſque Papæ velut Prẹſides, ſummoſque Concilij Iudices agnoſcant.

Papa Synodalibus Decretis non eſt ſubiectus.

Eadem Seſsione, die Sabbati, 24. Aprilis eiuſdem anni continuata, hoc impium Decretum pronuntiarunt, quòd Oratores Papæ Conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, qua Pontifex Concilij poteſtati coactiuæ ſubiicitur, iuratò confirmare & approbare teneantur.

Seſſ. XVII. Seſſione XVII. quæ habita eſt Baſileæ in Eccleſia maiori 6. Kalendas Maij eiuſdem anni, Sigiſmundus Imperator coronatus, cum pluribus Ducibus, centumque Prælatis mitras albas in capite geſtantibus interfuit. In hac poſt quinque Legatos Pontificis, Concilij Præſides, adempta illis omni iuriſdictione coactiua, admiſſos, actum eſt de modo procedendi: nimirum, quòd Feria 6. ſit conueniendum, Præſidiſque abſentiam Prælatus in ordine ſubſequens adimplere deberet.

Seſſ. XVIII. Seſſione XVIII. habita 6. Kalendas Iunij, repetitur Decretũ Concilij Conſtantienſis, quo declaratum eſt, Generale Concilium poteſtatem immediatè à Deo habere talem, cui Papa, etiam in negotiis fidem moréſve Eccleſiæ concernentibus, obtemperare teneatur.

Seſſio-

Digitized by Google

Seſsio XIX. Seſsionis XIX. Idus Septembris celebratæ initio actum eſt de modis vnionis inter Græcos & Latinos ineundæ. Placuit, vt ſi Baſileam adduci non poſſent, alius aliquis locus maritimis oris vicinus eligeretur: quodq́ue ſumptus & impenſas Græcis ex Oriente aduehẽdis neceſſarias Latini præparare debeant, ſintq́; parati Patres huius Concilij poſt menſem vnum ab aduentu Græcorum Baſileâ recedere, & ad eum locum accedere, quem Patriarcha & Imperator Conſtantinopolitanus eligendum duxerint.

Præter hæc ordinatum eſt hac Seſſione, vt Diœceſani locis, vbi Iudęi morantur, eruditos conſtituant viros, quorum doctrinâ infideles poſſint errores ſuos agnoſcere, & auctoritate ad verbi prædicationem audiendam compelli. Item renouata ſunt omnia illa Decreta anteriorum Conciliorum, quibus Chriſtianis communicationes cum Iudæis in fide, moribus, victu, potu, & in commerciis interdicuntur. Qua de cauſa conſtitutum eſt, vt habitum & locum habitationis ſeparatum habeant. Baptizatis Iudæis conceſſum eſt, vt ea quæ fœnore acquiſiuerunt, retinere poſſint. Pauperibus eleëmoſynis Eccleſiæ prouideri mandatur, ſimulq́ue conuerſis omnibus præcipitur, ne cærimonias vſurpent.

Seſsio XX. Seſſione XX. an. 1435. vndecimo Kalendas Februarij, Clerici publici concubinarij à perceptione fructuum tribus menſibus ſuſpenduntur, & ſi concubinam ſtatuto tempore non dimiſerint, omnibus Beneficiis priuantur. Illi verò publici concubinarij eſſe definiuntur, qui vel confeſſione propria, vel euidentia facti tales ſunt; vel qui ſaltem mulierem de incontinentia ſuſpectam moniti non dimittunt. Ne tales pecuniariâ mulctâ puniantur, ſub anathemate interdicitur. Filiis inde ex concubinatu natis apud patrem habitare non permittitur. Laici ſimiliter, vt concubinatu abſtineant, ſeriò monentur. De vitandis excommunicatis hîc repetitur, quod Conſtantienſis Synodus hac de re iam antè ſalubriter conſtituerat.

Seſſio XXI. habita eſt die nona Iunij, in qua annatæ pro Beneficiorum collatione & electionum confirmatione dari ſolitæ, velut Simoniacæ reprehenduntur. Triennalem Beneficij poſſeſſorem non eſſe turbandum decernitur. Ad Horas Canonicas tractim & debita grauitate cantandas, benè conſtitutum eſt, vt Clerici tunica talari, & ſuperpelliciis mundis vltra medias tibias longis, ſine confabulationibus Choro interſint. In Matutinis, poſt Venite; in Miſſa, poſt vltimum Kyrie; in reliquis Horis poſt primum Pſalmum, Chorum ingreſſus, vel non admittatur, vel ſaltem velut abſens habeatur: præſentiæ ad ſingulas Horas diſtribuantur, additumq́ue, vt priuatim Horas legentes, eaſdem clarè ac diſtinctè legant: vt vagantes per Eccleſiam totius diei præſentia careant: vt Symbolum Nicænum integrè canatur: Sacerdotes nullo debito ſe obſtringant: nulli actus Capitulares citra neceſſitatem Feſtis diebus habeantur. Laruales & theatrales illi ioci, qui in Feſto Innocentium vſurpari ſolebant, ab Eccleſia arceantur. Seſsio XXI.

Seſſione XXII. Idibus Octobris condemnantur hæreſes Fratris Auguſtini de Roma, qui docebat, Chriſtum quotidie peccare: non omnes fideles iuſtificatos eſſe membra Chriſti; per vinculum charitatis ſolius, neminem Chriſti membrum effici. Seſsio XXII.

Seſſione XXIII. octauo Kalendas Aprilis anno 1436. Sanctiones de Romani Pontificis electione innouantur; nimirum, vt decima poſt obitum die Conclaue cum Spiritus ſancti inuocatione Cardinales ingrediantur, duos dumtaxat famulos ſecum habentes: cærimoniarum cauſa Clerici duo, quorum vnus ſit Notarius, accedant: Camerarius reliquos excludat; omnia victualia, pręter medica, à cubiculis amoueantur: cibaria ſingulis diebus perquirantur: nullæ Seſſ. XXIII.

læ epiſtolæ admittantur. Cardinales digniorem ſe electuros ante ſcrutinium iurent: ante ſex completa ſcrutinia nullus fiat acceſſus. Electus in Papam teneatur conſentire, Profeſſionē fidei emittere, omniumq́; Generalium Conciliorum obſeruantiam polliceri, ſchiſma tollere, libertatem Eccleſiaſticam iuuare, Curiam ſuam reformare, Eccleſiæ ditiones fideliter gubernare; nulla in re quæſtum, ſed charitatem intendere.

Eadem Seſſione ſtatutum eſt, ne Pontifex conſanguineum vel affinem vſque ad tertium gradum, Ducem, Marchionem, Feudatarium, vel Emphyteutam Vrbis, vel etiam Prouinciarum Præſidem conſtituat; ne conſtitutum Cardinales approbent: omniaque Cardinalium conſilio gubernet. De numero & qualitate Cardinalium eligendorum hac Seſſione conſtitutum eſt, vt tantùm 24. eligantur huiuſmodi, qui in ſcientia & moribus rerumq́; experientia ſint excellentes, ætate maturi & graues, Licentiam vel Doctoratum in Iure vel Theologia habentes: néve electi ſint conſanguinei Pontificis, vel aliorum Cardinalium, nullaque irregularitate præpediti.

Seſſ. xxiv. Seſſione XXIV. octauo Kalendas Maij celebrata, promiſſio Legatorum, qui pro vnione cum Græcis ineunda Conſtantinopolim miſſi erant, acceptatur, approbatur, ratificatur, tempuſque pacta complendi ad annum prorogatur. Saluus conductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ, aliiſque 700. perſonis offertur, licet vnio nō fieret. Cumque per auream Bullam Imperator Græcorum, & per plumbeam Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe ad aliquem locum acceſſuros promiſiſſent, pro impetrandis neceſſariis hanc in rem impenſis promulgatæ & conceſſæ ſunt plenariæ Indulgentiæ ijs, qui in hunc finem tantum, quantum quiſque integra ſeptimana familiæ ſuſtentandæ impendit, contribuerent.

Seſſ. xxv. Seſſione XXV. quæ habita fuit Nonis Maij, 1437. de loco futuri Oecumenici Concilij ſtatutum eſt, quo vel Baſileæ, vel Auenione, vel in Sabaudia Græci, cuiuſcumque ſint eminentiæ, teneantur conuenire. Pro ſumptibus alendorum Orientalium, omnibus Eccleſiaſticis, exemptis & non exemptis, decimæ impoſitæ fuerunt.

Seſſio XXVI. pridie Kalendas Auguſti eiuſdem anni celebrata fuit, qua Eugenium Papam inſimulant, quaſi nulla exhortatione ad morum emendationem, & abuſuum correctionem trahi potuerit; electioni bonorum Paſtorum aſſenſum non præbuerit, Beneficia Simoniacè contulerit, Concilio Baſileenſi non adfuerit, bonos expulerit, pro graui pecunia dignitates contulerit, Synodalia priorum Pontificum Decreta reuocarit, à Concilio Legatos ſoluerit, Cardinalium conſilia ſpreuerit, diſpenſatione ſibi credita abutatur, patrimonium Petri perdiderit & diminuerit, ſubſidia in conductionem Græcorum conferenda, per multiplicatas in contrarium Indulgentias impediuerit, iuramentum præſtitum non ſeruauerit. Quare eum vnà cum Cardinalibus iterùm citarunt. Seſſ. xxvi.

Seſſione XXVII. habita 6. Kalendas Octobris eiuſdem anni, abſenti à Concilio Pontifici, Cardinaliū electionem interdicunt: eas, quas anteà fecerat, caſſas & irritas eſſe pronuntiant, & quidem nominatim eam, qua Eugenius Cardinalitiæ dignitati mancipauerat Patriarcham Alexandrinum. Bullam eiuſdem Eugenij, qua Florentiam vel Vtinum pro loco Concilij futuri deſignauerat, nullam eſſe decernunt. Cumque po vnione Græcorum cum Latinis proſequenda impenſas cōtuliſſent, metuerentque ne hac de cauſa Pontifex ciuitatem Auenionem cum Comitatu Venayſino, & Dominiis ſibi adiacentibus aut venderet, aut oppignoraret, alienationem eius omnino prohibent. Seſſ. xxvii.

Seſſio XXVIII. habita eſt prima Octobris eiuſdem anni. In hac Promoto- Seſſ. xxviii.

res

res Concilij Monitorium & citationem contra Eugeniũ reproduxerunt in originali, eumdemque contumacem declarari petierunt, quòd in termino peremptoriè præfixo non comparuiſſet. Qui exinde per duos Epiſcopos ter altà voce citatus, ex ambone declaratus eſt abſens, ideoque contra eum vlterioribus procedendum eſſe.

Seſſio XXIX. Seſſione XXIX. quarto Idus Octobris celebrata, cauſæ, ob quas Pontifex Baſileam Oecumenico Cõcilio deſtinatam reiecerit, refutantur: Auenionem commodiorem eſſe Baſilea vel Sabaudia, negatur: diſſidij cauſa in Pontificẽ reiicitur: per Concilium Baſileenſe libertatem eſſe violatam negatur. Cumque Eugenius Concilium Ferrariam transferre cogitaret, eoque Conſtantienſis Concilij Decreta infringeret, illiuſque Iudicem ſe conſtitueret, approbationem factam reuocaret, Decretum Baſileenſe vilipenderet: declarat Synodus, prætenſam Concilij diſſolutionem & translationem Ferrariam cum cenſuris irritas & inanes eſſe, præcipitque Eugenio, vt infra quatuor menſes cum vera ſatisfactione ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis conatibus deſiſtat: omnes Bullas transferendi Concilij caſſat: Ferrariam adeuntes, & Eugenij mandato obtemperantes excommunicat.

ANNOTATIO.

Circa translationem Concilij de vno in alium locum, & de eius diſſolutione, Turrecremata in Summa, de Eccleſia, lib. 3. c. 66. & ſeqq. Iacobatius de Concilio, lib. 10. art. 6. dicunt, quòd olim de hac re fuit magna controuerſia inter Doctores; nam Abbas, & aliqui alij ſenſerunt, id non poſſe facere Romanum Pontificem abſque ipſius Concilij conſenſu. Idem cenſuit Petrus Ancharan. teſte eodem Iacobatio. Sed nunc dubitari non poteſt, quin id poſſit facere Romanus Pontifex rationabili & iuſta de cauſa: nimirum, ſi locus peſte laboret, aut bello prematur, vel ſit ab hoſtibus obſeſſus: Romanus enim Pontifex cùm ſit totius Eccleſię Paſtor, & Concilio Generali præſideat per ſe, vel Legatos ſuos; poteſt ſua auctoritate Concilium transferre ad alium locum, vel tempus, vel diſſoluere: ita vt ex eo tempore Concilium deſinat eſſe legitimũ, quia non ampliùs à Romani Pontificis auctoritate pendet & exiſtit, cùm eo contradicente Concilium procedit. Nec obſtat Conſtitutio edita in Concilio Conſtantienſi Seſſ. XXXIX. quæ incipit, *Frequens*: vbi ſtatutum eſt, vt decimo quoque anno Concilium congregetur, nec poſſit Romanus Pontifex congregatum diſſoluere, nec ad alium locum vel tempus transferre. Hæc Conſtitutio occaſionem dedit Doctoribus diuerſa ſentiendi in hac difficultate. Nam reſpondeo cum Turrecremata in Summa, de Eccleſia, lib. 3. cap. 46. Conſtitutionem illam contra Romani Pontificis auctoritatem non valere: vnde Martinus V. qui Pontifex in eo Concilio eſt creatus, Legatis, quos ad Concilium Senonenſe miſerat, poteſtatem dedit vt Concilium aliò transferrent.

Benè verum eſt, in ijs caſibus, in quibus Generale Concilium ſine auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatur, ſiue à Cardinalibus, ſiue à Regibus, non poſſe Romanũ Pontificem diſſoluere, vel aliò trãſferre: ſcilicet, ſi congregatum ſit, quia Papa eſt notoriè hæreticus, vel quia duo vel plures dubij & incerti Pontifices ſunt.

Seſſio XXX. Seſſio XXX. habita eſt Kalendis Ianuarij 1437. qua decernitur, quòd laici & Clerici non Sacerdotes communicare ſub vtraque ſpecie non aſtringuntur: quodque Eccleſia poteſtatem habeat ordinandi modum quemdam, iuxta quem non conficientes, Euchariſtiam ſumere debeant. Addit, certa fide tenendum eſſe, quòd ſub ſpecie panis non tantùm caro, & ſub ſpecie vini non ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie Chriſtus totus contineatur. Conſuetudinem laudabilem à Patribus introductam, diutiſſimè obſeruatam, à Doctoribus eximiis commendatam, pro lege habendam; neque deinceps vlli hominum licere eam vel reprobare, vel ſine auctoritate Eccleſiæ immutare.

Seſſio XXXI. Seſſione XXXI. nono Kalendas Februarij 1438. de cauſis litigantium ſtatutũ eſt, vt qui itinere quatuor dietum Roma diſtant, agitentur illo loco, vbi exortæ ſunt: appellationes friuolæ ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ, reiiciantur, introductaque appellatio ad euitandos ſumptus partiũ in loco committatur. Cùm apud Concilium indi-

Digitized by Google

ctum Ferrariæ cauſæ agitentur, voluit Synodus, cauſas quaſcumque pendentes, & commiſſas, perque appellationem ad Sedem Apoſtolicam deuolutas, apud hanc Synodum tractari.

Eadem Seſſione de Beneficiorum collationibus conſtitutum eſt, ne Pontifex Romanus vlli deinceps quacumque ex cauſa Expectatiuas, quas vocant, concedat. Reſeruationes particulares quæcumque in poſterum annullantur: Beneficia non niſi doctis & literatis conferantur, eo ordine & modo quo in Conciliabulo præſcribitur. Poſt hæc Eugenius velut contumax, ab omni administratione Pontificatus in ſpiritualibus & tēporalibus ſuſpenditur: eamdem ad Concilium deuolutam eſſe decernitur: Reges, aliique laici monentur: Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis mandatur, vt ea durante ſuſpenſione, Eugenio non obediant.

Seſſio XXXII. Seſſio XXXII. habita fuit Kalendis Aprilis, eiuſdem anni. In qua priori loco pro futura celebranda Synodo deſignato, duæ pluréſve partes Synodi firmiter inhærent: illudque Concilium, quod ab Eugenio Ferrarię celebrandum indictum fuerat, cum ipſo Eugenio, ceteriſque omnibus, qui intereſſent, excommunicatur.

Seſſio XXXIII. Seſſio XXXIII. anno 1439. decimoſeptimo Kalendas Iunij celebrata fuit: in qua, ad oſtendendum quòd Synodus immediatam à Chriſto poteſtatem habeat, tres Aſſertiones, quas *Veritates fidei* perperàm nominant, ponunt.

ASSERTIO I. Concilium eſt ſupra Papam, & quemlibet alterum.

II. Quòd Papa non poſſit Concilium legitimè congregatum, ſine eius conſenſu, vel pro ſua auctoritate diſſoluere, aut in aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre.

III. Qui prædictas Aſſertiones pertinaciter impugnat, hæreticus eſto.

Seſſio XXXIV. Seſſione XXXIV. habita Kalendis Iulij eiuſdem anni, vigore Conſtantienſis Concilij Seſſ. IV. & V. quo Placitis Concilij reſtragantes, & obedire nolentes, ad condignas pœnas condemnaturi, Synodus Eugenium, tamquam contumacem, præceptis Eccleſiæ inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, vnitatis Eccleſiæ perturbatorem, Simoniacum, periurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide deuium, Iurium & bonorum Eccleſiæ proditorem, à Pontificatu depoſitum declarat, inhibetque ne deinceps talem ſe gerat: Chriſtianos omnes ab eius fidelitate & obedientia abſoluit: omnibus ſub pœnis hæreſeos, & omnium Beneficiorum dignitatumque priuationis, obedientiam interdicens.

Seſſione XXXV. ſexto Idus Iulij eiuſdem anni, iuxta tenorem Synodalis ſuprà promulgatæ, decernitur, quòd non niſi potiſſimorum Patrum votis conſentientibus Concilium diſſolui poſſit, aut debeat: quodq́; poſt ſexageſimum depoſitionis diem, ad noui Pontificis electionem procedi debeat. Seſſio XXXV.

Seſſione XXXVI. vndecimo Kalendas Octobris eiuſdem anni celebrata declaratur, ſententiam eam, quæ tuetur, quòd B. Virgo præueniente & operante gratia Dei ſingulari, originali peccato obnoxia non fuerit, piam, ſāctam, cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sanctis literis conſonam, ideoque tenendam eſſe. Vt feſtum Conceptionis B. Virginis deinceps ſexto Idus Decembris conuenienti honore celebretur, Indulgentiæ in eum finem promulgantur. Seſſio XXXVI.

Seſsione XXXVII. quæ Kalendis Nouembris eiuſdem anni habita eſt, ad futuram Pontificis electionem ſtabiliendam, conſtitutum eſt, ne, Sede vacante, aliter quàm per Concilium Pontifex eligatur: quodque ante ſexageſimum diem vacantis Sedis ad electionem procedi non debeat, habeaturque ille Pontifex, quem duæ partes ſuffragantium & vouentium Electorum Cardinalium elegerint. Seſſio XXXVII.

Eadem

Digitized by Google

Eaem Seſsione conſtitutum eſt, vt omnes Electores Euchariſtiam ſumát, & deinde ante ingreſſum Conclauis iuramentum iuxta Decretum Seſsionis XXII. emittant. De electo ſtatuitur, vt n præſentia Notarij & decem teſtium nfra diem naturalem conſentiat: ſinminùs, electio irrita ſit: priùs quàm graue quid incipiat, vel tractet, in loco Concilij coronetur: ſe Catholicum ſemper fore, Concilia Generalia obſeruaturum, pro hæreſibus extirpandis diligenter laboraturum, Conciliumque inchoatum continuaturum promitta.

Seſsio XXXVIII. tertio Kalendas Nouembris celebrata, Synodus carpit Eugenium, quòd edito Florentiæ libello, tranſlationem prætenſam, & Conuenticulum (vt vocant) Ferrarienſe defendat: quódque Synodum Baſileenſem, & Decreta Conſtantienſis Concilij in malignum ſenſum traxiſſe dicat: tres Veritates ſuprà recenſitas, inanes pronunciet, nec tamen aperiat, quo ſenſu eaſdem approbet. Ipſum verò libellum, quo Patres Baſileenſis Concilij Eugenius debitis Eccleſiaſticis cenſuris perſtringit, Synodus omnibus Collegiis & Vniuerſitatibus, laicis & Eccleſiaſticis interdicit: néve eumdem publicent, aut eidem credant ſeu faueant, cenſuris damnationis vel reprobationis in eo contentis (quas nullas declarat) obediant, vel moueantur, ſeuerè præcipit. Statuit etiam Synodus hac Seſsione, vt defunctis Eccleſiarum & Cœnobiorum Prælatis, abſentes non expectentur, quique plurium quàm duorũ dierum itinere abſunt, ad electionem non vocentur, niſi aliud alibi peculiari ſtatuto & conſuetudine receptum fuerit. Ad futuram noui Pontificis electionem iuxta Decretum Seſsionis XXXVII. ſuprà enarratũ, conſtitutæ ſunt triginta duæ diuerſarum Nationum perſonæ, quæ vnà cum Notariis, aliiſq; miniſtris ad electionem legitimè proſequendam neceſſariis, proxima Seſsione Conclaue ingrederentur.

Seſsio XXXIX. habita eſt 15. Kalendas Decembris eiuſdem anni. In hac illi triginta duo viri, qui præcedenti Seſsione ad noui Pontificis electionem deputati fuerant, poſt inuocationem Spiritus ſancti Conclaue ingreſsi, ſeptima die, quintoq; ſcrutinio Amadęum Ducem Sabaudiæ, qui in ſolitudine Reipublicæ iam diu continenter vixerat, iuxta ſacros Canones in Pontificem Romanum elegerunt, eámque factam electionem Patres Concilij approbarunt, & confirmarunt.

Seſsio XL. anno 1440. quarto Kalendas Martij celebrata fuit, in qua dum Synodus Ludouicum Cardinalem S. Cæciliæ, alioſque Epiſcopos & Abbates cum Ioáne Comite in Thierſtein ad electum Amadæum pro Pontificatu ſuſcipiendo ablegaſſet, eúmque magnis precibus ad conſentiendum & acceptandum induxiſſet, poſt inſignia Pontificatus illi collata, & iuramẽtum ab eo præſtitum, factam electionem publicarunt, impoſito illi nomine Felicis V. eumdem pro vero Pontifice agnoſcendum, eidem ſoli ſub cenſuris ſuſpenſionis, priuationis, & excommunicationis obediendum eſſe decreuerunt, annullatis & caſſatis iis omnibus, quæ Eugenius IV. contradixiſſet, vel edidiſſet.

Seſſio XLI. celebrata eſt decimo Kalendas Auguſti eiuſdem anni. In hac Synodus calumnias, conuitia, aliáque iniurioſa ſcripta contra Felicem V. ceteróſque huius Concilij Patres publicata & euulgata, vnà cum inſertis comminationibus pœnarum, nulla & irrita eſſe declarat. Omnibus verò cuiuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis, vel conditionis fuerint, eadem Synodus præcipit ſub omnibus cenſuris, ne hos libellos iniurioſos accepte nt, prædicent, publicent, defendant, iiſve quouis pacto conſentiant aut obediant; aut iſtorum libellorum prætextu, illius Beneficia occupare vel impetrare, aut quidquam

Seſsio XXXVIII.

Seſſio XXXIX.

Amadæus Dux Sabaudiæ Antipapa.

Seſſio XL.

Seſſ. XLI.

in eorum præiudicium facere præſumant.

Seſſio XLII. Seſſione XLII. Nonis Auguſti eiuſdem anni, decernitur, decimas omniũ Eccleſiaſticorum prouentuum, cuiuſcumque nominis fuerint, Felici Papæ eiúſque collectoribus, pro noua prouiſione ſuſpenſionis & interdicti perſoluendas eſſe, non obſtantibus vllis priuilegiis vel conſtitutionibus. Si tamen aliqua Natio ſe grauatam allegat, moderationi Felicis V. Synodus omnia committit. Statuitur etiam, quòd dictæ decimę ſemel tantùm quolibet anno exigantur, quódque Germaniæ Beneficia, quorum redditus quinq; marcas argenti annuatim non excedunt, his non includantur. Collectoribus mandatur, ne quidquam vltra ſtatutas quintas vel decimas exigant, vel pro ſuo labore petant; ſed ſalario ex Camera Felicis illis aſsignando ſint contenti: Item, ne perſonæ ſolutionem negligentes, & exinde excommunicationem incurrentes, Romam, vel ad Curiam venire teneantur.

Seſſio XLIII. Seſsione XLIII. 1441. Kalendis Iulij conſtituitur, vt ad turbas Eccleſiæ ſedandas, pacémque & vnionem fidelium interceſſione D. Virginis impetrandam, debita ſolemnitate Feſtum Viſitationis B. Virginis celebretur ſexto Nonas Iulij. Qui Matutinis, Proceſsionibus, concioni, Miſſæ, Officio, primis aut ſecundis Veſperis interfuerint, pro quolibet Officiorum centum dierum Indulgentiis donantur.

Seſſio XLIV. Seſsio XLIV. celebrata eſt 5. Idus Auguſti eiuſdem anni, qua illi qui Concilio interfuerant, eáque de cauſa ad inſtantiam nonnullorũ apud Eugenium Pontificem ſuis Beneficiis ſpoliati erãt, in integrum reſtituuntur, violentíque detentores expelluntur & deiiciuntur ea conditione, vt niſi ante præfixum terminum poſſeſsionem Beneficiorum, vel ipſi detentores euacuent, vel etiam ipſa Collegia euacuari non procurent, graues cenſuras incurrant: de perceptis fructibus cum priore iuſto poſſeſſore tranſigi & componi mandatur: conceditúrque ad extremum, vt contra inobedientes & contumaces brachium ſæculare imploretur.

Seſsio XLV. & vltima celebrata eſt anno 1442. 17. Kalendas Iunij, qua ad Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi obtemperandum, pro loco futuri Concilij nominatur Lugdunum vrbs Galliæ, vbi grauiſsimas ob cauſas poſt triennium ab hoc die computandum Generale Concilium celebretur. Omnibus Cardinalibus, Patriarchis, Prælatis, aliiſque intereſſe debentibus præcipitur, vt ſtatuto tempore accedant. Felici V. conceſſum eſt, vt ſtatutum tempus abbreuiare poſsit. Circa finem declaratur, quòd Patres non intendant Baſileenſe hoc Concilium diſſoluere, ſed potiùs continuare & abſoluere, ſi modò Reſpublica Baſileenſis ſecuritatem hucuſque Concilio cõceſſam ſeruauerit illæſam. Quòd ſi impedimentum aliquod inciderit, pro continuatione huius Concilij, nominatur ciuitas Lauſanna Prouinciæ Biſuntinæ, qui eſt locus ad Generale Concilium celebrandum aptiſsimus. Sed ibi nihil aliud factum fuiſſe inuenitur, quàm quòd interceſsione Friderici Imperatoris Felix V. Antipapa creatus, ad pacem Eccleſiæ conciliandam, ad Acta Baſileenſis Concilij improbanda; Pſeudopontificatum reſignauerit. Seſſio XLV.

CONCILIABVLVM BITVRICENSE

pro approbatione PRAGMATICAE SANCTIONIS *in Gallia celebratum, anno Domini* 1438. *tempore* EVGENII *Papæ* IV.

De cauſa Actíſve huius Conciliabuli apud Bituriges in Gallia celebrati (quod vnà cum Actis Baſileenſis Cõcilij Eugenius IV. Nicolaus V. Pius II. & Leo X. in Concilio Lateranenſi reprobauit) Gaguinus lib. ANNO DOMINI M CCCC. XXXVIII.

lib. 10. ita ſcribit: *Apud Baſileam Eugenij IV. Romani Pontificis aſſenſu congregato Concilio, ij quibus Eccleſiaſticam tueri dignitatem mandatum erat, Leges communi omnium ſententia ritè digeſtas ſanxerunt, quas à Carolo admitti, miſſis eius rei cauſa Oratoribus, petierunt.* Legum hæc Capita fuerunt:

1. *Romanus Pontifex quoque decennio Generalem Synodum, loco quem volet, poſt hæc congregato. Si negligens erit, poteſtas eſto Patribus id deſignandi. Conuocati Concilij locum, niſi neceſſum erit, Pontifex non mutato.*

2. *Baſileenſis Concilij auctoritas, & ipſius Decretorum conſtantia, perpetua eſto: quæ nemo vmquam, nec ipſe Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præſumito,* &c. Quadraginta ſequentes ex Actis Concilij Baſileenſis deſumptæ ſunt.

Poſt ſingulas Conſtitutiones enarratas, quæ nihil aliud ſunt, quàm breuia ſummaria Seſſionum præcipuarũ Baſileenſis Conciliabuli, Gaguinus prædicto loco hæc ſubiungit: *Hæc cùm Carolus ſatis enucleata digeſtaque comperiſſet, indicto apud Bituriges Concilio, Pragmaticam (quam vocant) Sanctionem tulit, eamque in Parlamenti Senatu promulgari mandat anno Chriſtianæ ſalutis 438. ſupra milleſimum, Nonis Iulij. Quam Regia auctoritate Baſileenſis Synodi factam Conſtitutionem, qui deinceps fuere Romani Pontifices, non ſecùs ac pernicioſam hæreſim execrati ſunt: quòd eam nemo Pontificum, diſſoluto Baſileenſi Conuentu probauerit.*

ANNOTATIO.

Pragmaticæ Sanctionis abrogatio.

CIRCA hanc Pragmaticam Sanctionem ſciendum, quòd illa ad petitioné Pij II. Pontificis à Ludouico XI. Rege Franciæ abrogata eſt: quod ex eiuſdé Ludouici XI. epiſtola ad præfatum Pontificem euidentiſſimè conſtat, quæ etiam inſeritur Seſſione IV. Concilij Lateranenſis ſub Iulio II. celebrati, & ſic habet: *Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, tibi ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patri noſtro Pio Papæ II. obedientiam filialẽ, & plenos deuotionis affectus, &c.* Et paucis interiectis: *Et ſi Conſtitutio quædam in Regno noſtro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conuentu, magna temporis deliberatione concluſa fuerit, & iam callum obducẽs, quietum propè fixerit ſtatum; Tu tamen tuis ad nos literis illam à Regno noſtro auferri, explodi, abrogariq; flagitas. Hinc enim exoritur, vt dum per Pragmaticam Sanctionem ipſam ſumma in Eccleſia tua Sanctitatis minuitur auctoritas, dum Prælatis in Regno noſtro quoddam licentiæ templum præſtruitur, dum congruens vnitas ad alia Regna conformitáſque tolli videtur, abroganda ſit ipſa Pragmatica, tollendaq; à Regno noſtro, quippe quæ aduerſus tuam Sedem, omnium Eccleſiarum matrem, ab inferioribus Prælatis lata ſit, tamquam, vt Scriptura loquitur, quo modo ſi eleuetur virga* Iſa. 10. *contra leuantem ſe, aut baculus, qui vtique lignum eſt. Licet autem, beatiſſime Pater, plerique docti homines confutare niterentur atq; diluere, multaq; nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipſam; Te tamen Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, Te Dominici gregis Paſtorem profitemur & ſcimus, Téque iubentem ſequimur, Tibiq; ac beatiſſimi Petri cathedræ conſentimus, & iungimur.* Principis Chriſtianiſſimi digna confeſſio. *Itaque ſicut mandaſti, Pragmaticam ipſam à Regno noſtro, noſtroq; Delphinatu Viennenſi, & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, deijcimus, ſtirpituſq; abrogamus, & quam qualémvè ante Pragmaticæ ipſius editionem, circa Eccleſiaſticorum Beneficiorum, altarúmque rerum ſpiritualium diſpoſitionem, cenſuram, moderationem in Regno noſtro, omniq; ditione noſtra, tui prædeceſſores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant, talem, eamdemq; noſtro adiutorio beatiſſimo Petro, Tibiq; ipſius ſucceſſori reddimus, præſtamus, & reſtituimus, cum ſummo imperio, cum indicio libero, cum poteſtate non coarctata,* &c.

Et Iulius II. eadem Seſſione contra eamdem Pragmaticam & eiuſdem aſſertores hoc Decretum promulgauit: *Dudum diſplicenter per nos pluries accepto, per multa temporum ſpatia, per nonnullos Prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præſertim cuiuſdam Sanctionis prætextu, quam ipſi Pragmaticam vocant, Apoſtolicæ Sedi, ſanctæq; Romanæ vniuerſalis Eccleſiæ capitis libertati & auctoritati enormiter detractũ, Canonibuſq; derogatum fuiſſe, rem adeò pernicioſam in Dei offenſam, & Eccleſiæ præfatæ vilipendium & euidens detrimentum, ampliùs ferre nequeuntes: cùm Sanctio ipſa ab omni ad id poteſtate carẽtibus, nullorumq; Romanorum Pontificum, aut Generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, ſed quodam abuſu tantùm in illis partibus introducta & obſeruata fuerit, illáque cùm in contentis nulla & inualida*

ualida meritò declarari & abrogari debeat, quam etiã claræ memoriæ Ludouicus XI. *Francorum Rex abrogauit, ſacro Lateranenſi Concilio approbante in* IV. *Seſſione declarationis & abrogationis per nos faciendarum, huiuſmodi negotium & diſcuſſionem venerabilium fratrum noſtrorum Romanæ Eccleſiæ præfatæ Cardinalium, & aliorum Prælatorum congregationibus in Lateranenſi ſala ſuperiori, quatenus opus foret, faciendis, relationemq́; diſcuſſionis nobis, & Lateranenſi Concilio præfato faciendam commiſimus, Gallicoſq́; Prælatos, Capitula Eccleſiarum, & Monaſteriorum, Parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuſcumque dignitatis, etiam ſi Regalis exiſterent, Sanctione præfata abutentes, ſeu illam approbantes, omnéſque alios & ſingulos ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè citamus ad comparendum coram nobis & Concilio Lateranenſi præfato, cauſaſq́; dicendas, quare Sanctio præfata, illiuſq́; corruptela, & abuſio in concernentibus auctoritatem, dignitatem & vnitatem Eccleſiæ Romanæ & Sedis, Canonúmque, & Eccleſiaſticæ libertatis prædictorum violationem, nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non debeat*, &c.

Et Leo X. Seſſione IX. eiuſdem Concilij omnino tollit laicis & ſæcularibus, cuiuſcumque ſint conditionis, fructus, redditus, & prouentus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum vſurpationem, vel collationis poteſtatem, ſub pœna excommunicationis, & interdicti Eccleſiaſtici illorum Principum terris & dominio eo ipſo incurrendi, &c.

Eiuſdem Pragmaticæ Sanctionis fit adhuc mentio Seſſione X. & XI. eiuſdem Concilij, vbi prædictus Leo X. aſſentiente ſibi Franciſco I. Rege Francorum omnino eam abrogat Sanctionem, & electiones atque vacationes Eccleſiarum redditum, & omnium libertatum eius reſtituit priſtinæ integritati.

SANCTA SYNODVS FLORENTINA GENERALIS XVI.

centum quadraginta & vnius Epiſcoporum, ſub EVGENIO *Papa* IV. *anno Domini* 1438. & 1439. *celebrata contra* ERRORES GRAECORVM.

ANNO DOMINI M.CCCC. XLVIII. ET XLIX.

HAEC ſacroſancta Synodus ab Eugenio IV. Papa eius nominis indicta, rogatu Orientalis Imperatoris celebrata fuit. Cœpit autem celebrari Ferrariæ: ſed inde poſt habitas ſexdecim Seſſiones, ob peſtem quotidie grauiùs ingraueſcentem, tranſlata eſt Florentiam, ibique nouem Seſſionibus celebratis, finita & abſoluta fuit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, pridie Nonas Iulij, cùm anno vno & tribus ferè menſibus duraſſet.

Cauſa autẽ quare potiùs Florentinum Concilium ipſum appellauerimus, non autem Ferrarienſe, eſt, quia ſub hoc titulo communiter à Scriptoribus citatur, & nominatur.

Fuit verò indicta hæc Synodus præcipuè contra errores Græcorum, quia nimirum de proceſſione Spiritus ſancti, de Purgatorio, de Beatorum felicitate, de Primatu Romanæ Eccleſiæ, aliíſve fidei dogmatibus, ritibus, ac cærimoniis hactenus docuerunt. Quæ autem diſputationes de Purgatorio, & de Spiritus ſancti proceſſione, de additione vocis *Filioque* ad Symbolum facta, inter eos habitæ, quóve fructu abſolutæ fuerint, indicabit ſubſequens Seſſionum Synodalium compendioſa deſcriptio.

De Præſide verò huius Concilij, ſciendum, quòd fuit ipſemet Papa Eugenius,

Digitized by Google

genius, quod quidem eſt valdè mirandum; nam vix vnum Orientaliũ Conciliorum dari poteſt, cui Pontifex in perſona propria interfuerit. Sed recenſeamus Seſſiones.

Seſſionis I. Acta vſque ad Seſſ. XV. incluſiuè.

In prima igitur Seſſione, quæ habita eſt anno 1438. quarta Martij, Ioannes Palęologus & Ioſephus Patriarcha Ferrariam appulerunt: quos dum Pontifex vnà cum Cardinalibus debito honore excepiſſet, conſilio Græcorum Pontifex omnes Epiſcopos & Principes ad Synodum inuitauit. De ordine & conſeſſu poſt modicam diſceptatiunculam, conuenit inter eos, vt idem ordo qui in reliquis Conciliis Oecumenicis ſeruatus eſt, hîc etiam obſeruaretur. Sedibus ergo eo ordine collocatis, & ſacro Codice Euangeliorum in medio Conſeſſus poſito, Ferrariæ in templo S. Georgij nono Aprilis conuenerunt: ibique de celebranda Synodo in primis Patriarchæ Conſtantinopolitani, & poſteà Romani Pontificis Decretum recitari mandarunt. Quibus abſolutis, omnium conſenſu approbatis, vrſerunt Occidentales ad lucrum temporis faciendum, vtile videri, ſi medio tempore, quod citatis abſentibus præfixum erat, priuatim de Spiritus ſancti proceſſione communicarent. Quod cùm Græci propter Baſileenſium abſentiam facere recuſarent, hoc tandem vtrimq; placuit, vt intereà temporis de Purgatorio priuata collatio habeatur. Quod & factum eſt in prima Collatione die 4. Iunij habita. In hac Latini teſtimonio S. Pauli 1. Cor. 3. aſſerebant dari locum quemdam, quo animæ fidelium cum reatu leuioris peccati vel etiã pœnæ decedentes, per ignem purgantur, & ſaluantur. Cumque Græci de igne æterno locum Apoſtoli exponerent ſic, *Ipſe damnatus per ignem ſaluabitur*, ſiue *in igne ſemper ſaluus erit, & non conſumetur*; replicarunt Latini, id nulla ratione affirmari poſſe: quoniam Paulus vtitur verbo *ſaluabitur*, quod, vt ex Scriptura demonſtrarunt, numquam aliter quàm in bonam partem accipi conſueuit. Cumque in Sanctorum beatitudine conueniſſent omnes, ingruente peſte, acceleratæ ſunt Seſſiones: conuenitque vt ſequente Seſſione ageretur, An vox iſta *Filioque* licitè & piè Symbolo ſuperaddita fuerit. Hæc diſputatio perdurauit per plures Seſſiones, vſque ad quintam decimam incluſiuè, in ciuitate Ferrariæ.

Seſ. XVI. Acta.

In ſextadecima Seſſione poſteà ob peſtem ingraueſcentem fit Decretum de ſacroſancta Synodo Ferrariâ Florentiam transferenda: quod quidem Decretum approbatum eſt ſub illa conditione, vt Pontifex Orientalibus de alimentis & vitæ neceſſariis interim prouideat. Quod cùm ille facturum ſe dixiſſet, Pontificem vnà cum Cardinalibus ac Latinis Præſulibus præeuntem, Imperator cũ Patriarcha aliiſve Orientalibus ſubſecutus eſt, magnoque honore ab iiſdem exceptus fuit.

Seſ. XVII. Acta.

Seſſio decima ſeptima habita eſt Florentiæ anno Domini 1439. vigeſimoſexto Februarij, in qua poſt diuturnum dialogiſmum Iuliani Cardinalis, & Imperatoris, concluſum eſt, vt Græci inter ſe priuatim conferant de modo ineundę concordiæ & vnionis, eumque proxima Seſſione in medium adferant.

Seſ. XVIII. vſque ad XXV. incluſiuè Acta.

A Seſſione XVIII. vſque ad XXV. incluſiuè proſecuta eſt diſputatio, An Spiritus ſanctus procederet à Filio, & an rectè addita ſit Symbolo particula illa *Filioque*, & deniq; concluſum eſt, etiam ex ſententia Gręcorum Doctorum, Spiritum ſanctum à Filio etiam procedere: vnde rectiſſimè in Symbolo addita eſt particula illa *Filioque*, non tamquam additio, ſed vt perquam neceſſariiſſima explicatio. Deinde Imperator ſimul cum Patriarcha, & omnes alij Orientales Epiſcopi, præter vnum Marcum Epheſium, pacem & vnionem cum Romana Eccleſia inierunt: profitentes publicè alij voce, alij ſcripto, Latinorum ſententiam veram eſſe ſanctorum Patrum doctrinam: adeoq; Chriſtianum non eſſe, dignumque anathemate videri,

ri, qui contrarium ſentiret vel crederet. Cumque hæc Pontifici nuntiata eſſent, egiſſetque, vt de proceſſione Spiritus ſancti nobiſcum gratia Dei conuenientes, quid de Purgatorio, animabus Beatorum, Primatu Pontificis, de azymo & fermentato pane, deque diuina panis transſubſtantiatione ſentirent, ſcripto aut voce profiterentur; eaque occaſione Epiſcopi dixiſſent, ſe Purgatorium admittere, animas Sanctorum perfectam aureolam in cælis iam conſecutas eſſe, Pontificis Romani poteſtatem vniuerſalem ſuper omnes Eccleſias agnoſcere; de panis verò tranſubſtantiatione ſuorum ſententiæ inhæſiſſent, eademque occaſione Ioſephus Patriarcha ſubitanea morte defunctus, paulò ante obitum ſcripſiſſet, ſe omnia credere, quæ Romana Eccleſia credit ac docet, Romanumque Pontificem Chriſti Vicarium agnoſcere, Purgatorium non inficiari: inſtitit Romanus Pontifex, & impetrauit, vt præuia conſultatione Scripturarum, & ſanctorum Patrum inquiſitione, etiam in reliquis fidei controuerſiis Latinorum ſententiæ accederent, nimirum quòd crederent & profiterentur, Romanam Eccleſiam de proceſſione Spiritus ſancti non tantùm piè ſentire, verùm etiam licitè & conuenientiſſimè particulam illam *Filioque* ad Symbolum addidiſſe: Romanum Pontificem in Eccleſia Primatum tenere, verum Petri ſucceſſorem eſſe, Purgatorium exiſtere, parumque referre, ſiue in azymo ſiue in fermentato pane Sacramentum Euchariſtiæ conſecraretur. His ita peractis, à duodecim viris vtrimque deputatis (quæ extant) vnionis literæ Græcè ſimul & Latinè conſcriptæ, omniumque eorum, qui Concilio interfuerunt, ſubſcriptionibus approbatæ fuerunt.

Dumque hæc agerentur, Armenorum Patriarchæ Legati ad Synodum venerunt, præuiaque Pontificis veneratione, & Imperatoris debita ſalutatione dixerunt, ſe ſuamque Eccleſiam cum Catholica coniungi, atque ipſum Synodi Decretum piè ſeruari velle. Quod cùm magno omnium gaudio acceptum eſſet, Legati iidem magno honore affecti, vnà cum Græcis Florentiâ diſceſſerunt, anno Domini 1439. circa diem menſis Iulij vigeſimum ſecundum, vel tertium.

DECRETA *in hoc* CONCILIO *facta.*

DECRETVM I.

DEFINIMVS, explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.

ANNOTATIO.

GRAECI hoc impugnabant ex eo præcipuè, quia in Concilij Nicæni Symbolo dicitur, Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere. Pro cuius rei veritate ſciendum, quòd integrum Symbolum Nicænum recitant ex Græcis Cyrillus lib. 1. de Trin. & in lib. de Explicat. Symboli, & Ruffinus lib. 10. Hiſt. cap. 6. vbi nihil aliud legitur de Spiritu ſancto, quàm hæc ſententia, Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα. *Et in Spiritum ſanctum.* Teſtatur autem Nazianzenus in epiſtola ad Chelidonium, Nicænam Synodum non tradidiſſe perfectam doctrinam de Spiritu ſancto, propterea quòd nondum exorta erat quæſtio de Spiritu ſancto. Non ergo verum eſt quod garriunt Græci, in Symbolo Nicæno aſſertum eſſe, Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere. Porrò Concilium Conſtantinopolitanum Symbolo addidit illa verba, *qui ex Patre procedit*: ſed non ait diſertiſſimis verbis, *qui ex ſolo Patre procedit.* illa enim particula *ſolo*, adiectio eſt Ieremiæ Patriarchæ, non Concilij proprium verbum. Cur autem Concilium non adiecerit *ex Filio*, ſed ſatis eſſe cenſuerit dicere, *Qui ex Patre procedit*, ratio eſt in promptu; quia eo tempore dubium non erat, an Spiritus ſanctus ex Filio procederet, id enim hæretici concedebant, vt conſtat ex Baſilio lib. 2. in Eunomium: ſed dubium erat de Patre, à quo alienum omnino Spiritum ſanctum, tamquam ſolius Filij creaturam hæretici eſſe dicebant. Concilium igitur, vt remedium morbo adhiberet, id poſuit in Symbolo quod neceſſe erat.

Sed proferamus nos Concilia, quæ Spiritum ſanctum à Filio procedere teſtantur. Primum Alexandriæ Concilium celebratum eſt, ex quo Concilio ſcribit Cyrillus epiſtola

epiſtola ad Neſtorium, in qua hæc ſunt verba: *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt: vnde & ab iſto ſimiliter ſicut ex Patre procedit.* Habetur hæc epiſtola in Cõcilio Epheſino Tom. 1. cap. 14. & eſt approbata tam ab ipſo Concilio Epheſino, quàm à IV. Synodo, Act. 5. & à V. Synodo, Act. vlt. & à VI. Synodo, Act. 17. & à VII. Synodo, Act. 7 Habemus igitur quinque Generalia Concilia apud Græcos celebrata, quæ ſententiam illam recipiunt apertiſſimã & clariſſimam, Spiritus ſãctus à Filio ſicut à Patre procedit. Adde, quòd in VII. Concilio Generali, Act. 7. Symbolũ legitur cum hac additione, *Filióque*, & tamen illud Concilium maxima ex parte Græcorum fuit.

Dices: Si in hoc Concilio fuiſſet receptum Symbolum cum particula *Filióque*, quomodo S. Ioannes Damaſcenus, qui tempore huius Concilij vixit, tam apertè negaſſet Spiritum ſanctum à Filio procedere, l. 1. de Fide, cap. 11.

Reſpondeo, Probabile eſſe, Damaſcenum obiiſſe ante Concilium VII. vel ſi ad tempus VII. Synodi fortaſſe peruenit, tamen ſine dubio libros illos de Fide anteà ſcripſit, vt apertè colligitur ex Act. 6. Concilij Nicæni II.

Sed præter Concilia Græca, extant etiam permulta apud Latinos celebrata. Ac primùm apud Barium Concilium eſt celebratum à Græcis ſimul & Latinis tempore Vrbani II. paulò poſt inchoatum ſchiſma, circa annum 1090. in quo Anſelmus euidentiſſimis rationibus Græcos conuicit. Meminit huius Concilij ipſe Anſelmus libro de Proceſſione Spiritus ſancti, cap. 4. & fuſiùs rem totam narrat Auctor Vitæ Anſelmi, libro 2. qui in eodem Concilio interfuit. Secundum eſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. anno 1215. vbi etiam in 1. cap. definitum eſt, Spiritum ſanctum à Patre Filioq; procedere. & in Concilio interfuerunt Græci, & conſenſerunt, vt patet ex cap. 4. eiuſdem Concilij. Tertium eſt Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. anno 1273. vbi Græci interfuerunt, & omnibus conſentientibus cantatum eſt Symbolum cum additione *Filióque*, ter Græcè, ter Latinè. Extat Definitio huius Concilij in 6. Decretal. tit. 1. c. 1. Quartum eſt hoc Concilium Florentinum, vbi poſt longas diſputationes, conſentientibus Græcis & Latinis, idem determinatur.

DECRETVM II.

ITEM, In azymo, ſiue fermentato pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici: Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, vnumquemque ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſiue Occidentalis ſiue Orientalis, conſuetudinem.

DECRETVM III.

ITEM, Si verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis purgari. Et vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis viuorum fidelium ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, & eleëmoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta. Illorum etiam animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cælũ mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum ſicuti eſt; meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

ANNOTATIO.

QVOD Purgatorium detur, & animæ ibi detentæ ſuffragiis viuorum iuuari poſſint, præter id quod hic determinatum eſt, habetur etiam in Concilio III. Carthaginẽſi, cap. 29. & in IV. Carthaginenſi, cap. 79. Bracarenſi I. cap. 34. vbi iubet non orari pro illis qui ſeipſos interimunt. & cap. 39. vbi iubet diuidi inter Clericos oblationes factas, vt oraretur pro defunctis. Concilium Cabilonenſe, & habetur de Conſecr. diſtinct. 2. can. Viſum eſt. Concilium VVormatienſe, cap. 10. vbi definitur, etiam pro ſuſpenſis in patibulo eſſe orandum & ſacrificandum. Concilium Aurelianenſe II. cap. 14. Concilium VI. ſub Symmacho, vbi dicitur ſacrilegium, fraudare animas defunctorum orationibus, &c. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. c. 66. Tridentinum Seſſ. 25. in initio. Et omnes Liturgiæ, Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij; nam in omnibus fit oratio pro defunctis. Idem docent Patres:

Digitized by Google

Patres: Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 7. part. 3. ibi: *Accedens deinde venerandus Antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit*, &c. Nazianzenus Oratione in Cæſarium, circa finem. Ephrem in ſuo Teſtamento, *Aſſiduè*, inquit, *in veſtris orationibus mei memoriam faciatis*. Cyrillus Catecheſi 5. Myſtag. Epiphanius in fine Operis contra hæreſes, numerat inter dogmata Eccleſiæ, orationem pro defunctis. & hæreſi 75. Aëtium hæreticum facit, quia hoc negabat. Chryſoſtomus Hom. 41. in 1. Corinth. *Iuuetur*, inquit, *mortuus, non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleëmoſynis*. & Hom. 69. ad pop. Hom. 32. in Matth. Hom. 84. in Ioãnem. Theodoretus lib. 5. Hiſt. cap. 26. ſcribit, Theodoſium Iuniorem procubuiſſe ad Reliquias S. Ioannis Chryſoſtomi, & oraſſe pro animabus parentum ſuorum Arcadij & Eudoxiæ iam defunctorum. Theophylactus in cap. 12. Lucæ. Tertullianus lib. de Coron. milit. inter Traditiones Apoſtolicas numerat ſuffragia pro defunctis. Cyprianus lib. 1. epiſt. 9. Ambroſius lib. 2. epiſt. 8. ad Fauſtinũ de Obitu ſororis, de Obitu Theodoſij, de Obitu Valentiniani, & de Obitu Satyri. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, de Obitu Paulinæ vxoris, ante medium. Auguſtinus in lib. de Cura agenda pro mortuis, cap. 1. in Enchiridio, cap. 110. lib. 9. Confeſſion. c. 13. & alibi pluries. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 55. Iſidorus lib. 1. de Officiis, cap. 18. *Niſi Catholica Eccleſia*, ait, *crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus vel eleëmoſynas faceret, vel Deo Sacrificium offerret*. Bernardus Serm. 66. in Cant. Petrus Cluniacenſis in lib. contra Petro-Bruſianos directè de hoc ſcripſit. Scholaſtici communiter cum Magiſtro in 4. Sent. diſt. 20. 21. 25. Cabaſylas cap. 33. quod inſcribitur De iis qui è vita deceſſerunt, an ſanctificentur à menſa. & c. 44. & 45. Pachimeres in Eccleſiaſtica Hierarch. cap. 7. De dormientibus. & alij Catholici communiter.

Decretvm IV.

Item definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanũ ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur. Datum Florentiæ in Seſſione publica Synodali, anno 1439.

Annotatio.

Primatvm Petri in Eccleſia agnoſcit Ignatius, & Clemens in epiſtolis ad Romanos, Irenæus lib. 5. & Epiſcopi in Concilio Palæſtino ſub Victore, Tertullianus li. 4. contra Marcionem, Origenes Hom. 6. in Exod. & lib. 5. contra Celſum, Cyprianus lib. 1. epiſt. 8. & lib. 4. epiſt. 8. & in Tract. de Simplicitate Prelatorum, Eccleſiæ Romanæ dignitatem præ ceteris Eccleſiis maximè demonſtrat. Cyrillus Alexandrinus libro 2. in Ioan. c. 12. Hieronymus epiſt. ad Damaſum, Concilium Nicænum, Auguſtinus libro 1. Retract. cap. 21. Chryſoſtomus Homil. 83. in Matth. Gregorius Magnus Homil. 26. in Euangelia, Orientales Epiſcopi ad Papam Leonem in Concilio Chalcedonenſi, Carolus Magnus lib. 1. de Imaginibus, c. 6. Damaſcenus in lib. de Defunctis, Patres in Synodo Nicena II. Photius Grecus in Nomocanone, Berno epiſt. ad Regem Hungariæ, Humbertus contra Nicetam, Bernardus lib. de Conſiderat. & epiſt. 133. 237. 285. Petrus Cluniacenſis lib. 6. epiſt. 44. Fridericus & Otho, Michaël & Andronicus Impp. Orientis in epiſtolis, Græci in Concilio Lateranenſi, & alij Catholici Doctores communiter.

Dvm hæc Florentiæ agerentur in vltima Seſſione, ſubita morte defunctus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. & quærentibus Græcis ac Latinis cauſam tam ſubitæ mortis, eius famuli reſponderunt, ipſum poſtquam cœnaſſet, in penetrale, ſcribendi cauſa, (vt ſui moris erat) intraſſe, & dum ſcriberet, tremore ac animi languore affectum ſtatim occubuiſſe. Literæ autem ſequentia continebant:

Ioſeph miſeratione diuina Conſtantinopolis & Nouæ Romæ Archiepiſcopus ac Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam ſenten-

tentiã his literis palàm facio. Nam quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat ac celebret omnia, me quoque ſentire credereq; profiteor, ac ipſis plurimùm acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrem ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarium eſſe concedo, atq; animarum Purgatorium eſſe non inficior. Datum Florentiæ die octaua menſis Iunij anno 1439.

Dum iam abſolueretur Concilium, Armeniorum Patriarchæ Legati ad Synodum ipſam venerunt, dicentes ſe ſuamq; Eccleſiam cum Catholica coniungi, ac ipſum Synodi Decretum piè ſeruare velle. Quibus benigniſſimè ſuſceptis ſub quodam breui compendio Orthodoxæ fidei veritatem, quam Romana profitetur Eccleſia, per hoc Decretum ſacro approbante Concilio, ipſis etiam Oratoribus ad hoc conſentientibus, tradidit Eugenius Papa. Quo ab eis excepto, vnà cum Græcis Florentiâ diſceſſerunt, & diſſolutum eſt Concilium.

Decreta CONCILII FLORENTINI *ſuper vnione* IACOBINORVM *&* ARMENIORVM.

IN primis, damus eis ſanctum Symbolum à centum quinquaginta Epiſcopis Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione *Filioque*, ipſi Symbolo declarandę veritatis gratia, & vrgenti neceſſitate, & rationabiliter appoſita. Cuius tenor eſt: *Credo in vnum Deum*, &c.

Hoc autem Symbolum, ſicut apud Latinos mos eſt, etiam decernimus per omnes Armeniorum Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & maioribus ſolemnitatibus decantari vel legi.

Secundò, Tradimus eis definitionem Quartæ & Vniuerſalis Synodi Chalcedonenſis in Quinto poſteà & Sexto Vniuerſalibus Conciliis renouatam, de duabus naturis in vna Chriſti perſona, cuius tenor talis eſt: *Sufficeret quidem ſapiens hoc*, &c.

Tertiò, Definitionem de duabus Chriſti operationibus in prædicto Sexto Concilio promulgatam, &c.

Quartò, Inſtruximus eos, & declarauimus, Synodum Chalcedonenſem, & beatiſſimum Leonem, ſanctè & rectè veritatem de duabus in vna perſona Chriſti naturis ſuperiùs deſcriptam definiſſe, contra impij Neſtorij & Eutychis dogmata. Iniungimuſque, vt ipſum beatiſſimum Leonem (qui verè fidei columna fuit, & omni ſanctitate & doctrina refertus) tamquam Sanctum, & in catalogo Sanctorum meritò deſcriptum, de cetero reputent & venerentur: atq; non ſolùm dictas tres Synodos, ſed & omnes alias Vniuerſales auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, ſicut & ceteri fideles reuerenter ſuſcipiant.

Quintò, Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem ſub hac redegimus formula.

Septem ſunt Sacramenta nouæ Legis.

NOVAE Legis ſeptem ſunt Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabãt gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant: hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſeipſo perfectionem, duo vltima ad totius Eccleſiæ regimen multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur diuinæ Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, & per Pœnitẽtiam ſpiritualiter ſanamur. Spiritualiter etiã

&

Digitized by Google

& corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam vnctionem. Per Ordinem verò Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquã materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Quorũ ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum à ceteris diſtinctũ imprimunt in anima indelebile; vnde in eadem perſona non reiterantur: reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptiſmus, quòd vitæ ſpiritualis ianua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem mors interierit in vniuerſos, niſi ex aqua & Spiritu ſancto renaſcimur, non poſſumus (vt inquit Veritas) in Regnum cælorum introire. Ioan. 3.

Materia huius Sacramenti eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba, *Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vel, *Baptizetur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cùm principalis cauſa, ex quo Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas; inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exteriùs Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrũ, cum ſanctæ Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum. Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.

Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum cælorum & Dei viſionem perueniunt.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio: cuius materia eſt Chriſma confectum ex oleo quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, qui odorem ſignificet bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cùm ceteras vnctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre, quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) quòd per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant; Act. 6. loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentũ. Effectus autem huius Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt Chriſtianus audacter Chriſti cõfiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundię ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat: & præcipuè crucem eius, quæ Iudęis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, propter quòd ſigno Crucis ſignantur.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua

itized by Google

aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum creditur, ipſum Dominũ in vino aqua permiſto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde, quia hoc conuenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa, quintus à beato Petro: *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, vinum aquâ permiſtum offerri debet, quia vtrumque, id eſt ſanguis & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur.* Tertiò etiam conuenit ad ſignificandum huius Sacramenti effectum, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, &c.

Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborũ virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem conuertuntur, ita tamen, quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus.

ANNOTATIO I.

De verbis formæ conſecrationis Sanguinis eſt opinio dicentiũ, omnia verba illa quæ in Conſecratione dicuntur, eſſe de ſubſtantia & eſſentia formæ conſecrationis Sanguinis. Sic S. Tho. 3. p. q. 78. art. 3. quem ſequitur Capreolus d. 8. q. 1. art. 3. Silueſter verbo Euchariſtia. 1. q. 6. Sed hæc opinio ſi vera eſſet, ſequeretur, quòd aliquo ex illis verbis ablato, non fieret conſecratio: & nihilominùs Græci, vt habetur in Liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi, hac forma vtuntur: *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In qua quidem forma non ſunt verba illa *aeterni* & *myſterium fidei:* ergo non omnia illa verba formę ſunt de eſſentia conſecrationis. Item Æthiopes in ſua Miſſa, cuius auctor dicitur fuiſſe S. Matthæus, hac forma vtuntur: *Hic eſt calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum.* In qua præter duas dictas particulas, omittitur etiam *noui Teſtamenti.* Item apud Clementem lib. 8. Conſtitut. cap. 17. ita legimus: *In qua nocte tradebatur, accipiens panem in ſanctas & immaculatas manus, & ſuſpiciens in te Deum, & Patrem, frangensq́; dedit diſcipulis, dicens: Hoc myſterium noui Teſtamenti accipite, ex eo comedite, hoc eſt Corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem miſcens ex vino & aqua, & ſanctificans tradidit eis dicens: Bibite ex eo omnes. Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus verbis colligitur Primò, verba illa, *myſterium fidei,* & *noui Teſtamenti*, non eſſe partem alicuius formæ, ſed præambula, ſicut illa, *accipite & comedite.* Deinde colligitur, illa verba, *qui pro vobis effunditur*, non magis eſſe neceſſaria in forma Sanguinis, quàm illa, *quod pro vobis frangitur*, ſunt neceſſaria in forma Corporis. Demum, in Miſſali Mozarabo in Canone ordinato à S. Iſidoro, ſecundùm quem ritum celebratur quotidie Toleti in Cappella, quæ dicitur *de los Mozarabes*, inter Eccleſiam maiorem, habetur hæc forma, prout Sotus diſt. 11. q. 1. art. 3. teſtatur ſe vidiſſe: *Hic eſt calix noui Teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis fundetur.* Et tamen his verbis vera fit conſecratio Sanguinis: ergo non ſunt de eius eſſentia omnia alia quæ ponuntur in Canone Latino; ſed illa tantũ, quæ conuerſionem vini in Chriſti Sanguinem ſignificant. Quod videns Caietanus, contrarium aſſertiſſimè ſuſtinet, & conatus primùm D. Thomam ad ſe pertrahere, quia vidit non poſſe, tandem deſeruit eum. Et proptereà dicendum cum S. Bonauentura in 4. diſt. 8. par. 2. q. 2. ad 1. Durando in 2. a. 2. Alexãdro de Ales, p. 4. q. 10. m. 4. art. 2. §. 4. quęſtiunc. 4. Alberto Magno in 4. d. 8. art. 7. ad 1. arg. quęſtiunc. 1. & in lib. de Sacrificio Miſſæ, & cum aliis recentioribus communiter, has eſſe formas præciſas huius venerabilis Sacramenti, ſcilicet, *Hoc eſt Corpus meum* &, *Hic eſt calix Sanguinis mei.* vel, *Hic eſt ſanguis meus:* Nam illis verbis tantùm Sacerdos, in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum, ipſorumq́ue virtute panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem conuertitur, vt docent Concilium Florentinum hic, & Tridentinum Seſſ. 24. Can. 4. & Can. 6. Grauiſſimè tamen peccaret Miniſter, ſi reliqua verba in prædictis formis aſſignata, ſciens relinqueret.

ANNOTATIO II.

De tranſubſtantiatione verò panis in carnem, & vini in ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſolùm fit determinatio in hoc

Concilio, verùm & in Concilio Lateranenſi III. ſub Innocentio celebrato anno Domini 1215. in quo diſertis verbis Concilium vtitur voce *tranſubſtantiationis*, quę dicit mutationem totius ſubſtantiæ in totam ſubſtantiam. Item in Concilio Romano Generali, celebrato anno Domini 1413. damnatus eſt inter alios articulus ille V Viclefi, qui dicebat: *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento Altaris.* Item articulus ille: *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.* Præterea Concilio Conſtantienſi Generali, celebrato anno Domini 1414. in Seſſ. 8. confirmatur ſententia Romani Concilij, & rurſum nominatim & ſub anathemate damnantur articuli V Viclefi, & damnatio ipſa in fine Concilij iterùm approbatur à Martino V. vero ac legitimo Summo Pontifice. Denique Concilio Romano Generali ſub Nicolao II. quod celebratum eſt circa annum Domini 1060. de hoc præcipuè abiurare coactus eſt Berengarius, quòd dixerit, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationē ſolummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe. Quòd verò Concilium hoc Generale, cùm iuſſit credi, panem poſt conſecrationem eſſe Corpus Domini, intellexerit, non eſſe Corpus, manendo panem, ſed deſinendo eſſe panem per mutationem in Corpus, ac proinde definierit, tranſubſtantiari panem in Corpus, teſtantur tres optimi viri, qui illis temporibus vixerunt, Lancfrancus, Guitmundus, & Anſelmus. Et S. Anſelmus præcipuè in ep. de Corpore Domini ait: *Panis ſubſtantiam poſt Domini Corporis conſecrationem in Altari ſupereſſe, ſemper abhorruit pietas Chriſtiana, nuperq́; damnauit in Berengario Turonenſi, eiuſq́; ſequacibus.* Vide Bellarminum lib. 3. de Sacramento Euchariſtiæ, cap. 20. vbi congerit omnes Patres Græcos & Latinos, qui à tempore Apoſtolorum vſque ad tempora Innocentij III. floruerunt, qui omnes hanc veritatem profeſſi ſunt. Hoc facit Bellarminus, vt arguat Lutherum, qui aſſerit, hanc vocem, *tranſubſtantiationem*, eſſe inuentum S. Thomæ, & ſequacium.

Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, ſequitur quòd per hoc Sacramentū in ſumentibus dignè gratia augeatur; omnemq́ue effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalē, hoc idem quoad vitam ſpiritualem & hoc Sacramentum operatur.

Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguūtur partes. Quarum prima eſt, Cordis contritio; ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Secunda eſt, Oris confeſſio; ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccati ſecundùm arbitrium Sacerdotis: quę quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleēmoſynam. Forma huius Sacramenti eſt: *Ego te abſoluo*, &c. Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. Effectus huius Sacramenti eſt abſolutio à peccatis.

Quintum Sacramentum eſt Extrema Vnctio, cuius materia eſt oleum oliuæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet: qui vngendus eſt in oculis, propter viſum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter guſtum vel locutionem; in manibus, propter tactū; in pedibus, propter greſſum; in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum*, &c. & ſimiliter in aliis membris. Effectus verò eſt, mentis ſanatio; in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc Sacramento habetur Iacobi 5.

Sextum Sacramentū eſt Ordinis, cuius materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus

conatus verò, per libri Euangeliorum dationem; Subdiaconatus, per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de aliis, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotij talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro viuis & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et ſic de aliorum Ordinum formis. Ordinarius miniſter huius Sacramenti eſt Epiſcopus. Effectus, augmentum gratiæ, vt quis ſit idoneus miniſter.

Septimum eſt Sacramentum Matrimonij, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundùm Apoſtolum. Cauſa efficiens Matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.

Tria ſunt bona Matrimonij. Primum, proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum, fides, quam vnus coniugum alteri ſeruare debet. Tertium, indiuiſibilitas Matrimonij, propter hoc quòd ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti & Eccleſię. Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cùm Matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.

Sextò, Compendioſam illam Fidei regulam per beatiſsimum Athanaſium editam ipſis præbemus, videlicet: *Quicumque vult ſaluus eſſe*, &c.

Septimò decernimus, Vnum atque eumdem Deum veteris ac noui Teſtamenti, hoc eſt, Legis & Prophetarum, atque Euangelij profitemur auctorem, quoniam eodem Spiritu inſpirante, vtriuſque Teſtamenti Sancti locuti ſunt: quorum libros ſuſcipit & veneratur Eccleſia, qui titulis ſequentibus continentur: Quinque Moyſi, id eſt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdras, Nehemias, Tobias, Iudith, Eſther, Pſal. Dauid, Parabolæ Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Duo Machabæorum. Quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Quatuordecim Epiſtolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes, duę ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duæ, Ioannis tres, vna Iacobi, vna Iudæ. Acta Apoſtolorum, & Apocalypſis Ioannis. Proptereà anathematizamus Manichæorum inſaniam, qui duo principia poſuerunt, vnum viſibilium, aliud inuiſibilium; & alium noui Teſtamenti Deum, alium veteris eſſe dixerunt.

Octauò tradimus, Quòd in conſecratione Corporis Chriſti hac vteretur forma Eccleſia Romana: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Sanguinis verò: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Panis verò triticeus, in quo Sacramentum conficitur, an eo die an anteà decoctus ſit, nihil omnino refert, dummodò panis ſubſtantia maneat.

Decimò, Quoniam aſſeritur, nonnullos quartas nuptias tamquam condemnatas reſpuere, ne peccatum vbi non eſt, eſſe putetur, (cùm ſecundùm Apoſtolum, mortuo viro mulier ſit ab eius lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec diſtinguat mortuo primo, ſecundo, vel tertio) declaramus, nō ſolùm ſecundas ac tertias, ſed & quartas atq; vlteriores, ſi aliquod Canonicum impedimentum non obſtet, licitè contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi vlteriùs à coniugio abſtinentes in caſtitate permanſerint: quia ſicut virginitatem viduitati, ita nuptiis caſtam viduitatem laude

Digitized by Google

ac meritò præferendam eſſe cenſemus.

His omnibus explicatis, prædicti Armeniorum Oratores nomine ſuo & ſui Patriarchæ, & omnium Armeniorum, hæc ſaluberrima Synodalia Decreta cum omnibus ſuis Capitulis, Declarationibus, Definitionibus, necnon quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia ſuſcipiunt & amplectuntur.

ANNOTATIO.

SALOMON Geſnerus in Epitome Conciliorum hîc dicit vnum, quod refutatione indiget. Ait enim, quòd dum eſſent Ferrariæ Pontifex & Imperator, ſtatim in initio Synodi contentio orta fuit non mediocris, quonam ordine ſedes collocandæ eſſent. *Nam Summus Pontifex dextrum, id eſt ſupremum locum ſibi vendicauit, Imperatorem cum Patriarcha & Orientalibus ad ſiniſtram eſſe voluit. Imperator verò ſuperiorem locum ad dexteram ſibi iure dari exiſtimauit. Obtinuit tandem Pontificis inſolentia & importunitas, vt nimirum vel è ſeſſione homo ille peccati, & filius perditionis, qui ſummo loco ſedet in medio Dei templo, próque Deo vult adorari, palàm ab omnibus agnoſci poſſet.* Sic ille.

In quibus verbis dimitto plura, & pondero id quod communiter effutire ſolent hæretici de Summo Pontifice, nempe, quòd ipſe ſit Antichriſtus. Contra quam blaſphemiam Cardinalis Bellarminus luculentiſſimè, vt ſolet, tractat & diſputat in ſuo lib. 3. de Summo Pontifice Romano, & per nouem Capita probat, Papam non eſſe Antichriſtũ. Primò, ex ipſo nomine Antichriſti. Secundò, Quòd Antichriſtus ſit vnus homo. Tertiò, Quòd venturus ſit in fine mundi, & interficietur à Deo. Quartò, De nomine eius proprio. Quintò, Ex qua gente naſciturus ſit, & à quibus præcipuè ſuſcipiendus. Sextò, Quòd ſedem ſuam fixurus ſit Ieroſolymis. Septimò, De doctrina & moribus eius. Octauò, De miraculis eius. Nonò, De Regno & priuilegiis eius. Quæ omnia cùm nullo pacto Romano Pontifici congruant, rectè conuincitur hæreticorum impudentia. Nos alia, ſed breui via incedemus: & Primò confeſſionem hæreticorum de hac re præponemus, & per partes confutabimus: deinde ex facto & re ipſa probabimus, Papam non ſolùm non eſſe Antichriſtum, verùm & eſſe pro Chriſto.

Confeſſio Geneuenſis.

Confeſſio igitur Geneuenſis è Gallico in Latinum tranſlata ſic habet: *Et quoniam Epiſcopus Romæ, Monarchia ſibi inter Chriſtianos erecta, arrogat ſibi Dominationem ſuper omnes Eccleſias & Paſtores; & eò eleuatus eſt, vt etiam ſe Deum nominet, ac adorari velit: atque omnem poteſtatem in cælo & in terra ſibi attribuat, rerum omnium Eccleſiaſticarum ſummam diſpoſitionem ſibi arripiat, articulos fidei decernat, auctoritatem ac interpretationẽ pro libito Scripturis affigat, animas negotietur, in votis ac iuramentis diſpenſet, nouos Dei cultus inſtituat; & quod ad Politiam ſpectat, auctoritatem legitimam Magiſtratuum pedibus conculcet, tollens, tradens, mutans Regna: Nos credimus ac tuemur, eum propriè eſſe Antichriſtum, & filium perditionis prænuntiatum in verbo Dei, meretricem indutam purpura & coccino, ſedentem ſuper ſeptẽ montes in ciuitate magna, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ; & expectamus, quòd Dominus, vti pollicitus eſt, ac cœpit, interficiẽs illum ſpiritu oris ſui, ad extremam deſtruat per claritatem aduentus ſui.* Sic profitentur Geneuenſes in 31. artic. quibus aſſentiunt Lutherani omnes, & Iacobus Rex Angliæ in Apologia, à pag. 54. vſque ad 128.

Circa quam Confeſſionem, potiùs confuſionem, dicam Primò id quod ad aliud propoſitum in commendationem Apocalypſis Ioannis: Tot habet ſacramenta, quot verba. parũ dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt; in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. Ita ego, licet ad alium ſenſum, dicam quòd prædicta Confeſſio tot habet mendacia & hæreſes, quot verba. Parum dixi: in verbis ſingulis multiplices latent hæreſes, & mendacia quàm plurima; è quibus pauca hîc nos tangemus.

Primò ergo aſſerunt, Papam eſſe Epiſcopum Romæ. Si intelligunt de ſola Roma, falſum eſt: nam Papa eſt Epiſcopus Vrbis, & orbis, & totius Eccleſiæ Catholicæ.

Secundò, *Monarchia ſibi*, &c. En mendacium; nam Papa numquam ſibi Monarchiam erexit, ſed quia caput viſibile ſuper totam Eccleſiam ſuam à Deo conſtitutus eſt, vt iam fusè probatum eſt ſuprà, & præeſt Eccleſiæ, quæ Regnum Monarchicum eſt, & Monarchico more, tãquam omnium perfectiſſimo gubernatur: ideò Monarchiam habet, ſed non eam ſibi arrogat, neque inſtituit vmquam.

Tertiò, *Arrogat ſibi Dominationem.* Hoc adeò magnum mẽdacium eſt, vt etiam cum ipſo verbo Dei pugnet: ſiquidem ex Paulo exploratum eſt, obedientiam erga Præpoſi-

tos

itized by Goo

tos diuino ipſo Iure mandari: nam ad Hebræos 13. ſcribens ait: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilāt, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quod ſi præceptum eſt, Præpoſito præcipienti obedire; igitur nō obedire, peccatum eſt contra Dei ac Apoſtoli præceptum. Hinc neceſſariò colligere debent, Leges rectè à Romano Pontifice, qui Eccleſiæ Præpoſitus eſt, ferri poſſe in Chriſtianos ſibi ſubditos, cùm id tamquam legitimum Præpoſiti ius Apoſtolus ſupponat: atque eas in foro conſcientiæ vniuerſos ligare, cùm illis non obtemperare, velut peccatum ariolandi ſit, aduerſus Dei præceptum militans. Id verò clariùs explicat idem Apoſtolus ad Romanos 13. cùm ait: *Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtūt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ex quo teſtimonio rectè nobiſcū colligunt, humanas etiam Principum Leges ad conſcientiam pertingere, quamuis Caluiniani diſſentiant: qui tamen dum à Dei Legibus diſſentiunt, atque ordinatæ à Deo in Eccleſia poteſtati reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirunt.

Quartò, *Et eò eleuatus eſt, vt etiam ſe Deum nominet, vt habetur in cap. Satis euidenter. Diſt. 96.* Ex quo loco quidam Faius Caluiniſta affirmat, Pontificem gloriari, ſe à Conſtantino Magno appellatum fuiſſe Deum. & in lib. 1. Cæremoniarum ſacrarum, ſect. 7. cap. 6. vbi Sedes Apoſtolica appellatur Sedes Dei. Ad quæ, & ad alia huiuſmodi loca reſpondemus, eo modo Papam ibi Deum appellari, quo ſupremi Iudices, vel ſancti viri in Scripturis Dij appellari ſolent, ſcilicet ratione officij, non perſonæ. Hoc enim pacto Exodi 7. legimus, Deum dixiſſe Moyſi: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* & cap. 22. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quòd non extenderit manū in rem proximi ſui.* & eodem cap. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* His locis conſtat, Deos appellari Iudices, ac Sacerdotes. Dauid verò Pſal. 81. *Ego dixi, Dij eſtis,* &c. Quem locum Saluator explicans Ioannis 10. *Si illos dixit Deos,* inquit, *ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura.* Ex hoc Chriſti teſtimonio patet, rectè eos ex Scriptura Deos appellari poſſe, qui Dei vice præſunt, & per quorum ora Deus loquitur.

Quid eſt igitur, quòd tam graues tragœdias aduerſarij excitant, cùm Papam Deum appellari audiunt, & cùm is ſolus, velint nolint, ſupremus ſit Eccleſiæ Iudex, ac vice Chriſti in Chriſtiano populo præſideat: è cuius ore, tamquam ex Chriſti labiis, veram fidem ac Dei verbum ſuſcipimus. Hoc ſenſu piiſſimi olim Imperatores ac ſacroſancta Concilia, Papam hac Dei appellatione decorarunt: nam Conſtantinus Magnus hac pietate motus, Silueſtrum Pōtificem Deum appellauit: cùm tamen hominem eſſe ſciret, vt habetur in d. cap. Satis euidenter, diſtinct. 96. vbi Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem ſcribens ait: *Satis euidenter oſtenditur, à ſeculari poteſtate nec ſolui prorſus nec ligari Pontificem, quem conſtat à piiſſimo Principe Conſtantino Deum appellatum.* Sic ille. At certum eſt, Conſtantinum idcircò Silueſtrum Deum appellaſſe, quòd nullum in terris ſuperiorem Iudicem haberet, ſed ipſe ſupremus omnium Iudex eſſet: nam & eodem nomine Epiſcopos inſigniuit tamquam aliorum Iudices, vt refert Gregorius Magnus, & habetur in cap. Sacerdotibus, 11. quæſt. 1. *Eccleſiaſtica,* inquit, *quoque hiſtoria teſtatur, quia cùm piæ memoriæ Conſtantino Principi oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem qui accuſati fuerant Epiſcopos conuocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos eſtis D. à vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, vt nos iudicemus Deos.* Hæc Conſtantinus in magna illa Nicæna Synodo. quæ ſi idololatria tam magna & horrenda eſſet, vt aduerſarij oblatrant, eam planè Concilium damnaſſet, aut ſaltem non commendaſſet.

Iuſtinianus quoque Imperator in Decreto quod extat in ipſo initio noui Codicis de Summa Trinitate & fide Catholica, c. Cunctos populos, quod approbare vidētur Faius & Croius Caluiniſtæ, Petrum Apoſtolum diuinum appellat. In Concilio Chalcedonenſi leguntur hæc verba: *Beronicianus vir deuotus, Secretarius diuini Conſiſtorij.* Et in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ab inſigni quodam Oratore dictum legitur, *Diuinam Maieſtatem veſtram.* Porrò ſi piiſſimis Imperatoribus ac plenariis Conciliis Papam Deum, Epiſcopos Deos, Petrum diuinum, quod tantumdem eſt ac Deum, appellare hac ratione licuit; cur iis tam grauiter ſuccenſent, qui Summum Pontificem Deum ratione officij ac diuinæ poteſtatis quam exercet, aliquando nuncuparunt?

Sed obiicit Faius & Croius, quòd in Gloſſ. cap. Ioannes Epiſcopus. in Procemio Clementinarum ſic habetur: *Nec Deus eſt, nec homo, quaſi neuter eſt inter vtrumque.* Ex quo inferunt,

inferunt, Papam eſſe ens rationis, compoſitum ex Deo & homine.

Reſpondeo, Id intelligi debère, videlicet Papam non eſſe Deú reſpectu perſonæ; quod magis explicationem noſtram confirmat: nec hominem reſpectu officij; cùm diuinum planè officium ac munus, non humanum gerat; ſed quaſi neutrum inter vtrumq; eſſe, quia nec abſolutè Deus, cùm homo naturâ ſit; nec indifferenter homo, cùm officio ac auctoritatis plenitudine Deus ſit, nuncupari debet. Hic eſt ſenſus illorum verborum. Nec tamen ſequitur, vt ineptè hi duo colligunt, Papam eſſe ens rationis, cùm ens rationis ſit tantùm in intellectu per abſtractionem; Papa verò ſit ens ac perſona realis, atque eo dicto inter entia realia conſtituatur. Neque eſſe compoſitum ex Deo & homine phyſica ac naturali compoſitione: niſi id intelligere vellent, Papam eſſe compoſitum ex humana perſona, & auctoritate diuina illi collata: ita vt in Papa ſimul ſint, & humanum ſuppoſitum, & diuina poteſtas. Sed quia hæc nō ab omnibus paſſim ſanè intelligi poterant, & facilè puſillorum præſertim aures offendere valebant, id in recētioribus editionibus correctum fuit: præcipiturque vt in aliis vetuſtioribus corrigatur. Qua ratione etiam nullibi apud recentiores Papam Deum appellari legimus: nec paſſim illud nomen eidem tribuendum eſt, quamuis abſque diuini honoris præiudicio, vt olim, etiam tum tribui poſſet: ſed ab eo abſtinere præſtat, vt infirmorum ſcandalum tollatur. Pergo.

Quartò, *Et adorari velit.* Faius in Enchirid. diſput. 51. Concl. 57. & Croius Conform. 1. tit. 1. ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ Papam adorare ſolet, eum diuinum honorem præcipere affirmant; ac proinde Antichriſti notam hoc titulo gerere.

Reſpondeo, Sacram ac venerandam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ac Summum Pontificem meritò adorandum eſſe: non eo quidem adorationis genere, quo diuinus aliquis honor ei tribuatur; ſed quòd excellentiſſima Chriſti maieſtas, quæ in eo elucet, excellentiſſimo quoque honoris genere, quod viuentem hominem decet, quodque adorationis nomine nuncupatur, à nobis colatur. Nam tali adorationis genere, homines inferioris gradus atque dignitatis in Scripturis adoratos legimus abſque diuini honoris præiudicio. Abraham, qui ſolum Deum diuino honore adorandum eſſe ſciebat, adorat filios Heth, Gen. 21. Iſaac filio Iacob benedicens ait, Gen. 27. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* & alibi ſępè. Ita rectè Papa adoratur, non vtique adoratione latriæ, quæ ad Deum ſolùm ſpectat; neque hyperduliæ, quæ excellentiſſimæ Virginis Deiparæ excellentiæ & dignitati debetur; ſed duliæ tantùm, tum propter dignitatis eminentiam, qua nulla in terris maior eſſe poteſt, tum etiam ob ſanctitatem. Gerſon in 1. p. de Poteſtate Eccleſ. Conſid. 2. affirmat, Papam abſq; mendacio poſſe dici Sanctiſſimum: ac proinde poſſe & debere adorari cultu duliæ. neque impedire quòd ſit viator: nam quamuis in ſenſu diuiſo, vt perſona priuata poſſit errare; tamen vt Papa in ſenſu compoſito, præſertim in his quæ ſunt fidei, errare non poteſt, pernicioſa docendo.

Sed inſtant, quòd permittit ſibi oſculari pedes, quod eſt ſignum ſupremę adorationis.

Reſpondeo, quòd oſculatio pedum fieri ſolet tribus ex cauſis. Primò, in ſignum amoris ac beneuolentiæ: ſic Lucæ 7. Magdalena oſculabatur pedes Ieſu. Secundò, in ſignum alicuius beneficij eximij accepti. Vnde Tertullianus in lib. de Pœnit. ait, quòd Sacerdotum pedes oſculari debemus, quādoquidem pœnitentes nos, ac peccata confitentes, per Sacramentalem abſolutionem Deo reconciliant. Quod ingens beneficium eſt ab iis nobis collatum, ac talem conſuetudinem olim in Eccleſia viguiſſe tradit Sozomenus lib. 7. cap. 16. Tertiò, oſcula pedibus imprimi ſolent in ſignum maximæ obedientiæ: nullum enim maius obedientiæ ſignum ab aliquo præſtari poteſt, quàm ſi infimas illius partes, cui obedientiam præſtat, quis oſculo percurrat. Propter quas omnes cauſas meritò oſculamur pedes Sanctiſſimi Papæ: nam Primò, ipſe eſt amantiſſimus Chriſtianorum Pater; eos enim Sacramentis alit, diuini verbi prædicatione fouet, patrocinio tuetur, ac ſalutis omnium diligentiſſimam curam gerit. Deinde, cùm maxima ipſius erga nos beneficia, quibus vndique accumulamur, vix mente complecti valeamus: ingentia enim ac prorſus inexplicabilia beneficia ſunt, quæ in omnium Eccleſiarum ſollicitudine, quæ in paſtoribus prouidendis, quæ in hæreſum extirpatione, quæ in hæreticis arcendis, quæ in fide ſarta tecta ſeruanda, quæ in Chriſtiano populo paternis legibus inſtruendo, & à vitiis reuocando, quæ in ſpiritualibus Eccleſiæ theſauris in fidelium vſum ac ſalutem erogandis, atque aliis innumeris propè modis in nos confert: quo titulo illi maximè deuincti eſſe debemus. Quòd ſi Sacerdotum aliorum, qui priuato honore nobiſcum verſantur, pedes exoſculari, non tam fas quàm debitum eſſe videtur; quid eſt, quòd Summi Sacerdotis ac Pontificis pedibus oſcula infigere dubitamus? An non Alexander Macedo (teſte

(teſte Ioſepho lib. 11.c. 18.) ſola ſummi Sacerdotis religione ductus pronus in terram non ſine maxima Principum admiratione, Iaddum ſummum Sacerdotem ac Pontificem vſque ad pedum oſcula adorauit? Denique, hoc fit in ſignum obedientiæ, quæ maxima illi debetur, cùm is in terris vicem Chriſti gerat, cui ſumma obedientia ab omnibus debetur.

Hinc vſus in Eccleſia inoleuit, vt non tantùm vulgares homines, quàm ipſi quoque Imperatores, Reges ac Principes, Romani Pontificis pedes exoſcularentur: ſic Conſtantinus Magnus pedes Silueſtri Papæ exoſculatus eſt, teſte Galatino lib. de Arcanis, c. 27. Iuſtinianus Conſtantini filius eodem honore Romanum Pontificem affecit, teſte Blondo lib. 10. primæ Decadis. Conſtantinum Papam eodem pedum oſculo à Iuſtiniano diademate coronato adoratum fuiſſe tradit Auguſtinus Eugubinus de Falſa donatione Conſtantini, num. 66. Iuſtinus Senior Ioanni Romano Pontifici eamdem adorationem detulit, vt teſtis eſt Paulus Diaconus lib. 17. Carolus Magnus eamdem præſtitit Adriano Pontifici, vt refert Paulus Æmilius lib. 2. Hiſtor. Francorum. Fredericus I. Gregorij IX. Pontificis, reiecto pallio, pedes tenuit. Ita Sigiſmundus, & Carolus Quintus. Eodem religionis ritu & inter Reges Pipinus Gallorum Rex ad Stephanum Pontificem oſculo pedum acceſſit, cuius rei teſtes ſunt B. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, libro Collectan. & Platina in Vitis Pontif. Alexãdrum Tertium Rex Angliæ ad Dolenſe Monaſterium oſculo pedum excepit, vt refert Robertus Abbas in Addit. Sigeberti. Hinc ea conſuetudo ortum habuit, vt in literis ad Romanum Pontificem miſſis, omnes pedum oſcula inter ſalutandum apponerent. Ita Rex Angliæ Reginaldus his verbis Honorium Papam ſalutat: *Beatiſſimo Patri, & Domino Honorio, Dei gratia Summo Pontifici commendationem cum oſculo pedum.* Sic Eduardus Rex Franciæ & Angliæ, ſic Carolus Rex Siciliæ ad Clementem, ſic Rex Poloniæ Henricus ad Ioannem Papam, ſic Vladiſlaus Rex Poloniæ, ac permulti alij Reges ac Principes hoc ſummæ obedientiæ teſtimonio in ſuis literis vſi ſunt. Non ergo Caluiniſtæ ſcandalizari debent, ſi Romano Pontifici pedes oſculantur.

Sed dicunt: Antichriſtus iuxta Danielis & Pauli reuelationes ſeſſurus eſt in templo Dei, & ibi faciet ſe adorari: talis eſt Pontifex Romanus: ergo eſt Antichriſtus.

Ad hoc dico plura. Primum, quòd ſanctus Auguſtinus libro 20. de Ciuitate Dei, c. 19. putat locum Pauli legendum eſſe in ablatiuo, *in templo Dei*: ſed iuxta Græcam lectionem, in accuſatiuo, *in templum Dei*, ſic, *vt in templum Dei tamquam Deus ſedeat.* Ita vt ſit ſenſus; Antichriſtus ſeſſurus eſt, non in templo Dei, ſed in templum Dei, tamquam ipſe ſit templum Dei. vti dici ſolet, Sedet in amicum, id eſt, velut amicus: quæ locutio frequens eſt in Scripturis: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij*, id eſt, tamquam protector & locus refugij. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium:* id eſt, ego ero illi quaſi pater, & ipſe erit mihi quaſi filius. Si ergo ſic legatur textus D. Pauli, profectò ruit totum Caluini argumentum, quod ab hac Maiore pendet, cùm nihil omnino concludat. Pſal. 70. 1. Par. 22.

Minor verò, quæ eſt, Eccleſia Romana, in qua ſedet Pontifex, eſt templum Dei: vel intelligitur de templo materiali, in quo Antichriſtus ſeſſurus eſt, & ſic fallitur; quia non in Romano templo, ſed in Ieroſolymitano erit Seſſio Antichriſti, vt aſſerit Irenæus l. 5. contra hæreticos, in fin. Hippolytus Martyr Tract. de Conſummatione mundi, Hilarius Can. 25. in Matth. Hieronymus in c. 7. Daniel. Auguſtinus lib. 20. de Ciu. Dei, c. 29. Vel ſi vult vt Eccleſia Romana ſit verum Dei templum, ergo vera Eccleſia: ergo fateri cogitur, in ſola Romana Eccleſia veram fidem reperiri: & tunc falſum eſt, quòd in ea Antichriſti ac ſatanæ ſedes collocetur, quæ ſimul cum Dei Sede eſſe non poteſt. Et tunc etiam contra ipſum retorqueo Argumentum. Si Eccleſia Romana eſt verum Dei templum, ergo vera Eccleſia. Ergo ipſa eſt Iudex, caput, & matrix omnium. Ergo omnes aliæ ei tenentur obedire. Ergo Eccleſia Geneuenſis, & quæcumque aliæ hæreticorum Eccleſiæ, quæ cum Eccleſia Romana (quæ per Caluinum eſt verum Dei templum) communionem non habent, ſynagogæ ſatanæ ſunt. Vide in quantas anguſtias redactus reperitur miſer Caluinus, dum Scripturâ vult abuti ad probandum, Papam eſſe Antichriſtum. Si verò de templo ſpirituali, id eſt de mentibus fidelium velit intelligere, nihil concludit.

Quòd verò non de templo Romano ſed Ieroſolymitano debeat intelligi locus citatus Pauli, ſic probo: Paulus Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum eſſe affirmat: ſed tempore Pauli nullum aliud templum Dei ab omnibus appellabatur; igitur non Romæ ſed Ieroſolymis Antichriſti ſedes, ipſo Paulo teſte, agnoſci debet.

Sed inſtant: Apoſtolus dicit, *Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo pec-* 2. Theſſ. 2.

 cati.

cati. Sed hoc adeò falſum eſt & aperta calumnia, vt reprobatione & confutatione non indigeat: id enim priùs probare debuiſſent, Romanam Eccleſiã à fide apoſtataſſe: quod nulla vnquam vel tenui ratione probare poterunt, cùm Eccleſia Romana fidem Catholicam ſartam tectam ſemper tenuerit, nec vnquam in ea labes aliqua erroris reperta fuerit, vt ſuprà, cùm de Eccleſia Romana ageremus, demonſtratum eſt.

Quintò obiiciunt, Romanum Pontificem pro arbitrio omnia inuertere, tam diuina quàm humana, ac ſibi omnium, præter Dei voluntatem, ſola dominandi libidine, poteſtatem arrogare.

Sed hæc eſt manifeſta calumnia, ac impudens mendacium. Diuinis ſiquidem oraculis edocemur, Romano Pontifici tamquam B. Petri ſucceſſori, ac Chriſtiani gregis ſummo Paſtori, eam omnem poteſtatem à Chriſto collatam eſſe, quæ ad neceſſariam Eccleſiæ gubernationem pertinet: quapropter, ſi fidei articulos definit: ſi veram Scripturarum interpretationem decernit, ſi apocryphas Scripturas à Canonicis diſtinguit, ſi in votis ac iuramentis diſpenſat, ſi cærimonias ac cultus diuinis rebus adhibendos vel ex Apoſtolica traditione vel ex collata ſibi poteſtate ordinat, ſi Imperatores creat, ſi hæreticos vel ſchiſmaticos Reges ſuis cenſuris coërcet, ac in eos integrum Paſtoris officium exercet; cùm hæc legitima poteſtate fretus efficiat, nec ea niſi grauiſſimis de cauſis vtatur; ſanè immeritò ac calumnioſè illum vexant, quòd hæc præter Dei voluntatem præſtet.

Sed contra Caluiniſtas ſic argumentor: Si Pontifex Romanus eſt Antichriſtus; vel omnes ſunt tales, vel aliqui. Non dicent, quòd omnes, cùm quamplures. Sed nec ritè poſſunt dicere quòd aliqui; nam non eſt maior ratio de vno quàm de alio: & præter eà Pontifices Romani per legitimam ſucceſſionem ſemper hucuſque venerunt, & non repentè, ſicut apparebit Antichriſtus; ergo.

Præterea, Antichriſtus veniet ad finem mundi, & regnabit tres annos cum dimidio, vt ex Apocalypſi habemus: at Pontifices Romani à B. Petro vſque nunc ſemper regnant in Sede Romana. Et quantum ad Pontifices particulares, Gregorius XIII. vixit in Pontificatu tredecim annos, Clemens VIII. quatuordecim, Paulus V. quindecim: ergo nullo pacto poſſunt dici Antichriſti.

Sed quomodo Pontifex Romanus eſt Antichriſtus, qui totis viribus perſequitur inimicos Chriſti, verbo, ſcripto, anathemate, interdicto, & quando opus eſt, etiam bello & armis? Quomodo contra Chriſtum eſt, qui ſemper quærit augmentum & propagationem fidei & gloriæ Chriſti? Hinc nullum non mouet lapidem, vt fides Chriſti magis ac magis etiam apud Indos & exteras Nationes dilatetur. Hinc tot Miſſiones ad diuerſas mundi regiones fiunt, vel ad reuocandos eos, qui errore aliquo decepti in hæreſim inciderunt, vel ad fidem de nouo diſſeminandam in eos, qui numquam veram Chriſti fidem cognouerunt.

Et ex hoc etiam apparet eminentia Pontificis Romani ſuper omnes alios Epiſcopos: nam quia Eccleſia ſemper creuit, & creſcere debet donec in toto mundo prædicatum ſit Euangelium, vt patet Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio.* Hoc autem non poteſt fieri, niſi ſit vnus Summus Eccleſiæ Præſul, cui ſollicitudo incumbat totius huius corporis conſeruandi & propagandi. Nam nemo debet prædicare, niſi mittatur. mittere autem in alias Prouincias, non eſt Epiſcoporum particularium: illi enim habent ſuos certos fines Epiſcopatus ſui, extra quos nullum ius habent, nec ad eos pertinet cura, niſi tuendi gregis ſibi aſſignati.

Quocircà in Hiſtoriis Magdeburgenſium vix inuenimus Eccleſiam propagatam poſt Apoſtolorum tempora per alios, quàm per eos quos in opus Dei miſerunt Romani Pontifices. Germanos conuertit S. Bonifacius à Papa Gregorio II. miſſus, Francones S. Hilarius miſſus à Papa Leone, Anglos Auguſtinus à Papa Gregorio I. deſtinatus; Innocentius verò I. in epiſtola prima conſtanter affirmat, per omnem Hiſpaniam, Galliam, Africam, Eccleſias eſſe fundatas per eos, quos Petrus aut eius ſucceſſores in hoc opus miſerant.

Et hoc valdè notandum eſt, quòd per Miniſtros hæreticos numquam Deus conuertit mundum: neque per tales factæ ſunt Miſſiones: ſed poſtquam à Summis Pontificibus Romanis factæ ſunt Miſſiones, & operarij bonum ſemen verbi Dei ſeminarunt; tunc ſuperueniunt ipſi, & ſuperſeminãt zizaniam. Porrò ſi Pontifices Romani huic rei totis viribus incubuerunt, vt fides Chriſti per totum mundum propagaretur; patet quàm abſque vlla ratione aut fundamento à Caluiniſtis Antichriſti vocentur.

Plura de hoc argumento poſſunt videri apud Bellarminum, qui totum librum integrum ſcripſit de Antichriſto: poteſt etiam videri noſter Bonerius in lib. 3. Tom. 2. ſuarum Demonſtrationum.

CONC.

Digitized by

CONC. FRISINGENSE *in cauſa* ECCLESIASTICARVM CONSTITVTIONVM *tempore* NICODEMI DE SCALA *Epiſcopi anno* 1440. *ſub* EVGENIO IV.

ANNO DOMINI M.CCCC. XL.

IN hac Synodo multa vtilia ſancita ſunt ad ſequentia capita ſpectantia. De Clericis peregrinis & ignotis non admittendis, niſi literas dimiſſorias habeant. De iudiciis. De foro competenti. De vita & honeſtate Clericorum. De cohabitatione Clericorum & mulierum. De Clericis non reſidentibus. De Præbendis & dignitatibus. De rebus Eccleſiæ non alienandis. De ſepulturis. De decimis. De Regularibus, & eorum ſtatu. De Iure Patronatus. De cenſibus & exactionibus. De benedictione ſalis & aſperſorij diebus Dominicis. De celebratione Miſſarum. De Baptiſmo. De cuſtodia Euchariſtię, Chriſmatis, & aliorũ Sacramentorum. De clandeſtina deſponſatione. De Simonia. De Iudæis. De vſuris. De pœnis. De pœnitentiis & remiſſionibus. De ſententia excommunicationis. De publicatione ſtatutorum. De quibus omnibus in pluribus Conciliis dictum eſt, & in Iure Canonico hæc omnia digeſta ſunt.

CONC. TVRONENSE *pro* REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE *celebratum Andegaui in Gallia, anno Domini* 1448. *tempore* NICOLAI *Papæ* V.

M.CCCC. XLVIII.

DE hac Synodo Poſſeuinus in Apparatu ſacro hæc:

Turonenſe Concilium Prouinciale, anno 1448. Nicolai autem Quinti anno 2. celebratum eſt Andegaui, Ioanne Archiepiſcopo Turonenſi Præſide. Adfuere Coëpiſcopi ſeu Suffraganei, Petrus Summachouienſis, Ioan. Cenomanenſis, Guilielmus Nãnetenſis, Robertus Redonenſis, ceteriſque tam Epiſcopi quàm Abbates per Procuratores. Summam autem ſiue Compendium huius Concilij miſit ad me Pariſiis vir doctiſſimus Franciſcus Feuardétius, Theologus, Ordinis Franciſcani, de quo nos plura in verbo, Franciſcus Feuardentius. Ea verò eſt ſequẽs:

CAP. I. Quilibet Sacerdos ſingulis diebus non ſolemnibus dicat Officium Mortuorum, ad minus cum tribus Lectionibus, maximè cùm pro fidelibus Defunctis celebrabit: quia ſancta & ſalubris eſt cogitatio, pro Defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.

CAP. II. Diſtributiones quotidianæ & anniuerſariæ in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, pro intereſſẽtibus perſonaliter Horis, & Anniuerſariis, non dentur abſentibus, ita quòd qui non laborat, non manducet.

CAP. III. Nullus Canonicus, aut alia perſona Eccleſiaſtica in diuerſis Eccleſiis pro eadem Hora diſtributiones recipiat.

CAP. IV. Præſentes Horis Canonicis ſilentium teneãt, Lectionibus diligenter intendant, Orationes deuotè audiant; nec bini in Choro Horas ipſas dicere præſumant.

CAP. V. Ludos noxios & ſcandaloſos omnibus quidem, ſed Clericis præſertim, prohibemus.

CAP. VI. Prædicatores, cuiuſcumque gradus vel conditionis exiſtant, non in erectis ad hanc rem theatris, ſed locis Deo dicatis, cum omni reuerentia & humilitate verbum diuinum annuntient. Nec Sacerdotes, niſi in locis conſecratis Miſſas celebrent.

CAP. VIII. Prohibemus, ne Abbates, aut Priores Conuentuales ſupra ſe Abbates non habentes, qui de priuilegio vel conſuetudine bona Prioratuum vacantium ab eiſdem dependentium ad ſe pertinere aſſerunt, totaliter vtenſilibus & bonis aliis mobilibus denudent. CAP. VII. deeſt.

CAP. IX. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, de iure aut conſuetudine Eccleſias viſitantes, ſi nõ debitè viſitauerint, nihil percipiant, cùm ferendum minimè

mè ſit, vt temporalia metat, qui ſpiritualia non ſeminat, & potiùs, quàm quæ Chriſti ſunt, ſua quærat.

Cap. x. Prohibemus, Ne aliquis, cuiuſcumque ſtatus vel conditionis exſiſtat, teneat concubinam: contrarium facientes, ſui vbi Superioris auctoritate Canonicè moniti fuerint, excommunicentur.

Cap. xi. Prohibemus, Ne quis ſententiam excommunicationis latam per Iudicem, occultam teneat, ſed ipſam infra menſem, à tempore quo lata fuit, faciat publicare.

Cap. xii. Quia per clandeſtina matrimonia à ſanctis Patribus non ſine cauſa & meritò prohibita, multa mala eueniunt; prohibemus, Ne quis Presbyter ſæcularis, aut Regularis de cetero talia matrimonia celebrare aut ſolemnizare præſumat ſub pœna excommunicationis.

Cap. xiii. Inſultationes, clamores, ſonos, & alios tumultus fieri ſolitos in ſecũdis vel tertiis quorumdam nuptiis, quos Chariuarium vulgò appellant, propter multa & grauia inconuenientia quæ inde ſequuntur, fieri omnino prohibemus ſub excommunicationis ſententia, & alia pœna arbitraria.

Cap. xiv. Excommunicantur inuaſores, raptores, deprædatores, occupatores ſuo nomine, vel alieno, perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum ſuarum, ſeu locorum religioſorum. Item qui domibus vel locis Eccleſiaſticis poſuerint comeſtores. Et quia facientes & conſentientes pari pæna conſtringuntur, receptatores, defenſores inuaſorum, & qui ad præmiſſa dederint conſilium vel fauorem, publicè vel occultè, eiſdem pœnisi mulctentur. Et poſt mortem, niſi ipſi vel eorum heredes ſatisfecerint de præmiſſis, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Cap. xv. Comprobatur Statutum Reuerendiſſimi Simonis S. R. E. tituli S. Cæciliæ Cardinalis in Francia Legati, quo ſententiam excommunicationis eos incurrere decreuit, qui, quomodocumque nuntios baiuloſque ſententiarum, aut executorum Eccleſiaſticorum Iudicum hac occaſione capere, detinere, occultare, carceri mancipare, aut quod grauius eſt, interficere tentauerint.

Cap. xvi. Prohibemus, Ne ignotæ Sanctorum aliquorum Reliquiæ quæſtus gratiâ per noſtram Prouinciam deferantur. Contrarium facientes per locorum Ordinarios diſtrictè compeſcantur.

Cap. xvii. Statuimus, Vt amodò Indulgentiæ per Sedem Apoſtolicam cõceſſæ, vel concedendæ, per Rectorem, aut alium prouidum, honeſtum, & eruditum virum, per loci Diœceſanum ſeu eius Vicarium deputandum, publicentur, & populo exponantur.

CONC. LVGDVNENSE,

pro ſchiſmate inter Nicolavm *Papam ac* Felicem *Antipapam tollendo, congregatum anno Domini* 1449. *tempore* Nicolai *Papæ.*

De hac Synodo ita Genebrardus lib. 4. ſuæ Chronologiæ anno 1449. Concilium Gallicanum Lugduni celebratum, iuſſu Caroli Regis ad tollendum ſchiſma inter Nicolaum & Felicem, qui rogatus à Concilio & Friderico III. Imperatore, liberè ceſſit Pontificatu. Vnde vulgò de eo ferebatur carmen: Anno Domini M.CCCC. XLIX.

Lux fulſit mundo, ceſſit Felix Nicolao.

Ioan. le Maire.

CONCIL. TOLETANVM,

in oppido quodam Hiſpaniæ de Aranda, ad reformandos Cleri popvlique mores *celebratum, anno Domini* 1472. *tempore* Sixti *Papæ* IV.

Constitvtiones hvivs Concilii.

Qvod Archiepiſcopi Prouincialia in biennio, & Epiſcopi Synodalia annuatim ſaltem Concilia celebrent. M.CCCC. LXXII.

Quòd

Quòd Rectores Eccleſiarum habeant in ſcriptis articulos fidei, &c. & publicent populo.

Quòd non promoueantur ad ſacros Ordines non ſcientes loqui Latinaliter.

Quòd non admittantur Clerici aliarum Diœceſium ſine literis Commendatitiis.

Quòd Prælati non incedant publicè ſine roqueto, nec induantur ſericis veſtibus, ne calceent ſotulares albos, & quòd ad menſam ipſorum legantur ſacræ Scripturæ.

Quòd non induantur Clerici veſtibus ſericis rubeis vel viridibus, nec calceent ſotulares albos vel borſegnes albos vel rubeos, niſi cum nigris deſuper ſotularibus.

Quòd obſeruentur dies Dominici & feſtiui.

Quòd Clerici non induantur luctuoſis veſtibus.

Proceſſus qui debent fieri contra Clericos qui publicè tenent concubinã.

Quòd non ſcienti loqui Latinaliter non conferantur Parochiales Eccleſiæ, nec Canonicatus, & dignitates.

Quòd Clerici non ludãt ad taxillos.

Quòd Epiſcopi ter, & Sacerdotes quater ſaltem in anno celebrent.

Quòd nulli prædicent ſine licentia Prælatorum, & quòd Quæſtores legant dumtaxat literas quas ſibi conceſſerint Diœceſani, nihilque aliud proponant.

Quòd Clerici in minoribus deferant tonſuram vnius regalis, & habitum congruentem, alioquin perdant priuilegium, & quòd literæ Ordinum præſententur coram Diœceſanis.

Quòd Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, aut Beneficiati, non viuant cum Dominis temporalibus ad auxilia armorum præſtanda.

Quòd non fiant nuptiæ, nec carnales commixtiones, nec ſolemnitates, tempore à Iure vetito.

Quòd qui clandeſtinè contraxerint, niſi minùs quinque teſtes adfuerint, excommunicationis ſententiam incurrant.

Quòd qui violenter occupauerint poſſeſſiones Beneficiorum, ſint excommunicati ipſo facto.

Quòd non fiant in Eccleſiis repræſentationes inhoneſtæ dum Diuina aguntur.

Quòd decedentes in duello careant Eccleſiaſtica ſepultura, & non dicantur pro eis Diuina, nec recipiantur oblationes.

Quòd prohibentes tracturas decimarum, &c. ſint excommunicati.

Quòd raptores careant Eccleſiaſtica ſepultura.

Quòd excommunicatus in vna Diœceſi, euitetur in aliis.

Quòd ciuitas, vel villa de qua Clerici fuerint expulſi, ſubiaceant interdicto.

Quòd Ordines gratiosè concedantur.

Quòd pœnæ ſupradictæ contra Beneficiatos habeant locum etiam in Rectoribus & dignitatibus.

Quòd Epiſcopi in ſuis Diœceſibus abſoluant à cenſuris prædictis.

Quòd hæ Conſtitutiones infra duos menſes publicentur, & deinde poſt 40. dies obligent.

Quòd ponantur teſtes Synodales in qualibet Diœceſi per Prælatos, &c.

CONCILIABVLVM TVRONENSE,

contra IVLIVM *Pontificem in Gallia celebratum, anno Domini* 1510.

De rebus in hac Synodo geſtis Genebrardus lib. 4. Chronologiæ iſta refert: *Concilium Gallicanum Turonenſe omnium Epiſcoporum Galliæ, & plurimorum Doctorum tam Theologiæ, quàm Iuris Canonici, pro Rege Franciæ contra Pontificem Romanum. In quo decretum eſt, vt mitterentur ad Pontificem Legati, qui cum eo de pace agerent: vel ſi ipſos nollet audire, eum prouocarent ad conuocandum Generale Concilium.* ANNO DOMINI M.D.X.

CON-

CONCILIAB. PISANVM

Oecumenicum, & reprobatum, contra IVLIVM *Papam indictum & congregatum anno Domini* 1511. *tempore ipſius* IVLII *Papæ, &* MAXIMILIANI *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.D.XI.

CVM Iulius Pontifex iuramento promiſiſſet, ſe infra biennium ſuæ ordinationis Vniuerſale Concilium celebraturum, illudque iuſtè impeditus non præſtitiſſet, Bernardinus Caruaial, Guilielmus Brizonet, Renatus de Pria, Fredericus de S. Seuerino, (vt conſtat ex Seſſ. 3. Concilij Lateranenſis) aliique Cardinales hæretici atque ſchiſmatici, *conuenientes vt locuſtæ*, inquit Iulius Papa in Bulla Indictionis Concilij Lateranenſis, quę extat Seſſ. 1.) *acephali aggreſſi ſunt ſine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum Generale atque Vniuerſale Concilium conuocare, locum Concilij & tempus indicere, & valuis Eccleſiarum, ac aliis publicis locis indictionem huiuſmodi affigere, Noſque, ac venerabiles fratres noſtros eiuſdem S.R.E. Cardinales vocare & requirere, vt per nos, vel alios ad huiuſmodi eorum Concilium accedere vellemus, non formidarunt.* Et ſubiungit ibidem Iulius: *Ne verò hæc iniuſtè & per tyrannidem agere viderentur, aſſerebant, decennium poſt vltimum vniuerſale Concilium contra conſtitutionem Conſtantienſis Concilij iam dudum effluxiſſe, & nos conuocare illud neglexiſſe, maximè cùm iurauiſſemus & voluiſſemus illud poſt biennium à creatione noſtra tenere: tempuſque pro homine interpellare: neque credendum fore noſtra auctoritate & voluntate Concilium futurum. Et cùm de grauibus criminibus notoriis durantibus vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus in capite agendum foret, ad Summum Pontificem Concilij congregationem non attinere, ſed ſecundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæſerunt, conuocationem Concilij ſpectare.* Hæc de cauſa indicti Conciliabuli Iulius Papa in Bulla, addens, eoſdem ad tegendam facti ſui turpitudinem, omnia mandata ſua nomine Maximiliani Imperatoris & Ludouici Regis Francorum promulgaſſe; ipſis verò, Regi & Imperatori, nihil hac de re conſtitiſſe.

Surius anno 1511. hæc ſubiungit:

Porrò cùm ea temeritas ad horrendum ſchiſma ſpectare videretur, Iulius Pontifex datis ad eos literis monuit perbenignè, vt ad pacem & vnitatem Eccleſiæ ſe reciperent: alioquin fore, vt vel inuitus in ipſos animaduerteret. Ea admonitio tres Cardinales permouit, vt cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberaliter & clementer accepit: in alios, cùm nollent ad ſanitatem redire, grauem ſanè tulit ſententiam, qua illorum audacia nonnihil contuſa eſt. Sed tamen cùm Regis Francorum fruerentur patrocinio, in ſententia permanſerunt. Monitus Gallus à Pontifice, vti ne eos foueret diutiùs, non magnopere curauit. Itaque à Pontifice excommunicatus eſt. Non longè aberat ab hac factione Maximilianus Cæſar, grauiter cõmotus in Pontificem, quòd non bona fide à ſe receſſiſſet, & cum Venetis fœdus percuſſiſſet: ſed vir grauis & prudens admonitus à viris bonis, ſeſe collegit, & celeriter ab hac temeritate diſceſſit. Sic Surius.

Galli ſucceſſu rerum elati, Cæſare & Cardinalibus qui à Pontifice deſciuerant auctoribus, Pontificem ad Concilium, quod ad Kalendas Septembris Piſis futurum eſſet, citant. Papa, cùm omnem operam dediſſet, vt recepta Bononia, Piſanoq; Concilio dimiſſo, pacem cum Francorum Rege faceret, illumque victoriâ inſolentem & obſtinatiſſimè recuſantem animaduertiſſet, quò Piſanum Concilium tolleret, Antonij de Monte conſilio, Romæ Laterani Concilium Generale indixit. Hæc Onuphrius.

Acta huius Conciliabuli ipſo Iure nulla, adeoque meritò reprobata eſſe oſtendunt, Primùm, Quòd ſolius Pontificis Romani ſit Generalia Concilia indicere. Secundò, Quòd trimeſtre

tempus

Digitized by Google

tempus ad comparendum præfixum, non fuerit ſatis longũ. Tertium, Quòd Piſana ciuitas, quatuordecim propè annorum bellis exhauſta, non ſatis aptum Vniuerſalis Concilij congregandi locum præbere potuerit. Quartò denique, Quòd ipſe verum & Vniuerſale Concilium apud Lateranum in Vrbe habendum de fratrum ſuorum conſilio & aſſenſu conuocauerit. Videant igitur fautores ſchiſmaticorum, qua ratione hunc Conuentum malignantium defendant, atque Pontificem omni planè culpa hac in re carentem incuſent.

SANCTVM LATERANENSE

CONCILIVM NOVISSIMVM GENERALE XVII.

centum & quatuordecim Epiſcoporum, contra PISANVM CONCILIABVLVM *aliiſque de cauſis ſub* IVLIO *Papa* II. *inchoatum die* 10. *menſis Maij anni* 1512. *& terminatum die* 16. *Martij anni* 1517. *ſub* LEONE X.

ANNO DOMINI M.D.XII.

HANC Synodum auctoritate Iulij Papæ II. indictam & cõgregatam, Maximilianus auxilio & conſilio promouit. Omnia enim mandata, quæ ſub eius nomine à ſchiſmaticis in Conciliabulo Piſano promulgata fuerant, reuocauit, atque planè irrita reddidit.

Iulius Pontifex, Eccleſiaſticæ libertatis defenſor maximus, anno ſecundo poſt ſui electionem, prout iuramenti interpoſitione promiſerat, Oecumenicam Synodum indixiſſet, ſi non grauiſſimis belli motibus iuſtiſſimè impeditus, hucuſque ad annum Pontificatus ſui nonum eiuſdem Concilij congregationem inuitus differre debuiſſet.

Cauſæ indicti Concilij apud Acta Synodalia non vno in loco indicantur: ſchiſmatis illius, quod Conciliabulo Piſano propagatum fuit, extirpatio; Chriſtianorum Principum inteſtino bello inter ſe mutuò digladiantium optata concordia; Romanæ Curiæ, totiúſque Eccleſiæ reformatio, Pragmaticæ Sanctionis abrogatio, & expeditio contra Turcam ſuſcipienda, primariam conuocandi & congregandi Concilij Oecumenici occaſionẽ dederunt. Vnde Seſſione I. Iulius Pontifex, Oratione ad Synodum habita ait: *Conueniſtis in vnum Patres,* &c. Et allocutus eſt Synodum, exhortans omnes ad meditandum & ſolerter inſiſtendum ſuper ordinandis quæ ad Eccleſiæ pacem & ſtatum pertinent, ac ſchiſmatis extinctionem, & dictæ Eccleſię reformationem, ac contra infideles per Chriſtianos Principes expeditionem, pacemque inter eos componendam.

Quiſquis ergo hanc Synodum ea dumtaxat primaria intentione à Iulio indictam exiſtimat, vt hoc prætextu iudicium Piſani Conciliabuli declinaret, grauiter aberrat. Cùm enim Romanus Pontifex legitimè conſtitutus, nulli Iudici præterquam Deo ſubiectus ſit, & à nemine, vt Patres Sueſſionenſis Concilij profitentur, iudicari poſſit; licebat eidem iuſtiſſimè eiuſmodi vſurpatum ille-

Digitized by Google

illegitimum iudicium declinare, etiamſi nulla alia cauſa grauiore impeditus eſſet.

Huius autem Concilij Acta in duodecim Seſſionibus continentur, quæ de more ſummatim hîc recenſentur.

Seſſio I. Prima Seſſione, quæ habita eſt 10. Maij, anno Chriſti 1512. Iulius Orationem habuit, qua Patres Concilij ad ſchiſmatis Piſano Conciliabulo propagati extinctionem, Eccleſiæ ſanctæ reformationem, Principum Chriſtianorum concordiam & vnionem, expeditionemq́ue contra infideles ſuſcipiendam exhortatus fuit. Qua finita, recitata eſt Bulla indicti Concilij, continens cauſas ſuprà memoratas, quibus Pontifex iuſtè impeditus, Synodum tempore, quo promiſerat, congregare non potuerat.

Seſſio II. Seſſione II. quæ habita fuit 17. Maij eiuſdem anni, legitur Bulla, in qua Piſanum Conciliabulum omniaque eiuſdem Acta condemnantur & reprobantur; Lateranenſe verò Concilium legitimè congregatum eſſe, omnium ſuffragio definitur.

Seſſio III. Seſſio III. habita eſt 3 Decembris, qua per recitationem alterius Bullæ Acta eiuſdem Piſani Conciliabuli, omniumq́ue ſchiſmaticorum Cardinalium, tam vltra quàm citra Alpes degentium, iterùm annullantur, reuocatis etiam priuilegiis, quæ à Sede Apoſtolica acceperant.

Seſſio IV. Seſſione IV. decima die Decembris recitata eſt Bulla, in qua Pragmatica Sanctio, quæq́ue eiuſdem cauſa Conciliabulum Piſanum egerat, planè abrogantur, atque irrita pronunciantur.

Seſſio V. Anno Redemptoris noſtri 1513. decimoſexto die menſis Februarij habita eſt Seſſio v. cui propter aduerſam Iulij Papæ valetudinem præſedit N. Cardinalis, & Oſtienſis Epiſcopus. Poſt lectā Bullam de Simonia in electione Pontificis non committenda, omnium conſenſu definitum eſt, Simoniacam Romani Pontificis electionem planè nullam eſſe, ipſiq́ue electo nihil iuris vel auctoritatis conferre. Additum fuit, quòd non tantùm Cardinales Simoniacè eligentes, verùm etiam omnes, qui vel auxilio vel conſilio eamdem electionem promouiſſent, Canonicas depoſitionis & irregularitatis cenſuras de facto incurrere debeant. Quam Conſtitutionem Synodalem dum omnes Epiſcopi, quinque tantùm exceptis, ſuo ſuffragio approbaſſent, finita eſt Seſſio v. Cumq́ue his quinque Seſſionibus peractis Iulius Papa 25. Februarij obiiſſet, eiq; poſt Interregnum quatuor dierum, vndecima Martij anno Domini 1513. Leo, quem vulgò Decimum nominant, in Pontificatu ſubrogatus fuiſſet, ſacroſancta Synodus, quam Iulius inchoauerat, Leo continuari, ſextamq́ue Seſsionem 27. Aprilis celebrari mandauit.

Anno igitur ſupradicto 1513. vigeſima ſeptima Aprilis habita eſt Seſſio Synodalis ſexta, qua deputati ſunt viginti quatuor Prælati, quorum octo cum Cardinalibus apud Pontificem agerent de pace inter Principes Chriſtianos componenda, & ſchiſmaticis Cardinalibus planè extirpandis: reliqui verò partim pro reformanda Curia, partim etiam pro fide defendenda, & Pragmatica Sanctione abroganda, apud eumdem inter ſe conferrent. *Seſſio VI.*

Septima Seſſione, quæ 17. Iunij celebrata fuit, ſub præſidio Leonis Papæ, lecti ſunt ſupplices libelli Bernardini Carauaial, & Frederici de S. Seuerino ſchiſmaticorum Cardinalium, quibus illi abiurato ſchiſmate, agnitoq́ue errore, veniam ſibi dari poſtulauerunt. Simplici Clericali habitu induti, & ad pedes Pontificis proſtrati, poſt ſolemnem ſchiſmatis abiurationem, priſtinæ dignitati reſtituti ſunt. *Seſſio VII.*

Octaua Seſsione 19. Decembris definitum eſt, animam hominis immortalem eſſe; atque in pluribus hominibus non vnam, ſed plures eſſe animas. Profeſſoribus Philoſophiæ feriò mandatum *Seſſio VIII.*

datum fuit, vt principia & concluſiones, quibus Ethnici à Chriſtiana Philoſophia diſcrepant, qualia ſunt dogmata De mundi æternitate, De animæ mortalitate & vnitate, fideliter explicent, veritatem confirment, argumenta Ethnicorum Philoſophorum proponant & diſſoluant. Additum fuit, Ne quis in ſacris Ordinibus conſtitutus, vltra quinquennium Philoſophiæ vel Poëſis ſtudio incumbat; ſed potiùs illo exacto, ſtudium Theologiæ vel Iuris Pontificij adiungat, vt his ſcientiis inſtructus, prædictam Philoſophiam cum Poëſi ab erroribus expurgare valeat.

ANNOTATIO.

Placet hîc apponere etiam verba formalia Concilij pro prædictis determinationibus, quæ ſic habent:

Cùm diebus noſtris nonnulli auſi ſunt dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis ſit, aut vnica in cunctis hominibus: & aliqui temerè philoſophantes (ſecundùm ſaltem Philoſophiam) verum eſſe aſſeuerant, ſacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cùm illa non ſolùm verè & per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in can. Clementis Papæ V. in Generali Viennenſi Concilio edito continetur, verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis & multiplicata & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euangelio, cùm Dominus ait, *animam autem occidere non poſſunt*. Et alibi: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, &c. & etiam cùm æterna præmia & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit: aliàs Incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent: nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti & iuſti miſerabiliores eſſent (iuxta Paulum) omnibus hominibus. Cumque verum vero minimè contradicat, omnē Aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus. Omneſque huiuſmodi erroneis Aſſertionibus inhærentes, tamquam hæreticos vitandos & puniendos fore decernimus.

Matth. 10. Ioan. 12. 1. Cor. 15.

Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in Vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus diſtrictè præcipimus, vt cùm Philoſophorum principia aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint ſeu explicauerint (quale hoc eſt de mortalitate animæ, aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiuſmodi) teneantur eiſdem veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo (pro poſſe) docere, ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta (cùm omnia ſolubilia exiſtant) pro viribus excludere atque reſoluere.

Statuimus inſuper, Ne quis de cetero in ſacris Ordinibus conſtitutus, in ſtudiis generalibus, vel aliis publicè audiendo, Philoſophiæ aut Poëſis ſtudiis vltra quinquennium, poſt Grammaticam & Dialecticam, ſine aliquo ſtudio Theologiæ aut Iuris Pontificij incumbat. Verùm exacto dicto quinquennio, ſi illis ſtudiis inſudare voluerit, liberum ſit ei, dum tamen ſimul aut ſeorſum Theologiæ aut ſacris Canonibus operam nauauerit, vt in his ſanctis & vtilibus profeſſionibus Sacerdotes Domini inueniant, vnde infectas Philoſophiæ & Poëſis radices purgare & ſanare valeant.

Hos Canones per Ordinarios locorum & Rectores Vniuerſitatis ſingulis annis in principio ſtudij in virtute ſanctæ obedientiæ publicari mandamus.

Seſſio IX. habita eſt anno Domini 1514. quinto Maij, ſub præſidio Leonis Papę, in qua de ætate, grauitate morum & ſcientia ordinandorum confirmata

Seſſ. 9.

mata eſt Conſtitutio Concilij Lateranenſis Oecumenici ſub Innocentio III. Inſuper decretum fuit, ne quiſquam Prælatorum citra defenſionem iudicetur, cauſamque iuſtiſſimam de loco in locum alium transferatur; nulla deinceps Monaſteria commendentur, ſed defuncto Abbate ſtatim ad alterius electionem procedatur, vniones perpetuæ tollantur, plura quàm duo Beneficia incompatibilia poſsidere nulla diſpenſatione concedendum eſſe etiam qualificato, niſi magna & vrgens cauſa id requirat. Cardinalibus mandatum eſt, ne extra Romanam Curiam reſideant. De puerorum diſciplina præceptum, vt non tantùm bonarum literarum, verùm etiam fidei, religionis, bonorumque morum diſciplina informentur, diebus feſtiuis nihil aliud doceatur, quàm quæ ad Religionem & bonos mores pertinent. Conſtitutiones anteriores contra Simoniacos promulgatæ innouantur. Recitationem Horarum Canonicarum vltra ſex menſes ab obtento Beneficio omittens, non tantùm pro rata temporis officijque intermiſsi fructus, quos percipit, tenetur reſtituere; verùm etiam ſi pergat vlteriùs contumaciter omittere Officium, præuia legitima admonitione Beneficio priuari.

Seſſ. 10. Seſſio decima habita eſt 4. Maij, anno Domini 1515. in qua Montes pietatis multis in locis vſurpati & à Sede Apoſtolica approbati, laudantur & approbantur, excommunicatis iis omnibus, qui vel verbo vel ſcripto eoſdem impugnare auſi fuerint.

Eadem Seſſione conſtitutum fuit, Ne ſub excommunicatione vllus deinceps liber nouus in lucem emittatur, qui vel per Ordinarium loci, vel per Inquiſitionem hereticæ prauitatis approbatus non fuerit.

ANNOTATIO.

Suarez Tom. 5. de Cenſuris, diſput. 23. ſect. 7. refert, & probat ex Caietano & Nauarro, has cenſuras non eſſe vſu receptas. Nihilominùs in Concilio Tridentino Seſſ. 4. innouata eſt cenſura circa impreſſiones librorum. Et ſi Regulares ſint Auctores, vltra examinationem & probationem huiuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum Ordinationum. Quamuis in Concilio Tridentino non de omnibus libris, ſed cum hac limitatione, *de rebus ſacris*: & non exigit Inquiſitoris approbationem, ſed Ordinarij tantùm: & preterea mandat, vt ſine nomine Auctoris non imprimantur. Ex his omnibus igitur, ſolum nomen Auctoris, examinationem & approbationem Ordinarij videtur ſub dicta cenſura Concilium exigere. Videndus eſt Index Romanus, præſertim editus à fel. record. Clemente VIII. vt in huiuſmodi librorum impreſſione ea ſeruentur, quæ ibi ſtatuuntur & ordinantur. Vide etiam infrà Concilium Tridentinum, Seſſione 4.

Seſſione vndecima, 19. Decembris 1516. præſidente Leone X. edita eſt Decretalis ſuper modo predicandi verbum Dei, in qua poſt alia multa ſubijcitur: Seſſ. 11.

Sacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, Vt nullus tam Clericus ſæcularis, quàm cuiuſcumque etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quiuis alius, ad quem facultas prædicandi tam de Iure, quàm de conſuetudine vel priuilegio, aut aliàs pertinet, ad huiuſmodi officium exercendum admittatur, niſi priùs per Superiorem ſuum diligenter examinatus (in qua re conſcientiam ipſius Superioris oneramus) ac morum honeſtate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplo ad illud aptus & idoneus reperiatur. Et hic quocumque poſteà prædicaturus acceſſerit, de huiuſmodi examine & idoneitate ſua per literas, ſeu aliàs ſui examinatoris approbatoriſque Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitimè faciat. Mandamuſque omnibus qui hoc onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, vt Euangelicam veritatem & ſanctam Scripturam iuxta declarationem & interpretationem Doctorum, quos Eccleſia vel vſus diuturnus approbauit, legendoſ-

gendoſque hactenus recipit, & in poſterum recipiet, prædicent & explanēt, nec quidquam eius proprio ſenſu contrarium vel diſſonum adiiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus ritè & ſanè intellectis, non diſcordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorũ, vel Antichriſti aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare vel aſſerere nequaquam præſumant, cùm Veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora vel momenta. Ceterùm ſi quibuſdam eorum Dominus futura quædam in Dei Eccleſia inſpiratione quapiam reuelauerit, vt per Amos Prophetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus inquit: *Prophetiam nolite ſpernere*, &c. hos aliorum fabuloſorum & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minimè volumus.

Act. 1.

1. Theſſ. 5.

Et quoniam res magni momenti eſt, eò quòd non de facili credendum ſit omni ſpiritui, ſed ſit probandus ſpiritus an ex Deo proueniat, volumus vt lege ordinaria tales aſſertæ inſpirationes antequam publicentur aut populo prædicentur, ex nunc Apoſtolicæ Sedis examini reſeruatæ intelligantur. Quòd ſi ſine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens neceſſitas aliud ſuaderet, tunc eodem ordine ſeruato, Ordinario loci notificetur, vt ille adhibitis ſecum tribus aut quatuor doctis & grauibus viris, & huiuſmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (ſuper quo eorum conſciẽtias oneramus) licentiam concedere poſſint. Si qui autem contra præmiſſorum aliquid committere quidquam auſi fuerint, excommunicationis ſententiam incurrant, à qua non niſi à Romano Pontifice abſoluantur. Et horum exemplo alij attentare ſimilia minimè audeant, eis prædicationis officium interdictum eſſe perpetuò decernimus, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, &c.

In eadem Seſſione edita eſt Decretalis, quæ diſponebat circa Religioſos & eorum priuilegia.

Seſſione XII. 16. Martij 1517. præſidente Leone Papa X. prolata eſt Decretalis cum cenſura excommunicationis maioris contra inuadentes domos Cardinalium in noua electione Romani Pontificis. Seſſio XII.

Hac Seſſione abſolutum eſt Concilium, & confirmatum, & probata vniuerſa & ſingula quæ definita ſunt in Concilio, per Leonem Decimum.

CONCIL. SENONENSE *pro* REFORMATIONE ECCLESIAE *celebratum anno Domini 1528. tempore* CLEMENTIS *Papæ* VII.

HVIVS CONCILII DECRETA FIDEI.

DECRETVM I.

De vnitate, ſanctitate, & infallibilitate Eccleſiæ.

SANCTVM quidem & indiſſolubile viri & vxoris vinculum. At verò magnum iſtud in Chriſto & Eccleſia ſacramentum; quam ille tantopere dilexit, vt ſeipſum traderet pro ea, quò illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ſibi glorioſam, non habentem maculam neque rugam. Cùm igitur eam ſibi in fide deſponſauerit, ab ea profectò per infidelitatem, aut vllum circa mores errorem, non eſt aliquando diuellenda, nec vllo patietur Chriſtus à ſe diuortio illam ſeparari, cum qua ſe futurum ſpopondit vſque ad conſummationem ſæculi. Ea quippe non modò ſponſa, ſed & domus illa Dei eſt, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, firmiter ædificata, & benè fundata ſupra firmam petram: in quam licet deſcendat pluuia, irruant venti, inundent flumina; euerti tamen non poterit, neque portæ inferi præualebunt aduerſus eam, aut aliquando poterunt illi, qui expugnant illam à iuuen-

ANNO DOMINI M.D.XXVIII.
Matth. 19.
Epheſ. 5.
Oſee 2.
Matth. 28.
1. Tim. 3.
Matth. 16.
Pſal. 128.

Pſal. 120. iuuentute ſua. Non enim dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit eam: Is nimirum, qui aſcendens in altum, dedit Epheſ. 4. quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentio-Ioan. 14. nem erroris: ſed maneat nobiſcum in Ioan. 17. æternum Spiritus veritatis, & ſanctificet Apoc. 21. nos in veritate. Ea, inquam, tabernaculum illud Dei cum hominibus, in quo habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Extra quam, non ſecùs ac quondam extra arcam Noë, nemo saluus eſſe 1. Pet. 3. poſſet, quin inſurgentibus hæreſum procellis obruatur. Ea ipſa, vna eſt domus, in qua agnus Paſchalis manducari Exod. 12. eſt iuſſus, & extra quam participatio menſæ Domini nequaquam poteſt haberi. Eadem quoque, vnica eſt domus Ioſ. 6. Rahab, qua concluſi, euadunt exterminium vrbis Iericho, neque ancipitem ſentiunt gladium, in exitium hoſtium fidei & Eccleſiæ exertum. Vna igitur, ſancta, & infallibilis Eccleſia, quæ nec à charitate decidere poteſt, nec ab Orthodoxa fide deuiare: cuius auctoritatem qui in fide & moribus ſecutus non fuerit, quaſi Deũ abnegauerit, (cui gloria in Eccleſia & Chriſto Ieſu in omnes ge-Epheſ. 3. nerationes) infideli deterior habeatur.

ANNOTATIO.

De his Notis Eccleſiæ, quòd ſit vna, ſancta, & infallibilis, & pariter de ſequenti Notã, quòd non ſit inuiſibilis, vide quæ latè diximus ſuprà in Apparatu, Præludio IX.

DECRETVM II.

Quòd Eccleſia non ſit inuiſibilis.

Cvm adeò exploratа ſit ex Scripturis tum vnitas Eccleſiæ, tum ſanctitas, vt qui ſecùs auſit affirmare, manifeſtæ ſtatim impietatis conuincatur, apertiſſimum autem in hæreticos argumentum, & quò minore negotio cõfundi queant, ſit eius auctoritas, cuius definitiones & decreta, propter ſui claritatem, non facilè ſint cauillis & tergiuerſationibus obnoxia: operæpretium ſe facturos eſſe putauerunt, ſi, quam inficiari non poſſunt, dolo tandem & verſutiis eludant. Id quod tum demum aſſecuti fuerint, ſi pro ſententia Lutheranorum, inuiſibilis, & tota ſpiritualis, ac proinde nobis incognita credatur Eccleſia. Nam quis futurus contentionis modus, vbi prouocatur ad Iudicem, qui nec inueniri, nec inuentus internoſci poſſit? Atqui (inquit Chriſtus) ſi te corripiente frater Matth. 18. tuus non audierit, dic Eccleſiæ. Quid autem craſſius, aut quid inutilius fingi poſſit, ſi prorſus occulta ſit & imperueſtigabilis Eccleſia, cuius maiores natu admonet Apoſtolus, vniuerſo gregi, non quidem inuiſibili, attendere, in quo eos Spiritus ſanctus poſuerat Epiſcopos ad Act. 20. regendam Eccleſiam Dei? Numquid inuiſibilis illa, à qua pro Petro, cùm carcere teneretur, aſſidua fiebat oratio? aut Act. 12. in qua Timotheum conuerſari docet 1. Tim. 3. Apoſtolus? Non igitur fide tantùm & internis chariſmatibus, ſed confeſſione fidei, & externa ac viſibili Sacramentorũ participatione, conſtat ſemperque conſtitit Eccleſia, quæ ab ipſis incunabilis, communi & præſcripta vnius & eiuſdem fidei proteſtatione non caruit. Vnum corpus, inquit Paulus, vnus ſpi-Epheſ. 4. ritus, vnus Dominus, vna fides. Sed ne ab his inuiſibilibus tantùm pendere videretur Eccleſia, vnum adiecit Baptiſma. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnũ corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Quiſquis igitur tergiuerſandi ſtudio inuiſibilem & incertis ſedibus errantem dixerit Eccleſiam, non hæreſim tantùm dixiſſe, ſed hæreſum omnium puteum fodiſſe iudicetur.

De-

DECRETVM III.

De auctoritate ſacrorum Conciliorum.

ABSVRDVM non ab re videri poſſit, ſi tanto ſtudio veteri Synagogæ Deus affuit, vt ſi quid in Lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controuerſiam à Iudicibus & Legiſperitis abſolui non poſſet, deſignato tamen cœtu non carerent, cuius arbitrio res tota finiretur; Eccleſiam autem longè Synagogâ potiorem, ita neceſſariis deſtituat auxiliis, vt prorſus non habeat, cui, ſuborta de fide quæſtione, tutò ſatis inniti poſſit. Proinde cùm certa ſit & infallibilis Eccleſiæ regula, nec aliquando inuiſibilitatis prætextu tandem eludi queat; ea profectò ſacris Generalibus Conciliis auctoritas derogari non poteſt, quæ proximè vniuerſalem repræſentant. His enim Conciliis ſi ea decernendi quæ ad ſinceritatem fidei, & extirpationem hæreſum, Eccleſiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, poteſtas adimatur, nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique quo hæreticus ab Orthodoxo poſſit internoſci: cùm ille frequenter tum impendiò loquacior, tum peruicacior, pluribus (licet perperàm intellectis) Scripturarum teſtimoniis falsò glorietur. Nec erat, quo veterum quondam hæreticorum retunderentur inſultus, niſi Eccleſiaſtici Proceres Apoſtolorum exemplo Concilia celebraſſent, quibus ſancti Spiritus auctoritatem, ferocientibus illis & rerum humanarum ſcientiâ tumentibus, opponerent. Quo fit, vt ſi Conciliorum auctoritati, ſub hac temporum calamitate, tantillum depereat: protinus velut ab inferis ſuſcitandæ ſint damnatæ hæreſes, neque defuturi ſint, qui hinc Arrio, inde Neſtorio, ceteriſque id genus peſtibus palàm ſubſcribere non formident. Etſi autem nonnihil quoq; laicorum interſit, quid credendum ſit, quid agendum: id tamen ab Apoſtolis (quibus ſuccedunt Epiſcopi) legimus obſeruatum, vt ſiue murmuri Græcorum occurrendum foret, ſeu pacanda ſuper legalibus aborta ſeditio: non centurionem, non promiſcuam è plebe multitudinē accerſerent, ſed præſentem ſibi Spiritum ſanctum affirmarent, cuius inſtinctu, quod iuſtum eſſet & æquum, ſanciretur. Quòd ſi vbi duo vel tres in nomine Domini congregantur (licet ſibi ipſis relictis falli poſſint) continuò tamen in medio eorum ſit Dominus: quantò magis, vbi Summus Pontifex ceterique Primores Eccleſiaſtici conueniunt, vt hæreſibus ſubinde pullulantibus occurrant, & Dominicum agrū ſubortis expurgent zizaniis? Sancta igitur & inuiolabilis eſt ſacrorū Conciliorum Vniuerſaliū auctoritas. Quiſquis pertinaciùs refragatur, hoſtis fidei iure optimo cenſeri debet.

Deut. 17. — Act. 6. & 15. — Act. 6. — Act. 15. — Matth. 18.

DECRETVM IV.

Quòd ad Eccleſiam pertinet determinare, qui libri ſint Canonici, & qui non, & Scripturæ ſenſum interpretari.

MAGNA profectò fuit ſemperque futura eſt Scripturæ ſacræ auctoritas, in qua nihil falſum, nihil otioſum eſſe poſſit. Cùm enim non humana voluntate allata ſit aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſint ſancti Dei homines, omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum inſtituta. At nihilominùs mutilum eſt & prorſus inualidum, ſumptum è Scripturis Argumentum, ſi pro cuiuſuis arbitrio, quod adductum fuerit, ſacrum aut profanum, Canonicum aut apocryphum habeatur, vel quod in Canonem admiſſum receptumque fuerit, indocti & inſtabiles deprauent ad ſuam ipſorum perditionem, ac paſſim cerdones ac infimæ plebis homines in eam quam ſemel imbiberint ſententiam pertinaciùs detorqueant. Nam quid promouebis, cùm ſi quid defenderis, negetur? ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur? & tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequēris, niſi vilem de blaſphematione ſtandem. Nullus qui-

2. Pet. 1. — 2. Tim. 3.

quidem tam deploratus quondam ſurrexit hæreticus, qui non ſuum errorem Scriptura tueri conaretur: nulla tam abſurda tam impudens hæreſis, quæ non Sacris vtcumque fulciatur eloquiis, ſed corruptis, & à genuino ſenſu deprauatis. Imò verò ſi quis literæ corticem tantùm ſuo fretus ingenio percurrat, ſi penitiſſimos ſenſus cum Eccleſiaſticis Interpretibus non penetret, vix vmquam confutabitur hæreticorũ verſutia. Obortis igitur de fide diſſidiis, fruſtrà ſæpè Scriptura conſulitur, niſi Eccleſiæ certa & infallibilis litem dirimat auctoritas, quæ Canonicum librum ab apocrypho, Catholicum ſenſum ab hæretico, germanum ab adulterino diſcernat. Hac nempe velut internuntia, Patrum & ſacrorum Conciliorum organis, Spiritus ſanctus docet nos omnia, & ſuggerit nobis omnia: ſine quorum auſpiciis, qui Scripturæ ſacræ ſenſum habere ſe iactitant, non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: ſed videntes non vident, & audientes non audiunt. In enumerandis itaque Canonicæ Scripturæ libris, qui præſcriptum Eccleſiæ vſum & auctoritatem non ſequitur, ſacrum Carthaginenſe Concilium Tertium, Innocentij & Gelaſij Decreta, & denique definitum à ſanctis Patribus librorum Catalogum reſpuit, aut in exponendis Scripturis non paſcit hœdos ſuos iuxta tabernacula paſtorũ, ſed fodit ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas; & ſpretis Orthodoxorum Patrum veſtigiis, proprij ſpiritus iudicium ſequitur: is velut ſchiſmaticus, & hæreſum omnium incentor & fautor, à tanta temeritate reprimatur.

Ioan. 14. 1.Tim.1. Matth.15. Isaiæ 6.

DECRETVM V.

Aliqua eſſe firmiter tenenda, quæ non continentur expreſsè in Scriptura ſacra: ſed à Chriſto vel Apoſtolis ipſis, familiari colloquio, & quaſi per manus ad nos peruenerunt.

AMPLA certè Scripturæ latitudo, ingens & incomprehenſibilis profunditas, perniciosum eſt tamen eo errore laborare, vt nihil admittendum putetur, quod non è Scriptura depromptum ſit: multa quippe à Chriſto ad poſteros per manus Apoſtolorũ, ore ad os, & familiari colloquio, quòd transfuſa ſunt, quæ etſi in ſacra Scriptura expreſsè contineri non videantur, inconcuſsè tamen tenenda veniunt. Nam quòd genua flectamus orãtes ad Orientem, ſed & ſacroſanctæ Euchariſtiæ percipiendæ ritus, vel eorum quæ dicuntur in Baptiſmo verborum geſtorumque & ordinum, atque interrogationum & reſponſionum quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc, operta licet & velata, portamus ſuper humeros, atque ita implemus, vt à magno Pontifice Chriſto, aut primitiuæ Eccleſiæ Proceribus tradita. Ad hæc, vbi quæſo ſcriptum eſt illud, quod à Chriſto dictum commemorat Apoſtolus, Beatius eſt magis dare quàm accipere? Quis ſcripto redegit ea, quæ per dies à reſurrectione quadraginta Dominus cum diſcipulis de Regno Dei diſſeruit? atque alia id genus multa, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum (iuxta Ioannem) arbitramur poſſe capere eos qui ſcribendi ſunt libros. A quibus non longè ſunt aliena, Symbolum illud Apoſtolorum, & quòd ſine vnctione non fit Confirmationis Sacramentũ, & in ſuperbenedicto Miſſæ Sacrificio aqua vino miſceatur, aut fideles viuificæ Crucis ſigno frontem communiant: pluraque id genus, quæ velut ex receptione quadam & quaſi per manus ab Apoſtolis emanarunt. Hinc Paulus non eas tantùm traditiones iubet à Theſſalonicenſibus obſeruari, quas per epiſtolam, ſed etiam quas per ſermonem didiciſſent. Neque prætermiſiſſe putandus eſt cetera, quæ circa venerandũ Euchariſtiæ Sacramentum Corinthiis ſeſe diſpoſiturum cùm veniſſet, vltrò ſpoponderat. Quorum plurima licet à Chriſto fortè non ſint inſtituta, id tamen ratum eſt, quòd dictante Spiritu

Act. 20. Act. 1. Ioan. 21. 2.Theſſ.2.

1.Cor.11. Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, veluti quod Chriſtus ipſe tradidit,& in ſui commemorationem fieri præcepit. Oportet itaque nos auctoritati Patrum conſuetudinique maiorum vſque ad tantum tempus per tantam annorum ſeriem protelatæ, etiam non percepta ratione credere, eamque, vt antiquitùs tradita eſt, iugi obſeruantia ac reuerentia cuſtodire. Quam ſi quis eo prætextu pertinaciùs reiiciat, quòd non legitur in Scripturis ſacris, vt hæreticus & ſchiſmaticus habeatur.

ANNOTATIO.

Præfata Decreta, quæ pertinent ad fidem, placuit per extenſum ponere: reliqua ſequentia, quia in aliis Conciliis poſita ſunt, ſummatim & per titulos reſtringemus.

DECRETVM VI. De conſtitutionibus humanis.

DECRETVM VII. De ieiuniis Eccleſiaſticis.

DECRETVM VIII. De cælibatu Sacerdotum.

DECRETVM IX. De votis, & præſertim Monaſticis ſeruandis.

DECRETVM X. Quòd ſeptem ſunt Sacramenta à Chriſto inſtituta: & quòd illa conferant gratiam obicem non ponenti.

DECRETVM XI. De Sacrificio Miſſæ.

DECRETVM XII. De ſatisfactione, Purgatorio, & commemoratione Defunctorum.

DECRETVM XIII. De veneratione Sanctorum.

DECRETVM XIV. De veneratione ſacrarum Imaginum.

DECRETVM XV. De libero arbitrio.

DECRETVM XVI. De fide & operibus, merito & gratia, contra Lutherum.

Sequuntur DECRETA *ad mores ſpectantia.*

I. FREQVENTANDAS eſſe preces, & publicas & priuatas, in Eccleſiis, pro tranquillo ſtatu Eccleſiæ Catholicæ, & Regnorum orbis Chriſtiani.

II. Omnem exactionem indebitam pro Sacramentorum aliarumq; rerum diuinarum adminiſtratione, eſſe à viris Eccleſiaſticis ſummopere euitandam.

III. Quòd promouendi ad ſacros Ordines, exhibeant literas teſtimoniales de ſufficientia ætatis, & honeſtate vitæ ſuæ.

IV. Neminem ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem eſſe promouendum, niſi ſufficientem exhibeat titulum beneficialem, vel patrimonialem.

V. Quomodo Diœceſani examinare debent petentem literas dimiſſorias, antequam illas ipſi concedant.

VI. Diligentem etiam inquiſitionem debere fieri à Diœceſanis ſuper ætate, moribus & literatura iam promotorum ad Sacerdotium.

VII. Promotos in Curia Romana ad ſacros Ordines, non eſſe admittendos ad illorum executionem, niſi priùs à Diœceſanis fuerint examinati.

VIII. Inſtituendi ad curam animarum, diligenter antè examinentur à Diœceſanis, an ſint idonei gerendæ illi prouinciæ.

IX. Ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda aſſumantur idonei à Diœceſanis, qui ſuo erga Deum & Eccleſiam ritè fungantur officio.

X. Quotidianas diſtributiones ſatis largas & ſufficientes aſsignari debere iis, qui diuino Officio in Eccleſiis celebrando interſunt.

XI. Curati reſideant in ſuis Eccleſiis niſi ſint legitimè excuſati: & populum ſibi commiſſum diligenter inſtruant documentis fidei & morum.

XII. De iis, quæ Curati ſuos debent admonere Parochianos ad ipſorum ſalutem.

XIII. De fundationibus antiquis Eccleſiarum accuratè obſeruandis & complendis.

XIV. In Oratoriis priuatis ſine Diœceſani facultate non eſſe celebrandum: neque in Cappellis Hoſpitiorum, neglecta Eccleſia Parochiali.

XV. Die

Digitized by Google

XV. Die Dominico non celebrentur Miſſæ in Cappellis, etiam ex fundatione, niſi poſt completam Miſſam Parochialem.

XVI. In Eccleſiis nihil inhoneſtum aut indecens fieri debere, quo diuinum impediatur, aut minùs reuerenter audiatur Officium.

XVII. Pſalmodia maturè & cum diſtinctione peragatur: ac muſicus cantus, organorumque modulatio, ad deuotionem excitans, non laſciuiam in Eccleſia adhibeatur.

XVIII. De Horis Canonicis diſtinctè, reuerenter, & honeſtè in Eccleſia decantandis.

XIX. De Horis Canonicis integrè, maturè & deuotè legendis à viris Eccleſiaſticis, ſine aliquo leuitatis aut irreligioſitatis exemplo.

XX. De tabula Officiariorum in Choro ponenda: & tempore ingreſſus in Chorum, cùm diuinum celebratur Officium.

XXI. Canonici, cùm primùm recepti ſunt in conſortium Capituli, ſuos fructus integrè recipiant, ſine dilatione aut expectatione per aliquot annos.

XXII. De regulari diſciplina in victu, in veſtitu, & moribus, in Monaſteriis tam Religioſorum quàm Monialium, exactè obſeruanda.

XXIII. De honeſtate morum in vita & habitu à Clericis ſeruanda, ſine veſtium pretioſarum pompa & luxu.

XXIV. Qualis debet eſſe habitus Clericorum & virorum Eccleſiaſticorum.

XXV. De honeſtate Clericorum obſeruanda in inceſſu, conuerſatione cum laicis, in imitatione choreарum, & actionis ludorum ſcenicorum.

XXVI. Incontinentes Sacerdotes & concubinarios Clericos, itidem venatores & negotiis ſæcularibus deditos, grauiter eſſe puniendos.

XXVII. Quid agendum, quando Prioratus Religioſorum aut Monialium non habent prouentus ſufficientes ad plurium in illis locis educationem.

XXVIII. De numero Monialium in Monaſteriis earum inſtituendo: perpetuaque ipſarum clauſura vigilanter obſeruanda.

XXIX. De viſitatione & reformatione diligenti Hoſpitalium, Leproſariarum, & ſimilium Domorum, facienda per eos, ad quos ipſum legitimè ſpectat.

XXX. Confratrias non eſſe de nouo erigendas, niſi ex conſenſu & approbatione Diœceſanorum: antiquarum autem ſtatuta & fundationes illis, vt viſitentur, exhiberi debere.

XXXI. De excommunicationibus non concedendis, niſi pro ardua & graui cauſa, neque decernendis pro iniuriis verbalibus, niſi ſint admodum atroces.

XXXII. Diœceſani per ſe aut Vicarios ſuos viſitent frequenter Parochias, in quibus audiunt hæreticos habitare: & ad illorum exterminationem pro viribus elaborent.

XXXIII. Libri de fide & moribus differentes non imprimantur ampliùs, nec alibi impreſſi vendantur, ſine ſpeciali Diœceſanorum auctoritate & permiſſione.

XXXIV. Libros lingua vernacula compoſitos, de fide & moribus tractantes, legi vulgò non debere, niſi à Diœceſanis antè viſitati ſint & approbati.

XXXV. Non eſſe admittendos quoſcumque ad exercendum prædicationis ad populum officium, niſi à Diœceſanis approbati fuerint & miſſi.

XXXVI. Quales eſſe debent diuini verbi prædicatores, & quid potiſſimùm prædicare debeant, & quibus vti ſermonibus.

XXXVII. Solos illos Mendicantes habere poteſtatem abſoluendi, qui antè per ſuos Prælatos Diœceſanis præſentati fuerint, & per eos commiſſi.

XXXVIII. Abbates Sacramentum Con-

Digitized by Google

Confirmationis non ferant, nec calicum conſecrationem attentent, niſi Diœceſano antè exhibuerint ſpeciale (ſi quod habent) ſuper hoc priuilegium.

XXXIX. Cum quanta reuerentia, grauitate & honeſtate Sacramentum Matrimonij eſt à fidelibus ſuſcipiendum.

XL. Imagines ſacræ, præcedente Epiſcopi viſitatione, in Eccleſiis collocentur: neque prætextu noui miraculi erigatur Cappella, aut Altare nouum, niſi Epiſcopus loci de eo negotio antè definierit quid ſit tenendum.

CONCILIVM COLONIENSE PROVINCIALE,

auctoritate HERMANNI *Archiepiſcopi (qui poſteà in hæreſim lapſus eſt) pro* REFORMATIONE CLERICORVM, ET CAERIMONIARVM ECCLESIAE, *celebratum anno Domini* 1536. *tempore* PAVLI III. *&* CAROLI V. *Imperatoris.*

ANNO DOMINI M.D.XXXVI. IN hoc Concilio multa ſtatuuntur vtilia, quæ tum ad officium Epiſcopi, tum ad Clericos, tum ad Eccleſias, tum etiam & ad laicos ipſos pertinent, quæ in quatuordecim partes diſtributa ſunt, & extant apud Binium.

CONCILIVM AVGVSTANVM

ad REFORMATIONEM CLERI, *auctoritate* OTHONIS *Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtani, celebratum anno Domini* 1548. *tempore* PAVLI *Papæ* III.

M.D.XLVIII. ACTA & Statuta Synodi Diœceſanæ Auguſtenſis ſummatim recenſentur in ſequentibus titulis: De ſumma Trinitate & fide Catholica. De Conſtitutionibus. De electione. De renuntiatione. De qualitate Ordinandorum. De Clericis peregrinis. De officio Archidiaconi. De Parochis ſiue Presbyteris Curatis. De officio Decani & Canonicorum. De vita & honeſtate Clericorum. De pluralitate Beneficiorũ. De ſtatu Monachorum, Monialium & Canoniſſarum. De officio Concionatoris, & diuini verbi prædicatione. De cultu diuino. De adminiſtratione Sacramentorum. De Baptiſmo. De Confirmatione. De celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ. De Pœnitentia & remiſſione. Cap. Omnis vtriuſque ſexus, lingua Latina & vulgari, & alia quædam lingua Germanica Quadragenarij ieiunij tempore vulgò à Parochis publicanda inſeruntur. De Extrema Vnctione. De Matrimonio. Ne pro Sacramentis aut Sacramentalibus quidquam exigatur. De cõſecratione, benedictione & cęrimoniis Eccleſiaſticis. De feriis & feſtis Sanctorum. Vt Oratio Dominica, Angelica Salutatio, & Symbolum Apoſtolorum ab omnibus æqualiter dicantur, eorumq; interpretatio vulgaris. De Magiſtris & ſcholis inſtituendis. De Hoſpitalibus pauperum, infirmorum, & peregrinorum. De maioritate & obedientia & diſciplina populi. De Viſitatione. De ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti. De precibus pro Summo Pontifice, Romanorum Imperatore, & Rege ac Principibus Catholicis, aliiſque ad Deum fundendis. De pœnis. De Synodis.

CONCILIVM TREVERENSE

auctoritate IOANNIS *Treuerenſis Archiepiſcopi pro* REFORMANDA DISCIPLINA MORVM, *celebratum anno Domini* 1548. *tempore* PAVLI *Papæ* III.

IN hoc Concilio præcipuè agitur de Clericorum temulentia, & de eorumdem concubinatu. De ſortilegis. De apoſtatis, & De libertatis Eccleſiaſticæ violatoribus. Quæ extant apud Binium. M.D.XLVIII.

CONC.

CONC. COLONIENSE II.

auctoritate ADOLPHI *Archiepiſcopi Colonienſis pro* REFORMANDA ECCLESIA *indictum anno* 1549. *tempore* PAVLI *Papæ* III.

ANNO DOMINI M.D.XLIX IN hac Synodo ad media quædam fit recurſus pro Cleri & populi reformatione, quæ ſunt ſex, nempe:

I. Inſtauratio ſtudiorum, potiſſimùm ſacrorum.

II. Examen Ordinandorũ, & ad miniſteria vel Prælaturas inſtituẽdorum.

III. Officiorum ſeu munerum ſuſceptorum ſedula perfunctio.

IV. Viſitatio Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, Archidiaconalis, & eorum quibus hoc incumbit.

V. Synodorum frequens celebratio.

VI. Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ iam propemodum collapſæ, & abuſu deprauatæ, reſtitutio. Quæ latè extant apud Binium.

CONC. MOGVNTINVM

auctore SEBASTIANO *Archiepiſcopo in cauſa* FIDEI *&* MORVM *congregatum, anno Domini* 1549. *tempore* PAVLI *Papæ* III.

M.D.XLIX IN hoc Concilio plurima ſancita ſunt tum ad fidei doctrinam, tum etiam ad mores, pertinentia, quæ hîc ſummatim & per Capita recenſentur.

De his quæ ad fidei doctrinam pertinent.

DE ſancta Trinitate & fide Catholica. De creatione & conſeruatione mundi. De hominis creatione. De lapſu hominis. De peccato originali. De redemptione per Chriſtum. De iuſtificatione. De charitate & bonis operibus, & merito eorum. Obſeruationem mandatorum Dei verè Chriſtianis eſſe poſſibilem. De vera libertate Chriſtiana. De Sacramentis in genere. Modus doctrinæ circa Baptiſmum. De Baptiſmo paruulorum. Baptiſmum adhibitis ritibus ſecundùm veterem Eccleſiæ morem adminiſtrari debere. Vnctiones in baptizandis paruulis omiſſas expleri debere. Baptiſmum ante meridiem adminiſtrare debere. Modus doctrinæ circa Sacramentum Confirmationis. De vnctione Chriſmatis in Confirmatione. De cognationibus ſpiritualibus, ex his duobus potiſſimùm Sacramentis, Baptiſmi & Confirmationis, prouenientibus. Modus doctrinæ circa Sacramentum Pœnitentiæ. De contritione. De confeſſione. De ſatisfactione. De abſolutione. De ijs qui confeſſionibus audiendis præfici debent. De reſeruatione caſuum relaxanda. Ne Religioſi laicos communicent ſine conſenſu Parochorum. Sine teſtimonio ſanctæ confeſſionis, nemo ad ſacræ Euchariſtiæ perceptionem admittatur. De cõfeſſione non reuelanda. De ſatisfactionibus. Modus doctrinæ circa Sacramentum Euchariſtiæ. De communione vnius ſpeciei. Vt à ieiunis & confeſſis ſacroſancta Euchariſtia ſumatur. Modus doctrinæ circa Sacramentum Extremæ Vnctionis. Modus doctrinæ circa Sacramentum Ordinis. Modus doctrinæ circa Sacramentum Matrimonij. Monendos liberos, ne inſciis parentibus contrahant. De Matrimonij ſolemnitate. De benedictione ſalis, aquæ, & aliarum rerum, quæ per exorciſmos & orationes ad vſum fidelium præparantur. De cæremoniis. De Imaginibus. De abuſu Imaginum prohibendo. De Reliquiis Sanctorum. De peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum. De inuocatione & veneratione Sanctorum. De Orationibus pro defunctis, & de Purgatorio. De ieiunio & delectu ciborum.

Index eorum quæ pertinent ad mores.

DE conſtitutionibus Eccleſiæ. Ne ignoti & inexplorati ad prædicationis munus admittantur. Obſeruandi Parochi & Concionatores, quomodo quiſque doceat. Videndum, quibus libris Parochi & Concionatores paſſim vtantur. Plebs, vt concionibus & diuinis interſint, per Magiſtratus adigenda. De Horis Canonicis. Quæ ad tremenda Miſſæ myſteria. Presbyteri, cum irreuerentia Miſſas celebrantes, coërcendi.

di. De præmittenda Sacerdotum confeſſione ante Sacrificium Miſſæ. Miſſæ, ſub Concione aut ſolemni Sacro non celebrentur. Concionatores plebem verum Miſſæ vſum diligenter edoceant. Miſſa quo geſtu aut qua deuotione audienda. In primitiis omittendæ comeſſationes. Sanctorum ſolemnitates Dominicis cedant. De ſacris libris recognoſcendis & repurgandis. De examine Prælatorum. De his qui plura Beneficia curata obtinent. De generalibus ſtudiis inſtaurandis; & de adoleſcentibus ad ſtudia publicè alendis. De Clericis ſæcularibus & Regularibus ad ſtudia ablegandis: & de ſtudiis apud Monaſteria inſtaurandis & conſeruandis. De Theologiæ apud Eccleſias Collegiatas Profeſſoribus. De Patronis & collatione Beneficiorum. De admiſſione ad Beneficia Eccleſiaſtica, & eorum reſignatione. De iuſtitia. De iuſta diſtributione prouentuum Eccleſiaſticorum. Vt Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Cuſtodes, & Cantores, apud Eccleſias ſuas reſideant. De modo deferendi quotidianas diſtributiones. Otioſas deambulationes in Eccleſiis inter diuina prohibendas. De honeſtate & decentia Clericali. De decimis & offertoriis perſoluendis. De foro competenti, & immunitate Eccleſiaſtica. Quibus Epiſcopi aut Archidiaconi ſuas vices committere debeant. De Regularibus. De clauſuris Monaſteriorum Virginum. Paſtores, & alij, Eccleſiis ſuis, quibus per ſe non præſunt, idoneos & perpetuos Vicarios præficiant. De promouendis ad ſacros Ordines. De Ordinandorum teſtimonio. Qui in Baptiſmo vnctiones ſacri Olei, & Chriſmatis iuxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem non ſuſceperunt, ad Ordines ſacros ante talium vnctionum ſuppletionem non admittantur. De ijs, qui ordinantur extra ſuas Diœceſes. De honore Prælatorum. Ne domicellares Canonici ante merita virtutis & doctrinæ ad Capitula aſſumantur. De iuramentorum exactione reſtringenda. Pecunias ex ſtatutis Beneficiorum aut aliunde cedentes, in Eccleſiarum vtilitatem impendi debere. De rebus Eccleſiarum diligenter curandis. De procuratione ſeu Fabricis Eccleſiarum Parochialium. De Simonia. Vt Parochi Sacramenta gratis adminiſtrent. De competentiis Parochorum. De Clericis peregrinis. De Sacellanis nobilium. De Magiſtris ſcholarum. De teſtamentis & vltimis voluntatibus. Mercatus diebus Dominicis & feſtiuis prohibendos. De libris per typographiā publicandis. De pœna Clerici percuſſoris, aut rixoſi contra alium Clericum. De pœna ſortilegiorum. De Clericis cōcubinariis. De excommunicatione. De vitandis excommunicatis.

CONC. TREVERENSE II.

auctoritate IOANNIS *Archiepiſcopi Treuerenſis indictum in cauſa* FIDEI ET MORVM *anno Domini* 1549. *tempore* PAVLI *Papæ* III.

DECRETA Concilij Prouincialis Treuerenſis ſummatim hęc ſunt: De fide Orthodoxa Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ fideliter & firmiter tenenda. De Prædicatoribus verbi, quos miſſos eſſe oportet. Non quiuis admittendi ſunt, etiamſi præſentati fuerint. Vocatus & admiſſus, quid pro concione docere debeat. De cultu diuino diligenter & religioſè exequendo, deque diſciplina Chori obſeruanda. De Horis Canonicis. De his qui, dum Sacra fiunt, per templa vagantur, profana miſcentes colloquia. Quo tempore quiſque in Choro eſſe debeat. De Miſſæ officio ritè peragendo. De moderandis Feriis. De Religioſis Monachis & Monialibus. De Monaſteriis non moleſtandis. De Decanis Chriſtianitatis. De competentia Paſtorum. De Scholis. Vt nemo Clericos vel Eccleſiaſticas perſonas ad iudicium ſæculare trahere præſumat. De immunitate Eccleſiarum. Ne quis aliqua Statuta contra libertatem Eccleſiæ facere pręſumat. De vita & honeſtate Clericorum. Vt quilibet habeat copiam Statutorum Prouincialium. ANNO DOMINI M.D.XLIX.

Hhhh SA-

Digitized by Google

SACROSANCTVM CONCILIVM TRIDENTINVM OECVMENICVM ET GENERALE XVIII.

SVB PAVLO III. IVLIO III. ET PIO IV. PONTT. MAXX.

BVLLA INDICTIONIS SACRI OECVMENICI CONCIL. TRIDENTINI *ſub* PAVLO III. *Pont. Max.*

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Initio noſtri huius Pontificatus, quem non ob merita noſtra, ſed propter ſuam magnam bonitaté, Dei omnipotentis prouidentia nobis commiſit, cernentes iam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum ferè omnium, noſtra paſtoralis ſollicitudo & vigilia eſſet vocata, cupiebamus quidem mederi Chriſtianæ Reipublicæ malis, quibus illa iamdudum vexata, & propemodum oppreſſa eſt; ſed ipſi etiam, vt homines circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires noſtras eſſe ſentiebamus. Nam cùm pace opus eſſe intelligeremus ad liberandam & conſeruandam à plurimis impendentibus periculis Rempublicam, omnia inuenimus odiis & diſſenſionibus plena, diſſentientibus præſertim Principibus ijs inter ſe, quibus ſumma rerum pænè omnis à Deo permiſſa eſt: cùm vnum ouile & vnum paſtorem Dominici eſſe gregis, ad integritatem Chriſtianæ Religionis, & ad cæleſtium bonorum ſpem in nobis confirmandam, neceſſarium duceremus, ſchiſmatis, diſſidiis, hæreſibus erat Chriſtiani nominis diuulſa iam pænè & lacerata vnitas: cùm tutam atque munitam ab infidelium armis atque inſidiis Rempub. optaremus, noſtris erratis, noſtraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis noſtris imminente, Rhodus fuerat amiſſa, Hungaria vexata, conceptum & meditatum contra Italiam contraque Auſtriam & Illyricum terrâ marique bellum: cùm impius & immitis hoſtis noſter Turca nullo tempore requieſceret, noſtrorumque inter ſe odia & diſſenſiones ſuam bene gerendæ rei occaſionem duceret. Igitur, vt dicebamus, in tanta hæreſum, diſſenſionum, bellorumque tempeſtate, tantiſque excitatis fluctibus, cùm eſſemus ad moderandam & gubernandam Petri nauiculam vocati, nec viribus ipſi noſtris ſatis fideremus, primùm coniecimus in Domino cogitatus noſtros, vt ipſe nos nutriret, animumque noſtrum firmitate & robore, mentem conſilio ſapientiaque inſtrueret: deinde animo repetentes, maiores noſtros ſapientia admirabili & ſanctitate præditos, ſæpè in ſummis Chriſtianæ Reipublicæ periculis, remedium optimum atque opportuniſſimum Oecumenica Concilia & Epiſcoporum Generales Conuentus adhibuiſſe; ipſi quoque animum ad Generale habendum Concilium adiecimus, exquiſitiſque Principum ſententiis, quorum nobis videbatur vtilis in primis & opportuna ad hanc rem eſſe conſenſio, cùm eos tunc non alienos ab hoc tam ſancto opere inueniſſemus, Oecumenicum Concilium, & Generalem eorum Epiſcoporum aliorumque Patrum, ad quos pertineret, Conuentum in ciuitate Mantuæ indiximus, anno Incarnationis Domini, ſicut literis & monumentis noſtris teſtatum eſt, milleſimo quingenteſimo trigeſimoſeptimo, Pontificatus noſtri tertio, à decima Kalend. Iunij inchoandum; ſpem propè certam habentes fore, vt cùm illic in nomine Domini eſſemus congregati, ipſe, ſicut promiſit, Dominus in medio noſtrùm [Matth. 18.] affuturus, & bonitate ac miſericordia ſua omnes temporum procellas, omniaque pericula ſpiritu oris ſui facilè depulſurus eſſet. Sed vt ſemper inſidiatur piis actionibus humani generis hoſtis, primùm contra omnem ſpem & expectationem noſtram denegata fuit nobis Mantuana ciuitas, niſi aliquas conditiones

Digitized by Google

ditiones ſubiremus, ab inſtitutis maiorum
noſtrorum, & conditione temporum, noſtra-
que ac huius ſanctæ Sedis ac nominis Eccle-
ſiaſtici dignitate libertateque prorſus alienas,
quas in aliis literis noſtris expreſſimus. Qua-
propter alium inuenire locum, aliamque de-
ligere ciuitatem neceſſe habuimus: quæ cùm
non ſtatim nobis occurreret idonea & apta,
ad ſequentes Kalend. Nouembr. prorogare
Concilij celebrationem fuimus coacti. Inte-
rim ſæuus & perpetuus hoſtis noſter Turca
ingenti claſſe Italiam adortus, aliquot oppi-
da in litoribus Apulię cepit, vaſtauit, diripuit,
prædas hominum abegit: nos in maximo ti-
more & periculo omnium, muniendis litori-
bus noſtris, finitimiſq; auxilio iuuandis fui-
mus occupati: nec tamen intereà deſtitimus
conſulere & hortari Chriſtianos Principes,
vt de idoneo ad habendum Concilium loco
quid ſentirent, nobis exponerent. Quorum
cùm eſſent incertæ variæq; ſententiæ, tem-
puſq; diutiùs, quàm erat opus, videretur ex-
trahi; nos optimo animo, atque (vt arbitra-
mur) etiam conſilio Vincentiam elegimus,
vrbem copioſam, & Venetorum, qui eam
nobis concedebant, virtute, auctoritate, po-
tentia, cùm aditum patentem, tum ſtatio-
nem omnibus liberam atque tutam in pri-
mis in ſe habentem. Sed cùm iam tempus
longiùs progreſſum eſſet, nouæque vrbis ele-
ctionem omnibus ſignificari conueniret:
iamque Kalendæ Nouemb. appetentes fa-
cultatem huius diuulgationis excluderent,
hiemſque eſſet propinqua, rurſus altera pro-
rogatione tempus Concilij differre in proxi-
mum ſequens ver, Maiique futuras Kalen-
das, compulſi fuimus. Qua re firmiter con-
ſtituta atque decreta, cùm & nos ipſos & ce-
tera omnia ad eum benè agendum, Deo iu-
uante, celebrandumque Conuentum para-
remus, plurimum reputantes intereſſe cùm
celebrationis Concilij, tum vniuerſæ Chri-
ſtianæ Reipublicæ, Chriſtianos Principes
pace inter ſe & concordia conſentire, chariſ-
ſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Ro-
manorum Imperatorem ſemper Auguſtum,
& Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum,
duo præcipua Chriſtiani nominis firmamen-
ta atque ſubſidia, orare atque obſecrare in-
ſtitimus, vt ad colloquium inter ſe & nobiſ-
cum vnà conuenirent: quorũ quidem apud
vtrumque literis, Nuntiis, & à latere noſtro
Miſſis ex venerabilium fratrum noſtrorum
numero Legatis ſæpiſſimè egeramus, & ex
ſimultate & diſſidiis ambo in vnum fœdus
& piam amicitiam vellent conuenire, laben-
tibuſque ſuccurrere Chriſtianis rebus: qua-
rum ſeruandarum cùm eſſet illis poteſtas à
Deo præcipuè tributa, ſi id non agerent, &
ad commune Chriſtianorum bonum ſua
conſilia non dirigerent, actis & ſeuera ratio
eidem Deo ab ipſis reddenda eſſet. Qui ali-
quando precibus noſtris annuentes, Nicæam
ſe contulere: quò nos quoque longum iter,
& ſenili ætati noſtræ vehementer contrariũ,
Dei & pacis conciliandæ cauſa ſuſcepimus:
neque prætermiſimus intereà, cùm tempus
Concilij præſtitutum, Kalendæ videlicet
Maij, appropinquarent, tres Legatos ſummæ
virtutis ac auctoritatis à latere noſtro, de
numero eorumdem fratrum noſtrorum
S.R.E. Cardinalium, Vincentiam mittere,
qui initium Concilij facerent, Prælatoſque
vndique venientes exciperent, & ea quæ iu-
dicarent eſſe opus, agerent & tractarent, quò
nos ab itinere & negotio pacis reuerſi, omnia
accuratiùs dirigere poſſemus. Interim verò
in illud ſanctum opus maximeque neceſſa-
rium, tractationẽ videlicet pacis inter Prin-
cipes, incubuimus, & quidem omni animi
ſtudio, omni pietate ac diligentia. Teſtis eſt
nobis Deus, cuius freti clementia, noſmetip-
ſos itineris & vitæ periculo expoſuimus. No-
ſtra teſtis conſcientia, quæ nihil habet hac in
re quidem, in quo nos arguat aut prætermiſſę
aut non quæſitæ ad pacificandum occaſio-
nis. Principes ipſi teſtes, quos tam ſæpè tamq;
vehementer nuntiis, literis, Legatis, moni-
tis, hortatu, precibuſque omnibus obſecra-
uerimus, vt ſimultates deponerent, vt ſocie-
tatem coirent, vt Chriſtianæ Reipub. in ma-
ximum & propinquum iam adductæ diſcri-
men, communibus ſtudiis & ſubſidiis opi-
tularentur. Iam verò teſtes illæ vigiliæ atque
curæ, illi diurni nocturnique animi noſtri la-
bores, graueſq; ſollicitudines, quas ob hanc
rem & cauſam plurimas iam ſuſcepimus, nec
tamen ad optatum exitum noſtra conſilia &
acta adhuc perducta ſunt. Ita enim viſum
Domino Deo eſt, quem tamen non deſpe-
ramus aliquando optata noſtra benigniùs
reſpecturum. Ipſi quidem, quantum in nobis
fuit, nihil quod eſſet Paſtorali noſtro officio
debitum, in hac re omiſimus. Quòd ſi qui
ſunt, qui actiones pacis noſtras in aliam in-
terpretentur partem, dolemus quidem, ſed
tamen in dolore noſtro gratias Deo omni-
potenti agimus, qui ad exemplum & doctri-
nam patientiæ noſtræ ſuos voluit Apoſtolos Act. 5.
haberi dignos, qui pro nomine Ieſu, qui pax Eph. 2.
noſtra eſt, contumeliam paterentur. Verùm
in illo congreſſu colloquioque noſtro, quod
Nicææ habitum eſt, etſi peccatis noſtris im-
pedientibus, inter duos Principes vera &
perpetua pax non potuit confici, induciæ ta-
men decennales factæ ſunt: quarum oppor-

 tuni-

tunitate nos ſperantes & ſacrum Concilium commodiùs celebratum iri, & deinde ex Cōcilij auctoritate perfici poſſe pacem, apud Principes inſtitimus, vt & ipſi venirent ad Concilium, & Prælatos ſuos præſentes ducerent, abſenteſque accerſerent. Qui cùm de vtroque ſe excuſaſſent, quòd & ipſis redire in Regna ſua tum neceſſe eſſet, & Prælatos, quos ſecum habuiſſent, itinere atque impendiis feſſos atque exhauſtos recreari & refici oporteret, nos hortati ſunt, vt aliam quoque prorogationē temporis habendi Concilij decerneremus. Qua in re concedenda cùm eſſemus aliquantùm difficiles, literas interim à Legatis noſtris, qui Vincentiæ erant, accepimus, tranſacto iam & longiùs preterito Concilij ineundi die, vnum vix aut alterum ex externis Nationibus Prælatum Vincentiam ſe contuliſſe. Quo nuntio accepto, cùm videremus eo tempore nulla iam ratione haberi Concilium poſſe, ipſis Principibus conceſſimus, vt differretur tempus Concilij vſq; ad ſanctum Paſcha, diemq; feſtum futuræ Dominicæ Reſurrectionis. Cuius noſtri præcepti expectationiſq; decretæ literæ, Genuæ anno Incarnationis Domini 1538. 4. Kalend. Iulij factæ publicatæq; ſunt: atque hanc dilationem eò propenſiùs fecimus, quòd pollicitus eſt nobis vterque Princeps Legatos ſuos Romam ad nos ſe miſſurum, vt ea quæ ad perfectionem pacis reliqua eſſent, neque Nicęæ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodiùs coram nobis agerentur & tractarentur. Et ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, vt hæc pacificationis procuratio Concilij celebrationi proponeretur, cùm ipſum Concilium, pace facta, multò deinde vtilius & ſalutarius Chriſtianæ Reipub. futurum eſſet. Semper enim hæc pacis ſpes nobis iniecta, Principum nos voluntatibus aſſentiri hortata eſt: quam ſpem vehemēter auxit poſt diſceſſum à Nicæa noſtrum, ipſorum duorum Principum inter ſe beneuola amicaq; congreſſio, quæ maxima noſtra cum lætitia à nobis intellecta, confirmauit nos in bona ſpe, vt tandem aliquādo noſtras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta eſſe crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cùm & expeteremus & vrgeremus, nec ſolùm duobus antedictis Principibus, verùm etiam chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ferdinando Regi Romanorū videretur, actionem Concilij, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere, cunctique à nobis per literas ſuoſq; Oratores cōtenderent, vt alias rurſus temporis prorogationes faceremus; præcipuè autem inſtaret Sereniſſimus Cæſar, promiſiſſe ſe demonſtrans ijs, qui à Catholica vnitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud nos interpoſiturum, vt aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante ſuam in Germaniam profectionem aptè non poſſet fieri: nos eadem ſemper ſpe pacis, & tantorum Principū voluntate adducti, cùm præſertim cerneremus, ne ad dictum quidem Reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vincentiam conueniſſe, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam ſæpè fruſtrà fuerat repetitum, celebrationem Generalis Concilij ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere maluimus. Itaq; fecimus, & de ſuſpenſione huiuſmodi literas ad ſingulos ſupradictorum Principum decima die Iunij 1539. dedimus, ſicuti ex illis perſpicuè poteſt intelligi. Ea itaque ſuſpenſione neceſſariò per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis paciſque aliqua concluſio expectatur, quæ & dignitatem poſteà frequentiamq; Concilio, & Chriſtianæ Reipublicæ præſentiorem ſalutem erat allatura, Chriſtianæ intereà res in deterius quotidie prolapſæ ſunt, Hungaris Rege ipſorum mortuo Turcam vocantibus, Ferdinando Rege bellum in eos mouente, Belgis ad defectionem à Cæſare ex parte quadam incitatis, cuius defectionis comprimendæ cauſa per Galliam amiciſſimè, & cum Rege Chriſtianiſſimo concordiſſimè, magno beneuolæ inter eos voluntatis indicio, tranſiens in Belgas Sereniſſimus Cæſar, & illinc deinde in Germaniam prouectus, Conuentus Germaniæ Principum & Ciuitatum, tractandæ eius, quam dixerat, concordiæ cauſa habere cœpit. Sed cùm, ſpe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandæ in Conuentibus tractandæque concordiæ ad maiores potiùs diſcordias concitandas * aptus eſſe videretur, *apertius induct fuimus ad priſtinum Concilij Generalis remedium reuerti: idque per Legatos noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ipſi Cæſari obtulimus, quod etiam poſtremò & præcipuè in Ratiſponenſi Conuentu egimus, cùm illic dilectus filius noſter Gaſpar tituli ſanctæ Praxedis Cardinalis Contarenus, ſumma doctrina & integritate, Legatum noſtrum ageret. Nam cùm (id quod ne accideret, anteà veriti eramus) ex eius Conuentus ſententia peteretur à nobis, vt ab Eccleſia diſſentientium quoſdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Conciliū illi executerentur & deciderentur, idq; nobis vt concederemus, neque Chriſtiana & Catholica veritas, neque noſtra & Sedis Apoſtolicæ dignitas permitteret, palàm potiùs Concilium vt quàm primùm fieret, proponi mandauimus. Neque verò in alia vmquam

quam

quam ſententia & voluntate fuimus, quàm vt primo quoque tempore Concilium Oecumenicum & Generale congregaretur. Sperabamus enim, ex eo & pacem populo Christiano, & Christianæ Religionis integritatem poſſe recuperari: verumtamen id cum bona gratia & voluntate Chriſtianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum obſeruamus tempus abſconditú, tempus beneplaciti tui, ó Deus, aliquando tandem decernere compulſi ſumus, omne eſſe tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus ſanctis & ad Chriſtianam pietatem pertinentibus conſilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi noſtri cum dolore, rem Chriſtianá quotidie in peius ruere, Hungaria à Turcis oppreſſa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu mœroreque afflictis, nullius iam Principis conſenſum expectare, ſed tantùm Dei omnipotentis voluntaté, & Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem attendere conſtituimus. Itaque cùm Vincentiam ampliùs non haberemus, cuperemuſque cùm vniuerſæ Chriſtianorum ſaluti, tum Germanicæ Nationis incommodis in eligendo per nos nouo Concilij habendi loco conſulere, aliquotq; locis propoſitis, ipſam Tridentinam ciuitatem ab ipſis deſiderari videremus: nos, etſi in citeriore Italia commodiùs omnia tractari poſſe iudicabamus, ad eorum tamen poſtulationes noſtram voluntatem paterna charitate deflexímus. Itaque Tridentum ciuitatem elegimus, qua in ciuitate Oecumenicum Concilium ad proximè venturas Kalendas Nouemb. haberetur, idoneum locum illum ſtatuentes, quò ex Germania quidem, aliiſque Germaniæ finitimis Nationibus facillimè, ex Gallia, Hiſpania, ceteriſque Prouinciis remotioribus non difficiliter Epiſcopi & Prælati conuenire poſſent. Dies autem Concilij ea à nobis ſpectata eſt, quæ ſpatium in ſe haberet & publicádi per Chriſtianas Nationes noſtri huius Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quò minùs autem annuú tempus præfiniremus mutando Concilij loco, ſicut quibuſdam Conſtitutionibus aliàs præſcriptum eſt, ea res fuit in cauſa, quòd longiùs extrahi ſpem ſanandæ aliqua in parte Chriſtianæ Reipublicæ, quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta eſt, noluimus. Et tamen videmus tempora, agnoſcimus difficultates; quid ſperari poſſit ex conſiliis noſtris, incertum eſſe intelligimus. Sed quia ſcriptum eſt, Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: magis Dei clementiæ & miſericordiæ confidere, quàm noſtræ imbecillitati diffidere con-

Concil. Conſtant. Seſſ. 39.

Pſal. 36.

ſtituimus. Sæpè enim fit in bonis operibus incipiendis, vt quod humana conſilia non valent, diuina virtus efficiat. Huius igitur ipſius Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabilium item fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſublata amotaque ſuſpenſione, de qua ſuprà commemoratum eſt, quam per præſentes tollimus & amouemus, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium in ciuitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibuſque Nationibus opportuno, ad Kalendas proximas Nouembris anni præſentis ab Incarnatione Domini 1542. incipiendum, proſequendum, & eodem Domino adiuuante, ad ipſius gloriam atque laudem, & Chriſtiani totius populi ſalutem abſoluendum perficiendumque indicimus, annuntiamus, conuocamus, ſtatuimus atque decernimus: omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios quoſcumque, quibus Iure aut priuilegio in Conciliis Generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilo minùs eis in vi iuriſiurandi, quod nobis & huic ſanctæ Sedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtute obedientiæ, aliiſque ſub pœnis, Iure aut conſuetudine in celebrationibus Conciliorum aduerſus non accedentes ferri & proponi ſolitis: mandantes, arcteque præcipientes, vt ipſimet, niſi forte iuſto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per ſuos legitimos Procuratores & Nuntios ſacro huic Concilio omnino adeſſe & intereſſe debeant. Suprà autem dictos Imperatores, Regemque Chriſtianiſſimum, necnon ceteros Reges, Duces, Principes, quorum præſentia ſi aliàs vnquam, hoc quidem tempore maximè ſanctiſſimæ Chriſti fidei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris, rogantes atque obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius fidei veritas & Religio & intus & extrà grauiter iam oppugnatur, vt ſi ſaluam volunt Chriſtianam eſſe Rempublicam, ſi ſe Domino obſtrictos & obligatos pro maximis illius erga ſe beneficiis intelligunt, ne deſerant ipſius Dei cauſam & negotium, ipſimet ad ſacri Concilij celebrationem veniant, in quo ipſorum pietas atque virtus communi vtilitati, ſalutique ſuæ ac ceterorum & temporali & æternæ plurimùm eſt profutura. Sin autem, id quod nollemus,

accedere ipſi non poterunt, at graues ſaltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui perſonam Principis ſui quiſque & cum prudentia & cum dignitate poſſint in Concilio referre. In primis verò, vt id curent, quod ipſis facillimum eſt, vt ex ſuis cuiuſque Regnis ac Prouinciis Epiſcopi & Prælati ſine tergiuerſatione & mora ad Conciliū proficiſcantur. Quod maximè quidem à Prælatis Principibuſq; Germaniæ Deum ipſum atque nos impetrare æquum eſt, vt cùm eorum præcipuè cauſa ipſiſq; cupientibus Concilium indictum ſit, & in ea ciuitate indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non grauentur ipſi ſua cunctorum præſentia id celebrare & ornare, quò meliùs atque commodiùs, quæ ad integritatem & veritatem Chriſtianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemq; malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe, tam Principum quàm populorum pacem, vnitatem, concordiamq; pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum & infidelium, quibus illi vniuerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris cōſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro Oecumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici, ad optatoſque exitus deduci quamprimùm & quàm optimè poſſint. Atque vt noſtræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perueniant, néve quis illorum ignorantiæ excuſationem prætendat, cùm præſertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ eſſent intimandæ, tutus forſitan pateat acceſſus: volumus & mandamus, vt in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & Eccleſia Lateranenſi, cùm ibi multitudo populi ad audiendum rem diuinam congregari ſolita eſt, palàm clara voce per Curiæ noſtræ Curſores, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæque in valuis dictarum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ portis, & Campi Floræ ſolito loco affigantur, vbi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiu expoſitæ pendeant: cumque inde amouebuntur, earum nihilominùs exempla in eiſdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionemque huiuſmodi omnes & quoſcumque quos antedictæ noſtræ comprehendunt, poſt ſpatium duorū menſium, à die literarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos eſſe atque adſtrictos, ac ſi ipſiſmet illæ coràm lectæ & intimatæ eſſent: tranſumptis quidem earum, quæ manu publici Notarij ſcripta, aut ſubſcripta, & ſigillo perſonæ alicuius Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munita fuerint, vt fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, annuntiationis, conuocationis, ſtatuti, decreti, mandati, præcepti & obſecrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1542. vndecima Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri anno octauo.

Bloſius.

Hier. Dand.

SESSIO PRIMA SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI;

ſub PAVLO III. *Pont. Max. celebrata die 13. menſis Decembris, anno Domini 1545. Præſidentibus in ea, nomine eiuſdem Pontificis, Reuerendiſſ. DDD.* IOANNE MARIA DE MONTE, MARCELLO CERVINO, REGINALDO POLO, *S.R.E. Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis.*

In nomine Domini, Amē. Anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri 1545. Indictione tertia, die verò Dominica tertia Aduentus Domini, in qua fuit feſtū ſanctæ Luciæ, & 13. menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij anno 12. pro felici inchoatione ſacroſanctæ Oecumenicæ & Generalis Tridentinæ Synodi fuit facta Proceſſio generalis in ciuitate Tridentina ab Eccleſia ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis ad Eccleſiam Cathedralem; aſſiſtentibus in ea tribus Sedis Apoſtolicæ Legatis, & Reuerendiſſ. Illuſtriſſ. Domino Chriſtophoro Madrucio, tituli S. Cæſarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, & Epiſcopo Tridentino; necnon RR. Patribus Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus,

bus, Doctoribus, ac Illuſtribus & nobilibus viris infraſcriptis, cum multis aliis Doctoribus tum in Theologia, tum in vtroque Iure: etiam cum magno numero Baronum & Comitum, necnon cum Clero & populo dictæ Ciuitatis. Qua finita, præfatus Reuerend. & Illuſtriſſ. Dominus Cardinalis de Monte, primus Legatus, celebrauit Miſſam de ſancto Spiritu in ſancta Cathedrali Eccleſia, & Reuerend. Pater Dominus Epiſcopus Bitontinus habuit Orationem. Deinde finita Miſſa, dictus Reuerendiſſ. D. de Monte Cardinalis dedit benedictionem populo. Poſtmodum comparuit coram eiſdem RR. Legatis & Prælatis, egregius vir Magiſter Zorrilla, Secretarius Illuſtriſſ. D. Didaci de Mendoza, Oratoris Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis, & præſentauit literas excuſatorias ſuper eius abſentia, quæ fuerunt lectæ alta voce. Intereà lectæ fuerunt Bullæ indictionis Concilij. Poſtmodum præfatus Reuerendiſſ. de Monte Legatus, vertit ſe ad Patres Concilij, dicens: Placétne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ad extirpationem hæreſum, ad pacem & vnionem Eccleſiæ, ad reformationem Cleri & populi Chriſtiani, ad depreſſionem & extinctionem hoſtium Chriſtiani nominis, decernere & declarare, ſacrum Tridentinum & Generale Concilium incipere, & inceptum eſſe? Reſponderunt: Placet. Et cùm proxima ſit celebritas Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſubſequantur aliæ Feſtiuitates labentis & incipientis anni; placétne vobis, primam futuram Seſſionem habendã eſſe die Iouis poſt Epiphaniam, quæ erit ſeptima menſis Ianuarij, anno Domini 1546. Reſponderunt: Placet. Poſtremò idem Reuerendiſſ. de Monte benedixit Synodum: & deinde Cantores cantauerunt, Te Deum. Super quibus omnibus D. Hercules Seuerolus, ipſius Cõcilij Promotor, petiit à D. Claudio de la Caſa, Clerico Virdunenſis Diœceſis, & Notario eiuſdem Concilij, & ab aliis Notariis, vnum vel plura fieri Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta.

Sequuntur nomina PRAELATORVM, *qui interfuerunt apertioni* CONCILII.

Reuerendiſſ. PP. DD. ARCHIEPISCOPI, Aquenſis, Panormitanus, Vpſalenſis, Armacanus.

EPISCOPI,

Hipporegienſis, Feltrenſis, Cauenſis, Fæſulanus, Caputaquenſis, ſancti Marci, Giennenſis Hiſpanus, Stabienſis, Patenſis, Aſtoricenſis, Sidonienſis, Thermularum, Lancianenſis, Syracuſanus, Agathenſis, Aquinatenſis, Bitontinus, Vigornienſis, Bellicaſtrenſis, Britonorienſis, Clodienſis, Ioannes Fonſeca Epiſcopus Caſtelli maris, Hiſpanus.

Fuerunt præſentes Illuſtres D.

Caſtel Alto, Capitaneus ciuitatis Tridentinæ, & D. Antonius Queta, Oratores Sereniſſimi Romanorum Regis.

Interfuerunt etiam Generales Ordinum Mendicantium.

Ordinis Minorum, Ordinis Conuentualium, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, Ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo, Ordinis beatæ Mariæ Seruorum, cum multis tum ſecularibus tum Regularibus Doctoribus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, manu propria.

ADMONITIO *atque* HORTATIO *Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ad Patres in* CONCILIO TRIDENTINO, *lecta in prima* SESSIONE.

PATRES Reuerend. &c. Cùm ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta Synodo Præſidentium & Sedis Apoſtolicæ Legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videtur, vt creſcentibus negotiis, quæ in hoc ſacro Conſeſſu ad Dei gloriam & Eccleſiæ vtilitatem ſunt expedienda, ſæpiùs apud vos, cohortandi & commonendi cauſſa, verba faciamus: tum verò in hac prima Seſſione, quæ felix (vt ſperamus) principium ipſi Concilio eſt datura, minimè hoc à nobis prætermittendum duximus. Eò verò libentiùs hoc officio fungimur, quod cùm vos vel hortamur, vt ea faciatis quæ digna tanto Conuentu ſint, vel à contrariis dehortamur, noſmetipſos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quaſi naui vobiſcum ſumus, iiſdemq; periculis, quibus vos, iiſdem tempeſtatibus ſubiicimur. Noſmetipſos (inquam) excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi proculdubiò in hoc curſu

ſu ſeſe offerent ; vel magnitudine negotio-
rum, tamquam fluctuum obrui nos negli-
gentia noſtra patiamur: verũ ſpe & fide ere-
cti, eò nauigationem dirigamus, quò maxi-
mè portus ſalutis ad Dei gloriam in Chriſtò
Ieſu ſeſe oſtendet. Igitur vt ab eo incipia-
mus, de quo maximè in hoc principio ad-
monẽdi omnes ſumus, vnuſquiſq; noſtrûm
ante oculos ſibi in primis proponere debet,
quænam ſint quæ ab hoc ſacro Concilio ex-
ſpectentur: ex quo quiſque facilè intelliget,
quantum ſibi oneris incumbat. Sunt verò ea
(vt omnia ſummatim complectamur) quæ
in Bulla Indictionis Concilij continentur:
nempe hæreſum extirpatio, diſciplinæ Ec-
cleſiaſticæ & morum reformatio, ac tãdem
pax æterna totius Eccleſiæ. Hæc ergo ſunt
quæ nos curare, vel potiùs pro quibus aſſi-
duè orare, vt Dei benignitate fiant, oportet:
atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo
Concilij exordio, omnes & ſingulos qui huc
conuenimus, primùm autem nos ipſos qui
in tam ſancto miniſterio præſidemus, admo-
nendos duximus, ne vmquam cogitemus,
vel per ſingulos qui hîc adſunt, vel per vni-
uerſum Concilium, etiam ſi omnes Paſtores
ex vniuerſo terrarum orbe huc coirent, tan-
tis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt op-
preſſus, prouideri poſſe. Si enim putamus
hoc à nobis perfici poſſe, aut ab alio quàm
ab ipſo Chriſto, quem Deus Pater vnicum
nobis ſeruatorem & paſtorem dedit, cui et-
Matth.28. iam omnem poteſtatem dedit; erramus ſa-
nè in fundamento omnium actionum no-
ſtrarum, & diuinam iram magis prouocabi-
mus. Adiungimus enim ad ſuperiora mala,
quæ propterea nobis acciderũt, quòd ipſum
fontem aquæ viuæ relinquimus, hoc alte-
rum maximum peccatum, quòd noſtra vel
prudentia vel potentia iiſdem malis mederi
velimus: vt meritò de nobis dicatur, quod
Propheta in perſona Dei, veterem populum
Ierem.2. accuſans, dicit: Duo mala fecit populus hic:
me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fo-
derunt ſibi ciſternas non valentes continere
aquas. Tales verò ciſternæ ſunt omnia conſi-
lia, quæ à noſtra prudentia, non afflata Spi-
ritu diuino, proficiſcuntur; quæ non modò
populos in pietate & obedientia, tàmquam
aquam in ciſternis, continere non valent; ſed
quò magis his artibus retinere eos labora-
mus, eò violentiùs tamquam torrentes à no-
bis defluunt & diſcedunt: vt ſuperiorum
annorum experientia multis in locis ſatis
nos docere poteſt, & nunc admonere, vni-
cam tantùm viam medendis his malis reli-
1.Cor.1. ctam, ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe
agnoſcentes, & valere potiùs ad augenda
quam ad tollenda mala: ad Chriſti poten-
tiam, quem dexteram ſuam Deus Pater ap-
pellat; ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapien-
tia Patris, in omnibus nos, qui Patrum per-
ſonam gerimus, fide & ſpe confugiamus;
huius nos in omnibus miniſtros eſſe agno-
ſcamus. Hîc verò quæritur (inquit Apoſto- 1.Cor.4.
lus) inter diſpenſatores, vt fidelis quis inue-
niatur. Hoc autem nunc nobis agendum
eſt, vt miniſtros nos in omnibus idoneos
præbeamus. Erimus verò idonei, ſi nos ex 2.Cor.2.
nobis minimè idoneos eſſe iudicauerimus.
Quis enim (inquit idem Apoſtolus) ad hæc 2.Cor.3.
idoneus? vt qui ne cogitare quidem aliquid
ex nobis, quaſi ex nobis, ſimus ſufficientes.
Verùm hoc fateri non ſatis eſt nobis; hoc di-
cere potuit Apoſtolus; & per hanc portam
ingredi ad obeundum munus ſuum, in eo ſe
miniſtrum fidelem ac idoneum oſtendere;
qui ſimul dicere potuit, de miniſterio ſuo
loquens: Nihil mihi conſcius ſum. Nobis 1.Cor.4.
verò, qui, ſi verum fateri volumus, aliter di-
cere non poſſumus, quin nobis conſcij ſi-
mus, in adminiſtrando munere nobis impo-
ſito in plurimis defeciſſe, & horum etiã ma-
lorum, ad quæ corrigenda vocamur, non
minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis
eſt hîc fateri, ad tantum munus nos impares
eſſe. Quid ergo nobis agendum, vt idonei
hoc tempore Chriſti miniſtri in Eccleſia in-
ſtauranda eſſe poſſimus? Idem prorſus,
quod Chriſtus ipſe Epiſcopus animarum
noſtrarum fecit, cùm venit ad fundandam
& formandam Eccleſiam ſuam. Idem ſanè,
Patres, faciendum erit nobis, quod ipſa Sa-
pientia Patris fecit, cùm venit vt multos fi-
lios in gloriam adduceret: id quod nobis itẽ
propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cùm
oppreſſos peccatis omnes inueniſſet, omnia
omnium peccata in ſeipſum tranſtulit, ſeq;
vnum ante Deum pro omnibus reum &
nocentem conſtituit, ac pœnam nobis de-
bitam ſuſtinuit, tamquam omnia flagitia &
omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe
commiſiſſet, cùm tamen ab omni labe pec-
cati puriſſimus eſſet: quippe qui peccatum 1.Pet.2.
non fecit, neque vmquam inuentus eſt do-
lus in ore eius. Quod verò Chriſtus pro im-
menſa ſua charitate erga Deum Patrem, &
pro miſericordia erga noſtrum genus fecit;
hoc nunc vt ipſi faciamus, iuſtitia ipſa à no-
bis flagitat, vt omniũ horum malorum, qui-
bus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos paſtores
corã tribunali miſericordiæ Dei reos conſti-
tuamus, atque omnium peccata in nos ipſos
non tam piè quàm iuſtè transferentes, quia
reuerà horum malorum magna ex parte nos
cauſa ſumus, diuinam miſericordiam per
Ieſum

Ieſum Chriſtum imploremus. Quòd verò dicimus,nos paſtores his malis, quibus Eccleſia eſt oppreſſa,cauſam dediſſe,ſi quis hoc acriùs,& magis per exaggerationem quamdam verborum, quàm verè dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt,comprobabit. Reſpiciamus ergo paululùm ad ipſa mala, quibus Eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat,quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris, & vſque ad cælum clamant? Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus,quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſcripſit. Sunt verò illa tria quæ ſuprà commemorauimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum atque externũ bellum. Hîc ergo videamus & conſideremus,cùm tam multis annis Eccleſia his calamitatibus vexetur, vndenam ipſa originẽ habuerunt; num illis nos quodammodò principium, num fomentum dederimus? Primùm verò examinemus initium hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt: quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus; tamen cùm peruerſæ de fide ſententiæ, tamquam vepres quædam ſint & ſpinæ, quæ in agro Domini, qui nobis colẽdus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi illæ quidem ſua ſponte, vt ſolent aliquando vitioſæ herbę, pullularunt,tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui nõ ſeminauit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit vt extirparet, non minùs quidẽ principium illis dediſſe dicendus eſt, quàm ſi ipſa ſeminauerit,præſertim cùm hæc omnia à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hîc ergo ſeipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro Domini, conſcientiá ſuam interrogent, quo modo in eo colendo,quo modo in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint,his præſertim tẽporibus, quibus pauciſſimi agro Domini colendo incumbunt, non multùm (credimus) dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in Eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc verò monendi tantùm cauſa dicta,ſatis ſint de his quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus (vt vocant) complectitur. Hîc verò nihil attinet diu inueſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, cùm præter nos ipſos ne nominare quidem vllum alium auctorem poſſimus. Quare ad tertium accedamus,quod impedimenta pacis Eccleſię in ſe continet, qualia ſunt arma vel domeſtica, vel externa: hæc enim iampridem pacem Eccleſiæ perturbarunt,& adhuc perturbant. De quibus hoc tantùm dicimus, ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella eius ſunt,quibus nos affligit;quia duorum priorum capitum rei ſumus,in quibus nos excuſare non poſſumus, etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe negare non poſſumus. Eiuſmodi verò flagella Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, vt nos peccantes caſtiget, & peccata ipſa,quibus Maieſtatem eius maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hîc verò quiſquis aliquando animaduertit, quibus modis Eccleſia armorum violentiâ vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipuè Eccleſia propter ipſa arma detrimentum patiatur. Nec verò hîc refert, de quorum armis loquamur, ſiue de inteſtinis noſtrorum Principum, ſiue de externis Turcarum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt; ſiue de eorum, qui ab obedientia ſuorum Paſtorum deceſſerunt, & ipſos à ſuis ſedibus expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, à ſuis Eccleſiis Paſtores fugarunt, Ordines confuderunt, laicos autem in Epiſcoporum locum ſuffecerunt, Eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediuerunt: hîc,inquam,dicimus,nihil horum eſſe,quod in libro abuſuum Paſtorum, maxima illorum pars qui hoc nomẽ ſibi vendicant,per ſe factum eſſe,ſi legere libuerit,non ſcriptum apertis verbis inueniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram auaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populũ Dei prius affeciſſe ſtatim inueniet,atque harum vi ab Eccleſiis Paſtores fugari, eaſque pabulo verbi priuari,bona Eccleſiarum, quę ſunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis Sacerdotia conferri,& illis,qui nihil à laicis, præterquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt,dari. Quid enim horum eſt,quod negare poſſimus per hos annos à nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem aduerſus nos faciunt, quid hîc aliud quàm flagitia noſtra, & ſimul iuſtum Dei iudicium videmus? Iudicium verò plenum miſericordia. Si enim pro meritis nos caſtigaret, iampridem ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus. Isaiæ 1. Cur verò hęc nunc commemoramus? an vt vos confundamus? abſit; ſed magis, vt vos ceu Patres & fratres chariſſimos, primùm autem noſmetipſos

metipſos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur, flagella & grauiora quæ impendẽt, niſi reſipiſcamus, vitare poſſimus, vt effugiamus tremendum illud Dei iudicium, omnibus quidem non reſipiſcentibus tremendum, maximè verò illis qui præſunt. Iudicium enim graue (inquit Scriptura) his qui præſunt, fiet. Iudiciũ verò incipere nunc vidimus à domo Dei. Dum enim nunc eiiciuntur Sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus; quid aliud hoc indicat, quàm diuinum de nobis iudicium, quod prædixit Chriſtus, cùm diceret Sacerdotes ſuos eſſe ſal terræ: quòd ſi ſal euanuerit, ad nihil valere vltrà, niſi vt eiiciatur foras, & cõculcetur ab hominibus? Hæc verò omnia nos nũc patimur. Quòd ſi propter iuſtitiam, vt noſtri maiores, beati nos quidem; at nunc iuſtè quidem, quia ſal euanuit. Minimè autem propter iuſtitiam patimur: in omnibus enim noſtris afflictionibus videmus iudicium Dei. Atque vtinam quidem illud videremus! hoc enim initium eſſet omnia Dei iudicia & flagella effugiendi, atque in gratiam & veram gloriam ingrediendi. Quæ res fecit, vt in his commemorandis acriores & longiores fuerimus: niſi enim hæc benè cognita & perſpecta fuerint, fruſtrà intramus in Concilium, fruſtrà inuocamus Spiritum ſanctum, qui primum ingreſſum in animam hominis ſemper facere ſolet per ipſius hominis condemnationem, vt condemnet mundum de peccato. Quare niſi ille Spiritus nos apud noſmetipſos primùm condemnauerit, nondum illum ingreſſum eſſe ad nos affirmare poſſumus, ac ne ingreſſurum quidem, ſi peccata noſtra audire recuſamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri per Prophetam Ezechielem eſt dictum, cùm nondum agnitis ſuis ſceleribus, Deum per Prophetam interrogare vellent. Sic autem ait Propheta: Venerunt viri Iſrael ad interrogandum Dominum, & ſederunt coram me. Hæc autem dicit Dominus: Numquid ad interrogandum me veniſtis? Viuo ego, dicit Dominus, quia non reſpondebo vobis. Sequitur autem: Si iudicas eos, abominationes patrum illorum oſtende illis. In quibus verbis oſtendit Deus, quare noluerit reſpondere illis, quia nondum ſcilicet abominationes ſuas & patrum ſuorum audierant. Quare cùm idem Dei Spiritus ſit, qui tum dabat reſponſa, & quem nunc nos ſedentes coram Domino inuocamus: quid nobis faciendum ſit, vt propria reſponſa habeamus, ex his videtis; & ſimul quàm neceſſariò nos, qui præſidemus in hoc ſacro Conſeſſu, à detegendis noſtris peccatis ſermonis exordium vobiſcum duximus. Quia

Sap. 5. 1. Petr. 4. Matth. 5. Ezech. 20.

verò nonnullos nunc videmus, ſua primùm peccata & noſtri Ordinis grauiter deflentes, atque Dei miſericordiam omnibus votis implorantes, ideò quidem in maxima ſpe ſumus, aduenisse, quem inuocamus, Dei Spiritum. Hoc nos verò maximum pignus diuinæ miſericordiæ habemus, nempe ipſam hanc inchoationem Concilij, in quo nunc conuenimus ad erigendam & inſtaurandam pænè collapſam Eccleſiam, vt vetus populus, poſt diuturnam captiuitatem apud externos Reges, rediit Ieroſolymam ad inſtaurandum templum. In illius verò populi ſtatu, in illorum læta ad patriam profectione, & templi inſtauratione, noſtri quidem temporis & noſtri ſtatus, in hoc præſertim Concilio, imaginem intueri poſſumus: & in Ducum eiuſdem populi exemplo, veſtrum, qui duces eſtis populo Dei ad cæleſtem patriam contendenti, officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, vt ſæpiùs ad memoriam reuocetis, quæ in Eſdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris ſunt ſcripta; in quibus conſilia omnium Ducum populi explicantur, quæ hunc vnum ſemper ſcopum habuerunt, vt ſua & populi atque Patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam & implorationem diuinæ miſericordiæ omnes excitarent. Quod cùm populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter ſucceſſere. Eadem verò conſilia nobis, ſi felicem ſucceſſum & exitum expectare volumus in inſtauranda Eccleſia, ob quam cauſam læti huc in ſpiritu conuenimus, ſequenda erunt: atque eò quidem magis, quò etiam maiora nobis certamina impendent inſtauraturis Eccleſiam, quàm illis inſtauraturis templum. Si enim illis multi, quò minùs id perficeretur, ſe oppoſuere; ſi multi etiam, cùm opus impedire non poſſent, eos irriſerunt: hoc quidem ſic habetote, nobis nec irriſores defuturos, nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deterreant & auocent. Habebimus verò non modò colluctationem cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitiis in cæleſtibus. Verùm his omnibus potentior eſt is, in cuius nomine hoc opus ſumus aggreſſi. Quare in eo confidamus, ipſum precibus inuocemus, & ipſe omnia perficiet. Quia verò hoc Concilium cùm deliberantium tum verò iudicantium ſpeciem refert, in quo & deliberatur de iis quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ bonum pertinent, & etiam iudicatur tam de rebus quàm de perſonis, (ſedemus enim tamquã iudicantes duodecim tribus Iſrael, quibus comprehenditur vniuerſus populus Dei:) ideò maximè locus videtur nos ipſos admonendi, vt caueamus ab his, quæ vel con-

Eph. 6.

conſultandi vel iudicandi vim in nobis deprauare ſolent. Hæc verò ſunt ipſæ animi paſſiones: quæ ideò etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus iudicium & ſenſum perturbant ac peruertunt. In quibus maxime illa ſunt cauenda, quæ rectè monet Ethnicus ille in conſiliis abiicienda, cùm dicit, omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe debere. Nam cùm in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum verò ij maximè, qui Principibus ſeruiũt (tales enim vehementiores habẽt affectiones:) facillimè autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium, prout ſcilicet ipſos exiſtimant Principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectãt. Cùm verò de Principibus loquimur, tam de his qui Eccleſiaſtici vocantur, quàm qui ſæculares, loquimur. Ac licet quidem nos Principes Chriſtianos habere agnoſcamus & gaudeamus, id quod in veteri & iam recens fundata Eccleſia Patres noſtri non habuerunt: tamen ante omnia nobis in hoc Concilio ſemper eſt animaduertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto Ieſu, atque illum ſolum iuſtificandi; omne autem genus hominum condemnandi, primùm verò nos ipſos, qui hæc loquimur, vt cum Daniele dicamus: Nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in lege eius, quam poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. Et omnis Iſrael præuaricati ſunt legem tuam & declinauerunt, ne audirent vocem tuam: & ſtillauit ſuper nos maledictio & deteſtatio. Hic verò nunc locus eſſet, vt eiuſdem Prophetæ exemplum ſequentes, cuius verba modò recitauimus, non ſolùm noſtra qui Sacerdotes ſumus, ſed populi, ſed Principum, coram Deo & Eccleſia eius, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic verò dicit Daniel: Cumq; adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei: nomine populi hoc loco omnium ordinum perſonas complectens, vt eius cõfeſſio, quam modò recitauimus, declarat. Qua in re, quid nobis, qui pro ſalute vniuerſæ Eccleſiæ tantis malis oppreſſæ, huc conuenimus, faciendum ſit, ſatis indicare videtur: nimirum, vt noſtra, & ſimul Principum ac populi peccata flentes confiteamur. Id quod planè in ſpiritu mœroris ſatis nunc abundè facimus, verbis verò vberiùs faceremus, ſi ipſi Principes adeſſent, qui ſuam nobiſcum confeſſionem & lacrymas coniungerent. Eiuſmodi verò quaſi funiculis peccatorum, vt Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum atque ipſius populi peccata ſunt colligata, vt difficile ſit de vnius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum ſimul ordinum peccata appareant. Sic verò omnes ordines vna rationis ſerie accuſans, in veteri populo dicit Ezechiel in perſona Dei: Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam. Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam. Hæc ille. Quæ vtinam ad illa ſolùm tempora pertinerent, ac non noſtri quoque temporis imaginem referrent! Vtinam, cùm de corruptela morum Sacerdotum loquimur, huic maximam occaſionẽ, maximam materiam & auctoritatem ipſos Principes, atque ipſum populum dediſſe negare poſſemus! Sed reprimamus nunc verba vſque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lacrymarum aperiamus. Redeamus verò ad eos, quos cœpimus admonendos, præſertim Epiſcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic verò illos admonemus, vt omni, qua poſſunt, fide & diligentia ſuis Principibus ſeruiant: verùm vt Epiſcopos decet, ſic illis ſeruiant vt ſerui Dei, non vt ſerui hominum. Nolite, inquit Apoſtolus, ſerui hominum eſſe. Primùm verò ſeruiant vni Regi Chriſto, cui Deus Pater omnem poteſtatem dedit: deinde verò propter eum omnibus, maximè autem Principibus: cui honorem, honorem; cui tributum, tributum. Hortamur autem, vt Principibus ſeruiant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipſis præ ſe ferunt: in quibus nihil ferè, niſi honorificum, & ad publicam vtilitatem ſpectans, proponitur. Sic verò in ſumma ſeruiant, vt eorum officium in primis ſpectet ad honorem Dei, & vtilitatem huius Concilij, quod propter publicum bonum eſt conuocatum. Quare vt ab hoc maximè dehortamur omnes, qui hîc ſententias coram Deo & Angelis eius, atque coram vniuerſa Eccleſia ſumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicuius loquamur: ſic etiam multò magis, ne ad odium cuiuſquam ſententiam proferamus, etiam ſi contra nos aduerſarij, vel inimici & hoſtis perſonam gerat: denique vt ab omni inter nos contentione abſtineamus, maximè optamus, & in Domino hortamur. Hæ enim ſunt, quæ contriſtant & repellunt quem inuocamus Spiritum ſanctum, ſine quo

Cæſaris in Catil. verba. Dan. 9. Ibid. Ezech. 22. 1. Cor. 7. Rom. 13.

quo nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem Eccleſiæ cedat. Cùm enim (inquit Apoſtolus) ſint inter vos contentiones, nónne homines eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Cùm verò homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem quæ ad reformationem Eccleſiæ pertinent, ob quam cauſam conuenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primùm formauit: de quo hoc ipſum opus ingrediente, ſic in perſona Dei Propheta loquitur: Ecce ſeruus meus, quem elegi: dilectus meus, in quo benè complacui animæ meæ, dedi ſpiritum meum ſuper eum: iudicium gentibus nuntiabit: non contendet, neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & linũ fumigans non extinguet. Hunc verò ſpiritum pacis, charitatis & manſuetudinis, cùm ſemper apud omnes & cum omnibus oſtẽdere debeamus, tum verò maximè in hoc ſacro Conſeſſu, in quo conuenimus, vt per gratiam ipſius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Eccleſiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare ne ipſi vllam contentionis anſam alicui demus, qui pacificorum perſonam gerimus, maximè eſt cauendum. Hoc verò & cetera omnia incommoda & impendimenta pacis vnico modo euitabimus, atque ad optatum pacis portum perueniemus, ſi precibus ab humili & contrito corde profectis, ipſum Chriſti Spiritum, qui eſt pax noſtra, inuocauerimus: vt in hoc Concilio præſideat, vt lucem cordibus noſtris infundat, vtque nos in omnibus ad ipſius honorem, & veram Eccleſię vtilitatem regat & dirigat. Ad tales enim ipſe dicit: Adhuc te loquente, ecce adſum. Quare vt huiuſmodi orationibus aſſiduè incumbamus, quanta poſſumus charitate vos in Domino hortamur, vt vno ore atque vno ſpiritu Deum Patrem in Chriſto Ieſu glorificemus, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Amen.

1. Cor. 3. Iſai. 42. Epheſ. 2. Iſa. 65.

SESSIO SECVNDA,

celebrata die 7. menſis Ianuarij, anno 1546.

ANNO à Natiuitate Domini 1546. Indictione 4. die Iouis, 7. menſis Ianuarij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ III. anno duodecimo, Reuerendus Pater D. Epiſcopus Caſtellimaris celebrauit Miſſam de Spiritu ſancto in Eccleſia Cathedrali & in loco Seſſionis. Qua finita, Reuerendus Pater dominus Epiſcopus S. Marci habuit Orationem. Deinde Reuerend. Cardinales & alij Prælati acceperunt pluuialia & mitras, fueruntque cantatæ Litaniæ. Poſteà Reuer. Cardinalis de Monte benedixit Synodum, & fuerunt factæ cærimoniæ in Seſſionibus publicis fieri ſolitæ. Deinde Reuerendus pater D. Epiſcopus Caſtellimaris legit Decretum. Quo lecto, interrogauit Patres, vtrùm hæc placerent: qui reſponderunt, Placent, cum aliquibus additionibus, per aliquos ex Patribus additis. Deinde interrogauit eos: Placet, quòd proxima Seſſio fiat 4. Februarij proximè futura? Qui reſponderunt: Placet.

Sequuntur nomina PRAELATORVM, *qui interfuerunt huic* SESSIONI, *& in primis* Antedicti Legati.

ARCHIEPISCOPI,

Aquenſis, Vpſalenſis, Panormitanus, Armacanus.

EPISCOPI,

Hipporegienſis, Cauenſis, Feltrenſis, Gienenſis, nunc Cardinalis; Placentinus, Foroiulienſis, Claramontanus, Feſulanus, Caputaquenſis, Sancti Marci, Soranus, Motulenſis, Stabinenſis, Sidonienſis, Termularum, Agathenſis, Lancianenſis, Syracuſanus, Vigornienſis, Bitontinus, Bellicaſtrenſis, Pacenſis, Aſtoricenſis, Britonoriẽſis, Aquinatenſis, Clodienſis, Canarienſis, Caſtellimaris.

Oratores Regis Romanorum, Caſtel alto, & Antonius de Queta.

Tres Abbates Ordinis ſancti Benedicti.

Generales Ordinum Mendicantium, Minoris Obſeruantium & alter Conuentualium, Eremitarum ſancti Auguſtini, Generalis Ordinis Carmelitarum, & ſanctæ Mariæ Seruorum. Et Claudius Iayus Sabaudus, & Presbyter reformatus, Procurator C.D.C. Auguſtienſis, & plures Barones.

DECRETVM SECVNDAE SESSIONIS.

De modo viuendi, & aliis in Concilio ſeruandis.

SAcroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, agnoſcens cum beato Iacobo Apoſtolo, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, Iacob. 1.

num, qui iis, qui poſtulant à ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis: & ſimul ſciens, quòd initium ſapientiæ eſt timor Domini: ſtatuit, & decreuit, omnes & ſingulos Chriſti fideles, in ciuitate Tridentina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, vt ſe à malis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpiùs confiteri, Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, Eccleſias frequentare, præcepta denique Dominica (quantum quiſq; poterit) adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Chriſtianorum ac vnitate Eccleſiæ priuatim orare velint: Epiſcopos verò, & quoſcumque alios in Ordine Sacerdotali cõſtitutos, Oecumenicum Concilium in ea ciuitate concelebrantes, vt aſſiduè Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, Sacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico (in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit) peragere ſatagant: facientes, ſicut idem Spiritus ſanctus per Apoſtolum præcipit, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro ſanctiſſimo D.N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & ceteris qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ac pro omnibus hominibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, vt ieiunent ſaltem ſingulis ſextis Feriis in memoriam paſſionis Domini, eleëmoſynas pauperibus erogent: in Eccleſia autem Cathedrali ſingulis quintis Feriis celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cum Litaniis & aliis Orationibus ad hoc inſtitutis. In aliis verò Eccleſiis eadem die dicantur ad minus Litaniæ & Orationes. Tempore autem quo Sacra peragentur, collocutiones & confabulationes non fiant, ſed ore & animo Celebranti aſſiſtatur.

Eccli. 1. Pſal. 110. Act. 4. 1. Tim. 2.

1. Tim. 3. Et quoniam oportet Epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ benè præpoſitos; hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in menſa ſeruet ſobrietatem moderationemq; ciborum: Tit. 1. deinde cùm in eo loco ſæpè otioſi ſermones oriri ſoleant, vt in ipſorum Epiſcoporum menſis diuinarum Scripturarum lectio admiſceatur. Familiares verò ſuos vnuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in veſtitu & in cultu & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei.

Ad hæc, cùm huius ſacroſancti Concilij præcipua cura, ſollicitudo & intentio ſit, vt propulſatis hæreſum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram Catholicæ veritatis, lux, Ieſu Chriſto, Ioan. 1. qui vera lux eſt, annuente, candor puritaſque refulgeat, & ea quę reformatione egent, reformentur; ipſa Synodus hortatur omnes Catholicos hîc congregatos & congregandos, atque eos præſertim, qui Sacrarum litterarum peritiam habent, vt ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitent, quibus potiſſimùm viis & modis ipſius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum ſortiri poſſit, quò maturiùs & conſultiùs damnari dãnanda, & probanda probari queant, vt per totum orbem omnes vno ore, & eadem fidei confeſſione glorificent Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. In ſententiis verò dicendis, iuxta Toletani Concilij ſtatutum, in loco Tolet. 11. Can. 1. benedictionis conſidentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare, nullus etiam falſis vaniſve aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

Inſuper ipſa ſacra Synodus ſtatuit & decre-

cundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli, ſcilicet, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duę: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: Iudæ Apoſtoli vna: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.

Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus, poſt iactum fidei Confeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimùm teſtimoniis ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit vſura.

DECRETVM *de editione & vſu* SACRORVM LIBRORVM.

INSVPER eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſię Déi, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quęnam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illá reiicere quouis prætextu audeat vel præſumat. Prætereà, ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarũ, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Iure ſtatutis puniantur.

Sed & impreſſoribus modum in hac parte, vt par eſt, imponere volens, qui iam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quidquid libet, ſine licentia Superiorum Eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ Scripturæ libros, & ſuper illis Annotationes & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpè tacito, ſæpè etiã ementito prælo, & quod grauius eſt, ſine nomine Auctoris imprimunt; alibi etiam impreſſos libros huiuſmodi temerè venales habent; decernit & ſtatuit, vt poſthac ſacra Scriptura, potiſſimùm verò hæc ipſa vetus & Vulgata editio quàm emendatiſſimè imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis & pecuniæ, in Canone Concilij nouiſſimi Lateranenſis appoſita. Et ſi Regulares fuerint, vltra examinationem & probationem huiuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum Ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel euulgant, niſi anteà examinati probatiq; fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus impreſſores. Et qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideò in fronte libri, vel ſcripti vel impreſſi authenticè appareat; idque totum, hoc eſt, & probatio & examen, gratis fiat, vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Seſſ. 10. De impreſſ. libr.

Poſt hæc temeritatem illam reprimere

mere volens, qua ad profana quæq; cõuertuntur & torquentur verba & ſententiæ ſacræ Scripturæ, ad ſcurrila ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos; mandat & pręcipit, ad tollendam huiuſmodi irreuerentiam & contemptum, ne de cetero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ ſacræ ad hæc & ſimilia audeat vſurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, Iuris & arbitrij pœnis per Epiſcopos coërceantur.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

ITEM hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decernit, proximam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

SESSIO QVINTA.

ANNO à Natiuitate Domini 1546. Indictione quarta, die verò Iouis, decima ſeptima menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N. D.Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij anno 12. præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Reuerendus Pater Dominus Alexander de Picolominibus Senenſis, Epiſcopus Pientinus in Tuſcia, celebrauit Miſſam de ſancto Spiritu in Cathedrali Eccleſia & loco Seſſionis. Deinde Magiſter Marcus Laurens Calaber, Frater Ordinis Prædicatorum, habuit Orationem. Qua finita, Reuerendiſſimi Cardinales & alij Prælati acceperunt pluuialia & mitras: fueruntque factæ cærimoniæ in aliis Seſſionibus fieri ſolitæ; lectum fuit etiam Decretum.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

ITEM hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decreuit, primam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Iouis, Feria 5. poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli.

Nomina, cognomina, & patria PRÆLATORVM, *qui interfuerunt quinta* SESSIONI.

PRÆSIDENTES ET LEGATI,

R. & Illuſtriſſimus D.D. Ioannes Maria, Epiſcopus Præneſtinus, de Monte, Aretinus.

R. & Illuſtriſſimus D.D. Marcellus tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbyter, Ceruinus, Politianus.

R. & Illuſtriſſ. D.D. Reginaldus, ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diacon. Polus, Anglicus.

Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri Concilij Præſidentęs, Apoſtolici de latere Legati.

CARDINALES,

R. & Illuſtriſſ. D.D. Petrus Pacecus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Gienen. Hiſpanus.

ORATORES,

Illuſtriſſimus D. Don Didacus Hurtadus de Mendoza, Hiſpanus.

Illuſt. D. Don Franciſcus à Toleto, Hiſpanus, Oratores & Procuratores Inuictiſſimi D. Domini Caroli Quinti Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum, &c. Regis.

ARCHIEPISCOPI,

R.D. Antonius Filholi, Archiepiſcopus Aquenſis, Gallus.

R.D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc. Turitanus, Hiſpanus.

R.D. Cauchus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.

R.D. Franciſcus Bandineus, Archiepiſcopus Senen. Senenſis.

R.D. Ioannes Michaël Sarracenus, Archiepiſcopus Materanus & Acheruntinus, Neapolitanus.

R.D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſcopus Parienſis & Naxienſis, Græcus.

R. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

R. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

R.D. Robertus VVaucop, Archiepiſcopus Armachan. Scotus.

EPISCOPI,

R.D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Saonenſis.

R.D.

lis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis: ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterùm venturus eſt cum gloria, iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & viuificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicā Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

EADEM ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, intelligens, multos Prælatos ex diuerſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe quò huc veniant; cogitanſque omnia ab ipſa ſacra Synodo decernenda, eò maioris apud omnes exiſtimationis & honoris videri poſſe, quò maiori fuerint & pleniori Patrum Concilio & præſentia ſancita & corroborata: ſtatuit & decreuit, futuram Seſſionem poſt pręſentem, celebrandam eſſe die Iouis, quæ ſubſequetur Dominicam Lętare proximè futuram: interim tamen non differri diſcuſſionem & examinationem eorum, quæ ipſi Synodo diſcutienda & examinanda videbuntur.

SESSIO QVARTA.

ANNO à Natiuitate Domini 1546. Indictione quarta, die verò Iouis, octaua menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N.D. Pauli, diuina prouidentia Papæ III. anno 12. præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, R.P.D. Saluator Alexius Archiepiſcopus Turritanenſis celebrauit Miſſam de ſancto Spiritu in Eccleſia Cathedrali, & loco Seſſionis. Deinde Generalis Seruorum habuit Orationem. Qua finita, RR. Cardināles & Prælati, acceperūt pluuialia & mitras, & Cantores inceperunt cantare Antiphonam, Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Qua finita, Diaconus clamauit, Orate: quo dicto, omnes Prælati flexerunt genua, & orarunt. Deinde Subdiaconus clamauit, Erigite. Tunc R. de Monte, primus Præſidens, dixit hanc Orationem: Adſumus Domine ſancte Spiritus. Qua finita, idem Diaconus dixit iterùm, Orate: & paulò pòſt dixit, Erigite. Deinde idem Præſidens dixit hanc Orationem: Mentibus noſtris, quæſumus Domine, adſpirando, &c. Quibus peractis, Cantores inceperunt Litanias: & cùm venerunt ad illum locum, Vt Domnum Apoſtolicum, Præſidentes, qui flexis genibus erant, ſurrexerunt, & R. Cardinalis de Monte primus Præſidens, vertit ſe ad Congregationem, dans benedictionem, & dixit: Vt hanc ſanctam Synodū, &c. Cantores reſponderunt, Te rogamus audi nos. Completis verò Litaniis, Diaconus dixit, Flectamus genua: & Subdiaconus reſpōdit, Erigite. Deinde idem R. Præſidens dixit hanc Orationem: Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, vt Spiritu ſancto congregata. Quibus peractis, Diaconus cantauit Euangelium, Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7. Quo finito, præfatus Reuerendiſſimus Præſidens incepit Hymnum, Veni creator Spiritus. Quo finito, idem R. Præſidens dixit hanc Orationem, Deus qui corda. Deinde præfatus Dominus Archiepiſcopus legit Decretum, & quæſiuit ex Patribus, vtrùm hæc placerent. Qui omnes reſponderunt, Placet, cum aliquibus additionibus. Poſtremò, vtrùm placeret, quòd prima futura Seſſio celebraretur die Iouis poſt feſtum Pentecoſtes: qui reſponderunt, Placet.

Digitized by Google

quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbiq; diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Niſi enim
Ioan. 3. quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi aut non imputari; anathema ſit. In
Rom. 6. renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem: qui non ſecundùm carnem
Epheſ. 4. ambulant, ſed veterem hominẽ exuentes, & nouum induentes, qui ſecũdùm
Col. 3. Deum creatus eſt innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, effe-
Rom. 8. cti ſunt heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur ac ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus, non valet: quinimmò,
2. Tim. 2. qui legitimè certauerit, coronabitur.
Rom. 7. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

Declarat tamen hęc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem, ſed obſeruandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti, ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innouat.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

CAP. I.

EADEM ſacroſancta Synodus, piis Summorum Pontificum & probatorum Conciliorum Conſtitutionibus inhærens, eaſque amplectens, & illis adiiciens, ne cęleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, ſtatuit & decreuit, quòd in illis Eccleſiis, in quibus Præbenda, aut pręſtimonium, ſeu aliud quouis nomine nuncupatum ſtipendium, pro Lectoribus ſacræ Theologię deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, eos qui Præbendam, aut pręſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem & interpretationem per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab ipſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. De cetero verò Præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium huiuſmodi non niſi perſonis idoneis, & quæ per ſeipſos id munus explicare poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio nulla ſit & inualida.

In Eccleſiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſi ciuitas inſignis vel populoſa, ac etiam in Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, nullius Diœceſis, ſi ibi Clerus numeroſus fuerit, vbi nulla Præbenda, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi deputatum reperitur; Pręebenda quomodo-

modocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non ſit, ad eum vſum ipſo facto perpetuò conſtituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipſis Eccleſiis nulla vel non ſufficiens Præbenda foret, Metropolitanus, vel Epiſcopus ipſe per aſſignationem fructuum alicuius ſimplicis Beneficij, eiuſdem tamen debitis ſupportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum ſuę ciuitatis & Diœceſis, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, de Capituli conſilio ita prouideat, vt ipſa ſacræ Scripturæ Lectio habeatur; ita tamen, vt quæcumque aliæ Lectiones, vel conſuetudine, vel quauis alia ratione inſtitutæ, propter id minimè prætermittantur.

Eccleſiæ verò, quarum annui prouentus tenues fuerint, & vbi tam exigua eſt Cleri & populi multitudo, vt Theologiæ Lectio in eis cõmodè haberi non poſſit; ſaltem Magiſtrum habeant ab Epiſcopo cum conſilio Capituli eligendum, qui Clericos alióſque ſcholares pauperes Grammaticam gratis doceat, vt deinceps ad ipſa ſacræ Scripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint. Ideóque illi Magiſtro Grammatices, vel alicuius ſimplicis Beneficij fructus, quos tamdiu percipiat quamdiu docendo perſtiterit, aſſignentur; dum tamen Beneficium ipſum ſuo debito non fraudetur obſequio; vel ex Capitulari vel Epiſcopali menſa condigna aliqua merces perſoluatur; vel aliàs Epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat ſuæ Eccleſię & Diœceſi accommodã, ne pia hæc, vtilis atque fructuoſa prouiſio quouis quæſito colore negligatur.

In Monaſteriis quoque Monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam Lectio ſacrę Scripturæ habeatur: qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum, in hoc vt Sedis Apoſtolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ Scripturæ Lectio ſimiliter habeatur: quæ Lectio à Capitulis Generalibus vel Prouincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris.

In Gymnaſiis etiam publicis, vbi tam honorifica, & cęterorum omnium maximè neceſſaria Lectio hactenus inſtituta non fuerit, religioſiſſimorũ Principum ac Rerumpublicarum pietate & charitate, ad Catholicæ fidei defenſionem & incrementum, ſanæque doctrinæ conſeruationem & propagationem, inſtituatur: & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur.

Et ne ſub ſpecie pietatis impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem ſancta Synodus, neminem ad huiuſmodi Lectionis officium tam publicè quàm priuatim admittendum eſſe, qui priùs ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de Lectoribus in clauſtris Monachorum non intelligatur.

Docentes verò ipſam ſacram Scripturam, dum publicè in ſcholis docuerint, & Scholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, priuilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum in abſentia, à Iure communi conceſſis, plenè gaudeant & fruantur.

CAPVT II.

QVIA verò Chriſtianæ Reipublicæ non minùs neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quàm lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus: ſtatuit & decreuit eadem ſancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.

Si verò contigerit, Epiſcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam Generalis Concilij, viros idoneos aſſumere teneantur, ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc

Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 10.

R.D.Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.
R.D.Robertus de Croy, Epiſc.Cameraceen. Germanus.
R.D.Ioannes Thomas de ſancto Felicio, Epiſcopus Cauen. Neapolitanus.
R. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononien.
R.D.Benedictus de Nobilibus,Epiſcopus Acien. Lucenſis.
R.D.Quintius de Ruſticis,Epiſcop. Militen. Roman.
R. D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.
R.D Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.
R.D.Antonius de Numai,Epiſc.Iſernien. Foroliuien.
R.D.Hieronymus Theodolis, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.
R.D.Ioannes Lucius Staphyleus,Epiſcopus Sibinicen. Illyricus.
R.D.Alexander Picolomineus,Epiſcopus Pientin. Senen.
R.D.Guilhelmus à Prato, Epiſc. Claramont. Gallus.
R.D. Dionyſius Epiſcopus Chironenſis & Milopotamen. Græcus.
R.D.Marcus Aligerius de Columna, Epiſc.Reatin. Reatin.
R.D.Braccius Martellus, Epiſc. Fæſularum. Florentin.
R.D.Coriolanus Martyranus, Epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.
R.D. Henricus Loffredus, Epiſc. Caputaquen. Neapolitanus.
R.D.Baptiſta Campegius, Epiſc. Maioricen. Bononien.
R.D.Hieronymus Vida, Epiſc. Albenſis, Cremonenſis.
R.D.Eliſęus Theodinus,Epiſcopus Soranus, Arpinas.
R.D.Iacobus Corteſius à Prato,Epiſc.Vaſionen. Roman.
R. D.Balthaſar de Hæredia, Epiſc. Boſſanen. Sardus.
R.D.Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmatus.
R.D.Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris, Hiſpanus.
R.D.Petrus Bertanus,Epiſc.Fanen. Mutinen.
R.D.Ludouicus Simonetta, Epiſc. Piſaurien. Mediolanenſis.
R.D.Aloyſius Lipomanus,Epiſc. Mothonen.Coadiutor Veronen. Venetus.
R.D. Vircentius de Durantibus, Epiſcopus Thermul. Brixien.

R.D. Andreas Centanus, Epiſc. Nemaſien. Venetus.
R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennatenſis.
R.D.Claudius de la Guiſche, Epiſc. Agathen. Gallus.
R.D.Ioannes de Salazar, de Burgo, Epiſcopus Lancianen. Hiſpanus.
R.D.Fabius Mignanellus,Epiſc.Lucerin. Senen.
R.D.Hieronymus de Bononia,Epiſcopus Syracuſan. Siculus.
R.D. Ægidius Falſetta, Epiſc. Caprulan. Cingulan.
R.D.Richardus Patus,Epiſc. VVigornien. Anglicus.
R.D.Cornelius Muſſus, Epiſc. Bitontin. Placentin.
R.D.Iacobus Iacobellus, Epiſc. Bellicaſtren. Romanus.
R.D.Franciſcus de Nauarra,Epiſc.Pacen. Hiſpanus.
R.D.Didacus de Alaua, Epiſc. Aſtoricen. Hiſpanus.
R.D.Thomas Caſellus,Epiſcop.Britonorien. Roſſanen.
R.D.Iulius Contarenus, Epiſc.Bellunen. Venetus.
R.D.Galeatius Florimontius,Epiſc.Aquinaten. Sueſſan.
R.D.Petrus de Auguſtinis, Epiſc. Oſcen. Hiſpanus.
R.D.Bernardus Diaz,Epiſc.Calagurritan. Hiſpanus.
R.D.Gregorius Caſtagnola,Epiſc.Mylen. Græcus.
R.D.Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarien. Hiſpanus.

PROCVRATORES,

R.D. Claudius Iayus, Procurator Reuerédiſſimi & Illuſtriſſ. D.D.Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopi Auguſten. Sabaudienſis.
R.D.Ambroſius Pelargus, Ordinis Prædicatorum, Procurator Reuerendiſſimi D.D. Archiepiſcopi Treuerenſis, Sacri Imperij Electoris, Germanus.

ABBATES,

R. D. Iſidorus Clarius, Abbas Pontidæ Bergomen. Brixien.
R.D.Chryſoſtomus Gimilianenſis, Abbas ſanctæ Trinitatis de Caieta, Calaber.

GENERALES ORDINVM,

R.D.Hieronymus Seripandus, Generalis Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini,Neapolitan.

hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarũ habentes, Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum breuitate & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiam ſi ab Epiſcopi iuriſdictione quauis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiam ſi Eccleſiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio, etiam extra Diœceſim exiſtenti, forſan annexæ vel vnitæ, modò reipſa in Diœceſi ſint, prouida paſtoralis Epiſcoporũ ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaq; vbi ab Epiſcopo moniti trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu aliàs ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita vt etiam, ſi ſic ei expedire viſum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat.

Thren.4.

Si quæ verò Parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubiectæ Monaſteriis in nulla Diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorum Prouinciis Diœceſes ipſę ſitæ ſunt, tamquam, quo ad hoc, Sedis Apoſtolicę Delegatis, compellantur. Neque huius Decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſiue recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti Iudice, qui ſummariè, & ſola facti veritate inſpecta procedat, cognitum & deciſum fuerit.

Regulares verò cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Si verò (quod abſit) prædicator errores aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiam ſi in Monaſterio ſui vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quòd ſi hæreſes prędicauerit, cõtra eum ſecundùm Iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiam ſi prędicator ipſe generali vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet: quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tamquam Sedis Apoſtolicę Delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis prædicator vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur, iuſtámve de eis conquerendi occaſionem habeat.

Caueant prætereà Epiſcopi, ne aliquem vel eorum, qui cùm ſint nomine Regulares, extra Clauſtra tamen & obedientiam Religionum ſuarum viuunt, vel Presbyterorum ſæcularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu, in ſua ciuitate vel Diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re ſancta Sedes Apoſtolica conſulatur: à qua priuilegia huiuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio, ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.

Quæſtores verò eleemoſynarij, qui etiam

etiam Quæſtuarij vulgò dicuntur, cuiuſcumque conditionis exiſtant, nullo modo nec per ſe nec per alium prædicare præſumant: & contrà facientes ab Epiſcopis & Ordinariis locorũ, priuilegiis quibuſcumq; non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decernit, primam futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Iouis, Feria 5. poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli.

Præfatæ Seſſioni interfuerunt Cardinales, quatuor, Archiepiſcopi nouem, & Epiſcopi quinquaginta, Abbates Ordinis ſancti Benedicti duo, Generales duo Ordinum Mendicantium.

Prorogata deinde fuit Seſſio ad diem 13. menſis Ianuarij 1547.

SESSIO SEXTA.

In nomine Domini Iesv Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Domini 1547. Indictione 5. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto P. & D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, anno tertiodecimo, die verò Iouis decimatertia menſis Ianuarij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali, in loco eminentiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & Seſſiones habendas deputato, celebrata eſt ſexta publica Seſſio ſacroſancti Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini, præſidentibus in ea nomine eiuſdem ſanctiſſimi D. N. Papæ, Reuerendiſſimis Patribus & Illuſtriſſimis DD. Ioanne Maria de Monte Epiſcopo Prænestino, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis. In qua quidem Seſſione, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto per R. P. D. Archiepiſcopum Spalatren. & habita Oratione per Reuerendum P. D. Epiſcopum Salpenſem, necnon peractis per R. & Illuſtriſſimum Cardinalem de Monte præfatum ſolitis cærimoniis, publicatum eſt Decretum de Iuſtificatione, tenoris infraſcripti.

DECRETVM DE IVSTIFICATIONE.

PROOEMIVM.

Cvm hoc tempore, non ſine multarum animarum iactura, & graui Eccleſiaſticæ vnitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de Iuſtificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & animarum ſalutem, ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, Reuerendiſſimis Dominis, DD. Ioanne Maria de Monte Epiſcopo Pręneſtino, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis, exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamque doctrinam ipſius Iuſtificationis, quam ſol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, fidei noſtræ auctor & conſummator, docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerẽte, perpetuò retinuit; diſtrictiùs inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prędicare, aut docere, quàm præſenti Decreto ſtatuitur ac declaratur.

De natura & legis ad iuſtificandos homines imbecillitate.

CAPVT I.

Primvm declarat ſancta Synodus, ad Iuſtificationis doctrinam probè & ſincerè intelligendã, oportere vt vnuſquiſque agnoſcat & fateatur, quòd cùm omnes homines in pręuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi &, vt Apoſtolus inquit, naturâ filij iræ, quemadmodum in Decreto de peccato originali expoſuit, vſque adeò ſerui erant peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, vt non modò Gentes per vim

Rom. 5. 1. Cor. 15. Ephe. 2. Sup. Seſſ. 5. in princ.

vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam Legis Moyſi inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum.

De diſpenſatione & myſterio aduentus Chriſti.

CAPVT II.

1. Cor. 1. Gen. 40. Pſal. 88. tum ſimil. QVO factum eſt, vt cæleſtis Pater, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum Filium ſuum, & ante Legem, & Legis tẽpore multis ſanctis Patribus declaratum ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miſerit; vt & Iudæos, qui ſub Lege erãt, redimeret; & Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiã apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris: non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

Gal. 4.

Rom. 9.

1. Ioan. 2.

Qui per Chriſtum iuſtificantur.

CAPVT III.

VERVM, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; ſed ij dumtaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam ſicut reuerà homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cùm ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, numquam iuſtificarentur, cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia, qua iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum.

Coloſſ. 1.

Inſinuatur deſcriptio Iuſtificationis impij, & modus eius, in ſtatu gratiæ.

CAPVT IV.

QVIBVS verbis Iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: quæ quidem tranſlatio, poſt Euãgelium promulgatũ, ſine Lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. 1. Cor. 15. Galat. 4. Tit. 3. Ioan. 3.

De neceſſitate præparationis ad Iuſtificationem in adultis, & vnde ſit.

CAPVT V.

DECLARAT præterea, ipſius Iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in Sacris literis cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur; cùm reſpondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratiâ præueniri confitemur. Zach. 1. Thren. 5.

Modus præparationis.

CAPVT VI.

DIſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa

miſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandã Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata. De hac

Hebr. 11. diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.

Matth. 9. &, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Eccli. 1. &, Timor Domini expellit peccatum.

Act. 2. &, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donũ Spiritus ſancti.

Matth. 28. &, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis.

1. Reg. 7. denique, Præparate corda veſtra Domino.

Quid ſit Iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ.

CAP. VII.

HANC diſpoſitionem, ſeu præparationem Iuſtificatio ipſa conſequitur, quę non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico

Tit. 3. amicus, vt ſit heres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Huius Iuſtificationis cauſæ ſunt: finalis quidem, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna; efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuitò abluit &

Eph. 1. ſanctificat, ſignans & vngens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ; meritoria autem, dilectiſſimus vnigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus; qui cùm eſſemus Rom. 5.

inimici, propter nimiam charitatem, Eph. 2.

qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit: inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli vmquam contigit iuſtificatio: demum vnica formalis cauſa eſt, iuſtitia Dei; non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit; qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spi- 1. Cor. 12.

ritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionẽ & cooperationẽ. Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ie- Philip. 3.

ſu Chriſti communicantur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dũ eiuſdem ſanctiſsimæ paſsionis merito per Rom. 5.

Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret: vnde in ipſa Iuſtificatione cum remiſsione peccatorũ hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidẽ, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit: qua ratione veriſsimè dicitur, fidem ſine ope- Iacob. 2.

ribus mortuam & otioſam eſſe: &, in Chriſto Ieſu neq; circumciſionem ali- Galat. 5.

quid valere, neque præputium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur. Hãc fidem ante Baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt, cùm petunt fidẽ, vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt: vnde & ſtatim verbum Chriſti audiunt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua Matth. 19.

mandata. Itaque veram & Chriſtianam

Rom.5. nam iuſtitiam accipientes, eam, ceu primam ſtolam, pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis iuſtificari.

CAP. VIII.

Rom.3. CVM verò Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quẽ perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit: vt ſcilicet per fidem ideò iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis Iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortiũ peruenire: gratis autem iuſtificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ Iuſtificationem præcedunt, ſiue fides ſiue opera, ipſam Iuſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia.

Hebr.11. Eph.2. Tit.3. Rom.11.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

CAP. IX.

Tit.3. QVAMVIS autem neceſſarium ſit credere, neque remitti neque remiſſa vmquam fuiſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti vel dimiſſa eſſe dicendum eſt, cùm apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, immò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hęc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos, neminemq; à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum, qui certò credat, ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici, quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſsis, deque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

De acceptæ Iuſtificationis incremento.

CAP. X.

SIC ergo iuſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur, vt Apoſtolus inquit, de die in diem, hoc eſt, mortificãdo membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſeruationem mandatorum Dei & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia, per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et iterùm: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Et rurſus: Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis, Domine, fidei, ſpei & charitatis augmentum.

Pſal.83. 2.Cor.4. Coloſſ.3. Apoc.22. Eccli.18. Iacob.2.

De obſeruatione mandatorum, deque illius neceſſitate & poſſibilitate.

CAP. XI.

NEMO autem, quantumuis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſsibilia. Nam Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat vt poſsis.

Digitized by Google

1.Ioan.5. Cuius mandata grauia non ſunt; cuius
Matth.11. iugum ſuaue eſt, & onus leue. Qui
Ioan.14. enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſeruant ſermones eius: quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumuis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam iuſtorum illa vox eſt & humilis & ve-
Matth.6. rax: Dimitte nobis debita noſtra. Quo fit, vt iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quòd liberati iam à peccato, ſerui autem facti Deo, ſobriè, iuſtè & piè
Tit.2. viuentes, proficere poſſunt per Chriſtũ
Rom.5. Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe heredem eſſe conſtitutum, hereditatemque conſecuturum, etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, vt
Rom.8. inquit Apoſtolus, cùm eſſet Filius Dei,
Hebr.5. didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiã, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe mo-
1.Cor.9. net iuſtificatos, dicens: Neſcitis, quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite, vt comprehendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item Prin-
2.Petr.1. ceps Apoſtolorum Petrus: Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vnde conſtat, eos Orthodoxæ Religionis doctrinę aduerſari, qui dicunt, iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare: aut (quod intolerabilius eſt) pœnas æternas mereri: atq; etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cùm hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur ęternam, cùm ſcriptum ſit: Inclinaui cor meum Pſal.118.
ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem. Et de Moyſe dicat Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remu- Hebr.11.
nerationem.

Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cauendam eſſe.

CAP. XII.

NEMO quoque, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeò præſumere debet, vt certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatis aut ampliùs peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. nam, niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

De perſeuerantiæ munere.

CAP. XIII.

SIMILITER de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: Qui perſe- Matth.10. & 24.
uerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. quòd quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt, eum qui ſtat, ſtatuere vt perſeueranter ſtet, & eũ qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſsimã ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perfi- Philip.1.
ciet, operans velle & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant 1.Cor.10.
ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, Philip.2.
in vigiliis, in eleëmoſynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nõdum in gloria renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum

cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent
Rom. 8. dicenti: Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

De lapſis, & eorum reparatione.

CAP. XIV.

QVI verò ab accepta Iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti, amiſſam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim Iuſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratię tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro iis, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit
Ioan. 20. Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Vnde docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eaque contineri non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſta-
Psal. 50. tionem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatiſfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritalis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, vt Sacræ literæ docent, non tota ſemper, vt in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum
Ephes. 4. ſanctum contriſtauerunt, & templum
1. Cor. 3. Dei violare non ſunt veriti. De qua pœ-
Apoc. 2. nitentia ſcriptum eſt: Memor eſto vnde excideris: age pœnitentiam, & pri-
2. Cor. 7. ma opera fac. Et iterùm: Quæ ſecundùm Deum triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: & rurſus, Matth. 3.
Pœnitentiam agite: &, Facite fructus Luc. 3.
dignos pœnitentiæ.

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, ſed non fidem.

CAP. XV.

ADVERSVS etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſe- Rom. 16.
ducunt corda innocentium, aſſerêdum eſt, non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam Iuſtificationis gratiam amitti; diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & fideles 1. Cor. 6.
quoque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, ceteroſque omnes, qui letalia committunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.

De fructu Iuſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deque ipſius meriti ratione.

CAP. XVI.

HAC igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere 1. Cor. 15.
bono, ſcientes quòd labor veſter nõ eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus Heb. 6.
eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Nolite amittere confi- Heb. 10.
dentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideò benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt 2. Tim. 4.

Digitized by Google

ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à iuſto Iudice ſibi reddendam; non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus, tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent; nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quę in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore (ſi tamen in gratia deceſſerint) conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur: cùm Chriſtus Saluator noſter dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita neque propria noſtra iuſtitia, tamquam ex nobis propria ſtatuitur; neque ignoratur, aut repudiatur iuſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur, illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum.

2.Cor.11. Ioan.15. Ioan.14.

Neque verò illud omittendum eſt, quòd licet bonis operibus in Sacris literis vſqueadeò tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum; & Apoſtolus teſtetur, id quod eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: abſit tamen, vt Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes; vnuſquiſque ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeueritatem & iudicium ante oculos habere debet; neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit vnicuiq; à Deo, qui, vt ſcriptum eſt, reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.

Matth.10. 2.Cor.4. 2.Cor.10. Iacob.3. 1.Cor.4. Matth.16. Rom.2.

Poſt hanc Catholicam de Iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterque receperit, iuſtificari non poterit, placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, vt omnes ſciant, non ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.

DE IVSTIFICATIONE.

CANON I.

SI QVIS dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, ad hoc ſolum diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, vt faciliùs homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſſit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrumque, ſed ægrè tamen & difficulter poſſit, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motũ, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quò ad obtinendam Iuſtificationis gratiã ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiuè ſe habere, Anathema ſit.

CA-

Digitized by Google

CANON V.

SI QVIS liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, figmentum denique à ſatana inuectum in Eccleſiam, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò vt ſit eius proprium opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, opera omnia, quæ ante Iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum grauiùs peccare, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, ſola fide impium iuſtificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad Iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi, Anathema ſit.

CANON X.

SI QVIS dixerit, homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, Anathema ſit.

CANON XI.

SI QVIS dixerit, homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitię Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, Anathema ſit.

CANON XII.

SI QVIS dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe qua iuſtificamur, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI QVIS dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorũ aſſequendam neceſſarium eſſe, vt credat certò & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, Anathema ſit.

CANON XIV.

SI QVIS dixerit, hominem à peccatis abſolui, & iuſtificari ex eo quòd ſe abſolui ac iuſtificari certò credat; aut neminem verè eſſe iuſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici, Anathema ſit.

CANON XV.

SI QVIS dixerit, hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, Anathema ſit.

CANON XVI.

SI QVIS magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & ineffabili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit, Anathema ſit.

CANON XVII.

SI QVIS Iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuina poteſtate prædeſtinatos ad malũ, Anathema ſit.

CANON XVIII.

SI QVIS dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, Anathema ſit. 1. Ioan. 5.

Digitized by Google

CANON XIX.

SI QVIS dixerit, nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem, cetera eſſe indifferentia, neque pręcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem Præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.

CANON XX.

SI QVIS hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectū, dixerit non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, quaſi verò Euangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſeruationis mandatorum, Anathema ſit.

CANON XXI.

SI QVIS dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legiſlatorem cui obediant, Anathema ſit.

CANON XXII.

SI QVIS dixerit, iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, Anathema ſit.

CANON XXIII.

SI QVIS hominem ſemel iuſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe, nec gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur & peccat, numquam verè fuiſſe iuſtificatum; aut contrà, poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine Maria tenet Eccleſia, Anathema ſit.

CANON XXIV.

SI QVIS dixerit, iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodò & ſigna eſſe Iuſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam, Anathema ſit.

CANON XXV.

SI QVIS in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius eſt) mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, Anathema ſit.

CANON XXVI.

SI QVIS dixerit, iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo, per eius miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, ſi benè agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint, Anathema ſit.

CANON XXVII.

SI QVIS dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui & enormi, præterquam infidelitatis peccato ſemel acceptam gratiam amitti, Anathema ſit.

CANON XXVIII.

SI QVIS dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, Anathema ſit.

CANON XXIX.

SI QVIS dixerit, eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine Sacramento Pœnitentię, prout ſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino & eius Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſeruauit, & docuit, Anathema ſit.

CANON XXX.

SI QVIS poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſoluendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, Anathema ſit.

CANON XXXI.

SI QVIS dixerit, iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, Anathema ſit.

Google

Canon XXXII.

Si qvis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit.

Canon XXXIII.

Si qvis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de Iuſtificatione, à ſancta Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei denique ac Ieſu Chriſti gloriam illuſtrari, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE,

publicatum in eadem ſexta Sessione, *decimatertia Ianuarij.*

Capvt I.

Eadem ſacroſancta Synodus, eiſdem Præſidentibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, deprauatoſque in Clero & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab his, qui maioribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim Pręſidentium, ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini ac Dei noſtri miſericordiam, prouidamque ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omnino futurum, vt ad Eccleſiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis, vſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundùm venerabiles beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, vt attendentes ſibi & vniuerſo Act. 20.
gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit Sanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus 2. Tim. 4.
præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum Ioan. 10.
more deſerant, atque ouium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo Iudice requirendus, cuſtodię minimè incumbant: cùm certiſſimum ſit, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ezech. 3. & 33.
Ac nihilominùs, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cæleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine (ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta) ſe detinent occupatos; placuit ſacroſanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum atque hominum iniuria pænè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos, innouare; quemadmodum virtute præſentis Decreti innouat, ac vlteriùs pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere atque ſancire: Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocumque titulo, cauſa, nomine, ſeu Iure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, ſeu iuſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus) ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morãdo abfuerit: quartæ partis fructuum vnius anni, fabricę Eccleſiæ & pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo Iure incurrat.

rat. Quòd ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, vt ſæuiori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubiiciantur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas ſeu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur: qui in ipſos abſentes (prout cuiuſque minor aut maior contumacia exegerit) ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animaduertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.

Cap. II.

Episcopis inferiores quæuis Beneficia Eccleſiaſtica, perſonalem reſidentiam de Iure ſiue conſuetudi[illegible] exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis Iuris remediis reſidere cogantur; nullique priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur: Indulgentiis verò, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram Ordinario legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris: quibus caſibus nihilominùs officium ſit Epiſcoporum, tãquam in hac parte à Sede Apoſtolica Delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur; nemini, quo ad hoc, priuilegio ſeu exemptione quacumque ſuffragante.

Cap. III.

Ecclesiarvm Prælati, ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter ac diligenter intendant: & nemo ſæcularis Clericus, cuiuſuis perſonalis vel regularis, extra Monaſterium degẽs, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur, quò minùs, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegato, ſecundùm Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi valeat.

Cap. IV.

Capitvla Cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarũ, illorumque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, iuramẽtis, concordiis, quæ tantùm ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quò minùs à ſuis Epiſcopis & aliis maioribus Prælatis, per ſe ipſos ſolos, vel illis quibus ſibi videbitur adiunctis, iuxta Canonicas ſanctiones, toties quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica poſſint & valeant.

Cap. V.

Nvlli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm. Si ſecùs factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati, ab executione Ordinum ſint ipſo Iure ſuſpenſi.

Indictio fvtvrae Sessionis.

Placet ne vobis, proximam futuram Seſſionem celebrari die Iouis Feria quinta poſt primam Dominicam ſubſequentis Quadrageſimæ, quæ erit die 3. menſis Martij? Reſponderunt, Placet.

Nomina, cognomina, & patria Praelatorvm, *qui interfuerunt ſexta* Sessioni.

Praesidentes et Legati,

R. & Illuſtriſſimus D.D. Ioannes Maria, Epiſc. Præneſtinus, de Monte, Aretinus.

R. & Illuſtriſſimus D.D. Marcellus tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Preſbyter, Ceruinus, Politianus.

Cardinales,

R. D. Chriſtophorus Madrucius, tituli S. Cæ-

S. Cæſarij in Palatio Preſbyter Cardinalis, & Epiſcopus Tridentinus, ac Adminiſtrator Brixienſis, Germanus.

R. D. Petrus Pacecus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis, & Epiſcopus Gienen. Hiſpanus.

ARCHIEPISCOPI,

R.D. Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R.D. Antonius Filholi, Archiepiſcopus Aquenſis, Gallus.

R.D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc. Turitanus, Hiſpanus.

R.D. Ludouicus Chieregatus, Archiepiſc. Antibarenſis, Vicent.

R.D. Iacobus Cauchus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.

R.D. Ioannes Michaël Sarracenus, Archiepiſcopus Materanus & Acheruntinus, Neapolitanus.

R.D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſcopus Naxienſis, Græcus.

R. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

R. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

R.D. Robertus VVaucop, Archiepiſcopus Armachan. Scotus.

EPISCOPI,

R.D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Saonenſis.

R.D. Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

R. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononien.

R.D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenſis.

R.D. Quintius de Ruſticis, Epiſcop. Militen. Romanus.

R.D. Antonius de Numai, Epiſc. Iſernien. Foroliuien.

R.D. Hieronymus Theodolus, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.

R.D Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

R.D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Illyricus.

R.D. Guilhelmus à Prato, Epiſc. Claramont. Gallus.

R.D. Dionyſius Epiſcopus Chironenſis & Milopotamen. Græcus.

R.D. Braccius Martellus, Epiſc. Fæſularum, Florentin.

R.D. Coriolanus Martyranus, Epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

R.D. Henricus Loffredus, Epiſc. Caputaquen. Neapolitanus.

R.D. Eliſęus Theodinus, Epiſcopus Soranus, Arpinas.

R.D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſc. Vaſionen. Roman.

R. D. Balthaſar de Hæredia, Epiſc. Boſſanen. Sardus.

R.D. Alexander de Vrſis, Epiſc. Emonien. Venetus.

R.D. Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmata.

R.D. Balthaſar Limpus, Epiſc. Portuenſis, Portugallenſis.

R.D. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtelmaris, Hiſpanus.

R.D. Petrus Bertonus, Epiſc. Fanen. Mutinen.

R.D. Ioannes Campegius, Epiſc. Parentinus, Bononienſis.

R.D. Ludouicus Simonetta, Epiſc. Piſaurien. Mediolanenſis.

R.D. Aloyſius Lipomanus, Epiſc. Mothonen. Coadiutor Veronen. Venetus.

R.D. Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius S. D. N. Papæ in Vrbe, Mediolanenſis.

R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennatenſis.

R.D. Claudius de la Guiſche, Epiſc. Agathen. Gallus.

R.D. Ioannes Salazar de Burgo, Epiſcopus Lancianen. Hiſpanus.

R.D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.

R. D. Richardus Patus, Epiſc. VVigornien. Anglicus.

R.D. Cornelius Muſſus, Epiſc. Bitontin. Placentin.

R.D. Marcus Maliperius, Epiſc. Corſulan. Venetus.

R.D. Iacobus Iacobellus, Epiſc. Bellicaſtren. Romanus.

R.D. Franciſcus de Nauarra, Epiſc. Pacen. Hiſpanus.

R.D. Didacus de Alaua, Epiſc. Aſtoricen. Hiſpanus.

R.D. Thomas Caſellus, Epiſcop. Britonorien. Roſſanen.

R.D. Galeatius Florimontius, Epiſc. Aquinaten. Sueſſan.

R.D. Petrus de Auguſtinis, Epiſc. Oſcen. Hiſpanus.

R.D. Philippus Bonus, Epiſc. Famauguſt. Venetus.

R.D. Ioannes Baptiſta Cicada, Epiſcopus Albiganen. Auditor Cameræ Apoſtolicæ, Ianuenſis.

R.D. Thomas de Stella, Epiſcop. Salpen. Venetus.

R.D.

R.D.Bernardus Diaz,Epiſc.Calagurritan. Hiſpanus.

R.D.Gregorius Caſtagnola,Epiſc.Mylenſis, Græcus.

R.D.Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarienſis, Hiſpanus.

R.D.Sebaſtianus Pighinus,Epiſc.Alyphãtus, Auditor Rotæ Romanæ, Rhegienſis.

R.D.Ambroſius Catharinus Politus, Epiſc.Minorienſis, Senenſis.

PROCVRATORES ABSENTIVM,

R.D. Claudius Zayus,Procurator Reuerẽdiſſimi & Illuſtriſſ. D.D.Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopi Auguſtenſis, Sabaudienſis.

R.D.Ambroſius Pelargus, Ordinis Prædicatorum, Procurator Reuerendiſſimi D.D. Archiepiſcopi Treuerenſis,Sacri Imperij Electoris, Germanus.

ABBATES,

R.D. Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

R.D.Chryſoſtomus Gimilianenſis, Abbas ſanctæ Trinitatis de Caieta, Calaber.

GENERALES ORDINVM,

R.P.Franciſcus Romæus, Generalis Ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R.P.Bonauentura Pius, Generalis Ordinis Minorum Conuentualium, Coſtacciarius.

R.D.Hieronymus Seripandus, Generalis Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini,Neapolitan.

R.P.Nicolaus Audetus, Generalis Ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R.P. Auguſtinus Bonucius, Generalis Ordinis S.Mariæ Seruorum, Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIO SEPTIMA.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Domini 1547. Indictione quinta, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N.D.Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij,anno eius tertiodecimo,die verò Iouis, tertia menſis Martij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali,in loco eminentiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & Seſſiones habendas deputato,celebrata eſt ſeptima publica Seſſio ſacroſancti Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini, præſidentibus in ea nomine eiuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Reuerendiſsimis Patribus,& Illuſtriſsimis dominis Ioanne Maria de Monte, Epiſcopo Prænestino, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis. In qua quidem Seſsione, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto per Reuerendiſsimum dominum, dominum Archiepiſcopum Corcyrẽſem (non fuit enim habita Oratio,quia Reuerendus P. D. Epiſcopus S. Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus) necnon poſt peractas per Reuerendiſſ. & Illuſtriſsimum D.Cardinalem de Monte & Præſidentem præfatum ſolitas cærimonias, publicata fuerunt duo Decreta,ſeu certi Canones ſuper Sacramentis in genere, & ſuper Baptiſmo & Confirmatione in ſpecie, necnon certi alij Canones ſuper reſidentia,tenorum infraſcriptorum.

Nomina, cognomina, & patria PRÆLATORVM,*qui interfuerunt ſeptimæ* SESSIONI.

PRÆSIDENTES ET LEGATI,

R. & Illuſtriſſ. D.D.Ioannes Maria, Epiſcop.Præneſtinus,de Monte, Aretinus.

R.& Illuſtriſſimus D.D. Marcellus tituli S.Crucis in Ieruſalem Preſbyter, Ceruinus, Politianus.

Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri Concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

CARDINALIS,

R.D.Petrus Pacecus,ſanctæ Romanę Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis, & Epiſc. Gienenſis, Hiſpanus.

ARCHIEPISCOPI,

R.D.Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R. D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſcopus Turitanus, Hiſpanus.

R.D.Ludouicus Chieregatus, Archiepiſcop. Antibarenſis, Vicentinus.

R.D.Iacobus Cauchus, Archiepiſc.Corcyrenſis, Venetus.

R.D. Ioannes Michaël Sarracenus, Archiep. Materanus & Acherũtinus, Neapol.

R.D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſc. Naxienſis, Græcus.

R.D.

R. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

R. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

R. D. Robertus VVaucop, Archiepiſcopus Armachan. Scotus.

EPISCOPI,

R.D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Saonenſis.

R.D. Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

R. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononien.

R.D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenſis.

R.D. Quintius de Ruſticis, Epiſcop. Militen. Romanus.

R.D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.

R.D Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

R.D. Hieronymus Theodolus, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.

R.D. Antonius de Numai, Epiſc. Iſernien. Foroliuien.

R.D. Marcus Anton. Crucius, Epiſc. Tiburtinus, Tiburt.

R.D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Illyricus.

R.D. Guilhelmus à Prato, Epiſc. Claramont. Gallus.

R.D. Dionyſius Epiſcopus Chironenſis & Milopotamen. Græcus.

R.D. Braccius Martellus, Epiſc. Fæſularum, Florentin.

R.D. Hieronymus Vida, Epiſc. Albenſis, Cremonenſis.

R.D. Eliſęus Theodinus, Epiſcopus Soranus, Arpinas.

R.D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſc. Vaſionen. Roman.

R.D. Petrus Franciſcus Ferretus, Epiſc. Vercellenſis, Hiporigen.

R.D. Balthaſar Limpus, Epiſc. Portuenſis, Portugallenſis.

R. D. Balthaſar de Hæredia, Epiſc. Boſſanen. Sardus.

R.D. Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmata.

R.D. Alexander de Vrſis, Epiſc. Emonien. Venetus.

R.D. Georgius Cornelius, Epiſc. Taruiſin. Venetus.

R.D. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris, Hiſpanus.

R.D. Petrus Bertonus, Epiſc. Fanen. Mutinen.

R.D. Ioannes Campegius, Epiſc. Parentinus, Bononienſis.

R.D. Ludouicus Simonetta, Epiſc. Piſaurien. Mediolanenſis.

R.D. Aloyſius Lipomanus, Epiſc. Mothonen. Coadiutor Veronen. Venetus.

R.D. Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius S. D. N. Papæ in Vrbe, Mediolanenſis.

R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennatenſis.

R.D. Claudius de la Guiſche, Epiſc. Mirapicen. Gallus.

R.D. Ioannes Salazar de Burgo, Epiſcopus Lancianen. Hiſpanus.

R.D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.

R.D. Ægidius Falſetta, Epiſc. Caprulan. Cingulan.

R.D. Richardus Patus, Epiſc. VVigornien. Anglicus.

R.D. Cornelius Muſſus, Epiſc. Bitontin. Placentin.

R.D. Marcus Maliperius, Epiſc. Corſulan. Venetus.

R.D. Iacobus Iacobellus, Epiſc. Bellicaſtren. Romanus.

R.D. Franciſcus de Nauarra, Epiſc. Pacen. Hiſpanus.

R.D. Didacus de Alaba, Epiſc. Aſtoricen. Hiſpanus.

R.D. Thomas Caſellus, Epiſcop. Britonorien. Roſſanen.

R.D. Galeatius Florimontius, Epiſc. Aquinaten. Sueſſan.

R.D. Petrus de Auguſtinis, Epiſc. Oſcen. Hiſpanus.

R.D. Philippus Bonus, Epiſc. Famauguſt. Venetus.

R.D. Ioannes Baptiſta Cicada, Epiſcopus Albiganen. Auditor Cameræ Apoſtolicæ, Ianuenſis.

R.D. Thomas de Stella, Epiſcop. Salpen. Venetus.

R.D. Gregorius Caſtagnola, Epiſcop. Mylenſis, Græcus.

R.D. Bernardus Diaz, Epiſc. Calagurritan. Hiſpanus.

R. D. Petrus Donatus Cæſius, Epiſc. Narnienſis, de Cæſis.

R.D. Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarienſis, Hiſpanus.

R.D. Sebaſtianus Pighinus, Epiſc. Alyphaſtus, Auditor Rotæ Romanæ, Rhegienſis.

R.D. Ambroſius Catharinus Politus, Epiſc. Minorienſis, Senenſis.

PROCVRATORES ABSENTIVM,

R.D. Claudius Zayus, Procurator Reuerendiſ-

rẽdiſſimi & Illuſtriſſ. D.D. Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopi Auguſtenſis, Sabaudienſis.

R.D. Ambroſius Pelargus, Ordinis Prædicatorum, Procurator Reuerendiſſimi D.D. Archiepiſcopi Treuerenſis, Sacri Imperij Electoris, Germanus.

ABBATES,

R.D. Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

R.D. Chryſoſtomus Gimilianenſis, Abbas ſanctæ Trinitatis de Caieta, Calaber.

GENERALES ORDINVM,

R.P. Franciſcus Romæus, Generalis Ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R.P. Bonauentura Pius, Generalis Ordinis Minorum Conuentualium, Coſtacciarius.

R.D. Hieronymus Seripandus, Generalis Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, S.Neapolitan.

R.P. Nicolaus Audetus, Generalis Ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R.P. Auguſtinus Bonucius, Generalis Ordinis S. Mariæ Seruorum, Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

DECRETVM DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ,

publicatum in ſacroſancta Oecumenica & Generali TRIDENTINA SYNODO, *ſeptima* SESSIONE, *die tertia Martij*, 1547.

PROOEMIVM.

AD conſummationem ſalutaris de Iuſtificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Seſſione, vno omnium Patrũ conſenſu promulgata fuit, conſentaneum viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quę omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur. Propterea ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa Sacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de nouo adinuentæ ſunt, quæ Catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnoperè officiunt, ſanctarum Scripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum & Patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes Canones ſtatuendos & decernendos cenſuit, reliquos qui ſuperſunt, ad cœpti operis perfectionem deinceps diuino Spiritu adiuuante editura.

CANONES DE SACRAMENTIS.

CANON I.

SI QVIS dixerit, Sacramenta nouæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiã, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, ea ipſa nouæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, Sacramenta nouæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis aut eorum voto, per ſolam fidem, homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam, quam ſigni-

Digitized by Google

ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando & aliquibus, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, per ipſa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Cõfirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.

CANON X.

SI QVIS dixerit, Chriſtianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis adniſtrandis habere poteſtatem, Anathema ſit.

CANON XI.

SI QVIS dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.

CANON XII.

SI QVIS dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI QVIS dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

SI QVIS dixerit, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atq; ideò verba illa Domini noſtri Ieſu, Niſi quis renatus fuerit ex aqua Ioan. 3. & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, baptizatũ non poſſe, etiam ſi velit, gratiã amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantùm fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti ſeruandæ, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, ita reuocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia quæ poſt Baptiſmũ fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo iam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo, Anathema ſit.

CANON X.

SI QVIS dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti vel venialia fieri, Anathema ſit.

CANON XI.

SI QVIS dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur, Anathema ſit.

CANON XII.

SI QVIS dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI QVIS dixerit, paruulos, eò quòd actum credendi non habẽt, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac prop tereà cùm ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ, Anathema ſit.

CANON XIV.

SI QVIS dixerit, huiuſmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarẽtur, polliciti ſunt; & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, Anathema ſit.

DE CONFIRMATIONE.

CANON I.

SI QVIS dixerit, Confirmationem baptizatorũ otioſam cæ rimoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quẽmuis ſimplicem Sacerdotem, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE,

publicatum in eadem ſeptima SESSIONE CONCILII TRIDENTINI, *die verò tertia menſis Martij, anno* 1547.

EADEM ſacroſancta Synodus, eiſdem præſidentibus Legatis, incœptum reſidentię & reformationis negotium ad Dei laudem, & Chriſtianæ Religionis incrementum proſequi intendens, vt ſequitur, ſtatuendum cenſuit, ſalua ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

CAP. I.

AD Cathedralium Eccleſiarum regimen nullus, niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, grauitate morum, literarumque ſcientia, iuxta Conſtitutionem Alexandri Tertij, quæ incipit, Cùm in cunctis, in Concilio Lateranenſi promulgatam, præditus aſſumatur. Cap. xvi. Cõc. Lateranẽſi.

CAP. II.

NEMO, quacumque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, ſiue Commendam, aut alio quouis nomine, contra

tra ſacrorum Canonum inſtituta recipere & ſimul retinere præſumat; cùm valdè felix ſit ille cenſendus, cui vnam Eccleſiam benè ac fructuoſè & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis Decreti tenorem nunc detinent, vna, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, aliàs infra annum dimittere teneantur; alioquin Eccleſiæ ipſæ, vltimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

CAP. III.

INFERIORA Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, iuxta Conſtitutionem Alexandri Tertij in Lateranenſi, quæ incipit, Quia nonnulli; & aliam Gregorij Decimi, in Generali Lugdunenſi Cócilio, quæ incipit, Licet Canon editam, conferantur: aliter autem facta collatio ſiue prouiſio omnino irritetur, & Ordinarius collator pœnas conſtitutionis Concilij Generalis, quæ incipit, Graue nimis, ſe nouerit incurſurum.

C. 13. Conc. Later.

C. 30. Concil. Later. ſub Innoc. III.

CAP. IV.

QVICVMQVE de cetero plura Curata, aut aliàs incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica, ſiue per viam vnionis ad vitam, ſeu Commendæ perpetuę, aut alio quocumque nomine & titulo contra formam ſacrorum Canonũ, & præſertim Conſtitutionis Innocentij Tertij, quæ incipit, De multa, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, Beneficiis ipſis iuxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem ipſo Iure, etiam præſentis Canonis vigore, priuatus exiſtat.

C. 29. Concil. Later.

CAP. V.

ORDINARII locorum quoſcumque plura Curata aut aliàs incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtrictè compellant: & aliàs procedant iuxta Conſtitutionem Gregorij Decimi, in Generali Lugdunenſi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarij; quam eadem ſancta Synodus innouandam cenſet & innouat: addens inſuper, quòd ipſi Ordinarij etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem omnino prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur, & Beneficia ipſa debitis obſequiis minimè defraudentur: appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus quibuſcumque, etiã cum Iudicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmiſſis nemini ſuffragantibus.

CAP. VI.

VNIONES perpetuæ à quadraginta annis citrà factæ, examinari ab Ordinariis, tamquam à Sede Apoſtolica delegatis, poſſint; & quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illa verò quæ à dicto tempore citrà conceſſę, nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectũ, & quæ deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus cauſis, coram loci Ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſubreptionem obtentæ præſumantur, ac propterea, niſi aliter à Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

CAP. VII.

BENEFICIA Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò vnita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur; qui ſollicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vicarios, etiam perpetuos (niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorũ, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, priuilegiis,

exemptionibus, etiam cum Iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcumque in præmiſſis minimè ſuffragantibus.

CAP. VIII.

LOCORVM Ordinarij Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis Iuris remediis prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarũ, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minimè defraudentur: appellationibus, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, Iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitùs excluſis.

CAP. IX.

AD maiores Eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus à Iure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

CAP. X.

NON liceat Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu Reuerendas, vt aliqui vocant, tam ex Iuris communis diſpoſitione, quàm etiam cuiuſuis priuilegij aut conſuetudinis vigore, alicui, qui Beneficij Eccleſiaſtici recepti ſiue recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere. Si ſecùs fiat, Capitulum contrauenicns Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto; & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant; in maioribus verò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo Iure ſuſpenſi.

CAP. XI.

FACVLTATES de promouendo à quocumque non ſuffragentur, niſi habentes legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.

CAP. XII.

FACVLTATES de non promouendo, præterquam in caſibus à Iure expreſſis, conceſſæ, ad annum tantùm ſuffragentur.

CAP. XIII.

PRAESENTATI, ſeu electi, vel nominati à quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quæuis Eccleſiaſtica Beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiuſuis priuilegij, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quò minùs examen ſubire teneatur: præſentatis tamen, electis ſeu nominatis ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.

CAP. XIV.

IN exemptorum cauſis Conſtitutio Innocentij Quarti, quæ incipit, Volentes, in Generali Concilio Lugdunẽſi edita, ſeruetur; quam eadem ſacroſancta Synodus innouandam cenſuit, & innouat: addendo inſuper, quòd in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſæculares, aut Regulares extra Monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiam ſi certum Iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant; in aliis verò, ſi ipſum Iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conueniri, & Iure medio ad ſoluendum debitum cogi & compelli poſſint: priuilegiis, exemptionibus, Conſeruatorum deputationibus, & eorũ inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquã valituris.

C. 1. de Priuileg. in 6.

CAP. XV.

CVRENT Ordinarij, vt hoſpitalia quæcumque à ſuis adminiſtratoribus,

bus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur; Conſtitutionis Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit, forma ſeruata; quam quidem Conſtitutionem eadem ſancta Synodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis.

Clement. Quia contingit, de Relig. domibus.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

ITEM hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decreuit, proximam futuram Seſsionem habendam & celebrandam eſſe die Iouis Feria quinta poſt ſequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigeſimaprima menſis Aprilis præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiſeptimi.

Et quia ego Angelus Maſſarellus, Sancto-Seuerinas, vtriuſque Iuris Doctor, & Protonotarius Apoſtolicus, ac ſacri Tridentini Concilij Secretarius, publicationi ſupraſcriptorum Decretorum, manu aliena mihi fida ſcriptorum, interfui, & ea cum originalibus, quæ penes me ſunt, collata ſunt, & cum eis concordant; ideò ſupraſcripta Decreta ſingula manu mea propria obſignaui, ac de eis omnibus, ad quorum manus peruenerint, fidem facio indubitatam.

BVLLA FACVLTATIS TRANSFERENDI CONCILII.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum DEI, Venerabili fratri Ioanni Mariæ Epiſcopo Præneſtino, & dilectis filiis Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinalibus, noſtris & Apoſtolicæ Sedis Legatis de latere, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino præſidentes, noſtri officij partes eſſe putamus, vt ſi quid grauius cauſa Reipublicæ Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modò tempore opportuno, verùm etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cùm itaque nos nuper, poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri Oecumenici & Vniuerſalis Concilij, aliàs per nos in ciuitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrũ noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, vſq; ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio & aſſenſu factam, audita pace inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Franciſcum Francorum Regem Chriſtianiſſimum conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoueramus, nequeuntes ipſi, tunc legitimè impediti, ad dictam ciuitatem perſonaliter accedere, & eidem Concilio intereſſe, vos noſtros & Apoſtolicæ Sedis Legatos de latere in eodem Concilio de ſimili conſilio conſtituerimus & deputauerimus, voſque ad eamdem ciuitatem tamquam pacis angelos deſtinauerimus, prout in diuerſis noſtris deſuper confectis literis pleniùs continetur: Nos, ne tam ſanctum celebrationis Concilij huiuſmodi opus ex incommoditate loci, aut aliàs quouis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportunè prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis inſimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde fortè abſente, quandocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem ciuitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem ciuitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud in ipſa ciuitate Tridentina ſupprimendi & diſſoluendi, necnon Prælatis & aliis perſonis Concilij huiuſmodi, ne in eõ ad vlteriora in dicta ciuitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibẽdi, ac idem Concilium in alia ciuitate huiuſmodi, ad quam illud transferri & mutari cõtigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud Prælatos & alias perſonas Concilij Tridentini huiuſmodi, etiam ſub periurij, & aliis in literis Indictionis Concilij huiuſmodi expreſſis pœnis euocandi, eidemq; ſic tranſlato & mutato Concilio nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, ceteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, aliàs iuxta priorum vobis directarum literarum continentiam & tenorem faciendi, ſtatuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem, ratum & gratum habituri quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executúmve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inuiolabili-

labiliter obſeruari: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1547. octauo Kalendas Martij, Pontificatus noſtri anno vndecimo.

Fab. Epiſcopus Spol.
B. Motta.

HVCVSQVE progreſſum fuit Concilium Tridentinũ ſub Paulo III. à quo poſteà Concilium idem Bononiam tranſlatum, illic ad tempus eſt intermiſſum. Interim verò Paulus Tertius viam vniuerſæ carnis ingreſſus, ſucceſſorem habuit Iulium Tertium, ſub quo poſteà conuocatum eſt iterùm in eadem ciuitate Tridentina, & vocati o..nes, qui ſolent intereſſe Concilio, ad primam diem Maij, 1551. qua die adfuit præſens Legatus Creſcentius cum nonnullis Epiſcopis, nihil tamen actum eſt propter paucitatem Epiſcoporum vſq; ad 11. Octobris eiuſdem anni, qua die celebrata eſt tertia Seſſio ſub Iulio Pontifice.

SESSIO OCTAVA.

DECRETVM, ſancitum, & publicatum in octaua Seſione, habita die vndecimo mẽſis Martij 1547. ſuper tranſlatione Concilij ex Tridento ad ciuitatem Bononienſem, rogante Reuerendiſsimo & Illuſtriſsimo Domino Cardinale de Monte, ipſius Concilij Præſidente & Legato, Patrum ſententias ſub infraſcripta forma, videlicet:

Placétne vobis decernere & declarare, de huiuſmodi morbo ex præmiſsis & aliis allegatis ita manifeſtè & notoriè conſtare, vt Prælati in hac ciuitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcircò inuiti minimè retineri poſſint & debeant? Itemque attento receſſu multorum Prælatorum poſt proximè præteritam Seſsionem, & attentis proteſtationibus aliorum complurium Prælatorum in Congregationibus Generalibus factis, hinc omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui iuſtè detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progreſſus impediretur: & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis Congregationibus allegatis, vtpote notoriè veris & legitimis: placétne vobis ſimiliter decernere & declarare, pro cõſeruatione & proſecutione ipſius Concilij, & ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum, Concilium ipſum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem Seſsionem iam indictam, ſtatuta de vigeſimaprima Aprilis celebrandam eſſe, & celebrari; & ſucceſsiuè ad vlteriora procedendum, donec ſanctiſsimo Domino noſtro, & ſacro Concilio expedire videbitur, vt ad hunc ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum Inuictiſsimo Cæſare, & Chriſtianiſsimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſsit & debeat?

Decretum ſupraſcriptum placuit longè maiori parti Patrum, contradicentibus tamen, & palàm reclamantibus Patribus nonnullis.

Nomina, cognomina, & patria PRÆLATORVM, *qui interfuerunt tranſlationi* CONCILII.

PRÆSIDENTES ET LEGATI,

R. & Illuſtriſſimus D. D. Ioannes Maria, Epiſcopus Præneſtinus, de Monte, Aretinus.

R. & Illuſtriſſimus D. D. Marcellus tituli S. Crucis in Ieruſalem Preſbyter, Ceruinus, Politianus.

Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri Concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

ARCHIEPISCOPI,

R. D. Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R. D.

R.D. Ludouicus Chieregatus, Archiepiſcop. Antibarenſis, Vicentinus.

R.D. Ioannes Michaël Sarracenus, Archiep. Materanus & Acherútinus, Neapolitanus.

R.D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſc. Naxienſis, Græcus.

R.D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

R.D. Robertus VVaucop, Archiepiſcopus Armachan. Scotus.

EPISCOPI,

R.D. Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

R.D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononien.

R.D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenſis.

R.D. Quintius de Ruſticis, Epiſcop. Militen. Romanus.

R.D. Antonius de Numai, Epiſc. Iſernien. Foroliuien.

R.D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.

R.D. Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

R.D. Hieronymus Theodulus, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.

R.D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Illyricus.

R.D. Hieronymus Vida, Epiſc. Albenſis, Cremonenſis.

R.D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſc. Vaſionen. Roman.

R.D. Alexander de Vrſis, Epiſc. Emonien. Venetus.

R.D. Georgius Cornelius, Epiſc. Taruiſinus, Venetus.

R.D. Ioannes Campegius, Epiſc. Parentinus, Bononienſis.

R.D. Ludouicus Simonetta, Epiſc. Piſaurien. Mediolanenſis.

R.D. Aloyſius Lipomanus, Epiſc. Mothonen. Coadiutor Veronen. Venetus.

R.D. Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius S. D. N. Papæ in Vrbe, Mediolanenſis.

R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennatenſis.

R.D. Ægidius Falſetta, Epiſc. Caprulan. Cingulan.

R.D. Richardus Patus, Epiſc. VVigornien. Anglicus.

R.D. Marcus Maliperius, Epiſc. Corſulan. Venetus.

R.D. Iacobus Iacobellus, Epiſc. Bellicaſtren. Romanus.

R.D. Thomas Caſelus, Epiſcop. Britonorienſis, Roſanenſis.

R.D. Ioannes Baptiſta Cicada, Epiſcopus Albiganen. Auditor Cameræ Apoſtolicæ, Gienenſis.

R.D. Philippus Bonus, Epiſc. Famauguſt. Venetus.

R.D. Gregorius Caſtagnola, Epiſcop. Mylenſis, Græcus.

R.D. Petrus Donatus Cæſius, Epiſc. Narnienſis, de Cæſis.

R.D. Sebaſtianus Pighinus, Epiſcopus Alyphantus, Romanæ Rotæ Auditor, Rhegienſis.

R.D. Ambroſius Catharinus Politus, Epiſc. Minorienſis, Senenſis.

ABBATES,

R.D. Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

R.D. Chryſoſtomus Gimilianenſis Abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Caieta, Calaber.

GENERALES,

R.P. Franciſcus Romæus, Generalis Ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R.P. Hieronymus Seripandus, Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Neapolitanus.

R.P. Auguſtinus Bonucius, Generalis Ordinis S. Mariæ Seruorum, Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

PATRES, *qui non conſenſerunt in translationem* CONCILII.

R. & Illuſtriſſ. D. D. Petrus Pacecus, S. R. E. Preſbyter Cardinalis, & Epiſcopus Gienen. Hiſpanus.

ARCHIEPISCOPI,

R.D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc. Turritanus, Hiſpanus.

R.D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

EPISCOPI,

R.D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Saonenſis.

R.D. Braccius Martellus, Epiſc. Fæſularum, Florentin.

R.D. Coriolanus Martyranus, Epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

R.D. Balthaſar de Hæredia, Epiſc. Roſanenſis, Sardus.

R.D. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris, Hiſpanus.

R.D. Ioannes Salazar, Epiſc. Lancianenſis, Hiſpanus.

R.D.

R.D.Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.
R.D.Franciſcus de Nauarra, Epiſc.Pacen. Hiſpanus.
R.D.Didacus de Alaba, Epiſc. Aſcoricen. Hiſpanus.
R.D. Petrus de Auguſtinis, Epiſc. Oſcen. Hiſpanus.
R.D.Bernardus Diaz,Epiſc.Calagurritan. Hiſpanus.
R.D.Antonius de Cruce,Epiſc.Canarien. Hiſpanus.
R. D. Balthaſar Limpus, Epiſc. Portuen. Portugalen.
R. D. Claudius della Guiſche, Epiſcopus Mirapicenſis,Gallus.
R.D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſanus.

SESSIO NONA.

Bononiæ celebrata die 21. menſis Aprilis, 1547.

Decretvm prorogationis Sessionis.

Haec Sacroſancta,Oecumenica & Generalis Synodus, quæ dudum in ciuitate Tridentina congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea, nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D.Pauli,diuina prouidentia Papæ Tertij, eiſdē Reuerendiſſimis D. D.Ioanne Maria Epiſcopo Prēneſtino de Monte, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis: conſiderans, quòd die 11. menſis Martij præſentis anni, in Generali publica Seſſione in eadem ciuitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibuſque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vigentibus, & legitimis; interueniente etiam auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, eiſdem Reuerendiſſimis Præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decreuit & ordinauit, Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem transferendum eſſe, ſicuti tranſtulit; itemque Seſſionem pro præſenti die vigeſimaprima Aprilis illic indictam, vt de Sacramentorum & Reformationis materiis, de quibus tractandum propoſuerat, Canones ſancirentur & promulgarentur, in hac ipſa ciuitate Bononiæ celebrari debere: conſideranſque, nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio intereſſe conſueuerunt, his ſuperioribus Maioris hebdomadæ, & ſolemnitatis Paſchalis diebus, in propriis Eccleſiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum acceſſiſſe, quos tamen breuî affuturos ſperandum eſt; ac propterea factū eſſe, vt non ea, quam ſancta Synodus deſiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipſæ Sacramentorum & Reformationis examinari & diſcuti: vt omnia maturo conſilio cum dignitate & grauitate debita fiant, bonum, opportunum & expediens cenſuit cenſetque, Seſſionem prædictam, quæ hoc ipſo die, vt pręfertur, celebrāda erat, ad diem Iouis infra Octauam Pentecoſtes proximè futuram, quo ad ipſas materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maximè apportunam, & Patribus, præſertim abſentibus, percommodam iudicauit & iudicat: hoc tamen adiecto, quòd terminum ipſum ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata Cōgregatione reſtringere & imminuere poſſit & valeat.

Nomina, cognomina, & patria Prælatorvm, *qui interfuerunt nona* Sessioni.

Præſidentes & Legati ijdem qui in præcedenti Seſſione.

Archiepiscopi,

R. D. Iacobus Caucus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.
Et alij qui in præcedenti Seſſione, præter Olaum Magnum.

Episcopi,

R.D.Marcus Antonius Campegius, Epiſcop. Groſetan. Bononien.
R. D. Dionyſius Græcus, Epiſcopus Chiron.& Millopotamenſis, Græcus.

R.D.

R. D. Ioannes Baptiſta Campegius, Epiſcopus Maioricenſis, Bononienſis.

R. D. Petrus Boriſtius, Epiſcopus Aquenſis, Flandrus.

R. D. Auguſtinus Zanettus, Epiſc. Sebaſten. Bonon.

R. D. Eliſæus Theodinus, Epiſc. Soranus, Arpinas.

R. D. Vincentius de Durantibus, Epiſcopus Thermularum, Brixienſis.

R. D. Cornelius Muſſus, Epiſc. Bituntinus, Placentinus.

R. D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquitanenſis, Sueſſan.

R. D. Camillus Mantuanus, Epiſcopus Satuanen. Placentinus.

Et alij omnes qui in præcedenti Seſſione, demptis his decem, Epiſcopo Feltrenſi, Torcellano, Gaddicenſi, Albenenſi, Emonienſi, Parentio, Piſaurienſi, Albiganenſi, Mylenſi, Narnienſi. Exceptis etiam illis, qui non conſenſerunt tranſlationi Concilij, præter Galeatium Florimantium, Epiſcopum Aquinatenſem, Sueſſanum.

ABBATES,

R. D. Chryſoſtomus Gimilianen. Abbas ſanctiſſ. Trinitatis de Caieta, Calaber.

Generales Ordinum ijdem qui in præcedenti.

Et adhuc R. P. Bonauentura Pius, Generalis Ordinis Minorum Conuentualium, Coſtacciarus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIO DECIMA

Bononiæ celebrata die ſecunda menſis Iunij, 1547.

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

QVAMVIS hæc ſacroſancta Oecumenica & Generalis Synodus Seſſionem, quæ die vigeſimaprima menſis Aprilis proximè præteriti, ſuper Sacramentorum & Reformationis materiis in hac inclyta ciuitate Bononiæ, ex decreto in vrbe Tridentina in publica Seſſione die vndecima menſis Martij promulgato, celebranda erat, propter aliquas cauſas, ac præſertim propter abſentiam nonnullorum Patrum, quos breuî affuturos ſperabat, ad hunc præſentem diem differendam & prorogandam eſſe decreuerit: volens tamen cum his, qui non venerunt, etiam adhuc benignè agere, eadem ſacroſancta Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decernit, Seſſionem ipſam, quam hac die ſecunda menſis Iunij præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi celebrare decreuerat, ad diem Iouis poſt feſtum Natiuitatis beatę Mariæ Virginis, quæ erit decimaquinta mẽſis Septembris proximè futuri, quoad prędictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt & prorogat: ita tamen, quòd proſecutio diſcuſſionis & examinationis eorum, quę tam ad dogmata quàm ad reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipſum ipſa ſancta Synodus pro eius libito & voluntate, etiam in priuata Congregatione, abbreuiare & prorogare liberè poſſit & valeat.

R. PRÆLATI, *qui interfuerunt decimæ* SESSIONI.

PRÆSIDENTES ET LEGATI,

R. & Illuſtriſſ. D. D. Ioannes Maria Epiſcopus Præneſtinus de Monte, Aretinus.

R. & Illuſtriſſ. D. D. Marcellus, tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbyter, Ceruinus, Politianus.

Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, ſacri Concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

R. D. ARCHIEPISCOPI,

Antybarenſis, Corcyrenſis, Materanus, & Acheruntinus, Naxienſis, Vpſalenſis, Armachanus.

R. D. EPISCOPI,

Aſculanus, Feltrenſis, Aſcienſis, Militenſis, Bononienſis, Iſernienſis, Sibinicẽſis, Groſſetanus, Chironenſis & Millopotamenſis, Maioricenſis, Aquenſis, Sebaſteenſis, Soranus, Vaſionenſis, Motulanus, Parentinus, Piſaurienſis, Motonenſis, Ieracenſis, Salutiarũ, Mylenſis, Thermularũ, Caprulanẽſis, VVigornienſis, Gauillicenſis, Bituntinus, Corſulanus, Bellicaſtrenſis, Venuſinus, Britonorienſis, Aquinatenſis, Famauguſtanus, Lauelenſis, Mylenſis, Alphanus, Minorienſis.

AB-

ABBATES,

R.D.Chryſoſtomus Gimilianenſis,Abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Caieta,Calaber.

GENERALES ORDINVM,

R.P.Bonauentura Pius,Generalis Ordinis Minorum Conuentualium,Coſtacciarius.

R.P.Auguſtinus Bonucius,Generalis Ord. ſanctæ Mariæ Seruorum,Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIONIS XI. PROROGATIO.

Acta in generali Congregatione, habita die Mercurij, 14. menſis Septemb. anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiſeptimi, ſuper Prorogatione vndecimæ Seſſionis Bononienſis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem 1547. Indictione quinta, die verò Mercurij decimaquarta menſis Septembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D. Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, anno tertiodecimo, Bononiæ in domo Campegiorum, & ſolitæ reſidentiæ Reuerendiſſimorum & Illuſtriſſ. Dominorum, ſacri Concilij Præſidentium, & Apoſtolicorum de latere Legatorum, & in aula, vbi Generales Congregationes fieri conſueuerunt, hora circiter vigeſimaprima, habita fuit Congregatio Generalis Patrum ipſius ſacri Concilij: in qua quidem Congregatione primùm, more ſolito, Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Ioannes Maria, Epiſcopus Præneſtinus, Cardinalis de Monte, ipſius ſacri Concilij Præſidens & Legatus, inuocauit auxiliũ ſancti Spiritus, legens alta & intelligibili voce infraſcriptã Orationem, videlicet: Adſumus, Domine ſancte Spiritus, adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati. Veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quò gradiamur, & oſtẽde quid efficere debeamus, vt te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Eſto ſalus & effector iudiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre & eius Filio nomen poſſides glorioſum. Non patiaris perturbatores eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem. Non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum vel perſonæ corrumpat; ſed iunge nos efficaciter tibi ſolius tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum, & in nullo aberremus à vero: quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiã, vt hîc à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro benè geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Qua Oratione abſoluta, idem Reuerendiſſimus & Illuſtriſſ. D. Cardinalis de Monte, Præſidens & Legatus præfatus allocutus fuit Patres his verbis, videlicet:

Dies craſtina, ſanctiſſimi Patres, vt Dominationes veſtrę ſciunt, erit ea dies, quæ ſtatuta fuit à nobis ad Seſſionem celebrandã. Quòt quantiſque, & quàm diuerſis circumueniamur anguſtiis, difficultatibus & impedimentis, nemo eſt qui non videat. Nondum venerunt Pręlati complures, quos ſcimus arripuiſſe iter, ac prę ſertim piæ & inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudiuſtertius, nudiuſquartus, denique tam de repentè, vt non potuerint ſeipſos & animum ſuum informare in materia tam graui, ampla & diffuſa, prout eſt hæc Sacramentorum Eccleſię, & abuſuum innumerabilium, qui in miniſterio ipſorum Sacramentorum irrepſerunt. Sed quid loquimur de abſentibus, aut de ijs qui nuper venerũt, cùm illi, qui ſemper fuerunt præſentes, & tota æſtate verſati ſunt in diſputationibus & examinationibus, & in audiendo priuatim & publicè minores Theologos, adhuc parati non ſint, neque eſſe potuerint? His difficultatibus accedit atrocitas inſperati caſus Illuſtriſſ. Ducis Placentiæ, qui nos ita detinet occupatos in tuenda libertate ciuitatum Eccleſiæ,

vt

vt nos ipſi neque per horam quidem vel punctum temporis liberi ſimus. Lętamur & gratias agimus Deo, quòd in Decreto proximæ præteritæ Seſſionis fuerit addita illa clauſula in fine, prorogandi & reſtringendi terminum, etiam in priuata Cõgregatione, &c. per quam certè magna cura & ſollicitudine leuamur, cùm non oporteat nos imparatos ad Eccleſiam accedere, vt Seſſionem celebremus. Itaque, ne diutiùs Dominationes veſtras perplexas detineamus, conſilium noſtrum eſt, (quid dicimus conſilium? quinimmò neceſſitas) vt beneficio illius Decreti & clauſulæ nos iuuemus, prorogando nunc terminum Seſſionis, & omittendo craſtina die celebrationẽ. Cupimus intelligere, vtrùm placeat Dominationibus veſtris conſilium noſtrum. Hoc puncto abſoluto, agemus de tempore.

Super qua re rogatis ſententiis Patrum, placuit omnibus Seſſionem ipſam, quæ die craſtina celebranda erat, prorogari.

Deinde idem R. & Illuſt. D. Cardinalis de Monte, Præſidens & Legatus præfatus, proſequẽdo ſermonem ſuum, dixit infraſcripta verba, videlicet:

Multùm cogitauimus de tempore huius prorogationis: nullam tandem inuenimus in mente noſtra rationem, in qua poſſimus figere fidem pro aliquo die certo. Certi eſſe non poſſumus quando erimus parati in materiis noſtris, ita vt ſuper ipſis poſſit promulgari Decretum. Scimus quòd cùm eſſemus Tridenti, & crederemus ſpatio quindecim dierum expediri poſſe Decretum Iuſtificationis, coacti fuimus inſudare in eo ſeptem continuis menſibus, non intermittendo vnam diem, & habendo ſæpè duas Congregationes in vno & eodem die. Vbi agitur de fide, de dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in vnius verbuli diſcuſſione longo tempore immorari. Occurrunt nobis etiam aliæ difficultates permultæ: ſed quæ nos acriùs & vehementiùs vrget, eſt, quia eam videmus eſſe conditionem temporũ, & ita eſſe tempora præparata & diſpoſita ad producendas res nouas, vt neſciamus, neque pro firmo & conſtanti aſſerere poſſimus, vtrùm neceſſitas nobis futura ſit celebrandi Seſſionem perendie, ex aliquo nouo & inſperato emergenti & incidenti, vel hinc ad octo dies, vel ad vnum menſem, vel plures. Propterea ſumus huius ſententiæ, vt ſi velimus cautè & prudenter agere, debeamus facere prorogationem ipſam ad beneplacitum Concilij. Hoc modo, & hac ratione erit ſemper ſacro Concilio liberũ & integrum, vt poſſit celebrare Seſſionem tunc & quando nouerit ita honori diuino & rationibus ipſius Concilij & Reipublicæ expedire. Sic denique putamus ex vſu eſſe præſentis temporis. Sciunt Patres, nos ſemper habuiſſe oculos ad conſeruandum ius & auctoritatem Concilij, & ad benè dirigendum & ordinandum ipſum Concilium. Credere debent, nos non mutaſſe animum; & propterea poſſunt habere aliquam fidem in nobis, & quoad hoc, ſe nobiſcum conformare: habentes pro certo, quòd nos benè conſiderabimus, quid deceat & expediat in præſenti rerum & temporum ſtatu. Vna tantùm ratio poſſet fortè aliquid ſcrupuli iniicere in mẽte alicuius, videlicet, quia ſi Patres ſcirent diem certum Seſſionis, poſſent aliqui ex eis meliùs conſulere rebus ſuis propriis vna ratione, vel alia. Credimus, quòd hæc hæſitatio haud longo tempore durabit, & quòd vnuſquiſque poſt non multos dies videre poterit, quem curſum & quem progreſſum ſit ſancta hęc Synodus habitura. Et nihilominùs, capiendo rem in quemcumque ſenſum, etiam aſperiorem, & in quocumque euentu, poſſunt Patres ſperare & ſibi polliceri de nobis, quòd non erimus ſecundiores, quàm hactenus fuerimus; & quòd ita ſemper publica dirigemus, vt priuatæ Patrum commoditatis rationem (quantum fieri pote-

Digitized by Google

poterit)habeamus. Sit igitur concluſio, quòd huius ſententiæ & opinionis ſumus,vt ſi Patribus ita videatur & placeat,hæc prorogatio fiat ad beneplacitum Concilij. Vnuſquiſque dicat liberè,more ſolito,ſentẽtiam ſuam, prout Reipublicæ Chriſtianæ,honori Cõcilij, commoditati Patrum putauerit expedire,& Spiritus ſanctus ſuggeſſerit ei. Quęcumque à nobis dicta ſunt,nulla alia ratione dicta eſſe cenſeri volumus,quàm pro maiori Patrum informatione; quia multi à nobis petierunt, vt quid in hac re ſentiremus, Patribus aperire vellemus.

Poſteà Patres dixerunt ſententias ſuas,& omnibus placuit,Seſsionem ipſam, quæ die craſtina iuxta Decretum publicatum in proxima pręcedenti Seſſione, die 2. Iunij præſentis anni celebranda erat, prorogari ad beneplacitum ſacri Concilij. Et ita fuit concluſum, decretum, & firmatum. Deinde dimittitur Congregatio, & Patres omnes receſſerunt circa horam vigeſimamtertiam.

Interfuerunt huic Sessioni Patres *præcedentis* Sessionis, *præterquam ſequentes.*

Archiepiscopi,

R.D.Archiepiſc.Antibarenſis, Venetus.
R.D.Archiepiſc. Corcyrenſis, Venetus.

Episcopi,

R.D.Epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis.
R.D.Epiſcopus Militenſis, Romanus.
R.D.Epiſcopus Soranus, Arpinas.

Orator Christianissimi Regis,
Illuſtriſſimus D.Claudius Durfé, Gallus.

BVLLA RESVMPTIONIS CONCILII TRIDENTINI SVB IVLIO III. PONT. MAX.

IVLIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia,quę in Germania longo tempore,non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione& ſcandalo viguerunt,bonum,opportunum & expediens eſſe videatur,ſicuti etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus nobis per ſuas literas & nuntios ſignificari fecit,vt ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium per felicis recordationis Paulum Papam III. prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungentes,atque ipſius Prædeceſſoris nomine, vnà cum duobus aliis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus,ipſi Concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolemnes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraq́; tam in cauſa fidei quàm reformationis promulgata Decreta, multaq́; etiã ad vtramque cauſam pertinentia, examinata & diſcuſſa,ad ciuitatem Tridentinam reducatur: Nos,ad quos & Summos pro tempore Pontifices ſpectat,Generalia Concilia indicere & dirigere, vt Eccleſiæ pacem, & Chriſtianæ fidei atque Orthodoxæ Religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus,& quantum in nobis eſt,tranquillitati ipſius Germanię,quę ſanè Prouincia retroactis tẽporibus in vera Religione, ac ſacrorum Cõciliorum & ſanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaq́; maximis Pontificibus Chriſti Redemptoris noſtri in terra Vicariis,debita obedientia & reuerentia, nulli Chriſtianorum Prouinciæ fuit vmquam ſecunda, paternè conſulamus,ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes ac Principes Chriſtiani iuſtis piiſque noſtris in hac re votis annuant,faueant,atq; aſſiſtãt: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiſcopos,Epiſcopos,& dilectos filios Abbates, omneſq́; alios & ſingulos, qui de Iure, vel conſuetudine, vel priuilegio Conciliis Generalibus intereſſe debent, quoſque idem Prædeceſſor noſter ſuis Indictionis & aliis quibuſcumque deſuper confectis & publicatis literis Concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordię Domini noſtri Ieſu Chriſti hortamur, requirimus, & monemus, vt proximis futuris Kalendis Maij,quem diem ad ipſum Concilium in eo in quo nunc reperitur ſtatu reſumendum, & proſequendum, præuia matura deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus,decernimus, & declaramus in ipſa ciuitate Tridenti, legitimo ceſſante impedimento, conuenire & ſe congregare,ac ipſius Concilij continuationi & proſecutioni,omni mora poſtpoſita,incumbere velint. Nos enim operam ſedulò daturi ſumus, vt in eadẽ ciuitate noſtri omnino adſint Legati,per quos (ſi per ætatem noſtram, valetudinemque,& Sedis Apoſtolicæ neceſſitates perſonaliter

naliter adeſſe nequiuerimus) Spiritu ſancto duce, ipſi Concilio præſidebimus) quacumque ipſius Concilij tranſlatione & ſuſpenſione, ceteriſq; contrariis non obſtantibus quibuſcumque, ac præſertim illis, quæ idem Prædeceſſor noſter in ſuis literis prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus atque decernimus, & quatenus opus ſit, innouamus, voluit non obſtare. Irritum nihilominus decernentes & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, voluntatis, innouationis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1550. decimooctauo Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

M. Car. Creſcentius.
Rom. Amaſæus.
R. per Romulum ſecre.
R. de ſancta Maria.

IVLIVS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam. Superioribus diebus de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ex cauſis tunc expreſſis, Apoſtolica auctoritate decreuimus, quòd ſacrum Oecumenicum & Vniuerſale Concilium Tridentum, vbi olim incœptum fuerat, reduci, & ibi (adiuuante Domino) terminari deberet, tempuſq; ad illud reſumendum & proſequendum Kalendas Maij proximè futuri præfiximus, omneſq; & ſingulos quomodolibet in eo intereſſe debentes hortati fuimus & monuimus, vt dicto tépore Tridenti eſſe vellent, prout in noſtris ſub plumbum deſuper expeditis literis plenius continetur. Ne autem propterea, quòd dictæ literæ nondum publicatæ fuerunt, aliqui ignorantiam rei vllo modo prætexere poſſint, ſed omnes plenam illius notitiam habeant, dicta auctoritate per præſentes ordinamus, quòd tam prædictæ, quàm præſentes literæ, per aliquem ex noſtris Curſoribus in Baſilicis ſancti Petri de Vrbe & ſancti Ioannis Lateranenſis, dum ibi Diuina celebrantur, publicè ac alta & intelligibili voce legâtur, & poſtquam lectæ fuerint, valuis ipſarum Baſilicarum affigâtur, & ibi aliquamdiu dimittantur, & relicta poſteà illarum copia, amoueantur. Decernentes, publicationé faciendam omnes & ſingulos ipſius Concilij celebrationi quomodolibet intereſſe debentes perinde arctare, ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent: quodq; ipſarum literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur: ac hortantes & in Domino requirentes omnes & ſingulos venerabiles fratres noſtros, Patriarchas & Archiepiſcopos, ad quos ipſarum literarum exempla impreſſa tranſmitti curabimus, vt pro ſuo officio & debito id eorum Suffraganeis & aliis minoribus Prælatis & Abbatibus notificent: contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 27. Decembris 1550. Pontificatus noſtri anno primo.

MANDATVM IVLII III. SVMMI PONT. IN REDVCTIONE CONCILII AD CIVITATEM TRIDENTINAM.

Ivlivs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Marcello, tituli ſancti Marcelli Preſbytero Cardinali Creſcentio nuncupato, noſtro & Apoſtolicæ Sedis ad Concilium Tridentinum Legato de latere, & venerabilibus fratribus Sebaſtiano Pighino Archiepiſcopo Sipontino, ac Aloyſio Lipomano Epiſcopo Veronenſi, noſtris & ipſius Sedis, ac in dicto Concilio vnà cum eodem Marcello Cardinali & Legato, nomine noſtro ad præſidendum Nuntiis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad prudentis patrisfamilias officium ſpectat, ea quæ per ſeipſum commode efficere non poteſt, vt per alios idoneos fiant, diligẽter curare. Dudum ſiquidem, cùm ex certis tum expreſſis cauſis bonum, opportunum & expediens eſſe videretur, vt ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium, per felicis recordationis Paulum Papam Tertium prædeceſſorem noſtrum indictum, ad ciuitatem Tridentinam reduceretur, nos ſperantes per omnipotentis Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes & Principes Chriſtiani iuſtis piiſque noſtris in hac re votis annuerent, fauerent, & aſſiſterent, venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac dilectos fi-

 lios

lios Abbates, omneſq; alios & ſingulos, qui de Iure vel conſuetudine, aut priuilegio Conciliis Generalibus intereſſe debent, hortati fuimus, requiſiuimus & monuimus, vt proximè futuris Kalendis Maij, quam diem ad ipſum Concilium, in eo quo reperitur ſtatu reſumendum, præuia matura deliberatione, ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decreuimus & declarauimus, in ipſa ciuitate Tridentina, legitimo ceſſante impedimento, conuenire & ſe cōgregare, ac ipſius Concilij continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere vellent, prout in aliis noſtris inde confectis literis pleniùs continetur. Nos igitur, qui ætate noſtra iam ingraueſcente, & aliis multiplicicer impediti, ad dictam ciuitatem ad præſens perſonaliter accedere, & ipſi Concilio iuxta deſiderium cordis noſtri intereſſe nequimus, volentes reſumptionem, continuationem & proſecutionem Concilij huiuſmodi ex noſtra abſentia non impediri, te, fili Marcelle Cardinalis, fide feruentem, prudentia, ſcientia ac rerum vſu conſpicuum, noſtrum & Apoſtolicæ Sedis ad Concilium huiuſmodi Legatum de latere, ac vos fratres, Sebaſtiane Archiepiſcope, & Aloyſi Epiſcope, pietate & doctrina ac rerum experientia inſignes, noſtros & ipſius Sedis ad dictum Concilium vnà tecum, fili Marcelle, Cardinalis & Legate, nomine noſtro præſidendum Nuntios cum ſpeciali & expreſſo mandato, necnon ratihabitionibus & aliis clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, de ſimili eorumdem fratrum noſtrorum conſilio Apoſtolica auctoritate tenore præſentium conſtituimus & deputamus, voſque ad dictam ciuitatē Tridentinam, tamquam pacis Angelos deſtinamus, ac vobis nomine & auctoritate noſtra eidem Concilio præſidendi, ac illud reaſſumendi, continuandi, dirigendi & proſequendi, necnon in illo pro veſtra pietate & ſapiētia ea omnia, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria, & aliàs quomodolibet opportuna eſſe, ac aliàs ad laudem & honorem Dei pertinere noueritis, etiam ſi magis ſpeciale mādatum exigant, iuxta noſtrarum prædictarum, ac Indictionis & aliarum ipſius prædeceſſoris ſuper præmiſſis confectarum & publicatarum literarum formam, faciendi & exercendi plenam & liberam, auctoritate & tenore prædictis, concedimus poteſtatem & auctoritatem. Hoc itaque munus vobis iniunctum ita implere ſtudeatis, vt ſperati fructus inde proueniant, voſque à nobis commendationem, & à Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam conſequi mereamini. Datum Pontificatus noſtri anno ſecundo.

MANDATVM IMPERATORIS.

CAROLVS V. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Ieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Comes Habſpurgi, Flandriæ & Tirolis, &c. Cùm beatiſſimus in Chriſto Pater & D. D. N. Iulius III. diuina prouidentia S. R. ac Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus D. N. R. ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium, per Sanctitatis ſuæ prædeceſſorem felicis record. Paulum Papam III. indictum & incœptum, & aliquādo intermiſſum, ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore maxima totius orbis Chriſtiani perturbatione viguerunt, denuò ad ciuitatem Tridentinam reuocauerit, ac per literas ſuę Sanctitatis ad Kalendas Maias proximè præteritas conuocauerit; Nos verò ob aduerſam valetudinem, cum qua aliquādiu iam continuò fermè conflictamur, tum aliis negotiis impediti, cùm eidem Concilio, vti cupiebamus, perſonaliter intereſſe nō poſſimus; ne tamen muneri noſtro in re tam ardua defuiſſe videamur, operæpretium duximus, Mandatarios & Procuratores noſtros eò ablegare. Ac proinde confiſi de fide, probitate & rerum experientia, ac erga ſacroſanctam Religionem noſtram orthodoxam, zelo & pietate venerabilium, deuotorū, ac generoſitate nobilium fidelium, nobis dilectorum Hugonis Comitis à Monfort, Don Franciſci à Toleto Prioris Monaſterij Reconuallenſis, & Guilhelmi à Pictauia Archidiaconi Campaniæ, Conſiliariorum noſtrorum, eoſdem tam ratione Imperialis noſtræ dignitatis, quam ſuſtinemus, quàm Regnorum & Prouinciarum hereditario iure nobis ſpectantium, coniunctim & ſeparatim fecimus, creauimus, conſtituimus, & ordinauimus, atque ex nunc tenore pręſētium, ex certa animi noſtri ſcientia, & omnibus aliis melioribus medio, via, Iure & cauſa, quibus validiùs & efficaciùs poſſumus & debemus, ſolemniter facimus & creamus, conſtituimus & ordinauimus noſtros veros legitimos & indubitatos Oratores & Mandatarios: dantes eis, & cuilibet eorum, in ſolidum amplam facultatem & poteſtatem, vt omnes ſimul, aut tres, duo, vel vnus ipſorum nomine noſtro in dicto Concilio Oecumenico

nico

nico comparere, in omnibus Seſſionibus noſtrum locum, vti Oratores & Mandatarij noſtri habere, res & negotia Religionis & fidei, & alia quæcumque in prædicto Concilio tractanda, vnà cum aliis ibidem ſtantibus Reipublicæ Chriſtianæ Principibus, eorúmve Legatis, Oratoribus, Mandatariis conſultare, agere & tractare, illiſq; omnibus & per omnia adeſſe, conſilium, votum & decretum noſtro nomine dare, impartiri ac interponere, aliaq́ue omnia tractare, procurare, agere, concludere & exercere debeant & poſſint, quæ ad Dei gloriam, fidei vnionem & exaltationem, & Reipublicæ Chriſtianæ honorem, commodum & augmentum pertinere, & in ipſo Concilio expedire viſa fuerint, & quæ nos ipſi agere, tractare, procurare & facere poſſemus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus; etiam ſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum. Ponentes idcircò pręfatos Oratores & Mandatarios noſtros, quo ad præmiſſa, in locum & vicem perſonæ noſtræ; promittentes in verbo noſtro Cæſareo, nos habituros ratum & gratum, quidquid per ipſos Oratores mandatarios noſtros, tres, aut duos, vel vnum ipſorum, ad modum prænarratum, actum, procuratum & geſtum fuerit, dolo & fraude penitus ſemotis: harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum.

Dat. in ciuitate noſtra Imperiali Auguſta Vindelica, die primo menſis Iulij, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Imperij noſtri 31. & Regnorum noſtrorum 36.

CAROL.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ M. proprium.

Ioannes Burger.

ORATIO ORATORIS IMPERAT.
poſt præſentationem ſui Mandati.

POSTQVAM intermiſſum annis aliquot ſacroſanctum Concilium, Illuſtriſſ. D. R. Præſules, P. ampliſſimi, ad fidei & Religionis Chriſtianæ incrementum, hæreſes extirpandas, morumq; reformationē non modò vtiliſſimum, verùm & neceſſarium, à ſanctiſſimo Patre Iulio Tertio Pontifice maximo Cæſar inuictiſſimus in hac ciuitate Tridentina proſequendum impetrauit, omnes tam Imperij Romani quàm Regnorum ſuorum & patrimonialium Prouinciarum Præſules hortari, monere, frequenter etiam orare, vt ad Concilium ſe conferrent, non deſtitit: quod equidem & Pręſulum in hoc Conuentu frequentia, & Illuſtriſſimorum ſacri Romani Imperij Electorum præſentia, vel me tacente, atteſtatur. Nec his contentus Cæſar, quò maiorem teſtatioremq́ue animi ſui ergo ſacram Synodum propenſionem oſtenderet, præter fideliſſimum, & iam dudum hoc munere fungentem Dominum Illuſtriſſimum Franciſcum à Toleto, vnum ex Hiſpaniarum Regis ex patrimonialibus ſuis Prouinciis, alterum me quoque, licet indignum, ex Germania, ad ipſius vices vnà cum illo hîc gerendas, Oratorem ac Mandatarium conſtituit. Vnde magnum animi Caroli Cæſaris inuictiſſimi erga Religionem Chriſtianam, ac Germanicæ nationis ſalutem extat argumentum. Vt verò voluntati clementiſſ. Domini mei morem gererem, eiuſque iuſſis obtemperarem, omiſſis rebus omnibus, huc me, quàm diligētiſſimè potui, contuli. Quamobrem ergo vos, Præſules Reuerendiſſimi ac Patres ampliſſimi, precor, vt iuxta Cæſarei Mandati tenorem, in eius me Oratorem recipiatis. Dixi.

RESPONSVM SYNODI
AD ORATORES IMPERATORIS.

ILLVSTRES Domini: Mandatum Cæſareæ Maieſtatis, quod modò à Dominationibus veſtris exhibitum eſt, & coram Patribus recitatum fuit, huic ſanctæ Synodo iucundiſſimum nuntium attulit. Quantum enim in hoc tam vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalutari opere, de piiſſima huius Religione & potentiſſimi Principis animo ſibi polliceri poſſit, facilè cum ex ipſius Mandati lectione, tum ex perſonarum veſtrarum deſtinatione intellexit. Quare & Dominationes veſtras, quas ob ſingularem earum prudentiam & Religionis ſtudium magno ſibi adiumento fore ſperat, grato & beneuolo animo amplectitur, & Mandatum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis, quantum de Iure poteſt, libentiſſimè admittit: & cùm de his omnibus ſancta Synodus Deo benedicto gratias aget, ſimul & diuinam clementiam pro ſalute eiuſdem Maieſtatis, & felici rerum ipſius euentu aſſiduè precabitur.

SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS
CONC. TRIDENTINI
SESSIO XI.

quæ eſt prima ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata Kalendis Maij,* 1551.

IN nomine ſanctæ & indiuiduę Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Anno

à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione nona, die verò Veneris prima menſis Maij, Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Iulij, diuina prouidentia Papæ Tertij, anno ſecundo, Reuerend. & Illuſtr. D. Marcellus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Creſcentiis, prælibati ſanctiſſimi D. Papæ de latere Legatus, ac R. D. Sebaſtianus Pighinus Archiepiſcopus Sipontinus, & Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, Apoſtolicæ Sedis Nuntij, vnà cum reliquis Patribus, qui Tridenti aderant, de manè conuenerunt in Eccleſia Cathedrali ſancti Vigilij ciuitatis Tridentinę, in qua celebrarunt primam Seſſionem huius ſacri Concilij Tridentini ſub eodem ſanctiſſimo D. N. Iulio: vbi celebrata priùs de Spiritu ſancto ſolemni Miſſa, peractiſque conſuetis cæremoniis, lectæ fuerunt literæ eiuſdem ſanctiſſimi D. N. Papæ ſuper reaſſumptione & proſecutione ſacri Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini. Deinde R. D. Archiepiſcopus Turritanus conuerſus ad Patres, alta & intelligibili voce legit hæc, quæ ſequuntur:

DECRETVM DE RESVMENDO CONCILIO.

REVEREND. & Illuſtr. D. & Reuerendi Patres, Placétne vobis, ad laudem & gloriam ſanctę & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad incrementũ & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium Tridentinum, iuxta formã & tenorem literarum ſanctiſſimi Domini noſtri, reſumi debere, & procedendum eſſe ad vlteriora? Reſponderunt, Placet.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

D. & Illuſtr. Domini, Reuerendique Patres, Placétne vobis, proximè futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe in futuris Kalendis Septembris? Reſponderunt, Placet.

Et ſucceſſiuè ab ipſo Reuerend. & Illuſt. Domino Legato declaratum eſt, Concilium ipſum reſumptum eſſe, & procedendum eſſe ad vlteriora.

Ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, ſcripta omnia, ita vt notata ſunt, acta fuiſſe &c. In quorum fidem manu mea propria ſubſcripſi.

EXHORTATORIA ORATIO *Reuerendiſſimorum ſacri* CONCILII TRIDENTINI PRÆSIDVM *nomine recitata Kalendis Septembris*, 1551.

CVM, poſt reſtitutam huc Synodum, Patres ampliſſimi, recens iiſque peropportunus ac nobis optatiſſimus duorum clariſſimorum Germaniæ Præſulum, & eorumdem ſacri Romani Imperij Principum Electorum aduentus, magnam ſpem attulerit nobis, fore vt non ſolùm multi eiuſdem Nationis Epiſcopi, illorum exemplo excitati, verùm etiam alij quamplurimi variis ex locis propediem huc adſint, atque ita ſacrum Concilium, ad Dei omnipotentis honorem proſequi & peragere liceat: nunc denique noſtras eſſe partes duximus, pro loco ac perſona quam ſuſtinemus, vt in principio & tamquam limine actionum noſtrarum, pauca verba veſtri ſimul & noſtri hortandi atque admonendi cauſa faciamus. Etſi enim vos pro veſtra pietate & ſapientia ac ſtudio ſalutis animarum, in tam graui Chriſtianæ Reipub. tempore ac neceſſitate, bonorum Sacerdotum & Paſtorum officio fungi paratos eſſe minimè dubitamus; tamen tanta eſt earũ rerum, quas præclarè inchoatas, Deo adiuuante, perſequi & ad exitum adducere inſtituimus, magnitudo, vt nulla, quæ nos vehementiùs excitet & officij noſtri ſæpiùs admoneat, ſuperuacanea videri debeat oratio. Tollendæ enim nobis, vt ſcitis, atque extirpandæ ſunt hæreſes: quibus non ſine maxima animarum iactura longè lateque diſſeminatis, & indies longiùs ſerpentibus miſerandum in modum Eccleſia ſciſſa, lacerata & perturbata eſt. Corrigenda & reformanda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, quæ iamdiu deprauata atq; corrupta, harum ipſarum hæreſum magna ex parte cauſa origoque extitit. Poſtremò agendum eſt de ſedandis Regum inter ſe Principumq; diſcordiis: quibus effectum eſt, vt Chriſtiana Reſpublica maximas intus & foris calamitates acceperit, & impiorum hoſtium aucta potentia, noſtris autem fractis & debilitatis viribus, ſalus iam & libertas Chriſtianorum omnium, atq; adeò ipſa fides & Religio in ſummum & extremum penè diſcrimen adducta ſit. Vnde autem noſtræ hortationis initium

aptiùs

apertis duxerimus, quàm vt nos tantis ac tam arduis rebus non modò perficiendis, ſed ne aggrediendis quidem impares eſſe intelligamus. Quis enim oculos ad tantarum rerum molem inſpiciendam attollens, inde eoſdem ad humanarum virium exiguitatem conſiderandam deiiciens, hoc non intelligat, nequaquam tanto oneri ſubeundo ac ſuſtinendo infirmitatem humanam poſſe ſufficere? Nec verò hoc deterrendi veſtri cauſa dicimus, ſed vt noſtram imbecillitatem agnoſcentes, ad Dei Opt. Max. opem & miſericordiam nobis confugiendũ eſſe ſtatuamus. 2 Cor. 3. Ex eo omnis, vt inquit Apoſtolus, ſufficientia noſtra eſt. Itaque in illo noſtra omnis nobis ſpes & fiducia collocanda & reponenda eſt, qui omnibus, dummodò in fide poſtulent, affluenter dat, & non improperat. Agitur ipſius Religionis cauſa: agitur Eccleſiæ ſalus, quam tantopere dilexit, vt eam Filij ſui vnigeniti paſſione & morte redimendam putauerit. Vt ſuperioribus temporibus illi numquam defuit, ita nec hoc quidem tempore aut in poſterum vnquã eſt defuturus. Iacta ſunt, eo auctore, harum rerum ferè omnium fundamenta. Profectò cuius impulſu atque auxilio opus iam inſtitutum & cœptum eſt, eodem quoque vires ſubminiſtrante, & nobiſcum ſimul operante, abſoluetur. Iſa. 59. Non eſt abbreuiata manus Domini, vt Eccleſiæ ſuæ opitulari non poſſit; neque minuta clementia, vt nolit. Cuius quidem propitiæ voluntatis erga nos, cùm alia multa, tum hoc non minimum teſtimoniũ habemus, quòd Germaniæ Præſules, auctoritate, prudentia, pietate præſtantiſſimos in eam mentem impulit, vt tam opportuno tempore, multis magnis, quibus impediebantur, difficultatibus conſilio & virtute ſuperatis, ad hanc ſacroſanctam Synodum accederent. Nos modò contrito & humiliato corde ſupplices eius opem aſſiduè imploremus, quemadmodum paulò antè more Maiorum atque inſtituto fecimus. Intimo animi dolore peccata noſtra ingemiſcamus, atque in bonis operibus & dignis pœnitentiæ fructibus ambulantes, animas Iſa. 52. noſtras & corda Spiritui ſancto, tamquam ſedes ac templa munda, præbeamus, memores eius quod ſcriptum eſt: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Maxima ſemper, vt vos minimè præterit Patres, Generalium Conciliorũ vis, maxima fuit auctoritas. Nec enim dubium eſt, quin eis, modò rectè & ordine habeantur, Spiritus ſanctus ipſe præſideat. Matth. 18. Etenim ſi Dominus noſter, vbicumque duo aut tres in nomine eius fuerint congregati, in medio eorum ſe futurum eſſe confirmauit: quis eum & ſanctum ipſius Spiritum abeſſe putet ab huiuſmodi plurimorum Patrum & Sacerdotum Conuentu iuſto atq; legitimo, qui, quemadmodum hic noſter, propter cauſam fidei & Religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique & tranquillitatem Eccleſiæ ſit coactus? Itaque talium Conciliorum ſcita, non hominum magis quàm Dei ipſius exiſtimantur eſſe decreta. Horum exemplum nobis, primis illis Eccleſiæ temporibus, Spiritu ſancto pleni Apoſtoli prodiderunt. Ad hoc remedium maiores noſtri deinceps grauiſſimis Eccleſiæ temporibus confugerunt. Hoc Arianam illam ſectam, toto terrarum orbe diffuſam, tam inueteratam, tantis ſtudiis opibuſque potentiſſimorum Principum defenſam, hoc Macedonij, Neſtorij & Eutychetis hæreſim, innumerabileſque alias ſuſtulerunt: hoc ſæpè Sacerdotum & populi vitam ac mores reformarunt: hoc ſeditionibus & diſcordiis aliquando agitatam Eccleſiam, in quietum & tranquillum ſtatum redegerunt. Quare magna ſpe, magno animo, Patres, tam pias actiones & tam Chriſtiano nomini ſalutares proſequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc officium noſtrum eſt, qui hanc ob cauſam ex tam diſtantibus ac remotis regionibus in hãc vrbem conuenimus. Ac primùm quidem æterni Dei honor & gloria, & ſanctiſſimæ ipſius fidei ac Religionis cauſa nos moueat. Nam cùm propter prauos & corruptos mores, Dei venerationem, cultũ & charitatem vbique imminuta, tum verò hæreſibus & impietate dogmatum, veritatem & ſinceritatem fidei nuſquam ferè non contaminatam atque pollutam videamus, quis tam ingratus ac tam immemor diuinorum munerum ac beneficiorum erit, qui Dei benedicti cultum & gloriam non ceteris modò rebus anteponat, ſed vita & anima ſua habeat chariorem? Qui, vt reliqua eius in humanum genus beneficia, quæ ſunt innumerabilia, & longè maxima, omittamus, tantopere nos figmentum manuum ſuarum luteum amauit, quamquã inimici ei eſſemus, & eo impiè relicto ac repudiato, muta & fragilia quædam ſimulacra coleremus; tamen per vnigeniti Filij ſui mortẽ crudeliſſimoſq; cruciatus nos ſibi reconciliauerit, & ſatanæ dominatu ac peccatorum mole oppreſſos, æterniſque ſuppliciis addictos liberarit, atque in filios ſibi in ſpem æternæ gloriæ & cæleſtis hereditatis adoptarit. Quòd ſi eius honori & gloriæ fideles omnes tantopere inſeruire oportet, quanto maiore ſtudio nos, quos ille ſibi Sacerdotes elegit, eius cultum & Religionem tueri, defendere & conſeruare debemus? Salus prætereà nos moueat ani-

marum, pro quibus agnus ille immaculatus, D. N. Ieſus Chriſtus ſuum in ara crucis ſanctiſſimum & pretioſiſſimum Sanguinem effudit. Quæ cùm fidei & cuſtodiæ noſtræ commiſſæ & commendatæ fuerint, earum incolumitati à nobis cura & ſollicitudine prouidendum eſt, ſi officio noſtro ſatisfacere, ſi noſtræ ipſorum ſaluti conſulere volumus. *Ier. 48.* Væ enim ijs, qui Dei opus negligenter faciunt. Væ nobis, ſi tam neceſſario tempore, officio ac muneri noſtro defuerimus. *Cap. 34.* Quas per Ezechielem minas Dominus paſtoribus, oues ſibi commiſſas negligentibus, intentauit? quàm acriter, quàm ſeuerè, quàm atrociter gregem ſuum ſe de eorum manu requiſiturum eſſe denuntiauit? Qui cùm primò eorum negligentiam his verbis accuſaſſet, *Ezech. 34.* Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis; & quod confractum, non alligaſtis; & quod abiectum, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis; hæc paulò poſt adiunxit: Viuo ego, quia pro eo, quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meę in deuorationem omnium beſtiarum agri: ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Quæ eadem ferè, quamquam aliis rebus, per *Ier. 2.* Ieremiam minatus eſt. Vtinam verò, Patres, hæc magno animæ diceremus cum dolore! vtinam hæc tam vehemens increpatio in noſtra tempora minimè conueniret! non tantum ouium numerum deſideraremus, non grex Domini tantoperè diſiectus ac laceratus fuiſſet. Heu! quis tantam eius diſſipationem, diſſipationem autem? immò verò ſtragem ac vaſtitatem ſatis dignè poſſit deplorare? Superat omnem non orationis modò copiam, ſed vim etiam doloris tantæ & tam luctuoſæ cladis magnitudo. Expergiſcamur igitur, expergiſcamur per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quoniam ijs, quæ interierunt, ouibus ampliùs ſubuenire non poſſumus, demus ſaltem operam, vt tum ab ouili Dominico abductas recuperemus, tum illas quæ inde non exierunt, diligentiùs in poſterum cuſtodiamus. Non de ſalute tantùm eorum agitur: noſtra quoque ipſorum ſalus agitur. Neque perire illæ incuria noſtra poſſunt, quin id animabus noſtris exitioſum futurum ſit. Earum à nobis rationem in tremendo illo Iudicio is repoſcet, qui illas Sanguine ſuo redemptas nobis paſcendas cuſtodiendaſque commiſit. Hinc nos viuentis Dei minæ commoueant, cuius *Hebr. 10.* in manus incidere horrendum eſt, ſi officio noſtro defuerimus: inde parata nobis laboris & ſollicitudinis futurę merces excitet, ſi fuerit per nos Dominici gregis ſaluti proſpectum atque conſultum. Omittimus laudem, quæ ab omnibus non huius modò ætatis hominibus, ſed ab omni poſteritate ſacro huic Concilio ſine dubio maxima tribuetur: & eam omittimus, propterea quòd minimè decet nos inanem iſtam & falſam gloriam aucupari, aut in ea vllum rectè factorum fructum ponere. Quod qui faciunt, ij, vt Dominus in Euangelio inquit, mercedem iam *Matth. 6.* ſuam receperunt. De vera illa & ſolida & ſempiterna gloria loquimur, quæ bonis operibus à Chriſto Domino noſtro promiſſa & præparata eſt. Etenim ſi ijs, qui proximum *Matth. 25.* ſuum eſurientem, aut ſitientem, aut nudum, cibo, potu, veſte, aut aliis huiuſmodi charitatis officiis iuuerint, regnum ab eo cæleſte promiſſum eſt; quantò illud magis ſperare is debebit, qui proximi & fratris ſui animam ex ipſis ſatanæ faucibus eripuerit? Quid? qui non de vno aut altero fratre, ſed de cuncto fidelium cœtu & vniuerſa Republica Chriſtiana optimè fuerit meritus, ipſamque Dei Religionem conſiliis & laboribus ſuis inſtaurauerit, quantò maiora ab illo omnium bonorum operum auctore, & eodem remuneratore, præmia conſequetur? Hæc ſunt quæ ſpectare, quæ intueri, quæ propoſita habere & poſſumus & debemus. Hæc ſunt genere ipſo ineffabilia, magnitudine infinita, diuturnitate perpetua & ſempiterna. Quamobrem incumbamus, Patres, toto pectore, vt aiunt, ad ſananda Chriſtianæ Reipublicæ vulnera: incumbamus quanta maxima poſſumus cura & diligentia ad eas actiones, ex quibus ad Deum honor, ad Eccleſiam ſalus, ad nos æterna gloria & felicitas peruentura eſt. Incredibile eſt, quibus piorum omnium votis expetitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rurſus reſtitutum huc fuerit inſtauratumque Concilium. Perſuaſum ijs eſt & rectè perſuaſum, hoc vnum eſſe remedium, quo Eccleſiæ nauis, iamdiu hæreſum & diſcordiarum procellis agitata atq; quaſſata, & cùm vi tempeſtatis, tum nautarum etiam negligentiâ propè obruta, è periculo eripi, & tuto in portu poſſit collocari.

Hæcne eorum vota inania, has ſpes fallaces, hanc voluptatem irritam patiemur euadere? Quid reliquum erit ampliùs quod ſperent? quid ſupererit quod expectent? Si vllo vnquam tempore bonorum & ſapientium Sacerdotum Eccleſia fidem auxiliumque implorauit, hoc tempore, Patres, hoc tẽpore maximè implorat, afflicta, vexata, lacerata, tot ſpoliata præſidiis, tot chariſſimis filiis orbata, ſupplex Deo & vobis manus tẽdit: filios ſuos è ſinu ſibi ereptos recuperare pia parens deſiderat, & cùm eorum deſide-

rio

rio angitur, tum de reliquorum etiam ſalute eſt ſollicita. Quas illa Deo grates aget? quãta præ lætitia ac voluptate exultabit, ſi quod optat, per vos fuerit conſecuta? Quàm ea res non huic ſolùm quæ in terris eſt, verùm etiam illi cæleſti Eccleſiæ grata, iucunda, optataq; accidet? Etenim ſi vel vno peccatore in terris pœnitentiam agente, beatæ illæ mentes tantopere in cælo gaudent, quid tot populis ad veritatis lucem & rectam viuendi rationem reuocatis futurum eſſe cenſemus? Ipſum profectò cælum Eccleſiæ hac vnione, & Religionis ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratione lætabitur, & terra ob factoris ſui gloriam iubilabit, ac Domino nobis placato atque propitio, lætiores poſthac dies, feliciora tempora, vberiores terræ fructus erunt. Reliquum eſt, Patres ampliſſimi, vt vos pro officio noſtro admoneamus, tametſi grauitas & ſapientia veſtra minimè admonitionem noſtram deſideret, vt hæc quæ pro totius Eccleſiæ ſalute agere molimur, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, quemadmodum ſanctæ huic Synodo dignum eſt, agantur. Faceſſat hinc omnis huius ſacroſancti Cœtus maieſtate indigna contentio. Faceſſat omne odium, omnis verborũ immoderatio. Sit ſumma inter nos, vt debet, charitas, ſumma animorum conſenſio, ſumma concordia. Nemo noſtrûm quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Ieſu Chriſti. Denique meminerimus, huic Conuentui Deum ipſum noſtrorum conſiliorum & actionum omnium ſpectatorem ac iudicem eſſe affuturum. Cui ſalus eſt & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

Luc. 15.
Gal. 6.

SESSIO XII.

quæ eſt ſecunda ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata die* 1. *Septemb.* 1551.

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus eiſdem Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, quæ in proximè præterita Seſſione ſequentem hanc hodie habendam, & ad vlteriora procedendum eſſe decreuerat, cùm ob inclitæ Germanicæ Nationis, cuius præcipuè cauſa agitur, abſẽtiam, ac nõ magnam ceterorum Patrum frequentiam procedere hactenus diſtulerit, de venerabilium in Chriſto fratrum & filiorum ſuorum, Maguntini & Treuirẽſis Archiepiſcoporum, ac ſacri Romani Imperij Principum Electorum, & complurium ipſius aliarumq; Prouinciarum Epiſcoporum ſub hanc ipſam diem aduentu in Domino exultãs, & dignas ipſi omnipotenti Deo agens gratias, firmamq́ue ſpem concipiens, quamplurimos tam ipſius Germaniæ, quàm aliarum Nationum Prælatos, & ſui officij debito, & hoc exemplo commotos propediem eſſe venturos; futuram Seſſionem ad quadrageſimã diem, quæ erit 11. menſis Octobris proximè ſequentis, indicit, & Concilium ipſum in ſtatu in quo reperitur, proſequendo: cùm in præteritis Seſſionibus de ſeptem Sacramentis nouæ Legis in genere, & in ſpecie de Baptiſmate & Confirmatione definitum fuerit; ſtatuit & decernit, de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, necnõ quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum reſidẽtiam pertinent, agi & tractari debere: ac monet & hortatur omnes Patres, vt interim D. N. Ieſu Chriſti exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, ieiuniis & orationibus vacent, vt Matth. 4. tandem placatus qui in ſæcula ſit benedictus Deus, corda hominum ad veræ Ioan. 9. fidei agnitionem & ſanctæ matris Eccleſiæ vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere dignetur.

Concordat cum originali. In cuius fidem ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, ſubſcripſi manu propria.

SESSIO XIII.

quæ eſt tertia ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata die vndecima Octobris* 1551. *Celebrauit autem Miſſam ſummam Epiſcopus Maioricenſis, Orationemq́ue habuit Archiepiſcopus Turritanus.*

DECRETVM DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè

mè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, & ſi in eum finem non abſque peculiari Spiritus ſancti ductu & gubernatione conuenerit, vt veram & antiquam de fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & vt hęreſibus omnibus, aliis grauiſſimis incommodis, quibus Dei Eccleſia miſerè nunc exagitatur, & in multas & varias partes ſcinditur, remedium afferret, hoc præſertim iam inde à principio in votis habuit, vt ſtirpitus conuelleret zizaniam execrabilium errorum & ſchiſmatum, Matth. 13. quæ inimicus homo his noſtris calamitoſis temporibus in doctrina fidei, vſu & cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuperſeminauit: quam alioqui Saluator noſter in Eccleſia ſua tamquã ſym- Eph. 1. bolum reliquit eius vnitatis & charitatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos & copulatos eſſe voluit. Itaque eadem ſacroſancta Synodus ſanam & ſincerã illam de venerabili hoc & diuino Euchariſtiæ Sacramento doctrinã tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia, ab ipſo Ieſu Chriſto Domino noſtro & eius Apoſtolis erudita, atque à Luc. 22. Spiritu ſancto, illi omnem veritatem indies ſuggerente, edocta retinuit, & ad finem vſque ſæculi conſeruabit, omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſt hac de ſanctiſſima Euchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm vt eſt hoc præſenti Decreto explicatum atque definitum.

De reali præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPVT I.

PRINCIPIO docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtię Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, D. N. Ieſum Chriſtum, verum Deum atq; hominem, verè, realiter ac ſubſtãtialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Neque enim hæc in- Eph. 1. ter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalẽ, & vt multis nihilominùs aliis locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam, etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione Matth. 19. per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus. Ita enim Maiores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſsimè profeſsi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis viniq́ue benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Quæ verba à ſanctis Euangeliſtis commemorata, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. & à D. Paulo poſteà repetita, cùm propriam illam & apertiſsimam ſignificationem præferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt, indigniſsimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdã contentioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri, quæ tamquam columna & firmamentum veritatis hæc ab impiis hominibus excogitata commẽ- 1. Tim. 3. ta, velut ſatanica, deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſſimũ hoc Chriſti beneficium agnoſcẽs.

De ratione inſtitutionis huius ſanctiſſimi Sacramenti.

CAP. II.

ERGO Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriã faciens mirabilium ſuo- Pſal. 110. rum, & in illius ſumptione colere nos Luc. 22. 1. Cor. 11. ſui memoriam præcepit, ſuamq́ue annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum,

Digitized by Google

quo alantur & confortentur viuentes
Ioan. 6. vita illius, qui dixit, Qui mãducat me, & ipſe viuet propter me; & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus
Eph. 1. præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoq; ſymbolum vnius
1. Cor. 11. Eph. 5. illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit,
Rom. 12. cuique nos, tamquam membra arctiſſima, fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt idipſum
1. Cor. 1. omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.

De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta.

CAP. III.

COMMVNE hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum ceteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem; verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tũc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Euchariſtia, ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm
Luc. 22. Marci 14. verè tamẽ ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt cõſecrationem verũ Domini noſtri Corpus verumque eius Sanguinem ſub panis & vini ſpecie vnà cum ipſius anima & diuinitate exiſtere; ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes
Rom. 6. Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie, atq; ſub vtraque contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte, item ſub vini ſpecie & ſub eius partibus exiſtit.

De Tranſubſtantiatione.

CAP. IV.

QVONIAM autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod Matth. 26.
ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis eius; quæ conuerſio conuenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſubſtãtiatio eſt appellata.

De cultu & veneratione huic ſanctiſſimo Sacramento exhibenda.

CAP. V.

NVLLVS itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neq; enim ideò minùs eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum: nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem
Pater æternus introducens in orbem Hebr. 1. ex Pſal. 96.
terrarum, dicit, Et adorent eum omnes
Angeli Dei: quem Magi procidentes Matth. 2.
adorauerunt, quem denique in Galilæa Matth. 28.
ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.

Declarat præterea ſancta Synodus, piè & religioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, vtque in Proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignifica-

Digitized by Google

ficatione, gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & 1. Cor. 15. Hebr. 2. planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

De aſſeruando ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.

CAP. VI.

CONSVETVDO aſſeruandi in Sacrario ſanctam Euchariſtiam, adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum etiam Nicæni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc vſum diligenter in Eccleſiis conſeruari, præterquam quòd cum ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſeruatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

De præparatione quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat.

CAP. VII.

SI non decet ad ſacras vllas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè, certè quò magis ſanctitas & diuinitas cæleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat: præſertim cùm illa plena for- 1. Cor. 11. midinis verba apud Apoſtolum legamus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti reuocandum eſt 1. Cor. 11. in memoriam eius præceptum: Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris. Quòd ſi neceſsitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſsione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.

De vſu admirabilis huius Sacramenti.

CAP. VIII.

QVOAD vſum autem, rectè & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt Sacramentaliter dumtaxat id ſumere, vt peccatores: alios tantum ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt: tertios porrò Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter; ij autem ſunt, qui ita ſe priùs probant & inſtruunt, vt veſtem Matth. 22. nuptialē induti ad diuinam hanc menſam accedant. In Sacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac meritò retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordię Dei noſtri, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo iam tandem aliquando conueniant & concordent: memoreſque tantæ maieſtatis, & tam eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ

Digitized by Google

ſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis eius ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis: cuius vigore cõfortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cæleſtem patriã perueni-
Pſal. 77. re valeant, eumdem panem Angelorũ, quem modò ſub ſacris velaminibus edunt, abſq; vllo velamine mãducaturi.

Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi & detegantur & refellantur errores; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, vt omnes iam agnita doctrina Catholica, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caueri vitarique debent.

DE SACROSANCTO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

SI QVIS negauerit, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri IESV Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit, tantummodò eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini vnà cum Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſubſtantiationem appellat, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS negauerit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantùm in vſu dum ſumitur, non autem antè vel pòſt; & in Hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſeruantur vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, in ſancto Euchariſtię Sacramento Chriſtum vnigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus ſecundùm laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ritum & conſuetudinẽ ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in Sacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſariò diſtribuendam, aut non licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS negauerit, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſinguli annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandũ, iuxta pręceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, Anathema ſit.

Canon X.

Si qvis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare, Anathema ſit.

Canon XI.

Si qvis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Anathema ſit.

Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

Decretvm de reformatione.

Capvt I.

Eadem ſancta Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, intendens nonnulla ſtatuere quæ ad iuriſdictionem pertinent Epiſcoporum, vt iuxta proximæ Seſſionis Decretum, illi in commiſſis ſibi Eccleſiis eò libentiùs reſideant, quò faciliùs & commodiùs ſibi ſubiectos regere, & in vitæ ac morum honeſtate continere potuerint: illud primùm eos admonendos cenſet, vt ſe paſtores, non percuſſores eſſe meminerint; atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios & fratres diligant; elaborentque, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cùm ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem virgâ opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt, vt ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris ac neceſſaria conſeruetur, & qui correcti fuerint, emendentur; aut, ſi reſipiſcere noluerint, ceteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à vitiis deterreantur: cùm ſit diligentis & pij ſimul Paſtoris officium, morbis ouium lenia primùm adhibere fomenta; pòſt, vbi morbi grauitas ita poſtulet, ad acriora & grauiora remedia deſcendere: ſin autem ne ea quidem proficiant, illis ſubmouendis, ceteras ſaltem oues à contagionis periculo liberare.

1.Tim.3. 1.Pet.5. 2.Tim.4.

Cùm igitur rei criminum plerumque ad euitandas pœnas & Epiſcoporum ſubterfugienda iudicia, querelas & grauamina ſimulent, & appellationis diffugio Iudicis proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque vt huiuſmodi eorum calliditati & tergiuerſationi occurratur, ita ſtatuit & decreuit:

In cauſis viſitationis & correctionis, ſiue habilitatis & inhabilitatis, necnon criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante definitiuam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur: nec Epiſcopus ſeu Vicarius appellationi huiuſmodi, tamquam friuolæ, deferre teneatur, ſed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis Iudice emanata, necnon omni ſtylo & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad vlteriora valeat procedere, niſi grauamen huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit: quibus caſibus, ſacrorum & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

Cap.

CAP. II.

A SENTENTIA Epiſcopi, vel ipſius in ſpiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis cauſa (vbi appellationi locus fuerit) ſi Apoſtolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, ſeu illius etiam in ſpiritualibus Vicario generali; aut ſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, vel vltra duas legales diætas diſtet, ſeu ab ipſo appellatum fuerit, vni ex vicinoribus Epiſcopis, ſeu illorum Vicariis, non autem inferioribus Iudicibus committatur.

CAP. III.

REVS ab Epiſcopo, aut eius Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram Iudice, ad quem appellauit, acta primæ inſtantiæ omnino producat, & Iudex, niſi illis viſis, ad eius abſolutionem minimè procedat: is autem, à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat; alioqui abſque illis cauſa appellationis huiuſmodi, prout iuſtitia ſuaſerit, terminetur.

CAP. IV.

CVM verò tam grauia nonnumquam ſint delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, vt ob eorum atrocitatem è ſacris Ordinibus deponendæ, & Curiæ ſint tradendæ ſæculari, in quo ſecundùm ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur; quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita Iuris executio differretur, ſi quando autem interuenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit & decreuit, Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem, contra Clericum in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depoſitionem, & per ſeipſum etiam ad actualem atque ſolemnem degradationem ab ipſis Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat; adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, vſum mitræ & baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate aut Diœceſi reperiri & cōmodè intereſſe poſſint: alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues ac Iuris ſcientiâ commendabiles exiſtant.

Concil. Carthag. I. c. 11. II. c. 10. III. c. 8.

CAP. V.

ET quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, vt nonnulli eiuſmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis Epiſcoporum, iuſta ſeueritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cùm non ferendum ſit, vt mendacium, quod tantopere Deo diſplicet, non modò ipſum impunitum ſit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret mentienti; idcircò, vt ſequitur, ſtatuit & decreuit: Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſubreptione & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur, per ſeipſum, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummariè cognoſcat, ipſamq; gratiam, poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legitimè conſtiterit, non admittat.

CAP. VI.

QVONIAM verò ſubditi Epiſcopo, tametſi Iure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tamquam iniuria affecti ſint, falſa illi crimina obiicere ſolent, vt quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant; cuius vexationis timor plerumq; illum ad inquirenda & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: idcircò ne is magno ſuo & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac non ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita ſtatuit & decreuit: Epiſcopus niſi ob cauſam, ex qua deponendus ſiue

Digitized by Google

priuandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denuntiationem, vel accuſationem, ſiue alio quouis modo procedatur, vt perſonaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

CAP. VII.

TESTES in cauſa criminali ad informationem vel indicia, ſeu aliàs in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes & bonæ conuerſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, non recipiantur: & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, grauibus pœnis mulctentur.

CAP. VIII.

CAVSAE Epiſcoporum, cùm pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur.

DECRETVM *prorogationis Definitionis quatuor articulorum de* SACRAMENTO EVCHARISTIAE, *&* SALVICONDVCTVS PROTESTANTIBVS *dandi.*

EADEM ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tamquã vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti piè oblatis, inter alios ad hoc Sacramentum pertinentes articulos diligentiſſima veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimiſque pro rerum grauitate diſputationibus habitis, cognitis quoque præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, hoc etiam tractabat, An neceſſarium ſit ad ſalutem, & diuino Iure præceptum, vt ſinguli Chriſti fideles ſub vtraque ſpecie ipſum venerabile Sacramentum accipiant: & num minus ſumat qui ſub altera, quàm qui ſub vtraque communicat: & an errauerit ſancta mater Eccleſia, laicos, & non celebrantes Sacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando: & an paruuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ Prouincia ij, qui ſe Proteſtantes nominant, ſuper his ipſis articulis, antequam definiantur, audiri à ſancta Synodo cupiunt, & eam ob cauſam fidem publicã ab illa poſtularunt, vt ipſis tutò huc venire, & in hac vrbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere atque proponere quæ ſenſerint, & poſteà cùm libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa Synodus, licet magno deſiderio eorum aduentum multos anteà menſes expectarit, tamen vt pia mater, quæ ingemiſcit & parturit, ſummoperè id deſiderans ac laborans, vt in iis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata, ſed quemadmodum eumdem omnes Deum & Redemptorem agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant, cõfidens in Dei miſericordia, & ſperans fore, vt illi in ſanctiſſimam & ſalutarem vnius fidei, ſpei, charitatiſque concordiam redigantur, & libenter eis in hac re morem gerens, ſecuritatẽ & fidem, vt petierunt, publicam, quam Saluumconductũ vocant, quo ad ſe pertinet, eius, qui infrà ſcriptus erit, tenoris dedit atque conceſſit; & eorum cauſa definitionem illorũ articulorum ad ſecundam Seſſionem diſtulit, quam, vt illi commodè intereſſe poſſent, in diem feſtum Conuerſionis diui Pauli, quæ erit 25. die menſis Ianuarij anni ſequentis, indixit: illudq; prętereà ſtatuit, vt in eadem Seſſione de Sacrificio Miſſæ agatur, propter magnam vtriuſque rei connexionem. Intereà Seſſione proxima de Pœnitentiæ & Extremę Vnctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die feſto diuæ Catharinæ virginis & Martyris (qui erit 25. Nouembris) habendam eſſe decreuit: ſimulque in vtraque materiam Reformationis proſequatur.

SALVVSCONDVCTVS DATVS PROTESTANTIBVS.

SACROSANCTA Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea

eiſdem

eidem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatis & Nuntiis.

Omnibus & ſingulis, ſiue Eccleſiaſticis ſiue ſæcularibus perſonis vniuerſæ Germaniæ, cuiuſcumque gradus, ſtatus, conditionis & qualitatis ſint, quæ ad Oecumenicum hoc & Generale Concilium accedere voluerint, vt de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipſum Oecumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam ſcripto quàm verbo offerre, proponere, & cum Patribus, ſiue iis qui ab ipſa ſancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque vllis conuitiis & cōtumeliis diſputare, necnon quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant, publicam fidem & plenam ſecuritatem, quam Saluumconductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis & decretis neceſſariis & opportunis, etiamſi ſpecialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quantum ad ipſam ſanctam Synodum ſpectat, concedit. Placuit præterea ſanctæ Synodo, vt pro maiori libertate & ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis quàm pro committendis per eos delictis Iudices deputari cupiant, illos ſibi beneuolos nominent, etiamſi delicta ipſa quantumcumque enormia ac hæreſim ſapientia fuerint.

Angelus Maſſarellus Secretarius.

R. PATRES & ORATORES *qui adfuerunt in* SESSIONE, *quæ habita fuit* 11. *Octobris.*

Reuerend. D. Marcellus, tituli S. Marcelli Cardinalis Creſcentius, Legatus Concilij à latere, patriâ Romanus.

PRAESIDENTES CONCILII,

Sebaſtianus Pighinus, Archiepiſcopus Sipontinus, Reſan.

Aloyſius Lipomanus, Epiſc. Veronenſis, Venetus.

Chriſtophorus Madrucius, tituli S. Cæſarii in Palatio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinal. & Princeps Triden. de Madrucio.

ELECTORES ET PRINCIPES SACRI ROM. IMPERII.

Sebaſtianus ab Hauſenſtain, Archiepiſcopus Moguntinenſis, Germanus.

Ioannes Comes ab Eyſenburg, Archiepiſcopus Treuirenſis, Germanus.

Adolphus à Schavvenburg, Archiepiſcopus Colonienſis, Germanus.

ORATORES IMPERATORIS,

Hugo Comes à Montfort & Rotenfels, Orator Imperij, Germanus.

Franciſcus à Toleto, Prior Reconuallenſis, Orator Cæſaris, Hiſpanus.

Guilhelmus à Pictauia, Archidiaconus Campaniæ, Orator Flandriæ, Flandrus.

ORATORES REGIS ROMANORVM,

Paulus de Gregorianis, Epiſc. Zagabrienſis, Hungarus.

Fredericus Nauſea, Epiſcopus Viennenſis, Germanus.

ARCHIEPISCOPI,

Archiepiſcopus Turritanus, Antibarenſis, Vpſalenſis, Panormitanus, Granatenſis, Calaritanus.

EPISCOPI,

Epiſcopus Feltrenſis, Senobricenſis, ſancti Marci, Maioricenſis, Camerinenſis, Caſtellimaris, Lancianenſis, Alguerenſis, Mitienſis, Syracuſanus, VVigornienſis, Bellicaſtrenſis, Bizontinus, Aurienſis, Pacenſis, Argent. Conſtant. Oſcen. Clodien. Salonen. Calagurritan. Eluenſis, Ecneden. Monopothanus, Legion. Oueten. Trident. Iacorenſis, Gnichxerſis, Aſtoricen. Virdunen. Salaminen. Boſen. Mutinenſis.

ABBATES ET GENERALES,

Gerardus Hamericurth, Abbas Bortini, Ordinis Carmelitarum, Germanus.

Marcus de Brixida, Abbas ſancti Vitalis de Rauenna, Ordinis S. Benedicti, Italus.

Euſebius de Parma, Abbas S. Mariæ Gratiarum, Diœceſ. Placen. eiuſdem Ordinis, Italus.

Chriſtophorus Patauinus, Generalis Ordinis S. Auguſtini, Italus.

ORATORES MARCHIONIS BRANDEBVRGENSIS,

Chriſtophorus de Straſſen.

Ioannes Hoſmannus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

Ioannes Baptiſta Caſtellus, Promotor Concilij, Italus Bononienſis.

Ludouicus Firmanus, Magiſter Cærimoniarum, Italus.

SESSIO DECIMAQVARTA,

quæ eſt quarta ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata die* 25. *Nouembris* 1551.

Doctrina de ſanctiſsimis POENITENTIAE *&* EXTREMAE VNCTIONIS *Sacramentis.*

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legi-

Digitized by Google

timè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Legato & Nuntiis, quamuis in Decreto de Iuſtificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus; tanta nihilominùs circa illud noſtra hac ætate diuerſorum errorum eſt multitudo, vt non parum publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe, in qua demonſtratis & conuulſis, Spiritus ſancti præſidio, vniuerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret, quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit.

De neceſſitate & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPVT I.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, diues in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pœnitentia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tẽpore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt peruerſitate abiecta, & emendata, tantam Dei offenſionẽ cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinã iniquitas. Dominus etiam dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et Princeps Apoſtolorum Petrus, peccatoribus Baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm. Porrò nec ante aduentum Chriſti pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicẽs: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tamquam hæreticos exploſit atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei & Chriſti Euangelium annuntiandi contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.

Ephes. 2. Pſal. 102. Ezech. 18. & 33. Ioel 2. Luc. 13. Act. 2. Ioan. 20.

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi.

CAP. II.

CETERVM hoc Sacramentum multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur.

Nam præterquam quòd materiâ & formâ, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſsimè diſſidet, conſtat certè, Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere, cùm Eccleſia in neminẽ iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de his qui foris ſunt, iudicare? Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi, ſui corporis

1. Cor. 5.

Digitized by Google

ris mẽbra effecit. Nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo cõtaminauerint, nõ iam repetito Baptiſmo ablui, cũ id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tamquã reos, ſiſti voluit, vt per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſũ pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, peruenire nequaquam poſſumus; vt meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.

Gal. 3. 2. Cor. 5.

De partibus & fructu huius Sacramenti.

CAP. III.

DOCET præterea ſancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo, &c. Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem quaſi materia huius Sacramẽti, ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, Satiſfactio: qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui Pœnitentię partes, incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt.

De Contritione.

CAP. IV.

CONTRITIO, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinę miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium cõtinere, iuxta illud: Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Et certè, qui illos Sanctorum clamores cõſiderauerit, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios huiuſmodi generis; facilè intelliget, eos ex vehementi quodã anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ

Ezech. 18. Pſal. 50. Pſal. 6. Iſaiæ 38.

Digitized by Google

Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniȩ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiȩ impetrandam diſponit. Hoc enim timore
Ionæ 3. Matth. 12. vtiliter concuſſi Niniuitæ, ad Ionæ prȩdicationem plenã terroribus, pœnitentiã egerũt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrẽ falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ abſq; bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. Sed & falsò docent, Contritionem eſſe extortam & coactam, non liberam & voluntariam.

De Confeſſione. CAP. V.

Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitẽtiȩ iam explicata, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiã à Domino
Luc. 5. & 17. Iacob. 5. 1. Ioan. 1. integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmũ lapſis Iure diuino neceſſariã exiſtere, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tamquã Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quȩ Chriſti fideles ceciderint, quò
Ioan. 20. pro poteſtate clauiũ, remiſſionis aut retentionis peccatorũ ſententiam pronuntient. Cõſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere nõ potuiſſe, neque ȩquitatẽ quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri; etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm Exod. 20. Deut. 5.
aduerſus duo vltima Decalogi prȩcepta commiſſa, quȩ nonnumquam animum grauiùs ſauciant, & periculoſiora ſunt ijs quæ in manifeſto admittũtur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter citraque omnem præſumptionem in Cõfeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt. Verùm cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios Eph. 2.
& Dei inimicos reddant; neceſſum eſt omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubiò omnia diuinæ miſericordiȩ agnoſcenda exponunt. Qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus mèdico detegere quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Vnde alienum à ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut vnam tantùm circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem. Sed & impium eſt, Confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud à pœnitentibus in Eccleſia exigi, quàm vt, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiȩ ſuæ ſinus & latebras explo-

exploraueꝛit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter oſtendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur. Ceterùm quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem; etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno vnanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata, manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit vt Chriſti fideles confiterentur, quod Iure diuino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed vt præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur. Vnde iam in vniuerſa Eccleſia cum ingenti animarum fideliũ fructu obſeruatur mos ille ſalutaris confitẽdi ſacro illo & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat & amplectitur, tamquam pium & meritò retinendum.

Pſal. 18. — Conc. Lat. ſub Innoc. III. c. 21.

De miniſtro huius Sacramenti, & abſolutione.

Cap. VI.

Circa miniſtrum autem huius Sacramenti declarat ſancta Synodus, falſas eſſe, & à veritate Euãgelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, clauium miniſterium perniciosè extendunt; putantes, verba illa Domini, Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erant ſoluta & in cælo: &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in Ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere; eoſque prauè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamuis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficij ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata: ſed adinſtar actus iudicialis, quo ab ipſo, velut à Iudice, ſententia pronuntiatur: atque ideò non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, vt etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti ſeriò agendi & verè abſoluendi deſit, putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pœnitentia remiſſionẽ vllam peccatorum præ-

Matth. 18. — Ioan. 20.

Digitized by Google

præſtaret, nec is eſſet niſi ſalutis ſuę negligentiſſimus, qui Sacerdotem iocosè abſoluentem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.

De caſuum reſeruatione.

CAP. VII.

QVONIAM igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à Summis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Vnde meritò Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinæ auctoritati, non tantùm in externa Politia,
Rom. 13. ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadē Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſint: extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant.

De Satisfactionis neceſſitate, & fructu.

CAP. VIII.

DEMVM quo ad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodū à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu, impugnatur ab ijs, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt: ſancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in Sacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam traditionem, hic error quàm maniſeſtiſſimè reuincitur. Sanè & diuinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubiò enim magnopere à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnę, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vmquam exiſtimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentēt. Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes effici-

Gen. 3. Num. 12. & 20. 2. Reg. 12. 1. Cor. 3. Epheſ. 4. Rom. 2. Iacob. 5. Ezech. 33. Ionæ 3. Ier. 3. 18. & 25. Iſa. 30. Eccli. 17. Matth. 3. 4. 11. & 18. Act. 3. Rom. 5. 1. Ioan. 2.

efficimur; certiſſimam quoque inde ar-
Rom.8. rham habentes, quòd ſi compatimur, &
conglorificabimur. Neque verò ita no-
ſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro pecca-
tis noſtris exoluimus, vt non ſit per
2.Cor.3. Chriſtũ Ieſum: nam qui ex nobis tam-
quam ex nobis nihil poſſumus, eo coo-
Philip.4. perante qui nos confortat, omnia poſſu-
1.Cor.1. mus. Ita non habet homo vnde glorie-
Galat.6. tur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chri-
Act.17. ſto eſt: in quo viuimus, in quo mere-
Luc.3. mur, in quo ſatisfacimus, facientes fru-
ctus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne, ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitę cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues Sacerdotũ non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent. Nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum irę vel pœnarum, ſicut nemo vmquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Nouatores intelligere volunt, ita optimam Pœnitentiam nouam vitam eſſe docent, vt omnem Satisfactionis vim & vſum tollant.

De operibus Satisfactionis.

CAP. IX.

DOCET præterea, tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

VISVM eſt autem ſanctæ Synodo, præcedenti doctrinę de Pœnitentia adiungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento Extremæ Vnctionis: quod non modò Pœnitentiæ, ſed etiam totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummatiuum exiſtimatum eſt à Patribus. Primùm itaq; circa illius inſtitutionem declarat & docet, quòd clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remediis aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparauit, quibus Chriſtiani cõſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint, ita extremæ Vnctionis Sacramento finem vitę, tamquam firmiſſimo quodã præſidio mu-
niuit. Nam etſi aduerſarius noſter occa- 1.Pet.5.
ſiones per omnem vitam quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuę verſutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, ſi poſſit, diuinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ proſpicit.

De inſtitutione Sacramenti Extremæ Vnctionis.

CAP. I.

INSTITVTA eſt autem ſacra hæc Vnctio infirmorum, tamquam verè & propriè Sacramentum noui Teſtamen-
ti, à Chriſto Domino noſtro, apud Mar- Marc.6.
cum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem, fide-

Digitized by Google

fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur (inquit)quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, vt ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, propriũ miniſtrum, & effectum huius ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleũ ab Epiſcopo benedictum: nam vnctio aptiſſimè Spiritus ſancti gratiam, qua inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deinde eſſe illa verba, Per iſtam Vnctionem, &c. Iacob. 5.

De effectu huius Sacramenti.

CAP. II.

Iacob. 5. RES porrò & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur, Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hęc gratia eſt Spiritus ſancti, cuius vnctio, delicta ſi quę ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitãdo: qua infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda ac labores leuiùs fert, &
Gen. 3. tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

De miniſtro huius Sacramenti, & tempore quo dari debeat.

CAP. III.

IAM verò, quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & oſtenditur illic, proprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros. quo nomine eo loco non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligẽdi veniũt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinati per impoſitionẽ manuum 1.Tim.4.
Presbyterij. Declaratur etiam, eſſe hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nũcupatur. Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterùm huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Iacobi ſententiam, docent hanc Vnctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem: & qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationũ dumtaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet; & qui dicunt, ritum & vſum, quem ſancta Romana Eccleſia in huius Sacramenti adminiſtratione obſeruat, Iacobi Apoſtoli ſententiæ repugnare, atque ideò in alium commutandum eſſe; & denique, qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant. Hæc enim omnia manifeſtiſsimè pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profectò Eccleſia Romana, aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda Vnctione, quantum ad ea quæ huius Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſeruat, quàm quod beatus Iacobus præſcripſit. Neque verò tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti iniuria eſſe poſſet.

Hæc ſunt, quæ de Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis Sacramentis hęc ſancta Oecumenica Synodus profitetur & docet, atque omnibus Chriſti fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem Canones inuiolabiliter ſeruandos eſſe tradit, & aſſerentes contrarium perpetuò damnąt & anathematizat.

DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

SI QVIS dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, Anathema ſit.

Ioan. 20.

CANON II.

SI QVIS Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atq; ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium, Anathema ſit.

Ioan. 20.

CANON IV.

SI QVIS negauerit, ad integrã & perfectã peccatorum remiſsioné requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiã Sacramenti Pœnitentię, videlicet, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes, dicuntur: aut dixerit, duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſsionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & ęternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, Anathema ſit. Isa. 38.

CANON VI.

SI QVIS negauerit, Confeſsionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe Iure diuino: aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum neceſſarium non eſſe Iure diuino, cõfiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſunt contra duo vltima Decalogi pręcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam confeſſionem tantùm eſſe vtilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſeruatam fuiſſe tãtùm ad ſatisfactionem Canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle diuinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit. Exod. 20. Deut. 5.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, Confeſsionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni Concilij Lateranenſis Conſtitutio-

Digitized by Google

tutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actũ iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum: aut Sacerdos non ſeriò, ſed ioco abſoluat; aut dixerit, non requiri confeſsionem pœnitentis, vt Sacerdos eum abſoluere poſsit, Anathema ſit.

CANON X.

SI QVIS dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatẽ ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erũt ſoluta & in cælo: &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſoluere poſsit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſsionem, Anathema ſit. Matth. 18. Ioan. 20.

CANON XI.

SI QVIS dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, Anathema ſit.

CANON XII.

SI QVIS dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua apprehendunt, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, Anathema ſit.

CANON XIII.

SI QVIS dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleẽmoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm nouam vitam, Anathema ſit.

CANON XIV.

SI QVIS dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, Anathema ſit.

CANON XV.

SI QVIS dixerit, claues Eccleſiæ eſſe tantùm ad ſoluendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quòd virtute clauium ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, Anathema ſit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

CANON I.

SI quis dixerit, Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à beato Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema ſit. Marc. 6. Iacob. 5.

CANON II.

SI QVIS dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, Extremæ Vnctionis ritum & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Iacobi Apoſtoli, ideoque eum mutan- Iacob. 5.

mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, Presbyteros Eccleſię, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idque proprium Extremæ Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, Anathema ſit.

Iacob. 5.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

PROEMIVM.

CVM propriè Epiſcoporum munus ſit, ſubditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici, præſertim ad animarum curam conſtituti, crimino ſi ſint, néve inhoneſtam vitam ipſis conniuentibus ducant. Nam ſi eos prauis & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum vitiis redarguent, qui vno ab eis ſermone conuinci poſſent, quòd Clericos ipſi patiantur eſſe deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cùm tacitè ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt? Monebunt propterea Epiſcopi ſuos Clericos, in quocumque Ordine fuerint, vt conuerſatione, ſermone, & ſcientia commiſſo ſibi Dei populo præeant, memores eius quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum; & iuxta Apoſtoli vocem, nemini dent vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum: ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut miniſtros Dei, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis: Sacerdotes Dei contaminant ſancta, & reprobant legem. Vt autem ipſi Epiſcopi id liberiùs exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant, eadem ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legato & Nuntiis, hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

Leuit. 11. 19. & 20.
2. Cor. 6.
Ezech. 22. Sophon. 3.

CANON I.

CVM honeſtius ac tutius ſit ſubiecto, debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſeruire, quàm cum Præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus; aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoueri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & dignitates, ſiue honores reſtitutio ſuffragetur.

CANON II.

ET quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, ſed alienas oues inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe Pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſua temeritate eligūt, & quoſcumque ad ſe venientes, etiam ſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum literas commendatitias non habeant, Clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines promouere præſumunt: quo plerumq; fit, vt minùs idonei, & rudes ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tamquam inhabiles & indigni reiecti fuerunt, ordinati, nec diuina Officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare. Nemo Epiſcoporum, qui

Suprà Seſſ. 6. c. 5. de Refor.

Digitized by Google

Titulares vocantur, etiam ſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cuiuſuis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cuiuſuis priuilegij, ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam tonſuram promouere ſeu ordinare valeat. Contrà faciens, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promotus, ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo Iure ſint ſuſpenſi.

CANON III.

EPISCOPVS quoſcumque ſuos Clericos, præſertim in Sacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine & commendatitiis literis, quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo à quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad diuina Officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minùs idoneos & capaces repererit, à ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpẽdere, & illis ne in Altari aut aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

CANON IV.

OMNES Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per huius ſanctæ Synodi ſtatuta, cuiuſuis priuilegij prætextu tutus cenſetur, quò minùs iuxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi poſſit; ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, quoſcumque ſæculares Clericos, qualitercumq; exemptos, qui aliàs ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tamquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis Delegati, corrigendi & caſtigandi facultatem habeant: quibuſcumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus, ſententiis, iuramentis, cõcordiis, quæ tantùm ſuos obligent auctores, ipſis Clericis ac eorum conſanguineis, Cappellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuſlibet, ipſorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè ſuffragantibus.

CANON V.

INSVPER, cùm nonnulli, qui ſub prętextu quòd ſuper bonis & rebus ac iuribus ſuis diuerſæ eis iniuriæ ac moleſtiæ inferantur, certos Iudices per literas Conſeruatorias deputari obtinent, qui illos à moleſtiis & iniuriis huiuſmodi tueantur ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum, ac iurium ſuorum manuteneant & conſeruẽt, nec ſuper illis eos moleſtari permittant, eiuſmodi literas in pleriſque contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcircò nemini omninò, cuiuſcumque dignitatis & conditionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, Conſeruatoriæ literæ cum quibuſcumque clauſulis aut decretis, quorumcumq; Iudicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu aut colore conceſſæ, ſuffragentur ad hoc, vt coram ſuo Epiſcopo, ſiue alio Superiore ordinario, in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conueniri, ac contra eum inquiri & procedi non poſſit; aut quò minùs, ſi qua iura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis liberè valeat apud Iudicem ordinarium conueniri. In ciuilibus etiam cauſis, ſi ipſe Actor extiterit, aliquem ei apud ſuos Conſeruatores Iudices in iudicium trahere minimè liceat. Quòd ſi in iis cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vel electus ab eo Conſeruator ab Actore ſuſpectus eſſe dicatur, aut ſi qua inter ipſos Iudices, Conſeruatorem & Ordinarium, controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquã in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma Iuris electos, ſuper ſuſpicione, aut iuriſdictionis competentia fuerit iudica-

dicatum. Familiaribus verò eius, qui huiuſmodi litteris conſeruatoriis tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat: ſi tamen illi propriis eius ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium litterarum beneficio vltra quinquennium gaudere poſſit. Non licet quoque Conſeruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum. In cauſſis verò mercedum, aut miſerabilium perſonarum, huius ſanctæ Synodi ſuper hoc Decretum in ſuo robore permaneat. Vniuerſitates autem generales, ac Collegia Doctorum ſeu ſcholarium, & Regularia loca, necnon Hoſpitalia actu hoſpitalitatem ſeruantia, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, locorum & Hoſpitalium huiuſmodi perſonæ, in præſenti Canone minimè cõprehenſę, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur.

Sup. Seſſ. 7. c. 14. De reform.

CANON VI.

QVIA verò, etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant; tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, Religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem parauipendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut Beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi, poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem, illorum Ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio & Beneficio, ac fructibus, redditibus & prouentibus ipſorum Beneficiorũ, necnon ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & Beneficiorum huiuſmodi, coërceri poſſint & debeant; Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit, Quoniam, innouando & ampliando.

Clem. Quoniam. De vita & honeſtate Cleric.

CANON VII.

CVM etiam, qui per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab Altari auelli debeat; qui ſua voluntate homicidiũ perpetrauerit, etiam ſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſit; nec illi aliqua Eccleſiaſtica Beneficia, etiam ſi curam non habeant animarum, conferre liceat; ſed omni Ordine, ac Beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe cõmiſſum narretur, quam ob cauſſam etiam ad ſacrorum Ordinum & Altaris miniſterium, & Beneficia quæcumque ac dignitates, Iure quodammodò diſpẽſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſſa, Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſſa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit.

Exod. 21.

CANON VIII.

PRAETEREA, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri ſunt paſtores, ac proprias oues habent, alienis etiam ouibus præeſſe quærunt, & ita alienis ſubditis quandoque intendunt, vt ſuorum curam negligant: quicumque, etiam Epiſcopali præditus dignitate, qui alienos ſubditos puniendi priuilegium habuerit, contra Clericos ſibi non ſubiectos, præſertim in Sacris conſtitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, niſi cum proprij ipſorum Clericorũ Epiſcopi, ſi apud Eccleſiam ſuam reſederit, aut perſonæ ab ipſo Epiſcopo deputandæ interuentu, nequaquam procedere debeat: aliàs proceſſus, & inde ſecuta quæcumque, viribus omnino careant.

CANON IX.

ET quia iure optimo diſtinctæ fuerunt Diœceſes, & Parochiæ, ac vnicuique gregi proprij attributi Paſtores, & inferiorum Eccleſiarũ Rectores, qui ſuarum quiſq; ouium curam habeant, vt ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut vna & eadem Eccleſia duarum quodammodò Diœceſum fiat, non ſine graui eorum incommodo qui illi ſubditi fuerint: Beneficia vnius Diœceſis, etiam ſi Parochiales Eccleſiæ, Vicariæ perpetuæ, aut ſimplicia Beneficia, ſeu præſtimonia, aut præſtimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum diuinum aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacumque de cauſa, alterius Diœceſis Beneficio, aut Monaſterio, ſeu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non vniantur; Decretum huius ſanctæ Synodi ſuper huiuſmodi vnionibus in hoc declarando.

Sup. Seſſ. 7 c.6. & 7. De Reſor.

CANON X.

REGVLARIA Beneficia, in titulũ Regularibus profeſſis prouidere conſueta, cùm per obitum, aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantùm illius Ordinis, vel iis qui habitum omnino ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur, & non aliis, ne veſtem lino lanaque contextam induant, conferantur.

Deut. 22.

CANON XI.

QVIA verò Regulares de vno ad alium Ordinem tranſlati, facilè à ſuo Superiore licentiam ſtandi extra Monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi & apoſtatandi occaſio tribuitur, nemo cuiuſcumque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cuiuſcumque facultatis, aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obediẽtia in clauſtro perpetuò maneat: ac taliter tranſlatus, etiam ſi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia ſæcularia, etiam curata, omnino incapax exiſtat.

CANON XII.

NEMO etiam, cuiuſuis dignitatis, Eccleſiaſticæ vel ſæcularis, quacumque ratione, niſi Eccleſiã, Beneficium, aut Cappellam de nouo fundauerit & conſtruxerit, ſeu iam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, Ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. In caſu autem fundationis aut dotationis, huiuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori, reſeruetur.

CANON XIII.

NON liceat prætereà patrono, cuiuſuis priuilegij prætextu, aliquem ad Beneficia ſui Iuris patronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem prouiſio ſeu inſtitutio ipſius Beneficij, ceſſante priuilegio, Iure pertineret, quoquo modo præſentare: aliàs præſentatio ac inſtitutio forſan ſecutæ, nullæ ſint & eſſe intelligantur.

CANON XIV.

DECLARAT prætereà ſancta Synodus, in futura Seſſione, quam ad 25. diem Ianuarij ſubſequẽtis, anni 1552. habendam eſſe iam decreuit, vnà cum Sacrificio Miſſæ, agendum & tractandum eſſe de Sacramento Ordinis, & proſequendam eſſe materiam Reformationis.

Angelus Maſſarellus ſubſcripſit, in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Subſcripſerunt Prælati iidem qui in Seſſione præcedenti.

SESSIO XV.

quæ eſt quinta ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata die 25. Ianuarij 1552. Rem diuinam fecit Epiſcopus Catanenſis, Orationem antẽ habuit Epiſcopus Maioricenſis.*

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

CVM ex eo quod proximis Seſſionibus decretum fuit, ſancta hęc & vniuerſalis Synodus per hos dies accuratiſſimè diligentiſſimeq; tractaue-

ctauerit ea, quę ad ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis ſpectát, vt hodierna Seſſione, quemadmodum Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet, Decreta de his rebus, & quatuor prętereà articulos ad ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum pertinentes, in hac tandem Seſſione dilatos publicaret, atque interim affuturos eſſe putauerit ad hoc ſacroſanctum Concilium eos, qui Proteſtantes ſe vocant, quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat, & vt liberè ac ſine cunctatione vlla huc venirent, fidem eis publicam ſiue Saluumconductum conceſſerat: tamen cùm illi nondum venerint, & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ Synodo fuerit, vt publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem Seſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eos eſſe omnino multò ante illam Seſſionem, Saluoconductu amplioris formæ interim accepto: eadem ſancta Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, iiſdem Legato & Nuntiis præſidentibus, nihil magis optans, quàm ex præſtantiſſima Natione Germanica omnes de Religione diſſenſiones & ſchiſmata tollere, ac eius quieti, paci, otioque conſulere, parata ipſos, ſi venerint, & humaniter excipere, & benignè audire; confidenſque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendę ſtudio eſſe venturos; &, vt Euangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ matris Eccleſiæ Decretis ac diſciplinę ad extremum eſſe acquieturos; ſequentem Seſſionem ad edenda & publicanda ea quæ ſuprà commemorata ſunt, in diem feſtum ſancti Ioſephi, qui erit die 19. menſis Martij, diſtulit, vt illi ſatis temporis & ſpatij habeant non ſolùm ad veniendũ, verùm etiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus vt omnem diutius cunctandi cauſſam adimat, fidem publicam, ſiue Saluumconductum, eius qui recitabitur tenoris & ſententiæ, libenter dat & concedit. Intereà verò de Matrimonij Sacramento agendum; & de eo, præter ſuperiorum Decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem Seſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam Reformationis.

SYNODI TRIDENTINÆ PROTESTATIO

in Congregatione Generali 25. Ianuarij, 1552. anteà quàm Proteſtantes audirentur, acta.

HAEC ſacroſancta Synodus, &c. Ne ob diſceptationes (quæ tam de perſonis comparentibus, mandatiſque & ſcripturis exhibendis, quàm de loco ad ſedendum perſonis aſſignando oriri poſſent) felix ipſius Concilij progreſſus retardetur, inhęrens Decreto in ſecunda Seſſione promulgato, atque illud innouans ſtatuit, decernit, declarat, quòd ſi fortè contigerit aliquos, qui ex diſpoſitione Iuris aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non eſſent, vel per ſeipſos vel per interpoſitas perſonas admitti aut recipi, vel in loco non debito ſedere, vel ſententiam ſub verbo Placet proferre, vel Congregationibus intereſſe, vel alios quoſcumque actus facere Concilio durante; quodque ſi etiam contigerit mandata, inſtrumenta, proteſtationes, & alia cuiuſuis generis ſcripta quæcumque, quę ipſius Concilij honorem, ius, ac poteſtatem quomodocumque læderent ſeu lædere poſſent, recipi aut admitti, propterea non præiudicetur, neque aliquo modo præiudicatum cenſeatur vel intelligatur præſenti Concilio, neque Conciliis Oecumenicis ac Generalibus in perpetuum celebrandis: cùm omnis intentio huius Concilij ſit & eò tendat, vt pax & concordia quacumque ratione, licita tamen & congruenti, in Eccleſia reducantur.

SALVUSCONDVCTVS DATVS PROTESTANTIBVS.

SAcroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſ-

dem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuntiis, inhærendo Saluoconductui in pænultima Seſſione data, & illum iuxta tenorem infraſcriptum ampliando, vniuerſis fidem facit, quòd omnibus & ſingulis, Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, popularibus, & aliis quibuſcumque viris, cuiuſcumque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ Prouinciæ & nationis ciuitatibus, ac aliis locis eiuſdem, & omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ Confeſſionis perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad hoc Generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocumque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam Saluumconductum appellant, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet tam ſcripto quàm verbo liberè offerendi, propalandi, eoſque Scripturis ſacris, & beatorum Patrum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, adſtruendi & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij Generalis reſpondendi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi, Chriſtianè aut charitatiuè abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conuitiis, ac contumeliis penitus remotis; & ſignanter, quòd cauſæ controuerſæ, ſecundùm ſacram Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum auctoritates in prędicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minimè puniantur, impartitur ac omnino concedit; ſic etiam, vt propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridentina à diuinis Officiis quouis modo ceſſetur. Et vt, his peractis, vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit, aut maiorum ſuorum mandato & aſſenſu, ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque vlla renitentia & occaſione aut mora, ſaluis rebus eorum; & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire: de ſcientia tamen ab eadem Synodo deputandorū, vt tunc opportunè eorum ſecuritati abſque dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta Synodus in hac publica fide Saluoque conductu omnes quaſcumque clauſulas includi ac contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, & redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quòd ſi quiſpiam, aut illorum aliqui, ſiue in itinere Tridentum veniendo, ſiue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari, caſſari; vult & concedit eadem ſancta Synodus, vt in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animaduerſione cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi meritò approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab aliis, condigna animaduerſione, & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis, tunc hîc præſentium, meritò laudanda & approbanda, mox puniantur; præſenti aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa Synodus, quòd liceat ipſis Ambaſſiatoribus, omnibus & ſingulis, toties quotieſcumque opportunum fuerit ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eamdem, necnon nuntium vel nuntios ſuos ad quæcumq; loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, toties quoties eis videbitur expedire; ita quòd aliqui, vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant vel prouideat. Qui quidem Saluuſconductus & ſecuritates ſtare ac durare debent, & à tempore, & per tempus, quo in ipſius Synodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium, habitâ huiuſmodi

modi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente, reſtituet; dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus quibuſcumque, atque omnibus aliis Eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet.

Concil. Conſtan. Seſſ. 19. in c. Quód nō obſtantibus Saluiſconductibus.

Inſuper, omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtè vel occultè occaſionē quæſituram, aut aliqua auctoritate, potentia, Iure, vel ſtatuto, priuilegio legum, vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacumque forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quòd ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea vel ſuis, cuiuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & Saluiconductus formam & modum in quocumque puncto vel clauſula violauerit, (quod tamen auertere dignetur Omnipotens) & ſufficiens emēda non fuerit mox ſubſecuta, ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda, habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas Iure diuino & humano, aut conſuetudine huiuſmodi Saluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione aut quauis in hac parte contradictione.

Datum Tridenti in Seſſione publica, die vigeſimoquinto Ianuarij 1552.

Ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, in fidem & teſtimonium præmiſſorum manu propria ſubſcripſi.

Subſcripſerunt huic Seſſioni Patres qui in præcedenti, & inſuper ſequentes:

Epiſcopus Placentinus
Epiſcopus Carthaginenſis
Epiſcopus Pampilonenſis
Epiſcopus Mandonienſis
Epiſcopus Elenenſis
Epiſcopus Zamorenſis
Epiſcopus Segobienſis
Epiſcopus Ciuitatenſis
Epiſcopus Leridenſis.

SESSIO XVI.

quæ eſt ſexta & vltima ſub IVLIO III. *Pont. Max. celebrata die 28. Aprilis 1552.*

DECRETVM SVSPENSIONIS CONCILII.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea Reuerendiſſ. Dominis Sebaſtiano Archiepiſcopo Sipontino, & Aloyſio Epiſcopo Veronenſi, Apoſtolicis Nuntiis, tam eorum proprio, quàm Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Marcelli, tituli ſancti Marcelli, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Creſcentij, Legati, ob aduerſam eius grauiſſimam valetudinē abſentis nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc Concilium Oecumenicum Tridentum primò à Paulo felicis recordationis cōuocatum & collectum fuiſſe; deinde à ſanctiſſimo Domino noſtro Iulio III. efflagitāte Carolo Quinto Auguſtiſſimo Imperatore, ea præcipuè de cauſa fuiſſe reſtitutum, vt Religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diuerſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum reuocaret, abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret. Cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres, nulla laborum ſuorum periculorumq; habita ratione, è diuerſis regionibus alacriter confluxiſſent; reſque ſtrenuè magno fidelium concurſu feliciterque procederet; ac ſpes eſſet non leuis, illos Germanos, qui eas nouitates excitarāt, in Concilium venturos ſic animatos, vt veris Eccleſiæ rationibus vnanimiter acquieſcerent: lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputque attollere inciperet profligata anteà & afflicta Reſpub. Chriſtiana: ij repentè tumultus, ea bella, hoſtis generis humani verſutiâ exarſerunt, vt Concilium veluti hærere, ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommodè cogeretur; ſpeſque

que omnis vlterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur: tantumque aberat vt ſancta Synodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, vt multorum mentes, præter ſui animi ſententiam, irritaret potiùs quàm placaret. Cùm igitur ipſa ſancta Synodus omnia, & præcipuè Germaniam armis ardere & diſcordiis videret, omnes ferè Epiſcopos Germanos, præſertim Principes Electores, ſuis conſultum Eccleſiis è Concilio abiiſſe; decreuit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, vt Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ouibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent, ne diutiùs vtrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, huius Oecumenici Concilij Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decernit, prout præſenti Decreto ſuſpendit; ea tamen lege, vt ſi citiùs pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina reuertatur, quod ſperat Dei Opt. Maximi beneficio non longo forſan ſpatio futurum, ipſius Concilij progreſſus, eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur. Sin autem (quod Deus auertat) peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cùm primùm ceſſauerint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur Concilio ſit reſtitutum & eſſe intelligatur, ſine alia noua Concilij conuocatione: accedente ad hoc Decretum conſenſu & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Intereà tamen eadē ſancta Synodus exhortatur omnes Principes Chriſtianos, & omnes Prelatos, vt obſeruent, & reſpectiuè, quatenus ad eos ſpectat, obſeruari faciant in ſuis Regnis, dominiis & Eccleſiis omnia & ſingula, quæ per hoc ſacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta.

Angelus Maſſarellus, Secretarius Concilij ſacri ſubſcripſi.

BVLLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIDENTINI SVB PIO IV. PONT. MAX.

PIVS EPISCOPVS, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Eccleſiæ regimen, licet tanto oneri impares, ſola Dei dignatione vocati, ſtatim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicę Chriſtianæ partes, cernenteſq; non ſine magno horrore, quàm longe lateque peſtis hæreſum & ſchiſmatis peruaſiſſet, & quanta Chriſtiani populi mores correctione indigerent; in eam curam & cogitationem pro ſuſcepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodum ipſas hæreſes extirpare, tantumque & tam pernicioſum ſchiſma tollere, moreſq; adeò corruptos & deprauatos emendare poſſemus. Cùm autem intelligeremus, ad hæc ſananda mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hęc Sedes adhibere conſueuiſſet, Oecumenici Generaliſque Concilij; eius congregandi, & Deo iuuante, celebrandi conſilium cepimus. Indictum illud quidē anteà fuit à fel. rec. Paulo III. & eius ſucceſſore Iulio, prædeceſſoribus noſtris, ſed variis de cauſis ſæpiùs impeditum & interpellatum, perfici non potuit. Siquidem Paulus, cùm id primò in vrbem Mantuam, deinde Vincentiam indixiſſet, quaſdam ob cauſas in literis eius expreſſas, id primò ſuſpendit, poſteà Tridentum tranſtulit. Deinde cùm quibuſdam de cauſis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatū fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem ciuitate Tridentina inchoatum fuit. Verùm Seſſionibus aliquot habitis, & nonnullis Decretis factis, ipſum ſe poſteà Concilium aliquibus de cauſis, accedente etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Bononiam tranſtulit. Iulius autem, qui ei ſucceſſit, in eamdem ciuitatem Tridentinam id reuocauit; quo quidem tempore facta alia quædam Decreta ſunt. Sed cùm noui in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuiſſent, & bellū in Italia & Gallia grauiſſimum exarſiſſet, rurſus Concilium ſuſpenſum & dilatū fuit: adnitente nimirum humani generis hoſte, aliaſque ex aliis difficultates & impedimenta obiiciente, vt tantum Eccleſiæ commodum, quod prorſus auferre non poterat, ſaltē quàm diutiſſimè retardaret. Quantopere verò intereà auctę fuerint & multiplicatæ ac propagatæ hæreſes, quantopere ſchiſma creuerit, ſine maximo animi dolore nec meminiſſe poſſumus, nec referre. Sed tandem pius & miſericors Dominus, qui numquam ira

ita iraſcitur vt miſericordię obliuiſcatur, Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & vnanimitatem donare dignatus eſt. Qua nos occaſione oblata, maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, fore vt his tantis quoque Eccleſiæ malis, eadem Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad ſchiſma hæreſeſque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Chriſtianos Principes conſeruandam, celebrationem eius non eſſe duximus diutiùs differendam. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus noſtris S. Rom. Eccleſ. Cardinalibus deliberatione matura, factis etiam conſilij noſtri certioribus chariſſimis in Chriſto filiis noſtris, Ferdinando Romanorũ Imperatore electo, & aliis Regibus atque Principibus, quos quidem (ſicut de eorum ſumma pietate & ſapientia nobis pollicebamur) paratiſſimos ad ipſius Concilij celebrationem adiuuandam inuenimus, ad Dei omnipotentis laudem & honorem & gloriam, atq; vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem de eorumdẽ fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium, ex auctoritate eiuſdem Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum (qua nos quoque in terris fungimur) freti & ſubnixi, in ciuitate Tridentina ad ſacratiſſimum diem Reſurrectionis Dominicæ proximè futurum indicimus, & ibi celebrandum, ſublata ſuſpenſione quacumque, ſtatuimus atque decernimus. Quocircà Venerabiles fratres noſtros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, ceteroſque quibus in Concilio Generali ſedere, & ſententiam dicere, Iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet, vehementer in Domino hortamur & monemus, atque etiam diſtrictè præcipiendo mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, in vi quoque iuramenti quod præſtiterunt, & ſub pœnis quas in eos, qui ad Concilia Generalia cõuenire neglexerint, ſacris ſciunt eſſe Canonibus cõſtitutas, vt ad Concilium ibi celebrandum cõueniant intra eam diem, niſi fortè impedimento fuerint legitimo præpediti; quod tamen impedimentum per legitimos Procuratores Synodo probare debebunt. Monemus prætereà omnes & ſingulos quorum intereſt intereſſeve poterit, vt in Concilio adeſſe ne negligant. Chariſſimos verò in Chriſto filios noſtros, Romanorum Imperatorem electum, ceteroſque Reges & Principes, quos optandum ſanè eſſet Concilio intereſſe poſſe, hortamur & rogamus, vt ſi ipſi intereſſe Concilio non potuerint, Oratores ſuos prudentes, graues, & pios viros vtique mittant, qui ipſorum nomine illi interſint, curentque diligenter pro ſua pietate, vt ex eorum Regnis atque dominiis Prælati ſine recuſatione ac mora, tam neceſſario tempore, Deo & Eccleſiæ officium ſuum præſtent: eoſdem etiam curaturos eſſe minimè dubitantes, vt per ipſorum Regna & dominia tutum ac liberum iter Prælatis, eorumq; familiaribus, comitibus, & aliis omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, ſicut (quod ad nos attinet) ipſi quoque curabimus: qui nihil omnino prætermittere decreuimus, quod ad tam pium & ſalutare opus perficiendum à nobis in hoc loco conſtitutis præſtari poſſit: nihil, vt Deus ſcit, quærentes aliud, nil propoſitum habentes in hoc Concilio celebrando, niſi honorem ipſius Dei, diſperſarum ouium reductionem ad ſalutem, & perpetuam Chriſtianæ Reipub. tranquillitatem ac quietem. Vt verò hæ literæ, & quę in eis continentur, ad omnium, quorum oportet, notitiam perueniant, nec quiſquam ea excuſatione vti poſſit, quòd illa ignorauerit, præſertim cùm non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oportet, tutus forſitan pateat aditus: volumus & mandamus, vt in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc cùm in eis populus, vt Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palàm clara voce à Curiæ noſtræ Curſoribus, ſeu Notariis aliquibus publicis, recitentur; & poſtquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemq; Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ, affigantur, ibique, quò legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquamdiu relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur, earum exempla in iiſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hãc, publicationem, & affixionem, omnes & ſingulos, qui his literis comprehenduntur, poſt duos menſes à die publicationis & affixionis earum, volumus perinde adſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coràm editæ & lectæ fuiſſent. Tranſumptis quoq; earum, quæ manu publici alicuius Notarij ſcripta ſubſcriptáve, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, vt ſine dubitatione vlla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, ſtatuti, decreti, præcepti, admonitionis, & adhortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem

tionem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datu m Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1560. 3. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Florebellus, Barengus.

Ego Pius, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

SI MEI NON FVERINT

IMMACVLATVS ERO.

S. S.	P. P.
PI. PP.	VS. IIII.

DOMINATI,

TVNC

Ego R. Cardinalis de Carpo, Epiſcopus Portuenſis.

Ego F. Cardin. Epiſc. Tuſculanus.

Ego Fed. Cardin. Cæſius, Epiſc. Præneſtinus.

Ego Io. Card. Moronus, Epiſc. Albanenſis.

Ego Chriſtophorus Madrucius, Card. Tridentinus.

Ego Ottho Truchſes, Card. Auguſtanus.

Ego B. de la Cueua, Cardinalis ſanctæ Crucis.

Ego Tiberius Card. Criſpus.

Ego Ioan. Mich. Card. Saracenus.

Ego Io. Card. S. Vitalis.

Ego Io. And. Card. Meſſanen.

Ego Iacobus, Card. Puteus.

Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.

Ego Scipio, Card. Piſarum.

Ego Io. Card. Romanus.

Ego. Io. Ant. Card. Capiſuccus.

Ego Thad. Card. Gaddus.

Ego F. M. Card. Alexandrinus.

Ego Clem. Card. Aracæli.

Ego Iacob. Card. Sabellus.

Ego Ioan. Card. S. Georgij.

Ego A. Card. Farneſius Vicecancellarius.

Ego G. Aſ. Card. Camerarius.

Ego Hip. Card. Ferrarienſis.

Ego Iu. Card. Vrbinas.

Ego Aloy. Card. Cornelius.

Ego Hier. Card. Simoncellus.

Ego Vitellotius, Card. Vitellius.

Ego Ioan. Card. de Medicis.

Ego Carolus, Card. Borromæus.

Antonius Florebellus Lauellinus Barengus.

ANNO à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Indictione tertia, die verò ſecũda menſis Decẽbris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pij, diuina prouidentia Papæ IV. anno primo, retroſc. literæ Apoſt. lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in locis ſupraſ. iuxta earũ ſeriem & tenorem, & etiam vt moris eſt; & illis amotis, dimiſſis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Ioann. Andream Panniza, Apoſtolicos Curſores.

Petrus Veltrini, Magiſter Curſorum.

BREVE PII PP. IV.

ſuper ordine ſedendi in Concilio, non habita ratione dignitatis Primatialis.

DILECTI filij noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictioné. Sicut ea quæ pacem & concordiam nutriunt, pura mente ſemper inquirimus, ita ex debito noſtræ paſtoralis ſollicitudinis tenemur illa ſubmouere, quæ diſcordiam ſuſcitare, & ſcandalum introducere poſſe videntur. Itaque ad tollendam omnem controuerſiam materiarum, quæ inter Prælatos, ad celebrationem ſacri Oecumenici & Generalis Concilij in ciuitate Tridentina pro tempore congregatos, ſuper eorum præcedentia fortè iam ſunt exortæ, & indies oriri poſſunt, Volumus, ac vobis per præſentes mandamus, vt omnes & ſingulos Prælatos prædictos, videlicet venerabiles fratres Patriarchas primo, ſecundo Archiepiſcopos, tertio autem loco Epiſcopos in quibuſuis actibus publicis, ſecundùm gradum & Ordinem ſuarum ad eorum Eccleſias promotionum (ita quòd, qui priùs promotus ad eas fuerit, in ſuo quiſque ordine prior exiſtat) incedere, ſedere, ac locum habere (nulla habita ratione ad ipſorum dignitates Primatiales, ſiue veræ ſiue prætenſæ illæ fuerint) auctoritate noſtra faciatis, ſtudioſeque & diligenter curetis, atque pro veſtra prudentia ac pietate geratis, vt cuncta iſtic concordibus animis in virtute Spiritus ſancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quietè feliciterque procedere valeant: non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vltima Decemb. 1562. Pont. noſtri anno ſecundo.

DE.

DECLARATIO
facta per Illuſtriſſimos Dominos Legatos, ſuper Decreto ſanctiſſimi Domini N. D. Pii PP. Quarti.

QVIA dubitari poſſet, an ex prædicto Decreto ſanctiſſimi Domini noſtri aliquod præiudicium generetur Primatibus ſupradictis in proprietate ſeu poſſeſſione ſuarum Primatiarum, ſiue verarum, ſiue prætenſarum: Nos Hercules tituli ſanctæ Mariæ nouæ de Mantua, Hieronymus tituli ſanctæ Suſannæ Seripandus, Staniſlaus tituli ſancti Laurentij in Paliſperna Varmienſis, ac Ludouicus tituli ſancti Cyriaci in Thermis Simonetta, nuncupati, S.R.E. Presbyteri Cardinales, ſacri Oecumenici Concilij Tridentini Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati, declaramus, quòd mens ſanctiſſimi D.N. & noſtra eſt, quòd per hoc Decretum nulli ius de nouo acquiratur, nullique præiudicium generetur, nulliuſque ius in proprietate vel poſſeſſione lædatur, atque demum in omnibus & per omnia vnumquemque Primatem, verum vel prætenſum, in eodem ſtatu poſt hoc Concilium remanere, in quo anteà permanebat.

SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI SESSIO XVII.

quæ eſt prima ſub PIO IV. *Pontifice Maximo, celebrata die* 18. *Ianuarij*, 1562.

DECRETVM DE CELEBRANDO CONCILIO.

ILLVSTRISSIMI & Reuerendiſſimi DD. Reuerendiq; Patres, Placétne vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Chriſtianæ, ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, ab hodierno die, qui eſt decimusoctauus menſis Ianuarij, anni à Natiuitate Domini milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi, Cathedræ Romanæ beati Petri Apoſtolorum Principis conſecrato, ſublata quacumque ſuſpenſione, iuxta formam & tenorem litterarum ſanctiſſimi D. N. Pij Quarti Pontificis Maximi celebrari, & in eo ea, debito ſeruato ordine, tractari, quæ proponentibus Legatis ac Præſidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de Religione controuerſias, coërcendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur? Reſponderunt: Placet.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

ILLVSTRISSIMI & Reuerédiſſimi D. Reuerendique Patres, Placétne vobis, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandã eſſe Feria quinta poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ, quæ erit die 26. menſis Februarij? Reſponderunt: Placet.

PROPOSITIO FACTA.

IN prima præterita Seſſione declaratum eſt, & communi omnium voto approbatum, pertractandum eſſe de eis, quæ neceſſaria videbuntur ad Catholicæ fidei doctrinam ſtabiliendam, atque morum integritatem reſtituendam.

Vt autem hæc, Deo duce, aggrediamur, viſum eſt magnopere referre ad doctrinam de fide in ſuam puritatem reſtituenda, vt libri à variis Auctoribus poſt exortas hæreſes ſcripti, atque etiam librorum cenſuræ in diuerſis locis à Catholicis editæ, examinentur. De quibus quidquid ſancta Synodus ſtatuerit, tamquam ſacroſanctum Decretum ſuo tempore publicabitur, vt ab omnibus abſque vlla tergiuerſatione cuſtodiatur. Super qua re quicumque pro eius facilioti expeditione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

Ad hæc ritè diiudicanda vt vocentur omnes ex decreto ſanctæ Synodi, conſentaneum fore exiſtimauimus, ad quos iſtarum rerum aliqua pertinere quoquo modo poteſt, ne deinceps inauditos ſe eſſe condemnatos cenſeri poſſint.

Non ab re quoque putauimus eſſe, omnes qui in hereſes quaſcumque lapſi

Digitized by Google

ſunt, & adhuc irretiti ſunt, ad pœnitentiam inuitare, cum Saluiconductus ampla conceſſione ac promiſſione magnæ & ſingularis clementiæ & benignitatis, modò redeant ad cor, & ſanctæ Eccleſię Catholicæ poteſtatem agnoſcant.

Tam ſuper modo facilioris expeditionis examinis librorũ & cenſurarum, quàm ſuper aliis, quæ ſequuntur, Patres, poſtquam huius ſcripti exemplum acceperint, & conſiderauerint, dicant ſententias ſuas in ſequenti Congregatione.

SESSIO XVIII.

quæ eſt ſecunda ſub PIO IV. *Pont. Max. celebrata die 26. Februarij, 1562.*

DECRETVM DE LIBRORVM DELECTV, *& omnibus ad Concilium fide publica inuitandis.*

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti (qui os & ſapientiam Eccleſiæ ſuæ daturũ ſe promiſit) ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, vt Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentium opinionibus pluribus locis inquinatam & obſcuratam, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat, & mores, qui à veteri inſtituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem reuocet, corque patrum ad filios, & cor filiorum ad patres conuertat. Cùm itaque omniũ primùm animaduerterit, hoc tempore ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè lateque diffunditur, numerum nimis excreuiſſe (quod quidem in cauſa fuit, vt multæ cenſuræ in variis Prouinciis, & præſertim in alma vrbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint) neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem vllam profuiſſe medicinam; cenſuit, vt delecti ad hanc diſquiſitionem Patres de cenſuris libriſque quid facto opus eſſet diligenter conſiderarét, atque etiam ad eamdem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent, quò faciliùs ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, tamquam zizania, à Chriſtianæ veritatis tritico ſeparare, deq; his commodiùs deliberare & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas, magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta eſſe vult, prout etiàm præſenti Decreto deducit, vt ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putauerit, quæ vel de hoc librorum & cenſurarum negotio, vel de aliis quæ in hoc Generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet à ſancta Synodo ſe benignè auditum iri.

Luc. 21.

Malach. 4.

Matth. 13.

Quoniam verò eadem ſancta Synodus ex corde optat, Deumque enixè rogat quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, vt vniuerſi communem matrem in terris agnoſcentes, (quæ quos peperit, obliuiſci non poteſt) vnanimes vno ore glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, per viſcera miſericordiæ eiuſdem Dei & Domini noſtri, omnes qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & vt ad hanc ſanctam Synodum veniant, inuitat atque hortatur, vtque charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur, pacemque Chriſti exultantem in cordibus ſuis præ ſe ferant, in quam vocati ſunt in vno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes, ne obdurent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes, neq; ſibi placentes, ad tam piam & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & cõuertantur. Omnibus enim charitatis officiis ſancta Synodus eos vt inuitat, ita cõplectetur.

Pſal. 111. Iſa. 49.

Rom. 13.

Coloſſ. 3.

Pſal. 94. Epheſ. 4.

Inſuper eadem ſancta Synodus decreuit, fidem publicam in Congregatione Generali concedi poſſe, & eam-

dem

dem vim habituram, eiuſdemque roboris & momenti futuram, ac ſi in publica Seſſione data & decreta fuiſſet.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

EADEM ſacroſancta Synodus Tridentina, in Spiritu ſancti legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decreuit, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum Adſcenſionis Domini, quę erit die 14. menſis Maij.

SALVVS CONDVCTVS *conceſſus Germanicæ nationi, in Congregatione Generali, die 4. Martij, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo.*

SAcroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Sedis Apoſtolicæ Legatis, vniuerſis fidem facit, quòd omnibus & ſingulis, Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, popularibus, & aliis quibuſcumque viris, cuiuſcumque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ Prouinciæ & nationis ciuitatibus, ac aliis locis eiuſdem, & omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ Confeſſionis perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad hoc Generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocumque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam Saluumconductum appellant, libere ad hanc Tridentinam ciuitatem veniendi, ibidemq; manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet tam ſcripto quàm verbo liberè offerendi, propalandi, eoſque Scripturis ſacris, & beatorum Patrum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, adſtruendi & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij Generalis reſpondendi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi, Chriſtianè aut charitatiuè abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conuitiis, ac contumeliis penitus ſemotis; & ſignanter, quòd cauſæ controuerſæ, ſecundùm ſacram Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum auctoritates in prędicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minimè puniantur, impartitur ac omnino concedit; ſic etiam, vt propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridentina à diuinis Officiis quouis modo ceſſetur. Et vt, his peractis, vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit, aut maiorum ſuorum mandato & aſſenſu, ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque vlla retinentia & occaſione, aut mora, ſaluis rebus eorum, & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire: de ſcientia tamen ab eadem Synodo deputandorũ, vt tunc opportunè eorum ſecuritati abſque dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta Synodus in hac publica fide Saluoque conductu omnes quaſcumque clauſulas includi ac contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, ac redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quòd ſi quiſpiam, aut illorum aliqui, ſiue in itinere Tridentum veniendo, ſiue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari, aut caſſari; vult & concedit, vt in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animaduerſione, cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi meritò approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab aliis, condigna animaduerſione, & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis, tunc hic præſentium, meritò laudanda & approbanda, mox puniantur, præſenti aſſe-

curationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Vult prætereà ipſa Synodus, quòd liceat ipſis Ambaſiatoribus, omnibus & ſingulis, toties quotieſcumque opportunum fuerit ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eamdem, necnon nuntium vel nuntios ſuos ad quæcumq; loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, toties quoties eis videbitur expedire; ita quòd aliqui, vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant vel prouideat. Qui quidem Saluuſconductus & ſecuritates ſtare ac durare debent, & à tempore, & per tempus, quo in ipſius Synodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium, habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia, pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus quibuſcumque, atque omnibus aliis Eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cẽſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet. Inſuper, omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam, vel manifeſtè vel occultè, occaſionem quęſituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio Legum vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacumque forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quòd ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea vel ſuis, cuiuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & Saluiconductus formam & modum in quocumque puncto vel clauſula violauerit, (quod tamẽ auertere dignetur Omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda, habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas Iure diuino & humano, aut conſuetudine, huiuſmodi Saluorumconductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione, aut quauis in hac parte contradictione.

Conc. Cõſtãt. ſeſſ. 19 in cap. Quòd non obſtãtibus Saluiconductibus.

Extenſio ad alias Nationes.

EADEM ſacroſancta Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, omnibus & ſingulis aliis, qui nobiſcum in iis quæ ſunt fidei communionem non habẽt, ex quibuſcumq; Regnis, nationibus, prouinciis, ciuitatibus ac locis, in quibus publicè & impunè prædicatur, vel docetur, ſiue creditur contrarium eius, quod ſancta Romana ſentit Eccleſia, dat fidem publicam ſiue Saluumconductum, ſub eadem forma & eiſdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX.

quæ eſt tertia ſub PIO IV. *Pont. Maximo, celebrata die* 14. *Maij* 1562.

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, pręſidẽtibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, decreta ea quæ hodie in pręſenti Seſsione ſtatuenda ac ſancienda erant, iuſtis nonnullis ac honeſtis cauſis, in Feriam quintam poſt proximam ſolemnitatem Corporis Chriſti (quæ erit pridie Nonas Iunij) proroganda eſſe cenſuit ac prorogat, dictaque die Seſſionem habendam eſſe ac celebrandam omnibus indicit. Intereà rogãdus eſt Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, auctor pacis, vt ſanctificet corda omnium, quo adiuuante, ſancta Synodus & nunc & ſemper meditari ac peragere valeat, quę ad eius laudem & gloriam pertineant.

SESSIO XX.

quæ eſt quarta ſub PIO IV. *Pont. Max. celebrata die* 4. *Iunij* 1562.

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè

mè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, propter varias difficultates ex diuerſis cauſis exortas, atque etiam vt congruentiùs maiorique cum deliberatione omnia procedant, nempe vt dogmata, cum iis quę ad Reformationem ſpectant, ſimul tractentur & ſanciantur; ea quæ ſtatuenda videbuntur, tam de Reformatione quã de dogmatibus, in proxima Seſſione, quam omnibus indicit in diem ſextamdecimam ſubſequentis mẽſis Iulij, definienda eſſe decreuit. Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ipſa ſancta Synodus, pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in Generali Congregatione, reſtringere & prorogare liberè poſsit & valeat.

SESSIO XXI.

qua eſt quinta ſub PIO IV. *Pontif. Max. celebrata die* 16. *Iulij*, 1562.

DOCTRINA DE COMMVNIONE SVB VTRAQ. SPECIE, ET PARVVLORVM.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, cùm de tremendo & ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento varia diuerſis in locis errorum monſtra nequiſsimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis Prouinciis multi à Catholicę Eccleſiæ fide atque obedientia videantur diſceſsiſſe, cenſuit, ea quæ ad Communionem ſub vtraque ſpecie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prędicare audeant, quàm eſt his Decretis explicatum atque definitum.

Laicos, & Clericos non conficientes, non adſtringi Iure diuino ad Communionem ſub vtraque ſpecie.

CAPVT I.

Ioh. 12. ITAQVE ſancta ipſa Synodus, à Spiritu ſancto (qui Spiritus eſt ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & pietatis) edocta, atque ipſius Eccleſię iudicium & conſuetudidem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum: neque vllo pacto, ſalua fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolus tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramq; ſpeciem accipiendam adſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Ioannem ſexto rectè colligitur, vtriuſque ſpeciei Communionem à Domino præceptam eſſe; vtcumq; iuxtà varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit quoque, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam; dixit etiam, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Et denique qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominùs, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Matth. 26. 1. Cor. 11. Ioan. 6. Ibid. Ibid.

Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ.

CAP. II.

PRAETEREA declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt

1.Cor.4. innuiſſe, cùm ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe, ſatis conſtat cùm in multis aliis, tum in hoc ipſo Sacramento, cùm ordinatis nonnullis circa eius vſum, Cetera, inquit, 1.Cor.11. cùm venero, diſponam. Quare agnoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianę Religionis non infrequens vtriuſq; ſpeciei vſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis, latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit: quam reprobare, aut, ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate, pro libito mutare non licet.

Totum & integrum Chriſtum, ac verum Sacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi.

CAP. III.

Matth.26. INSVPER declarat, quamuis Redemptor noſter (vt anteà dictum eſt) in ſuprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit; tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.

Paruulos non obligari ad communionem Sacramentalem.

CAP. IV.

DENIQVE eadem ſancta Synodus docet, paruulos vſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionẽ. Tit. 3. Siquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptã iam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit. Vt enim ſanctiſſimi illi Patres, ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE, ET PARVVLORVM.

CANON I.

SI QVIS dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſtifideles vtramque ſpeciem ſanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS negauerit, totũ & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub vna panis ſpecie ſumi, quia, vt quidam falsò aſſerunt, non ſecundùm ipſius Chriſti inſtitutionem ſub vtraque ſpecie ſumatur, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, paruulis, antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, Anathema ſit.

Duos verò articulos aliàs propoſitos, nondũ tamen excuſſos, videlicet, An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia Sup. Seſſ. 13. in fin. adducta fuit, vt cõmunicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub vna tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi vel Regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam ſint illæ; eadem ſancta Synodus in aliud tempus,

Digitized by Google

pus, oblatâ ſibi quamprimùm occaſione, examinandos atque definiendos reſeruat.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

Eadem ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & ſanctæ Eccleſiæ ornamentum, ea quę ſequuntur, de Reformationis negotio in præſenti ſtatuenda eſſe cenſuit.

Cap. I.

Qvoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumq; Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſpontè oblatū, Epiſcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu accipiāt. Notarij verò, in his tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere poſſint; dummodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopis ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus, directè vel indirectè, prouenire poſſit. Tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum (quæ potiùs abuſus & corruptelę, Simoniacæ prauitati fauentes, nuncupari poſſunt) penitus caſſando & interdicendo: & qui ſecùs fecerint, tam dantes quàm accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à Iure inflictas ipſo facto incurrant.

Cap. II.

Cvm non deceat, eos qui diuino miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere: compertumque ſit, complures pleriſque in locis ad ſacros Ordines nullo ferè delectu admitti, qui varijs artibus ac fallacijs confingunt ſe Beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, (quamuis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate) ad ſacros Ordines promoueatur, niſi priùs legitimè conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Id verò Beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quòd ad illius Beneficij titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi cōſtito quòd aliunde viuere commodè poſſit: & aliter facta reſignatio, nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinētes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque priùs perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant vnde viuere poſſint; antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.

Cap. III.

Cvm Beneficia ad diuinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur diuinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur, ſtatuit ſancta Synodus, in Eccleſiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque prouentuum & obuentionum, tam dignitatum quàm Canonicatuum, Perſonatuum, portionum & officiorum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas conuerti, quæ

inter dignitates obtinentes, & ceteros diuinis intereſſentes proportionabiliter, iuxta diuiſionem ab Epiſcopo, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda, diuidantur: ſaluis tamen conſuetudinibus earum Eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſeruientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt. Non obſtantibus exemptionibus ac aliis conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcumque: creſcenteque non ſeruientium contumacia, liceat contra eos procedere iuxta Iuris ac ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

CAP. IV.

EPISCOPI, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, in omnibus Eccleſiis Parochialibus vel Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, vt vnus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo; cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum. In ijs verò, in quibus ob locorum diſtantiam, ſiue difficultatẽ, Parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramẽta & diuina Officia audienda accedere non poſſunt, nouas Parochias, etiam inuitis Rectoribus, iuxta formam Conſtitutionis Alexandri Tertij (quæ incipit, Ad audientiam) conſtituere poſſint. Illis autem Sacerdotibus, qui de nouo erunt Eccleſiis nouiter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus. & ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam: quacumque reſeruatione, generali vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis Eccleſiis, non obſtantibus. Neque huiuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli, nec impediri, ex quibuſcumque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

Cap. 3. de Eccl. ædific.

CAP. V.

VT etiam Eccleſiarum ſtatus, vbi ſacra Deo Officia miniſtrantur, ex dignitate conſeruetur, poſſint Epiſcopi, etiam tamquam Apoſtolicę Sedis Delegati, iuxta formam Iuris, ſine tamen prȩiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſmalium, & aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis, propter earum paupertatem, & in ceteris caſibus à Iure permiſſis, etiamſi dictæ Eccleſiæ vel Beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſeruata, aut qualitercumque affecta; quòd vniones etiam non poſſint reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuſcumque prouiſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

CAP. VI.

QVIA illiterati & imperiti Parochialium Eccleſiarum Rectores, ſacris minùs apti ſunt Officiis, & alij propter eorum vitæ turpitudinem potiùs deſtruunt quàm ædificant, Epiſcopi, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, eiſdem illiteratis & imperitis, ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, Coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter prouidere poſſint, quacumque appellatione & exemptione remota: eos verò, qui turpiter & ſcandaloſè viuunt, poſtquã præmoniti fuerint, coërceant ac caſtigent: &, ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerent, eos Beneficiis, iuxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, priuandi facultatem habeant.

CAP. VII.

CVM illud quoque valdè curandum ſit, ne ea quæ ſacris miniſteriis dicata ſunt, temporum iniuriâ obſoleſcant, & ex

& ex hominũ memoria excidant; Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicę Sedis Delegati, transferre poſſint. Beneficia ſimplicia (etiam Iuriſpatronatus) ex Eccleſiis, quæ vetuſtate vel aliàs collapſæ ſint, & ob eorum inopiam nequeant inſtaurari, vocatis ijs quorum intereſt, in matrices aut alias Eccleſias locorum eorumdem, ſeu viciniorum, arbitrio ſuo: atque in eiſdem Eccleſiis erigant Altaria vel Cappellas ſub eiſdẽ inuocationibus, vel in iam erecta, Altaria vel Cappellas transferant, cum omnibus emolumentis & oneribus, prioribus Eccleſiis impoſitis. Parochiales verò Eccleſias, etiam ſi Iuriſpatronatus ſint, ita collapſas refici & inſtaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuſcumque, ad eaſdẽ Eccleſias quomodocumque pertinentibus. Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis prouenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos, omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quòd ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Eccleſias dirutas, in profanos vſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, conuertendi.

Cap. VIII.

Qvaecvmqve in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque ijs, vbi oportet, prouideri æquum eſt. Propterea commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obſeruantia, necnon Beneficia, tam curata quàm non curata, ſæcularia & Regularia, qualitercumq; commendata, etiam exempta ab Epiſcopis, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis, annis ſingulis viſitentur; curentque ijdem Epiſcopi congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, vt quæ renouatione indigent aut reſtauratione, reficiantur; & cura animarum, ſi qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia rectè exerceantur, appellationibus quibuſcumque, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſeruatoriis, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, non obſtantibus. Et, ſi in eis vigeret obſeruantia Regularis, prouideant Epiſcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium Superiores, iuxta eorum Regularia inſtituta, debitam viuendi rationem obſeruent & obſeruari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant ac moderentur. Quòd ſi admoniti, intra ſex menſes eos non viſitauerint, vel correxerint; tunc ijdem Epiſcopi, etiam vt Delegati Sedis Apoſtolicæ, eos viſitare poſſint & corrigere, prout ipſi Superiores poſſent iuxta eorum Inſtituta; quibuſcumque appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

Cap. IX.

Cvm multa à diuerſis anteà Conciliis, tam Lateranenſi ac Lugdunẽſi, quàm Viennenſi, aduerſus prauos eleemoſynarum Quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiuſque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo & querela excreſcere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla ſpes ampliùs relicta videatur, ſtatuit, vt poſthac in quibuſcumque Chriſtianæ Religionis locis eorum nomen atque vſus penitus aboleatur, nec ad officium huiuſmodi exercendum vllatenus admittantur; non obſtantibus priuilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, & quibuſuis cuiuſcumque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias verò aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideò Chriſti fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios loco-

locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicãdas eſſe decernit. Quibus etiam eleëmoſynas, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligẽdi facultas datur, vt tandem cæleſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

EADEM ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decreuit, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt Octauam feſti Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decimaſeptima menſis Septembris proximè futuri. Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ac vnicuique Seſſioni in poſterum præfigendum, ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in Generali Congregatione reſtringere & prorogare liberè poſſit & valeat.

SESSIO XXII.

quæ eſt ſexta ſub PIO IV. *Pontifice Max. celebrata die* 17. *Septemb.* 1562.

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSAE.

SACROSANCTA Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicę Sedis Legatis, vt vetus, abſoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Euchariſtiæ myſterio in ſancta Catholica Eccleſia fides atque doctrina retineatur, & in ſua puritate, propulſatis erroribus atque hæreſibus, conſeruetur, de ea, quatenus verum & ſingulare Sacrificium eſt, Spiritus ſancti illuſtratione edocta, hæc quæ ſequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prędicanda decernit.

CAP. I.

QVONIAM ſub priori Teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter Leuitici Sacerdotij imbecillitatem conſummatio non erat, oportuit, Deo patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundùm ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendũ non erat, in Cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſuę ſponſæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repręſentaretur, eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotẽ ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha, (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat) nouum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui Sanguinis effuſionem nos redemit, atque eripuit de poteſtate tenebrarum, & in Regnum ſuum tranſtulit. Et hęc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla in-

Heb. 7. Heb. 9. & 10. Matth. 26. Pſal. 109. Luc. 22. 1. Cor. 11. Exod. 12. 1. Cor. 5. Ioan. 13. Coloſſ. 1.

indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendā prædixit, & quam non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus Corinthiis ſcribēs, cùm dicit, non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri; per menſam, Altare vtrobique intelligens. Hæc denique illa eſt, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ & Legis tempore ſimilitudinem figurabatur, vtpote quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio & perfectio, cōplectitur.

Malach. 1. 1. Cor. 10. Gen. 4. & 22. Leuit. 1. & alibi.

CAP. II.

Et quoniam in diuino hoc Sacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, docet ſancta Synodus Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa. Cuius quidem oblationis (cruentæ inquam) fructus per hanc incruentam vberrimi percipiuntur, tantum abeſt, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur.

Heb. 9.

CAP. III.

Et quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit. Vnde nec Sacerdos dicere ſolet, Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

CAP. IV.

Et cùm ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum Sacrificium, Eccleſia Catholica, vt dignè reuerenterque offerretur ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem & pietatem quamdam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat. Is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum pijs Inſtitutionibus.

CAP. V.

Cvmqve natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædam ſummiſſa voce, alia verò clatiore, in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit. Cærimonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina & traditione: quò & Maieſtas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hęc viſibilia Religionis & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAP. VI.

Optaret quidem ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos huius ſanctiſſimi Sacrificij fructus vbe-

vberior proueniret: nec tamen, ſi id nõ ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas dãnat, ſed probat, atque adeò commẽdat. Siquidem illę quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent, partim quòd in eis populus ſpiritualiter communicet; partim verò quòd à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.

CAP. VII.

MONET deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſcerent; tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod ſacramentum hac mixtione recolitur; & cùm aquæ in Apocalypſi beati Ioannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur.

Apoc. 17.

CAP. VIII.

ETSI Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, vt vulgari lingua paſſim celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiuſque Eccleſiæ antiquo, & à ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum matre & magiſtra, probato ritu, ne oues Chriſti eſuriant, néve paruuli panem petant, & non ſit qui frangat eis, mandat ſancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera, ſanctiſſimi huius Sacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & Feſtis.

Thren. 4.

CAP. IX.

QVIA verò aduerſus veterem hanc in ſacroſancto Euangelio, Apoſtolorum traditionibus, ſanctorumq; Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi diſſeminati ſunt errores, multáque à multis docentur atque diſputantur; ſancta Synodus, poſt multos graueſque his de rebus maturè habitos tractatus, vnanimi Patrum omnium conſenſu, quæ huic puriſſimæ fidei ſacræque doctrinæ aduerſantur, damnare, & à ſancta Eccleſia eliminare per ſubiectos hos Canones conſtituit.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

CANON I.

SI QVIS dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quòd offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari, Anathema ſit.

CANON II.

SI QVIS dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum, Anathema ſit. Luc. 22.

CANON III.

SI QVIS dixerit, Miſſæ Sacrificium tantùm eſſe laudis & gratiarũ actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus offerri debere, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſsimo Chriſti Sacrificio in cruce peracto per Miſſę Sacrificium, aut illi per hoc derogari, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſsione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideoque abrogandum eſſe, Anathema ſit.

CA-

Digitized by Google

CANON VII.

SI QVIS dixerit, cærimonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica vtitur, irritabula impietatis eſſe magis quàm officia pietatis, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantùm vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eò quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, Anathema ſit.

DECRETVM
DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSÆ.

QVANTA cura adhibenda ſit, vt ſacroſanctum Miſſę Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in Sacris literis eum vocari, qui opus Dei facit negligenter. Ierem. 48. Quòd ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum ac diuinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa Hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis mũditia & puritate, atq; exteriori deuotionis ac pietatis ſpecie peragatur. Cùm igitur multa iam ſiue tẽporum vitio, ſiue hominum incuria & improbitate irrepſiſſe videantur, quæ à tanti Sacrificij dignitate aliena ſunt, vt ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem reſtituatur, decernit ſancta Synodus, vt ordinarij locorum Epiſcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere ſedulò curent ac teneantur, quæ vel auaritia, idolorum ſeruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit. Eph. 5.

Atque, vt multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſsis nouis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemoſynarum exactiones potiùs quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quęſtu non longè abſunt, omninò prohibeant.

Deinde, vt irreuerentia vitetur, ſinguli in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat. Neminem prætereà, qui publicè & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto Altari miniſtrare, aut Sacris intereſſe permittant: néve patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium, à ſæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi: ac niſi priùs, qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declarauerint ſe mente etiam ac deuoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe. Ab Eccleſiis verò Muſicas eas, vbi ſiue organo ſiue cãtu laſciuum aut impurum aliquid miſcetur, item ſæculares omnes actiones, vana atq; adeò profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, vt Domus Dei verè domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit. Iſaiæ 56. Matth. 21.

Poſtremò, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caueant, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, néve ritus alios, aut alias cærimonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequẽti & laudabili vſu receptæ fuerint.

Quarumdam verò Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à vera Religione inuentus eſt, omnino ab Eccleſia remoueant; doceantque populum, quis ſit, & à quo potiſsimùm proueniat huius ſanctiſsimi Sacrificij tam pretioſus ac cæleſtis fructus. Moneant etiam eũdem populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & maioribus Feſtis, accedant. Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſũt, locorum Ordinariis ita proponantur, vt non ſolùm ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt Delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda, cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant; non obſtantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

EADEM ſacroſancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, vt Reformationis negotium proſequatur, hæc in præſenti Seſsione ſtatuenda cenſuit.

CAP. I.

NIHIL eſt quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum aſsiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tamquam in ſpeculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil niſi graue, moderatum, ac Religione plenum præ ſe ferant: leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant veneratione. Cùm igitur, quò maiore in Eccleſia Dei & vtilitate & ornamento hęc ſunt, ita etiam diligentiùs ſunt obſeruanda, ſtatuit ſancta Synodus, vt quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à ſacris Conciliis, de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſæcularibus negotiis fugiendis, copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum, iiſdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponẽdis, obſeruentur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua verò ex iis in deſuetudinem abiiſſe cõpererint, ea quamprimùm in vſum reuocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque: ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſoluant.

Math. 5. Tit. 2.

CAP. II.

QVICVMQVE poſthac ad Cathedrales Eccleſias erit aſſumendus, is non ſolùm natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis quæ à ſacris Canonibus requiruntur, plenè ſit præditus; verùm etiam in ſacro Ordine anteà, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus: quarum rerum inſtructio, ſi eius notitia nulla aut recẽns in Curia fuerit, à Sedis Apoſtolicæ Legatis, ſeu Nuntiis Prouinciarum, aut eius Ordinario, eoque deficiente, à vicinoribus Ordinariis ſumatur. Scientiâ verò præter hæc huiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſsit ſatisfacere: ideoque anteà in Vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia vel Iure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quòd ſi Regularis

laris fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Prædicti autem omnes, vnde inſtructio ſeu teſtificatio erit ſumenda, hæc fideliter & gratis referre teneantur: alioquin eorum cõſcientias grauiter oneratas eſſe ſciant, ac Deum & Superiores ſuos habebunt vltores.

CAP. III.

EPISCOPI, etiam tamquam Delegati Apoſtolici, ex fructibus & prouentibus quibuſcumque, omnium dignitatum, perſonatuum, & officiorum in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis exiſtentium, tertiam partem in diſtributiones, eorum arbitrio aſſignandas, diuidere poſſint: vt ſcilicet qui eas obtinent, ſi perſonaliter competens ſibi ſeruitium, iuxta formam ab eiſdem Epiſcopis præſcribendam, quolibet die ſtatuto non impleuerint, illius diei diſtributionem amittãt, nec eius quoquo modo dominium acquirant, ſed fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicetur. Creſcente verò contumacia, contra eos iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedant. Quòd ſi alicui ex prædictis dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, de Iure, ſeu conſuetudine iuriſdictio, adminiſtratio, vel officium non competat, ſed extra ciuitatem in Diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in Curata Eccleſia reſederit ac miniſtrauerit, tamquam præſens ſit ac Diuinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur. Hæc in his tantùm Eccleſiis inſtituta intelligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, vt dictæ dignitates non ſeruientes aliquid amittant; quod ad tertiam dictorum fructuum & prouentuum partem aſcendat: non obſtantibus conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, & conſtitutionibus, etiam iuramento & quauis auctoritate firmatis.

CAP. IV.

QVICVMQVE in Cathedrali vel Collegiata, ſæculari aut Regulari Eccleſia diuinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in huiuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè fuerit cõceſſum. Ij verò, qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Eccleſiis obtineant, aut in poſterum obtinebũt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet, vt alij Miſſas, alij Euangelia, alij Epiſtolas dicant & cantent, quocumq; ij priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur, iuſto impedimento ceſſante, infra annum, Ordines ſuſcipere requiſitos, alioquin pœnas incurrant, iuxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit; Vt ij, qui, &c. quam præſenti Decreto innouat: cogántque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſeipſos exercere, ac cetera omnia officia quæ debent in cultu diuino præſtare, ſub eiſdem & aliis etiam grauioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in poſterum fiat prouiſio, niſi iis qui iam ætatem & ceteras habilitates integrè habere dignoſcantur: aliter irrita ſit prouiſio. Clem. Vt ij, qui. de Ae. & qua lit.

CAP. V.

DISPENSATIONES quacumque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetrauerint. Eæ verò quæ gratioſè concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab eiſdem, tamquã Delegatis Apoſtolicis, ſummariè tantùm & extraiudicialiter cognoſcantur, expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubiacere.

CAP. VI.

IN commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non niſi ex iuſta & neceſſaria cauſa fieri debent; Epiſcopi, tamquam Delegati Sedis Apoſtolicæ,

ſummariè & extraiudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate vel ſuggeſta falſitate, fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

CAP. VII.

LEGATI & Nuntij Apoſtolici, Patriarchæ, Primates & Metropolitani, in appellationibus ad eos interpoſitis, in quibuſuis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus poſt appellationem, ſeruare teneantur formam & tenorem ſacrarum Conſtitutionũ, & præſertim Innocētij IV. quę incipit, Romana, quacumq; conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo vel priuilegio in contrarium non obſtantibus: aliàs inhibitiones & proceſſus, & inde ſecuta quęcumque, ſint ipſo Iure nulla.

Cap. Romana, De appellat. in 6.

CAP. VIII.

EPISCOPI, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in caſibus à Iure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionũ, tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, ſint executores: habeant ius viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas Scholas ſiue quocumque alio nomine vocant: non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia. Eleëmoſynas Montis pietatis, ſiue charitatis, & pia loca omnia, quocumque modo nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio ſint munita, ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta cognoſcant & exequantur; non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut ſtatuto.

CAP. IX.

ADMINISTRATORES tam Eccleſiaſtici quàm laici, fabricæ cuiuſuis Eccleſiæ, etiam Cathedralis, Hoſpitalis, Confraternitatis, eleëmoſynæ Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario; conſuetudinibus & priuilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis: niſi ſecùs fortè in inſtitutione & ordinatione talis Eccleſiæ ſeu fabricæ expreſsè cautũ eſſet. Quòd ſi ex conſuetudine, aut priuilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis, ratio reddenda eſſet; tunc cum ijs adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minimè ſuffragentur.

CAP. X.

CVM ex Notariorum imperitia, plurima damna & multarum occaſio litium oriatur, poſſit Epiſcopus quoſcumque Notarios, etiam ſi Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam Delegatus Sedis Apoſtolicę, examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari: illiſque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquētibus, officij eius, in negotiis, litibus & cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus exercendi vſum perpetuò aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem Ordinarij ſuſpendat.

CAP. XI.

SI QVEM Clericorum aut laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis, ſecularis aut Regularis Beneficij, Montium pietatis, aliorũmque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in miniſtrorum ac pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe vel per alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs

ſiis ad quos Iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, Eccleſiæ, eiuſq; Adminiſtratori, ſiue Beneficiato, integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam Iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis & vſurpationis huiuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat, necnon quibuſcumque Beneficiis priuatus ſit, & ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, arbitrio ſui Ordinarij ſuſpendatur.

DECRETVM SVPER PETITIONE CONCESSIONIS CALICIS.

INSVPER, cùm eadem ſacroſancta Synodus ſuperiori Seſſione duos articulos aliàs propoſitos & tum nondum diſcuſſos, videlicet, An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus; & An, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi vel Regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus cõditionibus ſit concedendus, & quænam ſint illæ; in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos atq; definiendos reſeruauerit: nunc eorum, pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultũ volens, decreuit, integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti Decreto refert: qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat quod vtile Reipublicę Chriſtianæ, & ſalutare petentibus vſum Calicis fore iudicauerit.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

INSVPER, eadem ſacroſancta Tridentina Synodus diem futuræ Seſſionis ad Feriam quintam poſt Octauam feſtiuitatis Omnium Sanctorum, qui erit dies duodecimus menſis Nouembris, indicit; & in ea decernetur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

Prorogata fuit Seſſio vſq; ad diem 15. Iulij, 1563.

SESSIO XXIII.

quæ eſt ſeptima ſub PIO IV. *Pont. Max. celebrata die* 15. *Julij*, 1563.

DOCTRINA DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAP. I.

SACRIFICIVM & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Teſtamento ſanctum Euchariſtię Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet, in ea nouum eſſe viſibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum Heb. 7.
eſt. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi & miniſtrandi Corpus Luc. 22.
& Sanguinem eius, necnon & peccata Ioan. 20.
dimittendi & retinendi, Sacræ literæ oſtendunt, & Catholicę Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

CAP. II.

CVM autem diuina res ſit tam ſancti Sacerdotij miniſterium, conſentaneum fuit, quò digniùs & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures & diuerſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſeruirent; ita diſtributi, vt qui iam Clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad maiores

Digitized by Google

Philip. 1. 1. Tim. 3. Act. 21. aſcenderent. Nam non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda ſunt, grauiſſimis verbis docent: & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atq; vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtę, Lectoris, & Oſtiarij, in vſu fuiſſe cognoſcuntur, quamuis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores Ordines à Patribus & ſacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſimè legimus.

Cap. III.

1. Tim. 4. CVM Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: 2. Tim. 1. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.

Cap. IV.

QVONIAM verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri poteſt, meritò ſancta Synodus damnat eorũ ſententiam, qui aſſerunt, noui Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodò poteſtatem habere, & ſemel ritè ordinatos, iterùm laicos effici poſſe, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quòd ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt vt Cant. 6 caſtrorum acies ordinata, confundere, 1. Cor. 12. Epheſ. 4. perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtę, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, Act. 20. à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei: eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum, nec populi, nec cuiuſuis ſæcularis Poteſtatis, & Magiſtratus conſenſum, ſiue vocationem, ſiue auctoritatem ita requiri, vt ſine ea irrita ſit ordinatio; quin potiùs decernit, eos qui tantummodò à populo, aut ſęculari Poteſtate ac Magiſtratu vocati & inſtituti, ad hęc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumũt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures Ioan. 10. & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Hæc ſunt, quæ generatim ſacræ Synodo viſum eſt Chriſti fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis & proprijs Canonibus in hunc qui ſequitur modum damnare conſtituit, vt omnes, adiuuante Chriſto, fidei regulâ vtentes, in tot errorum tenebris Catholicã veritatem faciliùs agnoſcere & tenere poſſint.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Canon I.

SI QVIS dixerit, non eſſe in nouo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam cõſecrandi & offerendi verum Matth. 16. Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, ſed officium tantùm & nudum miniſterium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes, Anathema ſit.

CA-

CANON II.

SI QVIS dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & maiores & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, Ordinē, ſiue ſacram Ordinationem, non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum; vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorum, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtrà Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, ſacram Vnctionem, qua Eccleſia in ſancta Ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe, ſimiliter & alias Ordinis cærimonias, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Miniſtris, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipſis collatos, ſine populi, vel Poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione irritos eſſe; aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate ritè ordinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorum miniſtros, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos ac veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

EADEM ſacroſancta Tridentina Synodus, reformationis materiam proſequens, hæc quæ ſequuntur, in præſenti decernenda eſſe ſtatuit & decernit.

CAP. I.

CVM præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues agnoſcere, pro his Ioan. 21. Sacrificium offerre, verbiq; diuini præ- Act. 20. dicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum aliarumq; miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neq; aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio Ioan. 10. & veritate paſcant & regant. Ne verò ea 1. Pet. 5. quæ de reſidentia ſanctè & vtiliter iam anteà ſub fel. rec. Paulo III ſancita fuerunt, in ſenſus à ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius Decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat, illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſijs quibuſcumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiam ſi S. R. E. Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel Diœceſi reſidentiam, vbi iniuncto ſibi officio defungi teneātur, neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis & modis infraſcriptis. Nam cùm Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ vel Reipublicæ

by Google

vtilitas, aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent & exigant, decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas à beatiſſimo Rom. Pont. aut à Metropolitano, vel, eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas: niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit. Ad eumdem tamen cum Concilio Prouinciali ſpectabit iudicare de licentiis à ſe vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis Canonicis errantes puniantur. Intereà meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum, vt quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullũ damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, ſacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſiue continuum, ſiue interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex cauſa fiat, & abſque vllo gregis detrimento. Quòd an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cuius opus non fraudulẽter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere paſtoris pręſẽtia oues debeãt, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos aliò vocent. Si quis autem (quod vtinã numquam eueniat) contra huius Decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, pręter alias pœnas aduerſus nõ reſidentes ſub Paulo III. impoſitas & innouatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere; nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe: ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conuentione vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur; non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis cuicumq; Collegio aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino, etiam quoad culpam & amiſſionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat & decernit: ita tamen, vt quandocumq; eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquãt. Diſcedendi autem licentiam, in ſcriptis gratiſque concedendam, vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa, non obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem & ſubtractionem fructuum, aliaque Iuris remedia, etiam vſque ad priuationem, compellere. Nec executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuſcumque Beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſiue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenia-

3. Reg. 8. Ier. 48.

genianę Conſtitutionis, ſuſpendi poſſe.

Poſtremò tam Decretum illud ſub Paulo III. quàm hoc ipſum; in Conciliis Prouincialibus & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeò ex Paſtorum munere animarumq; ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, vt in poſterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut deſuetudine aboleantur.

CAP. II.

Ecclesiis Cathedralibus, ſeu ſuperioribus, quocumque nomine ac titulo præfecti, etiã ſi S. R. E. Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuũ perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidem menſes poſteà id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo Iure ſint priuati. Conſecratio verò, ſi extra Curiam Romanam fiat, in Eccleſia ad quam promoti fuerint, aut in Prouincia, ſi commodè fieri poterit, celebretur.

CAP. III.

Episcopi per ſemetipſos Ordines conferant. quòd ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter quàm iam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.

CAP. IV.

Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabili coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidum cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

CAP. V.

Ad maiores Ordines promouendi, bonum à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante Ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat vt nominibus ac deſiderio eorum qui volent promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ętate, moribus & vita, à fide dignis diligenter inquirat; & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimùm tranſmittat.

CAP. VI.

Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimumquartũ annum Beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat: vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos, verſetur. In Clericis verò coniugatis ſeruetur Conſtitutio Bonifacij VIII. quæ incipit, Clerici qui cum vnicis; modò hi Clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant vel miniſtrent, & Clericali habitu & tonſura vtantur; nemini, quoad hoc, priuilegio vel conſuetudine, etiam immemorabili, ſuffragante.

CAP. VII.

Sancta Synodus, antiquorum Canonum veſtigiis inhærendo, decernit, vt quando Epiſcopus Ordinationem facere diſpoſuerit, omnes qui ad Sacrum miniſterium accedere voluerint, Feria quarta ante ipſam Ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ad ciuitatem euocentur. Epiſcopus autem, Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in Eccleſiaſticis Sanctionibus exercitatis, ſibi adſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inueſtiget & examinet.

CAP.

Cap. VIII.

ORDINATIONES ſacrorum Ordinum, ſtatutis à Iure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur. Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas ac mores, Ordinarij ſui teſtimonio commendentur. Si ſecùs fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum; & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

Cap. IX.

EPISCOPVS familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat; conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

Cap. X.

ABBATIBVS, ac aliis quibuſcumque, quantumuis exemptis, non liceat in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius Diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores Ordines cõferre: nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus quæ in huius ſanctæ Synodi Decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impoſitam his, qui contra huius ſanctæ Synodi ſub Paulo III. Decretum, à Capitulo, Epiſcopali Sede vacante, literas dimiſſorias impetrant; ad illos qui eaſdem literas non à Capitulo, ſed ab aliis quibuſuis in iuriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam Decreti, ab officio & Beneficio per annum ſint ipſo Iure ſuſpenſi.

Cap. XI.

MINORES Ordines iis, qui ſaltem Latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia (niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur) conferantur, vt eò accuratiùs, quantum ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in vnoquoq; munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in ea cui adſcripti erunt Eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint; atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate, vitæ meritum & doctrina maior accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga Presbyteros & ſuperiores Ordines reuerentia, & crebrior quàm anteà Corporis Chriſti communio, maximè cõprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus Ordinibus dignum oſtendat. Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad ſacros Ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi, aliud expoſcat.

Cap. XII.

NVLLVS in poſterum ad Subdiaconatus ordinẽ ante vigeſimumſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimumtertium, ad Presbyteratus ante vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos, debe-

debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur; priuilegiis quibuſcumque, quoad hoc, penitùs excluſis.

CAP. XIII.

SVBDIACONI & Diaconi ordinentur, habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis, & his quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi, qui ſperent, Deo auctore, ſe continere poſſe, Eccleſiis, quibus aſcribentur, inſeruiāt: ſciantque maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis & ſolemnibus, cùm Altari miniſtrauerint, ſacram Communionem perceperint. Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum (niſi aliud Epiſcopo videatur) aſcendere non permittantur. Duo ſacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur; priuilegiis ac indultis quibuſuis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumque.

CAP. XIV.

QVI piè & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium. Et hi ſint, qui non modò in Diaconatu ad minus annum integrum (niſi ob Eccleſiæ vtilitatem ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur) miniſtrauerint, ſed etiam ad populum docendum, ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem ac miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac caſtis moribus conſpicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Curet Epiſcopus, vt ij, ſaltem diebus Dominicis ac Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent. Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſari.

1. Tim. 3.

CAP. XV.

QVAMVIS Presbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſacroſancta Synodus, nullum, etiam Regularē, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotū, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

CAP. XVI.

CVM nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus, veſtigiis ſexti Canonis Concilij Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, vt nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cuius neceſſitate aut vtilitate aſſumitur, non aſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quòd ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei Sacrorum exercitiū interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus, ſine commendatitiis ſui Ordinarij literis, ab vllo Epiſcopo ad Diuina celebranda, & & Sacramenta adminiſtranda admittatur.

CAP. XVII.

VT ſanctorum Ordinum, à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermiſſæ, in vſum iuxta ſacros Canones reuocentur, nec ab hæreticis, tamquam otioſæ, traducantur, illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans ſancta Synodus, decernit, vt in poſterum huiuſcemodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur: omneſque & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, vt

Digitized by Google

vt quantum fieri commodè poterit, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diœceſis, ſi populus frequens, & Eccleſiæ prouentus id ferre queant, huiuſmodi functiones curent reſtituendas: & ex aliqua parte reddituum aliquorum ſimplicium Beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, ſi prouentus ſuppetant, aut vtriuſque illorum, eas functiones exercentibus ſtipendia aſſignent; quibus, ſi negligentes fuerint, Ordinarij iudicio aut ex parte mulctari, aut in totum priuari poſſint. Quòd ſi miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis, Clerici cœlibes præſtò non erunt, ſuffici poſſint etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodò non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram & habitum Clericalem in Eccleſia geſtent.

CAP. XVIII.

Gen. 8. CVM adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas; & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfectè ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret; ſancta Synodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Eccleſiæ, pro modo facultatũ, & Diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius ciuitatis & Diœceſis, vel eius Prouinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & in Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc verò Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere & ſcribere competenter nouerint, & quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſeruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſię inſeruiendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ętatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim, cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit, aliosq; in locum eductorum ſufficiet, ita vt hoc Collegium, Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, tonſura ſtatim atque habitu Clericali ſemper vtentur. Grammatices, cantus, Computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent: ſacram Scripturam, libros Eccleſiaſticos, Homilias Sanctorum, atq; Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad Confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cęrimoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus, vt ſingulis diebus Miſſę Sacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta Confeſſoris iudicium ſumant Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis, diebus feſtis inſeruiant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna & neceſſaria, Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent; eaque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando, operam dabunt. Dyſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo; omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſeruandum & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuẽtutem, & ad alios ſumptus, certi redditus erũt neceſſarij, vltra ea quæ ad inſtituendos alen-

dóſve pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic Seminario ſub eadẽ Epiſcopi cura applicata cenſeantur, ijdem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat, ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, & quarumcumq; dignitatum, perſonatuum, officiorum, Præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cuiuſcumque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & Hoſpitalium quę dantur in titulum vel adminiſtrationem, iuxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit, & Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam ſi Iuris patronatus cuiuſcumque fuerint, etiam ſi exempta, etiam ſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Hoſpitalibus, & alijs quibuſuis locis pijs, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis Eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis redditibus, ſeu prouentibus, etiam aliorum Collegiorum (in quibus tamen Seminaria diſcentium vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promouendum actu non habentur; hæc enim exempta eſſe voluit, præterquam ratione redituum qui ſuperflui eſſent, vltra conuenientem ipſorum Seminariorum ſuſtentationem) ſeu corporũ, vel Confraternitatum, quæ in nonnullis locis Scholæ appellantur, & omnium Monaſteriorum, non tamen Mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolui ſolent, & Milites cuiuſcumque Militiæ aut Ordinis pertinentibus (Fratribus ſancti Ioannis Ieroſolymitani dumtaxat exceptis) partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non Beneficia aliquot ſimplicia, cuiuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, ſine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam ſi Beneficia ſint reſeruata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum Beneficiorum, vniones & applicationes, ſuſpendi, vel vllo modo impediri poſſint: ſed omnino quacumque vacatione, etiam ſi in Curia, effectũ ſuum ſortiantur, quacumque Conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam, Beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſuprà commemoratorũ poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro penſionibus, quas aliis forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras Eccleſiaſticas ac alia Iuris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibuſuis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, cõſuetudine, etiam immemorabili, & quauis appellatione & allegatione, quæ executionem impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter Seminarium ipſum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex ſingulis Beneficiis, vt ſuprà, detracta & incorporata, ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quòd ſi Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati, in hac Seminarij erectione, eiuſque conſeruatione, negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores Synodus Prouincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat: & vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus, vbicumque fieri

poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit. Rationes autem redditũum huius Seminarij, Epiſcopus ſingulis annis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis.

Deinde, vt cum minori impenſa huiuſmodi Scholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit S. Synodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, Scholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis Scholis inſtituendos, per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem Scholaſticis eligendos, & ab Ordinarijs approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum, cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint, alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota. Quòd ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cetero verò officia vel dignitates illæ, quæ Scholaſteriæ dicũtur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in Sacra pagina, aut in Iure Canonico, & aliàs perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur, & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida; non obſtantibus, quibuſuis priuilegiis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si verò in aliqua Prouincia Eccleſiæ tanta paupertate laborent, vt Collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus Prouincialis, vel Metropolitanus; cum duobus antiquioribus Suffraganeis, in Eccleſia Metropolitana, vel alia Prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura Collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Eccleſiarum, in quibus ſingulis Collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur.

In Eccleſiis autem amplas Diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere Seminaria; quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione, difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius Seminarij inſtitutio vel conſeruatio impediretur aut perturbaretur, Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus Prouincialis, pro Regionis more, pro Eccleſiarum & Beneficiorũ qualitate, etiam ſupraſcripta, ſi opus fuerit, moderando aut augendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem huius Seminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

INSVPER, eadem ſacroſancta Tridentina Synodus proximam futuram Seſſionem in diem decimamſextã menſis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de aliis, ſi qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri poſſint. Item, de prouiſionibus Epiſcopatuum, dignitatum, aliorumq́ue Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac de diuerſis Reformationis articulis.

Prorogata fuit Seſſio ad diem 11. Nouembris, 1563.

SESSIO XXIV,

quæ eſt octaua ſub PIO IV. *Pontif. Max. celebrata die* 11. *Nouemb:* 1563.

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MATRIMONII perpetuum indiſſolubilemq́ue nexum, primus humani generis parens diuini Spiritus inſtinctu pronuntiauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet Gen. 2. Matth. 19. Epheſ. 5.

quet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.

Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari & coniungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm poſtrema illa verba tamquam à Deo prolata
Matth.19. referens dixit: Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro; ſtatimque eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem confirmaret, coniugeſq; ſanctificaret, ipſe Christus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens:
Epheſ.5. Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Christus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradi-
Ibid. dit pro ea, mox ſubiungens; Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Christo & in Eccleſia.

Cùm igitur Matrimonium in Lege Euangelica veteribus connubiis per Christũ gratiã præſtet, meritò inter nouæ Legis Sacramenta annumerandum ſancti Patres noſtri, Concilia, & vniuerſalis Eccleſiæ traditio, ſemper docuerunt. Aduerſus quam impij homines huius ſeculi inſanientes, non ſolùm perperàm de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo, prætextu Euangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, nõ ſine magna Christi fidelium iactura. Quorum temeritati ſancta & vniuerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum ſchiſmaticorum hæreſes & errores, ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipſos hęreticos eorumque errores decernens Anathematiſmos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CANON I.

SI QVIS dixerit, Matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem Legis Euangelicæ Sacramentis, à Christo Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre, Anathema ſit. Matth.19. Epheſ.5.

CANON II.

SI QVIS dixerit, licere Christianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla Lege diuina eſſe prohibitum, Anathema ſit.

CANON III.

SI QVIS dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Leuitico exprimuntur, poſſe impedire Leuit.18. Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere vt plures impediant & dirimant, Anathema ſit.

CANON IV.

SI QVIS dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in ijs conſtituendis errasſe, Anathema ſit.

CANON V.

SI QVIS dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge, diſſolui poſſe Matrimonij vinculum, Anathema ſit.

CANON VI.

SI QVIS dixerit, Matrimoniũ ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi, Anathema ſit.

CANON VII.

SI QVIS dixerit, Eccleſiã errare, cùm docuit, & docet, iuxta Euangelicam Matth.19. Luc.16.
& Apoſtolicam doctrinam, propter 1.Cor.7.
adulterium alterius coniugum Matrimonij vinculum non poſſe diſſolui, & vtrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero coniuge viuente, aliud Matrimonium cõtrahere, mœcharique eum, qui

Digitized by Google

dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero, alij nupſerit, Anathema ſit.

CANON VIII.

SI QVIS dixerit, Eccleſiã errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quoad totũ ſeu quoad cohabitationẽ, ad certum incertúmve tempus fieri poſſe decernit, Anathema ſit.

CANON IX.

SI QVIS dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimoniũ contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe, quàm damnare Matrimonium; poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiã ſi eam vouerint, habere donum, Anathema ſit; cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.

1. Cor. 10.

CANON X.

SI QVIS dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cælibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi Matrimonio, Anathema ſit.

1 Cor. 7.

CANON XI.

SI QVIS dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarũ certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam, aut benedictiones aut alias cærimonias, quibus Eccleſia in illis vtitur, damnauerit, Anathema ſit.

CANON XII.

SI QVIS dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices Eccleſiaſticos, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE MATRIMONII.

CAP. I.

TAMETSI dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde Iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falsò affirmant, Matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: nihilominùs ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit. Verùm cùm ſancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodeſſe, & grauia peccata perpendat, quę ex eiſdem clandeſtinis coniugiis ortum habent, præſertim verò eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clàm contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo, cùm ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcircò ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo præcipit, vt in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denũtietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur. Vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel aliis vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque Prouinciæ ritum. Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat; vel ſaltem Parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus, Matrimonium

nium celebretur: deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio ſancta Synodus relinquit. Qui aliter quàm pręſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit & annullat. Inſuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtiũ numero, & teſtes qui ſine Parocho vel Sacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Prætereà eadem ſancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque, benedictionem à proprio Parocho fieri: neque à quoquam, niſi ab ipſo Parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi poſſe: quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, vel priuilegio, non obſtante. Quòd ſi quis Parochus vel alius Sacerdos, ſiue Regularis ſiue ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex priuilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo Iure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti Matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremò ſancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ Prouinciæ aliis, vltra prędictas, laudabilibus conſuetudinibus & cærimoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, vt cùm primùm potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarũ Diœceſum Parochialibus Eccleſiis: idque in primo anno quã ſæpiſſimè fiat; deinde verò quoties expedire viderint. Decernit inſuper, vt huiuſmodi Decretum in vnaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

Cap. II.

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter cõtrahi Matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit vt vnus tantùm, ſiue vir ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiant: & eum vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum

rum nomina deſcribat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ vllâ excuſari valeant. Quòd ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, Conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpâ vel negligentiâ ſecùs factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniantur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illius patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

CAP. III.

IVSTITIAE publicæ honeſtatis impedimentum, vbi ſponſalia quacumq; ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedãt: quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.

CAP. IV.

PRAETEREA ſancta Synodus, eiſdẽ & aliis grauiſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſteà factũ dirimit, ad eos tantùm qui in primo & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit. In vlterioribus verò gradibus ſtatuit, huiuſmodi affinitatem Matrimonium poſteà contractũ non dirimere.

CAP. V.

SI QVIS intra gradus prohibitos ſciẽter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolẽnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſteà ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

CAP. VI.

DECERNIT ſancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris mãſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorẽ habeat; & nihilominùs raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes, ſint ipſo Iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur prætereà raptor mulierem raptam, ſiue eam in vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare. Exod. 22.

CAP. VII.

MVLTI ſunt qui vagantur & incertas habent ſedes, &, vt improbi ſunt ingenij, prima vxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa viuente diuerſis in locis ducunt: cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantiũ ad Matrimonium facilè recipiant. Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, vt eos ſeuerè coërceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAP. VIII.

GRAVE peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere: grauiſſimũ verò,

verò, & in huius magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, vxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu viuere, ac audere eas quandoque domi etiam cum vxoribus alere & retinere. Quare vt huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis prouideat, ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos quàm vxoratos, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excommunicatione feriendos eſſe: à qua non abſoluantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quòd ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, ſiue coniugatæ ſiue ſolutæ, quæ cum adulteris ſeu concubinariis publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio, grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel Diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, eiiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.

Cap. IX.

Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magiſtratuum mentes oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, vt viros & mulieres ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites, vel ſpem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis Matrimonium inuitos contrahere, quos ipſi Domini vel Magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cùm maximè nefarium ſit, Matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias naſci, à quibus iura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus, cuiuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo, directè vel indirectè, ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quò minùs liberè Matrimonia contrahant.

Cap. X.

Ab Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque in Octauam Paſchatis incluſiuè, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi, vt ea qua decet modeſtia & honeſtate fiant, curabunt. Sancta enim res eſt Matrimonium, & ſanctè tractandum.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

Eadem ſacroſancta Synodus, Reformationis materiam proſequens, hæc in præſenti Seſſione ſtatuenda decreuit.

Caput I.

Si in quibuſlibet Eccleſiæ gradibus prouidenter ſcienterque curandum eſt, vt in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum; multò magis elaborãdum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde, etſi aliàs ſancta Synodus de promouẽdis ad Cathedrales & ſuperiores Eccleſias nonnulla vtiliter decreuit, hoc tamen munus huiuſmodi eſſe cenſet, vt ſi pro rei magnitudine expendatur, numquam ſatis cautum de eo videri poſſit. Itaque ſtatuit, vt cùm primùm Eccleſia vacauerit, Supplicationes ac preces publicè priuatimque habeantur, atque à Capitulo per ciuitatem & Diœceſim indicantur, quibus Clerus populuſque bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare. Omnes verò & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumq; ius quacumque 1. Cor. 14.

Digitized by Google

que ratione à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam pręſtant, nihil in iis pro præſenti temporum ratione innouando, hortatur & monet, vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigẽtibus meritis, præfici diligenter curauerint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciant, quæ iuxta ſacros Canones & Tridentinæ huius Synodi Decreta requiruntur. Quoniam verò in ſumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui idoneoque bonorum & doctorum virorũ teſtimonio, non vniformis ratio vbiq; ex Nationum, populorum ac morum varietate poteſt adhiberi, mandat ſancta Synodus, vt in Prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda præſcribatur quibuſque locis & Prouinciis propria examinis, ſeu inquiſitionis aut inſtructionis faciendæ forma, ſanctiſſimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eiſdem locis vtilis atque oppotuna eſſe videbitur: ita tamen, vt cùm deinde hoc examen ſeu inquiſitio de perſona promouenda perfecta fuerit, ea in inſtrumentum publicũ redacta, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei ab eo facta, quàprimùm ad ſanctiſſimũ Romanum Pontificem omnino tranſmittatur, vt ipſe Summus Pontifex, plena totius negotij ac perſonarum notitia habita, pro gregis Dominici cõmodè de illis, ſi idonei per examen ſeu per inquiſitionem factam reperti fuerint, Eccleſiis poſſit vtiliùs prouidere. Omnes verò inquiſitiones, informationes, teſtimonia, ac probationes quæcumque de promouendi qualitatibus & Eccleſiæ ſtatu à quibuſcũque, etiam in Romana Curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Conſiſtorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipſa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium ſubſcriptione roboretur: in qua ipſi ſinguli quatuor Cardinales affirment, ſe adhibita accurata diligentia, inueniſſe promouendos qualitatibus à Iure & ab hac ſancta Synodo requiſitis præditos, ac certò exiſtimare, ſub periculo ſalutis æternæ, idoneos eſſe qui Eccleſiis præficiantur: ita vt relatione in vno Conſiſtorio facta, quò maturiùs intereà de ipſa inquiſitione cognoſci poſſit, in aliud Conſiſtorium iudicium differatur; niſi aliud beatiſſimo Pontifici videbitur expedire. Ea verò omnia & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus aliàs in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit eadem etiam in creatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam ſi Diaconi ſint, exigenda: quos ſanctiſſimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos reperterit, aſſumet. Poſtremò eadem ſancta Synodus, tot grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quàm vt beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſollicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hîc potiſſimùm impendat, vt lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales adſciſcat, & bonos maximè atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat, idq; eò magis, quòd ouium Chriſti Sanguinem, quæ ex malo negligentium & ſui officij immemorum Paſtorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de manibus eius ſit requiſiturus.

1. Tim. 5. — Suprà Seſſ. 22. cap. 2. de Refor. — Suprà Seſſ. 6. & 7. cap. 1. Seſſ. 22. c. 2. de Reformat. & Seſſ. 23. cap. 4. de Sacr. Ord. — Ioan. 21. — Ezech. 3. Act. 20.

Cap. II.

PROVINCIALIA Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus,

bus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis renouentur. Quare Metropolitani per ſeipſos, ſeu, illis legitimè impeditis, Coëpiſcopus antiquior intra annum ad minus à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet ſaltē triennio poſt Octauam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more Prouinciæ, non prętermittat Synodum in Prouincia ſua cogere: quò Epiſcopi omnes, & alij, qui de Iure vel conſuetudine intereſſe debent (exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet) conuenire omnino teneantur. Nec Epiſcopi comprouinciales prætextu cuiuſlibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inuiti compellantur. Itidem Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cuius Synodo Prouinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent ac obſeruari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio & priuilegia ſalua atque integra maneant. Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrētur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint, Synodo intereſſe. Quòd ſi in his tam Metropolitani quàm Epiſcopi, & alij ſupraſcripti negligentes fuerint, pœnas ſacris Canonibus ſancitas incurrant.

CAP. III.

PATRIARCHAE, Primates, Metropolitani & Epiſcopi propriā Diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium aut Viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam poſt plenè viſitatam propriā Diœceſim, non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neq; Diœceſes ſuorum Comprouincialium, niſi cauſa cognita & probata in Concilio Prouinciali. Archidiaconi autem, Decani, & alij inferiores in iis Eccleſiis, vbi hactenus viſitationem exercere legitimam conſueuerunt, debeant quidem, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantùm ibidem viſitare. Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, priùs ab Epiſcopo approbentur: ſed non ideò Epiſcopus, vel eo impedito, eius Viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur: cui ipſi Archidiaconi, vel alij inferiores, viſitationis factæ infra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegiis quibuſcumque. Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam Orthodoxamque doctrinam, expulſis hęreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacē, innocentiamque accendere, cetera, prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Quæ, vt faciliùs feliciuſq; ſuccedant, monētur prędicti omnes & ſinguli, ad quos viſitatio ſpectat, vt paterna charitate, Chriſtianoq; zelo omnes amplectantur; ideoque modeſto contenti equitatu famulatuque, ſtudeāt quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſoluere. Interimque caueant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graues oneroſíve ſint, néve ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios

vſus,

Digitized by Google

vſus, præter id quod ex relictis piis Iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantùm neceſſitate, & non vltrà, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſoluere id quod erat ab ipſis anteà ſolui, certa pecunia taxata, conſuetum; an verò prædicta victualia ſubminiſtrare; ſaluo item Iure conuentionum antiquarum cum Monaſteriis, aliíſve piis locis, aut Eccleſiis non Parochialibus inito, quod illæſum permaneat. In ijs verò locis ſeu Prouincijs, vbi conſuetudo eſt, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſeruetur. Quòd ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit; is præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, alijs etiam pœnis iuxta Conſtitutionem Concilij Generalis Lugdunenſis, quæ incipit, Exigit, necnon & alijs pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi, abſque vlla ſpe veniæ, mulctetur. Patroni verò in ijs quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere; neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum prouentibus immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione ac fundatione competat: ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant, & fabricarum redditus in vſus Eccleſiæ neceſſarios & vtiles, prout ſibi expedire magis viſum fuerit, expendi curent.

Cap. Exigit de Cenſib. in 6.

Cap. IV.

PRAEDICATIONIS munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus quò frequentiùs poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones aliàs ſuper hoc editos ſub fel. recor. Paulo III. aptiùs præſentium temporum vſui accommodando, mandat, vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut, ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument; in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſiue ijs impeditis, per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur vel ſolent, deputandos in ciuitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis & ſolemnibus diebus feſtis; tempore autem ieiuniorum Quadrageſimæ & Aduentus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras Scripturas, diuinamq; legem annuntient; & aliàs, quotieſcumque id opportunè fieri poſſe iudicauerint. Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochię ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis, ſiue Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Ijdem etiam ſaltem Dominicis & alijs feſtiuis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, doceri curabunt; &, ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent: non obſtantibus priuilegijs & conſuetudinibus. In reliquis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodē Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.

Sup. Seſſ. 5. c. 2. de Ref.

Sup. Seſſ. 5. c. 2. de Ref.

Cap. V.

CAVSAE criminales grauiores contra Epiſcopos, etiam hæreſis (quod abſit) quæ depoſitione aut priuatione dignæ ſunt, ab ipſo tantùm Summo Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur. Quòd ſi eiuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanā Curiam ſit committenda; nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à beatiſſimo Papa eligendis. Hæc verò commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius ſanctiſſimi Pontificis ſignata:

gnata: nec vmquam plus his tribuat, quàm vt ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſeruata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiua. Cetera aliàs ſub felic. rec. Iulio III. ſuper his decreta, necnon & Conſtitutio ſub Innocent. III. in Concilio Generali, quæ incipit, Qualiter & quando, quam ſancta Synodus in præſenti innouat, ab omnibus obſeruetur. Minores verò criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantùm Prouinciali cognoſcantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium Prouinciale.

Sup. Seſſ. 13 c. 6. de Ref. in Conc. Lat. ſub Innoc. III. c. 8.

Cap. VI.

LICEAT Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare: & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.

Cap. VII.

VT fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta maiori cum reuerẽtia, atque animi deuotione accedat; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, vt non ſolùm cùm hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, priùs illorum vim & vſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem à ſingulis Parochis piè prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commodè fieri poterit, ſeruari ſtudeant, iuxta formam à ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: necnon vt inter Miſſarum ſolemnia, aut Diuinorum celebrationem ſacra Eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis vel ſolemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant.

Cap. VIII.

APOSTOLVS monet, publicè peccantes palàm eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vnde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitẽtiarius aliquis cum vnione Præbendæ, proximè vacaturæ, ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Iure Canonico, & annorum quadraginta, ſeu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum Confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.

1. Tim. 5.

Cap. IX.

QVAE aliàs ſub felic. rec. Paulo III. & nuper ſub beatiſſimo Domino noſtro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficiorum, etiam exemptorum viſitatione, conſtituta ſunt, eadem etiam in ijs Eccleſiis ſæcularibus obſeruentur, quæ in nullius Diœceſi eſſe dicuntur; vt ab Epiſcopo, cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato viſitentur: non obſtantibus priuilegiis & con-

Sup. Seſſ. 7. c. 8. & Seſſ. 21. de Ref. c. 8.

conſuetudinibus quibuſcumque, etiam immemorabilibus.

CAP. X.

EPISCOPI, vt aptiùs quem regunt populum poſſint in officio atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, ius & poteſtatem habeant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, vbi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.

CAP. XI.

QVONIAM priuilegia & exemptiones, quæ variis titulis pleriſq; conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur; decreuit ſancta Synodus, vt ſi quando iuſtis, grauibus, & ferè neceſſariis ſuadentibus cauſis aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Cappellani Regij, aut aliis huiuſmodi in Romana Curia, vel extra, inſignibus decorandos eſſe placuerit; necnon alios, cuicumque Monaſterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut ſub nomine ſeruientium Militiis, ſeu Monaſteriis, Hoſpitalibus, Collegiis, aut quocumque alio titulo aſſumi, nihil ex his priuilegiis detractum eſſe Ordinariis intelligatur, quò minùs ij, quibus ea iam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis, tamquã Sedis Apoſtolicæ Delegatis, plenè in omnibus, & quo ad Cappellanos Regios, iuxta Conſtitutionem Innocentij III. quæ incipit, Cùm Cappellæ, ſubiecti (Cap. Cùm Cappellæ, de Priuileg.) exiſtant, exceptis tamen ijs, qui prædictis locis aut Militiis actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſubq́ue eorum obedientia viuunt, ſiue ijs, qui legitimè & ſecundùm Regulam earumdem Militiarum profeſſionem fecerint, de qua Ordinario conſtare debeat: non obſtantibus priuilegiis quibuſcumque, etiam Religionis ſancti Ioannis Ieroſolymitani, & aliarum Militiarum. Quæ verò priuilegia reſidentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent; ea in iis qui Beneficia Eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum Beneficiorum minimè intelligantur, ſed Ordinarij iuriſdictioni ſubiecti permaneant: non obſtantibus quibuſcumq; inhibitionibus.

CAP. XII.

CVM dignitates, in Eccleſiis præſertim Cathedralibus, ad conſeruandam augendamq́ue Eccleſiaſticam diſciplinã fuerint inſtitutæ, vt, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſq́ue exemplo eſſent, atque Epiſcopos opera & officio iuuarent; meritò qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem vigeſimumquintum ſuæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur, iuxta Conſtitutionẽ Alexandri III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, Cùm in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Epiſcopi, (Cap. 16.) ſint in omnibus Eccleſiis, vbi fieri poterit, Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, aut Licentiati in Iure Canonico. Ad ceteras autem dignitates, vel Perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & vigintiduobus annis non minores adſciſcantur. Prouiſi etiam de Beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus, tenean-

teneantur à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali eius Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxę ſuæ fidei publicam facere Profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac iurent. Prouiſi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu eius Officiali, ſed etiã in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes prouiſi, vt ſuprà, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatũ, aut portionem recipiant, niſi qui eo Ordine ſacro aut ſit initiatus, quem illa dignitas, Præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à Iure & ab hac ſancta Synodo ſtatutum, initiari valeat. In omnibus verò Eccleſijs Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus: Epiſcopus autem cum conſilio Capituli deſignet ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quiſque Ordo ex Sacris annexus in poſterum eſſe debeat, ita tamen, vt dimidia ſaltem pars Presbyteri ſint; ceteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Vbi verò conſuetudo laudabilior habet, vt plures, vel omnes ſint Presbyteri, omnino obſeruetur. Hortatur etiam ſancta Synodus, vt in Prouincijs, vbi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatis inſignibus, conferatur tantùm Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico. Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe: ſaluis nihilominùs earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirũt: alioquin primo anno priuetur vnuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac reſidentię fecit ſuos. Quòd ſi iterùm eadem fuerit vſus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: creſcente verò contumacia, contra eos iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedatur. Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, iuxta Bonifacij VIII. Decretum, quod incipit, Conſuetudinem, quod ſancta Synodus in vſum reuocat; non obſtantibus quibuſcumq; ſtatutis & conſuetudinibus.

Sup. Seſſ. 7. de Reform. c. 12.

Cap. vnico, de Cleric. non reſid. in 6.

Omnes verò diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia: & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adſiſtere & inſeruire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteq; laudare. Veſtitu inſuper decenti, tam in Eccleſia, quàm extra, aſſiduè vtantur; ab illicitiſque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant; atque ea morum integritate polleant, vt meritò Eccleſiæ Senatus dici poſſit. Cetera, quæ ad debitum in diuinis Officiis regimen ſpectant, deque congrua in his canendi ſeu modulandi ratione, de certa lege in Choro conueniendi & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſię miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua huiuſmodi, Synodus Prouincialis pro cuiuſque Prouinciæ vtilitate & moribus certam cuique formulam præſcribet. Intereà verò Epiſcopus non minùs quàm cum duobus Canonicis, quorum vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur, poterit prouidere.

Cap. XIII.

QVONIAM pleræque Cathedrales Eccleſiæ tam tenuis redditus ſunt & anguſtæ, vt Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarũ neceſſitati ſufficiant; examinet Concilium

Digitized by Google

cilium Prouinciale, vocatis iis quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias tenuitatemque vicinis vnire, vel nouis prouentibus augere expediat; confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat; quibus inſtructus Summus Pontifex, ex prudentia ſua, prout expedire iudicauerit, aut tenues inuicem vniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat. Interim verò, donec prędicta effectum ſortiantur, huiuſmodi Epiſcopis, qui fructuum ſubuentione pro Diœceſis ſuæ tenuitate indigēt, poterit de Beneficiis aliquibus, dum tamen Curata non ſint, nec dignitates, ſeu Canonicatus & Prębendæ, nec Monaſteria, in quibus viget Regularis obſeruantia, vel quæ Capitulis Generalibus, & certis Viſitatoribus ſubduntur, à Summo Romano Pontifice prouideri. In Parochialibus etiam Eccleſiis, quarum fructus æquè adeò exigui ſunt, vt debitis nequeant oneribus ſatisfacere; curabit Epiſcopus, ſi per Beneficiorum vnionem (non tamē Regularium) id fieri non poſſit, vt primitiarum vel decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum ſymbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. In vnionibus verò quibuſlibet, ſeu ex ſupradictis ſeu aliis cauſis faciendis, Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu dignitatibus, ſiue Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſiue aliis Beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitalibus, Militiiſve non vniantur; & quę vnitæ ſunt, reuideantur ab Ordinariis, iuxta aliàs Decretum in eadem Synodo ſub fel. record. Paulo III. quod etiam in vnitis ab eo tempore citrà æquè obſeruetur: non obſtantibus in iis quibuſcumque verborum formis, quæ hîc pro ſufficienter expreſsis habeantur. Ad hæc in poſterum omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus ſummam ducatorum mille; & Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum ſecundùm verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus aut reſeruationibus fructuum grauentur.

Sup Seſſ. 7 de Refor. cap. 6.

In iis quoque ciuitatibus ac locis, vbi Parochiales Eccleſię certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant; mandat ſancta Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, vt diſtincto populo in certas propriaſque Parochias, vnicuiq; ſuum perpetuum peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant; aut alio vtiliori modo, prout loci qualitas exegerit, prouideant. Idemque in iis ciuitatibus ac locis, vbi nullæ ſunt Parochiales, quamprimùm fieri curent: non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Cap. XIV.

In pluribus Eccleſiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum conſtitutionibus, aut ex praua conſuetudine obſeruari intelligitur, vt in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia prouiſione, ſiue admiſſione ad poſſeſſionem alicuius Cathedralis Eccleſiæ, vel Beneficij, Canonicatuum, aut Præbēdarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas, certæ conditiones ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationéſve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra interponātur. Hæc cùm ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, vt quicumq; huiuſmodi in vſus pios nō conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus ſiue conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant,

Digitized by Google

noſcant, & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas, vt prauas ac ſcandaloſas reiiciant & aboleant. Eos verò qui aduerſus hæc in præſenti Decreto comprehenſa, quauis ratione commiſerint, pœnis contra Simoniacos editis, ſacris Canonibus, & variis Summorum Pōtificum Conſtitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit: non obſtantibus quibuſcumque Statutis, Conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis; de quarum ſubreptione, obreptione, & intentionis defectu Epiſcopus, tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus cognoſcere poſſit.

CAP. XV.

IN Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis inſignibus, vbi frequentes, adeoq; tenues ſunt Præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, vt ſuſtinēdo decenti Canonicorum gradui pro loci & perſonarum qualitate non ſufficiant; liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli vel aliquot ſimplicia Beneficia, non tamen Regularia, iis vnire; vel ſi hac ratione prouideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis, cùm patronorū conſenſu, ſi de Iure patronatus laicorum ſint, quarum fructus & prouentus reliquarum Præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, vt tot ſuperſint, quæ diuino cultui celebrando, ac dignitati Eccleſiæ commodè valeant reſpondere: non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus & priuilegiis, aut quacumque reſeruatione, generali vel ſpeciali, aut affectione: neque prædictæ vniones, aut ſuppreſſiones tolli ſeu impediri poſſint ex quibuſcumque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis aliis derogationibus vel ſuſpenſionibus.

CAP. XVI.

CAPITVLVM, Sede vacante, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum vnum, vel plures, fideles ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiaſticarum & prouentuum curam gerant; quorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Item Officialem, ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem cōfirmare omnino teneatur; qui ſaltem in Iure Canonico ſit Doctor vel Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus. Si ſecùs factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiuſmodi deuoluatur: &, ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, vt prçfertur, negligens fuerit; tunc antiquior Epiſcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Epiſcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos poſſit conſtituere. Epiſcopus verò ad eamdem Eccleſiam vacantem promotus, ex iis quæ ad eum ſpectant, ab eiſdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuſcumque Officialibus & adminiſtratoribus, qui, Sede vacante, fuerunt à Capitulo vel ab aliis in eius locum conſtituti, etiam ſi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iuriſdictionis, adminiſtrationis, aut cuiuſcumque eorum muneris: poſſitque eos punire, qui in eorum officio ſeu adminiſtratione deliquerint, etiam ſi prædicti Officiales, redditis rationibus à Capitulo, vel à deputatis, ab eodem abſolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Epiſcopo teneatur Capitulum de ſcripturis ad Eccleſiam pertinentibus, ſi quæ ad Capitulum peruenerunt, rationem reddere.

CAP. XVII.

CVM Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſeipſos, non Deum decipientes, ea quæ benè conſtituta ſunt,

variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere nõ erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuſcumq; perſonis quocumque titulo, etiam ſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari; ſtatuit vt in poſterum vnum tantùm Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur: quod quidem, ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtẽtandam non ſufficiat; liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens, dummodò vtrumque perſonalem reſidentiam nõ requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia Beneficia, tam ſæcularia quàm Regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cuiuſcumque tituli ac qualitatis exiſtant. Illi verò, qui in præſenti plures Parochiales Eccleſias, aut vnam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuſcumque diſpenſationibus ac vnionibus ad vitam non obſtantibus, vna tantùm Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam Parochiales quã Beneficia omnia quæ obtinent, ipſo Iure vacare cenſeantur, ac tamquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur, nec ipſi anteà illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant. Optat autem ſancta Synodus, vt reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, prouideatur.

CAP. XVIII.

EXPEDIT maximè animarum ſaluti, à dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id vt diligentiùs ac rectiùs perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt cùm Parochialis Eccleſię vacatio, etiam ſi cura Eccleſiæ vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per vnum vel plures adminiſtretur, etiam in Eccleſiis patrimonialibus, ſeu receptiuis nuncupatis, in quibus cõſueuit Epiſcopus vni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum, vel reſignationẽ, etiam in Curia, ſeu aliter quomodocumque contigerit, etiam ſi ipſa Parochialis Eccleſia reſeruata vel affecta fuerit generaliter vel ſpecialiter, etiam vigore indulti ſeu priuilegij in fauorem S.R.E. Cardinalium, ſeu Abbatum, vel Capitulorum, debeat Epiſcopus ſtatim, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis aſſignatione, conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Porrò Epiſcopus, & qui Ius patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regẽdam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorũ nomina deferre, vt poſſit poſteà de cuiuſlibet ætate, moribus, & ſufficientia fieri diligẽs inquiſitio. Et, ſi Epiſcopo, aut Synodo Prouinciali, pro regionis more videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſiue, eo impedito, ab eius Vicario Generali, atq; ab aliis examinatoribus non paucioribus quàm tribus; quorum votis, ſi pares aut ſingulares fuerint, accedere poſsit Epiſcopus vel Vicarius quibus magis videbitur. Examinatores autem ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo vel eius Vicario ad minus ſex proponãtur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab eo probentur. Adueniente que vacatione cuiuſlibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat. Sint verò hi examinatores, Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Iure Cano-

Canonico, vel alij Clerici, ſeu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad ſancta Dei Euangelia, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. Caueantque, ne quidquã prorſus occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes, incurrant, à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam anteà obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolùm coram Deo, ſed etiam in Synodo Prouinciali (ſi opus erit) rationem reddere teneantur. A qua, ſi quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter, eius arbitrio, puniri poſſint. Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacãtem Eccleſiam gubernandam opportunis: ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit; atque illi, & non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Si verò Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat; is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur. Cùm verò inſtitutio ab alio quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorẽ, quem patronus ei præſentet, ad quẽ inſtitutio ſpectat. Quòd ſi Iuriſpatronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſuprà, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibuſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta ſupradictam regulam, de Eccleſia prouideatur: nec prædictorum examinatorum relationem, quò minùs executionem habeat, vlla deuolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſiue eiuſdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuntios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita, impediat, aut ſuſpendat: alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti anteà Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputauit, vel forſan poſteà deputabit, ab eius Eccleſiæ cuſtodia & adminiſtratione nõ amoueatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus & electus fuerit, vt ſuprà, ſit prouiſum: aliàs prouiſiones omnes, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur: non obſtantibus huic Decreto exemptionibus, indultis, priuilegiis, præuentionibus, affectionibus, nouis prouiſionibus, indultis conceſſis quibuſcumque Vniuerſitatibus, etiam ad certam ſummam, & aliis impedimentis quibuſcumque. Si tamen adeò exigui redditus dictæ Parochialis fuerint, vt totius huius examinationis operam non ferant; aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubiicere; aut ob apertas factiones ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè grauiores rixæ ac tumultus poſſint excitari; poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, priuatum aliud examen, ceteris tamen, vt ſuprà, ſeruatis, adhibere. Licebit etiam Synodo Prouinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda remittendáve eſſe cenſuerit, prouidere.

CAP. XIX.

DECERNIT ſancta Synodus, mandata de prouidendo, & gratias, quę expectatiuæ dicuntur, nemini ampliùs, etiam Collegiis, Vniuerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam vti licere. Sed nec reſeruationes menta-

les, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias vel Monaſteria alicui; etiam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur; & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

Cap. XX.

CAVSAE omnes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi Beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorũ dumtaxat cognoſcantur, atque omnino ſaltem infra biennium à die motę litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, Iudices ſuperiores, aliàs tamen competentes, adire; qui cauſam in eo ſtatu quo fuerit, aſſumant, & quàm primùm terminari curent, nec anteà aliis committantur, nec auocentur: neque appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per ſuperiores quoſcumq; recipiantur; eorúmve commiſſio aut inhibitio fiat, niſi à definitiua, vel à definitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationẽ à definitiua reparari nequeat. Ab his excipiantur cauſæ, quæ iuxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex vrgenti rationabiliq; cauſa iudicauerit Summus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum Signaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum committere, aut auocare. Ad hæc cauſę matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini & iuriſdictioni relinquantur; etiam ſi in præſenti inter Epiſcopum & Decanum, ſeu Archidiaconum, aut alios inferiores ſuper cauſarũ iſtarum cognitione lis aliqua in quacumque inſtantia pendeat; coram quo, ſi pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra Prouinciam nec in ſecunda nec in tertia inſtantia in eadem cauſa matrimoniali litigare, niſi pars altera & alimenta & expenſas litis velit ſubminiſtrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuntij, Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alij quarumcumque facultatum vigore, non ſolùm Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum iuriſdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant; ſed nec etiam contra Clericos, aliáſve perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo priùs requiſito, eóque negligente, procedant: aliàs eorum proceſſus ordinationéſve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem, partibus illati, teneantur. Præterea ſi quis in caſibus à Iure permiſſis appellauerit, aut de aliquo grauamine conqueſtus fuerit, ſeu aliàs ob lapſum biennij, de quo ſuprà, ad alium Iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta, ad Iudicem appellationis expenſis ſuis transferre, eodem tamen Epiſcopo priùs admonito, vt ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit iudicia appellationis ſignificare. Quòd ſi appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ tranſlata ſunt, expenſas pro portione ſua, ſi illis vti voluerit, ſubire; niſi aliter ex loci conſuetudine ſeruetur, vt ſcilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porrò ipſam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta, appellanti quantò citiùs, & ad minus intra menſem exhibere. Qui Notarius ſi in differenda exhibitionę fraudem fecerit, ab officij adminiſtratione arbitrio Ordinarij ſuſpendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci diſtribuendam, compellatur. Iudex verò, ſi & ipſe impedimenti huius conſcius particépſve fuerit, alitérve obſtiterit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderentur; ad eamdem dupli pœnam, prout ſuprà, teneatur: non obſtantibus, quoad omnia ſupraſcripta, priuilegiis, indultis, concordiis, quæ ſuos tantùm teneant auctores, & aliis quibuſcumque conſuetudinibus.

Cap.

CAP. XXI.

CVPIENS ſancta Synodus, vt ex Decretis ab ea editis nulla vmquam futuris temporibus dubitandi occaſio oriatur, verba illa poſita in Decreto publicato Seſſione prima ſub beatiſſimo D. N. Pio Quarto, videlicet: Quæ proponentibus Legatis ac Præſidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de Religione controuerſias, coërcendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram & Chriſtianam pacem conciliandam apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur: explicando declarat, mentis ſuæ non fuiſſe, vt ex prædictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis vlla ex parte immutaretur, neque noui quidquam, præter id quod à ſacris Canonibus, vel Generalium Synodorum forma hactenus ſtatutum eſt, cuiquam adderetur vel detraheretur. Suprà Seſſ.17.

INDICTIO FVTVRAE SESSIONIS.

INSVPER eadem ſacroſancta Synodus proximam futuram Seſſionem Feria quinta poſt Conceptionem B. Mariæ Virginis, quæ erit dies nona menſis Decembris proximè venturi, habendam eſſe ſtatuit & decernit, cum poteſtate etiam abbreuiandi: in qua Seſſione tractabitur de ſexto, nunc in eam dilato capite, & de reliquis Reformationis capitibus iam exhibitis, deq; aliis ad eam pertinentibus. Si verò opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout ſuo tempore in Congregationibus proponetur.

Abbreuiata eſt dies Seſſionis.

SESSIO XXV.

quæ eſt nona & vltima ſub PIO IV. *Pont. Max. cœpta die* 3. *abſoluta die* 4. *Decemb.* 1563.

DECRETVM DE PVRGATORIO.

CVM Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, ex Sacris literis & antiqua Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & nouiſſimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio iuuari; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, vt ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus & ſacris Conciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter ſtudeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, à popularibus concionibus ſecludantur. Incerta item, & quæ ſpecie falſi laborant, euulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curioſitatem quamdam aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tamquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi, vt fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, eleëmoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta piè & deuotè fiant; & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à Sacerdotibus & Eccleſiæ miniſtris, & alijs qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſoluantur. Suprà Seſſ. 22. cap. 2. & can. 3. 1. Tim. 1.

De inuocatione, veneratione, & Reliquiis SANCTORVM *&* SACRIS IMAGINIBVS.

MANDAT ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, & ceteris docendi munus curamque ſuſtinentibus, vt iuxta Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum Decreta, in primis, de Sanctorum interceſſione, inuocatione, Reliquiarũ honore, & legitimo Imaginum vſu fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo

Digitized by Google

offerre: bonum atque vtile eſſe ſupplicitereos inuocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Saluator eſt, ad eorum orationes, opem auxiliumq; confugere: illos verò, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes, inuocandos eſſe; aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorũ, vt pro nobis etiam ſingulis orent, inuocationem eſſe idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, aduerſarique honori vnius Mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti; vel ſtultum eſſe, in cælo regnantibus voce vel mente ſupplicare; impiè ſentire.

1. Tim. 2.

Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur: ita vt affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandę cauſa Sanctorum memorias fruſtrà frequentari; omnino damnandos eſſe, prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia.

1. Cor. 3.

Imagines porrò Chriſti, Deiparę Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas & retinẽdas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita vt per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi, Decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Conc. Nicæn. II. Act. 3. 4. & 6.

Illud verò diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtrę redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis; tum verò ex omnibus ſacris Imaginibus magnum fructum percipi, non ſolùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubiiciuntur, vt pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturq; ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendã. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, aut ſenſerit, Anathema ſit.

In has autem ſanctas & ſalutares obſeruationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit; ita vt nullæ falſi dogmatis Imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionẽ præbentes ſtatuantur. Quòd ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Omnis porrò ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum ſacro vſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſciuia vitetur; ita vt procaci venuſtate Imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad commiſſationes atq; ebrietates non abutantur; quaſi feſti dies honorem Sanctorum per luxum ac laſciuiam agantur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis adhibeatur,

Digitized by Google

tur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Pſal. 92.

Hæc vt fideliùs obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere vllo in loco vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo: qui ſimul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in Conſilium Theologis, & aliis pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de ijs rebus grauior quæſtio incidat; Epiſcopus, antequam controuerſiã dirimat, Metropolitani & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali ſententiam expectet; ita tamen, vt nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano Pontifice nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

De Regularibus et Monialibus.

Eadem ſacroſancta Synodus Reformationem proſequens, ea quæ ſequuntur, ſtatuenda eſſe cenſuit.

Cap. I.

Qvoniam nõ ignorat ſancta Synodus, quãtum ex Monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque vtilitatis oriatur; neceſſarium eſſe cenſuit, quò faciliùs ac maturiùs, vbi collapſa eſt, vetus & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantiùs, vbi conſeruata eſt, perſeueret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant; atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum & veſtitũ conſeruanda, pertinentia, fideliter obſeruent. Omniſque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus & Prouincialibus, quàm in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur; cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

Cap. II.

Nemini igitur Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari cõcedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vſum ita Superiores permittant, vt eorũ ſupellex, ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quòd ſi aliquis quidquam tenere deprehenſus aut conuictus fuerit, is biennio actiua & paſſiua voce priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuæ Regulæ & Ordinis Conſtitutiones puniatur.

Cap. III.

Concedit ſancta Synodus omnibus Monaſteriis & Domibus tam virorum quàm mulierum, & Mendicantium (exceptis Domibus fratrum ſancti Franciſci Capuccinorum, & eorum

rum

Digitized by Google

rum qui Minorum de Obſeruantia vocantur) etiam quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quòd ſi aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. In prædictis autem Monaſteriis & Domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleëmoſynis commodè poſſit ſuſtentari: nec de cetero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta.

CAP. IV.

PROHIBET ſancta Synodus, ne quis Regularis, ſine ſui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubiiciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci; neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab aliis ſuper ijs obtenta, ſuffragetur. Quòd ſi contrà fecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam deſertor ſui Inſtituti puniatur. Illi autem, qui ſtudiorum cauſa ad Vniuerſitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

CAP. V.

Cap. Periculoſo, de Stat. Mon. in 6.

BONIFACII Octaui Conſtitutionē, quæ incipit, Periculoſo, renouans ſancta Synodus, vniuerſis Epiſcopis, ſub obteſtatione diuini iudicij, & intermi- natione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monaſteriis ſibi ſubiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent; inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſq; pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur Synodus, & ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, omnibus Magiſtratibus ſæcularibus iniungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt Profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, niſi ex legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & priuilegiis non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque aliis vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi. Et quia Monaſteria Sanctimonialium, extra mœnia vrbis vel oppidi cōſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus ſine vlla ſæpè cuſtodia ſunt expoſita, curent Epiſcopi, & alij Superiores, ſi ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex eis ad noua vel antiqua Monaſteria intra vrbes vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis: impedientes verò, vel non obedientes per cenſuras Eccleſiaſticas parêre compellant.

CAP. VI.

IN electione Superiorū quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, Generalium, & Abbatiſ-

Digitized by Google

batiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quò omnia rectè & ſine vlla fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut aliquos quoſcumque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra huius Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda, inhabilis exiſtat; facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur: &, ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſubreptitiæ habeantur.

CAP. VII.

ABBATISSA & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex ijs, quæ in eodem Monaſterio annum 30. exceſſerint, & 5. ſaltem annis poſt Profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus verò Monaſteriis nulla præficiatur. Et ſi qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra ſex menſes cetera reſignare. Poſt id verò tempus, niſi reſignauerit, omnia ipſo Iure vacent. Is verò, qui electioni præeſt, Epiſcopus, ſiue alius Superior, clauſtra Monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat. In reliquis ſeruentur ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum Conſtitutiones.

CAP. VIII.

MONASTERIA omnia, quæ Generalibus Capitulis aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Ordinarios Regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationes redigere, iuxta formam Conſtitutionis Innocentij III. in Concilio Generali, quæ incipit, In ſingulis; Cap. 12. ibique certas Regulares perſonas deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis deliberent & ſtatuant. Quòd ſi in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cuius Prouincia prædicta Monaſteria ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, eos pro prædictis cauſis conuocare. Quòd ſi infra limites vnius Prouinciæ non ſit ſufficiens talium Monaſteriorum numerus ad erigendam Congregationem, poſſint duarum vel trium Prouinciarum Monaſteria vnam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum Generalia Capitula, & ab illis electi Pręſides vel Viſitatores eamdem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis Monaſteria, ac Regulares in eis commorantes, quam alij Præſides ac Viſitatores in ceteris habent Ordinibus; teneanturque ſuę Congregationis Monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obſeruare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Quòd ſi etiam Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curauerint; Epiſcopis, in quorum Diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis ſubdantur.

CAP. IX.

MONASTERIA Sanctimonialium, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, etiam ſub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Ioannis, vel aliàs quomodocumque nuncupentur, ab Epiſco-

piſcopis, tamquam dictæ Sedis Delegatis, gubernentur; non obſtantibus quibuſcumque. Quæ verò à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, ſub eorum cura & cuſtodia relinquantur.

CAP. X.

ATTENDANT diligenter Epiſcopi, & ceteri Superiores Monaſteriorum Sanctimonialium, vt in Conſtitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorũ faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant; vt eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem Confeſſarium alius extraordinarius ab Epiſcopo & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat. Quòd verò ſanctiſſimũ Chriſti Corpus intra Chorum, vel ſepta Monaſterij, & non in publica Eccleſia conſeruetur, prohibet ſancta Synodus; non obſtante quocumque indulto, aut priuilegio.

CAP. XI.

IN Monaſteriis, ſeu Domibus virorũ ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas quæ ſunt de illorum Monaſteriorum ſeu locorum familia, perſonę tam Regulares quàm ſæculares, huiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, niſi de eiuſdem conſenſu, ac præuio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo; excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſteriis ſeu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinũ ſedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monaſteriis ſeu Domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores, iuriſdictionem Epiſcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent: ſaluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca vel perſonas iuriſdictionem exercent.

CAP. XII.

CENSVRAE & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atq; ſeruentur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſeruentur.

CAP. XIII.

CONTROVERSIAS omnes de præcedentia, quæ perſæpè maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares quàm Regulares, cùm in Proceſſionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, componat. Exempti autem omnes, tam Clerici ſæculares, quàm Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Proceſſiones vocati, accedere compellantur; ijs tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.

CAP. XIV.

REGVLARIS, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit; Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minùs, à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

CAP. XV.

IN quacumque Religione, tam virorum quàm mulierum, Profeſſio non fiat ante decimumſextum annum expletum; nec qui minori tempore, quàm per annum, poſt ſuſceptum habitum in pro-

Digitized by Google

probatione ſteterit, ad Profeſſionem admittatur. Profeſſio autem anteà facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulę, vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.

CAP. XVI.

NVLLA quoque renuntiatio aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante Profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta Profeſſione: aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione, etiam iurata, ſit irrita & nullius effectus. Finito tempore Nouitiatus, Superiores, Nouitios quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monaſterio eos eiiciant. Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, qui Religio Clericorum Societatis Ieſu, iuxta pium eorum Inſtitutum à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino & eius Eccleſiæ inſeruire poſſit. Sed neque ante Profeſſioné, excepto victu & veſtitu, Nouitij vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuantur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem ſubſtantię ſuæ Monaſterium poſſideat; nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin potiùs præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modò fiat; & vt abeuntibus ante Profeſſionem omnia reſtituantur, quę ſua erant: quod vt rectè fiat, Epiſcopus etiã per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

CAP. XVII.

LIBERTATI Profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit atque decernit, vt ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non antè eum ſuſcipiat, nec poſteà ipſa vel alia Profeſſioné emittat, quàm explorauerit Epiſcopus, vel eo abſente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta an ſeducta ſit, an ſciat quid agat: & ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas iuxta Monaſterij illius & Ordinis Regulam, necnon Monaſterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat; cuius Profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta Monaſterio eum ante menſem certiorem facere: quòd ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.

CAP. XVIII.

ANATHEMATI ſancta Synodus ſubiicit omnes & ſingulas perſonas cuiuſcumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quàm laicos, ſæculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in caſibus in Iure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam Profeſſionem; quique conſilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut Profeſſionem emittere, quoquomodò eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubiicit eos, qui ſanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodò ſine iuſta cauſa impedierint. Eaque omnia & ſingula, quæ ante Profeſſionem, vel in ipſa Profeſſione fieri oportet, ſeruentur non ſolùm in Monaſteriis ſubiectis Epiſcopo, ſed & in aliis quibuſcumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres,

Digitized by Google

quæ Pœnitentes aut Conuertitæ appellantur; in quibus Conſtitutiones earum ſeruentur.

CAP. XIX.

QVICVMQVE Regularis prætendat, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile; velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quòd ſi anteà habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur; ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur; interim verò nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur. Nemo etiam Regularis cuiuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem; nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum ſuæ Religionis.

CAP. XX.

ABBATES, qui ſunt Ordinum capita, ac ceteri prædictorum Ordinum Superiores, Epiſcopis non ſubiecti, quibus eſt in alia inferiora Monaſteria Prioratúſve legitima iuriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita Monaſteria & Prioratus, ſuo quiſque loco atque ordine, ex officio viſitent, etiam ſi commendata exiſtant. Quæ cùm Ordinum ſuorum capitibus ſubſint, declarat ſancta Synodus, in ijs, quæ aliàs de viſitatione Monaſteriorum commendatorum definita ſunt, non eſſe comprehenſa: teneanturque quicumque prædictorum Ordinum Monaſteriis præſunt, prædictos Viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipſa quoque Monaſteria, quæ ſunt Ordinum capita, iuxta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & cuiuſque Ordinis Conſtitutiones viſitentur. Et quamdiu durabũt huiuſmodi Commendæ, Priores clauſtrales, aut in Prioratibus Conuentum habentibus Superiores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, à Capitulis Generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitatoribus inſtituantur. In ceteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas & loca & iura concernunt, firma ſint & illæſa.

Sup. Seſſ. 21. cap. 8. de Refor.

CAP. XXI.

CVM pleraq; Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ, ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, adminiſtratione, non leuia paſſa fuerint tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta; cupit ſancta Synodus ea ad congruam Monaſticæ vitæ diſciplinam omnino reuocare. Verùm adeò dura difficiliſque eſt præſentium temporũ conditio, vt nec ſtatim omnibus, nec commune vbique, quod optaret, remedium poſſit adhiberi. Vt tamen nihil prætermittat, vnde prædictis ſalubriter aliquando prouideri poſſit; primùm quidem cõfidit, ſanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, vt ijs, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuos Conuentus habent, Regulares perſonæ, eiuſdem Ordinis expreſsè profeſſæ, & quæ gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur. Quæ verò in poſterum vacabunt, non niſi Regularibus ſpectatę virtutis & ſanctitatis conferantur. Quoad ea verò Monaſteria, quæ capita ſunt ac primates Ordinum, ſiue Abbatiæ, ſiue Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur; teneantur illi, qui in præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de Regulari ſucceſſore prouiſum, infra ſex menſes Religionem illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere: aliàs Commendę prædictæ ipſo Iure vacare cenſeantur. Ne autem in prædictis omnibus & ſingulis fraus aliqua adhiberi poſſit, mandat ſancta Synodus, vt in prouiſionibus dictorum Monaſteriorum qualitas ſingulorum nominatim expri-

exprimatur: aliterque facta prouiſio ſubreptitia eſſe cenſeatur, nullaque ſubſequenti poſſeſſione, etiam triennali, adiuuetur.

CAP. XXII.

HAEC omnia & ſingula, in ſuperioribus Decretis contenta, obſeruari ſancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis ac Monaſteriis, Collegiis ac Domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, necnon quarumcumque Sanctimonialium, virginum ac viduarum, etiam ſi illæ ſub gubernio Militiarum, etiam Ieroſolymitanæ, viuant, & quocumq; nomine appellentur, ſub quacumque Regula, vel Conſtitutionibus, & ſub cuſtodia, vel gubernatione, vel quauis ſubiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuſcumque Ordinis, Mendicantium, vel non mendicantiũ, vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcumque: non obſtantibus eorum omnium & ſingulorũ priuilegiis, ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Conſtitutionibus & Regulis etiam iuratis, atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui verò Regulares tam viri quàm mulieres ſunt, qui ſub arctiori Regula vel ſtatutis viuunt, excepta facultate habendi bona ſtabilia in communi, eos ab eorum Inſtituto & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit. Et quia ſancta Synodus deſiderat, vt omnia & ſingula ſupradicta quamprimùm executioni demandentur, præcipit omnibus Epiſcopis, in Monaſteriis ſibi ſubiectis, & in omnibus aliis ipſis in ſuperioribus Decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum ſupradictorum, vt ſtatim prædicta exſequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia Prouincialia ſuppleant & coërceant; Regularium verò, Capitula Prouincialia & Generalia; & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Prouincialia per deputationem aliquorum eiuſdem Ordinis prouideant. Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & ceteris Præfectis in ſuperiùs contentæ reformationis executione ſuum auxilium & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti; vt ſine vllo impedimento præmiſſa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

CAP. I.

OPTANDVM eſt, vt ij qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes agnoſcant; ac ſe non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & fideles reliquos ad Religionem innocentiamque faciliùs inflammandos, ſi Præpoſitos ſuos viderint non ea quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac cæleſtem patriam cogitantes. Hæc cùm ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta Synodus animaduertat, admonet Epiſcopos omnes, vt ſecum ea ſæpè meditantes, factis etiam ipſis ac vitæ actionibus (quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) ſe muneri ſuo conformes oſtendant. In primis verò ita mores ſuos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginiẽſi, non ſolùm iubet, vt Epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verùm etiam in aliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid

Conc. Carthag. IV. c. 15.

apparcat quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiaréſve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant nec diſſipent illorum cauſa; imò quàm maximè poteſt eos ſancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitùs deponant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcumq; Beneficia Eccleſiaſtica, tam ſecularia quàm Regularia, obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſeruari, ſed & ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit; quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum Pontificem cùm vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non ijs etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in ſe oculos conuertant.

Canon. 39. Apoſt.

CAP. II.

COGIT temporum calamitas, & inualeſcentium hæreſum malitia, vt nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus aliis, qui de Iure vel conſuetudine in Concilio Prouinciali intereſſe debent, vt in ipſa prima Synodo Prouinciali, poſt finem præſentis Concilij habenda, ea omnia & ſingula, quæ ab hac ſancta Synodo definita & ſtatuta ſunt; palàm recipiant; necnon veram obedientiã Summo Romano Pontifici ſpondeant & profiteantur; ſimulque hæreſes omnes, à ſacris Canonibus & Generalibus Conciliis, præſertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publicè deteſtentur & anathematizent. Idemque in poſterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopoſque promouendi, in prima Synodo Prouinciali, in qua ipſi interfuerint, omnino obſeruent. Quòd ſi qui ex ſupradictis omnibus (quod abſit) renuerit, Epiſcopi comprouinciales ſtatim Summum Romanum Pontificem admonere ſub pœna diuinæ indignationis teneantur; interimq; ab eiuſdem communione abſtineant. Ceteri verò omnes, ſiue in præſenti ſiue in futurum Beneficia Eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo Diœceſana conuenire debent, idem, vt ſuprà, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebratur, faciant & obſeruent: aliàs ſecũdùm formam ſacrorum Canonum puniantur. Ad hæc omnes ij, ad quos Vniuerſitatum & Studiorum generalium cura, viſitatio & reformatio pertinet, diligenter curent, vt ab eiſdem Vniuerſitatibus Canones & Decreta huius ſanctæ Synodi integrè recipiantur; ad eorumque normam Magiſtri, Doctores, & alij in eiſdem Vniuerſitatibus ea, quæ Catholicæ fidei ſunt, doceant & interpretentur, ſeque ad hoc inſtitutum initio cuiuſlibet anni ſolemni iuramento obſtringant: ſed & ſi aliqua alia in prædictis Vniuerſitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eiſdem ad quos ſpectat, pro Religionis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ augmento emendentur & ſtatuantur. Quæ verò Vniuerſitates immediatè Summi Romani Pontificis protectioni & viſitationi ſunt ſubiectę, has Sua Beatitudo per eius Delegatos eadem, qua ſuprà, ratione, & prout ei vtilius viſum fuerit, ſalubriter viſitari & reformari curabit.

CAP. III.

QVAMVIS excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen magnaq; circumſpectione exercendus eſt; cùm

cùm experientia doceat, ſi temerè aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur; & tunc non aliàs quàm ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ eius animum moueat; nec ad eas concedendas cuiuſuis ſæcularis, etiam Magiſtratus auctoritate adducatur, ſed totum hoc in eius arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernendas eſſe iudicauerit. In cauſis verò iudicialibus mandatur omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, vt quandocumque executio realis vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo quàm definiendo à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo quòd exactæ fuerint, aſſignentur, ſeu per captionem pignorũ, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios aut alienos executores faciendam, ſiue etiam per priuationem Beneficiorum, aliaque Iuris remedia procedere, & cauſas definire. Quòd ſi exſecutio realis vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitque erga Iudicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo, præter alias pœnas ferire poterit. In cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis vel perſonalis, vt ſuprà, fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum: ſed ſi dictæ executioni facilè locus eſſe non poſſit, licebit Iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione, etiam per Edictum, id poſtulet. Nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet; ſub prætextu, quòd contenta in præſenti Decreto non ſint obſeruata; cùm non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolùm ad Sacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; ſed ſi obdurato animo cenſuris innexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poſſit.

Cap. IV.

CONTINGIT ſępè in quibuſdam Eccleſiis, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus, à teſtatoribus præſcriptis, nequeat ſatisfieri, vel eleëmoſynam huiuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, vt non facilè inueniatur, qui velit huic ſe muneri ſubiicere: vnde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur: ſancta Synodus, cupiens hæc ad pios vſus relicta, quò pleniùs & vtiliùs poteſt, impleri, facultatem dat Epiſcopis, vt in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen, vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios vſus reliquerint.

CAP. V.

RATIO poſtulat, vt illis, quæ benè conſtituta ſunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, ſeu fundatione, aut aliis conſtitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta, in Beneficiorū collatione, ſeu in quacumque alia diſpoſitione eis non derogetur. Idem in Præbendis Theologalibus, Magiſtralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita conſtituta fuerint, obſeruetur, vt eorum qualitatibus vel Ordinibus nihil in vlla prouiſione detrahatur: & aliter facta prouiſio, ſubreptitia cenſeatur.

CAP. VI.

STATVIT ſancta Synodus, vt in omnibus Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis Decretum ſub fel. rec. Paulo III. quod incipit, Capitula Cathedralium, obſeruetur non ſolùm quando Epiſcopus viſitauerit, ſed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius contra aliquem ex contentis in dicto Decreto procedat; ita tamen, vt cùm extra viſitationem proceſſerit, infraſcripta omnia locum habeant: videlicet vt Capitulum initio cuiuſlibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum conſilio & aſſenſu Epiſcopus, vel eius Vicarius, tam in formando proceſſum, quàm in ceteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè, coram Notario tamen ipſius Epiſcopi, & in eius domo aut conſueto tribunali procedere teneatur. Vnum autem tantùm ſit vtriuſque votum, poſſitque alter Epiſcopo accedere. Quòd ſi ambo ab Epiſcopo diſcordes in aliquo actu, ſeu interlocutoria vel definitiua ſententia fuerint, tunc intra ſex dierum ſpatium cum Epiſcopo tertium eligant: & ſi in electione tertij etiam diſcordent, ad viciniorem Epiſcopum electio deuoluatur; & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet articulus, in quo erat diſcordia, terminetur: aliàs proceſſus, & inde ſecuta, nulla ſint, nulloſq; producant Iuris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in Decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depoſitionem aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideò opus ſit perſonali detentione, poſſit initio ſolus Epiſcopus ad ſummariam informationem & neceſſariam detentionem procedere, ſeruato tamen in reliquis ordine præmiſſo. In omnibus autem caſibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti ac perſonarum, delinquentes ipſi in loco decenti cuſtodiantur. Epiſcopis præterea vbique is honos tribuatur, qui eorum dignitati par eſt; eiſque in Choro & in Capitulo, in Proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui ſi aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad ſuum vel ſuorum commodum ſpectante agatur; Epiſcopi ipſi Capitulum conuocent, vota exquirant, & iuxta ea concludant. Abſente verò Epiſcopo, omnino hoc ab ijs de Capitulo, ad quos hoc de Iure vel conſuetudine ſpectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Epiſcopi admittatur. Ceteris autem in rebus Capituli iuriſdictio & poteſtas, ſi qua eis competit, & bonorum adminiſtratio ſalua & intacta omnino relinquantur. Qui verò non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo, ij omnes in cauſis Eccleſiaſticis Epiſcopo, ſubiiciantur: non obſtantibus, quoad ſupradicta, priuilegiis, etiam ex fundatione competentibus, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ſententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantùm ſuos obligent auctores: ſaluis tamen in omnibus priuilegiis, quæ Vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, ſeu earum perſonis ſunt conceſſa. Hæc autem omnia & ſingula in ijs Eccleſiis locum non habeant, in quibus Epiſcopi aut eorum

rum

Sup. Seſſ. 6. de Refor. c. 4.

Sup. Seſſ. 24. c. 8 de Ref.

rum Vicarij ex conſtitutionibus, vel priuilegijs, aut conſuetudinibus, ſiue concordiis, ſeu quocumque alio Iure maiorem habent poteſtatem, auctoritatem, ac iuriſdictionem, quàm præſenti Decreto ſit comprehenſum, quibus ſancta Synodus derogare non intendit.

CAP. VII.

CVM in Beneficiis Eccleſiaſticis ea quæ hereditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, ſacris Conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum Decretis contraria; nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad Beneficium Eccleſiaſticum cuiuſcumq; qualitatis concedatur; nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis, ac etiam Cathedralibus Eccleſiis, ac in quibuſcumque perſonis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat. In Coadiutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſeruetur, vt nemini in quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis permittantur. Quòd ſi quando Eccleſiæ Cathedralis aut Monaſterij vrgens neceſſitas aut euidens vtilitas poſtulet Prælato dari Coadiutorem, is non aliàs cum futura ſucceſſione detur, quàm hæc cauſa priùs diligenter à ſanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quę à Iure & Decretis huius ſanctę Synodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur; aliàs conceſſiones ſuper his factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.

Sup. Seſſ. 7. c. 1. & 3. & Seſſ 22 c. 2 de Refor.

CAP. VIII.

ADMONET ſancta Synodus quoſcumq; Eccleſiaſtica Beneficia, ſæcularia ſeu Regularia obtinentes, vt hoſpitalitatis officium, à ſanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè benigneque exercere aſſueſcant; memores, eos qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis verò, qui Hoſpitalia vulgò nuncupata, ſeu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperúmve vſum præcipuè inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Eccleſiis ſuis vnita, obtinent, vel ſi Eccleſiæ Parochiales Hoſpitalibus fortè vnitæ, aut in Hoſpitalia erectæ, earumque Patronis in adminiſtrationem cōceſſæ ſint; præcipit omnino, vt impoſitum illis onus officiúmve adminiſtrent, atque hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis aliàs in hac eadem Synodo ſub fel. recor. Paulo III. innouatam, quæ incipit, Quia contingit. Quòd ſi Hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta; nec in loco, vbi ſunt dicta Hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, vt fructus illorum in alium pium vſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempore vtilior, conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum vſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit: niſi aliter fortè, etiam in hunc euentum, in eorum fundatione aut inſtitutione fuerit expreſſum: quo caſu, quod ordinatum fuit, obſeruari curet Epiſcopus: aut, ſi id non poſſit, ipſe, prout ſuprà, vtiliter prouideat. Itaque ſi prædicti omnes & ſinguli, cuiuſcumque Ordinis, & Religionis, & dignitatis, etiamſi laici fuerint, qui adminiſtrationem Hoſpitalium habent, non tamen Regularibus ſubiecti, vbi viget Regularis obſeruantia, ab Ordinario moniti, hoſpitalitatis munus, adhibitis omnibus ad quæ teneantur neceſſariis, re ipſa obire ceſſarint; non ſolùm per Eccleſiaſticas cenſuras, & alia Iuris remedia ad id compelli poſſint; ſed etiam Hoſpitalis ipſius adminiſtratione curáve perpetuò priuari poſſint; aliique eorum loco ab ijs, ad quos ſpe-

Cle. Quia contingit, de Relig. dom. ſup. Seſ. 7. c. vlt. & Seſſ 22. c. 9. de Refor.

ctabit, ſubſtituantur. Et prædicti nihilominùs etiam ad fructuum reſtitutionem, quos contra ipſorum Hoſpitalium inſtitutionem perceperunt, quæ nulla eis remiſſione aut compoſitione indulgeatur, in foro conſcientiæ teneantur: nec adminiſtratio ſeu gubernatio huiuſmodi locorum vni & eidem perſonæ vltra triennium deinceps committatur; niſi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obſtante, quoad omnia ſupradicta, quacumque vnione, exemptione, & conſuetudine in contrarium, etiam immemorabili, ſeu priuilegiis, aut indultis quibuſcumque.

Cap. IX.

SICVT legitima patronatuum iura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non eſt, ſic etiam, vt hoc colore Beneficia Eccleſiaſtica in ſeruitutem, quod à multis imprudenter fit, redigantur, non eſt permittendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obſeruetur, decernit ſancta Synodus, vt titulus Iuriſpatronatus ſit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis Iure requiſitis oſtendatur; ſiue etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliáſve ſecundùm Iuris diſpoſitionem. In ijs verò perſonis, ſeu communitatibus, vel Vniuerſitatibus, in quibus ad ius plerumque ex vſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quàm ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ, non minori ſaltem quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in Beneficiis tam ſæcularibus, quàm Regularibus, ſeu Parochialibus, vel Dignitatibus, aut quibuſcumque aliis Beneficiis in Cathedrali vel Collegiata Eccleſia; ſeu facultates & priuilegia conceſſa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque iure, nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cùm vacant (exceptis patronatibus ſuper Cathedralibus Eccleſiis competentibus; & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes ac ſupremos Principes, iura Imperij in dominiis ſuis habentes, pertinent, & quæ in fauorem Studiorum generalium conceſſa ſunt) in totum prorſus abrogata & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta, intelligantur: Beneficiaque huiuſmodi, tamquam libera, à ſuis collatoribus conferantur; ac prouiſiones huiuſmodi plenum effectum conſequantur. Ad hæc liceat Epiſcopo præſentatos à patronis, ſi idonei non fuerint, repellere. Quòd ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo tamen, iuxta aliàs ſtatuta ab hac ſancta Synodo, examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta, irrita ſit & inanis. (Sup. Seſſ. 7. cap. 13. & Seſſ. 14. c. 18. de Reform.) Patroni autem Beneficiorum, cuiuſcumq; ordinis & dignitatis, etiamſi Communitates, Vniuerſitates, Collegia quæcumque Clericorum vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcumque Beneficiorum, etiam ſi verè de Iure patronatus ipſorum ex fundatione & dotatione eſſent, nullatenus, nulláve cauſa vel occaſione ſe ingerant; ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant; nec dictum Iuſpatronatus, venditionis, alio quocumque titulo, in alios contra Canonicas ſanctiones tráſferre præſumant. Si ſecùs fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis ſubiiciantur; & dicto Iurepatronatus ipſo Iure priuati exiſtant.

Inſuper acceſſiones per viam vnionis factæ de Beneficiis liberis ad Eccleſias Iuriſpatronatui, etiam laicorum, ſubiectas,

iectas, tam Parochiales, quàm ad alia quæcumque Beneficia, etiam ſimplicia, ſeu dignitates, vel Hoſpitalia, ita vt prædicta Beneficia libera eiuſdem naturæ cum ijs, quibuſcum vniuntur, efficiantur, atque ſub Iure patronatus conſtituantur; hæ ſi nondum plenarium ſortitę ſunt effectum, vel deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fiant, quacumq; auctoritate, etiam Apoſtolica, conceſſa fuerint, ſimul cum vnionibus ipſis per ſubreptionem obtentæ intelligantur: non obſtante quacumque in ijs verborum forma, ſeu derogatione, quæ habeatur pro expreſſa, nec executioni amplius demandentur, ſed Beneficia ipſa vnita, cùm vacauerint, liberè, vt anteà, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citrà factæ, effectum & plenam incorporationem ſunt conſecutæ; hæ nihilominùs ab Ordinariis, tamquam à Sede Apoſtolica Delegatis, reuideantur & examinentur; ac quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum vnionibus irritæ declarentur, ac Beneficia ipſa ſeparentur, & aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicumque in Eccleſiis, & quibuſcumq; aliis Beneficiis, etiam dignitatibus, anteà liberis, acquiſiti à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, ſeu ex augmento dotis, ſeu ex noua conſtructione, vel alia ſimili cauſa, etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ab iiſdem Ordinariis, vti Delegatis, vt ſuprà, qui nullius in his facultatibus aut priuilegiis impediantur, diligenter cognoſcantur; & quos non repererint ob maximè euidentem Eccleſiæ, vel Beneficij, ſeu dignitatis neceſſitatem legitimè conſtitutos eſſe, in totum reuocent; atque Beneficia huiuſmodi ſine damno illa poſſidentium, &, reſtituto patronis eo quod ab eis idcircò datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant; non obſtantibus priuilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

CAP. X.

QVONIAM ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, vſqueadeò haberi non poteſt, hincque interdum Iudicibus non vndequaque idoneis cauſæ in partibus delegantur: ſtatuit ſancta Synodus, in ſingulis Conciliis Prouincialibus, aut Diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeãt iuxta Conſtitutionem Bonifacij Octaui, quæ incipit, Statutum: & alioquin ad id aptas deſignari, vt præter Ordinarios locorum, ijs etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum; vſque ad futuram Prouincialem aut Diœceſanam Synodum: ita vt habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac vt ſuprà qualificatas, quibus huiuſmodi cauſæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad Summum Pontificem tranſmittant, delegationes quæcumque aliorum Iudicum aliis quàm his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet dehinc ſancta Synodus tam Ordinarios, quàm alios quoſcumque iudices, vt terminandis cauſis quanta fieri poterit breuitate ſtudeant, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte iudicij differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Cap. Statutum de Reſc. in 6.

CAP. XI.

MAGNAM Eccleſiis perniciem afferre ſolet, cùm earum bona, repræſentata pecunia, in ſucceſſorum præiudiciũ aliis locantur. Omnes igitur hę locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fiet, nullatenus in præiudicium ſucceſſorum vali-

validę intelligantur, quocumque indulto aut priuilegio non obſtante; nec huiuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam Iuriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare; nec conductoribus per ſe aut alios ea exercere; aliterque conceſſiones, etiam à Sede Apoſtolica factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citrà, ad longum tempus, ſeu vt in nonnullis partibus, ad vigintinouem, ſeu bis vigintinouem annos vocant, factas; Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt.

Cap. XII.

Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obuenientes ſubtrahere moliuntur; aut qui ab aliis ſoluendas temerè occupāt, & in rem ſuam vertunt: cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſcumque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de Iure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Hortatur deinc omnes & ſingulos, pro Chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, largè ſubuenire ad Dei laudem, atque Paſtorum ſuorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

Cap. XIII.

Decernit ſancta Synodus, vt quibuſcumq; in locis, iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſteà fuerit ex quocumque priuilegio aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro iure, & eadem portione, qua anteà ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur; non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

Cap. XIV.

Qvam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur. Vt igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur; populuſque hinc eos magis diſcat reuereri, quo illos vitâ honeſtiores cognouerit; prohibet ſancta Synodus quibuſcumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, à ſacris Canonibus vel Statutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quòd ſi à Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint; tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum Beneficiorum ſuorū quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint priuati; quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi applicetur. Si verò in delicto eodem cum eadem vel alia femina perſeuerantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint; non tantùm fructus omnes ac prouentus ſuorum Beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam à Bene-

Beneficiorum ipſorũ adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apoſtolicæ Delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur: & ſi ita ſuſpenſi, nihilominùs eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc Beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuò priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, Beneficiis ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum ijs ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut ſuſpendat: ſupradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu & figura iudicij, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. Clerici verò Beneficia Eccleſiaſtica aut penſiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perſeuerantiam & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliiſve modis iuxta ſacros Canones puniantur. Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti, ſe non emendauerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: &, ſi perſeuerent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat.

CAP. XV.

VT paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt Matrimonio, in Eccleſiis, vbi eorum patres Beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam diſſimile, Beneficium obtinere; nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quòd ſi in præſenti pater & filius in eadem Eccleſia Beneficia obtinere reperiantur: cogatur filius ſuum Beneficium reſignare, aut cum alio permutare extra Eccleſiam, intra trium menſium ſpatium; aliàs ipſo Iure eo priuatus exiſtat; & ſuper ijs quæcumque diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Ad hæc, reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius Beneficium conſequatur, in fraudem huius Decreti, & Canonicarum ſanctionum factæ omnino cenſeantur: nec collationes ſecutę, vigore huiuſmodi reſignationum, ſeu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis Clericorum filiis ſuffragentur.

CAP. XVI.

STATVIT ſancta Synodus, vt Eccleſiaſtica Beneficia ſęcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum inſtitutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in ſimplex Beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione, non conuertantur: non obſtantibus quibuſcumq; gratiis, quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſecutæ. In ijs verò, in quibus contra earum inſtitutionem ſeu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiamſi in hoc ſtatu ab immemorabili tempore reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario Eccleſiæ, quocumq; nomine is appelletur, non fuerit aſſignata, ea quamprimùm, & ad minus intra annum à fine præſentis Concilij arbitrio Ordinarij, iuxta formam Decreti ſub fel. rec. Paulo III. aſſignetur. Quòd ſi id commodè Sup. Seſſ. 7 c. 7. de Ref.

modè fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit; cùm primùm per ceſſum vel deceſſum Vicarij, ſeu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit; Beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, & in antiquum ſtatum reſtituatur.

CAP. XVII.

NON poteſt ſancta Synodus non grauiter dolere, audiens, Epiſcopos aliquos, ſui ſtatus oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehoneſtare: qui cum Regum miniſtris, Regulis, & Baronibus in Eccleſia, & extra, indecenti quadam demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores miniſtri Altaris, nimis indignè non ſolùm loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſeruiunt. Quare hæc & ſimilia deteſtans ſancta Synodus, ſacros Canones omnes, Conciliaque Generalia, atque alias Apoſtolicas ſanctiones ad dignitatis Epiſcopalis decorem & grauitatem pertinentes renouando, præcipit, vt ab huiuſmodi in poſterum Epiſcopi ſe abſtineant: mandans eiſdem, vt tam in Eccleſia quàm foris ſuum gradum & Ordinem præ oculis habentes, vbique ſe Patres & Paſtores eſſe meminerint: reliquis verò tam Principibus, quàm ceteris omnibus, vt eos paterno honore ac debita reuerentia proſequantur.

CAP. XVIII.

SICVTI publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt pleniùs, euenientibus caſibus & neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatisfiat: ſic frequentiùs legem ſoluere, exemploque potiùs, quàm certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quàm vnicuiq; ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant vniuerſi, ſacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, &, quoad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruandos. Quòd ſi vrgens iuſtaque ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur.

CAP. XIX.

DETESTABILIS duellorum vſus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitùs exterminetur; Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione & dominio ciuitatis, caſtri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur; &, ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant: & vt homicidæ iuxta ſacros Canones puniri debeant: &, ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in Iure quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obſtante quocumque priuilegio, ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili.

CAP. XX.

CVPIENS ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcumque impedimentis conſeruari; præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit; confidens, eos, vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantùm

Digitized by

tum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & ſuperiores Ordines reuerentiam reuocaturos; nec permiſſuros, vt Officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ & perſonarũ Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio ſeu inconſideratione aliqua violent; ſed vnà cum ipſis Principibus debitã ſacris Summorum Pontificum & Conciliorum Conſtitutionibus obſeruantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit, ſacros Canones, & Concilia Generalia omnia, necnon Apoſtolicas ſanctiones, in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam Decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere. Prætereaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes & ſingulos cuiuſcumque ſtatus & dignitatis extiterint, vt quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctiùs, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tamquam Dei præcipua, eiuſque patrocinio tecta, venerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicillis, Rectoribus, aliiſve Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeq; miniſtris ipſorum Principum, lædi patiantur; ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant; quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, Religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant; imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſua in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque in ea quiſq; officium ſuum ſedulò præſtet, quò cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati ceterique Clerici in reſidentiis & officiis ſuis quieti & ſine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

Cap. XXI.

Postremo ſancta Synodus omnia & ſingula, ſub quibuſcumque clauſulis & verbis, quæ de morum Reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina, tam ſub fel. record. Paulo III. ac Iulio III. quàm ſub beatiſſimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritas & ſit, & eſſe intelligatur. Sup. Seſ. 7. de Ref. in prin.

DECRETVM DE CONTINVANDA SESSIONE IN DIEM SEQVENTEM.

Cvm ea omnia, quæ in præſenti Seſſione tractanda erant, quia hora tarda eſt, commodè expediri non poſſint, propterea iuxta id quod in Generali Congregatione à Patribus ſtatutum fuit, ea quæ ſuperſunt, in diem craſtinam, hanc eamdem Seſſionem continuando, differuntur.

CONTINVATIO SESSIONIS DIE IV. DECEMBRIS.

Decretvm de Indvlgentiis.

Cvm poteſtas conferẽdi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ cõceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit; ſacroſancta Synodus Indulgentiarum vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus verò qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos Matth. 16. & 18. Ioan. 20.

Digitized by Google

& correctos cupiens, præſenti Decreto generaliter ſtatuit, prauos quæſtus omnes pro his conſequendis, vnde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Ceteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocumque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum & Prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant ſpecialiter prohiberi, mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima Synodo Prouinciali referat; vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententiâ cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem referantur: cuius auctoritate & prudentia, quod vniuerſali Eccleſiæ expedit, ſtatuatur; vt ita ſanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.

De delectu ciborum, Ieiuniis, & diebus Feſtis.

INSVPER hortatur ſancta Synodus, & per ſanctiſſimum Domini noſtri atque Saluatoris aduentum Paſtores omnes obteſtatur, vt tamquam boni milites illa omnia quæ ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum magiſtra, ſtatuit; necnon ea quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis Oecumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcumque fidelibus ſedulò commendent; omnique diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia; vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum Feſtorum deuota & religioſa celebratio; admonentes populos crebrò, obedire Præpoſitis ſuis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.

De Indice librorum, Catechiſmo, Breuiario, & Miſſali.

Sup. Seſ. 18 in prin. SACROSANCTA Synodus in ſecunda Seſſione ſub ſanctiſſimo Domino noſtro Pio Quarto celebrata, delectis quibuſdam Patribus commiſit, vt de variis cenſuris, ac libris vel ſuſpectis, vel pernicioſis, quid facto opus eſſet conſiderarent, atque ad ipſam ſanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impoſitam eſſe, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem diſtinctè & commodè poſſit à ſancta Synodo diiudicari; præcipit, vt quidquid ab illis præſtitum eſt, ſanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, vt eius iudicio atque auctoritate terminetur & euulgetur. Idemque de Catechiſmo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Miſſali & Breuiario fieri mandat.

De loco Oratorum.

DECLARAT ſancta Synodus, ex loco aſſignato Oratoribus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, in ſedendo, incedendo, aut quibuſcumq; aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuiſſe præiudicium; ſed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarũ, ac Principum ſuorum iura & prærogatiuas illæſas & ſaluas eſſe, in eodemque ſtatu permanere, prout ante præſens Concilium reperiebantur. Sup. Seſ. 2. in fin.

De recipiendis & obſeruandis Decretis Concilij.

TANTA fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide noſtra aſſerenda vmquam fuerit, aut tam certò ſtatutum, quod non, humani generis hoſte ſuadente, illi errore aliquo contaminauerint: eapropter ſancta Synodus id potiſſimùm curauit, vt præcipuos hæreticorum noſtri temporis errores damnaret & anathematizaret, veramque & Catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cumq; tamdiu tot Epiſcopi, ex variis Chriſtiani orbis Prouinciis euocati, ſine magna gregis ſibi commiſſi iactura, & vniuerſali periculo ab Eccleſiis abeſſe non poſſint, nec vlla ſpes reſtet, hæreticos, toties

ties fide etiam publica, quam deſiderarunt, inuitatos, & tamdiu expectatos, huc ampliùs aduenturos; ideoque tandem huic ſacro Concilio finem imponere neceſſe ſit: ſupereſt nunc, vt Principes omnes, quod facit, in Domino moneat ad operam ſuam ita præſtandam, vt quæ ab ea decreta ſunt, ab hæreticis deprauari aut violari non permittant; ſed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obſeruentur. Quòd ſi in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut finitionem poſtulent; præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta, confidit ſancta Synodus, Beatiſſimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis, ex illis præſertim Prouinciis vnde difficultas orta fuerit, ijs, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione, ſi neceſſarium iudicauerit, vel commodiore quacumque ratione ei viſum fuerit, Prouinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.

De recitandis Decretis Concilij ſub PAVLO III. *&* IVLIO III. *in Seſſione.*

QVONIAM diuerſis temporibus, tam ſub felic. record. Paulo III. quàm Iulio III. multa in hoc ſacro Concilio quoad dogmata ac morũ Reformationem ſtatuta & definita ſunt, vult ſancta Synodus, vt illa nunc recitentur & legantur.

Recitata ſunt.

De fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctiſſimo Domino noſtro.

ILLVSTRISSIMI Domini, Reuerendiſſimique Patres, Placétne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis huic ſacrę Oecumenicæ Synodo finis imponatur, & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. record. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub ſanctiſſimo D. N. Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta & definita ſunt, confirmatio nomine ſanctæ huius Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos & Præſidentes à beatiſſimo Romano Pontifice petatur?

Reſponderunt: Placet.

Poſtmodum Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præſidens, benedicens ſanctæ Synodo, dixit: Poſt gratias Deo actas, Reuerendiſſimi Patres, ite in pace.

Qui reſponderunt: Amen.

ACCLAMATIONES PATRVM IN FINE.

CARDINALIS A LOTHARINGIA.

BEATISSIMO Pio Papę & Domino noſtro, ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

RESPONSIO PATRVM.

Domine Deus, Sanctiſſimum Patrem diutiſſimè Eccleſiæ tuæ conſerua, multos annos.

CARD. Beatiſſimorum Summorum Pontificum animabus, Pauli III. & Iulij III. quorum auctoritate hoc ſacrum Generale Concilium inchoatum eſt, pax à Domino, & æterna gloria atque felicitas in luce Sanctorum.

RESP. Memoria in benedictione ſit.

CARD. Caroli V. Imperatoris & Sereniſſimorum Regum, qui hoc Vniuerſale Conciliũ promouerunt & protexerunt, memoria in benedictione ſit.

RESP. Amen, Amen.

CARD. Sereniſſ. Imperatori Ferdinando, ſemper Auguſto, Orthodoxo & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuſpublicis & Principibus noſtris, multi anni.

RESP. Pium & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerua: Imperator cæleſtis, terrenos Reges rectæ fidei conſeruatores cuſtodi.

CARD. Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo præſidentibus, cum multis annis magnæ gratię.

RESP. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Digitized by Google

CARD. Reuerendiſſ. Cardinalibus, & Illuſtris Oratoribus.

RESP. Magnas gratias, multos annos.

CARD. Sanctiſſimis Epiſcopis vita & felix ad Eccleſias ſuas reditus.

RESP. Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos annos.

CARD. Sacroſancta Oecumenica Tridentina Synodus: eius fidem confiteamur, eius Decreta ſemper ſeruemus.

RESP. Semper confiteamur, ſemper ſeruemus.

CARD. Omnes ita credimus, omnes idipſum ſentimus, omnes conſentientes & amplectentes ſubſcribimus. Hæc eſt fides B. Petri, & Apoſtolorum: hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum.

RESP. Ita credimus, ita ſentimus, ita ſubſcribimus.

CARD. His Decretis inhærentes, digni reddamur miſericordiis & gratia primi & magni Supremi Sacerdotis Ieſu Chriſti Dei, & intercedente ſimul inuiolata Domina noſtra ſancta Deipara, & omnibus Sanctis.

RESP. Fiat, fiat. Amen, Amen.

CARD. Anathema cunctis hæreticis.

RESP. Anathema, Anathema.

Poſt hæc mandatum fuit à Legatis & Præſidentibus ſub pœna excommunicationis omnibus Patribus, vt antequam diſcederent è ciuitate Tridentina, ſubſcriberent manu propria Decretis Concilij, aut ea per publicum Inſtrumentum approbarent. Qui omnes deinde ſubſcripſerunt, & fuerunt numero 255. videlicet, Legati 4. Cardinales 2. Patriarchæ 3. Archiepiſcopi 25. Epiſcopi 168. Abbates 7. Procuratores abſentium cum legitimo mandato 36. Generales Ordinum 7.

LAVS DEO.

Concordat cum Originali: in cuius fidem ſubſcripſimus.

Ego Angelus Maſſarellus, Epiſcopus Theleſinus, ſacri Concilij Tridentini Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus Comenſis, eiuſdem Concilij Notarius.

Ego Cynthius Pamphilus, Clericus Camerinenſis Diœceſis, eiuſdem Concilij Notarius.

Nomina, cognomina, patriæ & dignitates LEGATORVM, *& aliorum* PATRVM, *item* ORATORVM, *&* THEOLOGORVM, *qui ad Sacroſanctam Oecumenicam* TRIDENTINAM SYNODVM *conuenerunt ſub* PIO IV. *Pont. Max.*

HERCVLES Gonzaga R. R. E. Preſbyt. Card. tit. S. Mariæ nouæ, Mantuanus. Obiit Tridenti die 2. Martij, 1563. & ſepultus eſt Mantuæ.

Hieronymus Seripādus S.R.E. Presb. Card. tit. S. Suſannæ, Neapolitanus. Obiit Tridenti die 18. Martij, 1563. & ibi ſepultus in Eccleſia S. Marci, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cuius olim fuerat Generalis.

Ioannes Moronus S.R.E. Card. Epiſcopus Præneſtinus, Mediolanenſis, in demortui Card. de Mantua locum miſſus.

Staniſlaus Hoſius S.R.E. Presb. Card. tit. S. Laurentij in Paliſperna, Polonus, VVarmienſis.

Ludouicus Simoneta S.R.E. Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanen.

Marcus Siticus S. R. E. Diaconus Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, de Altaemps, Germanus.

Bernardus Nauagerius S.R.E. Presb. Cardin. tit. S. Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum miſſus.

CARDINALES NON LEGATI.

Carolus à Lotharingia S. R. E. Presb. Card. tit. S. Apollinaris, Princeps & Archiepiſc. Rhemenſis, Gallus.

Ludouicus Madrutius S.R.E. Diaconus Card. S. Calliſti, electus Epiſcopus Tridentinus, Germanus.

Oratores, quorum nomina hic deſcribuntur iuxta eorum loca, quæ in eadem ſacroſancta Synodo habuerunt.

Oratores Eccleſiaſtici ſedebant à manu dextra Legatorum, videlicet,

Antonius de Muglitio, Morauus, Archiepiſc. Pragenſis, Orator Cæſareus.

Georgius Draſcouitius, Croatus, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Orator Cæſareus pro

pro Regno Hungariæ, poſteà Cardinalis.

Valentinus Herbutus, Polonus, Epiſcopus Præmiſlienſis, Orator Sereniſſimi Regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba, Caſalenſis, Epiſcopus Auguſtenſis in Pedemontio, Excellentiſſ. Ducis Sabaudiæ Orator, poſteà Cardinalis.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, Epiſcop. Cortonenſis, Orator Excellentiſſ. Ducis Florentiæ. Miſſus in locũ Ioan. Strozzij.

Fr. Martinus Royas, Portalrubeo, Hiſpanus, Orator Religionis Ieroſolymitanæ.

Oratores ſæculares ſedebant à manu ſiniſtra Legatorum.

Sigiſmundus à Tuun, Tridentinus, Orator Cæſareus.

Oratores Chriſtianiſſimi Galliarũ Regis.

Ludouicus de Lanſac,

Renaldus Ferrerius, Præſidens in Parlamento Pariſienſi, &

Guido Faber, Iudex maior Toloſæ.

Ferdinandus Martineus Mazcarenius, Orator Sereniſſimi Regis Portugalliæ.

Oratores Sereniſſimi Dominij Venetorũ.

Nicolaus de Ponte, Doctor & Eques, &

Matthæus Dandulus, Eques.

Melchior Luſſi, Eques auratus, Orator ſeptem Cantonum Heluetiorum.

Auguſtinus Paumgartner, I.V.D. de Monachio, Orator Excellentiſſimi Alberti Ducis Bauariæ.

Claudius Fernandez Quignonij, Comes Lunenſis, Orator Regis Catholici, in locum Illuſtriſſ. Ferdinandi de Aualos Marchionis Piſcariæ miſſus. Obiit Tridenti die 20. Decemb. 1563. poſt finem Concilij, ibique ſepultus eſt.

Hic ſeparatim ab aliis Oratoribus ſedebat apud Reuerendiſſimum Theleſinum Secretarium ſanctæ Synodi, ob contentionem ſuper præcedentia ortam inter ipſum & Oratores Regis Chriſtianiſſimi.

PATRIARCHÆ.

Antonius Helius, Iuſtinopolitanus, Patriarcha Ieroſolymitanus.

Daniel Barbarus, Venetus, electus Patriarcha Aquilegienſis.

Ioannes Triuiſanus, Venetus, Patriarcha Venetiarum.

ARCHIEPISCOPI PAVLI III.

Ferdinandus Annius, Neapolitanus, Archiepiſcopus Amalphitanus, poſteà Epiſcopus Bouin.

Petrus Landus, Venetus, Archiepiſcopus Cretenſis.

Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archiepiſcopus Hydruntinus.

Marcus Cornelius, Venetus, electus Archiepiſcopus Spalatrenſis.

Sebaſtianus Leccauella, Græcus, Ord. Præd. Archiepiſcopus Naxien. poſteà Epiſc. Litteran.

Petrus Guerrero, Hiſpanus, Archiepiſcopus Granatenſis.

Antonius Altouitus, Florentinus, Archiepiſcopus Florentinus.

Cæſar Cibo, Genuenſis, Archiepiſcopus Taurinenſis. Obiit Tridenti die 26. Decemb. 1562.

ARCHIEPISCOPI IVLII III.

Paulus Æmilius Verallus, Romanus, Archiepiſcopus Roſſanenſis, poſteà Epiſcopus Caputaquenſis.

Ioannes Brunus de Olchinio, Macedo, Regni Seruiæ Primas, Archiepiſcopus Antibarenſis.

Ioannes Baptiſta Caſtaneus, Romanus, Archiepiſc. Roſſanenſis, poſteà Pont. Max. dictus Vrbanus VII.

Ioannes Baptiſta Vrſinus, Romanus, Archiepiſcopus ſanctæ Seuerinæ.

ARCHIEPISCOPI PAVLI IV.

Ludouicus Beccatellus, Bononienſis, Archiepiſcopus Raguſin.

Mutius Calinius, Brixienſis, Archiepiſcopus Iadren.

Sigiſmundus Sarracenus, Neapolitanus, Archiepiſcopus Materan.

Antonius Parrages de Caſtilleio, Hiſpanus, Archiepiſcopus Calaritan.

Iulius Paueſius, Brixienſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Surrentinus.

Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, Ord. Præd. Archiepiſcopus Bracharenſis.

Auguſtinus Seluago, Genuẽſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Genuen.

ARCHIEPISCOPI PII IV.

Philippus Mocenicus, Venetus, Regni Cypri Primas, & Legatus natus, Archiepiſcopus Nicoſienſis.

Gulielmus d'Auanſon, Gallus, Archiepiſcopus Ebredunen.

Antonius Caucus, Venetus, Archiepiſcopus Corcyrenſis.

Germanicus Bandinus, Senenſis, electus Archiepiſcopus Senarum.

Marcus Antonius Columna, Romanus, Archiepiſcopus Tarentinus, poſteà Cardinalis.

Gaſpar de Foſſo Conſentinus, Calaber, Ord. S. Franciſci de Paula, Archiepiſcopus Rheginus.

Antonius de Muglitio Morauus, Orator Cæſareus, Archiepiſcopus Pragenſis.

Digitized by Google

Maximus de Maximis, Romanus, Archiepiſcopus Amalphitanus.

Gaſpar Ceruantes de Gaëta, Hiſpanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis.

Leonardus Marinus, Genuenſis, Ord. Præd. Archiepiſcopus Lancianenſis.

Octauianus Præconius, Meſſanenſis, Ord. Min. Conuentualium S. Franciſci, Archiepiſcopus Panormitanus.

Nicolaus de Pelue, Gallus, Archiepiſcopus Senonenſis, poſteà Cardinalis.

Ant. Iuſtinianus Chienſis, Græcus, Ord. Præd. Archiepiſcopus Naxienſis.

Antonius Puteus, Nicienſis, Archiepiſcopus Barenſis.

EPISCOPI LEONIS X.

Vincentius Nicoſantius de Fano, Epiſc. Arben.

Ioannes Franciſcus de Fliſco, Genuenſis, Epiſcopus Andrien.

Ioan. Thomas de ſancto Felicio, Neapolitanus, Epiſcopus Cauen. ſenior.

EPISCOPI ADRIANI VI.

Quinctius de Ruſticis, Romanus, Epiſcopus Militenſis.

EPISCOPI CLEMENTIS VII.

Lucas Bayzantius de Catharo, Epiſcopus Catharenſis.

Aloyſius Piſanus, Venetus, Epiſcopus Patauinus, poſteà Cardinalis.

Alexander Piccolhomineus, Senenſis, Epiſcopus Pientinus.

Dionyſius Græcus, Ord. Min. S. Franciſci de Obſeruantia, Epiſcopus Millipotamenſis ſenior.

Gabriel de Veneur, Gallus, Epiſcopus Ebroicenſis.

Gulielmus de Montbas, Gallus, Epiſcopus Lectorenſis.

EPISCOPI PAVLI III.

Antonius à Camera, Sabaudus, Epiſcopus Bellicenſis.

Nicolaus Maria, Carracciolus, Neapolitanus, Epiſcopus Catanien.

Bernardus Bon-Ioannes, Romanus, Epiſc. Camerinenſis.

Fabius Mirtus, Neapolitanus, Epiſcopus Caiacenſis.

Scipio Bongallus, Romanus, Epiſc. Ciuitatis Caſtellanæ.

Georgius Cornelius, Venetus, Epiſc. Taruiſinus.

Vincentius Durantius, Brixienſis, Epiſc. Thermularum.

Mauritius de Petra, Papienſis, Epiſcop. Vigleuenſis.

Martius de Martiis, Medices, Florentinus, Epiſc. Marſicenſis.

Ioannes Vincentius Michaëlius, Barolitanus, Epiſcop. Minerbinenſis.

Gabriel de Bouuery, Gallus, Epiſcop. Andegauenſis.

Leonardus Haller, Germanus, Epiſcop. Philadelphienſis.

Ludouicus Vanninus de Theodolis, Foroliuienſis, Epiſcop. Britonorien. Obiit Tridenti die 11. menſis Ianuarij 1563.

Ægidius Falcetta, Cingulanus, Epiſcopus Caprulanus, poſteà Britonorienſis.

Iulius Contarenus, Venetus, Epiſc. ciuitatis Bellunenſis.

Thomas Caſellus, Roſſanenſis, Ord. Prædicat. Epiſc. Cauen. iunior.

Hippolytus Ariuabenus, Mãtuanus, Epiſc. Hierapetrenſis.

Hieronymus Macchabæus, Romanus, Epiſcop. Caſtrenſis.

Petrus Auguſtinus, Hiſpanus, Epiſcopus Oſcen. & Iacenſis.

Iacobus Naclantus, Florentinus, Ordin. Præd. Epiſcopus Clodienſis.

Bartholomæus Sirigo, Cretenſis, Græcus, Epiſcopus Caſtellanetenſis.

Thomas Stella, Venetus, Ord. Prædicat. Epiſc. Iuſtinopolitanus.

Petrus du Val, Gallus, Epiſc. Sagienſis.

Io. Antonius Pantuſa, Conſentinus, Epiſc. Litterienſis. Obiit Tridenti die 27. Octobris 1562.

Io. Baptiſta de Groſſis, Mantuanus, Epiſcop. Regienſis.

Io. Xuarez, Luſitanus, Ord. S. Auguſt. Epiſcop. Coymbricenſis.

Philippus Riccabella, Recanatenſis, Epiſc. Recanatenſis.

Io. Iacobus Barba, Neapolitanus, Ord. S. Auguſtini, Epiſc. Interamnenſis.

Michaël à Turre, Vtinenſis, Epiſc. Cenetenſis, poſteà Cardinalis.

Pompeius Zambeccarius, Bononienſis, Epiſc. Sulmonenſis.

Io. Beroaldus, Panormitanus, Epiſc. ſanctæ Agathæ.

Ant. Scarampus, Aquenſis, Epiſc. Nolanus.

Ant. de Comitibus, Genuenſis, Ordin. Prędicat. Epiſcop. Brugnacenſis.

Cæſar Foſſa, Roſſanenſis, Epiſc. Vmbriaticenſis.

Cæſar Comes à Gambara, Brixienſis, Epiſc. Tortonenſis.

Io. Baptiſta de Bernardis, Lucenſis, Epiſc. Adiacenſis.

Martinus Perezius de Ayala, Hiſpanus, Epiſc. Segobienſis.

Nicolaus Pſalme, Gallus, Epiſc. Verdunenſis.

Alphon-

Digitized by Google

Alphonſus Roſettus, Ferrarienſis, Epiſcop. Comaclenſis, poſteà Ferrarienſis.

Iulius Pariſianus de Tolentino, Epiſc. Ariminenſis.

Bartholomeus Sebaſtianus, Hiſpanus, Epiſcop. Pactenſis.

Franciſcus Lambertus, Sabaudus, Epiſc. Nicienſis.

Maximilianus Doria, Genuenſis, Epiſcop. Naulenſis.

Euſtachius du Bellay, Gallus, Epiſc. Pariſienſis.

Bartholomæus de Capranica, Romanus, Epiſc. Carinenſis.

Ennius Maſſarius de Narnia, Epiſc. Feretranus.

Achilles Brancia, Neapolitanus, Epiſc. Bouenſis.

Ioan. Franciſcus Verdura, Meſſanenſis Epiſc. Chironenſis.

Albertus Dumius de Gliricis, Chatarenſis, Ordin. Præd. Epiſc. Veglenſis.

Ioan. Antolinez de Bricianos, de la Ribera, Hiſpanus, Epiſc. Iuuenacenſis.

Triſtanus de Bizet, Gallus, Epiſcop. Xantonenſis.

Episcopi Ivlii III.

Aſcanius Gherardinus de Amelia, Epiſc. Cattacenſis.

Marcus Gonzaga, Mantuanus, Epiſc. Auſſerenſis.

Balduinus de Balduinis, Piſanus, Epiſc. Auerſanenſis.

Petrus Franciſcus Palauicinus, Genuenſis, Epiſcopus Alerienſis.

Ægidius Fuſcararius, Bononienſis, Ordin. Prædicatorum, Epiſc. Mutinenſis.

Timotheus Iuſtinianus de Chio, Græcus, Ord. Prædicat. Epiſc. Calamonenſis.

Didacus de Almanſa, Hiſpanus, Epiſc. Caurienſis.

Lactantius Rouerella, Ferrarienſis, Epiſc. Aſculanus.

Amaroſius Monticula, Lunenſis, Sarzanenſis, Epiſcopus Segnin.

Sebaſtianus Gualterius, Vrbeuetanus, Epiſc. Viterbienſis.

Honoratius Faſcitellus, Neapolitanus, Monachus Ord. S. Benedicti, Epiſcop. Inſulanus. Obiit Romæ menſe Martij 1564.

Petrus Camaianus, Aretinus, Epiſc. Fæſularum.

Horatius Græcus, Troianenſis, Appulus, Epiſcopus Leſinenſis.

Fabius Cupallata, Placentinus, Epiſcopus Lachedonenſis.

Gaſpar de Caſal, Luſitanus, Ordin. S. Auguſtini, Epiſc. Leirienſis.

Bernardinus de Cuppis, Romanus, Epiſc. Auximanus.

Ioannes de Moruillier, Gallus, Epiſc. Aurelianenſis.

Iulius Gentilius, Tortonenſis, Epiſc. Vulturarienſis.

Adrianus Fuſconius, Romanus, Epiſc. Aquinas.

Antonius de S. Michaële, Hiſpanus, Ord. ſancti Franciſci de Obſeruantia, Epiſc. Montis Marani.

Hieronymus Melchiorius, Recanatenſis, Epiſcopus Maceratenſis.

Petrus de Petris de Monte, Aretinus, Epiſ. Lucerinus.

Cæſar Iacomellus, Romanus, Epiſc. Bellicaſtrenſis.

Iulius Grittus, Venetus, Epiſc. Parentinus.

Iacobus Syluerius Piccolhomineus, de Celano, Epiſc. Aprutin.

Ludouicus de Bresze, Gallus, Epiſc. Meldenſis.

Iacobus Mignanellus, Senenſis, Epiſcopus Groſſetanus.

Ioannes Andreas Crucius, de Tibure, Epiſcop. Tiburtinus.

Franciſcus Richardotus, Burgundus, Epiſcop. Atrebatenſis.

Carolus Cicada, Genuenſis, Epiſc. Albinganenſis.

Franciſcus Maria Piccolhomineus, Senenſis, Epiſcopus Ilcinenſis.

Aciſculus Moya de Contreras, Hiſpanus, Epiſcopus Vicen.

Galeatius Roſcius de Interamna, Epiſc. Aſſiſiēſis. Obiit Tridēti die 16. Octob. 1563.

Iacobus Maria Sala, Bononienſis, Epiſc. Viuarienſis.

Gabriel de Monte S. Sabini, Epiſc. Heſin.

Marianus Sabellus, Romanus, Epiſc. Eugubinus.

Agapitus Bellhomo, Romanus Epiſc. Caſertanus.

Iulius Cananius, Ferrarienſis, Epiſcop. Hadrienſis, poſteà Cardinalis.

Iulius Gallettus, Piſanus, Epiſc. Aleſſanen.

Hieronymus Burgenſis, Gallus, Epiſc. Catalonenſis.

Episcopi Pavli IV.

Scipio Æſtenſis, Ferrarienſis, Ep. Caſalēſis.

Didacus Sarmiento de Sotomaior, Hiſpanus, Epiſcopus Aſtoricenſis.

Thomas Goduellus, Anglus, Epiſc. Aſſaphenſis.

Fauſtus Caſſarellus, Romanus, Epiſc. Fundanus.

Belliſarius Balduinus, Neapolitanus, Epiſc. Larinenſis.

Vrbanus Vigerius de Ruere, Genuenſis, Epiſc. Senogallienſis.
Iacobus Suretus, Græcus, Epiſcop. Milopotamen. iunior.
Ioan. Baptiſta Oſius, Romanus, Epiſc. Reatinus. Obiit die 12. Nouemb. 1562.
Marcus Laureus, Tropienſis, Ord. Prædicat. Epiſcopus Campanienſis.
Franciſcus de Beauquere, Gallus, Epiſcop. Metenſis.
Ioannes Franciſcus Commendonus, Venetus, Epiſcop. Zacinthen.
Carolus de Graſſis, Bononienſis, Epiſcop. Montis Faliſci, poſteà Cardinalis.
Arrias Gallego, Hiſpanus, Epiſ. Gerunden.
Hieronymus Gallego, Hiſpanus, Epiſcopus Ouetenſis.
Hercules Rattinger, Germanus, Epiſcopus Lauentin.
Iulius de Rubeis, Polian. Epiſc. S. Leonis. Obiit Romæ menſe Martio 1564.
Ioannes de Munatones, Hiſpanus, Ord. ſancti Auguſtini, Epiſc. Segorbicen.
Franciſcus Blãco, Hiſpanus, Epiſc. Aurien.
Vincentius de Luchis, Bononienſis, Epiſc. Anconitan.
Pompeius Piccolhomineus, de Aragonia, Epiſcopus Tropien.
Petrus Barbaticus, Venetus, Ep. Curzolen.
Franciſcus Bachodius, Sabaudien. Epiſc. Gebennenſis.
Carolus de Angennes, Gallus, Epiſc. Cenomanenſis, poſteà Cardinalis.
Hieronymus de Nichiſola, Veronenſis, Ord. Prædicatorum, Epiſcop. Theanen.
Marcus Anton. Bobba, Caſalenſis, Epiſcopus Auguſten. poſteà Cardinalis.
Iacobus Lomellinus, Meſſanenſis, Epiſc. Mazarien.
Donatus de Laurentiis de Aſculo Apuliæ, Epiſcopus Arianen.
Petrus Contarenus, Venetus, Epiſcopus Paphen.
Petrus Daneſius, Gallus, Epiſc. Vauren.
Hieronymus Sauorgnanus, Foroiulienſis, Epiſcopus Sibinicenſis.
Philippus du Bec, Gallus, Epiſc. Veneten.
Carolus de Rouey, Gallus, Epiſc. Sueſſionenſis.
Georgius Draſcouitius, Croatus, Epiſcop. Quinqueeccleſien. poſteà Archiepiſc. Colocen. & Cardinalis.
Franciſcus de Aguirre, Hiſpanus, Epiſcop. Cotronen.
Andreas de Cueſta, Hiſpanus, Epiſc. Legionen.
Antonius Garrionero, Hiſpanus, Epiſcopus Almerien.
Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, Epiſc. Ilerden. poſteà Archiepiſc. Tarraconenſis.
Angelus Maſſarellus, Septendan. Epiſcop. Theleſinus.
Antonius Ciurelia, Barenſis, Epiſc. Buduenſis.
Dominicus Caſablanca, Meſſanẽſis, Ord. Prædicatorum, Epiſcop. Vicenſis.
Petrus Faunus, Coſtacciarius, Epiſc. Aquẽ.
Ioan. Carolus Bouius, Bononienſis, Epiſcopus Oſtunen. poſteà Archiepiſc. Brunduſinus.
Hugo Boncompagnus, Bononienſis, Epiſcop. Veſtan. poſteà Pont. Max. Greg. XIII.
Saluator Pacinus de Colle, Epiſc. Cluſinus.
Lupus Martinez, Hiſpanus, Epiſc. Elnen.
Carolus de Eſpinay, Gallus, Epiſc. Dolen.
Ægidius Spiſame, Gallus, Epiſc. Niuernen.
Antonius Sebaſtianus Minturn. de Traiect. Epiſcopus Vxentin.
Bernardus del Bene, Florentinus, Epiſcopus Nemauſen.
Dominicus Bollan. Venetus, Ep. Brixien.
Io. Antonius Vulpius, Comenſis, Epiſc. Comen.
Ludouicus de Ginolhac, Gallus, Epiſcop. Tutellen.
Philippus Maria Campegius, Bononienſis, Epiſcopus Feltren.
Ioan. de Quignones, Hiſpanus, Epiſcopus Calagurritan.
Didacus Couarruuias de Leyna, Hiſpanus Epiſc. Ciuitaten.
Philippus Gerius, Piſtorienſis, Epiſc. Iſclanen. poſteà Aſſiſien.
Ioan. Ant. Fachinettus Bononienſis, Epiſcopus Neocaſtren. poſteà Pont. Max. dictus Innocentius IX.

EPISCOPI PII IV.

Hippolytus Capilupus, Mantuanus, Epiſc. Fanen.
Ioan. Fabricius Seuerinus, Neapolitan. Epiſc. Aceren.
Martinus Rithouius, Flander, Epiſc. Ipren.
Anton. Hauetius, Flander, Ordin. Prædicat. Epiſc. Namurcen.
Conſtantinus Bonellus, Feretran. Epiſcop. ciuitatis Caſtelli.
Iulius Superchius, Mantuanus, Ord. Carmelitarum, Epiſc. Accien. poſteà Caprulan.
Matthæus de Concinis, Florentinus Epiſc. Cortonen.
Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis, Epiſcop. Cremonen. poſteà Pont. Max. dictus Gregorius XIV.
Ventura Buffalinus, Tiphernas, Epiſcop. Maſſanen.
Ludouicus de Bueil, Gallus, Epiſc. Vẽcien.
Hie-

Hieronymus Galleratus, Mediolanenſis, Epiſc. Sutrin.
Ioan. Petrus Delphinus, Venetus, Ord. Canonicorum Regularium, Epiſc. Zacinthi, & Cephaloniæ ſecundus.
Io. Andreas Bellonius, Meſſanenſis, Epiſc. Maſſalubren.
Georgius Ziſchouid, Húgarus, Ord. Min. S. Franciſci de Obſeru. Epiſc. Signien.
Federicus Cornelius, Venetus, Epiſc. Bergomen. poſteà Patauin. & Cardinalis.
Stephanus Bouther, Gallus, Epiſc. Choriſopiten.
Ioan. Paulus Amanius, Cremenſis, Epiſc. Anglonen.
Alexander Sfortia de S. Flora, Epiſc. Parmen. poſteà Cardinalis.
Antonius le Cirier, Gallus, Epiſc. Abrincē.
Andreas Mozenicus, Venetus, Epiſcop. Nimoſien.
Benedictus Saluinus, Firmanus, Epiſcop. Verulan.
Gulielmus Caſſador, Hiſpanus, Epiſc. Barchinonen.
Petrus Gonzalez de Mendoza, Hiſpanus, Epiſc. Salmantin.
Martinus de Corduba de Mendoza, Hiſpanus, Ord. Præd. Epiſc. Dertuſen.
Iulius Magnan. Placentinus, Ord. Min. Conuent. S. Franciſci. Epiſc. Caluen.
Valentinus Herbutus, Polonus, Epiſc. Præmiſlien. Orator Regis Poloniæ.
Simon Aleotus, Foroiulienſis, electus Epiſcopus Foroiulien. Mortuus eſt Tridenti die 20. Auguſti 1562.
Petrus de Xaque, Hiſpanus, Ord. Præd. Epiſc. Niochen.
Proſper Rebiba, Meſſanēſis, Epiſc. Troianus, poſteà Patriarcha Conſtātinopolitanus.
Melchior à Voſmediana, Hiſpanus, Epiſc. Guadxen.
Hippolytus de Rubeis, Parmenſis, Epiſc. Papien. poſteà Cardinalis.
Didacus de Leon, Hiſpanus, Ord. Carmelitarum Epiſcop. Columbrien.
Anibal Saracen. Neapolitanus, Epiſc. Licien.
Paulus Iouius, Comenſis, electus Epiſc. Nucerinus.
Hieronymus Triuiſan. Venetus, Ord. Pręd. Epiſcopus Veronen. Mortuus eſt Tridenti die 9. Septemb. 1562.
Hieronymus Ragazzon. Venetus, Epiſc. Famaguſtan. poſteà Bergomenſis.
Romulus de Valentibus, de Trebia, Epiſc. Conuerſan.
Lucius Maranta, Venuſin. Epiſc. Lauellen.
Simon de Nigris, Genuenſis, Epiſc. Sarzan.
Theophilus Gallupus, Tropien. Epiſc. Oppiden.
Iulius Simonera, Mediolanenſis, Epiſcop. Piſauren.
Petrus de Allebret, Gallus, Epiſc. Conuenarum.
Iacobus Guidius, Volaterranus, Epiſcop. Pennen. & Adrien.
Didacus Ramirez, Hiſp. Epiſc. Pampilonē.
Franciſcus Delgado, Hiſpanus, Epiſcop. Lucen.
Ioannes Clauſſe, Gallus, Epiſc. Senecen.
Iacobus Gibertus de Nogueras, Hiſpanus, Epiſcop. Aliphan.
Ioan. Annius, Neapolitanus, Epiſcop. Hipponen. & Coadiutor Bouin.
Antonius Maria de Saluiatis, Romanus, Epiſc. S. Pauli, poſteà Cardinalis.
Matthæus de Priulus, Epiſc. Æmonien. poſteà Vicentin.
Thomas Lilius, Bononienſis Epiſc. Sotan.
Hieronymus Guerrin. Feretranus Epiſc. Imolen.
Thomas Oyerllaithe, Hibernus, Ep. Coſſē.
Franciſcus Valete, Gallus, Epiſc. Vabren.
Fabius Pignatellus, Neapolitanus, Epiſc. Monopolitan.
Carolus de Vicecomitibus, Mediolanenſis, Epiſc. Ventimillien. poſteà Cardinalis.
Ioan. Coloſuarin. Hungarus, Ord. Præd. Epiſc. Canadien. Obiit Tridenti die 24. Nouemb. 1562.
Andreas Duditius Sbardellatus, Húgarus, Epiſc. Tininien. poſteà Quinqueecclesien.
Spinellus Bencius, Politianus, Epiſcopus Montis Politiani.
Franciſcus Abundius, Caſtilloneus, Epiſc. Bobien. poſteà Cardinalis.
Staniſlaus Faleſchi, Polonus, Epiſc. Theodoſien.
Eugenius Ohairt, Hibernus, Ordin. Prædicat. Epiſc. Achaden.
Donatus Magongial, Hibernus, Epiſcopus Rapoten.
Guido Ferterius, Pedemontanus, Epiſcop. Vercellen. poſteà Cardinalis.
Io. Baptiſta Sighicellius, Bononienſis, Epiſcop. Fauentin.
Sebaſtianus Vantius, de Arimino, Epiſc. Vrbeuetan.
Io. Baptiſta Lomellin. Meſſanenſis, Epiſc. Gardien.
Io. Baptiſta Milaneſius, Florentinus, Epiſc. Marſican.
Auguſtin. Molignatus, Vercellenſis, Epiſc. Triuicanen.
Carolus Grimaldus, Genuenſis, Epiſc. Saonen.

Fabri-

Fabricius Landrian. Mediolanenſis, Epiſc. S. Marci.

Bartholomæus Ferratin. Amerinus, Epiſc. Amerin.

Petrus Fragus, Hiſpanus, Epiſc. Vſellen. poſteà Algaren.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, Epiſcop. Cortonen.

Franciſcus Contarenus, Venetus, Epiſc. Paphen.

Ioan. Delphin. Venetus, Epiſc. Torcellan.

Alexander Molus, Comēſis, Ep. Minoren.

Hieronymus Vielmus, Venetus, Ord. Prædic. Epiſc. Argolicen.

Franciſcus Raguſeus, Ordin. S. Franciſci de Obſeruantia, Epiſc. Marchanen.

ABBATES.

Ludouicus de Baiſſey, Abbas Ciſtercien. & Gen.

Hieronymus de Souchier, Gallus, Abb. Claræuallen. poſteà Cardinalis.

Simplician. Abb. S. Saluatoris Papiæ, de Vultolina, Congreg. Caſinen.

Stephanus Catanius, Nouarienſis, Abb. S. Mariæ Gratiarum, Placentin. Diœc. Congreg. Caſinen.

Auguſtin. Loſcus, Hiſpanus, Abb. S. Benedicti de Ferraria, Congreg. Caſinen.

Eutychius Cordes, Antuerpienſis, Abb. S. Fortunati apud Baſſianum, Congreg. Caſinenſis.

Claudius Sainctes, Gallus, Abb. Luneuillā.

Coſmas Damianus, Hortulan. Hiſpanus, Abb. Villabertrandi.

GENERALES.

Vincentius Iuſtinian. Genuenſis, Gener. Ordin. Prædic. poſteà Cardinalis.

Franciſcus Zamorra, Hiſpanus, General. Ord. Minor. de Obſeruantia.

Antonius de Sapientibus, Auguſtanus, General. Ord. Min. Conuentualium.

Chriſtophorus Patauin. General. Ordin. Eremitarum S. Auguſtini.

Ioan. Baptiſta Migliauacca, Aſtenſis, General. Ord. S. Mariæ Seruorum.

Stephanus Fazinus, Cremonenſis, Prouincialis Lombardiæ, pro Generale Carmelitarum.

Iacobus Lainez, Hiſpanus, Præpoſitus General. Societatis Ieſu.

Thomas ... Ciuitatis de Caſtello, Gen. Capuccinor.

DOCTORES LEGVM PRO SACRO CONCILIO.

Gabriel Palæotus, Bononienſis, Auditor Rotæ, poſteà Epiſc. Bonon. & Cardinalis.

Scipio Lancelottus, Romanus, Aduocatus Conſiſtorialis, poſteà Cardinalis.

Ioan. Baptiſta Caſtellius, Bononienſis, Promotor, poſteà Epiſc. Ariminenſis.

Michaël Thomaſius, Maioricenſis, Doctor Decretorum, poſteà Epiſc. Illerden.

THEOLOGI A SVMMO PONTIFICE MISSI.

Fr. Petrus de Soto, Hiſpanus, Ord. Prædic. Obiit Tridenti menſe Aprilis 1563.

Alfonſ. Salmeron, Hiſpanus, Societ. Ieſu.

Franciſcus Torrenſis, Hiſpanus, Doctor Theolog. poſteà Societatis Ieſu.

Anton. Solitius, Hiſpanus, Doctor Theol.

Fr. Camillus Campegius, Papienſis, Ord. Præd. Inquiſitor Ferrariæ.

Fr. Hieronymus Brauo, Hiſpanus, Ord. Præd.

Fr. Adrian. Valentin. Venetus, Ord. Præd. in demortui F. Petri de Soto locum.

DOCTORES THEOLOGIÆ, FACVLTATIS PARISIEN. MISSI A CAROLO IX. GALLIARVM REGE CHRISTIANISSIMO.

Nicolaus Maillard. Decanus Facultatis Pariſien.

Ioan. Peletier.

Ant. Damochares Reſſonæus.

Nicolaus de Bris.

Iacob. Hugonis Franciſcan. Idem etiam Procurator Reuerendiſſ. Ioan. Vrſini, Epiſcopi Trecoren.

Simon Vigor.

Richardus du Prè.

Natalis Paillet. Obiit Tridenti 7. Kal. Decemb. 1562.

Robertus Fournier.

Ant. Coquier.

Lazarus Broychot.

Claudius de Sainctes, Canon. Regularis.

THEOLOGI MISSI A PHILIPPO REGE CATHOLICO.

Coſmas Damianus, Hortulan. Abb. Villabertrandi.

Ferdinand. Tritius, Doctor Theol. Canon. Caurien.

Ferdinandus Velloſillus, Doctor Theolog. Canonicus Seguntin.

Thomas Daſſio I. V. D. Canonicus Valentin.

Licentiat. Ant. Couarruuias, Audit. Granaten.

Ferdinandus Mincacen. Decretorū Doct.

F. Ioan. Ramirez, Hiſpanus, Miniſter Prouinciæ S. Iacobi.

Fr. Alfonſus Contreras, Commiſſ. Ordinis in Curia Regis Hiſpaniæ.

Fr. Michaël de Medina, Hiſpanus, Ord. Min. ſacræ Theologiæ Doctor.

Fr. Ioan. Lobera, Hiſpanus, ſacræ Theologiæ

giæ Lector Salmanticæ, ſocius Miniſtri Prouincialis S. Iacobi.

Coſmus Palma Fonteyus, Hiſpanus, ſacræ Theologiæ Doctor, ſocius Hortulani Abb.

Fr. Ioan. Gallo, Hiſpanus, Ord. Præd.

Fr. Petrus Fernandez, Hiſpanus, Ordin. Præd. in ſocietate Magiſtri Gallo.

Fr. Deſiderius de S. Martino, Panormitanus, Ordin. Carmelitani.

Michael Baius ab Atho, ſacræ Theologię Doctor.

Io. Heſſels à Louanio, ſacrę Theol. Doctor.

Cornelius Ianſenius, Hulſtenſis, ſacræ Theologiæ Doctor, pòſt Epiſc. Gandauenſis.

THEOLOGI MISSI A REGE PORTVGALLIÆ.

Fr. Franc. Forerius, Ord. Præd.

D. Iacobus à Payua de Andrade, Luſitanus, Doctor Theol.

D. Melchior Cornelius, Decretorum Doctor, Senator Regis Portugalliæ.

AB EXCELLENTISS. DVCE BAVARIÆ.

Ioan. Cauillonius, Fláder, è Societate Ieſu.

PROCVRATORES EPISCOPORVM ABSENTIVM.

Merchantus Doctor Theologus, pro Illuſtriſſ. Card. de Mendoza, Epiſc. Burgen.

Ioan. Gothardus, Cler. ſæcularis, Germanus, pro Reuerendiſſ. Ratiſbonenſi.

Georgius Hochenuarter, Cler. ſæcul. Doctor Theologus, Suffraganeus pro Reuerendiſſ. Epiſc. Baſileenſi.

Frater Felicianus Ninguarda à Morbinio, Ord. Præd. pro Illuſtriſſimo Domino Salisburgenſi Orator.

Petrus Cumel, Doctor Theol. Canonicus Malacitanus, pro Reuerend. Malacitano.

Ioan. Delgadus, Doctor Theolog. Canonicus Tudenſis, pro Reuerendiſſ. D. Ioanne de S. Æmiliano, Epiſcopo Tudenſi.

Gaſpar Cardillus, Villalpandeus, Segob. Doctor Theol. pro Reuerend. Epiſc. Abulen.

Frater Io. de Ludenna, Doctor Theolog. Ordin. Prædic. pro Reuerendiſſ. Epiſcop. Seguntin.

Frater Franciſcus Orantes, Lector Valliſoleti, Ord. Minorum, pro Reuerend. Epiſcopo Palentino.

Cæſar Ferrantius, Sueſſan. Doctor Theol. pro Reuerendiſſ. Epiſc. Sueſſano apud Reuerendiſſimum Ilerdenſem.

PROCVRATORES ORDINVM.

Ioannes Contignon, Doctor, Gallus, Prior & Procurator Ord. Cluniacen.

Nicolaus Boucherat, Gallus, Prior Monaſt. de Recluſo, Procurator Gener. Ordin. Ciſtercien.

THEOLOGI SÆCVLARES, ET DOCTORES IVRIS CANONICI.

Georgius Girard, Gallus, Doctor Theol. cum Reuerend. Andegauenſi.

Gentian. Heruetus, Gallus, cum Illuſtriſſ. Cardinali à Lotharingia.

Franc. Sancius, Decan. Facultatis Theologiæ, & Canonicus Salmanticen. cum Reuerendiſſ. Salmanticenſi.

Matthæus Guerra, Conſentin. Calaber, Presbyter ſæcularis, cum Reuerendiſſ. Epiſcopo S. Marci.

Federicus Pendaſius, cum Illuſtriſſ. Cardinali de Mantua, Legato ſacri Concilij.

Ioan. Franc. Lombardus, cum Illuſtriſſ. Cardinali Seripando, Legato ſacri Concilij.

Petrus Mercatus, Theol. cum Reuerend. Vicenſi.

Trigillus, Doctor Theol. Canonicus Legionen. cum Reuerendiſſ. Legionen.

Sobannus, Doctor Theol. cum Reuerendiſſ. Legionen.

Anton. Leitonius, Doctor Theolog. cum Reuerendiſſ. Coymbricenſi.

Petrus Fontidonius, Doctor Theol. cum Reuerendiſſ. Salmantino.

Ioan. Villetta, Doctor Theolog. cum Reuerendiſſ. Barchinonen.

Ioan. Fonſeca, Doctor Theol. cum Reuerendiſſ. Archiepiſcopo Granaten.

Michael Oroncuſpe, Doctor Theol. cum Reuerendiſſ. Epiſc. Pampilonen.

Alfonſ. Fernandez de la Guerra, Hiſpanus, Doctor Theol. cum Reuerend. Guadixien.

Michael Ytero, V. I. D. cum Reuerendiſſ. Epiſc. Pampilonen.

Ioſephus Puebla, Doctor Theolog. cum Reuerendiſſ. Epiſc. Ciuitaten.

Ioan. Chiacon, Doctor Iuris Canonici, cum Reuerendiſſ. Epiſcopo Almerien.

Anton. Garçias, Doctor Theol. cum Reuerendiſſ. Epiſc. Oueten.

Benedictus Arias Montanus, Ordin. S. Iacobi, Doctor, cum Reuerendiſſ. Epiſcop. Segobien.

Ioan. Barcellona, Theolog. cum Reuerendiſſ. Epiſcopo Vlellen.

DOCTORES GALLI ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Ioan. Carthougne, Doctor Theol.

Ioan. de Verdun, Doctor Theol.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM.

Angelus Cioſus, Florentinus, cum Illuſtriſſimo Cardin. Mantuano, Legato ſacri Concilij.

Seraphinus de Caballis, Brixienſis, Prouincialis

Digitized by Google

cialis Terræ ſanctæ, cum Reuerend. ſuo Generali.

Eliſæus Capys, Venetus, Theol. cum Reuerend. Archiepiſcopo Pragenſi.

Petrus Aridien. Gallus, cum Reuerend. D. Cenomanen.

Bernardus Bernardi, Gallus, Inquiſitor Auinion. Vicarius Congreg. Franciæ, cum Reuerend. D. Nemauſenſi.

Ioan. Matthæus Valdina, cum Reuerend. D. Tarentino.

Petrus Martyr Coma, Hiſpanus, cum Reuerend. Gerundenſi.

Petrus Satorres, Hiſpanus, cum Reuerend. D. Dertuſenſi.

Ant. de Groſupto, cum Reuerend. D. Vigleuanenſi.

Aurelius de Chio, cum Reuerend. D. Spalatrenſi.

Adrianus Valentin. Venetus, cum Reuerendiſſ. D. Nicoſienſi.

Marcus Medices, Veronenſis, cum Reuer. D. Cenetenſi.

Benedictus Herba, Mantuanus, cum Reuerendiſſ. D. Brixienſi.

Michael de Aſt, Genuenſis, Prior S. Laurentij.

Conſtantin. Coccianus, Iſorella, cum Reuerendiſſ. D. Montis Politiani.

Henricus de S. Hieronymo, cum Reuerendiſſ. D. Bracharenſi.

Ludouicus de Sotomaior, cum Reuerend. D. Georgio Tudenſi.

Baptiſta de Lugo, cum Reuerend. D. Veronenſi.

Hieronymus Barolus, Papienſis.

THEOLOGI ORDIN. MIN. B. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Aloyſius de Burgo nouo, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Bononiæ, poſteà Ordin. General.

Thomas Sogliano, Italus, Prouin. Bononię Miniſter.

Anton. de Padua, Luſitanus, Ordin. Secretarius.

Bonifacius Raguſeus, Apoſtolicus Prædicator, Terræ ſanctæ Gubernator, poſteà Epiſcop. de Stragno in Dalmatia.

Angelus de Petriolo, Italus, Lector ſacræ Theol. Peruſiæ.

Angelus Iuſtinianus, Italus, Lector ſacræ Theol. Genuæ.

Vincentius de Meſſina, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Neapoli.

Iulius Paſſiranus Vrceanus, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Bergomi.

Iacobus Alani, Gallus, Theologus, cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Vneten.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM MINORVM CONVENTVALIVM.

Marcus Antonius Gambaronus à Lugho, Socius Religionis.

Bartholomæus Golphus de Pergula.

Ioannes Tertius, Bergomenſis, Lector Theologiæ in Gymnaſio Papienſi.

Clemens Thomaſinus de Florentia, Regens in Conuentu S. Crucis Florentiæ.

Auguſtinus Balbus à Lugho.

Ioan. Baptiſta Ghiſulphus, Ordinis Scriba.

Antonius de Grignano, Regens ſancti Antonij de Patauio.

Lucius Anguſiola, Placentinus, Regens S. Franciſci Bononiæ.

Maximianus Benianus, Cremen. Orator pro Religione, & Inquiſitor Paduæ.

Octauianus Charus de Neapoli, Regens S. Laurentij de Neapoli.

Antonius Poſius de Monte Ilcino, Regens in Conuentu XII. Apoſtolorum Romæ.

Bonauentura Melduien. Regens in Conuentu Parmæ.

Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conuentu Ferrariæ.

Antonius à Cubalo, Feltrenſis.

Andreas Schynopius de Amandula, cum Reuerend. D. Cathanzario.

Balthaſar Criſpus, Neapolitanus, cum Reuerendiſſimo D. Tropien.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM EREMITARVM S. AVGVSTINI.

Thadæus Peruſin. cum Reuerendiſſ. D. Saluiato.

Ioannes Paulus, Recanaten. cum Reuerendiſſ. D. Quinqueeccleſien. Oratore.

Simon Florentin. cum Illuſtriſſimo Card. Seripando, Legato.

Cherubinus Lauoſius de Caſſia, cum Reuerendiſſ. D. Vercellenſi.

Gabriel Verratellus, Anconitanus.

Ambroſius Veronenſis, Prior Conuentus S. Marci in vrbe Tridentina.

Ioan. Baptiſta Burgos, Valentinus, Hiſpan.

Antonius Mondulphenſis, cum Reuerendiſſ. D. Pragenſis Oratore.

Ægidius Volaterranus, cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Tininien.

Eugenius Piſaurenſis, Concilij Prædicator.

Adamantius Florentinus, cum Illuſtriſſimo Cardinali Madrutio.

Aurelius Corinaltenſis, cum D. Oratore Heluetiorum.

Balthaſar Maſſanus, cum Reuerend. Epiſc. Catanien.

Sebaſtianus Fanenſis, Ordinis Scriba.

Chriſtophorus de Sanctotis, Burgenſis, Hiſpanus.

Simon

Simon de Brazzolatis, Patauinus.

Angelus Ferrus, Venetus, cum Reuerendiſſimo D. de Oſma.

Petrus Luſitanus, cum Reuer. D. Leirien.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM CARMELITANORVM.

Ioan. Iacobus Cherecatus, Vicentinus, Prouincialis Venetiarum.

Theodorus Maſius, Mantuanus, cum Reuerendiſſ. D. Cremonenſi.

Siluester, Cõfeſſor Illuſtr. Card. Mantuani.

Lucretius Abſolanus, cum Reuerendiſſ. D. Patriarcha Venetiarum.

Nicolaus, Gallus, cum R.P. Generali.

Eraldus, Gallus, cum R.P. Generali.

Laurentius Lauretus, Venetus, cum R. Patre Generali.

Angelus Ambroſianus, Venetus.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM SERVORVM B. MARIÆ.

Stephanus Bonutius, Aretinus, poſteà Epiſcopus Aretinus, & Cardinalis.

Amans, pro Congregatione Seruorum, cum Reuerendiſſ. D. Sibinicen.

OFFICIALES SACRI CONCILII TRIDENTINI.

Epiſcopus Cauenſis, Commiſſarius.

Epiſcopus Theleſinus, Secretarius.

Ludouicus Bondonius, Magiſter cærimoniarum.

CANTORES SACRI CONCILII.

Simon Bartolinus, Peruſinus.

Ioan. Aloyſius de Epiſcopis, Neapolitanus.

Bartholomæus Conte, Gallus.

Matthias Albo, de Fulginio.

Franciſcus Buſtamante, Hiſpanus.

Ioan. Antonius Latinus, Beneuentanus.

Franciſcus Druda, Callienſis.

Lucas Longinquus, Giſonenſis.

Petrus Scorteccius, Aretinus.

NOTARII.

Marcus Antonius Peregrinus, Comẽſis, &
Cynthius Pamphilus de S. Seuerino.

Hieronymus Gambarus, Brixien. Foren.

Antonius Manellus, Depoſitarius.

CVRSORES S.D.N. ET SACRI CONCILII.

Nicolaus de Matthæis, &
Iacobus Carra, Allobroges.

CONFIRMATIO CONCILII.

Nos Alexander, S. Laurentij in Damaſo Diaconus Cardinalis de Farneſio, S.R.E. Vicecancellarius, fidem facimus & atteſtamur, qualiter hodie, die Mercurij, 26. Ianuar. 1564. Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri D. Pij, diuina prouidentia Papæ IV. anno quinto, in Conſiſtorio ſecreto apud S. Petrum, Reuerendiſſ. DD. mei, Cardinalis Moronus, & Simoneta, nuper reuerſi à ſacro Concilio Tridentino, cui vti Sedis Apoſtolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem ſanctiſſ. Domino noſtro vt infrà.

Beatiſſime Pater. In Decreto ſuper fine Concilij Oecumenici Tridentini, pridie Nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit, vt per Sanctitatis veſtræ & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatos & Præſidentes peteretur nomine dicti Concilij à Sanctitate veſtra confirmatio omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati & Præſidentes eramus, volentes exequi quod in dicto Decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij Oecumenici Tridentini, vt Sanctitas veſtra dignetur confirmare omnia & ſingula, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt.

Quibus auditis, Sanctitas ſua, viſo & lecto tenore dicti Decreti, & habitis votis Reuerendiſſ. DD. meorum Cardinalium, & reſpondit per hæc verba:

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini ſuper eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia & ſingula, quæ in dicto Concilio tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædeceſſoribus noſtris, quàm Pontificatus noſtri tempore decreta & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica, etiam de Venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atq; ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Ita eſt. A. Card. Farneſius
Vicecancel.

BVLLA S.D.N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.
ſuper confirmatione Oecumenici Generalis CONCILII TRIDENTINI.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: (2.Cor.1.) qui reſpicere dignatus Eccleſiam ſuam ſanctam, tot procellis & tempeſtatibus agitatam atque vexatam, & grauiùs in dies laborantem, apto tandem ei ſubuenit optatoque remedio. Ad plurimas & pernicioſiſſimas hæreſes extirpan-

Digitized by Google

pandas, ad corrigendos mores, & reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, ad pacem & concordiam Chriſtiani populi procurandam indictum iampridem in ciuitate Tridentina Oecumenicum & Generale Concilium à piæ mem. Paulo III. prædeceſſore noſtro, & Seſſionibus aliquot habitis cœptum fuerat: ab eius autem ſucceſſore Iulio in eamdem vrbem reuocatum, poſt alias Seſſiones celebratas, variis impedimentis & difficultatibus obiectis, ne tunc quidem peragi potuerat: itaque diutiùs intermiſſum fuerat non ſine maximo mœrore omnium, cùm quotidie magis Eccleſia eiuſmodi remedium imploraret. Nos autem poſt ſuſceptum Sedis Apoſtolicæ regimen, tam neceſſarium ac ſalutare opus, ſicut Paſtoralis ſolicitudo monebat, diuinæ miſericordiæ fiducia perficere aggreſſi, adiuti pio ſtudio chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Chriſtianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem conſecuti ſumus quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare deſtitimus, quodque à Patre luminum aſſiduè precati ſumus. Cùm enim eam in vrbem vndique ex Chriſtiani nominis Nationibus conueniſſent, noſtris conuocata litteris, & ſua etiam ipſorum pietate excitata, Epiſcopórũ, & aliorum inſignium Prælatorum maxima, & Oecumenico Concilio digna frequentia; præter plurimos alios pios, & Sacrarum literarum ſcientia, diuinique & humani Iuris cognitione præſtantes viros, præſidentibus ipſi Synodo Sedis Apoſtolicæ Legatis, nobis adeò Concilij libertati fauentibus, vt etiam de rebus Sedi Apoſtolicæ propriè reſeruatis, liberum ipſi Concilio arbitrium per literas ad Legatos noſtros ſcriptas, vltrò permiſerimus, quæ de Sacramentis, & aliis rebus, quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tractanda, definienda, & ſtatuenda reſtabant, ad confutandas hæreſes, ad tollendos abuſus, & emendandos mores, à ſacroſancta Synodo ſumma libertate diligentiaque tractata, & accuratè ac maturè admodum definita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, & Concilium tanta omnium qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, vt conſenſum eum planè à Domino effectum fuiſſe conſtiterit, idque in noſtris atque omnium oculis valdè mirabile fuerit. Pro quo tam ſingulari Dei munere Supplicationes ſtatim in alma hac Vrbe indiximus, quæ magna Cleri & populi pietate celebratæ fuerunt; laudeſque & gratias diuinæ Maieſtati meritò perſoluendas curauimus, cùm eiuſmodi Concilij exitus ſpem magnam & propè certam attulerit, fore vt maiores indies fructus ad Eccleſiam ex ipſius Decretis, Conſtitutionibuſque perueniant.

Iacobi 1.

Cùm autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reuerentia, antiquorum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens, Decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, Decreto de ea re in publica Seſſione facto; Nos ex Legatorum literis priùs, deinde poſt reditum eorum, ex ijs quæ Synodi nomine diligenter retulerũt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cùm ea Decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano vtilia ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmauimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda ac ſeruanda eſſe decreuimus, ſicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi obſeruarique decernimus. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus conſtitutis, aliiſq; grauioribus, etiam priuationis, arbitrio noſtro infligendis, vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis quibuſuis Eccleſiarum Prælatis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & dignitatis ſint, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem Decreta & ſtatuta in Eccleſiis ſuis, ciuitatibus & Diœceſibus, in iudicio & extra iudicium diligenter obſeruent, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obſeruari: contradictores quoſlibet & contumaces per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, etiam in ipſis Decretis contentas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Ipſum verò chariſſimum filium noſtrum Imperatorem electum, ceteroſq; Reges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, vt qua pietate Concilio per Oratores ſuos adfuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio, diuini honoris & populorum ſuorum ſalutis cauſa, pro Sedis quoq; Apoſtolicæ & ſacræ Synodi reuerentia, ad eiuſdem Concilij exequenda & obſeruanda Decreta Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio & fauore ſuo adſint, neque aduerſantes ſanæ ac ſalutari Concilij doctrinæ

hæ opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitùs interdicant. Ad vitandam prætereà perverſionem & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi vnicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilij Commentarios & interpretationes ſuas edere; Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis & gradus, quàm laicis, quocumq; honore ac poteſtate præditis; Prælatis quidẽ ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis verò, quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat vllos Cõmentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, vllúmve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij Decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu maioris Decretorum corroborationis, aut executionis, aliόve quæſito colore, ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcurius dictum & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſto-

Deut. 17. licam, omnium fidelium magiſtram, cuius auctoritatem etiam ipſa ſancta Synodus tam reuerẽter agnouit. Nos enim difficultates & controuerſias, ſi quæ ex eis Decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipſa quoque ſancta Synodus decreuit, reſeruamus; parati, ſicut ea de nobis meritò confiſa eſt, omnium Prouinciarum neceſſitatibus ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere. Decernentes nihilominùs irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter cõtigerit attentari. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, néve quis excuſatione ignorationis vti poſſit; volumus & mãdamus, vt hæ litteræ per aliquos Curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc, cùm in eis populus, vt Miſſarũ ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palàm & clara voce recitentur; & poſtquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur, ibiq; vt legi, & omnibus innoteſcere poſſint, aliquantiſper relinquantur. Cùm autem inde amouebũtur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Vrbe ad impreſſionem tradantur, quò commodiùs per Chriſtiani nominis prouincias & Regna diuulgari poſſint. Tranſumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij ſcripta ſubſcriptáve, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, fidem ſine vlla dubitatione haberi mandamus atq; decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reſeruationis, volũtatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1563. ſeptimo Kal. Februarij, Pont. noſtri anno 5.

Ego Pivs Catholicæ Eccleſiæ Episcopvs.

Ego F. Card. Piſan. Epiſc. Oſtien. Decan.
Ego Fed. Card. Cæſius, Epiſc. Portuen.
Ego Io. Card. Moronus, Epiſc. Tuſculan.
Ego A. Card. Farneſius, Vicecan. Ep. Sabin.

. . . .

. . . .

Ego R. Card. S. Angeli Maior Pœniten.

. . . .

. . . .

. . . .

Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Io. Michael, Card. Saracenus.

. . . .

Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.
Ego Scipio, Card. Piſarum.
Ego Io. Card. Reoman.
Ego F. M. G. Card. Alexandrin.
Ego F. Clem. Card. Aracæli.
Ego Iac. Card. Sabellus.

. . . .

. . . .

Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lud. Card. Simoneta.

. . . .

. . . .

Ego F. Card. Pacieccus, y de Tol.
Ego M. A. Card. Amulius.
Ego Io. Franc. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego M. S. Card. Conſtantien.
Ego Alfon. Card. Geſualdus.
Ego Hippol. Card. Ferrar.
Ego Franc. Card. Gonzaga.

. . . .

Ego Cui. Aſc. Diac. Card. Camer.
Ego Vitellotius, Card. Vitellius.

. . . .

. . . .

. . . .

Ant. Florebellus Lauellin.
H. Cumyn.

Digitized by Google

BVLLA PII PAPÆ IV.

ſuper Declaratione temporis, ad obſeruanda Decreta ſacri Oecumenici & Generalis CONCILII TRIDENTINI.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sicut ad ſacrorum Conciliorum Decreta ac Canones, auctoritas atque confirmatio Apoſtolicæ Sedis & debet & ſolet accedere, ita ſi qua ſuper eis exorta ſit dubitatio, eiuſdem Sedis iudicio & declaratione tollenda eſt. Ad aures noſtras peruenit, multos eſſe qui dubitent, ex quo tempore cœperint Decreta ſacri Generalis Concilij Tridentini, ad reformationem & Ius poſitiuum dumtaxat ſpectantia, eos ad quos pertinent, obligare, illa præſertim, quæ tempora certa præſtituunt ad Prouinciales Diœceſanaſque Synodos celebrandas, ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, ad Religionem profitendam, ad Parochiales Eccleſias, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica, quæ eiuſdem Concilij Decretis retineri prohibitum ſit, reſignanda, & ad complures res huiuſmodi exſequendas, ac alias omnes ad prædictam Reformationem Iuſque poſitiuum tantùm ſpectantes, quæ obſeruari aut euitari debent. Nos itaque, vt omnis controuerſia dubitatioq; tollatur, Motu proprio eam rem, prout rationi, Iuri & æquitati conuenire cenſuimus, duximus declarandam. Nam etſi ipſius Concilij Decreta, etiam de venerabilium fratrum noſtrorũ S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto confirmata à nobis fuerunt ſub finem menſis Ianuarij, & ab eo etiam tempore apud hanc ſanctam Sedem obſeruari cœperunt: quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter emendateque imprimendis neceſſariò conſumptum fuit; & in Iure etiam communi ſancitum eſt, vt Conſtitutiones nouæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant, æquum nobis & iuſtum viſum eſt, prædicta Decreta omnia ad dictam reformationem Iuſque poſitiuum dumtaxat ſpectantia, à Kal. Maij proximè præteriti omnes obligare cœpiſſe; neque poſt eam diem excuſationem cuiuſquam, quòd ea ignorauerit, admittendam: atque ita Apoſtolica auctoritate declaramus ac definimus, & ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus; decernentes irritum & inane, ſi quid ſecùs à quoquam quacumque dignitate, auctoritate & poteſtate prædito contigerit iudicari: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, mandati, ſtatuti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurũ. Datũm Romę apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicę 1564. xv. Kal. Auguſti, Pont. noſtri anno 5.

Fed. Card. Cæſius.

Cæſ. Glorierius.

H. Cumyn.

Laus DEO, *Beataq́ Virgini Matri* MARIAE.

CONCILIVM MEDIOLANENSE I.

ANNO DOMINI MCCCCC. LXV.

quod ſub PIO IV. *Summo Pontifice* CAROLVS BORROMAEVS S. R. E. *Preſbyter Cardinalis tit. ſanctæ Praxedis, Legatus ad vniuerſam Italiam, & Archiepiſcopus Mediolanenſis habuit anno 1565.*

CONC. PROVINCIALE MEDIOLANENSE II.

MCCCCC. LXIX.

quod CAROLVS BORROMAEVS S.R.E. *Cardinalis tit. S. Praxedis Archiepiſc. habuit anno Domini 1569. ſub* PIO V. *ſummo Pontifice.*

CONCILIVM MECHLINIENSE I.

MCCCCC. LXX.

Præſidente in eo Reuerendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino D. MARTINO RYTHOVIO *Epiſcopo Yprenſi, tamquam ſeniori comprouinciali, nomine & loco Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. in Chriſto Patris ac Domini noſtri* D. ANTONII PERRENOT, *Archiepiſcopi Mechlinienſis, & tituli S. Petri ad Vincula Cardinalis* GRANVELLANI, *tempore* PII *Papæ* V. *anno Domini 1570.*

DECRETA huius Synodi Prouincialis Mechlinienſis ſummatim hęc ſunt: De recipiendis Decretis Concilij Tridentini. De reuiſendis ſtatutis & iu-

& iuramentis Eccleſiarum. De Sacramentis. De ordinandis. De ſponſalibus & matrimoniis. De Officio & cultu diuino. De Feſtis. De ieiuniis. De Imaginibus. De Indulgentiis. De ſuperſtitione. De Epiſcopis, & eorum officio. De ſigillis. De miniſtris Eccleſię, eorumque reſidētia. De Decanis Chriſtianitatum, Paſtoribus, & eorum officiis. De vita & honeſtate Clericorum. De correctione Clericorum. De Scholis. De Schola Dominicali. De Seminariis. De vnionibus Beneficiorum. De elocatione & conſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum. De Regularibus & Monialibus. De literis Apoſtolicis & Iudicibus delegatis. De vſuris. De viſitationibus.

ANNO DOMINI MCCCCC-LXXIII.

CONC. PROVINCIALE MEDIOLANENSE III.

quod CAROLVS BORROMAEVS *Cardinalis tit. S. Praxedis Archiepiſcopus habuit anno Chriſti* 1573. *ſub* GREGORIO XIII. *Summo Pontifice.*

MCCCCC-LXXVI.

CONC. PROVINCIALE MEDIOLANENSE IV.

quod CAROLVS BORROMAEVS S. R. E. *Cardinalis titul. S. Praxedis Archiepiſcopus habuit anno Chriſti* 1576. *ſub* GREGORIO XIII. *Pontifice.*

MCCCCC-LXXIX.

CONC. PROVINCIALE MEDIOLANENSE V.

quod CAROLVS BORROMAEVS S.R.E. *Cardinalis titul. S. Praxedis Archiepiſcopus habuit anno Chriſti* 1579. *ſub* GREGORIO XIII. *Summo Pontifice.*

MCCCCC-LXXXII.

CONC. PROVINCIALE MEDIOLANENSE VI.

quod CAROLVS BORROMAEVS S.R.E. *Cardinalis tit. S. Praxedis Archiepiſcopus habuit anno Chriſti* 1582. *ſub* GREGORIO *Pontifice* XIII.

MCCCCC-XCVI.

CONC. PROVINCIALE AQVILEIENSE

celebratum anno Domini 1596. *ſub* CLEMENTE *Papa* VIII.

IN hoc Concilio ſummatim de his agitur: De fide profitenda. De fide tuenda. De prędicatione verbi Dei. De diuinis officiis. De reſidentia Epiſcoporum. De reſidentia Curatorum. De reſidentia Canonicorum, & Beneficiatorum, qui reſidendi obligatione tenētur. De Epiſcopis. De Parochis. De Dignitatibus, Canonicatibus, & Beneficiis ſimplicibus. De vita & honeſtate Clericorum. De Seminario Clericorum. De viſitatione. De Feſtorum dierum ſanctificatione. De Reliquiis Sanctorum. De Eccleſiis, & pio in eis verſandi modo, Altaribus, & Sacriſtiis. De bonis & iuribus Eccleſiarum tuendis. De Vicariis foraneis. De Monialibus.

MCCCCCC VII.

CONCILIVM MECHLINIENSE II.

præſidente in eo Reuerend. & Illuſt. in Chriſto Patre ac Domino D. MATTHIA HOVIO *Archiepiſcopo Mechlinienſi, præſentibuſque omnibus Epiſcopis Comprouincialibus, tempore* PAVLI *Papæ* V. *anno Domini* 1607.

ACTA & Statuta huius Concilij Prouincialis Mechlinienſis in ſequentibus titulis cōpendioſè recenſentur: De Profeſſione fidei, ac de his quæ ad eiuſdem fidei integritatem conſeruandā pertinent. De Sacramentis in genere. De Sacramento Baptiſmi. De Sacramento Confirmationis. De Sacramento Pœnitentię. De Indulgentiis. De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. De Sacramento Extremæ Vnctionis. De Sacramento Ordinis. De ſponſalibus, & Sacramento Matrimonij. De doctrina & prædicatione verbi Dei. De Officio diuino, & Cęrimoniis. De Feſtis & Ieiuniis. De Imaginibus & Sanctorum

Digitized by Google

rum Reliquiis. De ſuperſtitione. De Epiſcopis, & corũ officio, ac Sede vacante. De Archipresbyteris, Paſtoribus, & Cuſtodibus, eorumque officiis. De vita & honeſtate Clericorum, eorumq́; correctione. De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia. De Scholis. De Seminariis. De elocatione & conſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum. De reparatione Eccleſiarum. De Regularibus & Monialibus. De Foro, Iuriſdictione, & immunitate Eccleſiaſticis. De Synodo Prouinciali & Diœceſana.

SVMMÆ CONCILIORVM FINIS.

DEO IESV CHRISTO

ÆTERNO DEI FILIO

LAVS ET HONOR IN ÆTERNVM.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CONCILIORVM CHRONOGRAPHICVS.

ANNO DOMINI

51 IEROSOLYMITANVM Primum tempore Apoſtolorum. Pag. 145
57 Antiochenum tempore Apoſtolorum. 147
198 Romanum ſub Victore. 148
198 Palæſtinum ſub eodem. ibid.
198 Ponticum ſub eodem. 149
198 Gallicum ſub eodem. ibid.
198 Oſroënum ſub eodem. ibid.
198 Aſiaticum ſub eodem reprobatũ. ibid.
217 Africanum ſub Zephyrino. ibid.
242 Labeſitanũ in Africa ſub Fabiano. 150
249 Arabicum ſub eodem. ibid.
253 Romanum à Clero Romano Sede vacante congregatum. ibid.
254 Carthaginenſe I. ſub Cornelio. 151
254 Romanum I. ſub eodem. 152
255 Romanum II. ſub eodem. ibid.
255 Italicum ſub eodem. ibid.
255 Carthaginenſe II. ſub eodem. 153
257 Africanum I. ſub Stephano I. ibid.
258 Africanum II. ſub eodem. 155
258 Iconienſe ſub eodem. ibid.
258 Synadenſe ſub eodem. 156
258 Africanum *vel* Carthaginenſe I. ſub eodem. ibid.
258 Africanum *ſiue* Carthaginenſe II. ſub eodem. ibid.
258 Carthaginenſe III. ſub eodem. 157
263 Romanum ſub Dionyſio. 158
266 Antiochenum I. ſub eodem. ibid.
272 Antiochenum II. ſub eodem. 159
303 Cirtenſe ſub Marcellino. ibid.
303 Sinueſſanum ſub eodem. 160
305 Elibertinum *ſiue* Eliberitanum ſub Marcello I. 165
308 Carthaginenſe I. ſchiſmaticorum Donatiſtarum ſub eodem. 159
308 Carthaginenſe II. eorumdem ſub eodem. ibid.
313 Romanum ſub Melchiade. 180
314 Arelatenſe I. ſub Silueſtro I. 181
314 Ancyranum ſub eodem. 185
314 Cæſareenſe ſub eodem. 189
315 Romanum I. ſub eodem. 190
315 Alexandrinum I. ſub eodem. 191
319 Alexandrinum II. ſub eodem. ibid.
320 *vel* 321 Laodicenum ſub eodem. 192
324 Romanum II. ſub eodem. 200
325 NICÆNVM I. Generale ſub eodem. 204
325 Romanum III. ſub eodem. 220
325 Gangrenſe ſub eodem. 222
335 Tyrium Conciliabulum ſub eodẽ. 227
335 Ieroſolymitanum Conciliabulum Euſebianorum ſub eodem. 228
337 Conſtantinopolitanum Conciliabulum Arianorum. 229
337 Romanum ſub Iulio I. 230
339 Alexandrinum ſub eodem. ibid.
340 Antiochenum I. ſub eodem. ibid.
340 & 341 Romanum II. ſub eodem. 238
342 Romanum III. ſub eodem. 240
344 Antiochenum II. ſub eodem. ibid.
